SACRAE ROTAE ROMANAE
DECISIONVM
RECENTIORVM
PARS QVARTA TOMVS PRIMVS

Olim à PROSPERO FARINACCIO I. C. ROMANO
Posthumum æditarum. Nunc verò iterùm publici iuris factarum

A PAVLO RVBEO I. C. ROMANO

Resecatis, eiusdem opera, singulis Decisionibus S. M. Gregorij XV. Cardd. Manticæ, Caualerij, & bonæ mem. Pegnæ, Coccini, Martini Andreæ, Buratti, & aliorum Auditorum, quorum Decisiones alibi impressæ sunt, indicato tantùm loco, & sæpius diuersis locis, vbi iam impressæ reperiuntur.

Index Materiarum ex duplici vnicus est confectus, & longè copiosior additusq; est etiam Index Argumentorum.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apost. MDCXLV.

SVPERIORVM PERMISSV.



INDEX

Causarum decisionum Rotæ Romanæ hac secunda parte comprehensarum,

Juxta seriem Alphabeti.

Decisiones signatæ cum hoc signo ¶ sunt illæ, quæ hîc extractæ fuerunt, cùm alibi iam impressæ sint.

A

B

Pacen.

S

T

FINIS.



ARGVMENTORVM SYLLABVS.

535 Iudi-

FINIS.



DECISIONES ROTÆ ROMANÆ.

A D. PROSPERO FARINACIO IC. Romano collectæ.

FEL. REC. CLEMENTE VIII.

Romana Capellaniæ in via lata. Veneris 4. Martij 1580.

ARGVMENTVM.

De probatione Iurispatronatus per enunciatiuas antiquas, & non antiquas, iunctis adminiculis in testamento factas.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus probatur per enunciatiuas antiquas factas in testamento, num. 1. & 2. vbi etiam quid si enunciatiuæ non sint de antiquo, concurrentibus tamen adminiculis.

Iuspatronatus transit ad quoscunque hæredes cum vniuersitate bonorum, nu. 3.

DECISIO I.

1  DOMINI tenuerunt, probari in genere, Capellaniam esse de iurepatronatus ex testamento Petri Pauli de Capo, condito de anno 1440. in quo enunciat, se ædificasse huiusmodi Capellam. Item ex alio testamento Hieronymi de Capo, dum mandat sepeliri in d. Capella, quæ est sua, & suorum maiorum.

Et licèt non enuncietur reseruatio iurispatronatus, id venit in consequentiam, nisi probetur remissio. *cap. nobis. de iurepatronatus. cap. significauit. de testib.* vbi Doct. Rota *in antiq. 5. de iurepatronatus.* Roccha *in ver. Ecclesiam fundauit, num. 9.* Lambert. *in eod. tract. in 4. art. 2. q. principalis 1. part. 1. libri, numero 12.*

2 Quod benè comprobatur ex collatione facta à Pio II. de anno 1468. Michaëli Natali, in qua narratur, esse de iurepatronatus laicorum, & Papa prouidet accedente consensu patronorum, quæ prouisio habuit effectum, vt liquet ex collatione Sixti de anno 1481. qui prouidet de hac Capellania ex eo quòd prouiderat d. Michaëli de quadam parochiali, & decreuerat, quòd assecuta illius possessione, vacaret huiusmodi Capellania. Coadiuuatur etiam ex libro, in quo iste Michaël Natalis dicit, se fuisse præsentatum à Hieronymo de Capo, qui liber inseruit pro aliquo adminiculo, iunctis præsertim aliis enunciationibus de anno 1518. & 1528. quæ licèt non sint de antiquo, tamen coadiuuant supradicta, quia verum vero consonat. Fuerunt etiam concordes, non constare sufficienter in casu, & ad effectum, de quo agitur, de iurepatronatus, ex quo non est verificatum, quòd ille Hieronymus, à quo Hospitale Incurabilium causam habet, descenderet à d. Petro Paulo fundatore, & hæreditas illius ad eum peruenerit.

Nam cùm notum sit, iuspatronatus transire cum vniuersitate bonorum ad quoscunque hæredes, 3
Calder. *in cons. 4. de iurepatronatus,* Rota 4. *in antiq. & 10. in nou. de iurepatronat.* debet probare, quòd iste vltimus descendat ab illo Petro Paulo, & quòd fuerit successor, saltem illorum, qui eius hæredes fuerunt, quorum nullum, nedum probatum, sed ne quidem articulatum fuit; cùm enim Ioan. Antonius sit reus, & possessor, vincit ex non iure agentis.

FEL. REC. CLEMENTE VIII.

Romana Capellaniæ in via lata. Veneris 18. Maij 1580.

ARGVMENTVM.

Filiatio probatur per institutionem hæredis tanquam filij, & iuspatronatus de antiquo censetur difficilis probationis, & ideo in eo leuior sufficit probatio.

SVMMARIVM.

Filiatio censetur probata per institutionem hæredis tanquam filij, numer. 1. & 2.

Enunciatiua vnica non probat filiationem. declara vt numero 1.

Possessio probatur ex instrumento locationis, sub nu. 2.

Iuspatronatus de antiquo dicitur difficilis probationis, & ideò in eo leuiora sufficiunt, num. 3.

DECISIO II.

DOmini dixerunt constare Hieronymum de Capo auctorem Hospitalis descendere à Petro Paulo fundatore. Quòd enim Hieronymus senior esset filius Petri Pauli fundatoris, liquet ex testamento prædicti Petri Pauli de anno 1440. in quo hæredes instituit Hieronymum Baptistam Stephanum, & Petrum Paulum eius filios. 1

Per quam institutionem simul cum nominatione probatur filiatio. Aretin. *in cap. per tuas, num.* 23. Felin. *numer.* 17. *de probat.* Ruin. *consi.* 53. *num.* 6. *&* 7. *lib.* 5. cum aliis allegatis, præsertim modern. Bart. 69. *quæst. lib.* 11. Cassad. 89. *num.* 84.

Nec obstat quòd in antiquis requirantur duo instrumenta, quia tota illa materia procedere videtur, vbi de enunciatis agitur: hîc autem non sumus in enuntiatiuis meris, sed in dispositiuis, ex quo pater instituit.

2 Quæ institutio, iuncta nominatione, constituit in quasi possessione, vltra quòd hoc coadiuuatur ex testamento prædicti Hieronymi, de anno 1477. in quo mandat, se sepeliri in Capella, quæ est sua, & suorum maiorum. Cùm enim fuerit erecta à Petro Paulo, satis dicit Hieronymus, se descendere à Petro Paulo, ex quo dicit, quòd Capella est sua, & quòd fuit suorum maiorum. Cùm itaque habeamus claram fundationem ex testamento Petri Pauli, in quo etiam nominat Hieronymum filium, & Hieronymus dicat, quòd Capella est sua, & fuit suorum maiorum, omnia bene videntur consonare, & correspondere. Quòd autem Ludouicus fuerit filius Hieronymi, probatur ex testamento prædicti Hieronymi, in quo instituit Petrum Paulum, Antonium Mariam, & Ludouicum filios, & consequenter intrant quæ supradicta fuerunt. quod comprobatur ex dicto sororis Faustinæ super quinto, dum dicit, Ludouicum patrē testātis, fuisse filium Hieronymi senioris. Comprobatur etiam ex eo quòd Ludouicus prædictus præsentauit ad d. Capellaniam Hieronymum de Capo, quæ præsentatio sortita fuit effectum, ex quo Hieronymus fuit institutus, & possessionem habuit. ad Calder. *consi.* 12. *de iurepatronatus.* Liquet etiam ex instrumento locationis factæ à d. Hieronymo de anno 1518. Quòd verò Hieronymus fuerit filius Ludouici, deponit soror Faustina, & apparet ex instrumento donationis, & testamento Iuliæ de Misis de anno 1534. & 1536. Donat enim Iulia ipsi Hieronymo vti priuigno filio Ludouici, & tanquam talem etiam hæredem instituit. Quòd verò Hieronymus successerit, liquet ex eo quòd Ludouicus eius pater præsentauit, quam præsentationem facere nequiuisset, nisi successisset eius maioribus: & quòd Hieronymus fuerit hæres Ludouici, liquet ex supradictis instrumentis.

3 Visa enim fuit concludens probatio hæc, cùm agatur de iurepatronatus antiquo, quo casu res dicitur admodum difficilis probationis, & sufficere videntur leuiora, quàm sint ista. Lambert. *de iurepatr. in* 2. *p.* 2. *lib. q.* 10. *art.* 4. *sub num.* 11.

Et ita fuit decisum.

R. P. D. BVBALO.

Cæsaraugustana status de Morata. Veneris 7. Februarij 1586.

ARGVMENTVM.

Processus à iudice suspecto allegato factus, non est ipso iure nullus, sed est necessaria appellatio, & quando appellatio interposita ab vno ex litis consortibus alteri suffragetur.

SVMMARIVM.

Iudex suspectus allegatus non potest ad vlteriora procedere, nisi priùs fuerit cognitum super causis recusationis, numero 1. *declara dummodo fuerit appellatum à processu ad vlteriora, aliter secus, nu.* 2.

Remissoria forma data, & non adimpleta, examen est nullum, numero 1.

Appellatio interposita ex vno ex consortibus litis, prodest alteri. declara vt num. 3. *&* 4.

Dictio vt, est restrictiua ad praecedentia, num. 3. *in fine.*

Procurator præsumitur dominum certiorasse de negotio arduo, num. 4.

Iudice allegato suspecto censetur à suspicione recessum per alios subsequentes actus approbatorios, de quibus, num. 5.

DECISIO III.

Concluserunt Domini validum fuisse examen 4 & 33. testium, vigore remissionis in partibus examinatorum, non obstantibus nullitatibus oppositis pro parte Illustris D. Comitis de Morata. Duplex enim opponebatur nullitas, quarum altera erat, quòd cùm Villabon. iudex deputatus in Curia pro parte Illustris D. Ioannis fuisset à partibus recusatus vti suspectus, & causâ suspicionis allegatæ non poterat ad vlteriora procedere, nisi postquam super causis recusationis esset cognitum, an esset iustificata. iuxta trad. *in cap. cum speciali*, vbi Doctor. *de appellat.* Altera verò nullitas erat ob non seruatam formam traditam in decreto remissionis. Cùm enim Villel. alter iudex deputatus ad instantiam Illustris D. Comitis post acceptationem renueret interponere decreta, ac interuenire in processu causæ, & in executione remissoriæ, antequam ad exequutionem procederetur, requirendus erat alius iudex nominatus pro D. Comite, iuxta formam decreti remissoriæ. quod cùm factum non fuerit, examen redditur nullum & inualidum. *c. cùm dilecta. de rescript.* cum simil. 1

Quod attinet ad primam nullitatem, dixerunt DD. in hac materia recusationis processum factum iudice recusato esse validum, nisi pars appellauerit ab anteriore processu, secundùm opin. Innoc. *in d. c. cum speciali, num.* 6. *vers. illud autem non memini de appell.* & ibi Doctor. *num.* 9 Corn. *consil.* 747. *numero* 38. *lib.* 1. quam passim Rota tenet, vt per Achil. *decis.* 1. *de recusat. iud.* Vnde cùm non fuerit appellatum pro parte Illustris D. Comitis, quamuis pro nunc præsupponatur, causas suspicionis allegatas esse legitimas, de quo tamen aliqui ex DD. dubitabant, nihilominus processus fuit validus. 2

Nec suffragatur appellatio interposita per Procuratores constitutos tam ab ipso D. Comite, quàm ab Illustri D. Petro, & Agnete eorum matre specialiter, ad recusandum Villabon. & appellandum, quia DD. considerabant quòd in protestationibus & responsionibus, quæ multoties respectiuè fuerunt, Procuratores semper comparebant nomine omnium, specificè, & expresse nominando eorum principales. In appellationibus verò semper illas interponebant nomine D. Petri & Agnetis sub hac, vel simili forma, videlicet Procuratores D. Agnetis & D. Michaëlis persistunt in protestationibus; nomine verò D. Petri velut Procuratores appellant. Vnde quamuis regulariter appellatio interposita per vnum ex litis consortibus, 3

prosit

prosit alteri quando in causa connexa. *l.si quis.§.pe-nu.de appell. l.1.& 2.C.si vnus ex pluribus.* Put. *decis.* 470.*in vna Abulen.bonorum, lib.2.* Hoc tamen procedere non potest quando Procurator à pluribus constitutus appellat nomine vnius tantùm. Tunc enim consors litis non potest se iuuare dicta appellatione, quia censetur prohibuisse ne nomine suo appellet. Ang.*in l.cùm prætor,*& ibi not. Aug. *de iud.*Ias.*in l.exigendi,num.9 versic.3.limit.de procurat.* & in similibus terminis opportunè facit Crescen. *decis.*171.

Præsertim cùm iidem Procuratores nomine D. Comitis protestentur, & tamen appellant vti Procuratores D. Petri & D. Agnetis. Appellatio enim censetur restricta propter dictionem, *vt* quæ est restrictiua ad præcedentia. Natta *in Clementina sæpe, num 76. de verb.signific.*

4 Præterea si Comes volebat se iuuare dicta appellatione interposita nomine aliorum, debebat saltem infra 10. dies notitiæ interponere appellationem, vt per Felin.*in cap.cùm super,numero 11.de re iudic.* Et de eius notitia dubitari non potest, cùm eius Procuratores nomine aliorum appellauerint, & in negotio tam arduo præsumuntur dominum Certiorasse. Roman. *consi.*481.*num.*7. Abb. *consi* 18. *num.*4. *ad finem lib.*2. Gabr. *de reg. iur. conclus.*5. *numero* 33.

5 Insuper plurimum mouebant DD. circumstantiæ facti, nempe geminatæ protestationes, & appellationes restrictæ ad D. Petrum & D. Agnetem. Item productio interrogatoriorum tam generalium quoad omnes testes, quàm etiam respicientium personas particulariter testium, & in magno numero. Ex qua diligentia satis percipitur intentio D. Comitis quòd in examine testium ad vlteriora procederetur, & quòd non insistebat in suspicionibus allegatis. quod etiam clariùs liquet ex protestatione Procuratoris D. Comitis facta in Rota sub die 17. Maij 1573. In qua non esset citatus ad videndum deputari alios iudices remissoriæ in locum Villebon. Et Abbas protestatus fuit non deuenire ad nouam deputationem, ex quo dicti iudices acceperunt examen, & donec ipsi examinent, non esse insistendum super noua deputatione, & nihilominus si D.Comes habuisset illos suspectos, eius Procurator potiùs institisset pro deputatione aliorum, quàm pro non remotione.

6 Quæ verò ad nullitatem ob non seruatam formam remissoriæ Domini pariter concluserunt, non adesse aliquam nullitatem respectu formæ non seruatæ.

REVERENDISSIMO P.D. ROBVSTERIO.

Giennen.Canonicatus,& præbendæ. Lunæ 4. & 11. Maij 1587.

ARGVMENTVM.

Obitus certa die illius, cuius beneficium fuit impetratum, in quibus casibus ab impetrante debeat plenè probari, & quando hæc plena probatio facta censeatur.

SVMMARIVM.

Mors, seu obitus illius, cuius beneficium fuit impetratum tanquam reseruatum, debet plenè probari, numer.1. & seqq.

Reseruatio beneficij narrata in dispositione, illam qualificat, ibid.

Prouisus ab Ordinario cùm sit in bona fide, sua possessione priuandus non est per præsumptiones, sed per plenas probationes, num.2.

Mors, seu obitus illius, cuius beneficium fuit impetratum, probandus est plenè, & concludenter quando agitur de certa die ipsius obitus, num.3.

Obitus, seu mors illius, cuius beneficium est impetratum, probanda est plenè quando agitur possessorio recuperandæ, seu adipiscendæ, secus si retinendæ, nu.4.

Obitus, seu mors illius, cuius beneficium fuit impetratum, probanda est plenè, quando in gratia adest clausula, constito summariè de obitu, nu.5.

Clausula constito summariè, interpretatur sine multis solemnitatibus, non tamen per eam remouentur qualitates probationum, num.6.

Testes examinati sine citatione partis probant casus fortuitos, vtpata natiuitatis, seu mortis alicuius, nu.7.

Mors, seu natiuitas alicuius probatur per instrumentum Notarij factum de iudicis ordine, nu.8.& 9. vbi ampliatur hæc conclusio, etiam quòd agatur de certa die obitus.

DECISIO IV.

QVo ad primam partem dubij Domini resoluerunt, quòd requiratur plena probatio ad verificandum quòd Michaël Canonicus in Ecclesia Giennen. obiit die 4.Maij 1585. 1

Primò, quia is, qui agit, indiget probatione, & indiget reseruatione die 4. præfati mensis Maij, tum quia in Breui adest clausula, constito de obitu Michaëlis in dicta die 4. Maij, & sic quòd ex obitu in dicta die resultat reseruatio; tum quia similia breuia regulariter non dantur, nisi in reseruatis, vt notum est; tum quia huiusmodi breue est ad fauorem litterarum, in quibus Papa prouidet, attenta dicta reseruatione; tum quia in narratiua dicti breuis fit mentio de huiusmodi reseruatione, quæ narratiua in dispositione illam qualificat. *l.fin.de hæredib. instituend.* cum simil. & ideò cùm non agatur ad effectum absolutoriæ, est plenè probanda reseruatio. Ægid.*decision.*471.*&* 612.*Rot.in Nou.de officio deleg. decis.*10. Simon. *de reseruation. quæst.*2. provt *decis.* 10.*numero* 3.Paleot. *decis.*145. dubitaui, an dentur plures aliæ decisiones modernæ, vt in copiis.

Secundò, quia agit contra possessorem prouisum ab Ordinario, qui cùm sit in bona fide, non est per præsumptiones eiiciendus à sua possessione, sed per plenas probationes. Ægid.*in cap.grauis, num.4. versic.& ideò auctores.de restit.spol.* Cassad. *de probat. decis.1.num.1.decis.*257. *num.*1. 2

Tertiò, quia hîc non agitur simpliciter de probando obitu, sed de tempore obitus, & sic dies obitus est fundamentum intentionis prouisi Apostolici: quo casu regulare est quòd requiritur plena probatio.*l.cùm autem.de negot.gestis.l.matrem. C. de probat.*Bart.& alij *in l.non solùm.§ sed & probari,num.2. ff.de nou. oper. nunc.* Felin. & alij *in cap.in præsentia, nu.12.de probat.*post Bald.in terminis *consi.69.num.3.* & Put.*decis.*266.*in* 3.Paleott.*decis.*1461. 3

Quartò, quia vt Rota tenet, in possessore, siue recuperandæ, siue adipiscendæ, requiritur plena probatio solo summarij iudicio retinendæ, excepto quòd hîc bene deducunt informantes, qui 4

benè euacuant, & addebant Domini Rimin. Senior *consi.258.numer.32.vsque ad finem*, & præsertim *num. 3. versi. præterea.* vbi ad casum de quo agitur obtinuit, distinguit probationem possessione, & incidentia in ipso iudicio possessorio per verificationem conditionis.

5 Quintò, quia in Breui adest, constito summariè de obitu in die 4. Maij, quæ inducit conditionem, debet plenè probari: vt latè Dec. *in rubr. de probationibus, num.13. ad fin. versi. nisi per modum conditionis, & num. sequent.* & fuit dictum in vna Pampilonen. beneficij de Stillo. die 13. Ianuarij 1578. coram R. P. D. Decano, post Ægid. *decis.471.* præsertim, vt ex præmissis apparet, vbi subiecta materia requirat plenam probationem, vt considerant Doctores *in dicta rubr. de probationibus.*

6 Nec refert quòd Breue dicat, constito summariè, quia interpretatur sine multis solemnitatibus. Bar. *in extrauagant. ad reprimendum, & in l. iudicibus 2. oppositione 1. de iudiciis.* Pedem. *decis.1.nu.1.* Redoan. *in tract. de spol. quæst.11.num.9.* & sic non remouentur qualitates probationum. Idem Bart. *in d. extrauag. ad reprimendum, in verbo summariè, & in l.1.§ fin. ff. de prætor. stipulat.* Alexand. *in l. summa in 1. ff. de condict. indeb.* cum aliis hic cumulatis alia bene euacuant informantes.

7 Quoad secundam partem dubij principalem, an adsit in casu de quo agitur huiusmodi plena probatio? Domini resoluerunt affirmatiuè probari Martium obiisse die 4. Maij per tres testes in partibus eodem die examinatos, qui benè deponunt de dicta die, præsertim primus, tertius, & fides Notarij, & istæ sunt probationes factæ eadem die, in qua non erat nota creatio S.D.N. in illis partibus: nec potest considerari aliqua sinistra suspicio in istis probationibus, prout potest considerari in aliis testibus ex aduerso productis, qui fuerunt recepti de mense Nouembris, & non coadiuuant hanc probationem vt dicitur, sicut pro ista parte aliquid ei faciunt. Non obstat quòd medicus dicat de obitu hora decima, quia incidenter dicit, & intellexit vt alius testis & Notarius dicunt, in circa, vel parum plus minus, circa istas horas.

8 Non obstat quòd isti tres testes in partibus examinati fuerunt sine citatione partis, & ideò quòd non probant, quia in huiusmodi casibus fortuitis, velut natiuitatis, seu mortis alicuius, Notarius potest conficere instrumentum, vel testes examinare, etiam sine partis citatione, officio cuiuscumque iudicis ordinarij, plenè probant, maximè ad litem, quia tunc non aderat, nec suspicari poterat alicuius dolus malus. Bald. *in cap. quia frequenter. §. porrò. vt lite non contestata.* alleg. à Felin. *ibi num.24.* Dec. *in cap.1. col.4. de fide instrumentorum.* Vestr. *in praxi lib. 6. cap.2. num.1.* Gabr. *de citationibus conclus. 1. num. 336. & seq. fol. 187.* & plures alij allegati, etsi per instrumentum Notarij rogati de ordine iudicis super huiusmodi casibus, etiam nemine citato, probat Ioan. Andr. ad Specul. *de instrument. cap. dictum. §. postquam accusatio*, & videtur allegatus à Paulo de Castro *in l. prætor ait, numer.8. in fine. ff. de eden.* vbi dicit se ita consuluisse. Dec. *in rubr. de fid. instrument. numer.22.* vbi dicit, etiam multo magis adhibenda fides vbi fuerunt examinati testes, & adest ordinatio iuris eodem die vt recipiatur informatio, & Notarius qui fecit fidem, examinauit testes, recepitque ordinem ab ipso iudice.

9 Nec refert quòd agatur de probanda certa die obitus, & non de obitu in genere, & quòd requiritur plena probatio, quia si testes sunt bene examinati sine citatione partis, in dictis testes plenè probant, vt in illis legitur.

Testes pro Dominico ab Ordinario prouiso examinati Granatæ de mense Nouembris 1585. nihil obstant, quia sine citatione prouisi Apostolici, quia tunc erat omnibus notum, & præcipuè Dominico: sed in dictis isti testes, vt dixerunt, faciunt pro Lupo prouiso Apostolico, quia deponunt Martium obiisse die 4. Maij. Primus testis deponit quòd viderat prædictum Canonicum mortuum, & inter sextam, & septimam horam de manè, dixi 4. Maij. Quod non obstat, quia licèt primus testis Lupi, & fides Notarij dicant eum obiisse hora decima ante meridiem: dicunt tamen fides Notarij & tertius testis parum plus, & minus, qui possunt verificari in prædicta hora. deponit autem quòd audiuit in familiaribus dicti Canonici illum perdidisse loquelam hora decima noctis diei 3. Maij, & sic duabus horis ante diem quartam reseruatam, & quod statim obierat. verùm in hoc loquitur de auditu, ideo non probat. Secundus testis deponit quòd vidit eum mortuum parum antea quàm elucesceret, & debuit esse hora quinta. quod potest considerari cum prædicto, & tertio Lupi, & fide Notarij per prædicta quinta, & parum plus, vel minus. de auditu autem deponit quòd obierat ante mediam noctem præcedentem: verùm non probat vt quinta dicti est. Tertius deponit de visu; quòd vidit eum mortuum hora octaua, & sic meliùs concordat cum prædictis: de auditu autem deponit illum obiisse hora prima noctis, & sic discordat à duobus aliis, & patitur eundem mortuum. Quartus idem, & eodem modo deponit. Quintus non obstat, quia deponit de visu, de hora tamen decima eum vidisse mortuum, & prius quàm iret ad eum videndum sonabant campanæ, & in ciuitate dicebatur quòd sonabant pro Canonico Martio defuncto. Sextus testis nec etiam: deponit enim quòd vidit prædictum Canonicum mortuum hora nona, & quòd audiuit à fratre quòd obierat die 4. Maij, omnes tamen deponunt de dicta die 4. cum vidisse mortuum, nullus de visu ante illam diem. quare non probant de hora obitus. 10

Vltimò non obstant quæ dicuntur de publicatione Regali reseruatore, sic Roma circa horas 16. circa meridiem, quia stante declaratoria S.D.N. res non habet difficultatem. & hæc declaratoria videtur satis honesta, quia reseruatio de beneficiis vacaturis in die 4. Maij cœpit, vacantia in illa die ante publicationem, dummodo ante publicationem non sit prouisa per ordinem. Simonet. *de reseruat. quæst.54.* 11

REVERENDISSIMO P. D. PEGNA DECANO.

Senogallien. censùs. 26. Aprilis 1591.

DECISIO V.

Est decisio 143. inter alias eiusdem Auditoris edita in tomo 1. Lugduni apud Hæred. Prost, Borde, & Arnaud.

R. P. D.

REVERENDISSIMO P.D. PEGNA.

Duden. beneficij de Rosal. Lunæ 12. Decembris 1594.

DECISIO VI.

Est decisio 416. inter alias eiusdem auditoris edita in tomo primo Lugduni apud Hæredes Prost, Borde & Arnaud.

R.P.D. ORANO.

Romana Grani. Lunæ 27. Februarij 1595.

DECISIO VII.

Impressa est post Staphil. Pacif. de Saluian. Interdicto decis. 127. vbi mendosè dicitur die 28.

ILLVSTR. D. BLANCHETTO.

Oscen. Pœnitentiariæ 10. Aprilis 1595.

ARGVMENTVM.

Recurrens ad iudicem laicum in causa Ecclesiastica efficitur excommunicatus & incapax beneficiorum.

SVMMARIVM.

Iudex laicus in causis Ecclesiasticis adiri non potest, & ad eum recurrens est ipso iure excommunicatus, & committit sacrilegium, num. 1.

Iudex secularis adiri non potest, etiamsi iudex Ecclesiasticus malè procedat, quia cùm sit authoritate minor, non potest supplere negligentiam maioris, num. 2.

Appellans & recurrens ad iudicem secularem in causa Ecclesiastica, non excusatur ex eo, quòd dicat velle se prosequi causam grauaminis coram Ecclesiastico, quia potuit adire superiorem iudicis Ecclesiastici, & ad eum recurrere, numero 3.

Iudex secularis est incapax iurisdictionis in personas Ecclesiasticas & in eorum causas, non obstante immemorabili, num. 4.

Excommunicatus propter excommunicationem redditur incapax beneficiorum, numero 5.

DECISIO VIII.

1 Domini dixerunt sententiam absolutoriam vltimo loco latam in iudicio criminali ad fauorem Pauli sustineri non posse. Nam & de iure communi, & ex Bulla in Cœna Domini, recursus in causis Ecclesiasticis ad iudices laicos est prohibitus. *cap. qualiter, & quando.* vbi Doctor. omnes, *de iudic.* & recurrens est ipso iure excommunicatus. *cap. nouerit, & cap. graue, de sentent. excommunic. & in d. Bulla* §. 16. & committit sacrilegium. Caietan. *in summa, in verbo excommunicatio cap. 3. & seq.*

2 Nec excusari potest, ex traditis per Couarr. *pract. quæst. cap. 35. num. 3.* nam etsi iudex Ecclesiasticus malè procedat, non potest iudex secularis, cuius est minor potestas, supplere negligentiam Ecclesiastici, qui ipso potestate, & authoritate est maior, vt declarant omnes Doctores *in cap. qualiter, & quando. de iudicijs.* videlicet Ioan. Andr. & Abb. antiq. *num. 1.* Imol. *num. 7.* Barbat. *num. 23.* sed illius negligentiam Ecclesiasticus supplet. *cap. ex transmissa, cap. licèt, cum seq. de for. competen.* superioritatem autem iurisdictionis probant *cap. solita. de maiorit. & obed. cap. denique 96. distinct. & Clemen. Romani. de iureiur.*

Quæ licèt de plano procedant, multo magis applicantur proposito casui, in quo Paulus habuit recursum ad iudices laicos, non solùm semel, sed pluries, ad effectum impediendi mandatum de manutenendo ad fauorem Capituli ritè & rectè decretum, scilicet 3. Octobris 1587. & 18. Nouembris, & 11. Decembris eodem anno, & de mense Februarij 1589. etiam postquam obtulerat se paratum parere mandatis Archiepiscopi Cæsaraugustani.

Nec excusari potest Paulus à tali recursu ex eo quòd postea voluerit prosequi grauaminis causam coram Ecclesiastico, quia talis excusatio non habet locum quando recurri potest ad Ecclesiasticum, qui tale grauamen impediat, provt poterat Paulus adeundo Metropolitanum, vel Nuntium Apostolicum, & illum ad istum effectum non recurrisse euentus docuit, quia neutrum adiuit, & prouisiones Regiæ multò magis hoc declarant, quia non solùm inhibetur iudici Ecclesiastico ne ad vlteriora procedat, sed illi mandatur, vt quæ decreuerat reuocet, & coram ipso iudice seculari compareat ad allegandas causas, ex quibus parere non teneatur. 3

Ex quibus nihil aliud inferri potest, nisi quòd ipsi iudices nolunt de causa Ecclesiastica cognoscere, quod est admodum absurdum, cùm iudex laicus sit incapax iurisdictionis in personas Ecclesiasticas, & eorum causas. nec immemorabilis hoc casu sibi suffragatur. Doctor. *in cap. causam. de præscript.* Felin. *in c. 2. de maior. & obed.* Rot. *decis. 10. de consuetud. in antiquis.* & Bisinger. 2. *eod. tit.* Præcipuè cùm in dicta Bulla in Cœna Domini derogetur consuetudinibus, & immemorabilibus. 4

Non obstant quæ allegantur ex defectu iurisdictionis, & quòd Rota non cognoscit de iustitia sententiarum, quæ sunt extra Rotam latæ, quando de illarum executione non agitur. quia in casu proposito Hieron. Pinos habet fundatam intentionem super recursibus, & claram iuris dispositionem, per quam Paulus propter excommunicationem incursam redditur incapax beneficiorum. & cùm ipse Paulus excipiat de absolutoria quam transiuisse in rem iud. prætendit, licitum est Hieronymo replicare de illius notoria iniustitia. Propterea vltra recursus prædictos coram locumtenente criminali A.C. adsunt alij producti corã me registrati fol. 326. & 335. 5

Ex quibus ipsum incidisse in pœnas in Bulla in Cœna Domini contentas, negari non potest.

R. P. D. CORDVBA.

Duden. Beneficij de Rosal. 10. Maij 1595.

ARGVMENTVM.

Iudex delegatus nõ habet iurisdictionem, nec eam exercere potest, sibi non præsentato originali rescripto, iurisdictionem tribuente, etiam quòd pars comparendo non opposuerit iurisdictionis defectum.

SVMMARIVM.

Iudex delegatus debet esse certus de sua iurisdictione, nec eam potest exercere, sibi non præsentato originali rescripto iurisdictionem tribuente, numer.1.& 2. vbi ampliatur hæc conclusio, etiam quòd pars comparens non opposuerit defectum iurisdictionis, & num.4.

Negatiua probatur ex inspectione actorum, num.1.

Delegati iudicis facultas procedendi debet illi solemniter, & per manum publici Notarij cum appositione testium præsentari, antequam iurisdictionem exerceat, ibid. in fine.

Iura producta quando dicantur esse de actis, num.3. vbi etiam quando instrumenta producta dicantur esse de actis.

Iudici delegato non competit iurisdictio cum effectu, nisi post præsentationem litterarum delegationis, nu.4.

Iurisdictionis defectus consensu partium conualidari potest, ibid.

DECISIO IX.

1 Die 12. Decembris anni præteriti, fuit resolutum non constare fuisse præsentatas litteras originales, vel alias authenticas coram ordinario Iud. cui litteræ gratiæ si neutri fuerant directæ, & propterea decretum citationis illarum vigore factum fuisse nullum.

Et quia Apparitius instabat iterum audiri super iisdem, 10. Maij 1595. fuit resolutum standum esse in decisis omnibus adductis in decisione primæ propositionis. Constat enim quòd iudex non fuit certus de sua iurisdictione, cùm non fuerat præsentatum originale, quod ex inspectione actorum bene probatur, ad trad. per Alex. *consi 55 nu.12. lib.5.* Aym. *consi.197. num.10. vers. sed verba enunciatiua.* Nam præsentatio rescripti debet fieri solemniter per manum publici Notarij, & cum appositione testium. Speculat. *tit. de rescript. præsent. in princip. per totum.* & quando hoc deficit, iudex non potest dici certus de sua iurisdictione.

2 Non obstat quòd præsumatur originale præsentatum & iudicem certum per inspectionem originalis de iurisdictione, eo ipso quòd pars Alphonsi comparuit, nihil opponens de defectu iurisdictionis, eo quòd originale non fuisset præsentatum, quo casu intrat doctrina tradita per Henric. Boic. *nu.4.* Abb. Felin. & Bellamer. *num.10. vers. tertiò quem. in cap. cùm iure. de offic. deleg.* dicente quòd si pars compareat, & ante sententiam non opponat de defectu iurisdictionis, eò quòd originale non fuisset præsentatum, si velit opponere post sententiam, non potest.

3 Nam Domini duos terminos considerabant, alterum, quòd productio iurium sit de actis. Alterum quòd sint de actis instrumenta quæ producuntur. Quoad primum est dicendum quòd fiunt de actis statim quòd est facta productio parte citata, etsi non potest dici de actis instrumentum, vt per Mohed. *decis.1. de procurat.*

Quoad secundum iura fiunt de actis si registrentur solemniter in illis, vt per Bellamer. *vbi suprà num.8.* & inde iurisdictio iudicis consideranda est, si respectu iudicis productio iurisdictionis debet esse de actis, & fieri per manum Notarij publici, cum appositione testium, ad tradita per Specul. *vbi suprà*, & respectu partis si opponatur, debet instrumentum verificari, & registrari, vt tradit Ægid. *in cap. cùm in iure, num.8 de offic. deleg.* ex aduerso allegato, vbi docet practicam & obseruantiam Curiarum, & inquit quòd omnia producta de verbo ad verbum ponantur in actis transumptiuè, & quòd citetur pars ad dicendum contrà, etsi nihil probabile alleget, probatis Notariorum signis & sigillis, si negetur illud transumptum, habebit vim solemnis & authéticę publicationis & sic præsupponit, quòd originale debet præsentari, & postea transumptari.

In casu verò de quo agitur, non constat de productione, & de actu productionis, sed de comparitione quadam coram dicto iudice, & de actu extraiudiciali iudicis sine testibus, cui assertioni se fuisse deputatum vigore Bullæ delegationis non est standum nisi priùs constet de delegatione. Ratio est, quia delegato non competit iurisdictio cum effectu, nisi post præsentationem litterarum delegationis. *cap. super eo, de appellat.* cum aliis per Roman. *consi.353. num.8.* & inde tollitur obiectum quòd cùm pars citata ad dicendum contrà non comparuerit, & nihil opposuerit, iudex potest procedere, cùm etiam iudex dicitur ante præsentationem litterarum: si autem non habuit iurisdictionem, consensus partium non potest conualidare processum. *l. priuatorum, cum vulgaribus. C. de iurisd. omn. iudic.* tenent in expresso Franc. *cap. super eo, el 2. col 6.* & ibi Dec. *num.28.* vbi inquit quòd intentio S. P. est suspensa ante præsentationem litterarum, & agitur de conferendo iurisdictionem, quam priuati dare non possunt, Felin. *in cap. cæterum, num.21. de rescript.* & testatur communem opinionem Anton. Gabr. *de exceptionib. res iudic. conclus.3. num.3.* 4

Cùm ergo in dicto iudicio fuerit præsentatum transumptum ab alio transumpto processus originalis, DD. resoluerunt standum esse in decisis, cùm illi non potuerit de iurisdictione constare. 5

R.P.D. PENIA.

Oscen. Canonicatus. Veneris 1. *Decembris* 1595.

DECISIO X.

Decisio ista est 480. inter alias decisiones eiusdem auditoris in tomo primo edito Lugduni apud Hæredes Prost, Borde & Arnaud. Replicata est etiam eadem decisio penes Marches. de Commiss. parte 3. fol.127. Triplicata pariter est apud Farinac. cons.68. num.15. lib.1. Quadruplicata habetur apud eundem decis. 103. post secundum tomum suorum consil. aliàs parte 5. diuers.

R.P.D. CORDVBA.

Mediolanen. simulationis. 12. *Iunij* 1596.

ARGVMENTVM.

Appellatio interposita ab vno ex litis cõsortibus suffragatur alteri, & quando ad hunc effectũ dicantur litis cõsortes.

SVMMARIVM.

Litis consortes dicuntur qui sustinent eandem causam, & habent litem communem siue sint actores, siue rei, numero 2.

Pluralis

Pluralis loquutio non verificatur in vno, num.3.
Consortes litis dicuntur, quorum defensionis causa est communis & periculum, num.4.
Appellatio vnius prodest etiam consorti in connexis, num 6. vbi loquitur in agentibus ex eodem instrumento, & ampliatur etiam quòd Procurator vnius consortis sit negligens in appellando, & alter non, ibid.

DECISIO XI.

1 Quia D. Ioannes Baptista, tam suo nomine, quàm vti Procurator DD. Iacobi & Simonis eius fratrum, constituerat se debitorem D. Ioann. Andreæ in quadam summa. ex dictis nominibus hypothecauerat quædam bona, cōtra quos D. Ioannes obtinuerat sententiam, à qua Procurator Iacobi appellauerat. Et quia pro parte Ioann. Andreæ prætendebatur hanc appellationem non iuuare Ioan. Baptistam, dubitaui, an dictus Iacobus esset consors litis, ita vt appellatio sustineretur in casu, de quo agebatur, & fuit resolutum pro affirmatiua.

2 Nam aliqui possunt dici sortes pluribus modis, seu diuersimodè, inter quos illi sunt qui eandem causam sustinent, & habent litem communem siue sint actores, siue rei, vt *per tot. C. de consort. eiusd. lit.* Salic. *in l. dudum, num.5. C. de contrahend. empt.* & notatur *in l. si petitor. de iudic.* Abb. *in cap cùm M.* & ibi Felin. *num.8. de constitut.* Bero. *cons.24. numer.11. lib.3.*

3 Cùm autem instrumentum quod prætenditur simulatum, & cuius occasione hæc lis fuit introducta, fuerit factum à Ioanne Baptista vti Procuratore, & nomine Iacobi & Simonis fratrum, dixerunt Domini non posse negari, quin Iacobus sit consors litis, præsertim cùm commissio causæ & scientiæ loquatur de Ioanne Baptista & fratribus, & consequenter de Iacobo, cùm non adesset nisi vnus frater alius, scilicet Simon, in quo plurabilis loquutio non potest verificari. *cap. pluralis. de reg. iur. in 6. l. vbi numerus. de testib. l. fin. ad Trebell.* maximè cùm nulla detur probabilis causa recedendi ab ista verborum proprietate. *l. si alij de vsufructu legato. l. pen. C. de impub.*

4 Non obstabat quòd Iacobus fuerit constitutus Procurator à fratre, quia ex hoc non excluditur, quòd non esset sors litis, stante, quòd eadem erat causa defensionis, & periculum, & in iure non reperitur prohibitum posse agere & nomine proprio & procuratorio fratrum. *l. si pater filium. §. quod vos.* vbi gloss. & Bald. *de adopt. cap. si quis. §. porro. de elect.* Achil. *decis.2. de concess. præben.*

5 Minus refragabatur, quòd Iacobus prætendat instrumentum ipsum non afficere ex defectu mandati Ioan. Baptistæ, qui ipsum obligauit, quia Iacobus hoc prætendit tam ex capite nullitatis obligationis, quàm simulationis contractus, ad quem effectum sufficiebat contractum fuisse irritum, etiam suo nomine, & sententiam ipsum comprehendisse, vt ab ea appellari potuerit, absque eo quòd teneatur acceptare instrumentum, vel facere aliquam declarationem.

6 Quo stante dubitari non potest, quin illius appellatio suffragari poterit aliis litis consortibus qui non appellabant, cùm eadem sit connexitas causæ, ex quo conueniuntur ex eodem instrumento. *l.1. C. si vnus ex pluribus.* Bart. *in l. à sententia, & in l. si quod separatim. §. fin. de appellat.* Abb. *in cap. vna sententia, num.4. eod. tit.* Socin. *cons.232. num.2. lib.1.* Felin. *in cap. cùm super, nu.6. de iudic.* Puteus *decis.469. lib.2.* Quod procedit etiam constitutis diuersis Procuratoribus, quando Procurator consortis est negligens in appellando. Castrens. *in l. si longius. §. si filius, num.2 de iudic.* Alexand. *in l. exigendi, num.5. C. de procurator.* Felin. *in cap. coram, num.3. fallen.2. de offic. deleg.* Put. *decis.21. lib.2.* Quo casu intelligitur decis. Crescen. 12. & fuit resolutum in illa Bononien. bonorum 27. Aprilis 1587. coram R.P.D. meo Pamphilio.

Quæ omnia maximè procedunt, quando in dubio deferendum est appellationi. Felin. *in cap. significauerunt, num.1. de testibus,* & Rota semper inclinat pro non desertione. Cassad. *decis.4. in fin. de appell.* 7

R. P. D. LITTA.

Aquilegien. fructuum castri S. Viti. Lunæ 14. Iunij 1599.

ARGVMENTVM.

Illegitimus clericus capax est pensionis etiam reseruatæ super beneficio Ecclesiæ, in qua pater habet beneficium, & illius translationis; & quid si pensio est reseruata super beneficio paterno.

SVMMARIVM.

Pensionis illegitimus capax est, dummodo sit clericus, num.1.
Pensio non dicitur beneficium, quia est merè temporalis, nihil spiritualitatis habens. ibid. in fine.
Pensio reseruata super beneficio paterno, vigore Concilij Tridentini, nulla & inualida est. intellige de reseruatis post Concilium, non ante Concilium, nu.2.
Transferendi facultas pensiones extenditur etiam ad illegitimos, dummodo sint clerici, num.3.

DECISIO XII.

Domini tenuerunt sententiam esse iustam, ea moti ratione, quia de iure communi quoad hoc, vt bastardus, vel alius illegitimus, sit capax pensionis, sufficit secundùm opinionem, quam seruat Rota, quòd sit clericus. ad tradita per Oldrad. *cons.215. num.6.* & per Innocent. *in cap. vlt. de fil. presbyt.* Sarnen. *de annal. quæst.21.* Gigas *de pens. quæst.16. in fin.* quæ conclusio pro constanti refertur in vna Legionen. Zanonen. pensionis 10. Octobris 1577. coram bo. me. Robusterio, quæ est diuers. 425. *part.1.* In qua contingit dubitari de casu huic propriè simili. Et licèt tunc nihil resolutum fuerit, fuit tamen pro hac eadem sententia inclinatum, vt videre est, immò ex pòst, attenta relatione Dominorum, qui positionem dictæ causæ viderunt, fuit absolutè resolutum pro capacitate, secundum cons. Gig. 4. *de pension.* quod est in extensis *cons.113.* ex cuius lectura tolluntur omnes rationes in contrarium consideratæ per informantes pro Reuerendissimo Patriarcha, illa videlicet, quòd sicut filius prohibetur habere beneficium in Ecclesia, in qua obtinet pater. *cap. ad decorem. de fil. presbyt.* propter detestationem criminis paterni, vt per Hostiens. *in summa, de fil. presbyt. §. quæ est causa.* & sicut prohibetur conse- 1

qui beneficium, quod obtinet pater. *cap. quoniam & cap. conquerente, eod. tit. de fil. presbyter.* ne videatur dare successionem in beneficiis Ecclesiasticis, *cap. transmissa*, vbi Abb. *num. 7. eod. tit. & cap. Apostolica* 8. *quæst.* 1. Ita prohiberi debeat consequi pensionem super beneficio, quod obtinet pater, argumento *l. quæ de toto. ff. de rei vendic.* cum vulg. maximè stante constitutione Clementis VII. & omnia prædicta habent locum in beneficiis, & non in pensione, quę est quid merè temporale, nil spiritualitatis habens, & sic per consequens nil commune habens cum ipso beneficio. ad text. *in l. Papinianus exuli. ff. de minor.* cum aliis deductis per Gigas *in dicto consilio.* Ad quod, &c.

2 Nec vlla potest prætendi vti reseruata super beneficio paterno saltem vigore Concilij Tridentini *sess. 25. cap. 15.* prohibentis filio illegitimo clerici obtinere pensionē super fructibus beneficij, quod habet, vel habuit pater, quia intentio Concilij non fuit annullare pensiones, quæ iam de eo tempore prædictis reseruatæ fuerant, qualis est ista, de qua agitur; sed fuit prouidere, ne in futurum admittantur huiusmodi reseruationes, vt in terminis fuit resolutum coram Reuerendo Patre Domino meo Gyptio in vna Cæsaraugustana pensionis 18. Iunij 1590. & facit, quia ad futura de sui natura adaptatur lex, & non ad præterita. *l. leges. ff. de legibus.* cum aliis per Calcan. qui propterea ad multa intrat *cons.* 15. *num.* 13. *& seq.*

Ad illud verò, quòd in concessione facultatis transferendi non comprehendantur bastardi, quasi quòd de illis Papa non senserit, ad cons. Bald. 202. *lib.* 2. fuit per Dominos responsum, facultatem transferendi comprehendere omnes capaces pensionis, vt dictum est, meritò quòd etiam eos comprehendat dicta facultas transferendi, necesse est fateri, ad text. *in l. si verò. § de viro. ff. solut. matrim. & in l.* 1 *§. generaliter. ff. de legat. præst.* nec dictum cons. Bald. quicquam facere dixerunt Domini, cùm procedat in feudo, in quo consideratur puritas sanguinis, & bastardus ipse prohibetur succedere, vt tradit Riminald. iunior *cons.* 447. *num.* 54. quod secus est in materia pensionis, cùm ad effectum capacitatis solùm perpendatur clericatus, ea ratione, quia huiusmodi reseruationes solent capitulariter concedi pro clerico, & non laico, licèt Papa possit pensionem etiam laico reseruare. Mandos. *in tract. de signat. gratiæ. tit. de pens. col.* 10. *vers. pensio*, & ita fuit dictum in illa Terulen. pensionis 28. Iunij, & 13. Nouembris 1596. coram Reuerendo Patre Domino meo Pegnia.

4 Et ad illam prætensam nullitatem translationis huius pensionis ex eo deductam, quòd non fuerint coram executore præsentatæ litteræ, fuit responsum cessare omnem difficultatem ex insertione ipsarummet literarum, vt aliàs fuit tentum in causa Segouien. pensionis 11. Decembris 1587. coram Reuerendo Patre Domino meo Pamphilio. Ex quibus & aliis hìc per informantes pro Domino Marino deductis, fuit resolutum pro validitate dictæ translationis, & consequenter pro iustitia, & confirmatione sententiæ de partibus.

R. P. D. LITTA.

Asculana prætensæ nullitatis laudi. Lunæ 5. Iulij 1599.

ARGVMENTVM.

Laudum latum vigore compromissi, non ratificari in tempore, est nullum, & inualidum, Procuratórque generalis ad compromittendum non extenditur ad ea quæ requirunt speciale mandatum, & quænam sit potestas arbitri, seu electi cum clausula, quòd vni possit adimere, & alteri dare, procedendi altè, & bassè, de iure, & facto, & his similia.

SVMMARIVM.

Compromissum non ratificatum ab absente in tempore in quo ratificari debebat, facit vt laudum inde sequutum sit nullum. num. 1.

Mandatum Procuratoris generale ad compromittendum non extenditur ad multa quæ speciale mandatum requirebant, de quibus num. 2. & 3. vbi ex quibus dicatur factum speciale mandatum ad specialia in compromisso expressa.

Arbitrator cùm clausula quòd vni possit alienare, & alteri dare, & de facto procedere, & similia, regulatur arbitrio boni viri num. 3.

Sententia est nulla & inualida, si fuerit lata vigore processus nulli, nu 3. in fine.

DECISIO XIII.

FVit conclusum laudum esse nullum tam defectu ratificationis compromissi requisitæ ex parte Constantiæ infra tempus conuentum, & sic defectu mandati illius. ad text. *in cap. per venerabilem*, vbi Ioan. Andr. *qui fil. sint legit.* Vant. *de nullit. vers. an qualibet scientia, num.* 16. quàm defectu consensus Ioannis Pauli, laudo ferendo consensit sub conditione dictæ ratificationis infra dictum tempus, & non aliàs, ad text. *in l. cedere diem. ff. de verb. signif. in l. hæc venditio, in princip. ff. de contrah. empt.* cum aliis per Decian. *cons.* 1. *num.* 19. *lib.* 3. 1

Nec ex mandato Constantiæ dato in personam Brunorij de Proalicis ad compromittendum tollitur dicta nullitas, cùm per illud non ratificetur in specie compromissum, de quo agitur, nec ex se sit sufficiens pro illo sustinendo, in quo multa fuerunt apposita requirentia speciale mandatum, vt est illud, quòd renunciatur appellationi, recursui, restitutioni in integrum, itavt laudum habeat vim trium conformium, & rei iudicatæ totalis. ad not. per Alexand. *cons.* 115. *num.* 1. *lib.* 1. per Rip. *in l. nemo post, num.* 88. *ff. de legat.* 1. & per Cassad. *decis.* 3. *num.* 2. *vers. sed dubium facit. de rescript.* & illud, quod renunciatur omni legum, & iuris auxilio, cum adiectione pœnæ in casu contrauentionis, quæ omnia fieri non potuerunt in exequutionem mandati generalis ad compromittendum, cùm pro renunciatione requiratur speciale mandatum, cum expressione iuris renunciandi. Rolan. *cons.* 11. *num.* 18 *lib.* 1. Put. *decis.* 100. *num.* 1. *lib.* 2. 2

Nec refert, quòd mandatum dicat, ad compromittendum in arbitrum, vel arbitratorem, etiam sub quibusuis pœnis, pactis, conditionibus, & quod de iure arbitrator possit vni aliquid adimere, & alteri dare, prout etiam importare videntur verba compromissi, de quo agitur, ibique omnia, quæ sibi placita, 3

cita, facienda, vt dicitur altè, & bassè, de facto, & de iure. Quia aduertendum est, quòd licèt arbitrator possit etiam de facto procedere, & aliquid vni adimere, & alteri dare, debet tamen iudicium regulare arbitrio boni viri. Rip. *in l. centurio, nu. 77. ff. de vulg. & pupill.* Alciat. *in l. illa verba, in prin. ff. de verb. signif.* cum aliis hîc per informantes alleg. prout habens potestatem omnia sibi placita faciendi altè, & bassè, de facto, & de iure, habere dicitur liberam, ac omnino absolutam potestatem, quam regulare debet arbitrio boni viri in terminis Hostiens. *in cap. fin. circa fin. vers. pono. de maioritate, & obedientia.* vbi vult quando compromittitur in iudicem, vel arbitrum cum facultate, vt possit altè, & bassè, sicut vtuntur Galli in vulgari suo dicere, & facere quidquid voluerit, tunc possit ius vnius in totum alteri concedere, nec possit allegari ignorantia, cùm ex vi pacti sit exclusa, & debeat inter se tantùm conqueri pacifcens. cuius doctrinam sequitur ibi Ioan. Andr. *col. 2. vers. quod ergo,* Anchar. *col. 2. vers. tertiò oppono,* Imol. *col 3. vers. sed responderi potest.* Card. *col. 2. vers. 6. oppono,* Ægid. *nu. 3.* Butr. *nu. 14.* Henric. Boich. *num 3.* Bald. *in princip.* Abb. *num. 3. vers. extra gloss.* Felin. *num. 2.* qui dicit, quòd omnes extollunt hanc doctrinam Hostiens. quam etiam approbauit Rota in vna Romana 20000. 20. Iulij 1580. coram bo. me. Illustrissimo Lancelloto. Ex cuius quidem decisionis lectura tolluntur omnia ea, quæ per informantes pro Ioanne, & Constantia adducuntur, ad ostendendum, quòd prædicta verba compromissi non maiorem facultatem tribuunt arbitratori, quàm aliàs ex dispositione iuris eidem tribuitur, & ideo cùm in executiuum dicti mandati non potuerit fieri compromissum, de quo agitur, per quod datur libera, & omnino absoluta facultas arbitratori ius vni etiam in totum tollendi, meritò illud cum laudo inde sequuto nullum censeri debuit, sicut sententia videatur nulla, vbi lata est vigore processus nulli, vt fuit resolutum in Senogallien. prædij 12. Februarij 1596. coram Illustrissimo Blanchetto, & in aliis causis.

R.P.D. LITTA.

Sabinen. Poderis Collis Rampoli. Veneris 5. Nouembris 1599.

ARGVMENTVM.

Emptor non potest agere de euictione contra venditorem, si sciuit rem alteri esse obligatam. cætera supple ex summario.

SVMMARIVM.

Emptor non potest agere de euictione contra venditorem quando sciuit rem emptam esse alteri obligatam, nisi in specie hoc fuerit actum, num. 1. in fin.

Verba instrumenti dubia interpretantur contra se fundantem in illis, num. 2.

Dictio præterquam, *quid importet, ibid. ante finem.*

Geminatio verborum enixam voluntatem loquentis demonstrat, ibid. in fin

Verbis canonis & census Doctores quandoque promiscuè vtuntur, num. 3.

Scientia probatur ex instrumento, num. 4.

Diligentissimus quisque præsumitur in rebus suis, præsertim in viro prudentissimo, ibid. in fine.

Litteras, seu epistolas acceptans censetur fateri contenta in ipsis litteris, & epistolis, num. 5.

DECISIO XIV.

1 Nonnullis firmatis præsuppositis dubitaui, an Dominus Alexander teneatur de euictione Poderis, de quo agitur. Et proposito dubio in Rota sub die 14. Decembris 1598. non potuit capi resolutio, sed causa fuit transmissa ad Reges. At iterum proposita causa sub die 18. Iunij præsentis anni, Domini informantibus pro vna parte Domino Alexandro, & pro alia Domino Federico Cesio, resoluerunt Dominum Alexandrum non teneri. sed quia pro parte Excellentissimi Ducis ab Altemps tertij possessoris dicti Poderis non fuit informatum: Domini ex post ad tollendam de medio querimoniam instantibus Procuratore, & Aduocatis dicti Domini Ducis ordinarunt supersederi in extensione decisionis; & causam iterum proposui prædictis auditis, & informantibus, quod à me factum sub hac die 5. Nouembris, & Domini pro maiori parte steterunt in resolutis, Dominum Alexandrum non teneri de euictione, ea moti ratione, quia cùm Cardinalis Cesius author Domini Federici actoris Excellentissimi Domini Ducis ab Altemps sciuerit Podere, de quo agitur, esse directi Dominij Ecclesiæ Narnien. & ita respectu Domini Alexandri venditoris emphyteoticum esse, consequenter deuolutioni subiectum, illud emisse ita grauatum, & oneratum, quo fit, vt sequuta euictione, eo quòd post medium deuolutum fuerit dictum Poderis ad Ecclesiam per lineam finitam, non possit emptor agere de euictione contra venditorem, nisi in specie hoc in casu fuerit expressa conuentio, vt venditor etiam de euictione teneatur. *l. si fundum sciens. C. de euict.* Bart. *in l. si familiæ, num. 2.* vbi Bald. *nu. 7.* & Salicet. *num. 8. C. famil. hercisc.* Alexand. *cons. 21. num. 7. lib. 5.* Aym. *cons. 211. num. 6. & seq.* latè Menoch. *cons. 418. nu. 4. & seq. lib. 5.*

Et quòd Cardinalis emptor in specie sibi de euictione in eum casum non prouiderit, verba instrumenti emptionis, & venditionis respectiuè satis indicant. quæ etiam vbi aliqualiter ambigua redderentur contra ipsum emptorem se fundantem in illis, omnino essent interpretanda, per text. *in l. veteribus. ff. de pact.* venditur enim, vt in dicto instrumento legitur, Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Petro Donato Cardinali Cesio castrum Rocchæ in Sabinis liberum cum territorio, & tenutis, possessionibus, ædificiis iurisdictione, &c. Deinde in Capitulo separato venditur eidem tenuta collis Rampoli, quæ soluit singulo anno pro censu perpetuo Reuerendis Capitulo, & Canonicis Ecclesiæ Narnien. salmas quatuor frumenti: deinde promittitur Cardinali castrum, territorium, tenutæ, terrena, hospitia & alia omnia, præterquam tenutę collis Rampoli, super qua soluitur annuus perpetuus census quatuor salmarum frumenti Dominis Canonicis Narnien. vt suprà, vendita esse sua propria, &c. & facere consentire omnem personam, & nihilominus saluis præmissis in quemcumque casum de euictione vniuersali, & particulari, &c. Ex quibus instrumenti verbis liquidò constare videtur tenutam collis Rampoli non fuisse venditam vti liberam, & propriam ipsius venditoris, tum ex eo, quòd id non exprimatur in ipso contractu, prout 2

exprimitur respectu castri, & tenutarum illius in primo Capitulo nominatarum, ad text. *in cap. ad audientiam. de decim.* tum etiam, quia illa verba, *præterquam tenutæ collis Rampoli respectu*, &c. excipiunt dictam tenutam ab illa assertione, obligatione, & promissione, quòd scilicet sit libera & sua, & quòd pro ea velit teneri de euictione, quodque faciat consentire omnem personam, &c. ad text. *in l. alimenta. §. basilicæ. ff. de aliment. legat.* Alberic. *in suo diction. verbo præter, post med.* Rom. *cons.* 328. *in princip. vers. aliquando verò, & vers. hæc est materia*, &c. Quod etiam comprobatur ex eo quòd in principio venditor protestatur se ad dictam venditionem deuenire, saluis infrà scriptis in principio, medio, & fine, & non aliàs, & in fine ipsiusmet promissionis de euictione dicitur, *saluis præmissis*: quæ verba toties repetita ostendunt enixam voluntatem venditoris fuisse, vt dicta obligatio sua, & promissio non trahatur ad exceptata ad tradit. Dec. *cons.* 10. *nu.* 26. & per Crauet. *cons.* 29. *num.* 8.

3 Nec prædictis obstat ponderatio facta illorum verborum per informantes pro excellẽtissimo Domino Duce, ibi, *pro qua soluitur annuus perpetuus census tantùm quatuor salmarum frumenti dictis Canonicis Narnien.* &c. quasi quòd Alexander voluerit promittere dictam tenutam esse propriam, & liberam, prout sunt alia bona in eadem venditione comprehensa, præterquam respectu solutionis annui perpetui census quatuor salmarum frumenti, quo dicta tenuta reperitur grauata, siquidem quia verba exceptiua, de quibus suprà dictum fuit, stante respectu ipsius tenutæ collis Rampoli, & non respectu oneris ei iniuncti, vt ex lectura ipsius instrumenti constat. Ideo, &c.

Et ad illud, quòd saltem ex dictis verbis bis in dicto instrumento repetitis excludatur scientia Cardinalis respectu eius, quòd dicta tenuta sit emphyteutica, & sic per consequens subiecta deuolutioni, fuit responsum, quòd illa verba, pro quibus soluitur annuus perpetuus census, non sunt omnino exclusiua emphyteosis, cùm etiam Doctores promiscuè vtantur his verbis, *canone, & censu*, vt aliàs fuit consideratum in illa Papien. tenutæ della Madalena 7. Maij 1587. coram Reuerendo Patre Domino meo Seraphino.

4 Et de scientia Cardinalis aliunde constat, & quidem clarissimè, tum ex eo quòd cùm de anno 1584. Capitulum mouisset litem contra prædictum Vrsinum super deuolutione dictæ tenutæ ob lineam finitam, Cardinalis obtinuit hanc eamdem tenutam sibi concedi à Capitulo, ea facta expressione, quòd erat deuoluta propter generationem finitam, quod cessionis instrumentum, quin manifestum dictæ scientiæ probationem inducat, dubitari non potest. ad text. *in cap. cùm olim, de verb. signif. in cap. licèt causam. vers. ex præmissis*, vbi passim scribentes hoc notant, *de probat. in l. fin. gloss.* 1. *C. de reb. cred.* cum aliis, per Ias. *cons.* 124. *num.* 2. *lib.* 1. Tum etiam, quia de anno 1584. à Capitulo Narnien. constitutus fuit Procurator Illustrissimus Cardinalis Tuscus, tunc Auditor ipsius Cardinalis Cesij, huic liti, sicut deinde factum fuit in exequutionem dicti mandati, & eadem die, qua acceptata fuit dicta cessio per Dominum Alexandrum, fuit etiam stipulata venditio ad fauorem Cardinalis, quo fit, vt omnia videantur facta, & procurata ad effectum, ne Cardinalis ipsam rem litigiosam emeret. Nec verisimile est quòd tam prudentissimus Princeps, & in rebus diligentissimus, noluerit plenè prius informari de statu d. litis, & rei, quàm consequi primùm à Capitulo, & deinde ab ipso Domino Alexandro tunc habente causam à Capitulo tam enixa desiderauit, & procurauit. ad text. *in l. penult. ff. ad Maced. & in l. si Titius*, vbi gloss. *in verb. ætatis. ff. de fideiuss.* cum aliis per Decian. *cons.* 124. *num.* 19. *lib.* 3.

Et multum faciunt ad probationem datæ scientiæ literæ à Capitulo scriptæ Cardinali, quæ licèt ab ipso fuerint acceptatæ post stipulatam venditionem, attamen præsupponunt, quòd Capitulum fuerit de eo priùs à Cardinali requisitum: & indubitati iuris est, quòd acceptatio literarum simpliciter facta ab aliquo, inducit confessionem eorum, quæ in dictis literis continentur; nec refert, quòd tantùm sub die vltima Maij 1593. fuerit coram me resolutum constare de dominio Ecclesiæ, quasi quòd de tempore d. venditionis Cardinalis potuerit ignorare probabiliter dictam tenutam esse de dominio Ecclesiæ, & consequenter deuolutioni subiectam, quia responsum fuit, quòd iura super quibus fundatur dicta decisio, erant ante dictam venditionem producta in actis illius iudicij super deuolutione intentati per Capitulum contra præfatum Alexandrum, cuius iudicij, & actorum claram scientiam habuit Cardinalis ipse, vt ex supradictis constat, vltra quòd in dicto iudicio nunquam controuersum fuit dominium ipsius Ecclesiæ, sed solùm an esset locus deuolutioni propter generationem finitam: minus refert, si dicatur, Alexandrum solum teneri de euictione ex eo, quòd hæc tenuta fuerit euicta, ex non iure vendentis. ad cons. Alex. 21. *lib.* 5. Quia respondetur, quòd de tempore venditionis verè non erat finita linea Pauli, quo stante adhuc durabat emphyteosis ad commodum Alexandri, vt ex decisionibus coram me factis constat, & ideo conditio prædicta restringitur ad ius tantùm, quòd ei tunc competebat, vt de communi testatur. Zuccard. *cons.* 50. *num.* 6. *lib.* 1. 5

R. P. D. LITTA.

Camerinen. prætensæ dotis. Veneris 17. *Nouembris* 1599.

ARGVMENTVM.

Confessio receptæ dotis probat numerationem, & solutionem, si facta fuerit non à viro vxori, sed alteri extraneæ personæ. Idem si præcessit conuentio dotis, vel aliæ coniecturæ, seu aliqua alia coniectura in hac decisione considerata.

SVMMARIVM.

Instrumentum solutionis dotis rem manifestam facit, n. 1. *in fin.*

Confessio dotis receptæ non præiudicat viro, nec creditoribus, num. 2.

Residui *verbum in solutione positum importat integram solutionem, ibid.*

Confessio dotis receptæ facta non à viro vxori, sed extraneæ personæ, probat contra confitentem, num. 3.

Confessio dotis receptæ probat solutionem præcedente conuentione dotis, seu alijs coniecturis concurrentibus, de quibus, ibid.

DECI-

DECISIO XV.

1 FVit resolutum sufficienter constare de solutione dotis Dominæ Victoriæ ex instrumento ordinis & mandati Illustris Dominæ Catherinæ Comitissæ Montorij directæ dictæ Dominæ Constantiæ Vbaldinæ de soluendis scutis 700. Illustri Domino Raynutio de Ottonibus, seu eius legitimo Procuratori pro residuo finali, & integro pagamento dotis dictæ Dominæ Victoriæ, iuncto instrumento Procuræ facto per Dominum Raynutium in personam Antonij Paganelli ad exigendum dicta scuta 700. nec non ad confitendum alia scuta 1500. aliàs addita ad bonum computum ab eadem Illustri Domina Comitissa pro parte dictæ Dominæ Victoriæ vxoris suæ, & ad eandem quietandum de prædictis cum hypotheca generali bonorum ipsius constituentis ad fauorem dictæ Dominæ Victoriæ, & iuncto instrumento quietantiæ receptionis dictarum pecuniarum factæ postmodum per dictum Procuratorem in exequutionem dicti mandati, quæ instrumenta simul iuncta manifestam probationem dictæ solutionis constituunt, ad text. *in cap. cùm olim, de verb. signif. in cap. licet causa*, ibi scribentes passim hoc notant, *de probat. & in l. fin. & ibi gloss.* 1. *C. de reb. cred.* cum aliis per Ias. *consil.* 124. *num.* 2. *lib.* 1.

2 Nec obstat quòd confessio de dote recepta per maritum constante matrimonio non præiudicet viro, nec creditoribus, cùm donationem sapiat, quæ inter virum, & vxorem est prohibita, iuribus allegatis per informantes pro Domino Don Ioanne.

3 Quia pluribus modis fuit responsum. Primò quòd respectu supradictorum scutorum 700. non potest dici dos confessata, vnde cùm summa illa appareat præsoluta, & instrumentum dicat *pro residuo*, sequitur quòd alia quoque præsumi debeant eidem cum effectu persoluta. ad text. *in l. fin. C. fam. hercisc. & in l.* 2. vbi Castren. *C. de hæred. instit.* Secundò quia dicta confessio non est facta à viro vxori, sed extraneæ personæ, hoc est, Comitissæ Montorij, cui cùm maritus non prohibeatur donare, tenetur talis confessio quoad omnes. Gabr. *consil.* 163. *num.* 10. *lib.* 2. Menoch. & alij alleg. per informantes.

4 Tertiò quòd dicta conclusio procedit vbi constat de præcedenti conuentione dotis, & pro ipsa integra solutione concurrunt aliquæ coniecturæ, vt fuit resolutum in vna Vrbeuetana leg. 13. Octobris 1581. coram bo. me. Lauretano. Vnde cùm hoc in casu constet de promissione dotis ex schedula, de qua in summario Dominæ Victoriæ optimè recognita per testes, & pro solutione non vna, sed plures concurrant coniecturæ, hoc est, solutio partis dictæ dotis, quæ cantat pro residuo, geminatæ confessiones iuramento vallatæ, & factæ de tempore non suspecto, datio fideiussorum cum hypotheca bonorum ipsius viri, & fideiussoris pro conseruatione, & restitutione dictæ dotis, alimentatio vxoris per triginta annos, & vltrà, generalis consuetudo, quòd matrimonia non contrahuntur sine dote, quòd non agitur de dote excessiua, considerata qualitate mariti, & vxoris, & quòd tantum temporis est elapsum, vt nullò pacto possit esse locus exceptioni non numeratæ dotis, fuit iure merito per Dominos vnanimiter conclusum vt suprà.

R. P. D. LITTA.

Romana pecuniaria. Mercurij 15. Decembris 1599.

ARGVMENTVM.

Cambia debentur mercatori post moram debitoris, & post intimationem, ac protestationem cambiorum, & recambiorum eidem debitori factam.

SVMMARIVM.

Cambia debentur mercatori creditori post mortem debitoris, & post intimatam protestationem cambiorum, & recambiorum, num 1.

Mora contrahitur per contestationem litis factam à creditore cum debitore, num. 2.

DECISIO XVI.

DOminus Ioannes Henriquez de Herrera, & Octauius Costa erant creditores Domini Alexandri Doni in quadam notabili pecuniarum summa, quam exigere curarunt, & eam soluendo prædictis Dominis, retinuit in manibus d. summam scut. 500. sub prætextu compensationis cuiusdam partitæ similis summæ, quæ per errorem ad fauorem ipsius Doni rescripta reperiebatur in libris eorundem. Hinc introducta lite coram Auditore Cameræ super solutione dictorum scutorum 500. & cassatione dictæ partitæ erroneæ, fuit post aliquos actus pro parte Dominorum de Herrera, & Costa protestatum de omnibus damnis, ac interesse, & in specie fuit sub die 13. Octobris 1595. eidem Dono denunciatum qualiter intendebant dictas pecunias accipere ad cambium, & recambium, risco & periculo eiusdem, prout cum effectu eas ad cambium accipere, inchoando sub die 21. Octobr. 1595. continuando vsquequo sors principalis dictorum scutorum 500. in exequutionem trium conformium ipsis soluta fuit; & cùm in dictis sententiis fuisset Donus condemnatus non solùm in dictis 500. sed etiam in damnis, expensis, & interesse passis per prædictos Herrera & Costa. Hinc coram me vti subrogato loco Reuerendi Patris Domini Mellini, qui vltimam sententiam tulit in hac causa, & cui propterea reseruata erat liquidatio dictorum damnorum, expensarum, & interesse, fuit dubitatum, an prædictis de Herrera, & Costa debita sint cambia, de quibus suprà. 1

Et pro affirmatiua resolutum fuit pro ea ratione, quia de credito Dominorum de Herrera, & Costa respectu 500. sortis principalis dubitari non potest stantibus supradictis sententiis, sicut nec de mora respectu solutionis prædictorum eo ipso contracta quòd lis fuit contestata in prædictas partes. *l. si ex legati causa, l. si seruum, §. sequitur. l. mora, ff. de verbor. oblig.* & quòd eidem Dono debitori fuit & post intimata dicta protestatio cambiorum, & recambiorum. ad tradita per Ias. *in d. l. si ex legatis causa, num.* 18. *&* 19. quo fit, vt statim intrauerit obligatio ipsa ad interesse. *cap. dilecti, de foro competenti.* Cyn. *in authent. C. de vsur.* Anchar. *cons.* 150. *num.* 5. *& seq.* quod interesse Dominorum de Herrera, & Costa Mercatorum, hoc in casu propriè verificari volue- 2

runt Domini in cambiis, & recambiis, de quibus agitur, ad decis. Mohed. 1. & 2. *de vsuris*, & respectu quantitatis dixerunt, standum esse relationi periti ad hoc particulariter electi, nisi constet de errore illius. Felin. *cap. proposuisti, nu.* 10. *de probat.* post Bart. & Doct. *in l.* 1. *de ventre inspiciend.*

R.P.D. LITTA.

Ariminen. legati. Lunæ 7. Februarij 1600.

ARGVMENTVM.

Legitima debetur auiæ maternæ, transmittitúrque ad ascendentes hæredes.

SVMMARIVM.

Legitima debetur auiæ paternæ, num. 1.
Legitima auiæ paternæ transmittitur ad hæredes descendentes, ibid.
Legitima transmittitur ad hæredes, siue debeatur ascendentibus, siue descentibus, num 2.
Præscriptio sine negligentia creditoris non procedit, & negligentia considerari non potest in eo, qui longè plus in manibus habeat, quàm ipse prætendat, nu. 3.

DECISIO XVII.

1 FVit resolutum Ascanio hæredi Victoriæ hodie competere ius petendi, & retinendi legitimam, quæ debita erat Victoriæ in bonis Portiæ neptis suæ prædefunctæ. ea ratione, quia dubitari non potest, quin Victoriæ auiæ paternæ statim atque Portia ipsa decessit, fuit debita legitima in bonis illius, iuxta text. *in authent. de trien. & semiss.* §. 1. ibi, *in verbo hoc obseruando*, quæ legitima etiam non agnita per Victoriam, eo quòd ferè incontinenti decessit post ipsam Portiam, fuit transmissa ad Ascanium hæredem illius, quamuis extraneum, iuxt. gloss. communiter approbatam *in l. scimus, C. de inoffic. testam.* Alex. *cons.* 150. *num.* 8. *lib.* 2. Roland. *cons.* 78. *nu.* 6. *lib.* 1. *de comm.* Crass. *in* §. *legitima qu.* 3. Illustrissimus Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 6. *tit.* 8. *nu.* 12. Vasc. *de success. creat. lib.* 1. §. 10. *num.* 523.

2 Nec respectu ipsius transmissionis constitui debet aliqua differentia inter legitimam debitam descendentibus, & debitam ascendentibus, quia in terminis legitimæ debitæ ascendentibus, quòd illa transmittatur ad quoscumque hæredes, tenet Soc. iun. *cons.* 64. *num.* 14. *lib.* 2. Alexan. *cons.* 188. *lib.* 6. Rim. iun. *cons.* 198. *num.* 4. *& seq.* & facit quia eadem ratio transmissionis concludit tam in legitima ascendentium, quàm descendentium, quæ est, quia tam vna quàm alia est debita ipso iure, & sic ex legis dispositione, & non ex dispositione hominis, & propterea etiam non agnita transmittitur. Alex. *consil.* 150. *nu.* 7. *lib.* 2. & meliùs Ruin. *cons.* 26. *nu.* 13. *lib.* 3.

3 Nec adducta per informantes pro hæredibus Roberti circa præscriptionem subsistunt, stante quòd Ascanius habuit semper, & habet penes se scuta 1000. in quibus duntaxat verificatur hæreditas dictæ Portiæ, vnde respectu quantitatis ipsius legitimæ, censetur facta compensatio, nec potest nunc considerari aliqua præscriptio ad excludendam eam, vt per Anchar. *cons.* 5. *num.* 5. *vers. istud est pulchrum dubium*, quem sequitur Mohed. *decis.* 3. *de præscript.* & facit quia præscriptio fundatur præcipuè super negligentia creditoris, quæ, vt omnibus notum est, considerari non potest in eo, qui longè plus in manibus habet, quàm ipse prætendere de iure potest. ex quibus, & aliis hîc latiùs per informantes pro Ascanio deductis, fuit resolutum, vt suprà.

R.P.D. LITTA.

Nucerina hæreditatis. Mercurij 23. Februarij 1600.

ARGVMENTVM.

De validitate statuti excludentis fœminas propter masculos, & de probatione filiationis nonnulla non iniucunda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Statutum exclusiuum fœminarum propter masculos de Cippo domus seruandum est, num. 1.
Verba statuti vbi conueniunt, conuenire etiam debet statuti dispositio, ibid. in fine.
Filiatio probatur ex nominatione, & institutione facta à patre testatore ex instrumento diuisionis, & per testes de communi reputatione, iunctis adminiculis, num. 2.

DECISIO XVIII.

DOmini pro Fabris solùm informantibus contra Raynerios informare negligentes tenuerunt, sicque concluserunt, ad ipsos spectare successiones Andreæ, exclusa Vrsulina eius filia tunc nuptui tradita, & dotata, & per consequens exclusis Rayneriis habentibus causam ab ea. moti eo fundamento, quòd in terra Gualdi extat statutum sub rubrica *de success. ab intest.* mandans masculos de Cippo domus præferri fœminis, etiam in gradu anterioribus, tam per lineam ascendentium, quàm descendentium, & transuersalium vsque in tertium gradum secundùm ius canonicum, computandis tamen ipsis fœminis. Vnde cùm Andreas decesserit ab intestato, relicta Vrsulina filia sua dotata, nec non relictis Restauro, & Angelo de Fabris eidem coniunctis in tertio gradu consanguinitatis, secundùm ius canonicum computandum per lineam masculinam q. Marci, meritò ad eos spectare debet dicta successio, seu hæreditas præfati q. Andreæ, exclusa Vrsulina filia eiusdem, per regulam quòd *cui conueniunt verba statuti, & dispositio eiusdem conuenire debet*, de qua *in l.* 4. §. *toties. ff. de damn. infect. in l. quod substitutum. ff. de testam. milit.* 1

Nam quòd prædicti Restaurus, & Angelus sint in tertio consanguinitatis gradu coniuncti, patet, 2
quia Marcus de Fabris habuit duos filios, Mantiam scilicet, & Angelum, quod non obscurè probatur ex testamento dicti Marci, in quo præfati vti tales vniuersales hæredes eius instituuntur. DD. passim *in cap. per tuas*, vbi Aret. *num.* 23. Butr. *num.* 8. Præposit. *in fin.* Decian. *num.* 9. *extra de probat.* bene Ruin. *cons.* 109. *num.* 38. Gozad. *cons.* 13. cum aliis alleg. in illa Romana de Schoch 29. Ianuarij 1593. coram Domino meo Pamphilio, maximè concurren-

currentibus tot aliis filiationem ipsam respectu Marci,& fraternitatem,inter ipsos bene probantibus, videlicet instrumento diuisionis postmodum facto inter prædictos,& communi reputatione,de qua bene deponunt testes,ad not.per Felin. *in dicto cap.per suas nu.12.vers.2.not.* Crauett. *cons.249.nu.1. & 2.* & fuit tentum in Romana de Cancellariis 9. Martij anni præteriti coram bon.me. Orano,vt ex dicto Mantia natus est Andreas, de cuius hæreditate agitur: ex Angelo autem fratre dicti Mantij,nati sunt Hippolytus, & Sufferentes, provt deponunt testes in hac causa in partib. examinati. Primus super primo, secundus super secundo,& quinto,necnon iuxta nonum, & decimum, & denique tertius super secundo, & quinto, qui testes non tantùm deponunt de communi reputatione,quæ iunctis adminiculis probabat filiationem,quando agitur,vt hoc in casu ad effectum successionis, vt aliàs fuit tentum in Cæsaraugustana status coram bon. mem. Orano, & in aliis pluribus causis; sed etiam deponunt de cognitione, & certa notitia eorum, juxt.not.per scrib. *& in cap.licèt ex quadam de testib.* vbi Abb. *nu.12.* & alij passim hoc not.ex Hippolyto autem,& Sufferente nati sunt Angelus, & Restaurus actores, provt deponunt testes, primus super primo in fin.secundus super tertio,& quarto,& denique quintus super tertio,& quarto.

3 De dotatione autem Vrsulinæ,& filij præfati Andreæ duplicari non potest stante instrumento publico dotis in secundo processu de partibus registrato *fol.26.& 28.*quod probationem probatam, & euidentem facit,secundùm Bald. *l.Imperator col.2.ff. de statu hom.& in l.2.col.1.Cod.quando fisc.vel priuat.* cum aliis per Ias. *cons.124.n.2.lib.1.*

R.P.D. LITTA.

Balneoregien. pratensorum fructuum. Lunæ 13. Martij 1600.

ARGVMENTVM.

Dotis non solutæ fructus, quando debeantur propter moram non soluentis.

SVMMARIVM.

Mora in soluendo non incurritur quādo non adest persona legitima, cui solutio fieri possit, num.1.ante finem.

Mora commissa post sententiam numquid possit retrotrahi ad tempus sententiæ.ibid.in fine.

Dotis non solutæ fructus debentur vbi ex parte debitoris concurrit mora, & ex parte creditoris concurrit sustentatio onerum matrimonij,nu.3.

DECISIO XIX.

1 FVit dubitatum, an debeantur aliqui fructus à die sententiæ bonæ memoriæ Orani citra in hac causa latæ in casu, de quo agitur, & Domini nonnulla tempora distinxerunt, primum tempus est à die sententiæ vsque ad diem, quo coram me soluta fuerunt D.Octauiæ scuta 6000. Dominis de Balleonibus facta per eam solemni acceptatione scutorum 1200.eidem relictorum per Dominum Albertum auum paternum, cum renunciatione legitimæ aliàs ei debitæ in bonis illius, iuxta tenorem testamenti dicti Alberti,& pro isto tempore nullos fructus debere censuerunt, ea moti ratione, quia cum vsque ad diem dictæ acceptationis, & solutionis respectiuè factæ fuerit in facultate ipsius Dominæ Octauię acceptare dictum legatum, & non acceptare, sed velle legitimam in bonis dicti Alberti, & hæredis præfati Alberti, fuerunt semper parati eidem dare legitimam in prædictis bonis, seu legatum prædictum scutorum 1200 facta tamen per eam debita renunciatione dictę legitimę iuxta mentem præfati Alberti testatoris, & de hoc pluries fuerint protestati, meritò eis nulla mora ascribi potest,qua cessante fructus aliquos,seu aliquod interesse non posse deberi D.Octauię, Doct. passim *in l.insulam §.vsuras,*vbi Bart.& Imol. *sub num 8.*hoc notant. *ff.solut.matrim.* maximè cùm vsque ad dictam diem non adesset persona legitima, cui fieri posset solutio dicti legati, & quę posset pro dicta Domina Octauia acceptare prædictum legatum,& juri consequendi legitimam in bonis præfati testatoris renunciante iuxta formam dicti testamenti, ad trad. per Doctor. *in l.cum quidem. §.si pupilli.ff.de vsur.* cum aliis, de quibus per Alex. *cons.92.num.9. & seq.lib.1.* nec acceptatio illa legati cum renunciatione legitimæ postmodum coram me facta per dictam Dominam Octauiam solemniter, & seruatis seruandis retrotrahi debet ad tempus dictę sententiæ in præiudicium Dominorum de Balleonibus hæredum præfati Alberti,qui interim in mora non fuerunt. *l.fin.ff.rem ratam haberi. l.cum decem, l.si quis efferenti. §.fin. ff.de solut.* cum aliis per Bald. *in l.obseruare. §.posthac num.9. ff.de offic.proconsul. & legat.*

Secundum tempus est à die dictæ acceptationis prædicti legati, & solutionis dictorum scutorum 6000.vsque ad finem anni, quo tempore secūdùm informantes pro Balleonibus solui debuerunt alia scuta 6000. & circa hoc tempus Domini maiorem habuerunt difficultatem, sed nihil resolutum fuit. nam dicebatur, quòd attenta dispositione dicti testatoris dicta scuta 12000. veniebant soluenda Dominę Octauię infra annum statim post consummationem matrimonij computandum, hoc modo, videlicet scuta 6000. statim consummato matrimonio, & alia scuta 6000. infra annum, vnde cum matrimonium fuerit consummatum per plures annos ante acceptationem dicti legati, & solutionem illorum scutorum, vtique non tantùm diem solutionis dictorum scutorum 6000. cessisse videbantur,sed etiam tempus solutionis reliquorum,licèt mora respectu fructuum,& interesse totius summæ dictorum scutorum 12000.non posset dici contracta per Dominos de Balleonibus, quam sequuta fuit dicta acceptatio legati cum renunciatione ipsius legitimæ, seruatis seruandis, ex supradictis, cui motiuo videbantur obstare infrà scripta, quòd scilicet attenta dispositione eiusdem testatoris non erant dicta scuta 12000. soluenda vno, & eodem tempore, sed inter vnam, & aliam solutionem intercedere debebat tempus vnius anni, quo fit, vt quemadmodum mora respectu solutionis illorum scutorum 6000.quæ statim,contracto matrimonio, per hæredes soluenda erant Dominæ Octauiæ, non prius fuit contracta, quam sequuta acceptatione dicti legati, cum renunciatione ipsius legitimæ; ita etiam non prius videatur contractu aliqua mora respectu solutionis reliquorum scutorum 6000. quàm elapso anno à die dictæ acceptationis 2

legati, & renunciationis legitimæ, & sic à die, quo prima solutio scutorum 6000. fuit verè debita Dominæ Octauiæ, argum. *l. illud. ff. ad l. Aquiliam, cum vulg.* vltra quòd in omnem casum ad commodum Dominorum de Balleonibus esset habenda ratio illius, quod interim loco alimentorum dictæ Dominæ Octauiæ solutum fuit.

3 Tertium tempus est à die lapsi anni vsque ad diem depositi facti per Dominos de Balleonibus in Monte Pietatis, & pro isto tempore fructus omnino deberi tenuerunt Domini. ea moti ratione, quòd ex parte debitorum adsit, & ex parte creditoris concurrat sustentatio onerum matrimonij, quæ duo operantur, vt fructus, seu vsuræ dotis tempore debito non solutæ omnino debeantur. Gloss. & scrib. passim *in cap. salubriter. de vsur. in l. pro oneribus. Cod. de iur. dot,* Bart. *l. insulam. §. vsuras. ff. solut. matrim.* latè Osasch. *decis. 132. n. 1. & seq.*

4 Nec obstare dixerunt Domini, quòd dicta scuta 6000. essent per dictam Dominam Octauiam, seu per illius virum implicanda in tot bonis immobilibus pro cautione dictorum Dominorum de Balleonibus debitorum dictæ dotis, quia non per hoc sequitur, quòd potuerint illa penes se retinere postquam cesserat dies solutionis, cùm immo illa illico saltem deponere tenerentur ad effectum prædictum: sic namque moræ effectum ipsi euitassent, & pecunia fuisset prompta implicationi: quæ si postea facta non fuisset per ipsos iugales, damnum inde contingens meritò ad eos spectaret.

REVERENDISSIMO P. D. LITTA.

Esina restitutionis dotis. Lunæ 13. Martij 1600.

DECISIO XX.

Impressa est in 2. tomo consil. Farinac. deci. 149.

R. P. D. LITTA.

Narnien. terrarum. Veneris 28. Aprilis 1600.

ARGVMENTVM

Donatio, seu renunciatio est stricti juris, strictéque interpretanda, & non extendenda ad non expressa, probaríque debet per se fundantem in ea.

SVMMARIVM.

Donatio non præsumitur, nisi probetur ab eo, qui in ea se fundat, num. 3.

Verisimile non est, quod efficaciori probatione verificari debet, ibid.

Verba præteriti temporis excludunt tempus præsens, n. 5.

Verba quo aliquid supponunt, disponere non dicuntur. ibid.

Appellatione bonorum paternorum, & maternorum, non veniunt bona quæ à patre, seu matre non obuenerunt, ibid.

Donatio, seu renunciatio, vt euitetur, omnis interpretatio facienda est. ibid. in fin.

Verba alicuius scripturæ interpretari semper debent contra fundantem se in ea, nu. 6.

Verisimile quod non est, falsitatis imaginem habet, ibid. in fin.

Verba generalia, & vniuersalia restringuntur per verba subsequentia, num. 7.

Exceptio licet firmet regulam in non exceptis, non tamen eam ampliat, ibid.

Subscriptio inducit confessionem, & approbationem eorum omnium quæ suprà scripta sunt, declara vt numero 8.

Renunciatio est stricti iuris, & in ea non veniunt nisi expressa per renunciantem, ibid.

Testes referentes se ad aliquam scripturam, seu instrumentum, non probant plus, quam instrumentum, seu scriptura ad quam se referunt, num. 9. & seqq. vbi quòd dicuntur mendaces, & falsi si in specie aliquid plus deponunt, quàm continetur in scriptura ad quam se referunt.

Testis vnicus, & singularis nihil probat, n. 11.

DECISIO. XXI.

Anno 1588. die 9 Nouembris, Illustris Dominus Federicus, & fratres de Montoriis donarunt eorum bona, nonnullis reseruatis ad eorum commodum, & de quibus possint testari, Illustrissimo Domino Ioanni Baptistæ eorum fratri germano, vt honorificentiùs nubere posset, & hanc donationem fecerunt cum oneribus, conditionibus, & pactis, de quibus in ea, ad quam, &c. D. Ioannes Baptista anno 1594. die 23. Aprilis eadem bona retrocessit, seu retrodonauit Domino Federico, facta narratiua, quòd æs alienum, quo dicta bona aliàs sibi donata grauata erant, minimè dissolutum, sed potiùs auctum erat, & etiam pactis, & conditionibus in ea appositis, ad quam, &c. Eodem anno 30. Aprilis idem Ioannes Baptista vti hæres cum beneficio legis, & inuentarij Dianoræ matris suę ab intestato defunctæ portionem dictæ hæreditatis ad se spectantem renunciauit, & cessit eidem Federico; ea tamen facta expressione, quòd in dicta cessione non intelligantur, nec sint aliquo modo comprehensi annui census per Dominam Dianoram aliàs impositi, & venditi super eius bonis stabilibus ad fauorem ipsius Ioannis Baptistæ. Eodem anno sub prima die Maij reperitur facta quædam apocha, in cuius initio describuntur debita, quorum solutio aliàs circumscriptis dictis retrodonatione bonorum fraternorum, & cessione portionis supradictę hæreditatis ad ipsum Ioannem Baptistam spectasset, & mox sequitur tenor illius hoc modo, videlicet: *Hauendo l'Illustrissimo. Sign. Gio. Battista Marchese di Montorio per sua cortesia fauorito mi di renunciare à me Federico suo fratello l'administratione, & dispositione di tutti li beni tanto paterni, quanto materni, mobili, stabili, ragioni, attioni, crediti, & altre pretentioni contro qual si voglia persona, riseruando si però li censi, & li frutti di essi, che per l'heredità della bona memoria del Sign. Paolo Montorio nostro zio à esso Illustrissimo Sign. Marche si competono. Però per fare anch'io cosa grata verso sua Sign. Illustrissima gli prometto, che tanto per la sorte principale, & frutti delli sopra detti debiti, & pegni annotati, & contenuti nella presente polisa, & non altrimente quanto anco per li debiti della bona memoria della Sign. Dianora nostra Madre, della quali sua Sign. Illustrissima è obligato per essa Sign. esso Illustrissimo Sign. Marchese sopradetto per tale effetto non sarà mai molestato. Per osseruationi delle quali cose io Federico infrascritto obligo me, & tutti miei beni in ampla forma di Camera con le solite clausule, & cautele, questo di prime*

primo di Maggio 1594. estque ipsa apocha munita subscriptione Domini Ioannis Baptistæ & Federici, necnon trium testium.

2 His ita stantibus, & pro faciliori intelligentia factis narratis, cùm dictus Dominus Ioannes Baptista Marchio medio tempore, hoc est, inter donationem sibi factam, & retrodonationem ab eo factam ad fauorem dicti Domini Federici nonnullas terras acquisiuisset pro se, suisque hæredibus, & successoribus, & tandem fuisset orta lis inter præfatos fratres super dicta retrodonatione, & aliis, quæ adhuc indecisa pendent coram me, & inter cætera pro parte Domini Federici prætenderetur etiam dictas terras ad se spectare vti cessas, seu donatas à Domino Ioanne Baptista. Idcirco dubitaui, an constet de valida donatione dictarum terrarum in casu, & ad effectum, de quo agitur.

3 Et Domini pro maiori parte negatiuam sententiam amplexi sunt, videlicet non probari donationem terrarum, de quibus agitur, ea ratione, quia donatio non præsumitur, nisi probetur ab eo, qui in ea se fundat, *l. ei, qui iuncta l. cum de indebito. ff. de probat. l. Campanus. ff. de oper. diuers. §. perficiuntur, in princip. Instit. de donat.* cum aliis per Dec. *consil. 176. numero* 1. qui subdit, quòd ex quo is, qui nititur donatione, fundat intentionem suam super eo, quod non est verisimile, tenetur propterea cum clariori, & efficaciori probatione verificare. ad not. per Abb. *in cap. quia verisimile, in 2. not.* per illum textum, *de præscript.* & per alios, quos refert Dec. *vbi suprà.* Vnde cùm in hoc casu Dominus Federicus non possit fundare intentionem suam in dicta retrodonatione, & minus in cessione, seu donatione supradictæ portionis hæreditatis dictæ Dianoræ, cùm hæc sit expressè restricta ad bona, & iura hæreditaria Dominæ Dianoræ matris: ideo hoc vnum superest videre, an saltem fundet se in dicta apocha, in testibus, & aliis hîc per informantes pro eo deductis.

4 Et quòd non valeat eam fundare in dicta apocha, tradendum videtur primò, quia in ea nulla prorsus mentio fit de dictis terris, & scriptura non probat, nisi quod in ea legitur. Bald. *in l. si bina, nu. 1. ff. de iniust. rupt. & irrit. test.* Paris. *cons. 117. n. 7. lib. 1.*

5 Secundò, quia loquitur per verba præteriti temporis, ibi: *Hauendo l'Illustrissimo Sign. Marchese di Montorio per sua cortesia fauorito mi di renunciare,* quæ tempus ipsum præsens excludunt. *l. cùm prætor. de iudic.* Socin. iun. *consil. 2. num. 2. libro* 4. cum aliis per Tiraquell. *de retract. conuent. §. 1. gloss. 7. nu.* 46. Immò cùm verba dictæ apochæ supponant ipsam renunciationem, seu donationem, non est quod dicamus circa eam quicquam disponere. *l. ex facto. ff. de hered. instit.* Felin. *in cap. sedes num. 5. verb. intellige. de rescript.* Alexand. *consil. 126. num. 5. libro 5.* Rot. *decis. 23. in fin. de procurat. in antiq.* Sed potiùs se referre ad instrumenta præcedentia, quæ de bonis dumtaxat paternis, & maternis loquuntur, quod etiam comprobatur ex verbis illius apochæ, ibi: *di tutti il beni tanto paterni, quanto materni,* quę meritò trahi non debent ad terras, de quibus agitur, quæ aliunde obuenerunt ipsi Marchioni, arg. *legis, in agris. ff. de acquirendo rerum dominio. l. cancellauera. ff. de his, quæ in testam. delentur. l. ita autem, in princip. ff. de administrat. tutor.* cum aliis per Tiraquell. *de vtroque retract. §. 32. gloss. 1. num. 49.* maximè cùm materia subiecta donationis, seu renunciationis, quam prætendit Federicus, exposcat fieri quamcumque interpretationem pro ea euitanda, vt notat Bald. *in l. 2. nu. 4. opposit.* vbi Ang. *col. 2. C. de non nu. pecun.* Dec. *in l. cuius per errorem, num. 3. ff. de regul. iur.* Aym. *cons. 142. n. 26.* & alij plures relati per Menoch. *cons. 1. num. 215. lib. 1.*

Tertiò, quia scriptura omnis debet interpretari contra fundantem se in ea, vulg. *l. veteribus. ff. de pact.* Vnde cùm Federicus nitatur hac scriptura, & ea mediante contendat acquirere, meritò contra eum interpretari debet, maximè cùm ipse eam composuerit, nec sit verisimile, quòd vbi eam composuerit ad probandum, quòd etiam bona empta per Marchionem fuerunt sibi donata, de illis mentionem aliquam non fecerit, & quod non est verisimile, falsitatis imaginem habet, secundùm Bald. *in l. 1. col. 3. Cod. de seru. fug.* quem sequitur Decian. *cons. 18. n. 348 ferè ad fin. lib. 1.* & Ias. *in l. si extranei, n. 6. ff. de condict. caus. dat.* 6

Quibus modò obstare minimè videtur tum ponderatio illorum verborum, *tutti li beni,* & illorum, *nobili, stabili, ragioni, attioni, crediti, & altre pretensioni contro qual si voglia persona.* quia licèt generalia, & vniuersalia sint, attamen, vt dictum est, restringi debent per illa verba, *tanto paterni, quanto materni,* de quorum donatione, & cessione respectiuè facta per Dominum Marchionem ad fauorem ipsius Domini Federici constat publicis documentis, ad quæ omnino deferri debet narratiua illa renunciationis liberæ administrationis, & dispositionis bonorum verbis præteriti temporis concepta, de qua in dicta apocha, cùm commodè ad dictam retrodonationem bonorum paternorum, & cessiones portionis hæreditatis maternæ, de quibus constat, adaptari possit, & non ad hanc bonorum emptorum donationem prætensam, quæ non exhibetur, iuxta notata per gloss. *in l. si idem cum eodem. §. fin. ff. de iurisdict. omn. iudic. in l. si in rem. §. in omnibus. ff. de rei vendicat.* & per Bart. & alios *in l. talis scriptura. ff. de legat. 1.* tum denique ponderatio illorum verborum, *riseruando si però li censi, & frutti di essi, che per l'heredita della bona memoria del Signor Paolo Montorio nostro zio à esso Signor Marchese si competono.* Quia licèt exceptio firmet regulam in non exceptis: non tamen eam ampliat. Vnde cùm narratiuè dicta apocha sit restricta ad donationem bonorum paternorum, & maternorum, & in cessione bonorum maternorum adsit reseruatio dictorum censuum; ideo non est mirum, si eadem reseruatio hîc quoque facta fuit, quodammodo ab ea recessum videatur, & non ad effectum, vt ex ea inferri debeat ad donationem bonorum emptorum per Marchionem, de quibus nulla prorsus mentio fit in dicta apocha, nec in supradictis instrumentis retrodonationis, & cessionis. 7

Et ad illud deductum ex subscriptione ipsius Marchionis fuit responsum, quòd licèt subscriptio confessionem, & approbationem eorum omnium, quæ in schedula subscripta continentur, Alexand. *consil. 147. num. 3. libro 2. cons. 132. num. 3. vers. 2. libro 5.* Paris. *cons. 90. num. 12. libro* 1. & tenuit Rota in Romana pecuniaria, seu mercium 8. Nouembris 1596. coram Reuerendo Patre Domino meo Penia: non tamen operatur confessionem, & approbationem eorum, quæ in dicta schedula non leguntur, maximè attenta subiecta materia renunciationis, quæ sui natura stricti juris est, in qua non veniunt nisi expressa per renunciantem. Cald. *consil.* 52. 8

de prebend. Zabar. *consil.* 115. Dec. *cons.* 179. *num.* 3. *& cons.* 452. *num.* 21. Vltra quòd dicta suscriptio est restricta ad superiùs expressa tantùm, ibi: *afferma & mi oblige à quanto di sopra.* ad trad per Bart. *in l.* 1. §. *hoc edictum. ff. de postulando*, quem sequitur Paris. *cons.* 19. *num* 68. *& cons.* 48. *num.* 14. *lib.* 1. Vnde cùm in corpore dictæ apochæ nulla mentio fiat de donatione, aut renunciatione terrarum, de quibus agitur, nec alibi de ea constat. Ideo, &c.

9 Nec Domino Federico suffragari possunt testes, quibus nititur. nam dum illi se referunt ad supradicta instrumenta, & scripturas, id tantùm probare dicuntur, quod in illis continetur, & non plus, cùm omnis virtus referentis pendeat à relato: ita Dec. *in auth. si quis in aliquo, num.* 45. *vers. restringitur. Cod. de edend.* cum aliis per Paris. *cons.* 7. *numero* 4. *lib.* 3. & quòd depositio testis relatiua ad aliquod instrumentum, vel scripturam operetur vt sit standum dicto instrumento, vel scripturæ, provt sonat, & non explicitè, depositioni testis quatenus illa excedat limites dictæ scripturæ. Bald. *cons.* 270. *incip. ad euidentiam, propè finem, libro* 1. & tenuit Rot. in illa Bergomen. hæreditatis 3. Iulij 1570. coram Reuerendo Patre Domino meo Seraphino.

10 Qua ratione non videtur attendenda depositio Domini Marcelli. nam iuxta 22. inquit, *fui presente quando si fece retrodonatione, & fu fatta per scriptura, & li retrocedette ogni cosa tanto paterni, quanto compri, & di tutto questo ne fu fatto instrumento.* & tum in instrumento dictæ retrocessionis nullum prorsus verbum fit de bonis emptis, vltra quòd significatus illius verbi; *li retrocedette*, non conuenit bonis, quæ huic Marchioni cessa non fuerunt, vt omnibus notum est. Accedit quòd iste testis super tertio dicit, *la verità è che fu fatta vna polisa che il Signor Federico si accollaua li debiti, perche il Signor Marchese daua, & cedeua tutte le terre, e possessioni compre da esso.* & juxta 41. inquit, *mà sò bene che il Signor Marchese, & Signor Federico l'intendeua compprese.* nec tamen in dicta apocha, nec in dicto instrumento retrodonationis vllum verbum fit de hoc, immo dictus testis iuxta 22. dum loquitur de dicto instrumento retrocessionis subiungit, *& anco dopo l'instrumento fecero vna polisa di lor mano, nella quale il Signor Federico s'accollaua da* 25. *ò* 26000. *scudi di debito del Signor Marchese, & per questa accollatione di debiti, ne fecero detta poliza, & questo lo fece il Signor Federico, perche il Signor Marchese gli haueua fatta questa retrocessione.* ex quo patet dictam apocham non fuisse factam ad faciendam nouam donationem, sed pro declaratione accollationis debitorum, quam faciebat Federicus ad fauorem Marchionis contemplatione dictæ retrodonationis, & cessionis paternorum, & maternorum iam sibi factæ per Marchionem, & cùm iuxta 23. interrogatorium deponat se non fuisse præsentem stipulationi, & subscriptioni dictæ apochæ, & aliàs pluries interrogatus se remittat ad dictum instrumentum dictæ retrodonationis, & ad dictam apocham; ideo non potest plus probare, quàm in illis legitur, ex supradictis.

11 Et eadem ratione rejicienda est depositio Francisci Plani ciuis Narnien. nam & ipse super secundo articulo deponens se referre ad instrumentum retrodonationis, maximè quia iuxta 22. inquit, *e le rob be, che gli reodono furono tutte le robbe, che il detto Marchese haueua tanto dell' heredità paterna quanto materna, & anco la proprietà dell' heredità del Signor Paolo*, & sic nihil dicit de bonis emptis medio tempore per Marchionem, de quibus quæstio est. Et licèt iste testis iuxta 28. dicat, *se bene auanti la poliza fu qualche differenza frà il Signor Marchese, & Signor Federico se le terre compre del Signor Marchese haueuano da esser comprese nella retrodonatione sudetta, & nella cessione fatta li nella detta poliza, nondimeno restorno daccordo, che le sudette terre fussero compresse nella retrodonatione;* nihil tamen probat, tum quia, dum loquitur de cessione facta in dicta apocha, mendax detegitur, stante quòd nulla cessio legitur in dicta apocha, nec aliqua declaratio, quòd dictæ terræ emptæ essent comprehensæ in cessione facta per instrumentum. quam declarationem verisimiliter fecissent, si voluissent dictas terras comprehendi, maximè cùm ante confessionem dictæ apochæ esset quæstio inter ipsas partes, an illæ essent comprehensæ, vt ipse testis inquit; tum etiam, quia non dicit, quòd bona empta per Marchionem fuerint cessa Domino Federico mediante dicta apocha, provt pro parte Federici prætenditur, vltra quòd dum dixit, *che restorno d'accordo, che le sudette terre fussero comprese nella retrodonatione auanti la partita di Monsignor suo fratello*, est singularis, & vnicus, vnde nihil probat. *cap. dilecti, & cap. bona. de elect.* Caputaq. *decis.* 212. *numero* 4. *libro* 4. *part.* 2. & licèt juxta 23. dicat, *il Signor Federico pigliaua in se il peso delli debiti per ricompensa che il Signor Marchese li cedette tutti li beni proprij che haueua per qual si voglia causa contro qual si voglia persona*; non tamen dicit dictam accollationem debitorum fuisse factam in recompensationem cessionis bonorum emptorum per Marchionem, de quibus agitur; sed in recompensam cessionis creditorum eiusdem contra quascumque personas factæ ipsi Federico quæ credita, cùm nihil commune habeant cum bonis, de quibus agitur, meritò de vno ad aliud inferri non debet. vulg. *l. Papinianus exuli. ff. de minor.*

Depositio autem Francisci Capocaccij ciuis Narnien. tertij testis nihil facit. nam super 2. dum dicit, *Io hò visto detta poliza fatta dal Signor Federico à fauor del Signor Marchese mostrata mi da esso Signor Marchese, doue esso Signor Federico s'obligaua, & prometteua, che il Signor Marchese non saria stato molestato per li debiti annotati in quella poliza, perche il Signor Federico s'accollaua tutti quelli debiti hauendoli il Signor Marchese donati tutti li suoi beni,* non concludit quicquam circa donationem terrarum, de quibus agitur, & in summa non probat plusquam in dicta apocha continetur, ad quam virtualiter se refert. 12

Quartus testis nomine Christophorus, nihil prorsus deponit de terris emptis per Marchionem. Ideo, &c. Quintus verò testis Domini Federici Reuerẽdus frater Petrus Paulus nihil probat. nã super quinto, *il Signor Marchese cedette, & non riseruo altro, che scudi* 500. *de sua prouisione, e mi pare che, si riseruasse non sò che paglia, & li frutti delli censi del Signor Paolo, & questa cessione fu fatta nulla poliza;* & tamen in ipsa apocha non legitur talis cessio cum prædictis reseruationibus, quo fit, vt omnino mendax, & non informatus de rei veritate conuincatur. ad text. *in l. qui falsò, vel variè. ff. de testibus.* Angel. *cons.* 194. *num.* 1. latè Alciat. *in l. si ex falsis numero* 5. *ff. de transact.* & dum juxta 41. dicit, *che siano, e non siano comprese dette terre, in detta poliza* 13

non-

non mi ricordo, s'ò bene che nella retrodonatione ci entorno le terre comprese dal Signor Marchese, pariter mendax conuincitur ex inspectione instrumenti dictæ retrodonationis, in quo nullum verbum fit de dictis terris.

14 Cùm igitur præfati testes inter se varij appareant, non figant pedes, & aliqui se referant ad ipsam retrodonationem; aliqui verò ad apocham, in quibus nulla prorsus mentio fit eius prætensę donationis terrarum emptarum per Dominum Marchionem, & vlteriùs in multis sibimet sint cõtrarij, in aliquibus mendaces cõuincantur, & plures alias exceptiones patiantur, de quibus hîc per informantes pro Marchione. Ideo iure merito conclusum fuit pro non probatione donationis bonorum, de quibus agitur, qua resolutione stante, non fuit necesse aggredi articulum validitatis, seu inualiditatis illius, cùm qualitas sine subjecto esse non valeat, vt omnibus notum est.

REVERENDISSIMO P.D. LITTA.

Leodien. hæreditatis. Lunæ 3. Iunij 1600.

ARGVMENTVM.

De validitate statuti volentis fieri posse testamentum scriptum, & subscriptum manu testatoris, & per duos testes: statutumque statim quod est publicatum, præsumitur vsu receptum, & contrarium dicens probare debet, necnon quomodo statuti obseruantia probetur.

SVMMARIVM.

Testamentum scriptum, & subscriptum manu testatoris & per duos testes validum est, sic statuto dictante, n.1.

Statutum statim quod est publicatum, præsumitur vsu receptum, & qui contrarium dicit, probare tenetur, nu.2.

Statutum vsu receptum esse, & obseruatum probatur per testes, de quibus n.3.

Legatarius potest esse testis in testamento quando non agitur de viribus legati, sed de validitate testamenti, nu.4.

DECISIO XXII.

1 FVit resolutum sententias de partibus esse iustas, & propterea confirmari debere. nam de iustitia earum constat ex eo, quòd declarant testamentum Ioannis Paille, in quo instituitur Michael frater suus hæres vniuersalis, validum, quod testamentum cùm sit scriptum, vel subscriptum manu propria testatoris, necnon per duos testes fide dignos, qui dictum testatorem cognouerunt, & in summa cùm appareat factum iuxta statutum illius regionis, de quo in summario *num.4.* meritò impugnari non potest, nec debet. ad not. per Bart. *in l.cunctos populos, in repetitione num.36. Cod.de summa Trinitate, & fid.cathol.* vbi Ias. *num.33. & seq.* bene Angel. *cons.126.num.2.* & Alexand. *cons.44.num.20. lib.5.*

Nec placuerunt Dominis deducta per informantes pro Anna circa non vsum dicti statuti, quia immò statim atque publicatum fuit præsumitur vsu receptum in Rota in vna Narnien. legati 30 Octobris 1570. coram Domino meo Seraphino in Parmen. status 13. Iunij 1576. & in Calagurniana beneficij 29. Nouembris 1582. coram bon.mem. Robusterio, vnde alleganti contrarium incumbit onus probandi, & sic quòd testamenta iuxta dispositionem dicti statuti facta, non valuerint, sed fuerint declarata nulla in contradictorio iudicio, vt fuit dictum in dicta Narnien. legati 16. Ianuarij 1583. coram dicto Domino meo Seraphino, quod minimè probatum fuit pro parte Dominæ Annæ in casu de quo agitur. 2

Vltrà quòd pro obseruantia dicti statuti, & sic per consequens pro validitate dicti testamenti Ioannis concurrit præsumptio resultans ex duabus sententiis per judices illarum partium latis, attestatione duorum testium dicentium dictum statutum semper fuisse in viridi obseruantia, de qua in summario *num.5.* Item fides subscripta per scribanos Leodien. qua mediante constat dictam constitutionem fuisse vsu receptam, & quòd testamenta facta iuxta dispositionem illius valida sunt, & pro validis iudicantur in iudiciis, de qua in summario *num.6. & 10.* accedit similis attestatio, seu fides Causidicorum illius ciuitatis, de qua in summario *num.7.* item & alia facta à Consilio ordinario Serenissimi Principis, & Episcopi Leodien. de qua in summario *num.9.* quæ omnia simul juncta effecerunt, vt Domini vnanimiter tenuerint pro iustitia, & confirmatione dictarum sententiarum, habita consideratione depositionis testium, quibus nituntur informantes pro Anna, tum quia dicti testes sunt examinati in alia causa, & inter alias personas; tum etiam quia non concludunt in obseruantia dicti statuti, & quòd testamentum factum modo quo suprà, in exequutionem dicti statuti non sustineatur. 3

Et ad illud, quòd præfati testes Ioannis vti legatarij non videantur idonei testes, fuit responsum, quòd ex quo non agitur de viribus legati inter ipsos legatarios, & hæredem, sed de validitate ipsius testamenti constitutum, & Annam prætendentem venire ab intestato, idonei sunt, *l.qui testamento.ff.de testam §.legati. Instit.eod.* cum aliis per Ias. de commun. attestantem *in l.dictantibus, num.3. C.de testament.* quod maximè teneri videtur hoc in casu, in quo statutum prædictum pro validitate dicti testamenti non requirit præsentiam duorum testium, sed solùm quòd tale testamentum sit scriptum, & subscriptum manu testatoris, vt videre est, & duo illi testes fide digni, & qui cognouerint dictum testatorem, de quibus in dicto statuto fit mentio, non requirantur pro probatione voluntatis illius, & sic substantia testamenti, sed dumtaxat ad effectum recognoscendi scripturam illam esse manum ipsius testatoris, pro qua tam exacta probatio necessaria non est, vltra quod de ea dubitatur inter partes. 4

REVERENDISSIMO P.D. LITTA.

Tullen. bonorum, & attentatorum. Lunæ 6. Nouembris 1600.

ARGVMENTVM.

Attentata, appellatione pendente, cui judex detulit, reuocanda sunt.

SVMMARIVM.

Appellationi, vbi iudex detulit, etsi deferre non debebat, non potest suam sententiam exequi, n.1. per tot.

DECISIO XXIII.

1 DOmini vna parte tantùm informante resoluerunt constare de attentatis, ex eo quòd cùm iudices de partibus tanquam delegati ab Episcopo Tullen. condemnassent Dominicum Birdart, & Ioannem illius nepotem ad resarciendum Alberico Bricchio hæredi Nicolai fratris francos 25000. monetæ illarum partium, & à dicta sententia, & condemnatione pro parte illorum de Bridart fuisset appellatum ad sedem Apostolicam, & prædicti iudices dictæ appellationi simpliciter in reuerentiam D.S. Alberici detulerint, non potuerunt propterea ex pòst defectu eorum iurisdictionis, quæ ex tunc cessauit, procedere ad exequutionem dictæ condemnationis, absque noua delegatione, seu remissione iudicis ad quem. Ita gloss. *in cap. cùm appellat.* § *si verò.* ibi, *in verbo remittenda. de appellat. in 6* vbi Petr. de Anchar. *sub num. 1.* inquit, 3. *not. quòd iniusta delatio iudicis à quo, defert totius causa cognitionem ad superiorem, quod est verum, etiamsi ob reuerentiam superioris detulerit*; & Archid. ibi *sub num. 3.* dicit quòd postquam appellatio à judice est recepta, quantumcunque aliàs in legitima esset, ex quo tamen eam recipit, & Apostolos partibus dedit, tam partes, quàm causam principalem, & accessoriam à manu sua dimisit, & ad superiores remisit examen, vnde non firmant omnes scribentes; quo fit, vt cùm postea dicti iudices vlteriùs processerint ad dictæ condemnationis exequutionem, non minus nulliter, quàm etiam attendendo præcessisse videntur. *cap. non solùm. de appellat. in nou.*

R. P. D. IVSTO.

Auximana legati. Mercurij 16. Ianuarij 1602.

ARGVMENTVM

sume ex summario.

SVMMARIVM.

Legatum tertiæ partis fructuum hæreditatis intelligitur, deducto ære alieno, alijsque oneribus, & expensis, n.1. & per tot. dec.

DECISIO XXIV.

1 LEgatum Gilij, factum Iuliæ vxori, fuit scutorum trium millium vltra suas dotes soluendorum spatio quatuor annorum, & interim voluit, quòd eadem Iulia *hauer debbia dell' hæredita d'esso testatore la terza parte de frutti.* Dubitatum fuit, an in hoc legato intelligatur de tertia parte, deductis priùs oneribus hæreditariis, & aliis necessariis in recolligendis fructibus, vel potiùs illis non deductis debeatur integra tertia pars fructuum sine aliquo onere; & informante solùm Cinthio de Syluestris contra Iuliam fuit pro informante responsum, tam quoad debita hæreditaria, quàm legatum debet intelligi deducto ære alieno; & de eo quod superest debet habere tertiam partem fructuum in hoc casu, vbi relicta est tertia pars fructuum hæreditatis, secundùm intellectum Bart. *in l. fin. ff. de vsufruct. legat.* Bald. *cons. 87. lib. 5.* & cùm hæres qui subsit non petat releuari à fructuario, non intrat alia quæstio, an vsufructuarius teneatur creditoribus quoad actionem intentandam, de qua per Dec. *cons. 485. in fine.* Couar. *var. resol. lib. 2. cap. 2. nu. 2. & 4.* Rim. jun. *cons. 172. num. 8. & seqq.* quam quò ad alia onera realia, per *l. quæro* vbi Bart. *& l. generali.* § *fin.* & ibi Bart. *ff. de vsufruct. legat.* Rom. *cons. 250. sub num. 2. vers. etiam dico quoad hanc quæstionem, lib. 2.* Ruin. *cons. 77. nu. 1. in fi. lib. 1.* Barbat. *cons. 84. lib 3.* Arias Pinell. *in l. 2. part. 2. ampliat. 11. Co. de bon. mat.* & regula est quòd ille ad quem spectat commoditas fructuum, debet habere incommodum functionum. *l. fructus. Cod. de actionib. empt.* Ruin. *d. cons. 77.* Quàm etiam quoad expensas, quia in dispositione hominis fructus intelliguntur deductis expensis, vt tradunt omnes post Bart. *in l. fructus ff. solut. matrim.* & in legato fructuum est textus *in l. fundi Trebatiani ff. de vsufruct. legat.* Pinell. *vbi suprà 7. ampliat.* post Salic. *in l. 1. sub num. 3. vers. aut testator legat annuos redditus. C. de fruct. & lit. expens.* & in legato medietatis fructuum Antonius à Corduba *in l si quis à liberis.* § *sed si filius, nu. 36. & 38. ff. de lib. agnoscend.* vbi in specie reprehendit Afflict. *dec. 252.* Idem tenuit Rota coram bo. me. Cardinali Lanceloto in Acheruntina fructuum 2. Octobris 1580. quoniam nullus casus interuenire potest, qui hoc genus deductionis impediat. *l. fundus qui, in fin. princ. ff. famil. erciscund. in Margarita vers. fructus, & cons. 307. ad euidentiam. volum. 1.* etiam Rota resoluit coram me in Nepesina locationis 17. Maij 1600.

R. P. D. ORTEMBEGO.

Romana societatis. Veneris 9. Februarij 1601.

ARGVMENTVM.

Statutariæ solemnitates requisitæ in contractu mulieris, nunquid requirantur in eiusdem mulieris quietatione, liberatione, & confessione de recepto.

SVMMARIVM.

Mulier sine solemnitatibus statutariis quietationes, & confessiones de recepto facere non potest, num. 1. declara. & amplia, vt n. 2. & 3.

Societate officij extincta fructus non debentur, n. 3.

Quietatio, & liberatio est stricti iuris, & strictissimè intelligenda, n. 4.

Extensio minus admittitur in tacitis, quàm in expressis, ibid.

Copula &, denotat similitudinem, & illius vna pars aliam declarat, ibid. in fin.

DECISIO. XXV.

CVm ageretur de iustitia sententiæ iudicis deputati ab A.C. qui hæredes Petri Geni ab- 1
soluit

solnit à debito scut.700.sortis principalis, quæ Petrus diuersis temporibus acceperat à D. Camilla Pannona ad societatem officiorum. Domini non dubitarunt de veritate crediti, cùm de eo constet ex instrumentis de eo confectis, quæ faciunt probationem probatam: solutionem eam non existimabant probari ex scriptura solidationis computorum manu propria Petri conscripta, in qua recognouit se debitorem Camillæ in scutis 375. monetę pro integra solutione totius crediti Camillæ, comprehensis omnibus fructibus societatum vsque ad mensem Nouembris tunc proximè venturi, & aliis calculis hinc inde vertentibus, cum annullatione quarumcumque scripturarum inter ipsos factarum, vsque ad illum diem, sub.ũcta etiam acceptatione debiti pro residuo per Camillam facti. Nam ad hanc scripturam solidationis multæ fuerunt datæ responsiones. Et primùm cùm acceptatio Camillæ importet confessionem solutionis, in reliquo & per consequens quietationem. *l. si ex pluribus*, vbi gloss. *in ve bo reliquum* Imol. *nu. 2. in fine. ff. de solut.* Salyc. *in l. si quidem, in fi. C. de transact.* Ias. *cons.* 1005. *lib.* 4 Ideirco est nulla propter statutum. Vrbis *c.* 151. *lib.* 1. prohibens à mulieribus absque solemnitatibus fieri refutationes, quietationes & donationes sub quibus prohibentur etiam confessiones, per quas statuto satisfieri posset. Put. *dec.* 7. *&* 55. *lib.* 3 Crescen. *dec.* 2. *de confess.*

2 Nonobstat quòd hoc intelligendum sit de confessionibus obligatoriis de præterito, vt fuit dictum in Rom. dotis Lunæ 10. Ianuarij 1600. coram R.P.D. Sacrato, quia locum habet in simplici declaratione qualitatis quando actus per se ipsum fuit solemnis & validus. secus si actus qui declaratur erat prorsus nullus. Bald. *in l. hereditatis palam.* §. *sed & si nata. ff. de testam.* vel si actus de nouo conficitur. Dec. *in cap. pastoralis.* §. *verum, num.* 8. *de appellat.* vt in proposito, quia confessio tendit ad liberationem, & habet vim pacti de non petendo. Federic. de Sen. *cons.* 128 *num.* 3. Socin. jun. post Calcan. quem allegat, *cons.* 77. *nu.* 10. *lib.* 2. quo casu requiruntur solemnitates.

Nec videatur applicari quòd confessio mulieris & minoris quæ requirit certas solemnitates ex forma statuti, accipienda sit vt procedat in confessione simplici: secus autem si haberet aliquas præsumptiones, per Achill. de Grass. *decis.* 1. *de confess.* Hic autem vrgentiores dantur præsumptiones pro Camilla ex illis verbis, *Computati li frutti pagati insino alli* 18. *de Nouembre prossimo che verrà*, &c. Quia si fructus durabant, societas non erat extincta, cùm illa finita, fructus non debeantur. Gabr. *cons.* 78. *in fi. lib.* 1. *& cons.* 63. *n.* 8. *vol.* 2.

Deinde solidatio restringitur, nec potest numerati sors antequam societas sit disdicta.

4 Secundò respondebatur ad prædictam scripturam, quòd quietatio, & liberatio est stricti juris & strictissimè intelligenda. Paris. *cons.* 100. *num.* 64. *lib.* 7. Caputaquen. *decis.* 308. *num.* 4. *part.* 3. præsertim in liberatione tacita, cùm tacitum sit minus capax extensionis, quàm expressum. Aym. *cons.* 34. *num.* 3. hìc autem nulla fuit facta mentio sortis, & verba quando intelligi possunt secundùm subiectam materiam, videlicet de fructibus & de mutuo 50. necnon de deposito 100. scutorum, vltra quæ extendi non debet. Angel. *in l. obligatione. numero* 5. *ff. de pignoribus.* & pro hoc sensu faciunt verba Saldi, ibi; *Stransando & annullando ogn' altra scritura.* quæ magis adaptantur ad scripturas priuatas, quàm ad instrumenta quæ non lucrantur, nec annullantur. Sed partes solent consentire cassationi faciendæ per Notarium, & si voluissent intelligere de instrumentis, illud exposuissent. Idem suadent verba illa *scritture & conti.* Nam illa copula *&*, denotat similitudinem, & vna pars copulæ aliam declarat. Rimin. jun. *cons.* 18. *nu.* 39. *in fin.* Menoch. *cons.* 40. *nu.* 16. Surd. *cons.* 242. *num.* 8. quæ interpretatio eo magis placuit, quia est in fauorem mulieris, & contra eum qui scripserat, & contra eius hæredes. *l. veteribus ff. de pact.*

Accedit quòd extinctio societatis & solutio tam magnæ quantitatis non consueuit fieri absque scriptura publica, seu priuata, declarante expresśè hanc extinctionem & solutionem. quam coniecturam in simili considerat Anchar. *cons.* 64. *n.* 2. *versic. & maximè quia concludens.* & ex tali coniectura resultare verisimilitudinem quam iudex faciè sequi non dabet. Ex quibus fuit resolutum sententiam esse confirmandam. 5

R.P.D. LITTA.

Romana Domus ad Pasquinum. Veneris 24. *Maij* 1612.

ARGVMENTVM.

In hac decisione cogitur venditor ad tradendam rem venditam, cùm post factam venditionem pœnitens illam tradere recusabat, & in contingenti casu multa explicantur, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Cameralis obligatio tribuit iurisdictionem A.C. procedendi via exequutiua seruatis seruandis, num. 1. *in fine.*

Pretij rei venditæ declaratio vbi est remissa arbitrio alicuius, sequuta declaratione ad illius exequutionem deueniri debet, n. 2.

Depositum habet vim veræ solutionis, quando contrahens pro parte sua adimplere non vult, quæ adimplere promisit, ibid.

Venditor, in cuius potestate est rem præcisè tradere, si tradere recusat, potest ad tradendam rem cogi manu militari, ibid. in fine.

Venditor si recusat facere instrumentum venditionis, iudex potest illud facere ex officio, n. 3.

Venditor tenetur rem venditam tradere liberam, & facere consentire omnes prætensos suos creditores prætendentes habere ius in re vendita, nu. 4.

Impugnare non potest quis quod semel voluit, & quod semel sibi placuit, n. 5. *in fine.*

Instrumentum non productum non suffragatur, nec aliquid probat extraiudicialiter tantummodo exhibitum, n. 6.

Iudex iudicare debet secundùm allegata, & probata, non autem secundum scripturas sibi extraiudicialiter exhibitas. ibid.

Arbitratores nunquid possint arbitrari parte non citata, n. 7. *vbi declaratur hæc conclusio.*

Arbitrorum assertioni verisimili standum est, ibid.

Negligens nemo præsumitur in suo negotio, ibid. ante finem.

Arbitratores in dubio præsumuntur partes audiuisse, ibid. in fine.

Citatio vaga & incerta pro singulis diebus, & horis sustinetur pro duobus diebus seqq. n. 8.

Fideiussorem de euictione rei venditæ quis præstare non tenetur, nisi fuerit expressè promissum. declara vt n. 9.

Venditio facta rei fideicommisso subiectæ, cum obligatione de impetranda derogatione fideicommissi, si talis derogatio non habeatur, nunquid à venditione recedi possit, nu. 10.

Fideicommissi denegatio à mera voluntate Principis dependens, nunquid reputetur impossibilis, ibid.

Læsio in contractu venditionis non præsumitur, sed probanda est per allegantem, n. 11.

DECISIO XXVI.

1 Vendita domo olim habitationis R. Thesaurarij per D. Leonem Gallum D. Equiti Clementi precio, pactis, & conditionibus per DD. Tiberium Ceuolum, & Alexandrum Cardellum declarandis, & prout latiùs constat apocha manu eiusdem subscripta, & obligatione Camerali vallata, ad quam, &c. dicti DD. Tiberius, & Alexander æstimarunt dictam domum esse valoris scut. 8500. simul declarando pacta, & conditiones, quibus venditionem ipsam factam esse intelligebant, vt in dicta declaratione continetur, ad quam, &c. Cúmque Leo recusaret recipere pretium, & tradere domum, aliáq; adimplere contenta respectiuè in apocha, & declaratione, fuit contra illum iudicialiter coram Auditore Cameræ processum, & obtentum; præcedente tamen extensione d. obligationis Cameralis, & seruatis seruandis deponi pretium in S. Mōte Pietatis, & relaxari mandatum de immittendo D. Equitem in possessionem domus, in quam facto d. deposito, fuit realiter immissus, & cùm pro parte eiusdem instaretur sibi confici instrumentum d. venditionis, hinc in contumaciam Leonis obligati, idem A.C. mandauit dictum instrumentum confici, illúdque ex officio confectum fuit. Successiuè habita notitia per Equitem de prætensionibus creditorum q. Vlyssis patris Leonis super domo sibi vendita de sequestratione pretij, & de exequutione aliàs facta super dicta domo, fuit pro parte illius actum coram eodem A.C. contra Leonem, vt dd. creditores facerent consentire, doctóque de præmissis in contumaciam obtinuit relaxari mandatum, nisi infra tres, cum intimatione. A quo decreto cùm pro parte Leonis fuerit appellatum, hinc commissa mihi causa appellationis dubitaui iuxta stylum Tribunalis, an decretum Auditoris Cameræ sit confirmandum, vel infirmandum. Quo proposito vtraque parte informante Domini vnanimiter affirmatiuam amplexi sunt. Quia cùm in apocha venditionis cuius vigore actum fuit coram Auditore Cameræ, adsit obligatio Cameralis, quæ iuxta stylum fuit extensa, non potest propterea dubitari de iurisdictione illius. ad trad. per Gall. *de form. Cam. in 1. quæst. ad 2. part. n. 3. & 5.* & cùm respectu omnium successiuè gestorum coram eodem fuerint seruata de iure seruanda, meritò decreta eiusdem successiuè emanata de nullitate argui non possunt, imò nec de iniustitia.

2 Nam dicitur primo loco in exequutionem d. venditionis, cuius conditio statim sequuta dicta declaratione DD. Tiberij, & Alexandri respectu pretij, & pactorum fuit purificata, ad tred. per Doctor. *in l. fin. Cod de contrah empt. in §. pretium. Instit. eod. & in l. si merces. ff. locat.* Gabr. *cons. 64. num. 3. libro 1.* Paris. *cons. 132. num. 7. libro 4.* Mandauit Auditor Cameræ pretium ipsum deponi in sacro Monte Pietatis, & Equitem immitti in possessionem domus venditæ iustè processit, siquidem quia venditore renuente pretium rei venditæ recipere, potest de iure emphyt. implendo è latere suo contractum facere de illo deposito parte citata, & iudice authore, quod quidem depositum vim veræ solutionis habet. Bartol. *in l. si soluturus, num. 5. ff. de solut.* Paul. *in l. acceptam num. 12. Cod. de vsuris*, & fuit sæpe tentum, signanter in illa Romana vineæ 5. Ianuarij 1579 coram bon. me. Robust. & in illa Romana pecuniaria 24. Nouembris 1595. coram Reuerendo Patre Domino meo Mellino. & hoc modo adimpleto contractu è latere suo potuit Eques venditorem compellere ad rem sibi venditam, seu possessionem illius tradendam, ad quam cùm esset in libera facultate venditoris, præcisè cogi debuit etiam manu militari, secundùm distinctionem glossæ *in §. pretium*, ibi, *in verb. tradat. Instit. de empt. & vendit.* quam teste Angelo Aretino *ibidem sub nu. 8* sequitur Bald. *in l. stipulatores non diuiduntur, vers. ad 3. venio. ff. de verb. obligat. & in l. 1. in vers. Item quæro. ff. de actio. empti.* & alij scribentes relati per Plot. *in repet. l. si quando, nu. 171. Cod. unde vi.* qui de communi testatur.

3 Et dum secundo loco Auditor Cameræ mandauit confici instrumentum de dicta venditione, quod ex officio confectum fuit, iustè egit, quia recusante Leone venditore iuxta suam obligationem illud conficere, potuit, ac debuit iudex competens mandare tale instrumentum confici, ex latè deductis per Galles. *vbi suprà part. 3. tit. de præambul. ipsius processus, vers. potest hic non ineptè quæri.* &c.

4 Et dum tertio loco idem Auditor Cameræ constito sibi de prætensionibus creditorum quondam Vlyssis patris Leonis super prædicta domo, & de exequutione aliàs super ea facta, & de sequestro respectu pretij depositati relaxauit mandatum contra eundem Leonem venditorem, ad effectum vt faceret illos consentire dictæ venditioni, & remoueret quæcumque impedimenta, nisi infra tres, cùm intimatione, &c. secundùm iuris tramites iudicauit, cùm venditor de iure teneatur possessionem liberam rei venditæ præstare emptori. *l. cùm venderes. ff. de contrahend. empt.* & facere, vt emptor ipse sit potior in possessione illius. *l. emptorem. §. idem Notarius. ff. de actio. empt.* teneatúrque nedum eum defendere aduersùs quoscumque extraneos. *dict. l. emptorem. §. qui autem*, vbi gloss. *in verb. per omnes*, sed multò magis aduersùs seipsum, ad latè trad. per Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 9. num 33.* quod probat text. *in l. frater à fratre, vers. porrò. ff. de cond. et. indeb. in l. altius. ff. si seruit. vendit. & in l. si negotia. ff. mand.* & ratio est manifesta, quia qui contra alios defendere tenetur, consequens est, vt ipse eundem offendere non debeat. ita Tiraquell. *vbi suprà*, & Ias. *in d. l. frater à fratre, n. 23.*

5 Nec obstare dixerunt Domini in contrarium deducta per informantes pro Leone.

Non primum, quòd scilicet apocha non contineat venditionem domus, sed dumtaxat iurium competentium ipsi Leoni. quia fuit responsum quòd ex illius lectura contrarium expressè probatur.

tur, tum ex illius verbis, *volendo vendere la casa, che habitaua Monsignor Tiberio*; tum ex subsequentibus. ibi, *quale casa con tutte le sue pertinenze annesse, & comesse posta come di sopra dà, & vende per il prezzo.* Ex quibus nedum constat de explicita voluntate ipsius venditoris, sed etiam de deducta ad actum, quem modò impugnare non potest. *l. Pomponius scribit. ff. de neg. gest. l. si vxor. §. fin. ff. de adult. & reg. quod semel placuit. de regul. iur. in 6.*

6 Non secundum, quòd non teneat dicta alienatio vti facta ab eo, cui in testamento patris prohibita fuit administratio vsque ad 25. suæ ætatis annum, quam ætatem non habere Leonem, manifestum est. Quia fuit responsum dictum testamentum nunquam fuisse coram Auditore Cameræ, nec huc vsque in Rota productum, & propterea non posse illius sententiam ex hoc capite redargui de iniustitia, cùm secundùm allegata, & probata teneatur iudex pronunciare, & non aliàs. *l. licitus. §. veritas.* vbi Bart. & alij scrib. hoc communiter not. *ff. de offic. præfect. seu præsid.* bene Cassador. *decis. 12. numero 8. & seq. super regula Cancell.* vltra quòd ex contextu dicti testamenti extraiudicialiter exhibiti apparet quòd prohibitio prædicta procedit, eo tamen præsupposito quòd Olympia mater ipsius Leonis, cui omnimoda administratio bonorum testatoris relicta fuit, vsque ad dictam ætatem permanserit vidua, quo nunc cessante præsupposito & ipsa dispositio cessare debet, vulg. *l. mancipia. Cod. de seru. fug.* maximè cùm non superueniant, nec Tiberius Cerasius, nec Paulus Coperchius, quibus administratio ipsa matre transeunte ad secundas nuptias relicta fuerat, neque extet persona aliqua vocata in casum contrauentionis, & possit vnusquisque his, quæ in sui fauorem inducta sunt, liberè renunciare, iuribus vulg.

7 Non tertium, quòd nempe arbitratores deuenerint ad declarationem pretij, & conditionum absque citatione partis, quæ videtur necessaria pro validitate illius, secundùm Bald. *in cap. 1. num. 10. de inuest. marit. fact.* & not. per scrib. *in l. si quis arbitrator, ff. de verb. oblig.* vbi Socin. *num. 29.* Ias. *num. 11.* Ambros. de Opizo *num. 69.* & Petr. Pic. *numero 21.* Quia licèt ista conclusio apud Doctores sit multum controuersa, & Bald. *in l. final. num. 19. vers. secundus casus. Cod. de contrahend. empt. & cons. 64. libro 3.* sic distinguat, quòd aut non est compromissum de re litigiosa, prout in casu nostro, & non exigitur requisitio alterius, ea ratione, quia huiusmodi arbitratores funguntur officio negotiorum gestoris, seu procuratoris, & nuncij, qui in explicandis negotiis sibi liberè commissis non egent præsentia constituentium, aut est compromissum de re litigiosa, & controuersa, quæ aliàs inter partes fuisset examinanda, & scrutinanda, ex hoc casu saltem in discussione negotij requiritur partium auditio, & sic citatio. attamen scribentes in hoc conuenire videntur, quòd sufficiat citatio in discussione negotij, & non sit necessaria in actu declarationis, vt eleganter in terminis concludit Syluester Aldobr. *consil. 59. numero 6.* & tenet Cresc. *decis. 2. de arbitr.* dum sequitur Soc. sententiam, quam communem appellat *in dict. leg. si quis arbitratu, num. 29. vers. 4. & vltima opinio fuit, &c. ff. de verb. oblig.* quæ citatio in casu, de quo agitur, negari non potest, quin intercesserit, & domi dimissa copia exequuta fuerit, iuxta stylum & dispositionem statuti vrbis *cap. 31. libro 1.* vltra, quòd ex assertione arbitrorum constat eos fuisse de hac re alloquutos ipsum Leonem, etiam licèt regulariter non sit credendum eorum assertioni, tamen illa multum verisimilis visa fuit Dominis, cùm propter qualitatem arbitrorum, quorum alter est eius consanguineus, tum quia non est credendum quòd idem Leo fuerit negligens circa dictum negotium. ad text. *in cap. nisi essent. de præbend. & in cap. ad audientiam. de præscrip.* præsertim concurrente dicta citatione, præterquam quòd in dubio præsumitur arbitratores super re extraiudicialiter discutienda, & terminanda, partes ipsas ad saturitatem audiuisse, Gozad. *cons. 100. nu. 18.* ibi, *vel non procedit in dubio, &c.*

Nec facit quòd dicta citatio sit vaga, & incerta, vti facta pro singulis diebus & horis, & consequenter non sustinetur. Mohed. *decis. 4. numero 3. de test.* quia negari non potest, quin saltem sustineatur pro duobus diebus immediatè sequentibus ipsam exequutionem, vt pluties fuit resolutum, & in specie in illa Rhegien. bonorum vltima Februarij 1576. coram Illustrissimo Blanchetto Rotæ Auditore, quod sufficere debet. 8

Non quartum, quòd arbitratores declarauerint Leonem teneri præstare fideiussores de euictione, quæ præstatio fideiussorum non venit ex natura contractus venditionis, &c. quia fuit pro responsione dictum, quòd cùm fuerint remissa arbitrio electorum pacta, & conditiones apponendæ, potuerunt etiam tale pactum apponere, vti solitum apponi in similibus venditionibus magni momenti, maximè quia imminebat euictio in limine contractus propter lites, & varias prætensiones creditorum patris ipsius Leonis, qui plurimo ære alieno grauatus decesserat, quo in casu emptor agebat maiori cautela, & non ordinaria. ad text. *in cap. vbi periculum. de elect. in 6.* cum simil. 9

Et ad illud deductum per informantes pro Leone circa obligationem impetrandi derogationem cum surrogatione pretij loco rei venditæ, & cum derogatione regulæ de iure quæsito, &c. fuit vltra responsionem, de qua suprè, quæ similiter quadrat huic oppositioni, dictum, quòd licèt huiusmodi conditio vti dependens à mera voluntate Principis, reputetur quodammodo impossibilis, tamen cùm non sit verè impossibilis, potuit apponi, & vti apposita ad honestum finem meritò venit adimplenda per modum possibilem, faciendo honestam diligentiam pro adimplemento, supplicando Sanctissimũ, & porrigendo commissionem in signatura iuxta solitum similium negotiorum, vt sentiunt omnes *in l. seruo manumisso. ff. de condit. instit.* vbi Imol. idem not. *num. 11. in 4. & 5. limitatione,* & fuit allegata in simili per vnum ex Dominis decisio in vna Anconitana hæreditatis 9. Octobris 1579. quæ reperitur in manuscr. diuers. Vlteriùs dicebatur quòd cùm talis conditio non versetur circa substantialia ipsius contractus, in omnem casum non vitiare, sed vitiari. *l. insulam. §. fin. ff. locati.* ita Ang. Aret. *in §. impossibilis n. 1. vers. aut versatur in contractu. Instit. de hæred. instit.* 10

Nec deducta circa modicitatem pretij declarati, per arbitratores, & sic circa læsionem prætensam releuare visa sunt. Tum quia de ea adhuc non constat, & tamen concludenter probari debet ab eo qui in ea se fundat. *l. si circumscripta. Cod. solut. matrim. gloss. in l. iure succursum, ff. de iure dot.* Tum 11

etiam quia propter læsionem non annullatur contractus, sed restituto pretio rescinditur, nisi emptor malit iustum pretium supplere, vt probat expressè text. *in l.2. C.de rescind.vendit.* Et quoniam aliis omnibus in contrarium adductis bene satisfaciebant informantes pro Domino Equite, & signanter in vltimo memoriali allegata valde placuerunt Dominis, ideo nemine discrepante conclusum fuit, vt suprà, &c.

ILLVSTRSSSIMO D. MELLINO.

Mediolanen. matrimonij. Lunæ 12. Iunij 1602.

ARGVMENTVM.

De dispensatione matrimonij inter consanguineos in gradu prohibito, an & quando valeat concessa à Cardinali maiori Pœnitentiario absente ab Vrbe, & quando hoc mandatum de dispensando dicatur subreptitium.

SVMMARIVM.

Matrimonium inter consanguineos prohibitum sine dispensatione non valet, n.1.

Matrimonij inter consanguineos prohibiti dispensatio facta à Cardinali maiori Pœnitentiario absente ab Vrbe nunquid valeat, n.2.& 3.

Matrimonij inter consanguineos dispensatio facta muliere non existente, ab obiectione non facta mentione minoris ætatis, nunquid dicatur subreptitia, num.4.

Sponsalia transeunt in matrimonium quando postea sequuta est cohabitatio, ex qua præsumitur copula, quod quando certum sit, n.5.

Clausula si ita est, requirit causæ cognitionem: sufficit tamen extraiudicialis informatio, n.6.

Decretum iudicis præsumitur interpositum cum cognitione causæ, etiam quòd fuerit præstitum in ipso contractu, quia sufficit extraiudicialis informatio, num.7.

DECISIO XXVII.

1 Post resolutionem factam in hac causa quòd constabat de matrimonio inter Franciscum, & Margaritam, dubitaui an istorum matrimonium esset validum? & cùm huius dubij resolutio à validitate, vel inualiditate dispensationis penderet, quia versamur in matrimonio contracto in gradu prohibito inter consanguineos, scientes impedimentum, in quo casu ad effectum validitatis matrimonij est necessaria dispensatio. *c.quod super, de consang.& affin.c.1. de spons.& matrim.lib.6.* Domini dubio hac die in Rota proposito materiam distinxerunt in tres principales difficultates.

2 Prima difficultas fuit, an mandatum de dispensando fuerit nullum & inualidum ex defectu potestatis concedentis? & in hac difficultate fuerunt concordes pro validitate matrimonij, quia fuit obtentum de anno 1539. à Cardinali maiori Pœnitentiario qui de eo tempore habebat hanc facultatem dispensandi, & passim solebat dispensare, & licèt tunc esset absens ab Vrbe, & in Curia soleat aliquis alius Cardinalis, qui eo absente eius vices gerat, nihilominus cùm eius iurisdictio non sit astricta ad certum territorium, non expirat propter eius absentiam, & propterea potest exercere eandem iurisdictionem vbicumque sit.

Nec placuit Dominis quòd maior Pœnitentiarius soleat concedere gratias, & rescribere de mandato Papæ, & ideò eius iurisdictio non debeat extendi ad hunc casum, quando est absens à præsentia Papæ; quia maior Pœnitentiarius vtitur hac formula rescribi in vim facultatum, quæ non sunt restrictæ, & limitatæ dum permanet in Curia in præsentia Papæ, & propterea pariter eadem potest rescribere, quando est absens à Curia.

Secunda difficultas fuit, an istud mandatum de dispensando fuerit inualidum ex capite subreptionis, quæ deducuntur, & fuit dictum non esse releuantes, & consequenter matrimonium esse validum, opponuntur enim in effectu duæ subreptiones: altera est, quod istud mandatum de dispensando fuit concessum Margaritæ, quæ non erat ætatis habilis ad contrahendum matrimonium, non facta mentione huius ætatis minoris; & ista obiectio non fuit visa Dominis releuans, quia non fuit petita dispensatio ad effectum contrahendi matrimonium ante legitimam ætatem, quo casu est necessaria dispensatio non solùm super gradu, sed etiam super ætate, & in terminis procedit cons. Dec. 602.nu.19. sed mandatum de dispensando fuit obtentum solùm ad effectum remouendi impedimentum consanguinitatis, vt superueniente postea legitima ætate possit contrahi matrimonium, non obstante isto defectu consanguinitatis, prout factum fuit, & propterea iste defectus non expressionis minoris ætatis non habendus in consideratione in hoc casu, in quo matrimonium fuit collatum in tempus habile, de quo tempore cessat istud impedimentum. 4

5 Alia obiectio est, quòd mandatum de dispensando continet solam facultatem dispensandi super matrimonio contrahendo, & non super contracto, & ideo cùm concessa dispensatione sponsalia transiissent in matrimonium, quia ex cohabitatione præsumitur copula, non poterat vigore illius mandati in quo non est facta mentio neque de copula, neque de matrimonio contracto, concedi dispensatio. Ista obreptio multo minus visa fuit Dominis, illa consideratione, quia cohabitatio ex qua deducitur præsumptio copulæ, non probatur concludenter ante dispensationem. Secundò quia data etiam cohabitatione excluditur præsumptio copulæ propter minorem ætatem Margaritæ, vt per Paulum de Castro *in cons.277. num.5. lib.1.* & ideo multo minus est præsumenda, præsertim in præiudicium matrimonij.

Tertia & vltima difficultas fuit, an saltem dispensatio postea obtenta ab exequutione fuerit nulla. Et Domini censuerunt dispensationem esse validam, quia licèt stante clausula, *si ita est*, sit necessaria causæ cognitio. Achill. *decis.2. de fil.presbyt.* tamen potuit exequutor se extrajudicialiter informare, etiam stante dispensatione, vt fuit resolutum. 6

Et propterea nihil repugnat quòd ista causæ cognitio etiam quòd non sit enunciata, & quòd dispensatio fuerit concessa statim ac fuerit præsentatum mandatum exequutori, non poterit interuenire, 7

nire,& tanto magis,quia narrata erant alia quæ in continenti poterant iustificari, accipiendo eodem consensu informationem ab ipsis cognatis,& aliis præsentibus circa gradum consanguinitatis,distantiam loci,& quòd Margarita non fuerit rapta.propter quam rationem quotidie solemus subsistere decreta iudicum in similibus terminis, præsumendo causæ cognitionem in pio actu interpositionis decreti, & cessat omnis difficultas in hoc casu, ex obseruantia 40.annorum, & vltra, propter quam præsumitur dispensatio validè exequuta,vt fuit resolutum in causa Lucana Decanatus coram Illustrissimo,& postea sæpiùs tentum in aliis causis; & licèt in contrarium allegetur decisio Paleotti 251. nihilominus in illo casu aderat solum mandatum de dispensando absque aliquo facto exequutoris, & ideò agitur de præsumendo non solùm validitatem dispensationis, sed ipsum factum dispensationis. Vltra quòd in terminis,in quibus loquitur, illa decisio visa est Dominis multum dura, propter decisionem Putei 257.*lib.3.*& alias decisiones factas in similibus terminis,& tanto magis cùm Innoc. & alij Doctores,qui illa decisione vtuntur, non tangunt istam difficultatem.

ILLVSTRISS. ET R.D. BONONIEN.

Romana Casalis. Luna 1. Iulij 1602.

DECISIO XXVIII.

Inter eius impress. est decisio 68. replicata etiam habetur suprà part.2. recent. decis.63. duplicata pariter est post Pacif.de Saluian.decis.164.

R. P. D. LITTA.

Vicen.iurisdictionis criminalis. Veneris 24. Ianuarij 1603.

ARGVMENTVM.

Duobus judicibus in eadem causa datis, vnus sine altero jurisdictionem exercere non potest, & illis discordantibus, vel super competentia contradicentibus,quid agendum.

SVMMARIVM.

Verba clara non indigent probatione, numero 1.ad finem.

Iudices delegati si fuerint duo,illis discordantibus recurrendum est ad superiorem, vel arbitri eligendi, num.2.

Iudices delegati vbi fuerint duo, vnus sine altero iurisdictionem exercere non potest,nu.2.& 3.

Delicto in confinibus duarum ciuitatum commisso,ambo iudices vtriusque ciuitatis cognoscũt in cuius territorio commissum sit,n.3.

Episcopus de iure communi habet fundatam intentionem jurisdictionis criminalis in Capitulares, numero 4.

Iudices duo quando contendunt super competentia iurisdictionis,cognitio spectat ad digniorem,declara vt num.4.& 5.

DECISIO XXIX.

ANno 1589. fuit per Archiepiscopum Cæsaraugustanum prolatum laudum quod per S.A. prætenditur confirmatum, ac diuturna obseruantia comprobatum super contentione iurisdictionis,quæ vertebatur inter Episcopum, & capitulum Vicen. quo mediante fuit per infrascripta verba hîc de verbo ad verbum inserta diffinitum & ordinatum, quòd omnis criminalis iurisdictio exercenda in personas Capitulares Ecclesiæ Vicen. ex officio pro inquisitione,denunciatione,aut ad Procuratoris fiscalis instantiam fieret, & fieri deberet per Episcopum, vel eius Vicarium, & Capitulum, seu vnum de Capitulo per ipsum Capitulum electum,seu eligendum,qui insimul in omnibus procedant tam ad personarum captionem, liberationem, processuum & sententiarum executionem, quàm ad alia,sic quòd insimul ad eosdem omnis processus cognitio,decisio,& exequutio pertineat, & quia in eodem laudo subnectuntur ista verba,videlicet,*Item si ad partis instantiam*.sic quòd Episcopus,aut Procurator fiscalis,aut alius eorum nomine non faciat, de crimine ciuiliter, vel criminaliter contra aliquem ex dictis personis quæstio moueatur, si crimen expresè in scriptis obiectum tale fuerit,quod depositionem, priuationem,seu carceris perpetui,vel temporalis,aut vltra centum librarum condemnationem requireret, his casibus, & quolibet ipsorum ad dictum Dominum Episcopum, & Capitulum, seu vnum per Capitulum electum,seu eligendum omnis processus cognitio,decisio, & executio pertinere dignoscatur; si verò huiusmodi petitio minorem pœnam,quàm vt præmissum est, requirat ad solum Dominum Episcopum omnis processus cognitio,decisio,& executio pertineat, & spectet, & non exprimitur ibi quisnam cognoscere habebit, an crimen obiectum sit tale quod mereatur minorem pœnam centum librarum, vel maiorem, ita vt dignosci possit,an cognitio illius causæ spectet ad Episcopum, & Capitulum simul, vel duntaxat ad ipsum Episcopum; ideo super hoc & aliis orta controuersia inter modernum Episcopum, & Capitulum Vicen. præsupposita dicta sententia arbitramentali, seu laudo, dubitatum fuit, an in casu & ad effectum de quo agitur constet vtrumque ita habere iurisdictionem, vt cognitio super huiusmodi pertinentia iurisdictionis ad vtrumque simul spectet. quod dubium affirmatiuè resolutum fuit;quia dubitari non potest quin tam Capitulum, quàm Episcopus ipse, vbi agitur de exercenda iurisdictione criminali, in personas Capitulares dictæ Ecclesiæ Vicen.etiamsi agatur de crimine aliquo ad petitionem partis,dummodo crimen obiectum non sit tale quod minorem pœnam centum librarum mereatur,coæqualem iurisdictionem habeant,vt patet ex verbis ipsius laudi suprà relatis,quæ cùm admodum clara sint,non egent alia interpretatione. *l.quod constitutum*,& ibi Bart. *ff.de testam.milit.* Bald. *in cap.significante col.2. extrà de appell.& in l.Gallus.§.si eius,in 2.not. ff.de liber.& posthum.* 1

2 Vnde cùm ambo sint coniudices, & eorum iurisdictio sit æqualis respectu præmissorum, ad vtrumque etiam spectabit simul cognoscere an crimen obiectum sit tale quod mereatur minorem pœnam centum librarum, vel maiorem, & in dis-

cordia ipsorum, vel recurrendum erit ad superiorem, vel eligendi erunt arbitri, secundùm Bart. *in l. si vni, num.1. ff. de re iud.* vbi bene Castrens. *num.6. vers. debet ergo omnes simul*, &c. & hoc idem tradunt DD. *in l. ex quacumque. ff. si quis in ius voc. non ier.* vbi Angel. *num.7. vers. 8 fallit.* Iacobin. de Sancto Georg. *num.7. vers. nonus est casus.* Ias. *numero 17.* quod etiam multum rationabile est. nam cùm omnis criminalis iurisdictio exercenda in personas Capitulares ipsius Ecclesiæ Vicen. sit communis, sicut illa non debet, non potest ab vno, siue alio insolidum exerceri, vt per Socin. senior. *consil. 272. num.5. libro 1.* Ita etiam ab vtroque simul cognosci debet de pertinentia ipsius iurisdictionis, vbicumque alicui personæ de Capitulo per viam querelæ, seu accusationis objiciatur aliquod crimen, ne alias sit in potestate Episcopi eludere iurisdictioné, quæ attento laudo prædicto etiam ipsi Capitulo competere potest, declarando crimen obiectum mereri minorem pœnam, & non maiorem centum librarum, & proinde ad se solum spectare & pertinere cognitionem, & decisionem dictæ causæ. quod valde absurdum videtur.

3 Immo casum hunc in terminis decidere videtur gloss. *in l. in offerendis, in verbo decernendam. C. de appellat.* Nam dum text. vbi disponit quòd causæ vsque ad 10. librarum æstimationem ab vno iudice cognoscantur, & vsque ad 20. à duobus iudicibus, quærit gloss. quòd si de hoc dubitetur an excedant, vel non excedant, à quonam iudice iste articulus cognoscetur? & respondet quòd ambo cognoscent, & pro eadem sententia bene faciunt deducta ex Alberic. *in authen. qua in prouincia. Cod. vbi de crim. agi oport.* dum *sub numero 4. statim post princ. dicti numeri vers. item quæro.* dicit quòd si fuit commissum aliquod delictum in confinibus Parmæ & Rhegij, nec appareat in cuius territorio, ambo iudices de eo cognoscent, & *in l.2. ff. si quis in ius voc. ier. sub nu.19. vers. ex prædictis*, dum dicit quòd adsit villa in confinibus Mediolani, & Bergomi, & dubitetur de cuius territorio, vel iurisdictione sit, si committatur in illa villa delictum aliquod, neuter eorum solus cognoscet, sed ambo iudices simul erunt. Item ex Boss. *in prax. tit. de for. compet. numero 175.* dum concludit quòd vbi inter duos Principes est quæstio de omnimoda iurisdictione alicuius ciuitatis, vel castri, tunc ambo simul cognoscere, & non alter eorum, vt ex aliis hîc copiosè citatis per Dominum Proydam, quæ omnis ea ratione nituntur, ne alteri per alterum præiudicetur in iurisdictione, quæ cuius sit adhuc ignoretur.

4 Nec obstare dixerunt Domini quòd de iure communi Episcopus solus habeat intentionem fundatam etiam respectu correctionis Capitularium. *cap. cùm Episcopus. de offic. ordin. libro 6.* cum aliis hic alleg. Quia fuit responsum quòd præsens quæstio non est decidenda secundùm ius commune, sed secundùm tenorem dicti laudi, seu concordiæ, per quam fuit recessum ab ipsa dispositione iuris communis, & ipsi Capitulo attributa iurisdictio criminalis vbi contra Capitulares proceditur. Et ad deducta ex Butr. *in cap. ceterum, num.9. de iud.* ex Ias. *in l. ex quacumque, num.19. ff. si quis in ius voc. non ier.* quòd scilicet, quando est controuersia super competentia iurisdictionis inter duos iudices, quorum alter sit dignior altero, cognitio spectat ad digniorem, &c. fuit responsum hæc & similia per informantes pro Episcopo allegata potiùs deseruire conclusioni superiùs firmatæ, quàm eidem in aliquo obesse, cùm licèt Episcopus solus sit dignior Capitulo solo, negari tamen non possit quin maior dignitas, & potestas resideat penes Episcopum, & Capitulum simul, etiam attenta dispositione iuris communis.

Vltra quòd conclusio firmata per Butrium & alios in contrarium allegatos procedit, quando quis est dignior & superior respectu ipsius iurisdictionis, quod minimè applicari potest casui nostro, cùm maior iurisdictio criminalis respectu Capitularium, attento laudo quod attendi debet, non resideat penes Episcopum solum, sed penes vtrumque, & solus Episcopus non possit procedere, nisi in casu quo crimen alicui de Capitulo sit obiectum per viam querelæ, seu accusationis, & tale sit quod mereatur minorem pœnam centum librarum, vt dictum fuit, quo fit, vt & hac ratione, maioris scilicet iurisdictionis in Capitulares, ad vtrumque simul spectare debeat summaria cognitio qualitatis criminalis obiecti, & pœnæ illius ad effectum prædictum, & non ad ipsum duntaxat Episcopum, ex supradictis, & aliis hîc latiùs deductis per informantes pro Capitulo, quæ Dominis placuerunt, &c.

ILLVSTRS. ET R.D. CARD. LVDOVISIO.

Mediolanen. bonorum, seu emphyteusis. Veneris 18. Aprilis 1603.

DECISIO XXX.

Inter eius impressus est decisio 105. & habetur etiam penes Marches. de Commiss. fol.371. parte 1. & post Pacif. de Saluiano decis.197.

R.P.D. LITTA.

Vicen. scribaniæ officialatus. Lunæ. 28. Aprilis 1603.

ARGVMENTVM.

Laudum datum super lite vertente cum Episcopo, & Capitulo, habet vim transactionis, si ab eodem Capitulo & Episcopo fuerit approbatum, & emologatum, successoresque non ligat, nisi constet de confirmatione Apostolica: quæ tamen ex cursu temporis, & obseruantia subsecuta præsumitur.

SVMMARIVM.

Laudum ab Episcopo, & Capitulo approbatum cum iuramento, & promissione de non controueniendo, cum appositione pœnæ, habet vim transactionis, & seruari debet, n.1.

Transactio facta ab Episcopo non ligat successores sine confirmatione Apostolica, nu.2. vbi tamen quòd confirmatio Apostolica præsumitur ex diuturnitate temporis & subsequuta obseruantia.

Aposto-

Apostolica confirmatio præsumitur ex diuturnitate temporis, & subsequuta obseruantia, ibid.
Obseruantia in parte facit præsumere in totum, nisi doceatur de contrario, num.3.

DECISIO XXXI.

1 FVit resolutum sententiam arbitramentalem latam de anno 1446. suffragati Capitulo, itaut negotia in ea numerata tractari debeant in scribania officialatus, & moti fuerunt Domini ea præcipuè ratione, quia cùm dicta sententia fuerit emologata, & approbata ab Episcopo, & Capitulo, vim transactionis habet. gloss. *in l.2. C.com. vtriusque iud.* Mohed. *decis.10.de sent. & re iud.* quo fit vt omnino seruari debeat, stante præsertim promissione partium iurata de illi non contraueniendo, & appositione pœnæ pecuniariæ contrauenienti. ad text. *in l.* 1. *§. conueniat. ff. deposit. in cap.* 1. *§. si cum. aliis.* de quibus per Couar. *part.2.relect.cap.quamuis §.4.num.16. de pact.in 6.*

2 Nec obstat quòd non constet de confirmatione Apostolica, sine qua transactio successores in Episcopatu non ligat. *cap.veniens.de transact.* vbi gloss. *in verb.confirmatam,* & gloss. *in cap.ex multiplici, in verb. eandem.de decim.* Quia fuit responsum quod immò de præsumpta constat ex diuturnitate temporis, iuncta obseruantia quod sufficit *cap.ea noscitur.de iis quæ fiunt à Prælat.sine cons.Cap.* Anchar. *cons.136.nu.2. vers.ex hoc ergo solo.* Arct. *cons.36. incip.casus talis est, in princ. num.* 1. & in terminis confirmationis Papæ quod illa præsumatur ex diuturnitate temporis, & sic ex lapsu triginta annorum, iuncta obseruantia dicti contractus tenet Roland. *cons.40.num.2.& seq. lib.* 2. & fuit sæpè resolutum signanter in Romana Casalis Longhezze 28. Iunij 1593. coram Reuerendissimo Domino meo Alexandrino, & propriè in terminis transactionis coram Domino meo Decano in Mediolanen. rescissionis transactionis, seu permutationis 10. Ianuarij 1591.

3 Nec de obseruantia dictæ transactionis dubitari potest, cùm eam bene iustificent actus dati in summario iurium Capituli *num.3.* qui licèt non conueniat omnibus negotiis, quæ in dicta sententia, seu transactione ipsi scribaniæ officialatus adscribantur; cùm tamen eadem sit causa Capituli habendi & possidendi quoad omnia, meritò ex prædictis actibus resultare videtur concludens probatio obseruantiæ respectu omnium, maximè cùm pro parte Episcopi de contraria obseruantia non doceatur respectu aliquorum negotiorum dictæ scribaniæ adscriptorum. ad trad. per Bald. *in l.1.nu.34. C.de emancipat.liber.* per Socin. senior. *cons.111. num.4.lib.1.* & per Abb. *in cap.1.num.3.de relig.domib.*

Ex quibus conclusum fuit, vt suprà, solo Capitulo informante, & in excusationem quidem ipsius Episcopi, contumacia concurrente.

R. P. D. PEGNA
DECANO.

Valentina decimarum de Gandia. Veneris 2. Maij 1603.

ARGVMENTVM.

De probatione quasi possessionis exigendi decimas continuatæ, & quadragenariæ, quomodo testes super ea deponere debeant, sciente præsertim, & patiente eo de cuius interesse agitur.

SVMMARIVM.

Decimas exigendi quasi possessio continuata per annos 40. quomodo probetur per testes super eo deponentes, n.1.
Testes non dicuntur contrarij probantes decimarum continuatam solutionem, licet non omnibus solutionibus fuerint præsentes, num.2.
Quasi possessio exigendi decimas alteri non præiudicat, nisi sciente, & patiente eo, de cuius interesse agitur, num.3. vbi etiam quomodo talis scientia, & patientia per testes probetur.
Scientia, & patientia exigendi decimas præsumitur ex lapsu temporis, & multiplicitate actuum, ibid.
Testes examinati absque interprete, non obstante protestatione partis, probant, quia sufficit esse interrogatos à iudice, præsertim extra vrbem, num.4.

DECISIO XXXII.

DOmini dixerunt probari quadragenariam quasi possessionem Capituli de Gandia percipiendi nonam partem decimarum in locis de quibus agitur, nouenam vulgariter nuncupatam: quia de ea bene deponunt testes remissoriè super primo articulo, vt in summario nu.2. quorum aliqui sunt sexagenarij, aliqui septuagenarij, & iuxta doctrinam Bart. *in l.Celsus.ff.de vsucap.* per verba denotantia temporis continuationem, dicunt Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ de Gandia à 44. 45. 46. & 50. annis, & ampliùs & citra, & à toto tempore sui recordatus semper, & continuò fuisse, & vsque in præsentem diem esse in quasi possessione recipiendi dictam nonam partem decimarum in dictis locis; & super 2.3. 4.& 5. articulis in alio summario reddunt bonam causam scientiæ, quia dicunt Capitulum, & Canonicos prædictos ob eorum interesse in iure decimandi ratione suæ quotæ interuenisse in arrendamentis generalibus, quæ faciunt Archiepiscopus & Capitulum Valentinum, & alij interessati in decimis, & iure decimandi in decisione Valentin. & quòd Arrendatores Capituli de Gandia perceperunt & exegerunt, percipiunt, & exigunt dictam quotam, & postea soluerunt, & soluunt dicto Capitulo affictum dictæ quotæ sibi locatæ, nec non quoad Capitulum, & Canonicos de Gandia tanquam veri domini, & possessores dicti iuris decimandi pro supradicta nona parte contribuerunt, & contribuunt in solutione omnium expensarum & onerum, quæ accidere solent propter ius decimandi & decimas totius diœcesi Valentiæ, & deponunt de visu per totum dictum tempus, & de auditu à maioribus, & quòd nec ipsi, nec eorum maiores viderunt, vel audiuerunt aliquid in contrarium, iuxta ea quæ aliàs deducta fuerunt coram me in causa Conchen. decimarum 20. Aprilis 1592.

2 Neq; huic probationi obstat, quòd ex dictis testibus, dicant non fuisse præsentes omnibus solutionibus, quæ fiebant, quia ad euitandum contrarietatem, hoc intelligitur de aliis solutionibus vltra eas, quas super primo articulo dicunt vidisse fieri à 45. annis, & citrà, & per totum tempus. Dec. post alios

in l.1.num.14.in fin.& nu.sequen.in 1.lect.ff.si cert.pet. præsertim cùm explicitè deponunt per 45. annos continuos quolibet anno vidisse Capitulum de Gandia percipere nonam partem decimarum. Et quamuis subdant non interfuisse collectioni illarum, id tamen debet intelligi de collectione omnium decimarum ad vtramque Ecclesiam spectantium, non autem nonæ partis, quam semper viderunt per dictum tempus solui Capitulo de Gandia: vltra quod adsunt alij testes, qui optimè probant, & contra quos nihil potest opponi.

3 Quod autem ista nona pars decimarum, seu nouena fuerit recepta sciente, & patiente Archiepiscopo, & Capitulo Valentino, iuxta not. *in cap. cùm Ecclesia Sutrina,* vbi Rip. *num.64. de caus. possess. & prop.* satis dictum fuit constare ex eisdem met testibus dicentibus Capitulum de Gandia fuisse in possessione percipiendi nonam partem decimarum, scientibus, videntibus, patientibus, consentientibus, & non contradicentibus Archiepiscopo & Capitulo Valentino, quod sufficit, vt fuit dictum in causa Hostiens. litoris maris coram D. de Rubeis duodecima Nouembris 1579. maximè concurrente lapsu tanti temporis, & multiplicitate actuum, ex quibus inducitur præsumptio scientiæ, vt per Doct. *in cap. cùm venissent. de instit. & in cap. illud. de præsumpt.* Innocent. *in cap. bonæ el 2. num.2. vers. has autem præsumptiones. de postulat. prælat.* Abb. *in d. cap. cùm Ecclesia Sutrina, num.25.* Capic. *decis. 69. num. 14.* & tenuit Rota in dicta causa Hostiens. litoris maris decima Decembris 1574.

4 Nullitates quæ contra examen horum testium fuerunt deductæ, non placuerunt Dominis, ac visæ sunt admodum leues. nam quod testes non euacuauerint omnia interrogatoria, non probatur, immò ex facto contrarium colligitur, vt benè deducunt informantes pro Capitulo de Gandia. Quod verò testes fuerint examinati absque interprete non obstante protestatione, & appellatione Procuratoris Capituli Valentini, nihil facit, quia ex hoc non causatur nullitas examinis, cùm hoc iure cautum non reperiatur, & sufficiat quòd iudex interroget, maximè in partibus vbi in examine testium non solent adhiberi interpretes.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Montis Falisci fideicommissi. Lunæ 12. Maij 1603.

DECISIO XXXIII.

Impressa est hæc decisio penes Postium tract. mand. de manuten. decis. 52.

ILLVSTR. ET R. D. CARD. PAMPHILIO.

Romana anterioritatis. Lunæ 23. Iunij 1603.

DECISIO XXXIV.

Impressa est post Pacif. de Saluiano Interd. decis. 146. duplicata est post Zach. de oblig. Camer. decis. 135. triplicata est post eundem de Societ. Officij decis. 8. & quadruplicata est apud Duar. de censib. decis. 418. & hic quintuplicata erat.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Mediolanen. licentiæ nubendi. Lunæ 27. Octobris 1603.

ARGVMENTVM.

Legatum, institutio, & substitutio sub conditione, vt legatarius, institutus, seu substitutus, nubat alterius arbitrio, vel certæ personæ, quando valeat, & quomodo etiam conditio habeatur pro impleta, quando quo minus impleatur stat per eum, in cuius persona adimpleri debeat.

SVMMARIVM.

Testator iubere potest in testamento vt eius filia & hæres instituta nubat certo generi personarum, num. 3.

Legatum, seu hæredis institutio facta à testatore dummodo nubat arbitratu alicuius, nulla, & inualida est, quia continet conditionem matrimonij impeditiuam, ibidem.

Conditio matrimonij impeditiua reiicitur à legato, & institutione, ibid. vbi etiam quòd conditio dicitur impeditiua matrimonij, quando testator remittit matrimonium arbitrio alicuius, & num. 4. ampliatur hæc conclusio etiam quòd institutio, vel legatum contineat duplum, & num. 5. vbi pariter ampliatur tam in ascente, quàm in transuersali.

Conditio habetur pro impleta, quando quòd non adimpleatur stat per eum in cuius persona adimpleri debet. declara vt num. 6. & seq.

Institutio, & substitutio non possunt conferri in alienam voluntatem, num. 8.

DECISIO XXXV.

IOannes Antonius instituit pro certa portione hæredem Margaritam eius ex filio sororis proneptem, sub certis conditionibus, & inter alias quòd effecta nubilis ætatis, teneatur se matrimonio copulare illi personæ de agnatione Comulorum, prout ab altero Ioanne Antonio causidico tanquam electo, & informato de mente ipsius testatoris nominatum fuerit, addita in casu contrauentionis pœna priuationis hæreditatis, de qua dispensatur prout placuerit & videbitur dicto causidico, cui testator dedit facultatem prædicta faciendi ac si ipse vixisset. 1

Declarauit causidicus intentionem testatoris fuisse quòd Margarita nubat alteri ex duobus nepotibus ex filio ipsius causidici, & eis antea decedentibus, vel nubere recusantibus, nubat Iulio Cæsari nepoti ex fratre eiusdem causidici, & eo etiam decedente, vel recusante, nubat alicui magis idoneo ex descendentibus masculis q. Ioannis Baptistæ aui paterni eiusdem causidici, & in euentum quòd alteri nubat, & præmissa ad vnguem non obseruet, disposuit quòd hæreditas Ioannis Antonij perpetuò remaneat penes descendentes masculos legitimos, & de legitimo matrimonio natos vsque in infinitum.

Præsupponitur in facto quòd nepotes causidici

ex filio, & etiam ipse Iulius Cæsar ex fratre recusent ducere Margaritam in vxorem, & quod ex descendentibus Ioannis Baptistæ aliqui habeant vxorem, cæteri verò sint impuberes, & sic nullus adsit ex nominatis à causidico cum quo Margarita de præsenti nubere possit.

Et cum ipsa modò sit ætatis annorum 17. & velit matrimonium contrahere, petiit in signatura gratiæ facultatem nubendi alteri sibi viso absque incursu supradictæ priuationis hæreditatis, de qua in testamento. Sanctissimus mandauit quod hæc materia discuteretur in Rota, quæ præsuppositis dictis recusationibus & impedimentis censuit Margaritam posse liberè cum alio contrahere.

3 Et mouebantur Domini ex eo quòd licèt spe lucri quis ad certas honestatis nuptias inuitari possit, hæc tamen conditio institutioni adiecta non est simplex de nubendo in familia Comulorum, vel cum certo genere personarum quæ à iure admittuntur, quando cum illis mulier honestè nubere potest. *l. cum ita legatum. §. videamus. ff. de cond. & demonst.* Oldr. *cons.* 16. *numer.* 5. Castr. *in l. cum tale. §. si arbitratu in 6. limitat. ff. de condit. & demonstr.* Mantic. *lib.* 11. *de coniectur. vltimar. volunt. tit.* 18. *numer.* 1. sed est restricta ad personam nominandam à causidico, & sic arbitratu ipsius, quæ vti impeditiua matrimonij est, à iure improbata & ab hæreditate seu legato reiicitur. *l. turpia. §. 1. vbi gl. vers. deberi. ff. de legat. 1. l. filiæ, & l. cum tale. §. arbitratu. ff. de cond. & demonstr.* & tradunt omnes communiter in præcitatis iuribus. Bart. *in l. 1. num. 2. ff. de his quæ pœn. nom.* Guglielm. de Benedict *in cap. Raynutius. in verbo qui cum alia, nu.* 88. *de testam.* Natt. *cons.* 355. *lib.* 2. Mantic. *dicto tit.* 18. *num.* 8. & tenuit Rota in causa Romana bonorum de Ceulis anno 1584. quidquid aliàs dicendum sit in donatione inter viuos, vt sæpiùs decisum fuit.

4 Et hæc procedere etiamsi institutio, vel legatum contineat lucrum, vt patet ex dictis iuribus, & post alios tradit Castren. *in d. §. si arbitratu, in vlt. ampliatione sub num.* 12. & Vasq. *controuers. illustr. lib.* 2. *c.* 94. *& seq.* & non refert, an hæc conditio apponatur ab ascendente, vel à transuersali, quia in hac re nulla est differentia inter patrem & alium testatorem, vt not. Alex. *in d. l. turpia num.* 8. *in fin.* & ibi Ias. *num.* 5. *ff. de legat.* 2. Castr. *in d. vlt. ampliatione num.* 14. qui reprehendunt Bald *in d. l.* 1. *in fin. C. de nuptiis,* dicentem hanc conditionem appositam à patre valere, & esse obseruandam à filia, quæ aliàs amittit hæreditatem, seu legatum sibi sub hac conditione relictum, quia hoc est contra textum *in d. l. filiæ.* vbi gloss. Bart. & alij *ff. de cond. & demonstr.*

5 Quod etiam considerat Natt. *d. cons.* 355. *in fin.* & facit quòd dicta iura *in d. l. turpia, & d. §. si arbitratu,* simpliciter loquuntur, & habent locum tam in ascendente, quàm in transuersali, in quibus pariter militat ratio libertatis matrimonij, cuius fauore hæc conditio reiicitur, ad *c. gemma. de sponsal. l. Titia. ff. de verb. obl.* & not. omnes *in d. l. turpia, & in d. §. si arbitratu.* Ang. Aret. *in tract. de testam. gloss.* 66. *num.* 2. Castr. *in dicta ampliat. vlt. num.* 2. Vasq. *d. lib.* 2. *c.* 94. *num.* 14. Per hanc enim conditionem matrimonium, quod debet esse in libera voluntate, committitur arbitrio alterius, qui non arbitrando, vel iniquè arbitrando, posset illud impedire. Castr. *in d. l. turpia §.* 1. *num.* 2. Corn. *cons.* 105. *num.* 25. *& seq. lib.* 2. Aym. *cons.* 1. *sub num.* 5. *verbo similiter.*

6 Præterea etiam admissa hac conditione, dicebant Domini illam satis haberi pro impleta, quia ex nominatis à causidico eius nepotes ex filio, & Iulius Cæsar nepos ex fratre recusant nubere cum Margarita, & sic per eam non stat quominus nubat. *l. vter ex fratrib. ff. de condition. institut. l. in testamento la* 2. *ff. de condition. & demonstration. l. si post diem. §. sed & si ita. ff. quando dies legat. ced. l.* 1. *C. de his quæ sub mod. l.* 1. *C. de instit. & substit.* Et generale est quòd conditio mixta habetur pro impleta, quatenus per eum, in cuius persona debet impleri, stat quominus impleatur. *l. in iure ciuili. ff. de reg. iur.* & tradit Cyn. *in d. l.* 1. *C. de inst. & substit. num.* 6. Castr. *num.* 1. Ias. *num.* 3. Dec. *num.* 5. & alij. Socin. *in d. l. in testamento, num.* 2. *& 7 in fin.* cum allegatis.

Quantum autem ad descendentes masculos Ioannis Baptistæ, alij habent vxores, cum quibus conditio impleri non potest. Plot. *inter. cons. ciu. cons.* 15. *num.* 18. *& cons.* 87. Alij verò sunt impuberes, cum quibus propter defectum ætatis Margarita nubere non potest. *c.* 2. *de despons. impub.* & ipsa non tenetur expectare eorum pubertatem, quia testator respexit tempus nubilis ætatis, & iam elapsi sunt plures anni, quod est effecta nubilis, & tamen vltra triennium non cogitur ampliùs expectare. *l. meminimus. § ad filiorum.* vbi Bart. *num.* 1. & Ioan. de Plat. *nu.* 4. *C. quando, & quomodo quarta pars. lib.* 10. Bald. *in l.* 1. *num.* 21. *de inst. & subst. l.* 2. *& l. placet, in fin. ff. de liber. & posth.* Castr. *in l. hæc conditio, num.* 22. *ff. de condit. & demonst.* Ias. *in l.* 2. *num.* 6. *non meminit. C. de instit. & substit.* Castr. *in d. §. si arbitratu, in vlt. ampliatione, num.* 9. Mantica *d. tit.* 18. *num.* 23. 7

Non obstat quod conditio non habeatur pro impleta, vbi datus est substitutus in casum criminum, Dec. post alios *in d. l.* 1. *num.* 5. *in fin. in verbo notandum. C. de inst. & substit.* quia in hoc casu testator non dedit certum substitutum, sed tantùm voluit quod Margarita nubendo alteri personæ quàm nominatæ per causidicum priuaretur hæreditate, qua disponatur prout causidico placuerit, & videbitur, quæ prouisio est contra ius, cùm institutio, & substitutio non possint conferri in alienam voluntatem. *l. illa instit. & l. capturas. ff. de hæredib. instituen.* cum allegatis in causa Bononien. de Salimeis 27. Nouemb. 1585. coram bon. me. Bubalo, & tanquam contra ius non impedit quominus etiam dato certo substituto conditio habeatur pro impleta, vbi stat per eum, in cuius persona est adimplenda, vt declarat Dec. *vbi suprà d. num.* 5. *in fin. & sub num.* 7. *vers. & supradicta.* 8

Nec etiam obstat altera limitatio, quod conditio non habeatur pro impleta vbi testator sensit de vero implemento. Decius *in d. l.* 1. *sub num.* 5. *verbo, & idem est contra, & d. l. in iure ciuili, num.* 3. *ff. de reg. iur.* quia in hoc casu stantibus supradictis, verum implementum haberi non potest. Vltra quòd non constat testatorem sensisse de vero implemento, aliter quàm per appositionem huius conditionis, quæ plerumque intelligitur, dummodo per grauatam non stet quo minus nubat, vt inquit text. *in d. l. alter ex fratrib. §. plerumque. §. de condit. institut.* & notant omnes *in d. l. prima. C. de institut. & substitut.* 9

Et ex his visum fuit Dominis posse indulgeri Margaritæ facultatem nubendi cum alio, vltra nominatos à causidico, verificatis tamen supradictis recusationibus & impedimentis.

R. P. D. PEGNA
DECANO.

Maioricen. ſacriſtiæ. Mercurij 5. Nouembr. 1603.

ARGVMENTVM.

Remiſſoria vt concedatur tam in profanis, quàm in beneficialibus, quæ requirantur: & quando Epiſcopus ſolus ſine Capitulo poſſit conferre beneficia: quomodo cenſeatur probata quaſi poſſeſſio conferendi beneficia ad fauorem Epiſcopi, ſiue Capitulo.

SVMMARIVM.

Remiſſoria conceditur in cauſis profanis in quacunque inſtantia, & etiam ſine fumo, quando materia eſt releuans, & maximè lite cœpta in Curia, & commiſſa cauſa appellatione remota, num. 1. & 2. vbi amplius quòd ſufficit vnum articulum eſſe releuantem.

Epiſcopus ſolus ſine Capitulo non poteſt conferre beneficia, probata ſimultanea quaſi poſſeſſione conferendi, num. 2.

Procurator ſine mandato admittitur pro defenſione Eccleſiæ negligente Capitulo, num. 3.

Remiſſoria concedi ſolet abſque legitimatione perſonarum, ibid. in fine.

Remiſſoria in beneficialibus vt concedatur quæ requirantur, num. 4.

Beneficiorum collatio de iure communi ſpectat ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, ibid.

Quaſi poſſeſſio conferendi beneficia ad fauorem Epiſcopi ſine Capitulo nunquid Epiſcopo ſuffragetur, num. 6.

Fama vna tollitur per probationem contrariæ famæ, ibid.

Prouiſus præſumitur poſſidere beneficium in vim tituli Apoſtolici validi, & ſic præſumitur effectuatio, nu. 7.

Quaſi poſſeſſio conferendi beneficia ad fauorem Epiſcopi ſine Capitulo, non ſuffragatur ipſi Epiſcopo probata ex actibus nullis & non effectuatis, num. 8.

DECISIO XXXVI.

1 FVit reſolutum pro remiſſoria. quantum enim ad Canonicos qui venerunt ad cauſam, lis inter ipſos, & Capitulum non eſt ſuper titulo beneficij, ſed ſuper pertinentia collationis dignitatum Eccleſiæ Maioricen. & ſic cauſa eſt profana, in qua ne probationes coanguſtentur, remiſſoria in quacunque inſtantia etiam ſine fumo conceditur quando eſt reuelans, maximè quòd lis eſt cœpta in Curia, & eſt commiſſa appellatione remota.

2 De releuantia conſtat, quia agitur de probanda pertinentia ſimultaneæ collationis ad Epiſcopum, & Capitulum, & de publica voce, & fama quòd collatiò ad vtrumque pertineat, & probata hac ſimultanea Epiſcopus non poterit ſolus conferre vt prætendit. *cap. cùm Eccleſia Vulterana*, cum ibi not. *de elect.* Caſſad. *deciſ. 22. de præbend.* & ex ſtylo Dominorum ſufficit quod vnus articulus ſit releuans, vt cæteri admittantur. Caſſad. *deciſ. 5. in fin. de ſequeſt. poſſ. & fruct.*

3 Non obſtat quod iſti Canonici non habent mandatum à Capitulo, quia ſufficit quòd fuerunt admiſſi ad cauſam pro defenſione iurium Eccleſiæ, negligente Capitulo. Felin. *in cap. cùm olim num. 2. cum ſeq. de teſti.* & non eſt illis deneganda facultas probationis negligentiæ & iuris Capituli, etiam per viam remiſſoriæ, quæ ſolet concedi etiam abſque legitimatione perſonarum.

Quantum verò ad Hieronymũ licèt inter ipſum, & Ioannem lis ſit ſuper titulo ſacriſtiæ, & cauſa ſit beneficialis, concurrunt tamen in hoc caſu omnia requiſita ad concedendam remiſſoriam in cauſa beneficiali; de quibus per Ant. Auguſt. *in tit. de remiſſoria.* nam cauſa eſt commiſſa, appellatione remota, & ſic vnica ſententia eſt terminanda. Caputaq. *deciſ. 57. num. 1. part. 3.* eſt appoſitum ſequeſtrum. Ioann. Paul. *deciſ. 118.* & adeſt ſufficiens fumus ex teſtibus examinatis in Curia, qui deponunt de ſimultanea Epiſcopi & Capituli de vſu ſtatuti, quòd dignitates non conferantur niſi Canonicis, & ad hunc effectum ſufficeret vnicus teſtis. Caſſad. *deciſ. 3. num. 2. de dilat.* maximè quod adiuuatur ex diſpoſitione iuris, quòd coniunctim tribuit Epiſcopo, & Capitulo collationem dignitatum in Eccleſia Cathedrali. Caſſad. *d. deciſ. 22. de præbend.* & ſtatutum præſumitur vſu receptum quando eſt redactum in volumine ſtatutorum. Dec. *conſ. 649. num. 9.* Gozad. *conſ. 16. num. 16.* Thom. de Than. *deciſ. 25.* 4

Materiæ quoque ſunt releuantes, quia, vt dictum eſt, tendunt ad probandum, pertinentiam collationis dignitatum Eccleſiæ ſpectare ad Epiſcopum & Capitulum ſimul, necnon publicam vocem & famam, quòd collatio ad vtrumque pertineat, & ita ceſſaret alternatiua, quæ ſequitur de beneficiis ſpectantibus ad liberam diſpoſitionem Epiſcopi, & conſequenter eſſet collatio ſacriſtiæ facta Ioanni ab Ordinario in menſe Auguſti, qui ceſſante alternatiua eſt reſeruatus. 5

Non obſtat quod incidenter agatur de pertinentia collationis, & pro validitate prouiſionis ordinarij ſufficit publica vox & fama, & quaſi poſſeſſio, vt fuit in hac cauſa reſolutum, quia quantum ad publicam vocem, & famam articulatur fama contraria, & illa poteſt probari. Bart. *in l. is poteſt num. 23.* Aret. *col. pen. poſt princ.* & alij. *ff. de acquir. hæred.* Dec. *in c. 1. col. pen ſub nu. 20. verſ. 5. de appell.* & vulgare eſt quod probatio probationem excludit. Ægid. *deciſ. 566. & 625.* Put. *deciſ. 34. num. 4. lib. 1.* 6

Quantum verò ad quaſi poſſeſſionem, pro qua Ioannes dedit duas prouiſiones factas à ſolo Epiſcopo de præcentoria huius Eccleſiæ, aliàs fuit dictum quod prouiſi ab Epiſcopo obtinuerunt nouas prouiſiones à Sede Apoſtolica, & licèt in deciſione fuerit replicatum quod non ideo tollunt effectum prouiſionis Ordinarij, niſi aliter conſtet de non iure illorum, ex Achil. *deciſ. 1. num. 4. de conceſſ. præb.* hodie tamen ad oſtendendum non ius prouiſorum ab Epiſcopo articulatur quòd collatio eſt ſimultanea Epiſcopi, & Capituli, & ſic prouiſiones ſolius Epiſcopi fuerunt nullæ. quo fit, vt prouiſi cenſeantur poſſediſſe in vim tituli Apoſtolici validi, & ſic ceſſet effectuatio dictarum prouiſionum. Aym. *conſ. 322. num. 3. ver. rurſus.* 7

Non obſtat quod aliàs dicebatur nouas prouiſiones fuiſſe obtentas ob alios defectus. quia ex quocumque capite prouiſiones Ordinarij fuerunt nullæ, non poteſt ex eis dici acquiſita Ordinario quaſi poſſeſſio conferendi ſine Capitulo, quæ ex actibus nullis, & non effectuatis non acquiritur, iuxt. Cald. *conſ. 12. de iure patron.* cum vulg. 8

REVE-

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Vrgellen. Parochialis. Lunæ 17. Nouembr. 1603.

ARGVMENTVM.

Parochialis Ecclesiæ vnio nunquid probetur per antiquissimas Episcoporum concessiones, & alio modo.

SVMMARIVM.

Parochialis Ecclesia quòd sit alteri vnita, probatur ex pluribus concessionibus antiquissimis diuersorum Episcoporum, num. 1. & seqq.

Regulares habentes curam alicuius parochialis Ecclesiæ debent viuere ex redditibus eiusdem Ecclesiæ, nu. 4. in fine.

Congrua assignanda est per Episcopum Vicario parochialis Ecclesiæ, vnde possit ex redditibus eiusdem Ecclesiæ iura Episcopalia persoluere, hospitalitatem tenere, & alia onera eidem incumbentia supportare, nu. 5.

Enunciatiuæ iunctis antiquissimis concessionibus probant Ecclesiæ vnionem, num. 6.

Parochialis Ecclesia nunquid alteri Ecclesiæ vnita censeatur ex eo quòd in illa deputatur Vicarius perpetuus, & non amouibilis, num. 8.

Vicarij quandoque nominantur Rectores, num. 9.

Census a Rectore parochialis Ecclesiæ solutus significat potius subiectionem, quàm vnionem, declara, vt n. 10.

DECISIO XXXVII.

1 FVit conclusum Ecclesiam parochialem S. Petri de Osseja spectare ad Præposituram de Lilleto ex pluribus cōcessionibus antiquissimis diuersorum Episcoporum Vrgellen. cum clausulis amplissimis, quæ important annexionem, & eius omnimodam translationem in Præpositura. *c. consult.* cum ibi not. *de donat.* Abb. *in cap. pastoralis nu. 8. eod. tit.* & faciunt deducta in causa Pampilonen. parochialis de Stella 14. Decemb. 1598. coram D. meo Seraphino, & 24. Februarij 1600. coram me.

2 Adest enim in primis concessio cuiusdem Petri tunc Episcopi Vrgellen. qui de anno 1214. recognouit hanc parochialem esse suffraganeam Ecclesiæ de Lilleto, & ei ac suis Præpositis illam concessit in suffraganeam cum vniuersis eius honoribus, præeminentiis, decimis, oblationibus, primitiis, & iuribus ad eam aliquo modo spectantibus, & etiam cum omnibus iuribus specialibus, excepta solita Synodo. Ita quod eam liberè possideat, absque eo quod Episcopi Vrgellen. pro tempore aliud præter Synodum prætendere possint.

3 Et ista concessio fuit postea confirmata ab eodem Petro, qui in consecratione Ecclesiæ de Osseja facta ad instantiam Præpositi de ann. 1219. declarauit eam debere esse submissam Ecclesiæ de Lilleto, cui illam per se & suos successores concessit cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis, & hanc concessionem de anno 1252. approbauit etiam Archiepiscopus Tarraconen. Metropolitan. qui præuia insertione d. consecrationis, & concessionis, vti Metropolitanus illam laudauit & confirmauit.

4 Hoc idem etiam fecit alius Episcopus Vrgellen. de ann. 1272. qui & ipse fassus fuit parochialem de Osseja cum omnibus suis iuribus pertinere ad Ecclesiam de Lilleto & eius Præpositum, & ampliùs Petri prædecessoris sui Præpositum prosequendo, ex certa scientia approbauit concessiones factas per Petrum, & de nouo concessit Præposito tunc existenti, & suis successoribus, quòd perpetuò habeant, & teneant ad manus suas, & mensam suam præfatam Ecclesiam de Osseja cum omnibus suis iuribus vti suffraganeam & vnitam, cum decreto quod Præpositi pro tempore in Ecclesia prædicta instituant Vicarium temporalem, siue perpetuum, prout maluerint, & eis meliùs expedire videbitur. Quem tamen teneantur Episcopo præsentare, vt ab eo recipiat curam animarum, & cum assignatione pensionis ex redditibus Ecclesiæ, vt commodè valeat sustentari, prout fieri solet in Ecclesiis curatis spectantibus ad Regulares *cap. cùm & plantare. §. in Ecclesiis. de priuil. cap. de monachis. de præb.*

Accedit prædictis confirmatio Raymundi alterius Episcopi Vrgellen. qui de anno 1325. asserit ex 5
concessionibus antiquis suorum antecessorum sibi constare Ecclesiam de Osseja fuisse donatam, & pleno iure concessam Ecclesiæ de Lilleto, & eius Præposito, & confirmat, & laudat has concessiones, mandans quod Præpositus præsentet Vicarium perpetuum ad istam Ecclesiam instituendam per Episcopum, cum assignatione congruæ portionis ex redditibus Ecclesiæ vnde possit iura Episcopalia persoluere, hospitalitatem tenere, & alia onera eidem incumbentia supportare, iux. *d. cap. de monachis*, cum ibi not.

Concurrit cum omnibus supradictis receptio facta ab Honorio sub sua, & Sedis Apostolicæ protectione de Præpositura Lilleti, cum omnibus bonis suis, quæ tunc possidebat, & in specie cum Ecclesia de Osseja, & hæc enunciatiua, iunctis aliis supradictis antiquissimis, multum facit in probanda vnione. Put. *decis. 208. lib. 2.* Caputaq. *decis. 344. num. 2. p. 3.* cum alleg. coram bon. mem. Bubalo 22. Iunij 1588. in causa Tirasonen. iuris præsentandi, & sæpiùs fuit decisum in aliis causis. 6

Non obstat quòd dicitur istas concessiones non habuisse effectum, cùm occurrente vacatione Præpositi non deputauerint Vicarios, sed solum præsentarunt Episcopis à quibus fuerunt instituti, quia immò istæ præsentationes probant effectuationem concessionum, cùm in illa anni 1272. & alia 1325. expressè dicatur quod Præpositi præsentent Vicarios Episcopo ab eo instituendos, quod ostēdit istas præsentationes non fuisse factas vigore iurispatronatus, sed potiùs prouenisse de iure communi ratione vnionis, seu annexionis parochialis de Osseja ad Præposituram de Lilleto, quæ tunc erat regularis. *cap. de monachis, de præb. c. 1.* vbi gl. *in verb. præsentatur*, & ibi not. omnes, *de capell. monach. in 6.* & fuit resolutum in dicta causa Tirasonen. 23. Maij 1588. & tanto magis quòd parochialis de Osseja non est exempta, quo casu institutio pertinet ad solum Episcodum, iuxta not. *in cap. cùm & plantare. §. in Ecclesiis.* vbi Abb. *num. 2.* & Soc. *num. 8. de priuil.* Innoc. *in c. 1. sub n. 8. in verb. examinandi*, & ibi Archid. *ante numerum 1.* Ioan. Andr. *nu. 2. prope fin.* Gemin. *in §. illum n. 4.* & Franch. *num. 4. de verb. signif. in 6.* Abb. *in c. de monachis n. 9. de præb.* & tenuit Rota in d. causa Pampilonen. de Stella 28. Febr. 1600. quidquid dicendum sit quando monachi habent Ecclesias exemptas, vel ex concessione Sedis Apostolicæ, vt loquitur Franc. *in c. 1. sub num. 3. & seq. de capell. monach.* quod 7

etiam fuit ponderatum in vna Parmen. Prioratus 31. Ianuarij 1596. coram me.

8 Non obstat quod in parochiali fuerint semper deputati Vicarij perpetui, & nunquam amouabiles, quia non ideo minus dicitur esse de mensa. Bonifac. Vitalin. *in clem. vnic. num.* 35. *& 84. de excess. prælat.* maximè quod in supradictis concessionibus datur facultas Præposito præsentandi Vicarium temporalem, seu perpetuum, prout maluerit, & ei meliùs expedire videbitur.

9 Non obstat quòd præsentationes sint factæ de Rectoribus, non autem de Vicariis, quia ista sunt synonyma, & sæpe vnum pro alio ponitur, & non est nouum quod Vicarij aliquando Rectores nominentur, & est contra gloss. *in clem.* 1. §. *nonnulli quoque, in verb. Rectoribus,* & ibi Bonifac. *sub num.* 35. *de excess. prælat.* gloss. *in c.* 1. *in verb. subiectæ. de verb. signif. in* 6. Bonif. *in clem. dudum.* §. *cæteri num.* 4. *de sepult. & in clem.* 1. *num.* 113. *de decim.* Rebuff. *de concord. nu.* 112. & fuit aliàs resolutum in vna Cæsaraugustana fructuum 31. Maij 1596. coram me.

10 Non obstat quod Præposito soluatur census à Rectore, quod arguit potius subiectionem, quàm vnionem, iuxta deducta in causa Taruisina S. Theonisti coram Domino Ludouisio 27. Nouemb. 1602. quia est verum in dubio, sed in hoc casu ex concessionibus Episcoporum Vrgellen. manifestè constat de vnione, & annexione huius Ecclesiæ ad Præposituram; & in claris non est opus coniecturis, potuit enim Præpositus qui tenebatur Vicario dare congruam portionem de reditibus parochialis, iuxt. *cap. de monachis, de præb.* ei assignare certam portionem, & reliquos fructus sibi reseruare, vel omnes fructus Rectori dimittere, & sibi certum quid retinere. Gloss. quæ æquiparat istos casus, *in cap. auaritiæ, in verb. redditus. & in cap. de monachis, in fin. de præbend.*

11 Quæ circa mutationem status huius parochialis & validitatem impetrationis Raphaëlis ab informantibus deducuntur, Domini reseruarunt particulariter videndum.

ILL. ET REVER. D. CARD. BONONIEN.

Bononien. apothecarum. Lunæ 24. Nouemb. 1603.

DECISIO XXXVIII.

Inter eius impressas est decisio 130. duplicata est supra decisio 64. par. 1. recent. & triplicata est pariter supra decis. 98. par. 2. recent. & hic quadruplicata erat.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO.

Romana emphyteusis. Veneris 28. Nouemb. 1603.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis quando dicatur hereditaria, & quando in ea succedant fœminæ in defectu masculorum.

SVMMARIVM.

Emphyteusis simpliciter facta ad tertiam generationem non dicitur hæreditaria, etiam quòd in ea sit facta mentio in nominatione, non autem in vocatione generationis, num. 1.

Emphyteusis secunda inuestitura interpretationem recipit à prima, ibid. ad med.

Prorogatio inuestituræ censetur facta cum iisdem qualitatibus quibus facta est ipsa inuestitura, ibid.

Emphyteusis non dicitur hæreditaria quando in ea non est facta mentio hæredum, sed descendentium, ibid. ad fin.

Emphyteusis accepta ad tertiam generationem masculinam, seu fœmininam, vel ad tertiam nominationem, nunquid censeatur hæreditaria, stante exclusiuo fœminarum propter masculos, & nunquid in ea fœminæ censeantur vocatæ in defectum lineæ masculinæ, num. 2.

Emphyteusin primus acquirens nunquid masculis præiudicare possit, ibid.

Verba contrahentium censentur se conformare cum statuto, ibid. declara, vt num. 4.

Sequentia verba declarant præcedentia, n. 3. in fin.

Suorum appellatione veniunt hæredes, num. 5.

Emphyteusis à patre accepta, & stipulata pro filiis, nunquid accepta censeatur pro filiis vti hæredibus, nu. 8.

Consanguinei dicuntur agnati, num. 10.

Consanguinei secundùm communem loquendi vsum dicuntur omnes sanguine coniuncti quocumque modo, ibidem.

Emphyteotica bona non veniunt in generali dispositione, num. 13.

Filius illegitimus potest patri succedere in emphyteusi non tanquam hæres, num. 11.

Emphyteusis nunquid dicatur hæreditaria, quando in illius inuestitura sit clausula, ad habendum, *nu. 12.*

Emphyteusis non dicitur, sed locatio ad longum tempus, quando pro recognitione domini non datur modica quantitas, num. 13.

Fructus percepti ex melioramentis computantur in refectione melioramentorum, nu. 14. in fine.

DECISIO XXXIX.

Domini vnanimiter perstiterunt in resolutis, scilicet Sulpitiæ, & litis consortibus competere actionem ad recuperationem bonorum de quibus agitur, & illis dandam esse immissionem stante nullitate venditionis factæ per Lampodium Fabritio. Nec obstare exceptionem melioramentorum, cùm Thomasius satis habeat intus quod extra prætenditur. Quòd autem talis actio competat Sulpitiæ, & aliis vltra deducta in alia decisione, hoc euidentiùs apparet, quia prima inuestitura non fuit hæreditaria, cùm fuerit facta simpliciter ad tertiam generationem. Clar. *in* §. *emphyteusis q.* 37. *in fin.* Couar. *var. resol. lib.* 2. *c.* 18. *num.* 4. *vers. quintò deducitur.* & quamuis in ea semel habeatur mentio hæredum; hoc tamen est in nominatione, non in vocatione generationis. Quare cùm ista prima inuestitura non sit hæreditaria, ita dicendum est etiam de secunda, quæ à prima debet interpretationem accipere, vt declarat Ruin. *cons.* 187. *nu.* 1. *lib.* 1. Paris. *cons.* 23. *n.* 64. *lib.* 1. Cephal. *cons.* 369. *num.* 101. *& seqq.* præsertim cùm ista secunda sit prorogatio primæ inuestituræ. quapropter censetur facta cum eisdem qualitatibus. *l. sed & si manente. ff. de precar. l. Labeo la* 2. §. *Hæc autem. ff. de arbitr.* Bart. *in l.* 1. §. *& post operis num.* 5. *vers. sed & si in bannum. ff. de nou. oper. nunc.* Cephal. *d. cons.* 369. *num.* 10. & verba prorogationis sunt satis clara, cùm

cùm Gundisaluus acquirat pro se,& Helena,& successoribus descendentibus quocunque nomine nuncupentur, & quocunque consanguinitatis iure sibi attineant in perpetuum,quare cùm in secunda non sit facta mentio hæredum, sed descendentium, non est hæreditaria. Clar.*in §.emphyteusis.q.16. vers. emphyteusis non est hæreditaria*, vnde cùm iam sit firmatum per duas decisiones constare de legitimatione personæ Sulpitiæ,& litis consortium, necnon de identitate domorum, meritò illis competit actio ad illarum recuperationem.

2 Non obstat quòd in prima inuestitura Gundisaluus acquirit ad tertiam generationem masculinam, seu fœmininam, vel ad tertiam nominationem. Quare stante statuto exclusiuo fœminarum censentur fœminæ vocatæ in defectum lineæ masculinæ, & ideò non potuit primus acquirens præiudicare masculis,& si Sulpitia prætendit non adesse masculos in prima inuestitura vocatos, sibi hoc onus probandi incumbit. Nam per Dominos fuit responsum, quòd quidquid sit de illa quæstione, an primus acquirens possit præiudicare, de qua non est opus tractare in præsenti casu, non est verum in hac facti specie, quòd fœminæ censentur vocatæ in prima inuestitura post masculos. nam tunc eo modo censentur vocatæ, quando non apparet de contraria mente testatoris; quia dictum Doctorum fundatur in eo quòd quilibet censetur se conformare cum statuto patriæ.Brun.*in tract.de stat. exclus.fœm. a.8.q.22.n.1.& seqq.* Anch.*consil.125.nu.5.vers.secundò principaliter moueor.*Decian.*respons.46. n.61.vol.2.& consil.30.n.40.lib.3.*

3 In præsenti verò casu constat de contraria mente Gundisalui, quia Gundisaluus in prima inuestitura non acquisiuit simpliciter ad tertiam generationem, sed ad tertiam generationem masculinam, seu fœmininam.quare stante alternatiua *seu*, erat in electione Gundisalui, quam generationem vellet. *cap.in alternatiuis.de reg.iur.in 6.§.pen. Inst.de hæred. instit.*Bart.*in l.si is,qui ducenta.§.vtrum n.1. & seqq.ff. de rebus dubiis*,cum aliis. quod etiam ex eo apparet, quia in prorogatione primò nominauit Elnora filias,& eius descendentes,& postea filios masculos; quare satis constat ipsum non habuisse animum in prima inuestitura vocandi fœminas post masculos, cùm sequentia declarent præcedentia.*l.sed Iulianus. §.interdum,& §.proinde ff.ad Maced.*Aym.*consil.226. n.6.*Surd.*366.n.14.lib.3.*

4 Cùm igitur constet de contraria mente Gundisalui, non est locus conclusioni quòd voluerit se conformare cum dispositione statuti. Soc.iun. *cons. 71.num.42.vers.demum,& 4.lib.1.* Illustr.Mantica *de coniect.vlt.volunt.lib.6. tit.7. num. 14.* stante maximè quòd ab ista præsumptione facile receditur. Corn. *cons.91.n.1.vers.tamen de facili vol.1.& cons.202. n.9. prope fin.volum.3.*Aym.*cons.250.num.2.* Decian.*consil. 60.numer.28.& seq.vol.3.* & sequuta est Rota in causa montis Falisci 24. Februarij 1584. & coram me in hac causa.

5 Non obstat quòd in prorogatione emphyteusis, est acquisita pro Gundisaluo Elnora, ac suis successoribus descendentibus,& nomine suorum veniunt hæredes, cùm hæredes dicantur de iure ciuili,successores verò de iure prætorio. Alex.*cons.44. num.1. & 4.lib.1.*Paris.*consil.46.num.10.lib.4.*Siluan.*cons.30. num.10.& 11.* cum aliis, eóque magis, cùm in dubio pater censeatur stipulari pro filiis vti hæredibus.Surd. post alios *decis.322.numer.32.& seq.* Quia Doctores prædicti loquuntur in emphyteusi acquisita pro hæredibus, & successoribus, & in aliis terminis,in quibus nos non versamur. nam in hoc casu dicitur pro successoribus descendẽtibus, quòd verbum *descendentibus*,sine copula *&*,qualificat verbum *successoribus*, & illud restringit, ita vt non possit intelligi nisi de successoribus sanguinis, nec est nouum in iure quòd verbum *successor* accipiatur aliquando pro successore sanguinis. *l. cùm acutissimi, in l.fin.*vbi Bald.*in 2.notab.*Ias.*n.1.C.de fideic.*Soc.sen. *cons.249.nu.15.& 16.lib.2.*

Nec subsistit quòd ex quo non est posita copula *&*,inter verba *successoribus descendentibus*, magis videtur dicendum fuisse intellectum de hæredibus,vt per Pinell.*in l.1.part.3.nu.90.C.de bon.materni.* Quia ratio Pinelli optimè facit pro decisione, licèt loquatur in aliis terminis, scilicet quando stipulatio fit pro liberis hæredibus sine copula *&*, sic verbum *hæredes* qualificat, & restringit vocationem liberorum. Ita in præsenti casu cum stipulatio sit facta pro successoribus descendentibus, illud verbum *descendentibus* qualificat,& restringit verbum *successoribus*,vt dictum fuit. 6

Et cessat omnis difficultas,quia prima inuestitura est pro descendentibus. quare ita debet intelligi etiam prorogatio, vt dictum fuit.

Secundò,quia in aliis partibus vocantur descendentes simpliciter,absque alio verbo *successoribus*,& quamuis sit posita dictio *vt suprà*, tamen est posita ad repetitionem descendentium, & habentium interesse, non vt repetat illam qualitatem successorum. 7

Tertiò, quia fit concessio pro descendentibus quocumque nomine nuncupentur, & quocunque consanguinitatis iure attineant in futurum, & ista verba repugnant emphyteusi hæreditariæ, vel mixtæ: quia si non essent vocati nisi hæredes,ita stipulatio *quocunque nomine*,&c. & *quocumq; consanguinitatis iure*, &c. esset inutilis,quia non posset habere effectum nisi essent etiam instituti hæredes.

Nec refragatur quòd in dubio pater censeatur stipulari pro filiis vti hæredibus, quia quidquid sit in aliis contractibus, secus est in emphyteusi quando non est facta mentio hæredum, ex communi opinione Doctorum, Clari *in §. emphyteusis, quæst. 37. in principio.* Caputaq. *decis.113. part.1. in manuscript.* Cor.*decis.355.* 8

Nec est verum quòd fœminæ non possint succedere in hac emphyteusi. nam respuitur quòd vocantur descendentes, quorum appellatione veniunt ex proprietate sermonis etiam fœminæ.Alex *consil. 160.num.2.vers.sed his non obstantibus lib.2.* Dec.*cons. 413.num.11.lib.2.*Paris.*cons.72.n.6.lib.4.*nec si fuit habita ratio agnationis,cùm vocetur Elnora fœmina, nec militat ratio statuti,vt latè fuit deductum etiam in alia decisione. 9

Minus resistit quòd vocentur consanguinei, qui agnati dicuntur. *l.1.§.fin.cum l.seq. ff.de suis & legit. hæredibus. §. 1. Inst.de leg.agnat.success.* quia vocantur descendentes, vt dictum fuit, & subditur, quocumque nomine nuncupentur, & quocumque consanguinitatis iure sibi attineant. ex quibus constat Gundisaluum non se restrinxisse ad agnationem, eóque magis, quia secundùm communem vsum loquendi appellantur consanguinei quocunque modo sanguine coniuncti.Bart.*in l.cùm quidam. §.1. n. 1.vers.sciendum est.ff.de acqu.hæred.* 10

Minùs subsistit quòd Elnora fuit prima acqui- 11

rens, vt deducitur ex eo, quia cùm esset illegitima, non poterat succedere vti hæres patris, & ideò debet censeri noua acquirens. Afflict. *dec.* 99. quapropter cùm in testamento exclusę sint fœminæ, meritò debent succedere tantùm masculi, stante maximè clausula, *ad habendum*, &c posita in prorogatione.

Nam respondetur quòd huiusmodi emphyteusis non est hæreditaria, & ideo in generali dispositione non veniunt bona emphyteotica, vt latè in alia decisione. vltra quòd illegitimus potest patri succedere, licèt non tanquam hæres in emphyteusi. Bald. *in l.* 2. *n.* 7. & ibi Ias. *n.* 122. *C. de iure emph.* & sic quamuis patris stipulatio facta pro filio illegitimo sonet in nouam dationem, non tamen inde est, quòd iste, cuius fauore fit stipulatio, sit primus acquirens, quia inter emphyteotam, & eius filium pro quo stipulatur, oritur tacita donatio, & ideò succedit patri, licèt non tanquam hæres, vt declarat Bald. *in auth. si quas ruinas, n.* 8. *vers. secunda ratio est. C. de sacr. Eccles.* D. Aldrob. *cons.* 6. *num.* 6.

12 Nec clausula *ad habendum*, &c. afficit quòd Elnora potuit disponere in præiudicium vocatorum, quia cùm huiusmodi clausula sit posita in parte executiua, non ampliat, neque imminuit naturam emphyteusis Dec. *consil.* 500. *n.* 8. *vers. & ideo.* Pedem. *decis.* 164. *num.* 2. Vincent. de Franch. *decis.* 6. *numer.* 7. Cordub. *de caus. propriet. ob alien. limit.* 3. *numero* 8. Honded. *cons.* 53. *num* 11. *volum.* 1. Vltra quòd istæ clausulæ, vt patet ex lectura, expresse sunt appositæ ad fauorem vocatorum.

13 Minus etiam obstat dum dicitur quòd hæc fuit locatio ad longum tempus, stante magna quantitate recognitionis, nempe ducatorum 90. cùm tunc dicatur emphyteusis, cùm pro re in recognitionem dominij quantitas modica soluitur. Ruin. *cons.* 167. *num.* 21. *& seqq. lib.* 1. Roland. *consil.* 96. *num.* 15. *& seq. vol.* 1. & tenuit Rota coram R. D. meo Patriarcha Alexandrino in causa Romana Casalium 6. Nouembr. 1576. & ideò illi debent censeri vocati, qui sunt filij & hæredes.

Nam fuit responsum quòd quicquid sit de hac quæstione, & an huiusmodi contractus fuerit locationis, vel emphyteusis, satis est quòd sint vocati descendentes, quorum appellatione veniunt etiam fœminæ, & quòd nulla sit facta mentio hæredum per Sulpitiam.

Prædictis stantibus, d. Sulpitiæ, & litis consortibus danda est immissio, quoniam iam fuit firmatum coram me alienationem factam per Lampodium in Fabritium fuisse nullam, ita vt ab ipso Lampodio ius non sit abdicatum in præiudicium Sulpitiæ, & aliorum.

14 Nec officit, quòd prætendantur melioramenta, quia Troilus, qui illa fecit, cessit ius suum Sulpitiæ, & litis consortibus pro summa scutorum 170. & eis debentur fructus, & pensiones domus, & apothecarum à die motæ litis, & ante motam litem canones decursi, & non soluti, quæ omnia longè excedunt valorem omnium prætensorum melioramentorum, & cum illis veniunt computanda, vt per Put. *decis.* 276. *lib.* 3. & fuit pluries resolutum.

ILLVSTR. D. CARDINALI LANCELLOTTO.

Valentina decimarum. Veneris 28. *Nouembris* 1603.

ARGVMENTVM.

Priuilegiorum communicatio, seu concessio non trahitur ad priuilegia, quæ non nisi cum magna difficultate concedi solent, & in quibus agitur de præiudicio tertij, prout est priuilegium emptionis decimarum, & quid si in gratia adest clausula, *quorum tenores.*

SVMMARIVM.

Priuilegiorum communicatio operatur idem ac si eadem priuilegia specificè concessa fuissent, num. 1.

Priuilegiorum communicatio non trahitur ad ea, quæ cum magna difficultate conceduntur, & in quibus agitur de præiudicio tertij, ibid.

Exemptio solutionis decimarum lædit ius tertij, & ideo ad eam non extenditur priuilegiorum communicatio, num. 2.

Exemptio solutionis decimarum non solet concedi nisi cum magna difficultate & causæ cognitione, ibid.

Papa sub inuolucro verborum non præsumitur voluisse tertio præiudicare, ibid. in fine.

Priuilegia non sunt amplianda, sed strictè interpretanda vbi agitur de præiudicio tertij, num. 3.

Conciliari dispositioni non censetur derogatum, nisi hoc fuerit specificè dictum, ibid.

Papa non præsumitur voluisse communicare priuilegia de quibus scientiam non habebat sine causæ cognitione numero 4.

Clausula in concessione priuilegiorum, quatenus non sunt contraria decretis sacri Concilij Tridentini, & Regalibus institutis, quid operetur, ibid.

Priuilegiorum concessio, seu communicatio cum clausula, quatenus licita & honesta sint, *quid operetur, ibid.*

Priuilegiorum communicatio non trahitur ad ea de quibus specialis mentio facienda est, numer. 5.

Clausula, quorum tenores, *in communicatione priuilegiorum apposita operatur, ac si totus priuilegiorum tenor fuisset expressus, num.* 6. *declara vt num.* 7. *& seqq.*

Papa non dicitur ex certa scientia priuilegia concessisse, nisi priuilegia viderit, vel per suos officiales discussa fuerint, num. 9.

DECISIO CXL.

Communicatio priuilegiorum per S. D. N. concessa Ordini S. Hieronymi, quamuis sit cum amplissimis verbis concepta, & licèt rursus similis communicationis ea sit vis, vt illi ad cuius fauorem emanauit tribuat omnia priuilegia, perinde ac si specificè concessa fuissent, vt per Oldrad. *consil.* 300. cum aliis allegatis, & de simili priuilegio exemptionis tradit Paris. *consil.* 22. *numer.* 5. *lib.* 4. Tamen in casu de quo agitur Domini censuerunt communicationem prædictam non comprehendere exemptionem à solutione decimarum, de qua nulla fuit in ea facta mentio. Fundamentum resolutionis fuit, quia huiusmodi communicationes, siue adæquationes non extenduntur ad ea quæ non solent concedi, vel saltem cum magna difficultate conceduntur, & in quibus agitur de præiudicio tertij, iuxta not, per Doct. *in l.* 1. *ff. de leg.* 1. vbi Ias. *nu.* 21. *&*

21.& 22. Socin.iun. *num.* 43. & 49 Rip *num* . Iciat. *num.* 4. Aym. *num.* 103. Ant. de Butr. *conf.* 9. *numer.* 9. Natt. *consil.* 4. *nu.* 6 & sentit Rota in causa Caurien. nullius iurisdictionis 15. Ianuarij 1577. coram bon. me. Cantucio.

2 Huiusmodi autem est exemptio à solutione decimarum, nedum quia læditur ius tertij, cùm præiudicetur illis, qui habent intentionem fundatam de iure commu i, vel aliàs, & in Hispania ferè omnium Ecclesiarum fructus consistant in decimis debitis vigore antiquarum donationum, de quibus sæpe actum fuit in Rota; sed etiam, quia talis exemptio non solet nisi cum magna difficultate, & causæ cognitione concedi. Ioan. Andr. *in cap. dudum. num.* 5. *vers. ratio diuersitatis. de priuileg.* Neque verisimile est Papam sub inuolucro verborum voluisse ita enormiter Ecclesias lædere, prout etiam consideratum fuit in allegata causa Curien.

3 Ad quod eo magis dicendum est tum quia in hac materia exemptionis, in qua cùm tractetur de subtractione iuris alterius, priuilegia non sunt amplianda, sed strictè interpretanda. Oldrad. *conf.* 206. Roman *decis.* 180. *in fin.* Abb *in cap. licet numer.* 2. *de decim.* & fuit dictum in causa Carthaginen. decimarum 10. Iunij 1588. coram Reuerend. Alexandrino, tum quia priuilegia loquuntur tam de bonis emptis, quàm de emendis, contra *cap. nuper. de decim.* quod cùm contineat dispositionem Conciliarem, non tollitur nisi ei fuerit specificè derogatum. *cap. ex parte. de capell. monach.* Oldrad. *consil.* 326. Caputaqu. *decis.* 176. & 278. *part.* 1. & fuit dictum in causa Vlixbonen. decimarum 5. Nouembris 1574. coram Oriolen. & in causa Oriolen decimarum 21. Maij 1586. coram bonor mem. Orano, & aliàs sæpe.

4 Tum etiam, quia Papa non habuit notitiam in specie quòd priuilegia communicata continerent exemptionem à decimis, cùm gratia fuerit concessa sine causæ cognitione, sicut colligitur, ex quo communicantur priuilegia in quibus fuerunt communicata etiam alia priuilegia concedenda, respectu quorum non potuit adhiberi causæ cognitio, cùm de eis Papa notitiam habere non potuerit. Item ex clausula illa quatenus decretis sacri Concilij Trid. & regularibus institutis ipsius Ordinis contraria non existant, quæ non apponitur in gratiis quæ ex certa scientia conceduntur, quia quando Papa habet certam scientiam, & adhibet causæ cognitionem, scit etiam cognoscere, an priuilegia sint contra decreta Concilij & regularia instituta, vt fuit consideratum in causa Burgen. iurisdictionis 5 Ianuarij 1589. coram bon. me. Bubalo, & de simili clausula, *quatenus licita, & honesta*, quòd apponatur confirmationi in forma communi, non autem illi quæ appellatur *ex certa scientia*, fuit dictum in causa Conchen. iurisdictionis 2. Aprilis 1593. coram Illustrissimo Mantica.

5 Non obstat quòd fuerint communicata priuilegia Gregorij XII. & Sixti V. quæ nihil aliud continent quàm exemptionem à decimis, quia mentio istorum priuilegiorum non fuit facta specialiter, & sigillatim, sed in genere vnà cum aliis priuilegiis concessis ab aliis summis Pontificibus, & ideo Pontifex potuit credere quòd aliud continerent quàm exemptionem à decimis. nam in Papa præsumitur ignorantia priuilegiorum, iuxta not. communiter per Doctor. *in cap.* 1. *de constit.*

6 Neque obstat clausula *quorum tenores*, quæ solet operari perinde ac si totus tenor priuilegiorum fuisset de verbo ad verbum insertus, ex cons. Ant. de Butr. 2. quia fuit responsum pluribus modis, & primò quòd operatur, vt censeatur insertus tenor priuilegiorum quę communicantur, eorum tamen ad quæ se extendit excommunicatio, non autem eorum quæ in communicatione absque speciali expressione comprehendi non solent, cùm hæc clausula non alteret dispositionem, sed benè operetur ad excludendam subreptionem, vt fuit resolutum in causa Abulen. iurisdictionis 22. Ianuarij 1588. coram bon. me. Orano.

Secundò ista clausula non operatur quotiescunque, si concedens notitiam habuisset, verisimiliter non concessisset. Put. *decis.* 51. *de praben.* fuit resolutum in causa Romana secretariatus 11. Aprilis 1592. coram R. Alexandrino, prout neque supplet defectum intentionis. Paris. *cons.* 24 *num.* 51 *lib.* 4. & *cons.* 1 *numero* 96. *lib.* 1. & fuit dictum in causa Cauen. pensionis 16. Ianuarij 1571. coram bo. me. Card. Lancellotto. 7

Tertiò talis clausula de sui natura non operatur circa non expressa. Dec. *cons.* 142. *n* 7. non obstat, & dicitur in d. causa Conen. deque in his de quibus non est facta aliqua mentio, ita vt de eis saltem in genere Papa cogitare potuerit. Caputaq. *decis.* 121. *part* 1. & licèt in communicatione adsint verba *exemptiones, immunitates*, &c. Tamen non debent intelligi de exemptionibus à solutione decimarum, sed de aliis quæ solent de facili concedi, vt suprà dictum est. 8

Denique clausula ista non inducit certam scientiam concedentis, nec facit quòd censeatur adhibita causæ cognitio. Ferret. *cons* 38. *num.* 2. & fuit dictum in allegata causa Conchen. iurisdictionis 2. Aprilis 1593. coram Illustrissimo Mantica. Cùm enim non fuerit insertus tenor priuilegiorum, neque effectualiter Papa narratus, gratia non dicitur ex certa scientia, nec concessa cum causæ cognitione, nisi constet Papam vidisse priuilegia, vel per suos officiales fuisse discussa, vt fuit dictum in Caluaten. iurisdictionis 16. Ianuarij 16. coram Domino de Rubeis, & in suprad. cta Romana secretariatus coram R. Alexandrino; sed hîc certa scientia, & causæ cognitio quoad exemptionem à decimis omnino excluditur, ex attestatione duorum Illustrissimorum Cardinalium, ad quorum relationem fuit hæc communicatio per S. D. N. expedita, asserentium non fuisse de ipsorum intentione quòd communicaretur exemptio à decimis, immò ab eis fuisse delatam clausulam etiam respectu decimarum, quæ fuerat in minuta supplicationis apposita; & hîc sublata sunt etiam in contrarium deducta. 9

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana Cottiuij. Mercurij 4. Februarij 1604.

ARGVMENTVM.

Recognitio manus scribentis nunquid concludenter probata censeatur per testes, dicentes illius manum notam habere, licèt non fuerint præsentes scripturæ; de qua agitur; & quid si deponatur per

similitudinem scripturarum, absque eo quòd concurrant requisita in comparatione litterarum.

SVMMARIVM.

Recognitio manus facta censetur per testes, dicentes se habere notam manum scribentis, quia alias viderunt eum scribere, præsertim concurrentibus adminiculis, num.1.

Voluntas hominis deprehenditur etiam ex actu nullo, numero 3.

Enunciatiua verba instrumenti continentia dispositionem inualidam probant inter easdem personas, num. 3. vbi præsertim si fuerint prolata per modum causæ, & circa factum enunciantis.

Sigillum licèt plenè non probet ex quo non apparet, de cuius voluntate fuerit appositum, aliquem tamen probationis gradum facit, num.4.

Recognitio manus facta per testes de similitudine scripturarum deponentes, nunquid dicatur concludenter probata, num.5.

Testes propter affinitatem transuersalem non repelluntur in causa ciuili, num.6.

Recognitio manus nunquid censeatur probata per testes qui non viderunt scribere, n.6. vbi etiam quid si vltra testes concurrunt adminicula.

DECISIO XLI.

1 PRo maiori parte fuit conclusum manum Ascanij Columnæ, de qua in priuilegio donationis, esse sufficienter recognitam, adest enim recognitio Aurelij testis dicentis se habere notam manum, quia aliàs vidit scribere, quod sufficit ex stylo Rotæ. Achill. *decis.* 2. *de fid. instrum.* & fuit dictum in causa Barchinonen. matrimonij coram Robusterio de anno 1575 & aliàs sæpe concurrunt etiam adminicula ex quibus perficitur probatio. Bart. *in l.* 1. §. *ijdem Cornelio ff de quæst.* cum aliis per Decian. *cons.* 17. *n.*12. *lib* 3.

2 Adminicula sunt in primis, instrumentum confectum per eundem Ascanium de anno 1550. & sic post datam priuilegiorum de quibus agitur, in quo quidem instrumento continetur ista eadem donatio, & ibi narrantur merita Sillæ donatarij, & quòd illa donatio fiebat ad firmitatem, & robur priuilegiorum aliàs eidem Sillæ concessorum, ex quo actu duæ resultant validissimæ præsumptiones. Prima est animus Ascanij faciendi similem donationem Sillæ. Altera est quòd quædam priuilegia huius generis fuerant per priùs concessa per eundem Ascanium eidem Sillæ, quæ priuilegia esse ista dicendum est, ex quo de aliis non apparet.

3 Non obstat quòd donatio, de qua in dicto instrumento, prætendatur inualida propter non seruatas solemnitates statuti, quia etiamsi hoc esset, nihilominus ex actu nullo colligitur voluntas disponentis. *l. fin.* & ibi latè Doctor. *ff. de reb. eorum*, & enunciatiuè in instrumento continente dispositionem inualidam probat inter easdem partes, vt fuit resolutum in causa Mediolanen. de scamnis 10. Nouembris proximè elapsi, coram R.P.D meo Ortembergo, & rursus in eadem 23. Ianuarij præsentis anni, maximè quando, vt in hoc casu, enunciatiua stat per modum causæ, & versatur circa factum enunciantis, vt bene fuit ponderatum in dictis decisionibus per doctr. Bart. *in l. gerit n.* 15. *ff. de acquir. hæred.* Alex. *cons.* 46. *n* 2. *lib.* 1. Dec. *consil* 151. *n.*2. Decian. 32. *nu.* 82. cum aliis allegatis.

Secundum adminiculum facit appositio sigilli eiusdem Ascanij, quod fuit firmiter recognitum. licèt enim conclusio patiatur difficultatem respectu plenæ probationis, ex quo non apparet de cuius voluntate fuerit appositum, ex relatis per Gabr. *de præsumpt. conclus.* 4. *num.*12. tamen negari non potest, quin hoc casu faciat aliquem probationis gradum. Couar. *pract. q c.*22 *n.*9. *vers. possit Abbatis opinio.* 4

Tertium adminiculum probant testes recognoscentes manum Ascanij per similitudinem, hoc est, dicentes se illam habere notam tanquam versati in scripturis eiusdem Ascanij. licèt enim non concurrant requisita per Doctores *in l. comparationum. Cod. de fid. instrum.* tamen & ipsi nisi fuerunt in aliquo suffragati, vt fuit dictum in causa Romana de Mazzocchis 9. Martij 1580. coram Cantucio, est inter diuers. impres. 124. *part.*2. 5

Non obstat quòd Aurelius sit auunculus, quia affinitas transuersalis non repellit testem in causa ciuili. Angel. *consil.* 194. *n.*2. Corn. 51. *nu.*9. *vol.*1. Mars. *sing.*133. Paris. qui de communi *cons.* 87. *num.* 16. & 27. *vol.*3. Non obstat quòd isthic donationes sint de illis, in quibus tam ex statuto vrbis antiquo *cap.* 22. *lib.*4. quàm ex nouo *cap.*149. *lib.*1. debent interuenire testes, & propterea non sit attendenda recognitio istius testis, ex quo non vidit scribere ipsasmet scripturas quas recognoscit. Afflict. *decis.* 181. *numer.* 8. cum aliis per Couar. *pract. quæst. cap.*22. *numer.*1. *in fin.* quia sumus extra hanc difficultatem, ex quo concurrunt adminicula, vt fuit tentum in dicta Romana de Mazzocchis coram Cantucio. Præterea disputatio super hoc articulo videtur superflua. nam aut ista priuilegia sunt valida sine testibus, cùm ita soleant communiter fieri à Magnatibus, & non est locus obiecto: aut non sunt valida, de quo suis loco, & tempore, frustrà quæritur, an sint recognita, cùm ex alio futura sint nullius roboris; nempe quia non se subscripserunt testes, &c. 6

R. P. D. PEGNA.

Brundusina gabellæ 13. Februarij 1604.

DECISIO XLII.

Habebitur in tomo 2. decis. eiusdem Auditoris citò imprimendo Lugduni ab Hæredib. Prot, Borde & Arnault.

R. P. D. IVSTO

Anconitana bonorum. Lunæ 16. Februarij 1604.

ARGVMENTVM.

Census quando extinctus dicatur, nec in eo fructus currant post illius disdictam, depositum, & intimationem factam, & quomodo hæc disdicta, depositum & intimatio fieri debeant.

SVMMARIVM.

Procurator, seu tutor ad certum actum deputatus non potest

potest cætera expedire vltra actum ad quem deputatus est, num. 1.

Mater tutrix admittitur ad tutelam sine satisdatione, & aliis solemnitatibus, n. 2. in fine.

Tutor ad certum tempus non datur. declara vt n. 3.

Depositum non dicitur legitimè factum, citato eo qui recipiendi depositum legitimam non habet personam, num. 4.

Notario asserenti nuntium citasse, & schedulam citationis sibi tradidisse, credendum est, nu. 5.

Census disdicta non suffragatur post bimestre à tempore factæ disdictæ, sed opus est noua disdicta, n. 6.

Census redemptionis intimatio quomodo fieri debeat, ibid.

Depositum non integrum deponenti non suffragatur, numero 7.

Census extinguitur per actum verosimilem, ibid.

Depositum conditionale sustinetur, si conditiones sunt intrinsecæ, num. 10.

DECISIO XLIII.

1 Dubium fuit propositum die Lunæ 12. mensis Ianuarij proximè præteriti, informantibus solùm hæredibus bon. memor. Archiepiscopi Theatini, filiis quondam Petri de Leonibus. In quo Domini tunc intellexerunt censum non esse extinctum. Et nihilominus postea auditis informantibus pro Domino Ioanne Baptista Triumpho mandarunt vt iterum causam proponerent cum informationibus vtriusque partis non aliter extensa decisione. Vnde iterum proposui causam hac die 16 Februarij huius anni 1604. & à Dominis contrarium fuit decisum, videlicet constare de extinctione census de quo agitur. Et primò dubitatum fuit circa disdictam census quam informantes pro dictis hæredibus dicebant non esse legitimè executam, quia Franciscus de Alleis, cui fuit facta disdicta, erat constitutus tutor ad certum actum tantùm, vnde non poterat cætera expedire, & consequenter nec etiam citari ad ea expedienda, ad tradita per Afflict. *decis. 256. in fin.* cum aliis adductis, & ita cùm disdicta sit requisita à constitutione Pij V. super forma creandi census, ea deficiente census remanet integer.

2 Quod tamen Domini non probauerunt, quoniam tam ex petitione Lauiniæ matris, & tũc tutricis, ad quam iudex se retulit in decreto, quàm ex acceptatione Francisci apparet quòd constitutio fuit generalis durante excusatione matris, quæ super bonis quondam Petri sui viri volebat sibi satisfieri de suis dotibus, citata persona legitima pro filiis minoribus, & infantibus, & hoc visum fuit magis attendendum quàm illa verba posita in instrumento, *ad supradicta peragenda*, quod etiam obseruantia declarauit, siquidem Franciscus verè gessit se pro tutore, adiuit hæreditatem, confecit inuentarium, obtinuit licentiam à iudice vendendi immobilia pro soluendis debitis, fuit conuentus vti tutor simpliciter, donec sequuto eius obitu, vel alio impedimento Lauinia mater 27. Aprilis 1591. reassumpsit tutelam, & obtinuit à iudice illam sibi decerni, & licèt non satisdederit, & non adimpleuerit solemnia, nihilominus gesta remanent valida, vt fuit sæpe decisum.

3 Neque intrat hoc casu regula quòd his hæredibus habentibus matrem in tutrice, non poterat dari tutor, sed curator, & quòd tutor non datur ad certum tempus, quin immò constitutio tutoris durante excusatione matris est valida, maximè concurrente decreto iudicis. *l. 1.* & ibi gloss. & alij *C. in quib. caus. tut. vel curat. hab.* vbi videatur Cuiac. *in paratitlis*, allegans alias leges. Corn *consil. 7. sub num. 26. lib. 2.* dicens hoc casu quòd durante impedimento matris est locus datiuo, donec mater reassumat tutelam.

Secundò circa oblationem, & depositum factum in vim huiusmodi disdictæ duo opponebantur. 4
Primò, quia non præcessit citatio, & intimatio fuit facta alteri personæ non legitimæ, scilicet cuidam Ioanni Ferrantino, de cuius facultate nec etiam constat, qua mediante potuerit recipere pretium redemptionis census; & sic depositum est nullum. Doctor. *in l. acceptam. C. de vsur.* Alexand. post alios *in l. si mora, n. 6. ff. solut. matr.* Anchar. *cons. 86. num. 3. in fin.* olim d. *cons. 63. num. 31. lib. 1.*

Huic obiectioni responderunt Domini quod 5
immo constat de citatione facta Ferrantino in summario Domini Ioannis Baptistæ *num. 14.* Nec placuit quòd dicebatur de actu citationis non constare, nam Notarius refert citationem nuntij in schedula, quam facto exhibuit, & produxit, & in hoc casu conueniunt nuntius, & Notarius, cui creditur. Cyn. *in l. si quis decurio. C. de fals.* & deinde eidem Ferrantino fuit facta intimatio, cuius persona erat satis legitima, quia erat deputatus à Lauinia matre, postquam reassumpserat onus tutelæ, vt constat publico instrumento exhibito, quæ erat tutrix filiorum, non solùm respectu hæreditatis patrui, sed etiam respectu hæreditatis patris. Et verum videtur quòd vel non sit solùm constitutus procurator ad lites, stantibus clausulis cæteris in mandato, vel satis est quòd huiusmodi restitutio pretij census & depositum fuerit infra annum approbatum ab ipsa Lauinia, vt patet inferiùs, & durante anno à disdicta emptor census potest pecunias recuperare, cuius emptoris vices sustinebat Lauinia mater, & tutrix.

Secundò opponebatur quòd oblatio, & depo- 6
situm factum fuit post bimestre à die disdictæ, quæ fuit facta Francisco sub die 9. Aprilis, & depositum prima Iulij subsequentis, quo casu quicquid dicendum sit de venditione census, qui potest recuperari etiam ab inuito infra annum; tamen emptor census non potest cogere venditorem post bimestre, nisi facta noua disdicta, vt habetur in constitutione Pij V. §. *cum verò*, & facit Ancharan. *consil. 86.* incipit, *Pro faciliori*, *numero 5.* cui motiuo, omissa hac disputatione nouæ disdictæ, Domini satisfecerunt in effectu, quia in hoc casu adest citatio contra Ferrantinum actorem ad lites, quæ habent vim nouæ disdictæ, vt in terminis fuit decisum in vna Romana census 13. Iunij 1582. coram S. D. N. & ibi fuit dictum quòd licèt requiratur disdicta, tamen circa modum disdictam faciendi nulla data est forma, & sufficit quòd talia exprimantur, ex quibus appareat venditorem census redimere velle, & ibi aderat citatio ad recipiendum sortem principalem cum fructibus, & in hoc casu à die citationis quæ fuit 22. Iunij 1591. fuit factum depositum infra bimestre, scilicet prima Iulij subsequentis in contanti penes Nappum à iudice deputatum, & iudex mandauit intimari, & facta fuit intimatio 4. die eiusdem mensis, necnon depositum ex mandato iudicis in vim disdictæ, in qua dicebatur quòd pecuniæ deponan-

tur, & ampliùs fructus non currant, quæ etsi non sint repetita in decreto depositi, sufficit quòd decretum sit factum in executionem disdictæ, & ita habet vim extinctionis census ex actu verisimili secundùm terminos legis *ab emptione. ff. de pact.* vbi Doctor. Rota coram R.P.D. meo Litta in illa Romana Saluiani interdicti 23. Iunij 1600.

7 Neque præmissis obstat dicere, quòd depositum non fuit actuale, quia confessio in deposito numerationem probat, vt in his terminis fuit dictum coram me in Romana census Lunæ 9. Aprilis 1601. Nec etiam quòd non fuerit integrum, & ideo nullius effectus. *l. obsignatione. C. de solut.* Curt. iun. *cons.* 28. *num.* 2. cum aliis allegatis, quia constat de contrario ex alio instrumento extinctionis alterius partis census sub die 12 Februarij 1587.

8 Et demum Domini existimarunt cessare omnes difficultates propositas ex subsequenti ratificatione Lauiniæ matris & tutricis, quia facto prædicto deposito penes Nappum, Lauinia institit pro consignatione pecuniarum depositarum, vt ex ipsis sibi satisfieret de suis dotibus, producendo instrumentum depositi coram Gubernatore Anconæ, licèt non obtinuerit, ea ratione quia pecuniæ depositatæ erant inuestiendæ pro cautione sanctissimæ Domus Lauretanæ, & cùm Ioannes Baptista Archa tam ratione sui crediti dotalis contra hæredes Petri, quàm ratione cuiusdam cessionis habitæ à Camera Apostolica pro prætensis spoliis egisset contra depositarium, seu contra hæredes, vel eorum procuratorem, & obtinuisset mandatum, nihilominus Illustrissimus Protector Domus Lauretanæ curauit quòd ex eisdem pecuniis depositatis in pecunia numerata emeretur census ab Equite Bartholomæo Fanello fratre Lauiniæ, & huius census datur instrumentum publicum celebratum sub die 24. Iulij anni 1593. & quicquid sit de isto censu, approbatus est à Lauinia, quæ recipit fructus, quos recuperauit mediante lite ab Archa, qui exegerat à Fanello, cum cautione de restituendo, & restituit Lauiniæ vti anteriori creditrici pro sua dote, & ipse Fanellus soluit cum intentione repetendi summam solutam vnà cum damnis ab eodem Archa, & fideiussore tanquam creditor quondam Petri Leonis anterior ipso Archa, ita vt si in extinctione census Domini Triumphi adest aliquis defectus, quem non videbant Domini, satis suppletur ex postea gestis per Lauiniam matrem, & tutricem.

9 Nec obstat quòd omnia dicantur à Lauinia gesta vti creditrice suæ dotis, non autem vti tutrice, quia necessariò adest implicita ratificatio, etiam vti à tutrice, cùm agere non potuerit contra istas pecunias vti spectantes ad filios suos hæredes, nisi accedente ratificatione extinctionis census, à qua pecuniæ proueniebant in filios suos, & hæredes quondam Petri patris. Pro qua exactione ita intendebant agentes pro matre, vt interim non curarent pecunias depositatas inuestire, & minores remanere sine fructibus pecuniarum quas habebant pro pecuniis eorundem minorum.

10 Nec faciunt conditiones quibus factum est depositum, scilicet vt pecuniæ inuestirentur, quoniam hoc continebatur in decreto, & erat facienda inuestitura ex pacto, vnde istæ conditiones intrinsecæ non vitiant. Doctor. *in l. acceptam. C. de vsur.*

Ex quibus conclusum fuit constare de valida disdicta, oblatione, & deposito, & de extinctione census Dominorum de Triumphis.

REVERENDISSIMO P.D. DAMASCENO.

Elboren. decimarum. Veneris 20. Maij 1604.

Quasi possessio exigendi decimas probatur per multiplicatas decimarum solutiones, imò per vnicam solutionem, & an hæc decimarum solutio probetur per librum Ecclesiæ cui decimæ soluuntur.

SVMMARIVM.

Quasi possessio exactionis decimarum probatur per multiplicatas solutiones, imò per vnicam solutionem, numero 1.

Liber Ecclesiæ probat pro Ecclesia solutionem decimarum, numero 2.

Decimæ de iure debentur parochiæ existenti infra limites diœcesis, num. 3.

Mandatum de manutenendo non solet concedi extra materiam iurisdictionis ex sola iuris assistentia, numero 4.

Præsumitur facile factum quod de iure fieri debet, ibid.

Manutentio non datur post rem iudicatam, & non pendente lite. declara, vt num. 5.

DECISIO XLIV.

CVm præsupposito quòd partitæ librorum Archiepiscopatus sint legitimè extractæ, resolutum fuit Archiepiscopo & Capitulo dandum esse mandatum de manutenendo, quandoquidem ex dictis libris constat de solutionibus decimarum factis mensæ Episcopali & Capitulari, per quas solutiones nedum multiplicatas & continuatas, prout continetur in dictis libris, sed vnicam acquiritur quasi possessio. Abb. *in cap. Ecclesia Sutrina. numer.* 22. *&* 23. Butr. *numero* 37. Rip. *numer.* 52. *de caus. poss. & prop.* Rota in Gerunden. iurisdictionis 12. Decembris 1588. coram bon. mem. Cardinali Mantica, cuius quasi possessionis vigore coniicitur manutentio. §. *hodie. Instit. de interdict.* cum concordant. 1

Nec videbatur dubitandum quòd prætensis libris sit danda fides, iuxt. not. *in l. censualis. C. de donat. & in cap. ad audientiam, de præscript.* Bald. *in l. fin. num.* 15. *vers. vnde si per libros. C. sine cens. vel reliq. fund.* Felin. *in d. cap. ad audientiam, num.* 15. *vers. casus magis dubius. de præscript.* Dec. *cons.* 146. *num.* 14. *vers.* 4. *ista concl.* concurrentibus maximè dictis testium deponentium de iisdem solutionibus, qui testes etiamsi essent nulliter examinati, vt ex aduerso opponebatur, quod tamen Domini non habuerunt pro absoluto, possunt deseruire pro adminiculo, iux. decis. Seraph. 581. *num.* 1. *cum alleg.* 2

Et tanto magis, quia decimæ de quibus agitur surgunt intra limites Cathedralis quæ est parochia. Vnde ex hoc dicitur habere intentionem fundatam de iure in istis decimis. *cap. fin. de paroch.* & aliis. Bernoc. *cap. cùm contingat, & cap. quoniam à nobis, de decim.* Rot. in Pacen. decimarum de Chebrero 21. Iunij 1604. & 5. Decembris 1605. coram R.P.D. Decano, & in Salamantina decimarum de quadrantio 3

tio 10. Decembris 1606. coram Iusto.

4 Licèt non ex sola iuris assistentia Rota moderna non soleat concedere manutentionem extra materiam iurisdictionis, attamen negari non potest quin manutentio facilius detur habenti assistentiam iuris, quàm aliis, cùm probationes ex hac reddantur verisimiliores, facilè etiam præsumitur esse factum illud quod de iure fieri debet. Cephal.*cons.9.nu.*16. *vol.*1. Crauett.*cons.*179.*num.*11. Castr.*cons.*80.*num.*1. *vers.& ideo sicut.lib.*1. cum aliis alleg. per Mascard. *de probat.concl.*784.*num.*1.

5 Non obstat quòd in proposito casu prætendatur adesse res iudicata, & post rem iudicatam desit iurisdictio pro concedenda manutentione, quia hoc posset procedere si res iudicata fuisset executioni demandata: sed cùm hoc adhuc minimè factum fuerit, lis dicitur durare. Mohed.*decis.*3. *num.*3. durante autem lite durat facultas manutenendi, cùm hoc summarissimum possessoriũ duret quantum durat ipsa lis. Seraph.*decis.*1295.*num.*2.

R.P.D. COCCINO.

Feltren. Præbendæ. Veneris 28. *Maij* 1604.

ARGVMENTVM.

Beneficia in dubio præsumuntur collatiua, & quomodo hoc testibus probetur, beneficiíque resignatio quando effectuata dicatur, & quando beneficium iure familiaritatis possideri dicatur cætera habes in summario.

SVMMARIVM.

*Beneficia omnia in dubio præsumuntur collatiua, n.*1.
Testes duo in omni negotio sufficiunt, ibid.
Testibus pluribus magis creditur quàm paucioribus contrarium deponentibus, ibid.
*Testes de auditu à maioribus, & in antiquis, quia sunt vicini, admittuntur ad probandum beneficium esse collatiuum, num.*2.
*Resignatio beneficij quòd habuerit effectum probatur ex eo quòd vigore dictæ resignationis fuerit alteri collatum, num.*4.*in fine.*
*Possessio beneficij quando dicatur retineri iure familiaritatis potius quàm nomine proprio, nu.*5.
*Præsumptionem habens contra se, si contrarium probare voluerit fortioribus probationibus grauatur, nu.*7.
*Probatio dubia non releuat num.*8.
*Beneficij principalis nomine venit etiam beneficium illi subiectum, num.*8.*in fin.*

DECISIO XLV.

1 Domini resoluerunt beneficium Sanctæ Margaritæ esse liberum, & separatum à Canonicatu. Nam vltra quod habet præsumptionem iuris pro se, quia omnia beneficia præsumuntur collatiua, vt fuit resolutum in causa Parmen. Prioratus 14. Aprilis 1600. coram R.P.D. meo Pegna, & in causa Teruisina sancti Theonisti 27. Nouembris 1602. coram R.P.D. Ludouisio, concurrunt etiam dicta nouem testium deponentium hoc beneficium esse solitum conferri Clerico sæculari in titulum perpetui beneficij, & quòd eius rector curam exercebat. qui testes bene probant, cùm sint plures, & duo sufficerent. *cap. in omni negotio, & cap. licet il* 1. *de testibus. l. vbi numerus. ff. eod. tit.* & tanto magis probant, cùm eorum depositio sit conformis dispositioni iuris communis, quia, vt dictum est, beneficia præsumuntur collatiua. Aret. *cons.*44. *in fine.* Gabr. *de testib. concl.*4. *num.*23.*vers.*6. *infertur*, & ideo etiam ex ista causa, & quia sunt plures, debent præponi testibus in contrarium examinatis.

Non obstat quòd isti testes deponant de iis quæ sunt iuris, nempe beneficium esse collatiuum, absque eo quòd reddant sufficientem rationem, quia deponunt esse solitum conferri, quod est quid facti, & reddunt bonam rationem, quia sunt vicini oriundi, & de auditu à maioribus, & in antiquis admittuntur testes de auditu. Dec. *cons.*321. *sub num.*7.*vers. vnde primo.* 2

Minus obstat quòd aliqui testes dicant Piridellum, & Peregrinum, qui possederunt, fuisse Canonicos, quia non ideo sequitur quòd possederint hanc Ecclesiam sanctæ Margaritæ tanquam Canonici. Et quod plus est, tertius testis super 2. & quartus super 3. dicunt expressè Ecclesiam aliquando fuisse possessam à non Canonicis, & hoc etiam colligitur ex dictis aliorum testium, & Piridellus, vt dicunt iidem testes, 3. 6. & 8. super 11. & quartus ad 3. post publicationem Sacr. Conc. Trident. dicebant non posse retinere vtrumque beneficium, scilicet Ecclesiam sanctæ Margaritæ, & Canonicatum, & ideo domum quærebat vbi inhabitare posset. 3

Peregrinus verò vltimus possessor, qui fuit Canonicus, post resignationem Canonicatus retinuit vsque ad obitum Ecclesiam sanctæ Margaritæ, vt dicti testes deponunt, nec potest dubitari quin resignatio dicti Canonicatus habuerit effectum, cùm ipse postea obtinuit alium Canonicatum, & possessionem fuerit assequutus. ad consil. Oldrad. 229. pluries canonizatum. 4

Non obstat, quòd resignatio fuit facta ad fauorem fratris, & ideo Peregrinus potuit remanere in possessione iure familiaritatis, quia hæc procederent si doceretur de resignatione huius beneficij sanctæ Margaritæ. Cephal. *cons.*4.*num.*37. *& seq.* & ideo illa possessio censetur potiùs iure proprio; possessio enim iure familiaritatis tunc præsumitur, quando alius titulus excogitari non potest. Socin. sen. *cons.*131.*num.*4.*lib.*1.*& cons.*13.*num.*17.*lib.*4. Curt. iun. *cons.*168.*num.*33.*&* 34. cum aliis per Menoch. *de arbitrar. iud. cons.*160.*num.*20. 5

Non obstant enunciatiuæ antiquæ de anno 1480. quia earum vna est æquiuoca, & turbida. Nam denunciatio non probat concludenter quòd ista Ecclesia esset membrum Canonicatus, quia potuit esse quòd de eo tempore Canonicus esset etiam beneficiatus, & sic possideret ex alio titulo, quàm ex Canonicatu. 6

Non obstat quòd instrumentum optionis de dicto anno 1480. multum seruiat pro tollenda ista æquiuocatione, maximè concurrentibus actibus de anno 1570. & 1571. vt bene consideratur in decisione, quia hæc fortasse procederent, si nihil doceretur in contrarium, quia vltra quòd Cadubrius qui venit contra præsumptionem iuris, grauatur fortioribus probationibus, gloss. & Doct. *in l. transactione. C. de transactionibus.* Abb. *in cap. quia verisimile in* 2. *notab. de præsumpt.* cum aliis per Surd. 7

*conſ.61.nu.*22. eoque magis cùm iſta præſumptio iuris habeat etiam probationes pro ſe, vt ſuprà oſtenſum fuit.

3 Non obſtant iura de nouo producta, ex quibus apparet quòd in libris taxæ adnotatur præbenda ſanctæ Margaritæ, quia non inde ſequitur quòd Eccleſia ſanctæ Margaritæ de Longano ſit vnita huic præbendæ, tum quia hæc denunciatio poteſt verificari in aliis Eccleſiis, cùm plures ſint ſub hac inuocatione in diœceſi Feltren. tum etiam, quia ab origine hæc præbenda potuit hoc modo denominari, & ideo hæc probatio tanquam dubia non releuat. *cap. in præſentia. de probationib.* cum vulgarib.

4 Non obſtat quòd in libris taxæ non eſt adnotata huiuſmodi Eccleſia ſanctæ Margaritæ de Longano, quia ſufficit quòd ſit adnotata Eccleſia de Sedico quæ, vt deponunt teſtes, eſt matrix huius Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ. Nam ad nominationem beneficij principalis venit nominatio beneficij ſubiecti. Rot. *deciſ.46. de reſcript. in antiq.*

R. P. D. ATTREBATEN.

Romana nullitatis obligationis. 5. Iulij 1604.

ARGVMENTVM.

Abſolutio à iuramento peti debet etiam quòd iuramentum fuerit metu, & dolo extortum, & poſt incurſum periurium, periurium non ſuffragatur, ſicut nec etiam ſuffragatur habita ab vno tantùm iuramento, quando in contractu adſunt plura iuramenta.

SVMMARIVM.

*Periurus à limine iudicij repellitur num.*1.

*Iuramentum non operatur in contractu, in quo deficiunt ſolemnitates ſtatuti vrbis lib.*1. *cap.*151. *quia cenſetur per fraudem extortum, ibid. vbi tamen declarat eſſe petendam abſolutionem.*

Abſolutio petenda eſt à iuramento etiam à ſtatuto præſumpto per dolum, & metum extorto, ibid.

*Abſolutio à iuramento non ſuffragatur poſt incurſum periurium, num.*2.

*Abſolutio ab vno iuramento non ſuffragatur quando in contractu adſunt plura iuramenta, num.*3.

DECISIO XLVI.

1 FVit concluſum exceptionem periurij obſtare Domino Ioanni, quia periurus à limine iudicij repellitur. ad notat. *in cap. paruuli*, vbi gloſſ. fin. 22. *quæſt.*5. *in l. ſi quis maior. C. de tranſact.* Nec obſtat nullitas propter defectum ſolemnitatum ſtatuti Vrbis *cap.*151. *lib.*1. annullantis iuramentum tanquam per fraudem, & dolum extractum, & extortum, ita vt nihil operetur. *l. non dubium. C. de legib.* Seraph. *de priuil. priuil.*61. & 11. & 12. & fuit dictum coram Reuerendo P. Domino Pegna in Romana ſocietatis officij .... Februarij 1602. quia nihilominus eſſet petenda abſolutio, vt fuit dictum in Romana viſitationis 2. Maij 1588. coram bon. mem. Bubalo, & coram Reuerendo P. Ludouiſio in Signina caſtrorum 26. Iunij 1601. cùm non dicatur quis eſſe iudex proprij iuramenti. nam etiam ex iuramento nullo contrahitur periurium, ita vt quis non ſit audiendus. *cap. tua nos*, vbi Bald. *de iur. iur.* Aym. *dicto conſil.*1. *quæſt.*1. *poſt num.*2. *verſ. ſed magis in terminis.*

Non obſtat abſolutio obtenta per Procuratorem 31. Maij, quia iam à die 20. eiuſdem, multi fuerunt celebrati actus, & poſtea à D. Hieronyma ratificati in conſtitutione Procuratoris, & in proſecutione iudicij, & ideo incurſo periurio, non poterat peti abſolutio à iuramento, niſi priùs petita abſolutione periurij. Afflict. *deciſ.*220. *nu.*17. Pariſ. *conſ.*10. *nu.*94. *lib.*1. Rota coram Tolomeo *deciſ.*786. *part.*3. *diuerſ.* quia abſolutionem ſolus Papa poteſt concedere. Crauett. *conſ.*6. *num.*93.

Secundò obſtat etiam exceptio periurij, quia cùm in inſtrumento adeſſet triplex iuramentum, non ſufficiebat ſimplex abſolutio, ſed erat neceſſaria ſpecifica abſolutio [illegible] omnibus iuramentis. Pariſ. *conſ.*43. *num.*18. *vol.*1. & fuit dictum in Placentina caſtrorum 2. Iulij 1601. coram Mellino, & licèt ex aduerſo dicatur, quòd non intendit contrauenire iuramento aſſertorio, ſe non habere in vrbe conſanguineos, & affines, & renunciationi factæ cum iuramento beneficio ſenat. conſ. Velleian. & ſtatuto vrbis; tamen in regiſtro legitur ipſam fuiſſe contrauentam obtinendo commiſſionem, dando articulos, & producendo teſtes ad probandum contrarium.

R. P. D. LITTA.

Sublacen. bonorum. Veneris 14. *Ianuarij* 1605.

ARGVMENTVM.

Abſolutio ab excommunicatione, & periurio incurſo propter alienationem rei Eccleſiæ, ad hoc vt abſoluto ſuffragetur, quid continere debeat.

SVMMARIVM.

*Abſolutio ab excommunicatione, & periurio incurſo propter alienationem rei Eccleſiaſticæ vt abſoluto ſuffragetur quid continere debeat, num.*1.

*Abſolutio ab excommunicatione propter alienatas res Eccleſiaſticas conditionalis non purificata conditione non ſuffragatur, num.*2.

*Obſeruantia ſubſequuta facit præſumere omnia ritè, & rectè facta fuiſſe, num.*3. *vbi tamen quòd hæc præſumptio amittit probationem contrariam.*

Feudi, ſeu emphyteuſis inueſtitura facta in perpetuum pro hæredibus & ſucceſſoribus, dicitur tranſitoria ad quoſcunque hæredes etiam extraneos, ibid.

*Clauſulæ appoſitæ in exequutiuis non ampliant, nec reſtringunt præcedentem diſpoſitionem, num.*4.

*Feudum Eccleſiaſticum conceſſum alicui propter merita, & ſeruitia Eccleſiæ præſtita, non ſuſtinetur propter ſeruitia facta Prælato, non Eccleſiæ: vltra quòd de ſeruitijs, & meritis debet aliter conſtare quàm ex aſſertione contrahentium, num.*5.

DECISIO XLVII.

FVit reſolutum ſupplicationem de qua agitur non ſuffragare Dominis de Mutis.

Primò,

Primò, quia non videtur posse referri ad concessionem de qua agitur, quæ longè ante dictam supplicationem suum sortita fuerat effectum, vt constat ex instrumento adeptæ possessionis à tergo dictæ concessionis descripto, quod probationem probatam, & manifestam facit, de qua tamen effectuatione nullum prorsus verbum fit in dicta supplicatione, prout necesse fuisset saltem ad effectum obtinendi absolutionem ab excommunicatione & periurio incurso ex dicta alienatione rei Ecclesiasticæ, cum effectu facta inconsulto Papa contra Extrauag. Paul. 2. incip. *Ambitiosè*, & plures constitutiones aliorum Pontificum, ac iuramentum quod præstare solent omnes Prælati de non alienandis rebus suæ Ecclesiæ, de quo loquitur text. *in c. cùm ergo. de iureiur. in cap. vt super, & in cap. fin. de rebus Eccl. non alien.* & in terminis concessionis feudi loquitur Bald. *in c. 1. in fin. princ. tit. qui feud. dar. poss. in vsib. feud.*

2 Secundò, quia dicta supplicatio est conditionalis, vt patet ex illa clausa, *quatenus in euidentem*, &c. quo fit vt dicta conditione minimè purificata, illa suffragari aliquo modo non possit istis Dominis de Mutis. *l. Thais ancilla. §. Stichus. ff. de fideicomm. liber.* cum aliis per Abb. *cons. 103. vers. sed tamen his non obstantibus, part. 2.* & per Cephal. *cons. 17. num. 21.*

3 Nec obstat quòd ex obseruantia subsequuta omnia præsumantur ritè, & rectè facta, ad decis. Put. 365. *num. 3. & seq. lib. 2.* & cons. Abb. 41. cum aliis alleg. per informantes. Quia fuit responsum non per hoc tolli quin contrarium ostendi possit, vt admittit idem Abb. *vbi suprà*, & pluries fuit resolutum, & quòd in claris cessare debent præsumptiones, vulg. *l. continuus. §. 1. ff. de verb. oblig.* Vnde cùm ex instrumento dictæ concessionis, quòd manifestam probationem facit pro Ecclesia, clarè constat eam non cessisse in euidentem illius vtilitatem, sed potiùs in euidens damnum, cùm concessa appareant dicta bona laico, nulla reseruata cognitione, aut præstatione ad fauorem ipsius Ecclesiæ, immo liberè & in perpetuum pro hæredibus, & successoribus. quo casu transitoria sunt ad quoscumque hæredes, etiam extraneos. Socin. *cons. 266. num. 37. vers. 2. lib. 2.* Couar. *var. resolut. lib. 2. cap. 17. num. 5. vers. 4.* & fuit resolutum in Mediolanen. bonorum de Busalora 7. Iunij 1585. coram bo. me. Bubalo, & in Romana domus prima Decembris 1600. coram Domino meo Mellino, & sic cessat omnis spes quòd ad eandem Ecclesiam aliquando redire possint. Ideo, &c.

4 Nec facit dum dicitur quòd concessa sunt in feudum, & sic ad meliorandum, quia de hoc nihil ad Ecclesiam, cùm attento tenore concessionis nullo tempore dicta bona debeant redire ad ipsam, ex supradictis. Et dum per informantes pro Dominis de Mutis dicitur concessionem prædictam esse restrictam ad descendentes masculos ipsius recipientis, vnde illis cessantibus redibunt ad Ecclesiam cum melioramentis. Fuit responsum de contrario expressè constare ex dispositiua ipsius concessionis, ibi, *tibi prædicto magnifico viro Mutio Muto tuisque hæredibus, & successoribus in perpetuum.* quæ dispositiua, sicut ex verbis appositis in clausulis executiuis, non ampliatur, ita nec restringi debet, ad not. per Card. *in Clem. 1. §. ad hoc, num. 2. de præbend.* & fuit sæpè tentum.

5 Nec ex eo sustineri potest dicta concessio vti facta propter seruitia & benemerita ipsius Mutij, quia, vt in ipsa concessione legitur, seruitia non fuerunt præstita Ecclesiæ, sed ipsi Abbati concedenti, & eius domui, & tamen ad effectum vt sustineatur alienatio, eo prætextu necesse est quòd seruitia fuerint præstita Ecclesiæ cuius bona alienantur. Acoramb. *decis. 46. lib. 1.* & fuit resolutum in Posnanien. bonorum 15. Februarij 1599. coram Domino meo Lancellotto. Vltrà quòd de dictis seruitiis, & meritis erga Ecclesiam aliunde constare debet, quàm ex assertione ipsorum contrahentium. Ias. *cons. 73. lib. 1.* Feder. de sen. *cons. 143.* quod etiam fuit tentum in dicta Posnanien. Ex quibus, &c.

R. P. D. PEGNA.

Veneta pecuniaria. Veneris 11. *Iunij* 1605.

DECISIO XLVIII.

Habebitur in tomo 2. decis. eiusdem Auditoris citò imprimendo Lugduni ab Hæredib. Prost, Borde & Arnauld.

R. P. D. IVSTO.

Romana separationis thori. Lunæ 20. Iunij 1605.

ARGVMENTVM.

Thori separatio nunquid fieri debeat propter morbum Gallicum, lepram, seu alium contagiosum morbum, & an propter adulterium, & quid si post adulterium sequuta est reconciliatio inter coniuges, & quomodo per testes præmissa probentur.

SVMMARIVM.

Thori separatio nunquid facienda sit propter morbum Gallicum, & quomodo talis morbus concludenter probatus censeatur, num. 2. & 4. vbi etiam quid de lepra, seu alio morbo contagioso, & num. 5. vbi etiam an isto casu sufficiat sola separatio concubitus, absque separatione habitationis.

Adulterium probatur testibus deponentibus de actibus & circumstantijs propinquis, & aliis, de quibus n. 3.

Adulterium probatur coniecturis, ibid.

Adulterium est sufficiens causa separationis thori, n. 7.

Thori separatio nunquid censeatur remissa per reconciliationem post adulterium, & quomodo talis reconciliatio probetur per testes, nu. 8. & 9.

DECISIO XLIX.

Domini distinxerunt hanc causam in tres difficultates. Prima fuit, an Illustris D. Laura Caietana sufficienter probauerit prætensionem suam contra Illustrem D. Ioannem Baptistam de Aritia coniugem. Secunda, an probata operetur effectum separationis thori. Tertia, an D. Ioannes Baptista probauerit pro parte sua reconciliationem D. Lauræ vxoris suæ ad exclusionem separationis. 1

Quoad primam, intentio Dominæ Lauræ con- 2

sistebat in morbo Gallico vehementi, & in adulterio viri, & vtrumque probatum esse Domini vnanimiter censuerunt ad hunc effectum. Quo enim ad morbum Gallicum depositiones peritorum, medicamenta cicatricis, & alia deducta faciunt rem patentem, & plusquam notoriam, vt super his non sit elaborandum.

3 Quoad adulterium est sufficienter probatum ex testibus deponentibus de actibus, & circumstantiis propinquis ad adulterium ex confessione & fustigatione adulteræ, ex apocha D. Ioannis Baptistæ, in qua promisit mercedem nutrici pro Nicolao eius filio, & ex gemellis fœminis susceptis ex eadem adultera, quæ in libro Baptismi annotatæ sunt vti filiæ D. Ioan. Baptistæ, & eiusdem adulteræ, ita vt animum iudicis non possit esse dubium de adulterio pluries reiterato, quod etiam probatur coniecturis. Felin. *in cap. præterea, num.3 de testibus*, & fuit dictum in alia causa coram Illustrissimo Cardinali Seraphino 22. Aprilis 1572. coram bo.me. D. Orano in Calaguritana separationis thori 26. Ianuarij 1596.

4 Quoad secundam informantes pro D. Ioan. Baptista prætendebant morbum Gallicum non esse causam sufficientem pro huiusmodi separatione, sicut de lepra, & morbo contagioso habetur *in c.1. & 2. de coniug. lepros.* & ibi Abb. & Præposit. immo & de morbo Gallico dicit Nauar. *in manual. cap.22. de sacram. matrim. sub num.22. vers.4.* inter coniuges maximè, quia D. Io. Baptista hodie prætendit se esse restitutum pristinæ sanitati. Sed Domini contrarium crediderunt esse in hoc casu; nam licèt prædicta propositio sit vera regulariter, non tamen procedit in morbo contagioso admodum vehementi, vbi periculum est vitæ morali moræ, & ingentissimus horror & natura ipsa congressum abominatur, secundùm Sot. *super 4. distinct. 31. num. 9. art.1.* vbi in specie æquiparat lepram, & morbum Gallicum. Caietan. *in summario in verbo Matrimonij vsus.* Alciat. *in rubric. ff. solut. matrimonio nu.16.* Natta latè *cons.24.* vbi rationes adducunt & authoritates.

5 Nec videtur obstare quòd ista doctrina sit intelligenda de separatione concubitus in morbo Gallico, & de liberatione & redditione debiti, non de separatione cohabitationis; cui accedunt restitutio dotis, & alia, quandoquidem si quo ad redditionem debiti, fit separatio, quòd cadit sub præcepto, facile est separationem facere quoad cohabitationem, quæ in his casibus est de consilio, secundùm distinctionem Turrecremat. *in cap. si quis vxorem, num.4. 32. quæst.15.* & ibi allegat. S. Thom. & consequenter admissa causa exclusionis à concubitu, qui inficit in morbo Gallico, vxor non tenetur cohabitare præcepto. quod colligitur ex *dicto cap.1. & 2. de coniug. lepros.* præsertim quia D. Laura vi morbi visu vnius oculi est omninò priuata, & toto corpore est percussa, indigens continuis medicamentis, & consequenter est effecta inutilis ad seruitium viri ex delicto eiusdem viri sui.

6 Nec facit prætensio sanitatis recuperatæ per D. Ioan. Baptistam, quę non est ita facilis, nec communiter creditur in hac specie morbi bene radicata, in quo latet anguis, & in omnem casum & euentum noua coniunctio redderet morbum validiorem, ideo separatio est necessaria post sequutam contagionem.

Quòd si prædictis addatur adulterium, res remanet sine difficultate, quia solum adulterium sufficit pro separatione *cap. dixit Dominus.32. quæst.1.* & gloss. *in l.1. in verbo violato, in fin. C. de adulter.* Abb. *in cap. ex litteris num.5. de diuort.* Socin. *cons.148. num.3. lib.1.* & Socin. iun. *cons.32. num.1. lib.2.* Rota coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio in causa Risuntina separationis thori 11. Februarij 1598. & coram R.P. D. meo Decano in Romana separationis thori 3. Martij 1603. 7

Quoad tertiam partem, ad quam reducitur tota difficultas, an sit probata reconciliatio, Domini in primis concordabant in iure quòd per reconciliationem coniugum post adulterium impeditur separatio. iuxta notat. *in l. si vna. §. fin. ff. de adult.* gloss. *in cap. fin.* vbi Abb. *num.7.* & ibi omnes, *de adulter.* Boër. *decis.338 num.7.* Sed habuerunt pro re difficili, quòd possit applicari in huiusmodi casu, in quo longo tempore durauit adulterium, & suscepti sunt plures filij, & tandem capta & fustigata adultera, quo tempore Ioannes Baptista arripuit fugam ab vrbe, & nunquam amplius cohabitauit cum D. Laura, nec vidit illam in domo sua à qua discessit durante viri exilio ab vrbe. Et tamen verissima debet esse reconciliatio, & consequenter probari post adulterium. Couarr. *de sponsal. part.1. §.6. num.7. cap.1. de pœn. dist.3.* Sed de remissione præcipuè dubitabatur, quia præsupponit indebitam scientiam de adulterio, & considerantur tres termini, scilicet ignorantia, scientia, & dubietas. Iacob. de Beluis. *in authent. vt lic. matri, & auiæ. c. quia verò plurimas, in fine.* Signorol. *cons.50.* Boër. *d. decis. 338. num.7.* in casu ignorantiæ, & dubietatis, non cadit reconciliatio, quæ regulatur secundùm remissionem iniuriarum. *§. fin. Instit. de iniur.* Vbi dicunt Doctores remissionem debere esse spontaneam, quę non cadit vbi est dubietas; & ratio est, quia ante certitudinem non est nata vera iniuria in animo, & sic aboleri non potest. *l. nam etsi. §. post defictum. ff. de inust. rupt. & irrito facto testament. l. decem. ff. de verbor. obligat.* gloss. *in §. fin. Instit. de iniur.* modò in proposito non videbatur probata indubitata scientia.

Licèt enim D. Laura audiuerit, & sæpe conquesta fuerit, & credere potuerit, & iniuriam resultantem ex huiusmodi opinione remiserit, & nituntur probare testes, non tamen fuit sine aliqua spe, vt solent qui timent & amant, vel quòd verè maritus non esset adulter, vel saltem quòd esset correctus & emendatus. Ideo, vt deponit vnus ex testibus D. Ioannis Baptistæ, inuestigabat, & renunciatum illi fuit esse quendam alterum qui rem habebat cum illa meretrice, donec eandem aperta veritate, & castigata adultera, & marito exule D. Laura reuocauit animum suum ad iniuriam, & de domo mariti discessit.

Præterea dicebant nec esse probatam reconciliationem eo modo quo proponebatur, Aquilinus enim sine dubio est testis singularis, qui vult probare, quòd Laura dicebat, quòd parcebat D. Ioanni Baptistæ, licèt sciret eius adulteria, & quòd cum ipso habitabat, & dormiebat tempore Epiphaniæ anni 1602. Et tamen eo tempore D. Laura opprimebatur maxima vi morbi, & erat vulneribus, & doloribus afflicta in lecto languens, quod colligitur ex depositione medici, & chirurgi, iuxta l. in summario D. Lauri *num.3.* & magis expresse ex depositione Gregorij spenditoris super decimo in co-

in eodem summario *num*.4. Vnde depositio huius testis videtur reddi inuerisimilis, & habere speciem mendacij. Frater Hieronymus secundus testis eodem morbo laborabat, quia dicit colloquutam esse cum D. Laura in vinea eodem tempore, & redditur mendax, quia deponit quòd tunc D. Laura dicebat D. Ioannem Baptistam reuersum fuisse, *bello & grasso*, & tamen vterque affligebatur morbo Gallico vehementi, quem secum tulerat ex itinere.

11 Baptistonus quærit esse contestem cum fratre Hieronymo, & videtur similis illi ex præmissis. Dicit enim quòd audiuit D. Lauram colloqui cum fratre Hieronymo, & fateri se remisisse iniuriam D. Ioanni Baptistæ, & tamen erat extra vineam in via quæ Romam ducit, & videtur verisimile, prædicta à D. Laura tam alto sermone, verba pronunciasse, & quod magis stringit, quia frater Hieronymus deponit fuisse in vinea præsente D. Ioanne Baptista & multis mulieribus. Baptistonus verò dicit, *che la signora Laura, & frater Girolamo passeggiauano al fresco*, quod est etiam inuerisimile tempore illo hyemali in muliere morbo Gallico laborante, & tanto magis quia gloss. & Doctor. *in d.cap. fin. de adult.* considerant istam remissionem in redditione debiti, & ita intelligit Clar. *in § adulterium num*.18. quia tunc dicitur approbasse mores adulterij.

Ex quibus Domini resoluerunt sententiam latam per Vicegerentem Illustrissimi Domini Vicarij Vrbis esse confirmandam.

R. P. D. IVSTO.

Romana census. Veneris 21. ***Octobris*** 1605.

DECISIO L.

Impressa est apud Cenc. de censib. decis. 152. *& replicata est per Marches. de commiss. fol.* 834. *part.* 1.

ILLVSTRISSIMO & R. D. CARD. LVDOVISIO.

Romana census scutorum 18000. ***Veneris*** 2. ***Decembris*** 1605.

DECISIO LI.

Inter eius impressas est decisio 227. *& etiam impressa habetur post Conc. de censib. decis.* 163. *vbi erroneè ponitur* 1604.

REVERENDISSIMO P. D. PEGNA DECANO.

Farfen. bonorum. Lunæ 12. ***Decembris*** 1605.

DECISIO LII.

Habebitur in tomo 2. *decis. eiusdem Auditoris citò imprimando Lugduni ab Hæredib. Prost, Borde & Arnauld.*

R. P. D. LITTA.

Romana societatis officij. Lunæ 14. ***Februarij*** 1606.

ARGVMENTVM.

Mulier sine solemnitatibus statutariis contrahere potest, quando ex contractu facta est locupletior, & quomodo locupletior facta dicatur: cum solemnitatibus autem statutariis potest fideiubere, dummodo non remaneat indotata.

SVMMARIVM.

Mulier à statuto Vrbis prohibita contrahere sine certa solemnitate, potest tamen sine dictis solemnitatibus contrahere quando ex contractu est facta locupletior, num. 2. *vbi etiam quòd dicitur facta locupletior per exceptionem pecuniarum cum quibus extinxit alia sua debita.*

Ecclesiastica bona si fuerint alienata sine solemnitatibus, alienans non admittitur ad rescissionem alienationis, nisi restituat pretium ex alienatione perceptum, ibid.

Tutor potest rem à pupillo cum solemnitatibus venditam, si emptor non soluit pretium, pro eodem pretio sibi ipsi retinere sine alia solemnitate, num. 3.

Mulieris assertioni dicentis in contractu per eam celebrato habere litem cum eius fratre, nunquid credatur ad effectum vt ille frater tanquam proximior in contractu interuenire non debeat iuxta formam statuti vrbis, nu. 4. *vbi de eadem materia.*

Mulier potest fideiubere cum solemnitatibus à statuto vrbis requisitis, dummodo non remaneat indotata, num. 5.

DECISIO LIII.

1 De anno 1600. D. Isabella Arrigonia se obligauit cum solemnitatibus statutariis, & recognouit bonam fidem duarum societatum initarum super officio D. Octauij. De anno 1602. aliam contraxit societatem super eodem officio pro extinguendis illis duobus prioribus, & se obligauit, sine tamen solemnitatibus dicti statuti: mensibus elapsis, cùm Octauius officialis conatus fuisset soluere fructus huius societatis, egit pro sua releuatione contra Isabellam, & obtinuit mandatum ab A.C. quamuis postea adita signatura per Isabellam fuerit ordinatum vt in hac causa procederetur cum voto Rotæ. Vnde de partium consensu proposui dubium, an mandatum esset relaxandum contra Isabellam, vel relaxatum exequendum?

2 Et quia totum fundamentum informantium pro Isabella super eo consistebat quòd ipsius obligatio esset nulla propter non seruatam formam Vrbis statuti *lib.1. cap.*151. Domini quantum ad obligationem anni 1602. dixerunt non opus fuisse aliqua solemnitate, cùm non intret statutum vbi mulier est effecta locupletior. Lambertin. *de contractibus gloss.* 24. *num.*1. *& seq. in fin.* & fuisse effectam locupletiorem deducebatur ex pluribus.

Primò, quia realiter receperat pecunias, neque hoc inficiabatur.

Secundò, quia realiter conuersæ fuerunt in extinctionem illarum duarum priorum societatum, in quibus erat obligata cum solemnitatibus statutariis.

Tertiò, quia in illis duabus præcedentibus fru-

ctus currebant ad rationem duodecim pro centenario, in ista verò posteriori receperat pecunias ad rationem vndecim tantùm, & ob id dicebatur æquum non esse quòd locupletaretur cum alterius iactura, stante versione pecuniarum in sui vtilitatem, & placuit simile de Ecclesia alienante sine solemnitatibus, & recipiente pretium, quæ tenetur ad restitutionem si velit infringere contractum, ex allegat. in Romana consensuum de Romulis 15. Iunij 1599. coram R.P.D. meo Decano.

3 Addebatur istam non esse nouam obligationem vtiliter ad diminutionem interusurij, vt dictum est, & ideo quemadmodum tutor potest rem à pupillo cum solemnitatibus venditam si emptor non soluit pretium, pro eodem pretio soli ipsi retinere sine alia solemnitate, quia solemnitas contractus celebrati cum alio sufficit in eo quòd in eius locum subrogatur. Dec. *in l. singularia num. 9. ff. si cert. petat.* text. *in l. tutor rerum in fin. ff. de administr. tutor.* Petrus Rauen. *singul.* 760. Girard. *singul.* 57. *num.* 3. cum aliis allegatis per informantes pro Octauio; ita & hoc casu sufficere deberent solemnitates adhibitæ in societatibus initis de anno 1600.

4 Cùm igitur tota præsentis dubij difficultas ad hoc restringeretur, an validè se obligasset in dictis duabus societatibus de anno 1600. contractis, affirmatiuam sententiam amplexi sunt Domini, quia apparet in vtroque adhibitas fuisse solemnitates statuti, & iudex causa diligenter cognita suum decretum interposuisse, vt in obligatione legitur, & causa fuit expressa ad succurrendum necessitatibus propriis & sui viri infirmi commorantis extra vrbem, contra quem fuerant relaxata mandata.

5 Nec ob præcipuum fundamentum informantium pro Isabella ad ostendendum nó fuisse obseruatum statutum. Cùm enim Isabella haberet fratrem, ipse erat reperiendus, & iudex habebat cognoscere an iustè vel iniustè denegasset præstare consensum; & si iniustè, tunc deputare curatorem: non autem erat standũ assertioni mulieris quòd haberet litem cum fratre, vt in simili fuit resolutum coram R.P.D. meo Ortembergo in Romana releuationis indemnitatis 22. Martij 1602. cuius copia data fuit, quia fuit responsum decisionem illam non esse applicandam, vbi mulier assereret non esse conueniens quòd Cardinalis accederet ad eius domum, & dicitur quòd non erat standum soli assertioni.

Propterea illa causa non fuit visa Dominis iusta, cùm dicti contrahentes potuerint accedere ad domum dicti Illustriss. D. Cardinalis, & sic dictæ inconuenientiæ occurrere; hîc verò consistit de litibus aliàs quàm ex assertione mulieris inter prædictos vertendis. Hæcque rationabilis causa non vocandi fratrem fuit visa Dominis, super qua cùm iudex suum interposuerit decretum, neque in similibus procedatur iudicialiter, nec conficiatur processus pro tali decreto, vbi emanato causa cognita est præsumendum, & de simili decreto resoluit Rota in Romana de Grandis 16. Febr. 1601. coram R.P. Decano; maximè cùm hoc in iudicio veritas dictæ causæ fuerit plurimum iustificata.

Non obstat quòd Isabella in istis duabus societatibus erat fideiussor; quia non ideo minus tenet obligatio fideiussorio nomine facta adhibitis solemnitatibus, ex allegatis in Romana fideiussionis 13. Maij 1596. coram Illustr. D. Cardinali Seraphino; nisi ex tali obligatione remaneret penitus indotata, vt in dicta Romana fideiussionis fuit dictum, & propriùs in alia Romana fideiussionis 15. Iunij 1591. coram Illustrissimo Cardinali Arrigonio, quæ limitatio non videbatur hîc applicari posse, cùm agatur de summa scutorum 300. & dos huius mulieris fit de scutis 4000. vnde etiam si verificaretur maritum consumpsisse scuta 2000. adhuc tamen remanerent scuta 1700. ex quibus non potest dici penitus indotata.

Ex his igitur pro iustitia mandati A.C. fuit conclusum.

R. P. D. PEGNA DECANO.

Bononien. redditionis rationum. Veneris 17. Februar. 1606.

DECISIO LIV.

Habebitur in tomo 2. decis. eiusdem Auditoris citò imprimendo Lugduni ab Hæredib. Prost, Borde & Arnauld.

R. P. D. LVDOVISIO.

Aquinaten. beneficij. Veneris 28. *Aprilis* 1601.

DECISIO LV.

Est inter eius impressas decisio 252.

R. P. D. LVDOVISIO.

Romana legati. Veneris 12. *Maij* 1606.

DECISIO LVI.

Est inter eius impressas decisio 257.

R. P. D. LVDOVISIO.

Camerinen. transactionis. Mercurij 24. *Maij* 1606.

DECISIO LVII.

Est inter eius impressas decisio 260.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. dismembrationis. Lunæ 5. *Iunij* 1606.

DECISIO LVIII.

Replicata est suprà in 1. *part. recentiorum decisio* 119.

R. P. D. PEGNA.

Romana fructuum dotis. Lunæ 12. *Iunij* 1606.

DECISIO LIX.

Habebitur in tomo 2. decis. eiusdẽ Auditoris citò imprimendo Lugduni ab Hæredib. Prost, Borde & Arnauld.

R. P. D. LVDOVISIO.

Romana dotis de Trincijs. Lunæ 19. *Iunij* 1606.

DECISIO LX.

Est inter eius impressas decisio 267.

R. P. D. LVDOVISIO.

Romana hæreditatis de Bonellis. Lunæ 26. Iunij 1606.

DECISIO LXI.

Est inter eius impressas decisio 271.

R.P.D. LVDOVISIO.

Romana incendij. Lunæ 27. Nouembris 1606.

DECISIO LXII.

Est decisio 278. inter eius impressas.

REVERENDISSIMO P. D. ATTREBATEN.

Perusina dotis. Lunæ 15. Ianuarij 1607.

ARGVMENTVM.

Promittens factum alienum, quando ad illud adimplendum præcisè teneatur, an verò potiùs soluendo interesse liberetur, est singularis decisio, ad quam vide aliam decisionem in eadem causa coram eodem 5. Decembris eiusdem anni 1607.

SVMMARIVM.

Promittere nemo potest factum alienum, & si promiserit, ad factum præcisè cogi non potest, sed succedit solum obligatio ad interesse, num. 1.
Interesse vbi non potest liquidari, succedit sors principalis illius loco, num. 2.
Promittens factum alienum præcisè tenetur adimplere, si sic cum iuramento promiserit. declara vt nu. 3.
Hæres illius qui iuramento promisit factum alienum, non potest cogi ad illud præcisè adimplendum, præsertim quando non potest adimpleri, ibid.
Promittens factum alienum, si condemnatus fuerit ad factum præcisum, potest se liberare per solutionem eius quod interest. declara vt numer. 4.
Sententia lata ex pluribus causis, si ex vna fuerit nulla, in totum reputatur nulla, quando continet solum vnum capitulum, secus si contineat plura capitula separata, numer. 5.

DECISIO LXIII.

1 INter complures defectus, qui opponebantur contra mandatum, de quo agitur, visum fuit, illum non posse euitari, qui deducebatur ex eo quod fuit relaxatum contra Fuluium de Periglis hæredem q. Modestæ ad illum carcerandum, donec & quousque Dominum Lutium Baldellum indemnem releuaret, & consentire faceret Hieronymam assignationi prædij dotalis eidem Lutio factæ, quia non poterat præcisè cogi ad factum, sicut nec ipse poterat præcisè illud promittere. *l. stipulatio ista. ff. de verb. oblig.* Purpur. *cons.* 561. *num.* 1. Ruin. *cons.* 67. *numer.* 9. *in fin.* fuit dictum in Perusina ratificationis 6. Martij 1606. coram Reuerendo Patre Domino Ludouisio, sed succedebat obligatio ad interesse, pro quo mandatum erat relaxatum, si Domina Hieronyma non consentiret. *l. si quis ab alio. in fine. ff. de re iud. l. stipulationes non diuiduntur. ff. de verb. oblig.* Ruin. *cons.* 132. *num.* 1. *lib.* 1. Surd. *decis.* 306. *nu.* 7. & fuit decisum in dicta Perusina, & ante ma. dicti relaxationem interesse erat liquidandum. Aym. *cons.* 164. *num.* 2. Natt. *cons.* 27. *num.* 4.

Quod autem dicebatur non fuisse necessariam liquidationem interesse, cùm ipsa dos esset loco interesse. Bald. *in l. si traditio, nu.* 7. *C. de act. empt.* Alex. *consi.* 67. *num.* 2. *lib.* 2. Ruin. *consi.* 141. *prope fin. lib.* 1. fuit dictum in vna Romana dotis 11. Februarij 1583. quæ est diuers. 741. *part.* 1. hîc non applicatur, quia licèt esset certa quantitas dotis, tamen datio in solutum fuit facta cum reseruatione fructuum viuentibus Modesta, & Baltassare, & sic creditum Lutij remanebat incertum, & illiquidum. 2

Non obstat, quòd mandatum præcisè ad factum sustineatur propter iuramentum ex vera, & magis communi opinione Canonistarum, de qua testatur Seraphin. *de priuil. iuram. priuil.* 74. *num.* 2. à qua in iudicando non est recedendum. Alex. *consi.* 37. *num.* 25. & 26. *in fin. lib.* 2 Aym. *consi.* 12. *in fi. num.* 1. Couar. *in cap. quamuis, part.* 1. §. 4. *num.* 6. *de pact. in* 6. nam hoc procedit in iurante, non in eius hærede. Bald. *in prælud. feud. num.* 16. Corn. *consil.* 206. *num.* 6. *lib.* 4. Gabr. *de iureiur. conclus.* 8. *num* 3 Surd. *consil.* 140. *nu.* 26. Item quando pactum potest adimpleri, vt latè not. Aym. *dicto consil.* 12. Vnde nec potest sustineri pro releuatione indemnitatis, ad quam vigore instrumenti hæredes Modestæ tenebantur, & quamuis non contineat factum alienum, tamen etiam ad factum proprium præcisè quis non tenetur. Purpur. *d. consi.* 561. *num.* 2. Dec. *consi.* 2. *nu.* 70. *in fin.* & fuit dictum in dicta Perusina. 3

Non obstat, quòd factum, & interesse reputantur vnum, & idem, nec dicatur vnum pro alio fuisse adiudicatum Surd. *dicto consi.* 506. *num.* 7. Ideóque condemnatus ad factum præcisum potest se liberare per solutionem eius, quod interest. Bart. *in dicta l. stipulationes non diuiduntur, num.* 41. *ff. de verb. oblig.* quia idem Bart. ibi tradit, quòd vbi vnum est in obligatione, aliud in solutione ex dispositione legali, tunc durat facultas soluendi etiam post sententiam condemnatoriam in factum, ideóque non potest relaxari exequutio pro ipso facto. 4

Postremò non videbatur applicari, quòd sententia lata ex pluribus causis sustineatur ex vna, quia regula est in contrarium, & limitatio habet locum quando sententia continet plura capitula separata, vt copiosè fuit dictum coram bo. me. Lauretano in Melphien spoliorum 11. Octobris 1578. mandatum autem, de quo agitur, continet vnum tantùm capitulum, & sic est indiuiduum. *l.* 1. & ibi gloss. 1. *C. si aduers. rem iud.* Roman. *consi.* 480. *nu.* 3. & *consi.* 452. *nu.* 12. *in fin.* 5

ILLVSTRISSIMO D. CARD. LANCELLOTTO.

Romana emphyteusis. Lunæ 19. Februarij 1607.

ARGVMENTVM.

Melioramẽta debẽtur bonę fidei possessori, necnõ & melioramentorum fructus. Quomodo cognoscatur cõtractus emphyteoticus à locatione per longum tempus, cessionéque duobus facta, præfertur is cui tradita est possessio rei cessæ.

SVMMARIVM.

Melioramenta vtilia reficienda sunt bonæ fidei possessori, numero 1.

Fructus melioramentorum spectant ad illum, qui melioramenta fecit, etiam ad eius successores, nu. 2.

Caducitas emphyteusis, emphyteoticæ rei non procedit in locatione ad longum tempus, num. 3.

Emphyteoticus contractus differt à locatione ad longum tempus in solutione pensionis, ibid.

Emphyteotica res dari solet pro modico canone, ibid. in fine.

Ratificatio vel consensus præsumitur per obseruantiam spatio 30. annorum, num. 4.

Venditione, seu cessione pluribus facta, præfertur is cui possessio tradita est, numero 6.

DECISIO LXIV.

1 CVm ædificium, & melioramenta fuerint facta à Lampodio, & Fontana, & deinde vendita Lelio, & Fabritio, qui alia similiter melioramenta fecerunt, & cùm ab istis Dominus Thomatus causam habeat mediante venditione facta per viam Curiæ Quintilio, Domini dixerunt Domino Thomato deberi melioramenta facta tam ab ipso, quàm à prædictis eius auctoribus, quia sunt melioramenta vtilia, quæ facta à possessoribus bonæ fidei sunt reficienda. *l. Paulus.* §. *domus ff. de pign.* Bart. *in l. in fundo, numero 6. & 7. ff. de rei vendic.* Ioan. Gomez *de expen. & meliora. cap. 6. num. 20. & 21.* §. 15. Capic. *decis. 17. num. 7.* Rot. *diuers. decis. 398. numero 2. part. 1.* cum aliis allegatis per Menoch. *de recuperan. possess. rem. 15. num. 617. & seq.* quod in hoc casu magis de plano procedit, quia in locatione fuit conuentum quòd illa finita, & soluto pretio, liceret Eluiræ, & suis successoribus possessionem accipere, & pro se ipsis retinere, & disponere, & quousque dicta solutio fuerit facta, locatio durare habeat, ita vt etiam debeantur vigore pacti. *l. 1. ff. de pactis.*

2 Nec obstant ea, quæ in contrarium deducta fuerunt, quando aliàs hoc dubium fuit propositum die 8. Februarij 1602. nam quòd valor huiusmodi melioramentorum computari debeat cum pensionibus domus, cessat, quia tales pensiones sunt fructus ipsorum melioramentorum, qui spectant ad illum, qui melioramenta fecit, & consequenter ad eius successorem. Afflict. *decis. 87. num. 7. in fin.* Put. *decis. 276. in fin.* & est *decis. 112. numer. 1. part. 2.* inter impressas, maximè quia adest pactum, quòd duret locatio situs donec reficerentur melioramenta, vnde donec illa non fuerint refecta, non est locus computationi.

3 Nec obstat allegata caducitas, quia pœna *l. fin. C. de iur. emphyt.* non intrat in locatione ad longum tempus, vt fuit resolutum in causa Romana Casalium coram Illustrissimo Cardinali Seraphino, decisiones habentur inter impressas 139. & 174. p 1. qualis est ista, cùm talis fuerit à partibus nomi ta. Dec. *consi. 32. num. 3.* Natt. *consi. 49. num. 14.* So *consi. 102. num. 10. lib. 2.* Rot. *decis. 564. num. 1. part.* cùm pensio nedum correspondeat fructibus, imò est excessiua, cùm pro cannis terreni 19. solu tur scuta 15. qui est modus cognoscendi emphyt sim à locatione ad longum tempus, cùm pro c tractu emphyteotico soluatur quid minimum recognitione directi dominij, in locatione v soluatur pensio correspondens fructibus. Ber *consi. 131. num. 7. & 130. num. 8. lib. 1.* Ruin. *consi. 161.* 1. Rot. *decis. 564. num. 2. part. 1.*

Neque etiam obstat quòd locatio fuerit nu vti facta à Ioan. Gomez marito Eluiræ, qui n erat de comprehensis in inuestitura, nam loca fuit facta tam nomine ipsius Ioannis, quàm eti nomine Eluiræ, cuius ratificatio, vel consen præsumitur spatio triginta annorum, stante obs uantia, vt sæpe decisum fuit in Rota. Vltrà qu fuit ratificata à successoribus in emphyteusi per uisionem anni 1577. in qua in portione Fabritij signata fuit responsio scut. 15. quæ soluuntur vigo istius locationis facta per Ioan. Gomez *cap. ratu* & ibi Din. *de reg. iur. lib. 6.* Dec. *consil. 272. n mero 4.*

Pro vt non obstat quòd Dominus Thomatus n gauerit directum dominium, quia ex capite ign rantiæ venit excusandus, cùm ei nulla fuerit fac intimatio, sed domus vti libera vendita fuerit, fuit resolutum coram Reuerendissimo Pacen. Decembris 1594. in causa Lauden. deuolution domus.

Similiter non obstat quòd Lampedius hac lit pendente, iura sua cesserit D. Sulpitiæ, & eius con sortibus, quia cùm priùs illa cessisset Fabritio, & Le lio eius hæredi, & deinde Domino Thomato cu traditione possessionis, hæc posterior cessio nihi suffragatur. *l. quoties*, cum ibi nota. *C. de rei vendic* nec vigore istius posterioris cessionis possunt dict Sulpitia, & consortes agere contra Dominum Tho matum, contra quem non poterat cedens. Bald *consil. 65. lib. 3.* & notum est cessionario non compe tere plus iuris quàm competebat cedenti, maximè propter iuramentum Lampedij de non contraue niendo prioribus cessionibus, iuxta not. per Gabr *de iur. iurand. conclus. 1. num. 1.*

REVERENDISSIMO P. D. LVDOVISIO.

Bononien. legati. Lunæ 19. Martij 1607.

DECISIO LXV.

Est inter eius impressas decisio 301. Habetur etiam replicata supra par. 1. recent. decis. 130.

R. P. D. LVDOVISIO.

Parmen. Status. Lunæ 3. Decembris 1607.

DECISIO LXVI.

Est decisio 344. inter eius impress. Habetur etiam impressa post 2. tom. consil. Farinac. decis. 246.

R. P. D.

R.P.D. ATTREBATEN.

Perusina dotis. Mercurij 5. Decembris 1607.

ARGVMENTVM.

De promissione facti alieni, quando ad illud adimplendum præcisè cogi possit, est singularis decisio, & declaratoria alterius decisionis, de qua suprà in eadem causa coram eodem sub die 15. Ianuarij 1607.

SVMMARIVM.

Promittere factum alienum præcisè nemo potest, & si promisit, ad id cogi non potest, sed succedit solùm obligatio ad interesse, num. 1. vbi tamen quòd hoc fallit de stylo tribunalis A C.

Promissio facti alieni resoluitur in promissionem diligentiæ, & curæ, vt factum promissum adimpleatur de iure Canonico, ibid. in fin. & num. 2.

Promittens factum alienum, si fecit quicquid potuit, vt illud præcisè adimpleatur, & non potuit, excusatur, num. 2 & 3. vbi quòd hoc fallit, nisi per contrahentes aliud conuentum fuerit, vt videlicet quocumque modo factum alienum promissum non adimpleatur, debeatur pœna, vel interesse, & nu. 4. vbi quid isto casu seruet stylus A.C. & num. 5.

Promittens factum alienum præcisè, cogi potest in causa dotis, num 6.

Interesse quando non fuit liquidatum, & est clarum, illius loco intrat sors principalis, num. 7.

Promittens aliquem de damno conseruare, & indemnem releuare, dicitur promittere factum proprium, & non alienum, nu. 8. & 9. vbi etiam quid de eo qui promisit de faciendo consentire, & de releuando.

Copula &, quandoque stat alternatiuè, & non copulatiuè, vtputa quando est posita inter genus, & species, num. 9.

Condemnatus ad factum quod quis promisit soluere, potest illius loco solui interesse ex iuris interpretatione, num. 10.

DECISIO LXVII.

1 PRoximè in hac causa fuerat decisum mandatum exequutiuum Auditoris Cameræ relaxatum ad instantiam Lutij Baldelli contra Fuluium de Periglis ad illum carcerandum donec dictum Lutium indemnem conseruaret, & consentire faceret Hieronymam, &c. esse nullum, quia non poterat præcisè cogi ad factum alienum, sicut nec præcisè poterat illud promittere, sed loco obligationis ad factum alienum succedit obligatio ad interesse, quę quidem conclusiones de iure communi subsistunt. Verùm causa iterum proposita Domini attento stylo Auditoris Cameræ pro validitate mandati concludendum censuerunt, quia in illo tribunali passim ad factum alienum huiusmodi mandatum relaxatur, & hic stylus in iure Canonico fundatus videtur, quia promissio facti alieni resoluitur in promissionem diligentiæ, & curæ, ita vt promissor teneatur agere, & curare, quod alter faciat. gloss. *in cap. Eleutherius 91. dist. & not. in cap. ex literis il 2. de sponsal.* vbi Butr. *num.* 9. Abb. *num.* 6. Anchar. *num.* 4. Felin. *in cap. ex rescripto num.* 18. *de iureiur.* Alexand. *in l. stipulatio ista, num.* 5. & ibi Ias. *nu.* 50. *ff. de verb. oblig.* Couar. *in cap. quamuis pactum 2. part. §. 5. num. 1. & 4.* Gabr. *consi. 131. nu. 3. cum seqq. lib. 2.*

2 Et consequenter resoluitur in factum proprium. *l. quoties quis. ff. de verb. oblig.* Alex. & alij in locis suprà citatis. Marant. *disput. 7. num. 6.* in quo facto proprio vti difficultas, & impossibilitas excusat; ita & multo magis in facto alieno, si promissor fecit quod potuit. *gloss. fin. in d. cap. ex rescripto. de iureiur.* & ibi Felin. *dicto num. 18. in fin.* Butr. *dicto cap. ex literis il 2. num.* 9. & ibi Anchar. *num.* 4. Abb. *in cap. gemma num. 9. de sponsal.* Dec. *consil. 312. num.* 5 Feder. de Sen. *consi. 122. incip. Martinus promisit.* Gabr. *dicto consil. 131.* & Ruin. *consil. 130. num. 1. lib. 1. & consi. 67. in fin. lib. 4.* Ias. qui de communi testatur *in d. l. stipulatio ista, in princ.* Gram. *decis. 102. num. 110.* Afflict. *decis. 295.* & fuit resolutum in Romana Palatij 7. Maij 1580. coram Robusterio, quia difficultas excusat in obligationibus facti. *l. si vehenda. §. idem iuris. ff. ad leg. Rhod. de iact. l. 2. § 1. ff. si quis caut.*

Et hoc obtinet, nisi per contrahentes aliud actum sit, & conuentum, vt deberetur pœna, vel interesse in euentum, quo factum alienum promissum quocumque modo non impleretur. Dec. *dicto consil. 313. numer 6.* Paris. *consil. 110. numer. 61. & 63. lib. 1.* & Gabr. *dicto consil. 131. num. 6.* Marant. *vbi suprà numer. 23.* 3

Ex quibus receptus videtur in Tribunali Auditoris Cameræ stylus de quo aliqui ex Dominis testabantur, vt si obligatus ad factum alienum opponat se non posse adimplere, tunc citetur ad faciendas diligentias, quibus adhibitis si appareret de impossibilitate, vel difficultate, non decernitur, neque relaxatur mandatum ad factum, vt fuit obseruatum in dicta Romana Palatij, & in Asculana dotis 23 Februarij 1579. coram bo. me. Oriolen. & in Perusina ratificationis 6. Maij 1606. coram Reuerendo Patre Domino Ludouisio, in qua dicitur, quòd adhibita erat omnis diligentia ad faciendum consentire. 4

Vbi verò per obligatum ad factum alienum non fuerit oppositum se non posse adimplere, nec fuerit oblatum interesse, tunc præuia citatione ad adimplendum, & adimpleuisse docendum omnia, & singula promissa, relaxatur mandatum ad factum ipsum Bart. *d. stipulationes non diuiduntur numer. 40. versic. aut ab initio in eadem l. 1. §. Celsus num. 4. vers. præterea poterat esse.* Corn. *consi. 256. num. 10.* quòd si autem factum deprehendatur impossibile, exequutio fit in eo quod est possibile, videlicet in æstimatione, vel interesse in casibus, in quibus, vel ex conuentione, vel iuris dispositione debetur. Ang. Aret. *consi. 136. num. 17. & duob. seqq.* & fuit dictum in dicta Asculana dotis coram Robusterio, & in Perusina ratificationis coram Domino meo Ludouisio. 5

Et hæc eo magis procedunt in hac facti specie, quia regula quòd ad factum alienum quis præcisè cogi non possit, non habet locum in causa dotis. *l. fin. Cod. ad Velle.* Ias. *in l. stipulationes non diuiduntur, numero 35. versi. 2.* Bald. Nouell. *de dot. part. 7. priuileg. 4.* 6

Non obstat, quòd interesse non fuit liquidatum quia quando interesse est clarum, intrat sors principalis loco damnorum, & interesse, vt in simili quando in contractu census non adimplentur, promissa sors ipsa petitur loco interesse. fuit dictum in vna Romana dotis 11. Februarij 1582. quæ est di- 7

uerf. 741. *numer.1.in fine. part.1.* in mandato autem expressum esse certum interesse quatuor millium in instrumento dotis promissorum, & sic in actis erat liquidatum.

8 Deinde vti iustum etiam fuit confirmandum mandatum Auditoris Cameræ, quia non solùm fuit decretum, & relaxatum ad factum alienum, verùm etiam ad proprium vigore obligationis, quia fuit promissum prædium dotale, illúdque, & Lutium, ipsiúsque hæredes semper, & omni tempore sine damno conseruare, quæ verba important releuationem indemnitatis, & sic factum proprium.

9 Non obstant verba mandati de faciendo consentire & de releuando, quia illa non sunt intelligenda copulatiuè, sed alternatiuè, iuxta text. *in l. sæpe ita.ff.de verb.signific.* Bald. *in l. traditio num.4. ff. de act.empt.* maximè quando verisimilis mens disponentis id suadet, vt non requiratur concursus copulatorum. Corn. *consf.205.num.7.lib.4.* vel cùm verba in vnum consonent, vt genus, & species. Bart. *in l.1.num.2. ff. de iust. & iur.* alias fallentias allegat Alciat. *in dicta l.sæpe*, quibus casibus debitor vnum ex duobus faciendo liberatur. Put. *decis.86.lib.2.*

10 Quamuis autem condemnatio facta sit ad ipsum factum, tamen eius loco solui potuit interesse, quia idem censetur iuris interpretatione. Bart. *dicta l.stipulationes non diuiduntur num. 40. ad fin. versi. præterea si petitur factum*, & ibi Alexand. *numero 31. ante fin.* Castr. *in dicto §.Celsus num.4.vers.breuiter*, & tradit Bald. *in dicta l.si traditio nu.1.C.de act.empt.*

ILLVSTRISSIMO D. CARD. LANCELLOTTO.

Perusina nullitatis donationis. Veneris 18. Aprilis 1608.

DECISIO LXVIII.

Impressa post 2.tom.Farinac.decis.252.

R.P.D. COCCINO DECANO.

Vercellen. Archipresbyteratus. Lunæ 21. Aprilis 1608.

DECISIO LXIX.

Est inter eius impressas decisio 405.

R.P.D. PENIA.

Ferrarien.prioratus. Lunæ 17. Martij 1608.

DECISIO LXX.

Impressa etiam habetur in tomo 2.decis.eiusdem Auditoris cato imprimendo Lugduni ab Hæredibus Prost, Borde & Arnaud.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Romana census. Veneris 3. Iunij 1608.

ARGVMENTVM.

Depositum vt vim solutionis habeat quæ requirantur, & quando fideiussor liberatus censeatur per nouationem delegationis factam cum creditore.

SVMMARIVM.

Depositum non habet vim solutionis quando à deponente non est abdicatum dominium pecuniarum depositarum, ita quòd creditor non possit ad sui libitum pecunias depositatas ad se trahere, numer.2.5.& 8.

Nouatio per delegationem inducta non liberat fideiussorem, nisi à creditore fuerit acceptata, & nisi concurrant requisita, de quibus nu.3.& 4.

Iudicis factum reputatur factum partis, & alteri parti præiudicare non debet quando idem iudex non rite procedit, numer.5.

Depositi acceptatio vt facta dicatur sufficit actus positiuus. declara vt num.7.

DECISIO LXXI.

CVm die 2. Aprilis anni præteriti, dubitatum fuisset an depositum factum per DD. de Biscia, liberasset D. Flaminium de Anguillaria, & Domini negatiuam partem fuissent amplexi, prout in decisione tunc in ista causa facta videre licet, cú nque illi non acquiesceret D. Flaminius, reproposui idem dubium 17. Decembris eiusdem anni, & fuit dictum non liquere. Vnde 28. Ianuarij & 11. Februarij præsentis anni eodem dubio iterum proposito fuit facta dilatio, & die 18. Aprilis eiusdem anni dubium fuit restrictum quoad liberationem D. Flaminij, vnde 2. Maij proximè præteriti cùm Domini non essent concordes, fuit ordinatum quòd omnes Domini viderent, & tandem causa hodie repropósita, fuit pro maiori parte resolutum D. Flaminium per dictum depositum à D D. de Biscia factum, non fuisse liberatum; nam cùm discussio huius dubij non respiciat, an iste census spectet ad D. Palonium vel ad alios creditores q. Iulij Cæsaris, sed an D. Flaminius debitor census fuerit à sua obligatione liberatus per dictum depositum.

Visum fuit negatiuè respondendum, cùm depositum non fuisset factum purè & simpliciter, & taliter quòd per ipsum fuisset abdicatum dominium à Dominis de Biscia, & quòd D. Palonius posset ad sui libitum pecunias depositatas ad se trahere. Vnde tale depositum non habet vim solutionis, nec liberationis, iuxta doctrinam Bart. *in l. soluturus num. 5.ff.de solut.* cum aliis latè adductis per me in prædicta decisione & apostolis anni præteriti in ista causa facta.

Quæ iuuantur cùm D. Flaminius non tantùm sit debitor illius census, qui ab anno 1595. recognouerit in Dominam illius D. Claricem vxorem in secundis nuptiis D. Angeli Palonij, cùm ipsa istum censum in dotem dedit, & illi fructus per D. Flaminium semper fuerint soluti, vt in summario D. Palonij *numero* 3. Vnde iidem DD. de Biscia instrumenti emptionis castri Mazzani illi per D. Flaminium venditi in se accollarunt & assumpserunt huiusmodi censum, promiserúntque fructus illius D. Angelo nominatim soluere, quibus non obstat

obstat in ista accollatione promisisse DD. de Biscia istum censum ad beneplacitum D. Flaminij extinguere, & per consequens videri per dictam accollationem D. Flaminium fuisse liberatum; quia respondet illam accollationem respicere pactum inter D. Flaminium & DD. de Biscia, non autem producere liberationem D. Flaminij ab obligatione, quia D. Clarici & D. Angelo ipsius viro ratione istius census tenebatur, præcipuè cùm ista accollatio census non fuerit per D. Angelum acceptata, vnde ex illa non potuit liberari D. Flaminius à sua obligatione, ad notat. *in l. si pupilli. §. fin. ff. de solutionib.* Dec. *consil.* 107. *lib.* 1.

4 Minúsque obstat quòd DD. de Biscia potuerint illud depositum facere vti debitores delegati à D. Flaminio, quia nec de tali delegatione non requisitis à iure ad illam inducendam constet præcipuè de illius per D. Angelum acceptatione provt opus esset, & hoc vt dictus Flaminius per delegationem debitoris diceretur liberatus, vt tradit Bart. *in l. singularia num.* 18. *& 19. ff. si cert. petat.* Castren. *in l. qui vsumfructum* 57. *numer.* 3. *& 4. ff. de verbor. obligat.* Gabr. *consil.* 155. *num.* 29. *lib.* 1. Surd. alios referens *decis.* 23. *num.* 6. *&* 7. & quamuis DD. de Biscia istud depositum facere potuissent vti mandatarij D. Flaminij, non intrat istud motiuum, cùm illud non fecerit nomine Flaminij, sed nomine proprio, vt ipsi obligati ad extinguendum istum censum. Et licèt D. Flaminius mandauerit vt pro se solueret D. Angelo, Flaminius tamen debitor & mandatarius, non remansit liberatus. Bart. *in d. l. singularia*, vbi Castren. *in fine versic. ff. si cert. petat.*

5 Nec D. Angelus dictum depositum etiam quòd fuerit factum mandato iudicis tenebatur acceptare, cùm DD. de Biscia nunquam in suos debitores recognouerint, vnde nec illis istum censum retrouendere debebant, provt iudex decreuit, cùm non essent plus huius census debitores, & sic factum iudicis minus rectè procedentis, potiùs censetur factum partis, quod D. Angelo præiudicare non debuit. Bart. *in l. frater à fratre numer.* 3. *ff. de condict. indeb.* Crauett. *consil.* 248. *numer.* 1. *& consi.* 750. *num.* 8. *lib.* 5. præcipuè cùm iudex mandauerit depositum fieri non simpliciter, sed taliter, quòd nec ex illo dominium remanebat abdicatum à Biscis, nec Angelus liberè pecunias depositatas poterat recipere, vnde non potuit etiam de mandato iudicis tale depositum solutionem operari, & liberare Flaminium à sua obligatione. ad latè adducta *in* 1. *decision.* in ista causa facta coram me.

6 Nec etiam facit quòd istud depositum liberarit Flaminium quasi factum à Bisciis, etiam consideratis tertiis & extraneis, quia respondetur, quòd ad consequendam liberationem debitoris tertius & extraneus tenetur soluere quod creditori debetur. *l. solutione. ff. de solutionibus.* quod DD. de Biscia non fecerunt, cùm prædictum depositum solutionis & liberationis vim non haberet, ex supradictis.

7 Quibus non obstat quòd D. Angelus obtulerit se paratum recipere solutionem census, & de receptis liberare; & per consequens visus fuit in suos debitores DD. de Biscia recognoscere, iuxta notat. per Natt. *consi.* 131. *num.* 4. vbi tenet sufficere aliquem actum positiuum pro acceptatione depositi, & dixit Rota coram D. meo Iusto in vna Romana census 9. Aprilis 1605. Quia respondetur ex prædicta oblatione Palonij de recipiendo solutionem, & de receptis liberando non inferri recognouisse DD. de Biscia in suos debitores, cùm aliud sit oblatam solutionem à quacumque factam acceptare, aliud verò hunc vel illum in debitorem recognoscere. Surd. *decis.* 174. *num.* 27.

Vlteriùs, quia hic actus non operatur vltra intentionem agentis, vnde Palonius consensit in numerationem quam acceptabat, non in depositum, quo actu volebat à quocumque sibi realiter solueretur liberare D. Flaminium: sed sic est quòd depositum ex supradictis, & in prima decisione adductum, fuit factum eo modo, vt D. Palonius non posset liberè pecunias ad se trahere, vnde fuit factum vltra Palonij consensum, & per consequens non habuit vim solutionis, sed promissionis quæ non liberat. 8

Nec minus obstat quòd DD. de Bisciis soluerint aliquos fructus census aliis creditoribus. Ista namque exceptio non liberat D. Flaminium à D. Angelo specifico creditore, census præcipuè, cùm nulla sententia ostendatur, ex qua constet aliquod ius prælationis, vel anterioritatis illorum quibus est facta solutio. 9

Vltimò non obstat quòd stantibus inhibitionibus Dominæ Cecchinæ super dicto censu videatur depositum per DD. de Biscia legitimè factum, cùm posset fieri ne debitor bis soluere compelleretur, quia respondetur quòd cùm DD. de Biscia non essent debitores Angeli istius census, sed dictum depositum fuerit ipsorum nomine factum, non potuit liberare D. Flaminium, cuius nomine non fuit factum. Et tandem visum fuit Dominis, quòd cùm D. Angelus agat ad census contra D. Flaminium, & sit in quasi possessione ab ipso illos exigendi, non posse Flaminium solutione illorum fugere, nec ab ea dici liberatum ex præmissis, donec per sententias constet non esse debitorem. 10

Ex quibus Domini pro maiori parte resoluerunt depositum istud non liberasse D. Flaminium, sícque standum esse in decis. 2. Aprilis anni præteriti coram me. Qua resolutione sic facta & ante huius decisionis extensionem in vltimis Rotis ante vacantias D. Angelus per memoriale petiit à Dominis mihi ordinari quatenus illi relaxarem mandatum contra Dominum Flaminium pro censibus decursis, attenta sua quasi possessione in qua existebat exigendi illos à D. Flaminio, pro cuius parte fuit contradictum per memoriale, & nihilominus Domini ordinauerunt, quòd pro censibus decursis mandatum relaxaretur, &c. 11

R. P. D. MANZANEDO.

Romana pecuniaria de Crescentiis. Lunæ 17. *Nouembris* 1608.

ARGVMENTVM.

Alimenta debita ex iudicis officio non debentur nisi in subsidium: secus alimenta debita iure actionis, & quando quis dicatur habere aliunde vt se alere possit.

SVMMARIVM.

1 Alimenta alicui debita non iure actionis, sed iudicis officio non debentur, nisi in subsidium, quando scilicet alendus aliunde non habeat vnde se alat, num.3. & 4. vbi ampliatur hæc conclusio, etiam quòd post taxationem alimentorum superuenerit facultas se aliunde alendi, & num.5 vers. Idem est.

Paupertatis causa concessa prouisio cessat, cessante paupertate, num.4.

Alimenta non debentur ei qui dolo, aut culpa sua facit quominus illa habeat, num.5.

Diues reputatur qui potest facere vt sit diues, ibi. ad fin.

Habere videtur qui actionem exigendi habet, ibi. ad fin.

Debitor quando possit in acquirendo creditoribus præiudicare, num.6.

Alimentorum legatum debetur etiam quòd legatarius aliunde habeat vnde se alat, ibid. ad fin. vbi etiam quòd hoc generaliter procedit vbicumque alimenta debentur iure actionis.

DECISIO LXXII.

1 Die 18. Iunij 1607. fuit resolutum scuta bis mille, de quibus agitur, debere consignari creditoribus, relictis tamen moderatis alimentis Dominis Crescentiis, de quorum quantitate taxanda postea videretur. Vnde dubitaui, an ad prædictam taxationem esset deueniendum cùm post dictam resolutionem captam euenerit Dominam Salustiam vxorem & matrem respectiuè DD. de Crescentiis ab hac vita migrasse, relinquendo ipsius viro, & filiis alimenta condecentia ex sua hæreditate percipienda, ex quo cùm ipsis sit sufficienter de alimentis cautum; venit iure optimo dubitandum, an ex prædictis scutis bis mille creditoribus consignandis, sint aliqua alimenta hodie deducenda, & sic ad illorum taxationem deueniendum.

2 Et Domini negatiuè censuere respondendum, prout & in prima decisione virtualiter fuit responsum, dum ibi dicitur alimenta moderata esse præstanda DD. Crescentiis de dictis scutis bis mille, dum tamen non possideant alia bona; quòd si illa possidere constasset, omnino ista alimenta illis denegarentur, & prædicta scuta bis mille creditoribus assignarentur, sed sic est, quod ex dictis alimentis à D. Salustia ipsi relictis, constat Dominos de Crescentiis illa habere, sibíque de illis satis consultum esse. Ergo iuxta primam decisionem sunt creditoribus ista scuta 2000. consignanda absque vlla deductione pro alimentis DD. de Crescentiis facienda. Et ratio est, quia alimenta in prædicta decisione Dominis Crescentiis reseruata præstabantur illis iudicis officio, non iure actionis.

3 Quo casu non debentur nisi in subsidium. Dec. *in l. de alimentis num.5. C. de transactionib.* Cephal. *consil.* 280. *numer.* 44. quod procedit non solùm quando acta sunt aliunde, sed quando potest habere. *l. si quis libertus. §. si filius*, vbi Bart. *ff. de fil. agnoscen.* Alexand. *consil.48. num.2. lib.3.* Ruyn. *consi.80. post numero 5. vers. Nam vtcumque lib.2.* Cephal. *consi.* 244. *num.* 23. *& seq.* Natt. *consi* 648. *numero* 13. *& sequen.* Pontan. alios referens *de alimen. cap.4.* Surd. *eodem tractat. tit.9. quæst.35. à num.32. cum pluribus sequentibus.* & officium iudicis cessat, quando alendus habet aliam personam, à qua alimenta petere valeat. Alex. *in l. diuortio, num.16. ff. solut. matrim. & in d. consi.48. num.2* Gab. *consi.15. num.15. & post num.16. lib.1.* Surd. *vbi supra tit. tertiò, quæst.37. numero 7.*

Vnde cùm in præsenti concurrant alimenta ex legato debita & sic iure actionis, & alia debita officio iudicis, ista tanquam subsidiaria stantibus illis debent cessare, cùm ex legato habeant vnde ali, quod procedit etiam post taxationem & alimenta decreta ex auctis facultatibus, cessat immunitas & prouisio concessa ob paupertatem. *l. non tantùm vers qui. ff. de excus. tutor.* tradit latè Surd. *dicto tract. tit.7. quæstion.42. num.4.6. & seq. & num.12. & 13. cum sequentibus.* Sicque Domini in supradicta prima decisione de æquitate, & iudicis officio Dominis de Crescentiis alimenta moderata de istis scutis bis mille danda censuere, non tamen de iuris rigore. 4

Quibus non obstat quòd ex aduerso dicitur nolle Dominos de Crescentiis legatum alimentorum à Domina Salustia illis legatum accipere, sed potiùs repudiare, quia cùm per ipsos stet, quominus alimenta sibi legata consequantur, satis illa habere dicuntur. *l. sed & si. §. proinde. ff. de petit. hæredit. l. si verò. §. peruenisse. ff. solut. matrimon.* Surd. *vbi suprà tit.9. quæst.4 num.31.* Et alimenta non debentur ei qui dolo aut culpa sua facit, quo minus illa habet. Surd. *vbi suprà tit.1. part.7. & 8. num.42. & seq.* & non possunt censeri pauperes qui possunt esse diuites si volunt iure suo vti, & actiones sibi competentes exercere, sicque legatum alimentorum vxori factum à patre excludit eam à petitione, quare, &c. Idem est sibi si aliunde ius deferatur à tertio, vel si habeat ex bonis primi viri, idque iure merito non habeatur pro diuite, qui potest facere vt sit diues, *l. qui potest facere. ff. de reg. iur.* vt videtur habere aliunde qui habet actionem ad exigendum, & notatur *d. l. diuortio. ff. solut. matrimon.* quo casu nec est alenda vidua ab hæredibus viri intra annum luctus tradit latè Surd. *vbi suprà d. tit.9. quæst.35. & num.23 cum sequentibus.* 5

Minus obstat debitorem posse creditoribus præiudicare in acquirendo. *l. qui autem. §. sed & illud. ff. quæ in fraud. credit. l. non fraudantur. ff. de reg. iur.* Nam vltra responsionem datam à Surdo *in dicta quæst.35. num.34.* dicitur verum esse debitorem posse creditoribus in acquirendo præiudicare quantum ad hoc vt ex legato non acceptato non possit creditor aliquod ius prætendere; non tamen inde sequitur, quòd repudianti huiusmodi legatum, non sint deneganda alimenta debita officio iudicis, cùm ad hoc sufficiat posse acquirere ex supradictis. Minus obstat legatum istud alimentorum censeri conditionale quatenus filij alimenta aliunde habeant. Vnde cùm ex illa prima dicta decisione ius moderatum habeant, non debent admitti ad consequutionem legati, quia respondetur, quòd cùm alimenta legata debeantur iure actionis, non admittunt prædictam conditionem, cùm semper & quantumcumque legatarius habeat vnde se alat, illi debentur. Ruin. *d. consi.80. numero 5. lib.2.* Bald. *in l.1. numer.7. Cod. de fideicommiss.* Castr. *in d. l. diuortio num.9.* & Dec. *in d. l. alimentis num.5.* Surd. *dicto tit.7. quæst.22. num.21. & sequentibus.* Quæ enim iure actionis debentur, etiam si diuisi, sunt præstanda. *d. l. de aliment.* vbi Bald. *num.3.* Alexand. *in princip.* & Ias. *num.6. & seq.* Surd. *d. tit.7. q.15. nu.27.* Ex quo fit, quod consequitur etiam alimenta præterita. Pontan. *vbi suprà c.17. num.13. in fine*, qui alios adducit. Surd. *d. tract.1. q.42. ad fin.* Menoch. *consi.231. nu.31. lib.3.* 6

Vltimò

7 Vltimò non obstat quòd alimenta possint multiplicari, quia respondetur ex supradictis illud procedere in debitis iure actionis, non verò in subsidiariis datis officio iudicis, cùm ista cessent si alendus habet aliunde.

R. P. D. LVDOVISIO.

Parmen. status Veneris 5. Decembris 1608.

DECISIO LXXIII.

Est inter eius impress. decis. 390. Est etiam impress. post 2 tom. consil. Farinac. decis. 291.

R.P.D. ORTEMBERGO.

Ferrarien. matrimonij. Veneris 6. Februarij 1609.

ARGVMENTVM.

Matrimonium quibus verbis dicatur de præsenti contractum.

SVMMARIVM.

Matrimonium quibus verbis dicatur de præsenti contractum, n. 1. & per tot.

Matrimonium, vt de præsenti contractum dicatur, requiritur mutuus viri & mulieris consensus per verba de præsenti, n. 2.

Matrimonium nunquid dicatur contractum de præsenti per verba, Volo accipere in vxorem, *n. 2.*

Matrimonij verba ex adiunctis, & circumstantiis interpretationem recipiunt, ibid.

Matrimonij consensus sufficit quoquomodo exprimatur, ibid.

Matrimonij probatio maximè arguitur ex præcedente tractatu, & ex subsequente traditione annuli, subarrhatione, & muneribus, n. 2. & 3.

Instrumentum publicum non reprobatur per testes non omni exceptione maiores, n. 4.

DECISIO LXXIV.

1 Proposito sæpiùs dubio, an constet de validitate matrimonij, placuit illud restringere, & discutere, an contractus esset initus per verba de præsenti vel de futuro. Res autem in hunc modum gesta fuit: præuiis capitulis matrimonialibus & sponsalibus de futuro eodem die, vt in publico instrumento legitur, congregatis personis iam dicendis, pro celebrando matrimonio infrascripto, Hercules de Blanchis Capellanus Ecclesiæ parochialis Bondeni, & altaris Sanctissimi Rosarij, præsentibus testibus, ac vtroque parente Dominæ Iuniperæ Rouerellæ, interrogauit R.P.D. Ioann. Baptistam Stellam Procuratorem D. Iulij Cæsaris eius fratris, an ipse vellet & contentus esset accipere Dominam Iuniperam in vxorem, & sponsam legitimam Domini Iulij Cæsaris, & illam desponsare secundùm ritum Sanctæ Rom. Ecclesiæ? Et R.P.D. Io. Baptista, ex certa eius animi scientia & animo deliberato, ac omni meliori modo dixit, & declarauit, se velle illam accipere in vxorem, & legitimam sponsam sui fratris, & procuratorio nomine in eam consentire per verba de præsenti, & offerre se paratum illam desponsare, casu quo eius consensum in præmissis præstare velit. Deinde idem D. Hercules conuersus ad Dominam Iuniperam, illam interrogauit an prædictis consentire velit, & ministerio ipsius R. P. D Io. Baptistæ suscipere in eius virum, & legitimum sponsum D. Iulium Cæsarem, & permittere se desponsari? quibus auditis, D. Iunipera sua sponte, & animo deliberato respondendo dixit, se consentire, & velle D. Iulium Cæsarem, ministerio R. P. D. Io. Baptistæ eius fratris, & Procuratoris, accipere in sponsum & maritum legitimum, ac in ipsum per verba de præsenti consentire, & petiit ac voluit se desponsari à R.P.D. Io. Baptista, vti Procuratore, in vxorem D. Iulij Cæsaris.

Informantes pro D. Iunipera asserebant prædicta verba non facere matrimonium; quia ad contrahendum matrimonium requiritur mutuus viri & mulieris consensus per verba de præsenti. *cap. pen. de sponsal.* sed verba: *Volo accipere in vxorem*, non important matrimonium de præsenti, vt notat. *in cap. ex literis*, 1. *de sponsal. & in Clem. vnica, de consang. & affinitat.* Idem voluit Berous *quæst. 6. num. 1. & 2.* Corn. *cons. 91. per totum. lib. 3.* Ferret. *cons. 281. num. 3. & seqq.* & plures cumulat decisio in causa matrimonij 10. Nouembris 1577. coram bon. mem. Oriolen. Quibus non obstantibus contrarium fuit resolutum. Nam verba instrumenti clara sunt, quòd conuenerant pro concludendo matrimonio, vt dictum est, & in responsionibus hinc inde specialiter exprimitur, quòd præstarent consensum per verba de præsenti, ita vt nullus ambigendi locus videatur; & tamen cùm ista verba, *vis, & volo accipere*, adaptari possint tam ad contractum sponsalium, quàm matrimonij, ex adiunctis, & circumstantiis interpretatio capienda est. Corn. *d. cons. 91. num 9.* nulla enim sunt verba formalia matrimonij, sed sufficit quoquomodo consensus exprimatur. *cap. sufficiat. 27. quæst. 2. cap. tua. de sponsal. l. nuptias. ff. de reg. iur.* Card. *in d. Clem. vnica num. 16. in fin.* Mandos. *in addit. ad allegat.* Lap. 56. *in verb. Verba non sunt necessaria.* quando autem hæc verba, *volo accipere in vxorem*, proferuntur deliberatè, vt in apparatu matrimonij, vel ad interrogationem alterius partis, vt in proposito, tunc sunt apta ad inducendum perfectum contractum matrimonij. Butr. *in d. cap. ex litteris.* Card. *in d. Clem. vnica, num. 16. vers. solutio*, idque efficaciter probatur ex præcedenti tractatu de contrahendo, qui operatur, vt etiam verba dubia intelligenda sint de matrimonio. Card. *vbi suprà, vers vbi concludo.* Couarr. *in epit. 4. decretal. in 2. part. cons. 4 §. 1. num. 4.* Mandos. *in præallegata additione in verb. præcedit alius contractus*, fuit dictum in Romana pecuniaria de Bubalinis. 7. Nouembris 1572. coram Oriolen. & in Parmen. status 23. Octobris 1592. coram bon. mem. Cardinale Seraphino. Idem probatur ex subsequutis, & primũ ex traditione annuli, & subarrhatione tempore celebrati matrimonij, per quem actum denotantem consensum coniugalem probatur matrimonium de præsenti; etiamsi verba dubia præcessissent, quæ fieri non solent, nisi vxori. Gloss. *in cap. fin. de despons. impub. in verb. subarrhauit.* Abb. *in cap. tenor, nu. 5. de sententia, & re iudicata.* Lap. *d. allegat. 56. nu. 14. vers. vnde annulli subarrhatio.* quem & sequitur Felin. *in cap. illud in fin. de præsumpt.* Couarr. *d. cap. 4. n. 3. in princip.* Natt. *cons. 250. num. 7.* Paris. *cons. 55. num. 44.* 2

*lib.*4. Ferret.*cons.*86.*num.*16. fuit dictum in Papien. matrimonij 1. Iunij 1594. coram Illustrissimo Card. Mellino, & in Lucana de Insula sancta.6.Iunij 1575. coram bon. mem.Card.Lancellotto.

3 Accedunt adminicula ex muneribus à D.Iul.Cesare D.Iuniperæ transmissis, quæ absque fœdere matrimonij à muliere nobili, & honesta non fuissent accepta, necnon colligitur ex pluribus literis ab ea scriptis D.Iul.Cæsari.

4 Non obstant depositiones testium remissorialium, quia nullus illorum interuenit actui celebrationis, ideoque non possunt deponere an fuerint pronunciata de præsenti; vltrà quòd isti testes sunt personæ viles, vtpotè serui, nautę & sartores, Instrumentum autem, quod facit probationem probatam, non potest infringi, nisi per testes omni exceptione maiores. Felin. *in cap. cum Ioannes, nu.*44.*de fid. instrum.*Bart.*in l.*1.*§.si quis neget.n.*12.*ff.quemadmodum testamenta aperiantur.* Alex.*cons.*53.*n.*2.*lib.*7.

REVERENDISSIMO P.D. MARCO-MONTIO.

Terulen.beneficij.Veneris 12.*Februar.*1609.

ARGVMENTVM.

Iuris patronatus probatio debet esse plena, & concludens, quãdo agitur ad excludendum reseruationem. & quando sic dicatur plena, & concludens facta probatio.

SVMMARIVM.

*Iurispatronatus probatio, quando agitur ad excludendum reseruationem debet esse plena ex fundatione, vel dotatione, num.*1.*& 2. Vbi quòd solus titulus testamenti non sufficit, & n.*3.

Iuspatronatus de iure communi non competit, nisi ex dotatione, & fundatione, siue ex constructione, vel fundidatione, ibid.

*Iuspatronatus ex modicæ, præsertim dotis, augmento non censetur probatus, n.*5.*& 6. Vbi ampliùs quòd isto casu debet probari effectuatio legati huius argumenti.*

*Testamenti, seu instrumenti particula producta nihil probat, nisi totum instrumentum, aut testamentum producatur, n.*6.

Copia instrumenti extracta lite pendente, & absque compulsorialibus nihil probat, ibid.

DECISIO LXXV.

1 BEneficium de quo agitur vacauit in mense Iulij, d. que illo vti Sedi Apostolicæ reseruato D.Ortensius de Siluis fuit prouisus: vnde cùm non sufficiat præsentatio existentium in quasi possessione præsentandi, sed requiratur plena iurispatronatus ex fundatione vel dotatione probatio, ad excludendam reseruationem, vt fuit dictum in causa Valentina de Carlett.4 Iunij 1602. coram R.P.D.meo Lancellotto, & in Compsana iurispatronatus 23.Ianuarij 1603. coram bon.mem.Litta. Ideo dubitaui, an in hoc casu constet de iurepatronatus & solo D. Hortensio de Siluis informante fuit resolutum negatiuè.

2 Licèt enim in actis exhibita fuerit particula testamenti Io.Nauarri olim Parochi, siue Vicarij oppidi de Alcala, in quo ordinat quòd ex bonis d. testatoris accipiantur quædam pecuniæ quæ ad censum ponantur, ad effectum vt fructus vniantur & incorporentur Capellaniæ dictæ de Maria Calca, fundatę & institutæ in Ecclesia parochiali dicti oppidi de Alcala: quodq; si iudex, & parochus dicti oppidi, & frater testatoris sint patroni: tamen hic titulus non fuit visus sufficiens ad probandum iuspatronatus, imò illius productio infecit alias probationes resultantes ex enunciatiuis ordinariorũ, & præsentationibus effectuatis. Cresc.*decis.*21.*n.*3.*de prob.*Put.*dec.*140.*n.*2.*lib.*3.de quibus proinde probationibus non est opus agere, nec inspicere, an sufficerent in patronatu priuato, & an versemur in huiusmodi patronatu: vel potiùs in patronatu, qui ob suspicionem vsurpationis indigeat requisitis Concilij.

Quòd autem ille titulus testamenti non sit sufficiens, deducitur quia ius patronatus de iure communi non competit, nisi ex dotatione & fundatione, siue ex constructione vel fundatione. DD.*in cap.*3.*de iurepatronatus*, Abbas *cons.*54.*num.*7.*p.* 1. & alij per Lambert.*lib.*1.*p.*1.*qu.*1.*art.*6.*& qu.*2.*art.*2.*num.*1. Sed ex prædicto testamento non probatur fundatio Capellaniæ, quia dicitur in eo expresè quòd dicta Capellania erat fundata; non probatur etiam dotatio, sed solummodo quoddam argumentum dotis, vt indicant illa verba, *vniri & incorporari Capellaniæ iam constitutæ*, quæ præsupponunt iam adfuisse aliquam dotem, cui vnio & incorporatio esset facienda quia vnire, sicuti optare intelligitur de pluribus: vt per Rebuff. *in praxi tit.de vnionibus, in princip.*

Et quidẽ de iure est quòd beneficia præsumantur dotata: quod quamuis fallere possit in altaribus sitis intra Ecclesiam quæ possunt esse sine dote, vt per Lambert.*p.*1.*art.*2.*q.*3.*pr.nu.*5. tamen omissa disputatione, an eo casu dotans acquirat iuspatronatus, quam diputationem attingit Lambert. *num.*6.*& seq.* adhuc illa fallentia non satis quadrat huic casui propter verba suprà considerata; & multò magis, quia altare vltra illos fructus legatos in pecunia, habet quamplures alios redditus in fundis, & rebus soli: ita vt magis opportunum sit accipere verba *vniri & incorporari*, in sua propria significatione, quàm illa impropriare, ad effectum vt modicum legatum habeatur non pro augmento, sed pro dote, vt beneficium remaneat non liberum, sed in seruitute; contra regulas, & præsumptiones iuris.

Modicitas verò legati est perspicua: fructus enim pecuniæ legatæ vix constituunt summam scutorum aureorum nouem; quibus stantibus sequitur certissima conclusio, quòd ex augmento dotis maximè adeò modico & exiguo, non efficitur quis patronus, sed tantùm dicitur benefactor. Gloss. *in cap. piæ mentis* 16. *quæst.*7. Abb. *in cap.*3. *num.* 4. *de Eccles. ædif.* Lambert. *de iurepatronatus lib.*1.*p.*5.*qu.*5.*art.*12.*num.*2.

Accedit quòd non constat de aliqua ordinarij approbatione, &, quod plus est, non constat prædictum legatum fuisse effectuatum, seu adimpletum, quod vti fundamentum istius patronatus esset plenè, & concludenter probandum, vt fuit dictum in dicta Compsana iurispatronatus coram bon. mem. Litta: nec potest præsumi effectuatio, & obseruantia subsequuta, quia adhunc effectum d. obseruantia deberet esse proxima: ex præsentationibus autem

autem quæ dantur, magis antiqua est post annos septuaginta à die conditi testamenti: vltra quòd præsentationes factæ sunt ad Capellaniam sanctorum Apostolorum Simonis, & Iudeæ, quæ est ad altare maius: potest autem dici verisimiliter quòd testator non legauit altari maiori; aliàs enim omisisset hanc expressionem insignem, nec vsus fuisset illo circuitu inutili verborum Capellaniæ dictæ de Maria Calca fundatæ & institutæ in Ecclesia parochiali oppidi de Alcala.

7 Denique exhibita tantùm fuit particula testamenti, non autem integrum testamentum, prout fieri debuerat, ad notat. *in cap. contingit. de fide instrum.* Roman. *cons.* 305. *num.* 7. Alex. *in rubr. de noui operis nunciat. num.* 35. & dicta particula copia est extracta lite pendente absque compulsorialibus. Atque etiam ex illa apparet testamentum fuisse minus validè, & solemniter factum, cùm in eo duo tantum testes interuenerint.

Itaque ex dictis fuit conclusum pro informante.

R. P. D. LANCELLOTTO.

Bononien. prioratus. Veneris 15. *Maij* 1609.

ARGVMENTVM.

Valor beneficij per non excessum non probatur per testes affirmatiuè deponentes: nec publica vox, & fama probatur per testes deponentes de auditu à personis suspectis, & interessatis.

SVMMARIVM.

Valor beneficij per non excessum narratus non probatur per testes affirmatiuè deponentes, num. 1. *in fine, & num.* 3 *&* 4.

Fama non censetur probata per testes deponentes sic audiuisse à personis suspectis, & interessatis, n. 2. *&* 4.

DECISIO LXXVI.

1 CVm ad tollendas difficultates excitatas in decisione sub die 4. Iulij 1607. fuissent pro parte Capituli coadiutæ probationes aliàs factæ super valore Prioratus, seu Præceptoriæ de tempore vnionis, præcipuè autem post reportatam remissoriam, fuerit etiam examinatus in Curia vnus testis; causa proposita die 9. Maij 1608. & 1. Decembris eiusdem anni, & vltimo loco die supradicta: Domini considerantes quòd non agitur de simplici narratiua, quæ fit in prouisione beneficij, sed tractatur de perpetuo præiudicio Religionis, quæ in perpetuum præceptoria, ac hospitalitate pauperum Alamannorum priuaretur; & quòd non sumus in materia antiqua, sed recenti, nempe in facto xxiiij. ab hinc annis; resoluerunt ex deductis non esse iustificatam gratiam quo ad valorem: quatenus enim ad illum probandum adducitur primo loco quædam lista redditu um istius Prioratus, facta, vt dicitur, ex ordine bon. mem. Cardinalis Paleotti tunc temporis Archiepiscopi Bononiensis, & reperta in Archiuo eiusdem Archiepiscopatus; illa nihil concludit: nam vltra quòd fuit facta à personis Ecclesiæ, & de ordine Archiepiscopi, quorum intererat vnionem fieri ad augendos redditus Ecclesiæ, & non probatur ritè fuisse immissam in Archiuo; nec fuisse factam tempore vnionis: cùm vnus testis dicat illam fuisse præsentatam per aliquot annos antequam fieret vnio: nihilominus non probat, ex duobus. Et primò, quia apparet quòd non est fidelis; cùm in ea non fuerint descripta omnia bona: nam constat quòd Prioratus vltra descripta in lista habebat etiam domum, hortum, & viridarium: quæ licèt prætendatur esse modicæ considerationis, & deseruire pro habitatione Rectoris: tamen ostendunt esse defectiuam listam, in qua sicuti omissa fuerunt, ita potuerunt omitti alia maioris considerationis. Secundò cum in lista ponantur redditus Prioratus affirmatiuè; ex ea non potest dici probatus valor per modum negatiuum, nempe per non excessum, prout fuit narratum: stant enim simul quòd Prioratus habeat redditus in lista contentos, & quòd etiam habeat alios: quia lista non excludit, quin alios habere possit. Et sæpe decisum fuit in Rota, quòd valor narratus per modum negatiuum, non probatur per testes deponentes per modum affirmatiuum.

2 Quantum ad primum testem, nihil etiam probat: tum quia non concludit ad tempus vnionis, sed restringit se ad tempus examinis: tum quia fatetur se nescire redditus, & introitus istius Ecclesię: tum quia dum deponit de publica voce & fama, illam deducit ex auditu à Rectore, & visitatoribus Ecclesiæ, quia erant personæ interessatæ: ita vt hæc fama non habuerit originem à personis non suspectis. Sed cessat difficultas quo ad hunc testem; quia expresè profitetur se semper referre ad dictam listam: quæ sicuti non probat, vt dictum est, vtique neque probat testis qui in ea se fundat: ne magis credatur copiæ, quàm originali.

Secundus testis probat solùm de auditu, & de auditu à personis Ecclesiæ: & quod plus est, deponit per modum affirmatiuum quòd Prioratus valebat: non autem probat per non excessum. 3

Tertius testis similiter non probat per non excessum, deponit enim de auditu, & restringit publicam vocem, & famam ad personas interessatas, nempe Canonicos Ecclesiæ. 4

Remanet solùm testis in Curia examinatus, quia licèt dicat, quòd de tempore vnionis publicè dicebatur, quòd redditus non ascendebant ad maiorem summam quàm 300. scut. monetæ Bononiæ: nihilominus dicit etiam non posse affirmare quos introitus haberet Ecclesia ab anno 1570. vsque ad 1577. & nescire onera & expensa illius. Et in omnem euentum esset vnicus, qui non sufficit: maximè cùm detur fumus maioris valoris ne dum pro parte Religionis; sed ex secundo teste Capituli, dum dicit quòd Commendatarius Maluetius percipiebat plus quàm ducentos ducatos, quibus si addatur, pensio 150. & salarium quod Capellano soluebatur, vtique valor erit plusquam 300. ducatorum, &c. 5

R. P. D. PIROVANO.

Auersana iurispatronatus. Lunæ 15. *Martij* 1610.

ARGVMENTVM.

De iurepatronatus hæreditario, an & quomodo transeat in filios non adita.

hæreditate patris, & quando per hanc hæreditatis aditionem confusa censeatur actio ad maternam dotem.

SVMMARIVM.

Filij admittendi sunt ad successionem iurispatronatus in stirpes, & non in capita, n. 1.

Iurispatronatus hæreditarij successio spectat ad filios in stirpes, & non in capita, ibid.

Iurispatronatus hæreditarij successio non potest spectare ad illum qui hæreditatem non adiuit, n. 2. Vbi tamen quomodo isto casu censetur hæreditas adita.

Aditio hæreditatis dicitur inducta ex actu differenti, ibid.

Iuspatronatus hæreditarium non potest nisi ab hærede exerceri, ibid. vers. maximè quia.

Cedens, vel donans hæreditatem præsumitur hæreditatem habere ex titulo aditionis, n. 3.

Hæreditas quando dicatur repudiata ab eo qui declarauit verbo, aut facto se nolle esse hæredem, n. 4.

Creditor hæreditatis paternæ per illius aditionem non confundit creditum dotis maternæ, ibid.

DECISIO LXXVII.

1 COmpetere Antonio Guerratio ante transactionem successionem iurispatronatus super Capella S. Ioannis Baptistæ fuit aliàs resolutum coram bo. mem. Litta 23. Iunij 1603. Iterum per me dubio in Rota proposito Domini pro informante inclinarunt, persistendo in decisis. Nam cùm Antonius, & Ioannes Paulus sint æquè filij Nicolai, prout Iacobus, à quo descendunt Lucretia, Ioanna, & Claudia, quæ litem mouerunt ad proprij parentis successionem, admittendi sunt. §. 1. *vers. si quis igitur. Auth. de hæred. & Instit. de hæred. quæ ab intest. defer. in princ.* Grass. *de success. ab intestat. qu. 2. nu. 1. & in §. suitas, quæst. 7. n. 1.* & in stirpes, non autem in capita. *Clement. fin. de iurepatronat.* vbi gloss. Abb. & Butr. notant; consequenter à successione iurispatronatus dictæ Capellæ non erunt remouendi tanquam in iure hæreditario consistente. *cap. perlatum. cap. quoniam. de iurepatronatus.* Abb. *in dicto cap. perlatum, n. 2.* dicens transire ad quoscumque hæredes. *cap. ex litteris. cap. cum sæculum, eod. tit.* Couar. latè comprobans *var. resolut. lib. 2. c. 18. n. 6.*

2 Nec obstant, quæ primò deducebantur pro parte fœminarum, scilicet Antonium patris hæreditatem minimè adiuisse, & sic iuspatronatus tanquam hæreditarium illi cohærere non posse. gloss. *in cap. considerandum 16. quæst. 17.* Abb. *in cap. 1. de iurepatronat.* Aretin. *in cap. significasti, colum. 1. de testibus.* Lambertin. *de iurepatron. lib. 1. quæst. 2. num. 23.* Quia respondetur quòd Antonius coram suo Ordinario præsentauit Ioannem Baptistam filium suum de anno 1586. 26. Ianuarij, quæ effectum habuit, & per illius obitum secundo loco præsentauerit Nicolaum Antonium Marianum, (ut satis dicitur ex iteratis præsentationibus patris hæreditatem adiuisse, vt in decisione supradicta optimè comprobatur. Maximè, quia iuspatronatus tanquam hæreditarium non poterat ab altero quàm à viro hærede exerceri. Couarr. *d. cap. 18. num. 16* & consequenter tanquam ex actu differenti, ita declaratur quis hæres, prout si verbis expressis se hæredem pronunciaret. Bart. *in l. gerit, num. 19 ff. de acquir. vel omitt. hæredit.* Iason. *cons. 112. num. 2. vol. 4.* Crauett. *cons. 148. num. 10.* & Doctor. *in l. 1. & 2. C. de repud. hæred. & in l. potuit. C. de iur. deliberan.*

3 Sed & animus Antonij circa actum aditionis multo magis comprobatur ex donatione facta Diagonetto de hoc ipso iurepatronatus, quia in eum, qui cedit, vel donat hæreditatem, præsumuntur titulo aditionis iura hæreditaria transiisse. Corn. *cons. 211. num. 2. vol. 2.* Crauet. *cons. 200. num. 2.* Menoch. *cons. 1. num. 489. vol. 1.* Et hoc ipsum visus est declarasse Ioannes Paulus in suo testamento dum fecit hæredem Antonium fratrem, specificando in generalitate bonorum etiam iuspatronatus his verbis: *super iure eligendi Capellanum competit dicto testatori vna integra vox.* quæ particularis expressio, cum aditione hæreditatis dicti Ioannis Pauli, infert alios fratres Antonium & Iacobum esse cohæredes pro aliis duabus *l. 1 ff. si pars hæred. petat.* Thesa. *decis. 4. num. 8. vers. 3. in hanc rem, &c.*

4 Ad ea autem quæ dicuntur per fœminas constare de repudiatione Antonij & verbo & facto, quia testes deponunt de auditu ab eodem se hæredem patris non fuisse, & residuum dotis maternæ ab hæredibus sui patris petiisse. Respondetur ex deductis in decisione in hac causa facta, quæ maximè etiam videntur procedere respectu verborum ab Antonio expressorum, cùm testes non concludant de tempore, nec ad quorum instantiam; nec quòd in iudicio vel extra dixerit se nolle esse hæredem, quod valde necessarium erat. *l. fin. ff. de interrog. act. vbi gloss. fin.* & Alex. *cons. 212. num. 22. lib. 2.* Et respectu actus petitionis residui dotis magis etiam remouetur dubium repudiationis, quia dos materna siue deferatur iure successionis, siue dispositione legis, tanquam creditum hæredis non confunditur per aditionem paternæ hæreditatis. Bart. Cast. Imol. *in l. Stichum, §. aditio. ff. de resolut.* Socin. *cons. 170. num. 5. vol. 2.* Propterea sicuti de corpore bonorum hæreditariorum poterat Antonius vel separationem sui crediti dotalis petere. Alex. *in l. debitori col. 1. versic. secundò sequeretur. de pactis.* vbi Iason. *col. 1. in fin.* Dec. *num. 17.* Cast. *cons. 294. col. pen. vers. vnde ad propositum, vol. 2.* vel authoritate legis sibi ipsi soluere. *l. filiusfamilias, §. diui. ff. de leg. 1.* Menoch. *cons. 185. num. 35.* Surd. *decis. 224. num. 28.* eodem modo potuit sine præiudicio aditæ hæreditatis à cohæredibus petere, & repetere dotem maternam sibi debitam, &c. esto quòd totam etiam petiisset, quia non consequitur, totam etiam petiit; ergo ad repudiationem necessariò infertur, sed per exceptionem de plus non petendo veniebat moderanda petitio.

Postremo autem loco circa simoniam apposito non egent responsione cùm fuerint sublatæ ex decisione R. P. D. Littæ in hac causa pariter facta 15. Nou. 1602. Atque ita fuit conclusum competere Antonio ius patronatus ante transactionem.

R. P. D. PIROVANO.

Tirasonen. Canonicatus. Lunæ 15. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Litterarum Apostolicarum executio continet possessionis dimissionem, & fructuum restitutionem, & quando illis in præmissis paritum dicatur.

SVMMARIVM.

Litteræ Apostolicæ per Breue expeditæ, sine exceptione executioni demandandæ sunt, n.1.
Litterarum Apostolicarum executio continet possessionis dimissionem, & fructuum restitutionem, & quando illis paritum sit, n.2. & per tot.
Possessio transfertur traditione & consensu, ibid.
Depositum pecuniarum sufficit creditore recusante illas recipere, num.4.

DECISIO LXXVIII.

1 PRæsupposito Breui, & sententia A.C. & mandato de immittendo, quæ remota omni exceptione executioni demandanda veniebant. *cap. si capitulo*, vbi gloss. *in verbo exequatur, de concess. preben. in* 6. Sarmient. *in tract. breu. num.*4. Mohedan. *decis.*13. *vt lit. penden.* Dubitatur, an constaret de sufficienti paritione Breuis, quod duo solet continere, possessiones scilicet, dimissionem, & fructuum restitutionem, vt sæpiùs in Rota fuit resolutum, & præsertim coram R. P. D. meo Ludouisio in Vrgellen. iurispatronatus 20. Decembris 1611. qui alios refert.

2 Domini vnanimes dixerunt sufficienter esse paritum. Nam respectu possessionis concludenter probatur ex instrumento quod datur in summario *nu.*1. in quo Hieronymus Stipensa dimisit possessionem, ac consensit quòd Alphonso Frances traderetur actualis & corporalis possessio Canonicatus, quod sufficit, quia concurrit vtrumque medium ad possessionem transferendam, traditio scilicet verbalis, adeoque poterat trahere. *l. quod meo. §. si venditorem. ff. de acquir. possess.* & in terminis beneficij Rebuff. *de mater. possess. in præfat. num.*64. *vers. Item aduertendum est.* Couarr. *variar. resolut. lib.*3. *cap.* 26. *n.*10. *vers. sed si Prælatus, & in fine. vers. Tunc acquiritur*, Mascard. *de probat. concl.*1184. *num.*19. Put. *decis.* 250. *lib.*1. Item & consensus, quòd possessio Alphonso Frances traderetur, qui operatur in vim ratificationis & mandati. Innoc. *in cap.*14. *ex parte, de rescript.* & voluit gloss. *in l. quo enim. ff. rem rat. haber.* Cepoll. *de seruitut. rustic. præd. cap.*9. *de iure patronatus.* & post eos Mascard. *de probationib. conclus.* 1153. *num.* 2. & 1589. *num.*18.

3 Et eo magis omnis scrupulus remouebatur ex libello & petitione Alphonsi, de quibus in summario *num.*2. dum apparet de effectuatione dimissionis possessionis, ex quo post possessionis dimissionem Hieronymi Stipensæ accepit possessionem huius Canonicatus de mense Aprilis 2608. quod de per se suffiret. Mohed. *decis.*9. *de rer. permut.*

4 Quo verò ad fructuum restitutionem, dixerunt Domini fuisse etiam sufficienter paritum, quia 15. Augusti 1609. idem Hieronymus Stipensa coram Notario, & testibus obtulit Alphonso summam liquidatam, scilicet solidos 6191. in pecunia numerata, & quam Notarius coram Alphonso & testibus numerauit, & recusante Alphonso sine causa rationabili eam recipere factum fuit per Hieronymum reale depositum, quo stante dicitur consequutus liberationem. Gabr. *cons.*57. *num.*6. Rot. *diuers. decis.* 476. *num.*1. *part.*1. & *decis.*71. *num.*10. *part.*2. Gabr. *de solut. conclus.*8. *vers.*1. latissimè Menoch. *de arbitrar. cas.*23. *num.*22. *de addit.*

5 Pro expensis etiam Hieronymus obtulit & deposuit solidos 336. illius monetæ & solidos 60. pro suis dictis, licèt absque tali expensarum reali deposito non etiam potuisset notari de sufficiente paritione, vt dictum fuit in illa Vrgellen. iurispatronatus coram R.P.D. meo Ludouisio 10. Decembris 1601. Et ita fuit conclusum vna tantùm parte informante. Iterum verò proposito dubio die Veneris 6. Martij 1610. vtraque parte informante Domini dixerunt standum esse in decisis.

Non obstare, quod Stipensa dum relaxauit actualem & naturalem possessionem, protestatus est se retinere ciuilem, quã nullo pacto intendebat dimittere, sed nolebat illam recuperare, nolens se haberi pro spoliato, quæ omnia videbantur contraria & impedire effectum paritionis, allegando ex parte Alphonsi ita resolutum fuisse in Barchinonen. confinium 15. Iunij 1609. coram R. P. D. Ortembergo. Quia motiuum Dominis non placebat, tum ex eo quòd allegatæ decisiones non poterant applicari, tum etiam quia protestationes emanatæ erant ad præseruationem iurium etiam in possessione quatenus compatabilia essent cum paritione. quod etiam optimè dignoscebatur ex subsequentibus verbis, ibi, consensit quòd dicto Alphonso tradatur illius possessio actualis & corporalis, & quòd per ipsum non stat. 6

Demum quæ proponebantur de inualida oblatione & deposito contemplatione Alphonsi non habentis legitimum mandatum à D. Commissario, Domini dixerunt intrare effectum paritionis, ex quo liquidatio fructuum instante dicto D. Alphonso facta fuerat à Stipensa quantum in se fuit, fructus à se abdicauit medio depositi veri, & realis, per quod tam dicto Commissario, quàm Alphonso consultum erat. 7

Et ita fuit resolutum.

R. P. D. COCCINO.

Paderbonen. Canonicatus. Die 29. Martij 1610.

ARGVMENTVM.

Per contractum matrimonij vacant beneficia, distributiones non computantur in expressione valoris, & vbi facienda est mentio mensis vacationis beneficij per regulam octauam Cancellariæ, intelligitur de mense reseruata Papæ.

SVMMARIVM.

Matrimonio contracto vacant beneficia, & contractus matrimonij probatur per confessionem partis, n.1.
Clericatus, & ordines probantur per litteras patentes, nobilitas & alia requisita probantur per leues probationes, ibid. in fine.
Distributiones quotidianæ non computantur in valore beneficij ad effectum exprimendi, n.2. & ideo Canonicatus huiusmodi qui consistunt in distributionibus, transeunt sub expressione duc.24. ibid. in fine.
Regula octaua Cancellariæ, vbi vult fieri mentionem de mense vacationis, est intelligenda quando beneficium vacat in mense reseruato Papæ, non quando vacat in mense Ordinarij, n.3.

Mensis vacationis beneficij quando facienda est mentio per regulam octauam Cancellariæ intelligitur de mense reseruato Papæ, non de mense ordinarij, ibid.

Papa concedendo concordata non censetur sibi ligasse manus vt non possit conferre in mensibus ordinarij, quia ipse est vniuersalis ordinarius, & potest cum ordinario concurrere, etiam huius negligentia cessante, num. 4.

Papa quòd in mense ordinarij voluerit cum illo concurrere in prouisione quomodo constet, n. 5.

Derogatio concordatorum est necessaria in gratia præuentiua, quæ scilicet præuenit vacationem, n. 6.

DECISIO LXXIX.

1 HOc dubium an Canonicatus sit adiudicandus D. Gulielmo, habet duas inspectiones principales. Prima, an gratia sit iustificata. Secunda, an sustineatur; & quantum attinet ad primam, affirmatiuè fuit resolutum. Vacatio enim Canonicatus per contractum matrimonium, probatur per confessionem partis, iuxta not. *in l. pretium. C. de liber. caus.* subdiaconatus verò D. Gullielmi probatur ex litteris patentibus. Bald. *in l. si qua per calumniam, num. 4. in fine, & seq. C. de Episcop. & cleric.* Prout etiam per testes probatur nobilitas, & cæteræ habilitates, ad quas probandas sufficiunt leuiores probationes. Rot. *decis. 14. de praeben. in antiq.* Ægid. *decis. 114.*

2 De valore autem obtentorum & obtentæ, non est agendum, quia obtenta est paratus dimittere. Valor verò obtenti non est verificandus, quia cùm consistat in distributionibus, illæ non computantur in valore ad effectum exprimendi. Rot. *decis 8. de praeben. in nouis.* Oldrad. *cons. 1[illegible] num. 1. & seq.* Felin. *in cap. ad aures, num. 14. de rescript.* & ideo isti Canonicatus solent impetrari cum illa expressione 24. ducatorum, prout fuit factum in casu isto, & ista expressio sufficit, vt fuit resolutum in causa Virdunen. Canonicatus 24. Iunij 1596. coram D. Pacen.

3 Quantum attinet ad secundam inspectionem, an gratia sustineatur, hoc pendet ex duobus, an scilicet corruat ex quo in ea non fuit facta mentio mensis. Secundò, an corruat ex quo beneficium vacauit mense Februarij, qui vigore concordatorum est mensis ordinarij, maximè cum dictis concordatis non fuerit derogatum. Circa primum dicebatur, quòd regula octaua quæ vult fieri mentionem de mense, est intelligenda quando beneficium vacat mense reseruato. Puteus *decis. 1. super reg. de mens. & decis. 53. lib. 2.* Anton. Aug. *in epit. super reg. 8. de mensib. num. 18.* & propterea cùm iste Canonicatus vacauerit mense ordinarij, nulla erat facienda mentio de mense.

4 Circa secundum dicebatur, non referre quòd Canonicatus vacauerit in dicto mense ordinarij, quia per concordata Papa non censetur sibi ligasse manus vt non possit conferre mensibus ordinarij, cùm ipse sit vniuersalis ordinarius. *cap. per principalem, & c. cuncta per mundum. 9. qu. 3.* bene Abb. *in cap. quia diuersitatem, num. 5. de concess. praeben.* vbi quòd Papa etiam cessante negligentia ordinarij potest cum eo concurrere, & beneficiis prouidere, vt in nostris terminis fuit latè deductum in causa Meten. Canonicatus 8. Nouembris 177. coram D. de Rubeis

5 Quòd autem in casu isto Papa voluerit concurrere cum ordinario, videtur satis clarum, quia prouisio non fuit facta ita de beneficio reseruato ratione mensis, quo casu solet poni clausula *Dudum,* &c. vt fuit resolutum in causa Romana Capellaniæ S. Petri 9. Decembris 1602. coram Illustrissimo Domino meo Cardinali Mellino, nec minus fuit posita alia clausula, *Dummodo de tempore datæ præsentium non sit alteri ius quæsitum*, quæ solet apponi quando Papa concurrit cum ordinario, quia beneficium non est reseruatum. Sarnen. *super reg. de iur. quæsit. non tollen. quæst. 1. in princip.* & sentit Verall. *decis. 6. num. 7. lib. 2.* & fuit resolutum in causa Hostien. Capellæ 17. Nouembris 1600. coram bon. me. Domino Iusto, & in causa Eluen. beneficij 21. Iunij 1604. coram R. P. D. meo D. cano.

Quòd autem non fuerit derogatum concordatis, dicebant aliqui ex Dominis non referre, distinguendo quòd aut sumus in gratia præuentiua quæ præuenit vacationem, & tunc requiritur derogatio. Puteus *decis. 215. & decis. 222. lib. 1.* Mohedan. *decis. 1. de concess. praebend.* Aut Papa concurrit cum ordinario sic quòd ei præiudicat; ius autem est gratia præuentiua, scilicet quæ præuenit vacationem, quia beneficium posset vacare tam in mense reseruato, quàm ordinarij, & propterea præiudicium ordinarij non est certum, vt considerat Put. *decis. 235. num. 4. & 5. lib. 2.*

Vnde videbant isti DD. quòd in casu isto, in quo Papa voluit concurrere cum ordinario, non fuit opus derogare concordatis: sed quia alij DD. non viderant hunc articulum, & decisiones loquuntur in alternatiua, Rota censuit quòd super hoc particulariter disputaretur.

R. P. D. PIROVANO.

Romana pecuniaria. 3. Maij 1610.

ARGVMENTVM.

Iudicium vbi cœptum, ibi finiri debet; memorialia non tribuunt iurisdictionem, depositúmque non integrum, & non simplex non suffragatur deponenti.

SVMMARIVM.

Iudicium vbi cœptum, ibi finiri debet, & alibi inchoari non potest, n. 1. Vbi ampliatur hæc conclusio, etiam quòd reus conuentus haberet plures iudices.

Memoriale simpliciter à Papa iudici directum non tribuit iurisdictionem quam de iure non habet, n. 2.

Creditor non potest cogi ad recipiendam à debitore partem sui crediti, etiam quòd deficiat in vno nummo, num. 3.

Depositum non integrum, & non liberè, & sine conditione factum, non liberat debitorem, ibid.

DECISIO LXXX.

REsolutum fuit decretum Auditoris Cameræ esse infirmandum tam capite nullitatis, quàm iniustitiæ. Nullitas visa est clara, quia pendente causa coram secundo Collaterali in Curia Capitolina, cui ipsi Auditor Cameræ remiserat per moderationem suæ inhibitionis, non poterat exinde ex solo memoriali Sanctissimi in causa procedere, nisi in vim

in vim reassumptionis causa cognita. *l. vbi cœptum. ff. de iudic.* §. *quoniam. authent. de testibus.* Osasch. *decis.*78.*num.*18. Gabr. *de iudic.conclus.*1. ea ratione ne diuersitas iudicum prolixitatem inducat. argumento *l. qui de crimine. C. de accusationib.* optimè considerat Felin. *in cap.ex tenore,num.*19. *vers. extra dictos casus,de rescript.* qui *sub num.*18.*vers.sexto fallit*, voluit dispositionem *l.vbi cœptum*, procedere etiam quòd reus conuentus haberet plures iudices paris iurisdictionis. quod optimè applicatur, quia senator,& collateralis, siue A.C. ordinariam exercent iurisdictionem in ciues Romanos. Vestr.*in sua praxi lib.*2.*de senat.Vrbis.*

2 Et eo magis videbatur etiam cessare difficultas, quia in eo memoriali non aderat aliquod speciale decretum, sed Auditori Cameræ simpliciter directum,& consequenter continebatur paruum rescriptum iuris secundùm legem interpretandam. Calcan. *cons.*120.*num.*8.*&* 9. Dec. *cons.*580. *num.* 2. Menoch. *de præsumpt.lib.*2.*præsumpt.* 10. *numer.*7. *&* 8. Vnde cùm de iure non possit causa auocari per Auditorem Cameræ sine causæ cognitione,& constito de limitatione, ad *l.vbi cœptum.ff.de iudic.* vt declarant Felin.& Gabr. suprà allegati,nullum super memoriali videtur posse constitui fundamentum.

3 Iniustitia verò fuit deducta ex eo,quia Rotulus, & Lucatellus cùm essent creditores Caroli scutor. 874. ex instrumento cum Camerali obligatione, non poterant vigore depositi ex decreto cogi ad recipiendum creditum diminutum vel in partes, & cum nouis conditionibus. *l. hærede. de vsuris. l. qui Romæ,in principio, ff.de verbor.oblig.* Sufficit enim si deficiat nummus, ne depositum dicatur integrum. Tiraq.*de retract.conuentional.*§.4.*gloss.*6.*nu.*23.*&* 24. & ne contineat conditionem, sed fiat purè, & simpliciter: respondit Iason. *cons.*9.*num.*31. Negus. *de pign. in* 5. *part. princip.membr.*3.*in* 2. *particula*, *num.* 10. & Menoch. latè in vtroque casu comprobans, *de arbitr. iudic. lib.* 2. *casu* 232. *num.* 27.*&* 47. *in nou. addit.*

Atque ita vna tantùm parte informante fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Bononien. de Pannolinis. Mercurij 5. *Maij* 1610.

ARGVMENTVM.

Iudex iniustè procedendo dicitur quem spoliare, & quando iniustè procedere dicatur: in hac decisione explicantur nulla notanda.

SVMMARIVM.

*Iudex iniustè procedendo dicitur spoliare,n.*1.
*Fideicommissarius an, & quam cautionem præstare teneatur,n.*2.
Possessorium reintegrandæ spatio 30. *annorum præscribitur,n.*3.
Rei iudicatæ renunciatum censetur ab eo qui passus est discuti negotium principale,ibid.in fine.
*Res iudicata habet magnam præsumptionem pro se, num.*4.
*Constitutiones,& statuta Bononiæ, an valeant sine confirmatione Papæ,n.*5.
*Statuta,& constitutiones respiciunt futura,& non præterita.Declara vt n.*6.

DECISIO LXXXI.

Dominus Albertus prætendit tanquam hæres, & spoliatus,reintegrationem bonorum fideicommissi, eo prætextu quòd iudex exequendo sententias, & immittendo in possessionem dictorum bonorum fideicommissarium, non detractis detrahendis, & computatis de iure computandis processerit iniustè & illum spoliauerit, iuxta cons. Castrens. 270,*num.*3.*vers. Breuiter, lib.*2. Capic. *decis.* 17.*num.*6. Put. *decis.*431.*num.*3.*lib.*2. & dixit Rota in vna Viterbien. fideicommissi 6. Iunij 1603. coram Illustrissimo Domino Cardinali Pamphilio, & in alia Cesenaten. fideicommissi de Aldinis 26. Iunij 1604. 1

Et eo magis, cùm in dictis sententiis executioni mandatis expressè dicatur fideicommissarium immittendum, factis priùs detractionibus de iure faciendis. Item & prætendit dictam executionem spoliatiuam fuisse, ex quo asserit cautionem tam iuxta formam dictarum sententiarum, quàm de iure ante illarum executionem esse præstandam, ad text. *in l. à testatore. ff. de conditionib. & demonstr.* iuxta notat. per Bald. *in authent. matri & auiæ. C. quando mul. tutel. offic. fungat.* & fuit dictum in alia Romana spolij 1. Martij 1602. coram bon.mem. Litta. 2

Quibus tamen non obstantibus DD. censuerunt reintegrationem Dom. Alberto non esse dandam. Nam licèt superiùs pro ipso adducta procedant de iure communi: attamen in isto casu constitutio Rotæ Bononiensis est seruanda, qua disponitur quòd post biennium exequatur sententia contra appellantem negligentem, non obstante aliquo prætenso iure compensationis, sub prætextu melioramentorum quorumcunque in primis pro ipso appellante deducendorum & detrahendorum, etiam si in sententia aliquid pro ipso succumbente appellante expressè reseruatum foret in primis detrahendum, & deducendum esse. quæ verba prædictæ constitutionis clarè,& distinctè loquuntur; ita, ut ex illis facile resultet responsio ad primum motiuum pro D. Alberto adductum, præcipuè cùm in facto appareat non solùm biennium à die commissionis super spolio, & ante reintegrationem petitam transiuisse, quin & plusquam 30. annos, quòd tempus videtur extinguere ius petitæ reintegrationis, vt fuit dictum in vna Mediolanen. seu nullius remedij reintegrandi 17. Maij 1600. coram bon.me. Seraphino,& notatur *in decis.*93. *part.*3.*lib.* 1. *diuersorum.* Vltra quod D. Albertus siue eius authores, pluries passi fuerunt discuti negotium principale per plures instantes, quin & constare visum fuit de aliquo consensu dictæ partis circa possessionem captam per aduersam. 3

Accedat pro exclusione spolij quòd mandatum de immittendo emanatum vigore dictæ cõstitutionis, confirmatum fuerit per tres conformes sententias, ex quibus maior præsumptio resultat pro iudice quòd ritè processerit. 4

Nec obstare videbatur contra constitutionem quòd non esset authoritate Apostolica confirmata, sat enim est, quòd per Regimen Rononiæ, & de 5

consensu Legati, seu Vicelegati constitutiones fuerint factæ secundùm Bullam fel. record. Pij I V. iuxta quam ista constitutio fuit per dictum Regimen cum consensu Vicelegati stabilita, vnde robur habere videtur absque alia confirmatione.

6 Minus obstat prædictam constitutionem fuisse conditam post dictam sententiam, qua iubebatur priùs per Dominum Albertum deduci de iure deducenda, vnde non potuit retrotrahi dispositio constitutionis ad sententiam præcedentem, cùm constitutiones respiciant futura, non verò præterita, *cap. final. de constitut. l. leges, & constitutiones. C. de legib.* & vtrobique DD & cùm constitutio superueniens non possit tollere ius quæsitum, Felin. *in cap. 1. num. 31. de sponsal.* præsertim virtute sententiæ, quæ est fortior statuto Dec. *cons 518. num. 2.* respondetur quòd dicta prima sententia fuit lata 12. Nouembris 1568. attamen quia ab illa appellatio fuit interposita per D. Albertum, & sic illius effectus suspensus, & in gradu appellationis fuit confirmata 12. Iunij 1570. quamuis constitutionem, quæ fuit condita 9. Ianuarij 1570. præfferit prima sententia; constitutio tamen præcessit secundam sententiam, quæ tanquam conformis primæ transiuit in iudicatum, & postea per tres conformes, vt dixi, fuit mandata executioni, & per consequens videtur cessare prædictum fundamentum, cùm sententia executioni mandata fuerit lata post dictam constitutionem, & executio virtute illius facta. Ad alia verò contra dictam constitutionem adducta placuerunt DD. responsiones per informantes pro D. Curtio datæ.

7 Secundum verò fundamentum Domini Alberti de cautione non præstita, tollitur ex facto, cùm constet illam præstitam fuisse iuxta formam dictæ constitutionis 21. Februarij 1571. Nec obstat, quòd fuerit data per septem dies ante prolationem sententiæ de immittendo, & sic non referatur ad dictam sententiam, quia cùm sententia mandet præstari cautionem iuxta constitutionem, & cautio sit præstita iuxta eandem constitutionem, vt dixi, videtur iuxta formam sententiæ data, & cùm de tempore sententiæ esset præstita, non fuit opus iterum eandem præstare.

8 Verumtamen DD. videbatur, quòd licèt reintegratio denegetur D. Alberto, non ex eo illi præcluditur actio pro detractionibus faciendis, si quæ deducendæ erunt, quod particulari dubio reseruarunt videndum.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Maceraneten. hæreditatis. Veneris 18. *Iunij* 1610.

ARGVMENTVM.

Substituti, & fideicommissarij nunquid censeantur vocati de tempore conditi testamenti, an verò à die purificati fideicommissi: & an, & quando conditio in legatis, & fideicommissis apposita, eorum exequutionem, & dispositionem suspendat ad diem euentus conditionis.

SVMMARIVM.

Substituti, & fideicommissarij nunquid censeantur vocati tempore conditi testamenti, an verò à die purificati fideicommissi, num. 1. & per tot.

Conditio apposita in legatis, & fideicommissis, an, & quando suspendat & dispositionem, & illorum exequutionem in diem à testatore destinatum, in qua conditionis euentus purificatur, n. 2. & seqq.

Volo, *verbum quando fideicommissum inducat, num. 3. in fine.*

DECISIO LXXXII.

Pendente ista causa coram bon. mem. D. Iusto, fuit per ipsum dubitatum, an in testamento de quo agitur incepisset vocatio fœminarum de tempore conditi testamenti, an verò à die purificati fideicommissi per obitum vltimi masculi. Et proposito prædicto dubio 15. Decembris 1603. fuit pro maiori parte decisum vocatas fuisse de tempore testamenti, suspenso vocationis effectu ad tempus euenientis purificationis dicti fideicommissi, prout in decisione tunc facta, cui cùm pars Ascanij Vici non acquiesceret, fuit super eisdem causa pluries reproposita, & quia vota DD. erant paria, non poterat resolutio capi. Sed tandem die 10. Maij 1606. pro maiori parte fuit resolutum à supradicta prima decisione recedendum fore, & vocationem prædictam incipere à die purificati fideicommissi per obitum vltimi masculi, vt in decisione tunc facta, cui nec minus pars fœminarum acquieuit. Et tandem causa mihi commissa, & non semel reproposita, vt videretur cui ex prædictis duabus decisionibus standum esset;

Domini hodie censuerunt vltimæ, & sic illi 10. Maij 1606 captæ standum fore. Moti ex rationibus, & fundamentis in ea adductis, quæ Dominis placuere. Et vnus ex ipsis in eandem sententiam inclinare dixit, & maximè ponderabat quòd non est impossibile, quòd in legatis, & fideicommissis per conditionem suspendatur & dispositio, & illius executio in diem à testatore destinatam, in qua conditionis euentus venit purificandus, quod dicebat impossibile videri in contractibus, in quibus conditio non suspendit ipsam dispositionem, sed actionem, vel illius exercitium; pro qua differentia adducebat text. *in l. vsusfructus. ff. de stipulat. seru. & in l. 1. §. si quis sub conditione, ff. vt legat. seu fideicom miss. seruand. caus. caueat.*

Item & pro conditione dispositionem suspendenti, adducebat text. *in l. 1. ff. de reg. Caton.* & inferebat ex prædictis testatorem in nostro casu voluisse fœminarum vocationem differre in tempus euenientis conditionis, cùm testator facta prouisione circa descendentes suos masculos, quæ respiciebat perpetuitatem, & consequenter plurium temporum, personarum, & graduum, & sic collectiuè subiunxit, *& sic dicta linea masculina in totum deficeret, volo quòd succedant fœminæ descendentes ex me,* &c. Hic enim cùm conceptus mentis testatoris originatur à fine lineæ descendentium suorum masculorum, videtur dicendum non prius accommodatam esse voluntatem testatoris circa vocationem, quàm si in totum extincta fuerit linea masculorum, quoquo tempore conditio illa euenerit. Et ponderabat verbum *volo* statim ibi à testatore adiectum, quod

quod cùm regatur à præcedenti conditione, & sic fideicommissi inductiuum, §. *fin. Instit. de singul. reb. per fideicomm. relict.* debet intelligi secundùm tempus, quo oppositum fuit, & sic de tempore finitæ lineæ masculorum.

4 Et idem Dominus dicebat sibi placere responsionem per informantes pro Ascanio datam ad Menoch. *cons.* 106. *num.* 151. quòd fuisset nomine proprio nominata, vt sic dictum fuisset, Substituo Titium vltimo masculo morienti, hic enim casus continet à principio certam personam, cuius vocationis executio reseruatur in tempus futurum; sed quando certa persona non nominatur, ita vt euentus possit mutare personam; tunc quia conditio illa suspensiua nihil ponit in esse præter quandam spem ab euentu variabilem, non videtur quòd vocatio possit firmari de tempore testamenti, quod probabat ex text. *in l. cùm ita.* §. *fideicommisso. ff. de legat.* 2.

Et ita resolutum fuit.

ILLVSTR. ET REVER. D. CARD. BONONIEN.

Romana retractus. Die 18 Iunij 1610.

DECISIO LXXXIII.

Est inter eius impressas decisio 470. aderat etiam in præcedenti parte decisio 291.

R.P.D. ORTEMBERGO.

Ferrarien. matrimonij. Veneris 18. Iunij 1610.

DECISIO LXXXIV.

Replicata est post 2. tom. Farinac. decis. 294.

R. P.D. PIROVANO.

Romana nullitatis census. 8. Nouembr. 1610.

DECISIO LXXXV.

Est replicata supra in par. 2. recent. decis. 314. & habetur penes Cenc. de cens. decis. 22. & apud Duar. eodem tractat. decis. 22.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Elnen. Cameraria. Veneris 10. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Reus, & possessor beneficij an, & quando teneatur suam possessionem, & gratiam iustificare.

SVMMARIVM.

Reus, & possessor non grauantur onere probandi, nec tenentur ad iustificationem suæ gratiæ, n. 1. & 2.

Subrogatus in possessionem defuncti, vel resignantis subsequuta reali apprehensione possessionis sortitur omnes qualitates possessionis quam habebat ipse defunctus, vel resignans, in cuius possessionem quis subrogatur, num. 3.

Reus, & possessor grauatur onere probandi titulum suæ possessionis quando contra ipsum vrget iuris assistentia, num. 4. Declara vt n. 6. & 7.

Beneficium regulare requirit personalem residentiam, num. 5. Vbi secus in beneficio simplici. Declara vt num. 7.

Beneficij collatio per viam commendæ dicitur habere palliatam dispensationem, n. 8.

Possidens beneficium vigore dispensationis tenetur iustificare dispensationem stante resistentia iuris communis, num. 8.

DECISIO LXXXVI.

Propositio dubio 17. Maij & 25. Iunij præsentis anni, cui incumberet onus probandi. Dominorum suffragia in diuersas sententias tenderunt, ex quo semel, & iterum fuit dictum, non liquet, vnde hodie eodem dubio reproposito, & vtraque parte informante fuit capta resolutio contra monasterium, & quòd illi onus probandi incumberet, cùm Franciscus sit possessor legitimus immissus iudicis auctoritate vigore tituli Canonici, nempe litterarum Apostolicarum gratiosæ subrogationis, quarum tria requisita iustificauit, & sic tanquam possessor est reus, & non grauatus onere probandi, textus *in l. 2. ff. de probat. l. actor. C. eod. tit.* & notatur *in cap. sint manifestè 12. quæst. 1. & in capit. nulli ead. causa. quæst. 5.* & in specie quòd non teneatur ad iustificationem suæ gratiæ, est *decis. 593. in fine part. 3. diuersor.* & intrat conclusio, quòd actor, non verò reus & possessor teneatur suscipere onus probandi, ex superiùs adductis, & fuit latè dictum coram me in vna Vicen. parochialis castri Tertioli 16. Nouembris 1609. vbi concluditur Capitulum esse reum, quia possessor est, & sic onus probandi spectasse ad aduersarium. 1

Quæ magis procedunt, cùm Franciscus non nitatur sola possessione, sed prædicto titulo Apostolico gratiosæ subrogationis, quem cùm iam iustificauerit, satisfecisse videtur regulæ ex aduerso adductæ, quòd quando actor suam intentionem fundauit, teneatur reus, & possessor suam exceptionem, seu titulum iustificare, ad textus *in l. quinquaginta. ff. de probationib. l. si quidem. Cod. de except.* gloss. *in l. exceptionem. C. de prob.* & vtrobique DD. Bald. *in l. frustrà in 1. oppositione, C. eod.* Aymon. *cons.* 226. *num* 6. Bellam. *decis.* 76. *num.* 3. *vers. Tenetur enim reus,* & fuit dictum coram bon. mem. Oriolen. in Cæsaraugustana parochialis 14. Nouembris 1583. & coram bon. mem. Card. Pamphilio in firmatoria beneficij 13. Maij 1596. 2

Vlteriùs, quin cùm Franciscus fuerit subrogatus in possessionem Baltassaris sui resignantis, qui erat plusquam decennalis possessor, & per hanc subrogationem subsecuta reali apprehensione possessionis per Franciscum qualitates possessionis dicti resignantis transierunt in subrogatum, vt fuit dictum in vna Bracharen. beneficij de Padornello 27. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Sacrato, videtur quòd sicut contra Baltasserem resignantem, si monasterium agere voluisset, atque illum repellere à possessione Cameraria, sine dubio Baltasser non 3

fuisset grauatus onere iustificandi suam gratiam, sed ad monasterium spectasset ostendere defectum tituli ipsius, ex Abb. *in cap. cùm venissent. num. 8. de inst.* & ibi Imol. *num. 19.* & Butr. *num. 12.* Capyc. *decis. 189. num. 10.* ita etiam videtur dicendum in Francisco resignatario, qui nititur non resignatione aut titulo commendæ, sed simpliciter subrogatione specialiter expedita ad possessionem resignantis, vt si monasterium velit illum excludere, debeat ostendere defectum tituli, non autem petere ab illo, quòd iustificet suam gratiam, ad trad. per Cassad. *decis. 1. n. 3. vt lit. pend.* Mohed. *decis. 9. eod. tit.* Put. *decis. 214. lib. 1.* cùm possessio resignatarij capta in vim gratiosæ subrogationis non dicatur noua, sed continuatio illiusmet quam habebat resignans. Tiraqu. *in tract. le mort saisit, p. 2. declarat. 6. n. 10.* & est decisio Paleotti in Perus. parochialis S. Crucis 24. Decemb. 1557. & fuit dictum in dicta Bracharen. beneficij de Padornello, & in Salamant. beneficij 26. Iunij 1598. coram bon. mem. Litta.

4 Quibus non obstat, quòd data iuris resistentia incumbat onus probandi reo, & possessori. notant communiter scribentes *in cap. vt vnusquisque, de pecul. cleric. & in cap. cùm in officiis, de testam. & in c. ex insinuatione, de procur. & in cap. constitutus. de electio.* & ibi Innoc. & est gloss. *in l. siue possidetis, in verbo facti sunt. C. de probat.* communiter recepta, teste Curt. iun. *cons. 90. num. 3.* & Calderin. *cons. 10. de probat. num. 1. in fin. & num. 2.* Oldrad. *cons. 256. n. 2.* Card. *cons. 63. num. 5. & seq.* & fuit dictum in vna Cæsaraugust. decimarum 3. Iunij 1577. coram bon. mem. Card. Seraphino.

Resistentia autem iuris, & sic fundata intentio monasterij contra Franciscum eliciebatur ex eo quòd cùm ista Cameraria sit beneficium regulare, non sit conferenda nisi regularibus professis eiusdem monasterij. text. *in cap. cùm singula. §. prohibemus. de præb. in 6.* & ibi Doct. Henric. Boic. *in cap. dilectus, à num. 3. vsque ad num. 8. de concess. præb. & in c. Abbati sanc̃ti. de verb. signif. n. 10. & seq.* Præposit. *in cap. nullus, num. 4. 61. distinct.*

5 Item & ex eo, quòd ista Cameraria requirat personalem residentiam, cùm sit regularis, ad text. *in Clem. 1. §. cæterùm,* & ibi Vital. *n. 6. de stat. Monach.* Felin. *in cap. cùm omnes, nu. 33. vers. quartus casus est, de constit.* & Franciscus narrauerit in sua gratia commendam esse beneficium simplex personalem residentiam non requirens, &c.

6 Quia fuit satisfactum negando quòd ius resistat quin beneficia regularia possint dari authoritate Apostolica vigore tituli subrogationis gratiosæ productæ in actis & iustificatæ. Et quamuis commenda non fuerit iustificata, nihil Francisco interest, cùm ipse nec illa vtatur, nec illam alleget, nec petat canonizationem illius, sed absolutoriam, ad quam sufficit ostendere suam possessionem non habere resistentiam iuris, & esse legitimè & iuridicè apprehensam, nec debet cogi ad probandum, quæ non spectant ad fundandam suam intentionem. Oldrad. *consil. 229. num. 3.* Ægid. *dicta decis. 76. num. 4. & 5.*

7 Et ad narratiuam de non requisita residentia personali, fuit responsum, istam narratiuam non legi in titulo Francisci gratiosæ subrogationis, quo ipse nititur, nec vsque dum produxit aliquem titulum cõmendæ cum dicta narratiua. Et quando monasterium detegerit vitium possessionis Francisci per inualiditatem tituli, seu prouisionis sibi factæ, tunc Franciscus poterit probare suam commendam sine dicta narratiua, cùm in beneficialibus detur pluralitas titulorum, & possit quis dicere hunc non esse meum titulum, vt sæpe fuit dictum.

8 Ex quibus infertur responsio ad illud, quòd cùm Franciscus possideat vigore gratiæ dispensatiuæ, nempe commendæ, quæ est quædam palliata dispensatio. Cassad. *decis. 13. num. 13. de priuileg.* intrant prædicta cons. Calder. & Oldrad. dicentia, quòd reus possidens vigore dispensationis, illam teneatur iustificare, stante resistentia iuris communis, quia negatur Franciscum vigore commendæ, sed tantùm gratiosæ subrogationis iam iustificatæ possidere, cui non resistit ius, ex supradictis; & quamuis prædicta doctrina eliciatur ex prædictis consulentibus, & in se sit vera, illi tamen non dicunt, quòd vltra titulum necessarium ad iustificandam possessionem teneatur possessor alium titulum iustificare.

Ex quibus sic resolutum fuit.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Ianuen. domorum. Lunæ 20. Decembris 1610.

ARGVMENTVM.

Attentata non causantur per actus causam diuersam respicientes. Quid in commissione operetur clausula, *quam, & quas,* & clausula, *rebúsque alijs.* Cætera vide in summariis.

SVMMARIVM.

Attentata non causantur per actus causam diuersam respicientes, n. 1.

Clausula, Quam, & quas, *non operatur, nec extenditur vltra expressa in commissione, n. 2.*

Clausula, rebusque aliis, *&c. coniungitur cum verbis sequentibus, videlicet* in actus deducendis, *&c. ibid.*

Attentare non dicitur continuans suam possessionem, num. 3.

Quasi possessi quando inducatur ex vnico actu, num. 4.

Extensio ex identitatate rationis expressæ in dispositione facienda est de casu ad casum, n. 5.

DECISIO LXXXVII.

Visum fuit Dominis non constare de attentatis, ex eo quòd commissio obtenta per Patres regulares respiciat tantùm emptionem de domo Romei & Leliæ Spinolæ per Patres Iesuitas factam, nõ autem domum istam vltimò per ipsos ad annum conductam. Vnde nec inhibitio vigore dictæ commissionis emanata illam excedit, nec amplectitur prædictam istius domus conductionem, ex qua sequitur quòd istæ sint causæ diuersæ, & sic intret regula quòd attentata non causentur per actus causam diuersam respicientes. Ruin. *cons. 75. nu. 9 & sequent. lib. 1.* latè Lancellot. *de attent. 2. par. cap. de attentat. lit. pend. limitat. 2.* Verall. *decis. 59 par. 1.* & fuit dictum coram me in vna Mediolanen. optionis 27. Iunij 1608. ex diuersis enim non fit illatio. *l. Papinianus exuli. ff. de minor.* cum vulgaribus.

Nec

2 Nec obstare videbatur clausula *quam, & quas*, per quam deductum censetur omne ius, quia virtus istius clausulæ non operatur, nec extenditur vltra expressa in commissione, cùm videatur restricta per subsequentem clausulam *de & super præmissis*, &c. & ad clausulam, *rebúsque aliis*, &c. fuit responsum illa verba iuxta stylum coniungi cum sequentibus verbis, ibi, *in actis deducendis*, &c. & sic dictam clausulam non extendi ad non deducta, & per consequens ad conductionem ad annum istius domus.

Vlteriùs quia, vt præsupponitur, à mense Iunij
3 anni 1602. vsque ad mensem Maij anni 1608. Patres Iesuitæ habuerunt conductam, & habitarunt domum Ioannis Baptistæ Spinolæ sitam intra 140. cannas à monasterio sancti Siri Patrum regularium, illis non reclamantibus, ex quo inferebatur ad quasi possessionem conducendi domus intra dictum spatium 140. cannarum saltem ad effectum euitandi attentata, cùm sit regula quòd continuans non attentat. *cap.* 1. vbi Abb. *num.* 1. *&* 4. *vt lit. pendent.* Put. *decis.* 223. *num.* 3. *lib.* 1. cum aliis per Lancellott. *de attentat. post inhibition. limitatione* 9.

Nec ista possessio fuit visa suffragari tãtùm quo-
4 ad illam domum, quam inhabitarunt Patres Iesuitæ intra dicta spatia, non autem quoad alias postea conductas, quia cùm Patres regulares prætendant habere ius prohibendi ne conducant in genere domus intra dicta spatia, conductio de quauis domo facta intra dictas cannas 140. causat quasi possessionem contra illud ius generale, cùm vnicus actus illam inducere sufficiat quoad alios actus sub eodem genere, vel eadem specie comprehensos, Ioan. Andr. *in cap. dilectus num.* 4. *de capell. monach.* quem refert, & sequitur Socin. *consil.* 111. *num.* 4. *lib.* 1. & dixit Rota apud Cantuc. inter impress. *decis.* 17. *num.* 4. *part.* 2.

Quæ autem deducebantur circa constitutionem
5 Clementis V. prohibentem intra 140. cannas ædificare & construere monasteria, &c. quasi illa constitutio loquatur tantùm de ædificando & cõstruendo, non verò porrigatur ad conducendas domus, non placuerunt Dominis, cùm potius istæ conductiones videantur etiam comprehensæ in dicta constitutione, ex identitate rationis finalis in procemio expressæ, nempe pro euitandis æmulationibus, & dissensionibus & scandalis inter Religiosos, quæ ita militat in domo à Religiosis per conductionem habitata sicuti in constructa, vel per ipsos ædificata, vnde & ad conductionem venit extendenda, ad tradita per Aym. *cons.* 221. *nu.* 6. *& cons.* 227. *num.* 6. *&* 7. & per Socin. iun. *consil.* 3. *num.* 21. *lib.* 3.

Nihilominus hæc visa fuerunt respicere negotium principale, cuius discussio non est facienda in hoc articulo attentatorum, ad quæ euitanda sufficit conductionem ad annum istius domus non esse comprehensam in commissione & inhibitione, ex supradictis.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Vicen. parochialis castri Tercol. Veneris 14. Ianuarij 1611.

ARGVMENTVM.

De iustificatione gratiæ, & impetrationis Ecclesiæ vacantis ob non factum concursum infra sex menses, iuxta constitutionem Pij V. à die vacationis, multa notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Negatiua gratiæ quòd beneficium vacauit per non habitum concursum infra sex menses iuxta constitutionem Pij V. probanda est per impetrantem, n. 1.

Ordinarij notitiam, vt scientiam allegans, illam debet probare, n. 4.

Testes deponentes per verbum puto, *nihil probant, ibid. in fine.*

Testes deponentes super negatiua per verba, non audiui, *nihil probant, n.* 5.

Notarij fides super negatiua actorum non probat, nisi fuerit iurata, & per eum extracta parte citata, n. 6.

Probatio non concludit data possibili veritate contraria, ibid. in fine.

Ecclesia parochialis Regularis conferri potest sine concursu, n. 8. *in fine.*

Concursus iuxta constitutionem Pij V. infra sex menses à die vacationis non requiritur in collatione parochi regularis, ibid. in fine.

DECISIO LXXXVIII.

Gratia D. Honofrij visa fuit Dominis non iusti- 1
ficata quoad narratiuam reseruationis ob non seruatam formam constitutionis sanct. mem. Pij V. & cùm præcipuum fundamentum istius reseruationis consistat in prædicta negatiua, illa est concludenter probanda per Honofrium, iuxta gloss. *in l.* 2. *ff. de probat.* Bart. *in l. in illa n.* 3. *de verb. oblig.* Anchar. *cons.* 254. *n.* 3. & est communis ex adductis per Gabr. *lib.* 1. *commun. tit de probat. conclus.* 6. Paris. plurib. relatis *de resignat. lib.* 11. *quæst.* 14. *num.* 9. & in terminis de impetrantibus iuxta constitutionem fel. recor. Pij V. ob non factum concursum, fuit decisum coram Orano in Salamantina parochialis 21. Iunij 1593. & in Cæsaraugustana parochialis de Meleglia coram bon. mem. Cardinali Pamphilio 8. Nouembris. 1599.

Sed sic est quòd prædicta negatiua non proba- 2
tur, opus enim erat ad illius, & sic istius gratiæ iustificationem duo probare, alterum quòd de tempore impetrationis huius parochialis adhuc vacaret, cùm narratum fuerit etiam de præsenti vacare. Alterum verò non obseruantiam dictæ constitutionis, vt fuit dictum in eadem Cæsaraugustana de Meleglia. Et quoad primum nulla omnino super hoc articulo datur probatio.

Quoad secundum verò Honofrius duos testes 3
induxit ad probandum Episcopum intra sex menses à die vacationis per obitum Gabrielis non fecisse concursum de dicta parochiali, nec illam contulisse, quod nequaquam testes probare videntur. Primus enim deponit, Ego scio quòd ordinarius Vicen. non contulit Ecclesiam parochialem castri Tercolis intra sex menses post obitum Gabrielis, nec minus existimo quòd vsque in hodier-

num diem illam contulerit. in qua depositione respectis sex primis mensibus, in quibus deponit de sua scientia, non deponit testis quòd Episcopus habuerit scientiam dictæ vacationis, nec hoc alibi probatur; sed sic est quòd sex menses assignati ordinariis collatoribus in dicta constitutione Pij V. ad conferendum incipiunt currere à die quo ordinarius sciuit, vel scire debuit vacationem. latè Rebuff. *in prax. tit. deuolutionib. num.*10. Rot. *diuersor.* 481. *part.*1.

4 Qui autem se fundat in notitia ordinarij, & illam allegat, debet illam probare. Milis *in verbo patronatus. vers. patronus si intra quadrimestre*, Rebuff. *vbi suprà n.*12. Quin, & si dicti sex primi menses inciperent currere, oporteret probare quòd ipsamet die vacationis ordinarius habuerit de illa notitiam. quod nullatenus probatur, & potiùs videtur probari ignorantia ordinarij de dicta vacatione, cùm Gabriel. per cuius obitum vacatio contigit, non obierit in diœcesi Vicen. sed in quodam loco diœcesis Barchinonen. Quatenus autem iste testis deponit, nec minus putare quòd ordinarius istam Ecclesiam contulerit vsque in hodiernum diem, certum est istam probationem per verbum *puto*, non releuare. Alex. *cons.*91. *num.*5 *lib.*5. Decian. *cons.*14. *num.*21. *lib.* 2. *& cons.*62. *num.*11. *lib.*3.

5 Secundus verò testis minus probare videtur, cùm deponat per hæc verba, Ego nunquam audiui, quòd Episcopus Vicen. contulerit istam parochialem infra sex menses, nec minus audiui quòd illam contulerit vsque in hodiernum diem; etenim si iste testis prædicta non audiuit, non sequitur quòd alij non audiuerint, vel quòd prouisio fieri non potuisset.

6 Vlteriùs Honofrius pro eadem iustificatione produxit fidem Notarij actuarij attestantis, quòd in libris Episcopatus non reperitur adnotatus concursus de ista Ecclesia, cùm tamen Domini non censuerint fidem adhibendam esse; fuit enim data lite pendente in Rota, & prout in diligentiis quæ fiunt in Curia, deputantur duo officiales, qui referre debent medio iuramento, & pars citari debet ad videndum fieri diligentiæ relationem, & aliàs non tenet, vt per Verall. *decis.*265. *part.*1. Videtur quòd in partibus pro dicto concursu reperiendo in dictis libris pars esset citanda, & à Notario referente præstandum iuramentum, quæ cùm fuerint omissa videtur quod dicti Notarij relationi non sit standū. Vltra quod videbatur non esse necessariò describendam in dictis libris adnotationem concursus, & cùm potuerit non adnotari ista fides, non probat per necesse, sufficit enim aliquid esse possibile, vt probatio non concludat. Castr. *in l. penult. §. docere, n.*4. *ff. ne quis eum qui in ius.* Dec. *cons.*37. *n.*9. *vers. præterea etiamsi dicto domino.*

7 Nec minus prædicta probatio elicitur ex actibus consideratis circa possessionem Capituli probandam in decisione coram me in ista causa facta 16. Nouembris 1609. Capitulum enim accepit possessionem post annum à die vacationis huius Ecclesiæ, & sic fieri potuit concursus & prouisio ante Capituli possessionem, quin & postea illo possidente etiam de facto: non impediebatur enim Episcopus facere concursum de ista Ecclesia, & de illa prouidere etiam Capitulo possidente, & non citato quamuis non possit possessorem remouere nisi præuia citatione. *cap. licet Episcopus*, & ibi gloss. *in verbo conferre. de præben. in* 6.

Nec etiam facit quòd Episcopus approbauerit Vicarios deputatos à Capitulo. Nam istæ approbationes non excludunt possibilitatem concursus, & prouisionis antecedentis, cùm factæ fuerint post plures annos à tempore vacationis, & à diuersis Episcopis. De tempore enim obitus Gabrielis erat Episcopus D. Petrus Grasine, & postea successit D. Ioannes Villa, & successiuè D. Franciscus Robusterius, vnde istæ æquiuocæ probationes, & allegationes non satisfaciunt concludenti probationi requisitæ in hoc casu. Tum etiam Domini mouebantur ex eo quòd ista præpositura sancti Fructuosi sit Regularis monasterij B. Mariæ de Stagno Canonicorum regularium ordinis sancti Augustini, prout probatur ex donatione de illa facta dicto monasterio per Episcopum Vicen. de anno 1204. quæ sortita fuit effectum, cùm Abbas dicti monasterij illam contulerit Canonico eiusdem monasterij, & Episcopus Vicen. iure deuoluto alium Monachum de illa prouidit. Quod confirmatur ex quo pluries fuit data in commendam Clericis secularibus, vnde intrat conclusio, quòd parochialis regularis non comprehenditur sub ista constitutione Pij V. nec in illis habet locum concursus, vt censuit sacra Congregatio interpretum sacri Concilij Tridentini, quam refert Modernus *super reg.* 8. *gloss.*6. *numer.*162. *versic. duodecimo & vltimò.*

Quibus non obstat extinctio ordinis Regularium sancti Augustini in principatu Cataloniæ, & secularizatio omnium beneficiorum dicti ordinis facta per fel. record. Clement. VIII. quia non ex eo sequitur extinxisse iurisdictiones & potestatem conferendi quam habebant dicti Abbates, & sic possent conferre ista beneficia olim regularia, etiamsi hodie reperiantur secularia. Vltra quòd idem Clemens VIII. in dicta secularizatione reseruauit in perpetuum sibi & sanctæ Sedis dispositioni dumtaxat prædicta beneficia tam tunc vacantia. quàm deinceps vacatura, ac illorum proprietatem & dominium, vnde nullus inferior ordinarius poterat istam Præposituram prouidere, nec ratione illius concursum facere. ad text. *in cap. vt nostram. de appellationibus. & cap. si eo tempore. de electione in* 6.

Sed quia Honofrius admisit prædicta respectu Præposituræ olim regularis, hodie verò iam secularis, negat autem idem esse dicendum de parochiali quam impetrauit, quasi non sint parochialis, & Præpositura vnitæ: vnde licèt verum sit quòd idem fel. record. Clemens VIII. Præposituram istam vniuerit cum suis annexis mensę Capitulari Vicen. prout de vnione constat ex litteris Apostolicis. Difficultas est, an ipsa parochialis sit vnita Præposituræ, de quo tamen particulariter erit videndum, quamuis Domini valde inclinabant pro vnione, vel quòd Præpositura & parochialis sint vnum & idem beneficium ex datis per Capitulum in suo summario, vbi dantur plures actus, in quibus tam summus Pontifex, quàm ordinarius Vicen. enunciat istam Ecclesiam parochialem Pręposituræ de Castel Tercol. & ipsi Præposituræ animarum curam imminere, & non datur aliqua prouisio simpliciter facta de Ecclesia parochiali; attamen cum præsupposito quòd parochialis & Præpositura sint vnum tantùm beneficium, aut alterum alteri vnitum, intrare dicebant Domini aliam conclusionem, nempe quòd parochialis vnita digni-

tati

tati non subsit dispositioni Tridentini *sess.24.cap.18.* nec concursui, vt censuit eadem sacra Congregatio, & refert idem Modernus *super dicta regula 8. gloss.5. §.7.num.13.*

Ex quibus sic fuit conclusum.

R.P.D. PENIA.

Recanaten. hæreditatis. Mercurij 19. Ianuarij 1611.

Est replicata suprà par.1. recent decis.278. Et habebitur in tomo 2. decis. eiusdem Auditoris citò imprimendo Lugduni ab Hæredibus Prost, Borde & Arnaud.

R. P. D. MANZANEDO.

Assisien. pecuniaria. Veneris 28. Ianuarij 1611.

DECISIO XC.

Est replicata suprà in 1. par. recent. decis. 286. Habetur etiam post Cenc. de censib. decis. 130. & apud Duard. eod. tract. decis. 130.

REVERENDISSIMO P. D. MARCO MONTIO.

Seguntina Præsidentiæ. Lunæ 31. Ianuarij 1611.

DECISIO XCI.

Est replicata suprà in 1. par. recent. decis. 288.

ILLVSTRISSIMO D. CARD BONONIEN.

Romana prætensi erroris calculi. die 4. Februarij 1611.

DECISIO XCII.

Est inter eius impressas decisio 490. & replicata erat in præced. par. decis. 326.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Carthaginen. præeminentiarum. Lunæ 21. Februarij 1611.

ARGVMENTVM.

Episcopus habet iuris assistentiam in cura animarum Ecclesiarum non habentium proprium Parochum, & quomodo quasi possessio deputandi Rectores Ecclesiarum, & eos amouendi probetur per testes ad effectum manutentionis.

SVMMARIVM.

Episcopus habet assistentiam iuris in cura animarum Ecclesiarum non habentium proprium Parochum num.2.

Quasi possessio Episcopi deputandi Rectores Ecclesiarum, & eos amouendi probatur per testes, & quomodo, ibid. vers. sed etiam.

Manutentio conceditur probata possessione tempore motæ litis. ibid.

Testibus pluribus magis creditur quàm paucioribus, num.3.

Testibus concordantibus se cum iure communi & illius dispositione magis creditur quàm contrariis, n.3.

Manutentio conceditur ex qualibet nuda detentatione, seu simplici facto, num.4.

Possessio curæ animarum à beneficiatis probata præsumitur potius nomine Episcopi, quàm eorum proprio nomine, n.5.

DECISIO XCIII.

CVm in ciuitate Mursiæ reperiantur nonnullæ Ecclesiæ parochiales absque propriis Parochis, & in qualibet ipsarum adsint beneficiati, qui prætendunt per se ipsos, seu in casu impedimenti per ipsorum locum tenentes ab ipsismet deputandos curam prædictarum Ecclesiarum exercere, orta fuit desuper differentia inter R.D. Episcopum & beneficiatos prædictos, & in partibus lata fuit sententia pro D. Episcopo, causáque per appellationem in Rota mihi commissa, dubitaui cui esset dandum mandatum de manutenendo. 1

Et Domini resoluerunt esse dandum D. Episcopo, qui non solùm habet iuris assistentiam in cura animarum Ecclesiarum non habentium proprium Parochum. *cap. cùm satis*, vbi Abb. *num.1. & 2.* Card. Anchar. & alij, *de offic Archidiac. cap ex frequentibus. de verbo. signific. in 6. cap. omnes basilicæ 13. qu.7.* Butr. *in cap.1. num. 7. de capel. monach.* Sed etiam probat eius quasi possessionem deputandi, nominandi, & amouendi Rectores, seu curatores pro tempore in dictis Ecclesiis, per testes de quibus in eius summario, deponentes etiam à tempore immemorabili, licèt ad effectum manutentionis sufficiat probare de tempore motæ litis. *§ retinendæ,* & ibi Fab *nu. 16. Instit de interdict.* Caputaqu. *decis. 98. part. 2.* Rot. *decis. 4 n.11. & 19. part. 2. diuersor.* 2

Quòd autem istæ Ecclesiæ non habeant proprium Parochum, probatur ex testibus vtriusque partis, & ex confessionibus eorundem beneficiatorum, quorum collationes etiam sunt de beneficiis simplicibus, non verò de curam habentibus: Quibus non obstant testes deponentes de possessione beneficiatorum, cùm nihilominus standum sit deponentibus pro D. Episcopo, tum quia sunt plures numero, tum etiam quia se conformant cum dispositione iuris, ac verisimiliora deponunt. ad tradita per Doctor. *in cap. licet causam. de probationibus.* Felin. *in cap. in nostra, nu. 3. de testibus.* Gabr. *conclus. 4. n.28. & seq. eod. tit. de testib.* 3

Et optimè iuuantur ex dictis confessionibus eorundem beneficiatorum, præsertim Ioannis de Villanoua, qui licèt dicat Episcopum posuisse hos locum tenentes de facto, non ideo minus probata remanet eius quasi possessio, cùm in hoc iudicio possessorio summarissimo attendatur quælibet nuda detentatio, seu simplex factum, iuxta Rot. *decis. 64. num. 8 part. 1.* cum aliis per Neuizan. *consil. 80. nu. 3.* & per Menoch. *de retinend. remed. vltim. ante num. 2. & n.18.* 4

5 Maximè quia testibus deponentibus pro beneficiatis resistit ius ex supradictis, & eorum probatio non concludit, cùm exercitium curæ possit fieri tam nomine proprio, quàm nomine alieno, ita vt sit præsumẽdum beneficiatos curam administrasse potius nomine, & de ordine Episcopi, quàm iure proprio. ad text. cum ibi notatis *in d. cap. omnes basilicæ 13. q. 7.* & alios suprà allegatos.

6 Et non obstat quòd testes dicant beneficiatos per se ipsos, si fuerint habiles & non impediti, curam exercuisse, & in eorum defectum locum tenentes cuiuslibet ipsorum, quia per hoc non sequitur necessariò quòd id totum fieri non potuerit, vel factum non fuerit de ordine Episcopi, & quòd propterea ipse teneatur eosdem deputare, & hoc est quod hodie disputatur, vnde hæc probatio non concludit, vt dictum est.

7 Minus obstant quædam deputationes factæ & alia per beneficiatos adducta, quia nec sunt in forma probanti, nec probantur effectuata, & bene tolluntur per informantes pro Domino Episcopo. Alia verò, quæ adducebantur de perceptione decimarum facta à beneficiatis, & quòd sit absurdum curam animarum vnius Ecclesiæ penes duos residere, videbantur respicere petitorium, & ideo ad illud remissa fuerunt.

ILLVSTR. D. CARDINALI BONONIEN.

Romana domorum. Die 14. Martij 1611.

DECISIO XCIV.

Est inter eius impress. decis. 522.

R.P.D. SACRATO.

Vlixbonen. Prioratus S. Petri. Lunæ 14. Martij 1611.

ARGVMENTVM.

Simoniaca præsentatio ad iuspatronatus, non solùm nullum transfert ius in præsentatum, sed qui per simoniam præsentauit, ius patronatus amittit: dicitur autem contracta simonia per solutionem pecuniarum etiam facta ad se redimendum à vexationibus, & molestiis sine beneplacito Apostolico. Cætera ad materiam præsentationis ad iuspatronatus, vide in summario.

SVMMARIVM.

Regula quòd nemo plus iuris in alium transferre potest, quàm ipse habeat. num. 2.

Præsentatus ad iuspatronatus non admittitur nisi probauerit quòd iuspatronatus spectaret ad præsentantem, num. 2.

Iurispatronatus donatio sola authoritate Vicarij facta, est inualida, ibid.

Simoniaca præsentatio ad iuspatronatus impedit illius translationem, & per eam ius patronatus amittitur, num. 3.

Simoniaca per pecuniarum solutionem probata non tollitur ex eo quòd pecuniæ fuerint solutæ ad redimendas vexationes absque beneplacito Apostolico, ibid.

Instrumenta producta censentur à producente approbata in qualibet parte, ibid. in fine.

Testes examinati ad perpetuam rei memoriam, & coram iudice sæculari in causa beneficiali iuris patronatus nullam faciunt probationem, num. 5.

Præsentatio ad ius patronatus fieri potest per schedulam priuatam, dummodo sit recognita intra tempus datum ad præsentandum, num. 6.

DECISIO XCV.

FVit resolutum, non constare de iurepatronatus, quòd suffragetur Ignatio. Primò quia verè non constat de existentia iurispatronatus, quia iura, quæ pro hoc probando exhibentur, minimè sunt in forma probanti, tanquam extracta à Notario non rogato, lite pendente, sine citatione partis, & absque Iudicis decreto, Rot. *decis. 1. & 2. de fid. instrumen. in nou.* Caputaq. *decis.* 101. *part. 2. cum concord.*

Secundò, quia data existentia iurispatronatus, adhuc non suffragaretur, cùm non constet de pertinentia ad fauorem illorum, qui fecerunt assertam præsentationem de persona Ignatij; etenim acquisitio prætenditur facta per Rodericum ex donatione illi facta à Leonora, & Guiomara sororibus de Gaa; sed contra hanc donationem opponitur. Primò non constare, quòd iuspatronatus spectaret ad donantes. Castr. *consil. 133. num. 1. lib. 2.* & facit vulgaris regula, quòd nemo plus iuris in alium transferre potest, quàm in se habeat. Secundò quia donatio ista fuit facta cum sola auctoritate Vicarij, qui non potest illam validare. Calderin. *cons. 1. de offic. vicar.* Rebuff. *in praxi. tit. de form. vicar.* Archiepisc & aliorum, *num.* 184. latè Ferret *consil.* 427. *numer.* 4. *& consil.* 343. *num.* 7. *cum pluribus sequentibus.* Tan. *decis.* 20. *incip. donatio iurispatronatus* & fuit dictum in causa Baren. beneficiorum 14. Maij 1604. coram R. P. D. meo Lancellotto.

Tertiò, dicta donatio fuit facta mediante pecunia, & sic simoniacè, ob quam non solùm impeditur translatio iurispatronatus, *cap. de iure, cap. præterea il secondo, & ibi not. de iurepatr.* Abb. *in cap. veniens il primo numer. 1. de testam.* Roch. *de iurepatron. in vers. & vtili numer. 9. & seqq.* Verùm etiam amittitur iurispatronatus. *cap. quia clerici*, vbi gloss. & Doctor. *de iurepatr.* Paul. de Cittadin. *tractat de iurepatronat. part. 9. numero 11. vers. 4.* Roch. qui de communi *in vers ipsi, vel is, num.* 54. Nec satisfecit responsio, quòd solutio pecuniarum fuerit facta ad redimendas vexationes. nam omisso, quòd materia absque beneplacito Apostolico est periculosa, cessat difficultas ex verbis ibi, & vt ei darent vices suas, & ius, quas, & quod dicebant habere ad dictum iuspatronatus, quod etiam probant testes, & facit inscriptio instrumentorum, ibi, *ob ei dimittendum ius, quod habebant in patronatu*, &c. quæ instrumenta fuerunt simpliciter producta, & ideo approbata in qualibet parte. *gloss. 1. in cap. præsentium. de test.* Abb. *in cap. cum super. numer. 7. de offic. deleg.* Ancharan. *consil. 222. in princ.* Paris. *cons. 125. numer. 20. lib. 1.* & idem Rodericus recepit donationem iurispatronatus à prædictis mulieribus, cum expressione quòd essent patronæ, nulla facta mentione vexationum.

Quantum ad donationem factam eidem Roderico

rico per Valascum fuit dictum, illam pariter non suffragari, tum quia non probatur, quòd ad Valascum pertineret iuspatronatus, ad supra allegata, tum quia fuit facta tamquam cum patrono, de qua qualitate non constat, & quatenus ab initio constitisset, fuisset iuspatronatus amissum per contractum simoniacum cum illis sororibus, ex suprà deductis.

5 Quo verò ad donationem factam eidem Roderico per Mariam de Campos tanquam hæredem Isabellæ de Gaa, nec illa visa fuit suffragari, quia nec constat, quòd dicta Isabella esset patrona, nec minus quòd Maria fuerit hæres Isabellæ. Item iuspatronatus ad fauorem eiusdem Roderici deductum ex emptione loci appellati Turres de Penalua, nullum videbatur habere iuris fomentum; cùm sit fundatum in testibus ad perpetuam rei memoriam, & coram iudice sæculari examinatis, qui nullam faciunt probationem. *cap. quoniam frequenter*, cum ibi not. per Abb. & alios, *vt lit. non contest. cap. at si clerici*, vbi Bald. *n.2. de iud.* Gemin. *cons.1. n.7.* Et quatenus essent legitimè examinati, obstaret præsumptio vsurpationis, de qua per Sacr. Conc. Trident. *sess.25 ca.9. de reformation.* & quoad cons. Gabr. 192. *num.6. lib.2.* quicquid sit de veritate illius doctrinæ, non probatur, quòd in proposito casu Ecclesia sit incorporata cum parietibus domini, vt considerat Gabr. *ibi*.

6 Tertiò principaliter data existentia, & pertinentia iurispatronatus, adhuc non videbatur Ignatius esse in tuto; cùm non fuerit probata illius præsentatio, nisi per schedulam priuatam minimè recognitam intra tempus datum ad præsentandum, prout de iure infra dictum tempus recognitio fieri debuit, ad trad. per Lap. *alleg.22 n.1.* cum ibi cumulatis per Mandos. recognitio namque facta infra dictum tempus coram Notario sæculari, nullius fuit roboris, cùm talis Notarius minimè posset se ingerere in materia beneficiali. Gabr. post alios *tit. de fid. instrum conclus.1. n.7.*

ILLVSTR. D. CARDINALI BONONIEN.

Romana redditionis rationis, die 18. Martij 1611.

DECISIO XCVI.

Est decisio 530. inter eius impress.

R.P.D. VBALDO.

Auximana fideicommissi. Veneris 22. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

Substituti quando insimul, & quando successiuè vocati censeantur, & quando substitutio vulgaris tradatur etiam ad fideicommissum: est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Substitutio vulgaris expirat quando institutus fideicommissum agnouit, n.1.

Substituti censentur simul vocati, & non successiuè, quando instituti sunt tales, in quibus non cadit necessitas instituendi, prout sunt transuersales, num.2. declara vt num.10.

Substitutio in qua sunt vocati filij, an censeantur vocati filij non solum nati, sed etiam nascituri, num.3 & n.10. & 11.

Substitutio vulgaris locum habet quando institutus noluit aut non potuit succedere, num 4.

Substitutio censetur facta non solum per viam vulgaris, sed etiam per fideicommissum, quando substitutionis verba habent tractum temporis successiuum, numer. 5. & seqq. vbi etiam quando verba substitutionis habere dicantur tractum successiuum.

Substitutio censetur compendiosa quando est facta post mortem filiorum, num.7.

Copula &, est coniunctiua, numero 8.

Substitutio vnica non potest diuerso iure censeri, ibid.

Substitutio facta per verbum non relinquo, *censetur compendiosa, numero 9.*

Substitutio concepta per verba futuri temporis, etiam facta verbis directis trahitur ad fideicommissum. n.9.

Clausula codicillaris non extendit, nec auget voluntatem testatoris, sed nunquid operetur fideicommissariam substitutionem, num.13.

Substituti etiam ordine successiuo videntur vocati tantum per vulgarem, & non fideicommissum. declara vt num.1. & 12.

DECISIO XCVII.

Testatur Petrum Christophorum fratrem germanum hæredem instituit, & post mortem ipsius reliquit hæredes vniuersales Cornelium, & Pompilium alterius fratris præmortui filios, & eorũ filios legitimos & naturales. Cùm Pompilius alienasset multa bona in hæreditate dicti testatoris, fuit per eius filios actum contra diuersos possessores, & causa in Rota introducta, fuit dubitatũ, an dicti filij Pompilij essent vocati per fideicõmissum? Et videbatur concludendum vel eos fuisse vocatos vnà cum Pompilio, non autem ordine successiuo, post Pompilij mortem, vel quatenus vocarentur, eos cẽseri vocatos per solam vulgarem, non autem per fideicommissum. Vnde cùm Pompilius in vita agnouisset fideicommissum, immò bona cũ Cornelio fratre diuisisset, vulgaris substitutio, si qua esset ad fauorem eius filiorum, videbatur inspirasse, argumento *l. post aditam C. de impub. l si legata C. de legat.* 1

Quòd autem filij viderentur vocati vnà cum patre, deducebatur in communi illa cõclusione, quòd in quibus non cadit necessitas instituendi, quales sunt collaterales, vt in hoc casu, si iis relinquatur, & eorum filiis censentur simul vocati, & non successiuè. Doctores, in *l Gallus. §. quidam rectè. ff. de liber. & posthum.* Ita Bald *n.8.* Ang. *n.3.* Imol. *col.3. versic. interdum verò.* Alex. *sub n.6.* Ias. *n.24.* vbi de communi. Socin. *sub n.32.* Alex. *cons.13. col.3. vers. quia respondeo lib.4. & cons.129. n.7. lib.5.* Matthesil. *sing.156. nota quòd ascendens*, & ibi adden. Socin. *cons 51. nu.14. lib.4.* Ruin. *consil.159. n.16. lib.2* Dec *cons.247. visa petitione sub n.1. versic. circa primum.* Petr. *de fideicomm. q.5. n.155.* Bursat. *de communi, cons.238. num.1. lib.3.* qui alios cumulat, & sequitur Rota apud Cæs. de Grass. *decis.2. n.3. de testamentis.* 2

Non obstare videbatur quòd tempore testamenti non esset natus nisi Phœbus Pompilij filius, quia etsi de nascituris testator aut cogitasset, aut mentionem fecisset, adhuc simul cum patre tantum 3

vocantur, secundùm Gabr. *consil*. 101. *n*. 2. *lib* 2.

4 Quatenus autem vocarentur successiuè quòd essent vocati tantùm per vulgarem, scilicet si Pompilius aut noluisset, aut non potuisset succedere, videbatur etiam clarum, ex traditis per Cuman. Aret. & alios *in d. §. quidam rectè*, vbi Socin. *nu*. 8. & de communi testatur Socin. iun. *nu*. 38. Aym. *cons*. 131. *n*. 3. vbi de magis communi Alexand. *d. consil*. 13. *col*. 3. *vers. Respondeo quòd non possunt*. *lib* 4. *tit*. 8. *nu*. 30. & infinitos allegat Surd. *decis*. 346. *nu*. 18. & modern. Catan. *de substit. cent*. 3. *q*. 81. *n*. 8.

5 Verùm contraria sententia placuit in casu proposito Dominis, videlicet quòd filij Pompilij sint ordine successiuo vocati non solùm per vulgarem, sed & per fideicommissum, prout etiam fuit aliàs resolutum in hac causa 12. Ianuarij 1604. coram Illustrissimo D. meo Cardinali Lancellotto. Ratio præcipua fuit, quia quotiescumque verba substitutionis habent tractum temporis successiuum, substitutio intelligitur non solùm per viam vulgaris, sed etiam per fideicommissum. Socin. *in d. §. quidam rectè, sub n*. 8. *in* 4. *casu*. Ruin. *cons*. 89. *nu*. 4. *lib*. 2. Paris. *consil*. 31. *num*. 40. *lib*. 2. *& consil*. 11. *n*. 30. *lib*. 5. Curt. iun. *cons*. 48. *num*. 4. Dec. *consil*. 431. *numero* 6. Crauett. *consil*. 22. *num*. 7. *& nu*. 9. & *cons*. 131. *nu*. 19. Honded. *consil*. 65 *num*. 15. *lib*. 1. & fuit sæpe dictum in Rota, vt in Vrbeuetana fideicommissi vltima Ianuarij 1586. coram Cardinali Pamphilio, & in vna Montisfalisci fideicommissi 20. Nouembris 1602. coram eodem, & in aliis pluribus quæ allegantur in dicta decisione Illustrissimi D. Cardinalis Lancellotti, & fuit etiam dictum in Vrbeuetana castri Sæpij coram Seraphino, quæ est *decis*. 579. *numero* 10. *part*. 1. *diuersor*. Quibus addebant Domini sufficere verba esse huiusmodi quæ implicitè tantùm significant tractum temporis, vt post Torniel. not. modern. *de fideicommis. art*. 18. *num*. 14. Simon de Præt. *de vlt. voluntat. interpret. lib*. 3. *interpretat*. 2. *solut*. 5. *sub numer*. 46. *versic. adest tractus*.

6 Tale autem verbum hoc loco est verbum filiorum, cùm enim testator post mortem hæredis reliquerit Cornelio & Pompilio, & eorum filiis, & tam tempore testamenti, quàm tempore obitus testatoris & eius hæredis vniuersalis, vnicus esset filius Pompilij, nempe Phœbus; ex Cornelio verò nullus adesset filius, immò cùm is ne vxorem quidem per id temporis adhuc duxisset, necessariò sequi videtur, vt hæc vocatio per quam inuitantur filij etiam nasciturí ex vtroque nepote testatoris tractum temporis importet. Ias. *cons*. 108. *col*. 4. *lib*. 4 Curt *in dict. cons*. 48 *n*. 4. Socin. iun. *cons*. 136. *nu*. 18. *lib*. 3. cum aliis suprà allegatis,

7 Et hic tractus temporis in futurum videbatur etiam significari per illa verba, *post mortem*. Aym. *d. consil*. 22. *nu*. 15 Honded *d. cons*. 65. *num*. 160. *&* 165. confirmatur in d. decisione Illustrissimi D. Cardinalis Lancellotti, quæ dictio *post mortem* inducit compendiosam. Bart, *in l. centurio n*. 25. *ff. de vulgarib*. Menoch *de præsumpt. n*. 40. *part*. 71. *sub n*. 12. quæ continet vulgarem, & fideicommissariam, sine dubio respectu Cornelij & Pompilij, iuxt. notat. *in l. centurio. ff. de vulgarib*. Dec. *cons*. 416. *num*. 10. Menoch. *cons*. 85 *n*. 100. *lib*. 1.

8 Vnde videtur etiam continere respectu filiorum, præsertim cùm sint substituti in eadem oratione, & per dictionem *&*, quæ est coniunctiua. Bart. *in l*. 3. *§. si dicuntur. ff. de Carbon edict*. & non vna & eadem substitutio diuerso iure censeatur. Socin. *in d. §. quidem rectè*, *sub num*. 10. *circa finem versic. si tamen*, & ibi Galiaul. *n*. 22. Dec. *cons*. 95. *sub n*. 4. *versic. sed istud*, & post alios Simon de Prætis *loco suprà citato, versic. sicut enim*.

Accedit quòd dicti filij vocantur per verbum *reliquit*, quod est commune, *l. his verbis*, vbi Bart. *ff. de hæredib. instituend*. Odd. *de compend parte* 4. *quæst*. 2. *art*. 1. *in versic. Relinquo*. Accedit vltimò, & clausula codicillaris, concepta etiam per verba futuri temporis, quæ substitutionem etiam factam verbis directis traheret ad fideicommissum, tanto magis factam per verbum commune. Alex. *consil*. 82. *num*. 2. *lib*. 2. Socin. *in d. §. quidam rectè, in fine & d. consil*. 12. *lib*. 3. Curt. *in d. consil*. 48. *num*. 6. Dec. *d. consil*. 431. *num*. 9. & fuit dictum in dicta Montisfalisci fideicommissi 20. Nouembris 1602. coram Cardinali Pamphilio, & in Maceraten. fideicommissi coram Gipsio 2. Decembris 1594. & in Viterbien. fideicommissi 24. Nouemb. 1603. coram R. D. meo Attrebaten.

Non obstare adducta in contrarium, & primò non obstat regula allata quòd quando non adest necessitas instituendi, vel relinquendi, si cui relinquatur, & eius filiis, cēsentur filij simul vocati, & nō ordine successiuo, quia fuit responsum ab hac regula recedi quando clara est, vel coniicitur contraria mens testatoris. Aym. *d cons*. 131. *n*. 5. & fuit dictum in dicta Viterbien. fideicommissi, vt quando dispositio refertur ad filios non solùm certos, sed etiam incertos, & nondum natos, qui tamen sperari poterūt, Dec. *cons*. 247. *n*. 4. Socin. iun. pro communi, *cons* 40. *nu*. 2. *in fin. lib*. 4. *& d consil*. 136. *nu*. 17. *lib*. 3. Illustrissimus Mantic. *de coniectur. vlt volunt lib* 4. *tit*. 8 *nu*. 27. Menoc. *de præsumpt lib*. 4. *præsumpt*. 70. *nu*. 21. Bursat. *d. cons*. 136. *n* 2. *&* 3. *lib*. 2. & fuit dictum in vna Bononien. de Felicinis 8. Februarij 1561. coram Illustrissimo D. Cardinali Seraphino. sed hîc simpliciter fuerunt vocati filij nepotum testatoris, & licèt vnus tantùm esset natus, spes tamen erat alios nasciturós, vt docuit euentus.

Non obstat cons. Gabr. 101. *lib*. 2. vbi vult simul admitti etiam nasciturós vnà cum parentibus, quia fuit responsum communem opinionem esse in contrarium, vt constat ex proximè adductis, vel eius opinionem posse procedere secundùm textum, quem allegat *in cap. Raynaldus, & in cap. Raynutius. de testam*. post Socin. tamen *in d. § quidam rectè, sub nu*. 3. *vers. limita tamen*. Nam *in c. Raynaldus*, testator reliquit patruo & filiis; *in cap. Raynutius*, erat substituta mater & soboles; quam gestabat in vtero, & sic dispositio erat facta de filiis de præsenti, & de sobole, quæ tunc in vtero erat, ideo non mirum si filij & soboles simul admittuntur cum patruo & matre, & ita ad illa iura respondet Dec. *consil*. 247. *sub nu*. 2. *circa med*. sed hoc casu est facta dispositio de filiis, cùm tamen vnicus tantùm essent filius tempore testamenti: vnde necessariò testator cogitauit de nasciturís.

Non obstat quòd quatenus vocentur ordine successiuo, videantur vocati tantùm per vulgarem, & non per fideicommissum, quia ab hac regula receditur ob verba substitutionis tractum temporis significantia, & ex aliis suprà adductis. Cùm enim sint substituti illi qui non erant nati tempore testamēti, nec tempore mortis testatoris, & potuerit fieri locus vulgari, statim mortuo testatore per repudiationē, vel impotentiam parentum, vtique si filij nō essent vocati, nisi per vulgarem, inanis foret vocatio, & parum verisimilis in mente testatoris, cum dicti filij

filij longè post potuerint nasci quàm esset factus locus vulgari, & fuit consideratum in dicta Bonon. de Felicinis in fine, coram Seraphino, & in dicta Viterbien. fideicommissi coram R.D. Atrebaten.& sentit Decian.*consi.1.n.244.& 254.lib.1.*

13 Non obstat quòd causa codicillaris non extendat, nec augeat voluntatem testatoris, quia hoc intelligitur vt qui succedit virtute dictæ clausulæ, non succedat contra voluntatem testatoris, si testator fecisset solam vulgarem, substitutus non posset succedere per fideicommissum, per clausulam codicillarem, quia esset contra expressam voluntatem testatoris; secus quando testator vsus est verbis aptis comprehendere vtramque substitutionem, directam & obliquam, vt in hoc casu. Tunc enim substitutio quæ non potuit valere vt directa ob aditionem hæredis, trahitur ad fideicommissum, ex vi clausulæ codicillaris, vt declarat Aym.*d. cons.72.nu.8.*Curt.*in d.cons.48.n.6.* facit Surd.*cons.137.n.36.lib.2.*& tangitur in dicta Viterbien. fideicommissi.

14 Non obstat quòd testator nullum induxerit fideicommissum ad fauorem filiorum Petri Christophori, quia cùm induxerit expressè ad fauorem Cornelij & Pompilij ex altero fratre nepotum, conuincitur maiorem habuisse erga eos affectionem, & vel cùm Petrus Christophorus esset senior confectus, destituebatur spe prolis, ideóque testator de ea non cogitauit, & ita fuit decisum.

R.P.D. MANZANEDO.

Imolen. rescissionis contractus. Veneris 29. Aprilis 1611.

ARGVMENTVM.

Filius non tenetur soluere debita paterna, nisi bona paterna in manibus habuerit, & quòd minores in alienationibus necessariis possunt se obligare sine solemnitatibus iuris, & statutariis.

SVMMARIVM.

Filij viuente patre possunt compelli ad soluendum debita paterna, si detinent bona, in quibus pater aliquod ius habeat. num.1.

Peculij profectitij vsusfructus spectat ad patrem, n.2.

Minores possunt sine solemnitatibus iure facere alienationes necessarias, ibid. & n.7. vbi idem sine solemnitatibus statutariis.

Transactio sustinetur ex dubio litis euentu, n.2. in fine.

Causæ falsitas in contractu etiam minorum exposita non præsumitur num.3.

Decretum iudicis facit præsumere omnia solemniter acta, nisi contrarium probetur, ibid.

Decretum iudicis facit præsumere veritatem causæ in eodem contractu expressæ, necnon adhibitionem cognitionis causæ ibid.

Filius regulariter non tenetur soluere debita paterna, num.4.

Iuramentum minoris an censeatur dolosè extortum, & quando, num.5.

Minoris contractus celebratus sine consensu proximiorum, sustinetur si minor consanguineos se non habere asseruerit, nisi contrarium probetur, n.6.

Proximior consanguineus non potest in contractu minoris interuenire, si aliquod habet interesse n.7.

Carcerati contractus ad fauorem aliorum extraneorum, ad quorum instantiam contrahens non fuit carceratus, sustinetur, & valet, n.8.

DECISIO XCVIII.

Dvbitaui, an obligationes Ioannis Baptistæ de Carantibus ad fauorem creditorum sustineantur? Et Domini affirmatiuam sunt amplexi; cùm certum sit filios, etiam viuente patre, posse compelli ad illius debita soluenda, si detinent bona in quibus pater ius aliquod habeat. ad nor. per Alex. *in l. quamuis, in princip ff. solut. matrim. versic. Raphael. hic.* prout in istis habere visum fuit. 1

Nam cùm isti filij essent impuberes, prout constat, ex quo habebant matrem tutricem, & per consequens non potuerunt habere bona nisi paterna, vel à patre profectitia, in quibus pater habebat vsumfructum. *§.1. Instit. per quas personas nob. acquir. l. placet. ff. de acqu. hared.* Et cùm creditoribus fuerint assignati dumtaxat fructus spectantes de iure ad patrem, videtur quòd filij nihil amplius fecerint, nisi id ad quod de iure tenebantur, & quòd per consequens obligationes sint necessariæ & validæ, maximè cùm aduersùs bona ista per filios possessa fuissent relaxata mandata per A.C. vnde saltem probabiliter videbatur induci ad necessitatem harum obligationum. Item & ex dubio litis euentu transactio sustineri potest. ad latè tradita per Bero. *consil. 126.n.14 cum plur. seqq. lib.1.* 2

Et ex his excluditur falsitas causæ in contrarium adducta, vltra quòd illa non præsumitur, ad text. *in l. 1. in fin. princip. & in l. magis puto. §. manet actio. ff. de reb. eorum.* præcipuè stante decreto iudicis, quod operatur præsumi omnia solemniter acta, nisi contrarium probetur. Spec. *in tit de empt. & vend. §. nunc dicendum restat, nu.5. vers. breuiter scias*, cum aliis adductis per Alex. *cons.80.n.5.lib 5.* Quin & præsumitur iudicem, qui decretum interposuit, diligenter scrutatum fuisse de veritate causæ, expressè Paul. de Castr. *cons.432.num.2. part.1.* Alex. *d. cons 80. num.11* & quòd adhibuerit causæ cognitionem, vt fuit dictum in vna Camerinen. fideicommissi 7. Nouemb. 1579. coram Robusterio, & in Sabinen. seu Romana compromissi 14. Maij 1576. coram bo. me. Cardin. Lancelloto & in aliis. 3

Ex quibus habetur responsio ad motiuum in contrarium adductum de falsitate causæ, & quòd ex hoc obligationes istius minoris corruerint, cùm nulla necessitas immineret filiis ad soluenda debita paterna, pro quibus ciuiliter contractis filij regulariter non tenentur. *l.4. & toto tit. C. ne fil. pro patr.* & sic decretum iudicis desuper impositum detegitur iustum. Federic. de Sen. *consil.199.* Roland. *consil.13.n.29.lib.1.* & fuit dictum in Romana Palatij ad Pasquinum 4 Iulij 1607. coram bon. me. Iusto, & aliàs sæpe: quia obiectum procederet casu quo pater nullum ius haberet in istis fructibus sic obligatis; secus tamen est quando fructus ad ipsum pertinebant, vt in nostro casu; tunc enim obligatio filij fuit necessaria, & causa vera, & non falsa, & procedunt superiùs adducta. 4

Ex quibus etiam cessat, quòd iuramentum fuisset dolosè extortum, & ex eo non operari *cap. cum contingat. de iureiuran. cap. licèt, eod. tit. in 6.* Rota in Forolinien. rescissionis contractus 19. Decemb. 1603. coram bo. me. Cardinali Pamphilio. hoc enim pro- 5

cederet si causa narrata fuisset falsa, & cùm sit vera, cessat obiectum, & iuramentum tenet, & obligat minorem. *authent. sacramenta puberum. C. si aduersùs vendit.*

6 Minus obstat patrem quamuis præsentem in ciuitate Imolæ non interuenisse in contractu, quia respondetur sufficere seruatam fuisse formam statuti Imolen. cùm interuenerit mater tutrix, & officialis bollettarum loco consanguineorum, quibus carere filij dixerunt cum iuramento, & isti assertioni statur donec præsentia consanguineorum, & habilitas ad interueniendum obligationi probetur per illam impugnantem, prout illi incumbit. Paul. Castrens. *consil.* 124. *in 2. dub. lib.* 1. Aym. *consil.* 80. *numer.* 14. Tiraquell. *de ll. connubial. gloss.* 8. *num.* 51. Guidobon. *decis.* 98. Achil. *decis.* 4. *de præsumpt.* & fuit sæpiùs dictum.

7 Vltra quòd pater iure optimo potuit non adhiberi, tum quia de eius debitis & interesse agebatur, & non potest ad sui commodum personam filij authorizare. Ias. *consil.* 69. *numer.* 6. *lib.* 1. Paris. *consil.* 97. *num.* 21. *lib.* 3. Tiraquell. *vbi suprà d. gloss.* 8. *numer.* 115. Asc. Clem. *de patr. potest. cap.* 6 *effect.* 10. *num.* 6. & fuit dictum coram D. meo Marcomontio in causa Bononien. census 16. Martij 1608. Tum etiam, quia iam bonis cesserat, atque ideo contra solitum vitio patris mater data fuerat tutrix filiis illius, erant emancipati. Vltra quòd stante causa necessaria obligationis filiorum non requirebantur solemnitates statutariæ, ex Alex. *cons.* 215. *nu.* 6. *lib.* 6. & fuit dictum coram me in hac causa 18. Iunij 1610. vbi plures pro ista conclusione congessi.

8 Tandem non obstat quod opponitur, Ioannem Baptistam celebrasse istam transactionem, cùm esset detentus in carceribus, siquidem non probatur esse carceratum ad instantiam creditorum, ad quorum fauorem se obligauit, quo cessante, cessat obiectum, & sustinetur transactio, & obligatio, iuxta Bart. *in l. qui in carcere. ff. quod met. caus. & in l. qui à latronib. num.* 2. *versic. ad vtilitatem aliorum*, & ibi Castrens. *numer.* 3. *versic. secus si ad vtilitatem tertij ff. de testament.* Alexand. *cons.* 127. *nu.* 5. *lib.* 3.

Ex quibus sic resolutum fuit.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana locationis. Lunæ 9. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum datur aduersùs sententiam nullam, & iniustam: dicitur autem sententia nulla, quando est lata super eo quod non fuit deductum in monitorio, & pariter dicitur iniusta, quando in remedio reintegrandæ non fuit probatum primum extremum: cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum datur aduersùs sententiam, constito de eius iniustitia, vel nullitate numer. 1.

Possessorium retinendæ præsupponit in agente possessionem, possessorium verò reintegrandæ præsupponit totum contrarium, ibid. vbi propterea quòd hæc duo remedia tanquam repugnantia non possunt insimul cumulari.

Sententia lata super eo quod non fuit deductum in monitorio est nulla, ibid in fine, & num. 2. *vbi ampliatur hæc conclusio, etiam quòd in monitorio adsit clausula,* deducens omne ius, *&c.*

Clausula monitorij deducens omne ius, *&c. non porrigitur ad casus, in quibus cumulatio non admittitur, nec ad repugnantes, cum expressis, num.* 2.

Fructus, qui percipi potuerunt, non sunt restituendi, nisi in spolio violento, & à malæ fidei possessore. num. 3.

Remedium reintegrandæ non datur non probato primo extremo, num. 4.

Cessio non transfert in cessionarium possessionem, quando cedens non est in conspectu rei, ibid.

Possessio eodem tempore penes duos esse non potest, n. 5.

Possessio non probatur ex locatione cum perceptione fructuum, alio existente in possessione eiusdem rei, ibid.

Sententia dicitur indiuidua & in parte nulla in totum est nulla, quãdo nullitas prouenit à iudice, ibid. in fine.

DECISIO XCIX.

Constare de causis restitutionis in integrum Domini dixerunt, tam ex nullitate, quam patitur sententia, quàm etiam ex iniustitia, quam continet. Nullitas autem resultat ex quo sententia fuit lata super spolio & reintegratione, cùm tamen monitorium, quod habetur loco libelli, esset restrictum ad possessorium retinendæ. quod ex diamatro repugnat cum illo redintegrandæ, cùm illud præsupponat non possessionem in agente, istud verò totum contrarium. ad tradit per Bart. *in l. naturaliter. §. nihil commune ff de acquirend possess.* Paris. *cons.* 51. *num.* 57. *lib.* 4. vnde ista remedia propter repugnantiam non possunt concurrere *l. vbi repugnantia. de regulis iuris. decis.* 117. *numer.* 1. *part.* 1. *diuersor.* sententia autem lata super eo quod eo non fuit deductum in monitorio, est nulla. *l. vt fundus. C. commun. diuid. l. non possumus. ff. si pars hæred. pet.*

Nec obstat clausula monitorij *deducens omne ius*, &c. cùm illa non porrigatur ad casus in quibus cumulatio non admittitur; nec ad repugnantes cum expressis Alexand. *cons.* 66. *numero* 8. *& cons.* 110. *num.* 2. *lib.* 5. Pract. Papien. *in form. libell. action. real. in §. deducendo, num.* 7. & in terminis istius interdicti notat Pontan. *de spol. lib.* 2. *num.* 18. *& seq.* Immo stante prædicta nullitate prædicta nullitate posset dici non esse necessariam restitutionem in integrum, iuxta text. *in l. non est, & in l. si quidem. C. de præd. min. & in l. si curatorem. C. de in integ. restit.* notat Paris. *in consil.* 100. *num* 36. *lib.* 1. Rot. 18. *n.* 2. *part.* 1.

Iniustitia verò videbatur manifesta ex eo quòd D. Princeps emptor, & bonæ fidei possessor condemnatur etiam in fructibus qui percipi potuerunt, qui non veniunt nisi tantùm in spolio violento, aut attentato, aut in possessore malæ fidei. Brun. *decis.* 11. *de restitut. spoliat. in antiquis. decis.* 4. *&* 5. *eodem tit. in nouis.* Put. *in tit. de fruct. damn. & interess. decis.* 2. & fuit dictum coram Robusterio in vna Romana vineæ, quæ est inter impress. 552. *num.* 1. *part.* 1.

Eadem iniustitia eliciebatur ex primo extremo non probato, prout concludenter probari debet. Roland. qui de communi *consil.* 50. *num.* 16. *lib.* 2. Menoch. etiam de magis communi, *de recuperan. remed.* 15. *num.* 408. *cum seq.* cum aliis relatis per Rot. *decis.* 165. *num.* 1. *part.* 2. & pluribus congestis tradit Gabr. *cons.* 31. *num.* 6. *lib.* 1. vbi testatur Rotam ita seruare. De illo autem, & sic de possessione Ioannis Turlini non

non constare videbatur, saltim quo ad medietatem, nempe quo ad partem affectus, quam Turlinus obtinuit sibi cedi à quodam Alexandro Sartorio, ad cuius fauorem fuerat deliberata, propter debitum Petruuij principalis conductoris, quia ex cessione non acquiritur possessio, quando cedens non est in conspectu rei cessæ, etiam si omne ius tam in proprietate, quàm in possessione competens cessum fuerit. Bart. *in l. prædia, num. 1.* & ibi Paul. de Castr. *ff. de acquirend. possess.* latè Natt. *cons. 398. n. 19. & seq. lib. 2.*

5 Vltra quòd de tempore cessionis D. Princeps erat in possessione casalis præcedenti titulo emptionis, vnde tanto minus potuit Turlino acquiri ex dicta cessione aliqua possessio, cùm illa penes duos eodem tempore esse non possit. *l. 3. §. ex contrario. de acquirend. possess.* Mohedan. *decis. 20. de restit. spoliat.* Et in nostris terminis quòd nec locatio simul cum perceptione fructuum probet possessionem alio in illa existente, tradit Felin. *in cap. inter dilectos, num. 8. vers. & non solum. de fid. instr.* post Bart. *in l. quamuis la 1. §. si conductor, num. 2.* per illum text. *de acquirend. possess.* vnde cùm quo ad dictam partem Turlino cessam ipse non habuisset possessionem, non potuit ad totum casale redintegrari, prout illud reintegrari mandat sententia, ex quo redditur iniusta, stante indiuiduitate iudicis, itaut nec pro parte sustineri valeat. Put. *decis. 323. lib. 1.* Rot. 221. *num. 1. part. 2. diuersor.* & fuit dictum in vna Latinen. frumenti de anno 1577. coram Illustrissimo Blanchetto, & aliàs sæpe.

Ex quibus sic fuit resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Florentina liquidationis fructuum. Lunæ 14. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Fructuum liquidatio est difficilis probationis, & propterea leuior in ea sufficit probatio, & quomodo desuper testes examinandi deponere debeant.

SVMMARIVM.

Fructuum liquidatio fit computato anno fertili cum sterili, num. 1.

Fructuum liquidationem, & quantitatem testes vicini, & de auditu à colonis benè probant, ibid. vbi idem si dicant esse publicum, & notorium, vel quòd fuerint præsentes recollectioni fructuum, & illorum repartitioni cum colonis.

Fructuum liquidatio est difficilis probationis, & propterea in ea leuior sufficit probatio, num. 2.

Liber communitatis probat quantitatem fructuum perceptorum ex fundo, ibid. vbi declaratur hæc conclusio.

Valor vini probatur per testes deponentes de publica voce, & fama, num. 3.

DECISIO C.

1 INformante tantùm parte Illustrissimi Cardinalis Deti, censuerunt Domini ex adductis probare quantitatem fructuum de quibus agitur, & illorum valorem. Dantur enim tres testes deponentes, quod computato anno fertili cum sterili, fructus ex hoc prædio recepti quotannis ascendunt ad octo modia grani, sex modia auenæ, & barilia vini 70. præter alios fructus minutos, qui testes sunt vicini, & deponunt de auditu ab ipsis colonis. Primus etiam deponit id esse publicum, & notorium, & secundus deponit de visu per quatuor annos, & quòd dictis temporibus fuit præsens recollectioni fructuum, & repartitioni illorum inter dominum, & colonum, ex quibus videntur benè probare, iuxta Bald. *in l. si fundum. C. de rei vendic. & in l. 1. num. 24. C. de fructib. & lit. expens.* Achil. *decis. 22. de restit. spoliat.* Peregr. *de fideicomm. art. 49. nu. 143.* Surd. *decis. 282. nu. 26.*

Et eo magis cùm in liquidatione fructuum, quæ est difficilis probationis, non requiratur plena probatio, & leuiores sufficiant. Natt. *cons. 510. num. 7.* & in Rota sæpe fuit decisum, vt in vna Carpen. fructuum 1. Iunij 1602. coram Illustrissimo Mellino, & in alia Romana liquidationis fructuum 26. Octobris 1592. coram Orano. Valor autem prædictorum fructuum quoad granum & auenam probatur per taxam & æstimationem magistratus Florentiæ, & ex commun. libro illius. Bart. & Alberic. *in tract. de statut. quæst. 69.* Anan. *cons. 38. num. 5.* Cæs. de Grass. *decis. 5. num. 5. de restit. spoliat.* & hæc probatio in simili fuit admissa in vna Imolen. tutelæ 27. Octobris 1595. coram bon. me. Cardinali Pamphilio, & in alia Romanen. fructuum 7. Aprilis 1606. coram R. P. D. meo Marcomontio, benè verum est quod in hoc solet procedi mitiùs, & fructus taxantur sæpiùs ad medium pretium diuersarum partitarum in libro publicè contentarum. 2

Quantum verò ad valorem vini dantur duo testes deponentes de publica voce & fama, quòd in ciuitate Florentiæ communiter barile vini venditur vno scudo. Ex quibus facto calculo omnium prædictorum videtur quod summa dictorum fructuum integrè ascendat ad scuta 2441. sed quia isti fructus diuiduntur inter dominum & colonum pro æquis portionibus; ideo portioni domini, de qua hodie agitur, tangit medietas, nempe scuta 1220½. Ex quibus non est dubium deducendas esse expensas factas in cultura pro eadem medietate. Qui tamen calculus semper intelligitur, saluo errore illius. 3

Attamen, quia pars D. Mariæ de Philippis in hac positione instans pro dilatione propositionis verbo dixit Dominis maiorem partem istorum fructuum processisse ex melioramentis per authores Mariæ factis, quod non parum releuans Dominis visum fuit, ideo, & mihi iniunctum, vt si vellet audiri, de nouo causam proponerem. 4

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana pecuniarum, seu cambiorum. Veneris 20. Maij 1611.

ARGVMENTVM.

Hæc est breuis decisio, sed plena substantia, in eáque exactissimè declaratur, an, & quando liber mercatoris, iunctis adminiculis, probet ad fauorem mercatoris, & ad hunc effectum, quæ & qualia debeant esse ista adminicula.

SVMMARIVM.

*Liber mercatorum non probat in eorum fauorem, num.*1.
Fallit iunctis adminiculis, numero 2. *& 3. vbi tamen quòd adminicula debent desumi aliunde, quàm ex partitis ipsius libri.*
*Liber mercatoris si verus appareat in aliquibus partitis, an, & quando in aliis verus præsumatur, declara vt num.*3.*&* 4.
*Connexa dicuntur ea quæ procedunt ex eadem causa ad eundem effectum, vnaq; tendit ad qualificationem, vel peremptionem alterius, & quando se inuicem recipiunt, aliàs secus, num.*4.
*Liber mercatoris an, & quando probet pro mercatore legali, & bonæ famæ, num.*5.
*Liber mercatoris quando magis probet post mortem mercatoris, num.*7.

DECISIO CI.

1 DOmini censuerunt partitam scutorum mille, non esse adscribendam ad debitum Illustrissimi Cardinalis, ex eo potissimum fundamento, quòd pro illius iustificatione tantummodo adsit illius descriptio in libris DD. Herreræ & Costæ, his verbis, *& più a di 26. detto scudi mille d'oro in oro accommodatoli per mano del S. Ottauio nostro.* & regula est, quòd libri mercatorum in fauorem ipsorum non probant. *l.exemplo.C.de probationib.* gloss. *in l.quadam.* §. *nummularios, in verbo, decurritur.ff.de eden.* Ias. *in repetit. l.admonendi, num.*131 *&* 161. Rip. *num.*121.*ff.de iur.iurand.* Roland. *cons.*92.*lib.*3. Felin. *in cap.*2.*num.*21.*de fid.instrum.* Rot. *decis.*164.*part.*1.*diuersorum.*

2 Et quamuis verum sit ex adminiculis, huiusmodi libros probare, etiam pro scribente, vt not. Guid. Pap. sex adminicula referens *quæst.* 441. & Aym. *de antiquit. tempor.part.*1.§.*vidimus, à num.*19. Roland. *d.cons.*92.*num.* 6. Nihilominus ista adminicula debent desumi aliunde, quàm ex partitis ipsius libri, vt dixit Rota *in decis.*375.*num.*8.*part.*1.*diuers.*

3 Præcipua verò adminicula videbantur duo, alterum desumptum ex aliis partitis in eodem libro, & foliis descriptis concernentibus eundem D. Cardinalem, & quæ nullatenus controuertuntur: attamen hoc adminiculum deseruit in partitis connexis & modici præiudicij tantùm, vt not. Rip. *vbi suprà nu.*124.*& seq.* Post Bart. *in d.*§.*numularios,* & Dec. *in l.*1.*num.*4.*C.de eden.* Paris. *cons.*90.*nu.*25.*lib.*1. Riminald. sen. *cons.*583.*circa fin.lib.*3. decis. Perusin. 88. *num.*10. Rot. *diuers.*276.*part.*3.*lib.*2.

4 Connexa autem dicuntur quando procedunt ex eadem causa, & ad eundem effectum, & vnà tendit ad qualificationem, vel peremptionem alterius, & quando se inuicem respiciunt, & vna est facta contemplatione alterius, dicuntur connexæ. Abb. *in cap.peruenit il* 2. *num.*4. *vers.sed tu dic clariùs. de iur. iurand.* Roland. *cons.*69. *num.*44. *lib.*4. Bec. *cons.*45. *num.*31. & alios adducens tradit Surd. *decis.*258.*nu.*11. *cum seq.* Sed sic est quòd in nostro casu partitæ quæ dantur pro adminiculo, nec tendunt ad eundem effectum, nec procedunt ex eadem causa, nec se inuicem respiciunt, nec vna contemplatione alterius est facta, vt ex earundem contextura constat, vnde nullatenus pro adminiculo controuersiæ partitæ valent adaptari.

5 Aliud & potissimum adminiculum & à DD. suprà relatis approbatum, insimul tamen cum aliis illud est, nempe legalitas mercatoris, quæ in D. Octauio omnino integra reperitur. Attamen etiam illa intacta concurrat cum legalitate indubitata, & inconcussa Illustrissimi Cardinalis, videtur non posse in præsenti casu ita huiusmodi adminiculum deseruire, prout & in alio casu de facili admitteretur. tanto magis cùm iura non solùm exposcant istud adminiculum, quin cum illo insimul concurrere velint alia quinque per DD. suprà relatos adducta.

Nec suffragari videbatur D. Octauio partita scutor. 10000. numerata D. Cardinali in arce S. Angeli absque apocha, cùm illa deberet describi in libris Cameræ, & non fuisset mutuata Domino Cardinali, sed ipsi soluta vti Datario & ministro Papæ. Vltra quòd è contrario pro parte Illustrissimi Cardinalis, adducuntur partitæ ipsi per DD. Herreram & Costam mutuatæ minoris, vel maioris quantitatis; attamen cum apocha, vel etiam instrumento.

Minus facere visum fuit obitus bo.me. q. Ioannis Henriquez & iuuenis banchi, qui partitam scripsit, cùm istud mutuum non sit de facto ipsorum, nec ipsi quicquam scire potuissent, nisi quòd acceperunt à D. Octauio qui agit. Vnde Dominis visum fuit, quòd licèt D. Octauio, nec ipsius libris, & omnimodæ legalitati aliquid imputari valeat, nihilominus cùm ipse non probauerit suam intentionem, & sit actor ex defectu probationis, dixerunt prædictam partitam non esse adscribendam ad debitum Illustr. Cardinalis.

Quòd verò dicitur pro parte D. Octauij D. Cardinalem solidasse rationes cum ipso, ibique includi istam partitam, sicque illam approbasse, visum fuit fundamentum in iure satis ponderosum; attamen quia in facto de illius subsistentia non fuit doctum, illo omisso resolutio fuit capta prout suprà; relicta tamen alia partita scutor. 1424. & 90. vt de illa particulariter videtur.

R.P.D. MANZANEDO.

Anconitana bonorum. Veneris 20. *Maij* 1611.

ARGVMENTVM.

Sententia iniusta non transit in iudicatum, nec Ægidianæ locus est, quando sententia est iniusta, nec exequutio dicitur excessiua, quando est conformis sententiæ.

SVMMARIVM.

*Exequutio sententiæ non dicitur excessiua quando sententiæ conformis est, num.*1.
*Ægidiana non intrat quando sententia est iniusta, nu.*4.
*Sententia iniusta non transit in iudicatum, num.*5.

DECISIO CII.

PEndente lite super separatione thori inter D. Petrum Gratianum, & D. Comitissam illius vxorem, illa instante ex causa sæuitiæ coram Vicario Recanaten. fuit per ipsum lata sententia pro separatione thori, & relaxatum mandatum contra Gratianum pro scutis 177. & 26. ex causa alimentorum, illudque fuit executioni mandatum in quadam domo Gratiani sita Anconæ in Parochia S. Iacobi, quæ fuit subhastata & deliberata Francisco Capoliono tanquam plus offerenti pro scutis 405. qui postea dictam

dictam domum Mario Tancredo cessit, & ille possessionem illius obtinuit.

Post alias sententias ad fauorem dictæ Comitissæ, causa per Gratianum fuit commissa Vicario Vrbis, cuius deputatus fuit Pinzochus, qui reuocauit sententiam Vicarij Recanaten. & executionem per ipsum factam, & redintegrauit Gratianum, & condemnauit Marium in expensis, damnis, & interesse, quæ per A.C. exequutorem sententiæ Pinzochi fuerunt liquidata ad scuta 450. pro quibus fuit relaxatum mandatum contra Marium, cuius vigore Gratianus habuit duos census Marij, Turci & Moriconi. quemlibet ipsorum scutorum 100. & residuum nempe scut. 250. habuit in pecunia numerata.

Marius verò appellauit, & causa tandem commissa bo.me. Seraphino tunc Rotæ Auditori, ipse in illa sententiam tulit pro Mario in spolio, & reuocauit sententiam Pinzochi, & quascunque executiones illius vigore factas, & sententias ad fauorem Comitissæ latas confirmauit, & mandauit Marium redintegrari in possessione dictæ domus S. Iacobi, & dictorum duorum censuum Turci & Moriconi, & condemnauit Gratianum ad restituendum Mario dicta scuta 250. quæ in pecuniis habuerat, & relaxauit duo mandata, alterum redintegrationis ad domum, & census, alterum verò executiuum pro dictis scutis 250. contra dictum Gratianum.

In quorum mandatorum executionem Marius fuit reintegratus in dicta domo & censibus, & pro dictis scutis 250. habuit alios duos census ipsius Gratiani, quemlibet scutorum centum, alterum Scaliæ, & alterum Aquilæ. Item & habuit vnam domum Gratiani in Parochia S. Nicolai, & quædam mobilia, quæ mobilia fuerunt deliberata pro scutis 93. quamuis sit verum quòd domus S. Nicolai, & census Scaliæ & Aquilæ non fuerunt deliberata, sed tantùm tradita Mario.

Ab ista sententia Gratianus appellauit, & causa commissa bo.me. Littæ. Postea verò fuit subrogatus D. meus Lancellottus, coram quo 9. Iunij 1600. fuit decisum, sententiam prædictam bon.me. Seraphini esse iustam, & validam, ex rationibus in decisione adductis, vnde euenit causam istam Reuerendissimo Domino meo Attrebaten. committi, qui 7. Iunij 1603. tulit sententiam in spolio ad fauorem Gratiani, declarando executionem sententiæ Illustrissimi Seraphini fuisse excessiuam, & mandauit redintegrari Gratianum in dictis domibus S. Iacobi & S. Nicolai, & in tribus censibus Turci, Scaliæ, & Aquilæ, & condemnauit Marium in fructibus malè perceptis dictarum domuum, & censuum. A qua sententia quamuis Marius appellauerit, nihilominus quia appellationem intra biennium non fuit prosequutus, nec fatalia prorogari fecit, sententia transiuit in iudicatum, prout coram me fuit resolutum 6. Martij 1606. Vnde Marius obtinuit causam restitutionis in integrum committi, & 24. Maij dicti anni 1606. fuit per Dominos resolutum coram me, constare de causis restitutionis in integrum, prout in decisione tunc facta, quæ præcipuè nititur in eo quòd sententia Reuerend. D. mei Attrebat. fundatur in dicto excessu, & postea 7. Maij 1604. per eundem Reuerendissimum causa reproposita, fuit resolutum non constare de excessu, & rationibus in eadem decisione deductis, quo excessu & sic fundamento sententiæ cessante visum fuit sufficienter de causis restitutionis constare.

Sed quia Gratianus valdè conquerebatur de dicta sententia bo.mem. Seraphini, dicens illam nullam, ex eo quòd causa fuisset commissa cum clausula parito iudicato arbitrio Rotæ, & quòd nec constabat de parito, nec disputatum fuerat an intraret arbitrium. Nihilominus vt illius vociferationibus satisfieret, causam super prædictis proposui 12. Ianuarij 1607. & Domini pro paritione responderunt, & pro validitate dictæ sententiæ Seraphini ex adductis in decisione tunc facta. Cui cùm nec acquiescere Gratianus vellet, iterum super eidem causam reproposui 19. Februarij eiusdem anni 1607. & Domini in decisis standum dixerunt, vt in decisione tunc facta.

Sed cùm prædictis non obstantibus Gratianus insisteret, pensiones antiquas domus S. Iacobi non fuisse sibi solutas, & comprehendi in dicta sententia Pinzochi, quasi ex hoc vellet docere de non parito; dubitaui 8. Februarij 1608. an dicta sententia prædictas pensiones antiquas comprehenderet, & fuissent solutæ Gratiano? Et Rota censuit istas pensiones in dicta sententia comprehendi, non autem esse soluendas Gratiano ex fundamentis in decisione tunc facta adductis.

Postea verò hinc inde alia emergentia pluries in Rota fuerunt disputata, de quibus in decisionibus factis, tandem vt huic liti adeò prolixæ aliquando finis imponatur, dubitaui hodie an supradicta sententia R.D. mei Attrebaten. ad fauorem Gratiani lata, esset iusta? Et Domini pro illius iniustitia respondendum dixerunt, quæ satis elici videbatur ex prædicta decisione eiusdem R.D. mei 7. Maij 1604. facta, qua fuit dictum, non constare de excessu, vnde cùm sententia in excessu fundetur, videtur iniusta, ex adductis in dicta decisione.

Tum etiam, quia excessus non potest dari in dicta executione, cùm illa sit conformis sententiæ, gloss. *in l. ab executione, in verbo excedat. C. quorum appell. non recip.* cum aliis adductis in dicta decisione Domini mei Attrebaten. Domus enim S. Iacobi expressè nominatur in sententia bo. me. Seraphini, & dicti census, quamuis non nominentur, satis designantur, dum exprimuntur alia bona olim per Marium possessa, & illi ablata per Gratianum in vim dicti mandati Pinzochi, de quibus in actis; sed sic est quòd in actis constat, quòd Gratianus vigore dicti mandati habuit à Mario dictos duos census Turci & Moriconi, & quatenus eadem sententia Seraphini condemnauit Gratianum ad restituendũ Mario scuta 438. pro fructibus dictæ domus, & scuta 32. pro certis expensis taxatis, necnon ad restituendum alias pecunias exactas per Gratianum in vim mandati Pinzochi, quæ ascendunt ad scuta 250. etiam respectu istius summæ executio fuit conformis sententiæ.

Nec in hac parte excessus potest argui, ex eo quòd executio secundi mandati executiui relaxati pro dictis pecuniis non potuerit fieri in domo S. Nicolai, & in censibus Aquilæ & Scaliæ, non præcedente subhastatione, & deliberatione, quia quamuis sit verum illam non præcessisse, non ex eo sequitur spolium, vel excessum commissum fuisse in dicta executione, sed isto casu illa sustinetur, & Marius siue eius hæredes tenentur computare fructus domus S. Nicolai, & censuum Aquillæ & Scaliæ in sortem, & restituere dictam domum & census quando erunt satisfacti de suo credito, iuxta gloss. *in l. à diuo Pio, §. si pignora. in verbo abdicatur.* vbi Doct. *de re iudic.* 2

3 Vltra quòd quando citra veri præiudicium executio pro prædictis pecuniis facta in dicta domo S. Nicolai, & censibus Aquilæ & Scaliæ fuisset excessiua, non ex eo redditur excessiua redintegratio facta ad domum S. Iacobi, & census Turci & Moriconi vigore primi specialis mandati bon. me. Seraphini: excessus enim commissus in vno, non vitiaret aliud diuersum absque excessu executioni mandatum, ex iuribus allegatis in eadem decisione Domini mei Attrebaten. vnde & illius sententia iniusta detegitur, cùm in omnibus declarauerit nullam executionem sententiæ bo. me. Seraphini, & sufficiat pro iniustitia sententiæ illam deprehendi ex quauis illius parte propter sui indiuiduitatem.

4 Ex quibus etiam Domini dixerunt executionem sententiæ R. D. mei Attrebaten. fuisse attentatam, quia cùm sententia esset iniusta, non intrabat Ægidiana. Alex. *cons. 91. nu. 2. lib. 6.* Menoch. *de adipiscen. remed. 4. num.* 850. & fuit dictum in vna Fauentina spolij 31. Martij 1579. coram bon. me. Seraphino, & in alia Fanen. Saluiani interdicti 14. Ianuarij 1611. coram R. P. D. meo Ludouisio, & cùm fuisset appellatum, non erat locus executioni. Lancell. *de attent. par. 2. cap. 12. & in præfatione num.* 108.

5 Nec obstat quòd prædicta sententia Reuerendissimi Attrebaten. fecerit transitum in iudicatum, vt fuit resolutum 6. Martij 1606. quia, vt dixi, hæredes Marij obtinuerunt restitui in integrum, & fuit decisum coram me de anno 1606. constare de causis restitutionis in integrum, & hodie clariùs prædicta iniustitia detecta, non est dubium quin talis sententia non transierit in iudicatum. Surd. *cons. 61. num. 52. seq. & cons. 354. num. 14. & decis. 427. in fin. p. 3. diuers. lib. 3.*

Ex quibus ita per Dominos fuit resolutum.

R. P. D. MANZANEDO.

Florentina melioramentorum. Veneris 1. Iulij 1611.

ARGVMENTVM.

Fructuum perceptorum liquidatio, & quantitas quomodo probetur per testes, fructúsque, ex melioramentis percepti, spectant ad eum qui bona fide fecit melioramenta.

SVMMARIVM.

Testes deponentes quod est publicum, & notorium, probant fructus & eorum quantitatem, quæ ex fundo percipitur, num. 1.

Fructuum perceptio probatur per testes, qui fuerunt recollectioni præsentes, & quomodo, num. 2.

Fructuum perceptorum liquidatio, & quantitas est difficilis probationis, ibid.

Colonus partiarius tenetur de suo facere omnes impensas in fundo conducto, num. 3.

Fructus percepti ex meloramentis factis spectant ad eum, ad quem spectant melioramenta facta bona fide, num. 4. & 5.

DECISIO CIII.

1 FVit resolutum 14. Martij currentis anni, summam fructuum per Illustrissimum D. Cardinalem Deti prætensorum integrè ascendere ad summam scutorum 2441. sed quia isti fructus diuiduntur inter dominum & colonum pro æquis portionibus, ideo medietas tangens dominum, de qua agitur, ascendit ad scuta 1220½. Fuit autem reseruatum videre super fructibus procedentibus ex melioramentis per auctores Mariæ factis, cuius ratione, & quia pars Mariæ prædictæ decisioni non acquiescebat, sub prætextu quòd tunc non informauerat, ideo causam hodie repropos ui, & Domini in decisis standum dixere ex rationibus in eadem decisione adductis. Nec obstare quòd opponitur, testes non probare, cùm deponant simpliciter de auditu: nam ex ipsis potiùs apparet quod probant de scientia, de visu, & de publico, & notorio.

Nec facit in contrarium Bald. *in l. 2. num. 22. C. de fruct. & lit. expens.* vbi videtur dicere, quòd testes non probant, nisi fuerint præsentes recollectioni fructuum, cùm potiùs dicat, quòd fructuum recollectio probatur per testes qui fuerunt præsentes, sed non excludit alios modos probandi, immò statim subdit quòd fructus probantur per proximas coniecturas, vt per redditus vicinorum, quod & Corn. placuit *in cons. 301. in fin. lib. 3.* & idem Bald. *in l. si fundum, in fin. C. de rei vendic.* dicit sufficere quòd probetur consueuisse fundum tantum reddere, qui & taxari possunt arbitrio iudicis. Angel. *in l. penult. ff. de rei vendic.* Natt. *cons. 510. num. 7. & cons. 536. num. 6.* Surd. infrà referendus *num. 26. & seq.* Vltra quod in hac materia non requiritur concludens probatio, cùm de facili haberi non possint, vt dixi in eadem decisione.

Nec obstat quod testes Illustrissimi Cardidalis non deducant expensas, quia si colonus esset partiarius, & pro cultura caperet dimidiam partem fructuum, dominus nihil impendere teneretur, argum. text. *in l. si cùm duobus. §. si in coeunda. ff. pro soc.* & text. *in cap. tua nobis, de decimis,* vbi Innoc. & Ioann. Andr. *num. 3.* & Panormitan. *in 3. notab.* Cyn. *in l. 1. in fine,* & ibi Bald *in 7. quæstione. C. pro soc.* latè Tiraquel. *de retract. lignag. §. decimo quinto gloss. 1. num. 19.*

Quo verò ad fructus ex melioramentis per Mariam factis perceptos, quæ melioramenta fuit resolutum coram me 15. Decembris 1610. ascendere ad scuta 750. Domini hodie dixerunt fructus perceptos ex dictis meliorationibus spectare ad Mariam, sicque non esse deducendos, nec deberi Illustrissimo Cardinali. ad text. *in l. cæterum §. improbè. ff. de rei vendicat.* & ibi Bart. & Angel. tradit Afflict. *decis.* 87. *num. 6.* Vincent. de Franch. *decis. 191. num. 11. part. 1.* Bursat. *cons. 85. nu. 37. lib. 1.* Rota *diuers. decis. 294. par. 1.* Surd. *decis. 282. num. 30.* alios adducens; quod in tantum procedit, vt & malæ fidei possessor non teneatur restituere fructus perceptos ex melioramentis quæ fecit in re detenta. Rom. *singul. 337.* & Surd. *vbi suprà d. num. 30.*

Quibus non obstat decis. Cæsar. de Grass. 5. *nu. 7. de reb. Eccles. non alienan.* tum quia ibi loquitur de plantationibus, & stercorationibus, & melioramentis non perpetuis & in re duraturis, sed potiùs factis pro vberiori fructuum perceptione. Nos verò sumus in cannetis & vineis atque arboribus ad perpetuum commodum prædij. Tum etiam, quia dicta decisio Cæsar. de Grass. non facit ad rem, quia ibi agebatur an sub prætextu talis meliorationis res possit retineri; in præsenti verò agitur de fructibus ex meliorationibus perceptis, qui sine dubio spectant ad illum qui plantauit, maximè bona fide ante litem motam.

Ex

6 [illegible] quibus D[illegible] concluſerunt fructus proce[illegible] [illegible]entis deberi D. Mariæ; ſed quia [illegible] liquidè ad quam ſummam aſcendant iſti [illegible]ctus, fuit dictum quòd præcedentium illorum liquidatione debeant deduci ex quantitate ſuperiùs ad fauorem Illuſtriſſimi Cardinalis liquidata ad ſummam ſcutorum 1229½. itaut tanto minus ex dicta ſumma D. Cardinalis recipiat, quantum fructus percepti ex melioramentis liquidabuntur.

Et ſic fuit concluſum.

R.P.D. LVDOVISIO.

Romana incendij. Die 14. Nouembr. 1611.

DECISIO CIV.

Eſt deciſio 528. inter eius impreſſ.

R. P. D. PEGNA

Romana fideicommiſſi de Naris. Veneris 2. Decembris 1611.

DECISIO CV.

Replicata eſt ſupra in par. 1. recent. deciſ. 361. & habebitur in tom. 2. deciſ. eiuſdem auditoris citò imprimendo Lugd. ab Hæred. Proſt, Borde, & Arnaud.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Vercellen. diſmembrationis. Lunæ 5. Decembris 1611.

ARGVMENTVM.

Manutentio datur probata poſſeſſione tempore motæ litis, poſteriórque poſſeſſio præſumitur clandeſtina, & vitioſa. Cætera ſupple in ſummario.

SVMMARIVM.

Manutentio datur probata poſſeſſione tempore motæ litis, num. 2.

Poſterior poſſeſſio præſumitur clandeſtina, & vitioſa, nec pro ea datur manutentio, num. 2. in fin.

Exequutor dicitur mixtus quando eſt datus cum clauſula, vocatis vocandis, *num. 3.*

Mandatum tacitè cenſetur reuocatum ceſſante cauſa mandati, num. 4.

Iudex non rectè nec ritè procedens non poteſt alteri in ſua poſſeſſione præiudicare, ibid.

DECISIO CVI.

1 INſtantibus RR.PP. Heremitis Camaldulen. diœceſis Taurinen. pro diſmembratione Prioratus B. Mariæ loci de Bagnoli diœceſis Vercellen. à monaſterio ſancti Michaëlis de Cluſa ordinis S. Benedicti dictæ diœceſis Taurinen. illumque vniri dictis Heremitis. Fuerunt de anno 1605. per Sanctiſſimum D.N. & ipſius Breue dictis Heremitis applicati tantum fructus eiuſdem Prioratus per ſpatium octo annorum, quæ applicatio fuit ſortita effectum, vt dicti Heremitæ per aliquot annos dictis fructibus pacificè & ſine vlla contradictione gauiſi ſunt. Poſtea verò iterum conati ſunt à Sanctiſſimo dictam diſmembrationem iſtius Prioratus obtinere, & quod ipſis & ipſorum Heremo vniretur, prout de anno 1608. illud obtinuerunt, & fuerunt expeditæ litteræ in forma directæ Vicario Vercellen. quarum vigore prædictus Vicarius ad illarum executionem proceſſit, & ad dicti Prioratus diſmembrationem, & vnionem reſpectiuè dictis Heremitis illius poſſeſſionem tradendo. Attamen quia prædicti Monachi non ſe habuerunt pro ſpoliatis, quin potiùs à prædictis legitimè appellationem interpoſuerunt, & cauſam à Sanctiſſimo mihi in Rota committi obtinuerunt; dubitaui, an dictis Monachis S. Michaëlis mandatum de manutenendo in poſſeſſionem dicti Prioratus eſſet concedendum.

Et Domini affirmatiuam ſunt amplexi, cùm de illorum poſſeſſione de tempore litis motæ nullatenus inter partes controuertatur, & ex tenore earundem 2 litterarum Apoſtolicarum & confeſſione Heremitarum in precibus illarum facta ſatis elici videatur, vnde intrat diſpoſitio iuris pro dictorum Monachorum manutentione, ad text. *in §. ſed hodie. Inſt. de interdict. l. 1. §. huius interd. ff. vti poſſidet.* Bart. *in l. ait prætor, §. quod ait, nu. 2. & 14. ff. eod.* Couar. *pract. c. 17. nu. 3.* Quibus non obſtat poſſeſſio per dictum Vicarium Eremitis tradita, quia tanquam poſterior cenſetur clandeſtina & vitioſa. ad text. *in cap. licèt cauſam. de probat.* & ibi Doct. Menoch. *de retinen. remed. 3. n. 725.* Beninten. *deciſ. 42. num. 4.* vnde non eſt manutenibilis. Rota *deciſ. 324. num. 2. & 363. num. 1. p. 1. diuerſ.*

Nec facit à iudice & executore dictarum litterarum dictos Heremitas fuiſſe miſſos in poſſeſſionem, 3 cùm talis executor per clauſulam in litteris appoſitam, *vocatis vocandis,* &c. eſſet mixtus, & teneretur partes iudicis aſſumere, & citare dictos Monachos poſſidentes. ad text. *in c. licèt Epiſcopus,* & ibi gloſſ. *verbo te non vocato. de præb. in 6. cap. exhibita. de iud.* Oldrad. *conſ. 227. nu. 2.* Calder. in. *conſ. 4. de dilat.* Felin. *in cap. fin. nu. 23. & ſeq. de præſumpt.* Rot. *in nouis deciſ. 30. de reſcript. & in deciſ. 202. in princ. p. 1. diuerſorum.* Quæ eo magis procedunt ſtante alia clauſula in eiſdem literis, dummodo aſſenſus dicti monaſterij accedat, qui tantum abeſt quòd acceſſerit, quòd nec de illo conſtat, quin & Monachi in tempore reclamarunt, & appellarunt, cauſamque committi fecerunt.

Nec talis aſſenſus poteſt elici ex mandato procuræ ab eiſdem Monachis dato de anno 1605. pro prima ſupplicatione Sanctiſſimo porrecta, quæ ab ipſo 4 fuit reiecta, cum conceſſione ſimplicis applicationis fructuum per dictos octo annos tantùm, vnde tale mandatum cenſetur tacitè reuocatum, cùm cauſa mandati ceſſauerit per dictum Breue applicationis fructuum, ad not. per gloſ. *in l. qui mutuam, §. non ideo minus, ff. mandati,* & per Ioan. Andr. *in cap. penult.* & ibi Geminian. *num. 3.* & Franch. *nu. 2. de procuratorib. in 6.* & faciunt notata per Imol. *in Clement. 1. nu. 22. de præb.* & per Illuſtr. Manticam. *de tacit. & ambig. lib. 3. tit. 22. num. 14. & ſeq.* Vnde ex tali mandato non poterat elici conſenſus Monachorum requiſitus in vltimis litteris, & per conſequens iudex nec ritè nec rectè proceſſit, ſicque non potuit præiudicare Monachis in eorum poſſeſſione. Rot. *deciſ. 802. nu. 7. p. 1. diuerſor.* quia tandem in memoriali in hac poſitione pro parte Heremitarum dato ipſi acquieſcunt huic manutentioni ad fauorem Monachorum,

sine præiudicio tamen primæ possessionis quam habebant percipiendi dictos fructus per octo annos vigore primi Breuis, cui Domini nullatenus præiudicare intendunt, sed tantummodo in possessione prioratus vltimo loco per dictum Vicarium non rectè nec ritè Heremitis tradita, Monachos hodie manutenere ex supradictis.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Carthaginen. Canonicatus. Lunæ 12. Decembris 1611.

DECISIO CVII.

Replicata habetur post 2.tom.cons.Farinac.decis.347.

R.P.D. LVDOVISIO.

Sabinen. alluuionis. Die 16. Decembris 1611.

DECISIO CVIII.

Est inter eius impress. decis. 647.

R. P. D. LITTA.

Bononien. de Gargiaria. Mercurij 23. Ianu. 1612.

ARGVMENTVM.

Transactio facta nomine proprio successoribus non præiudicat, nec ratificatio inducitur sine scientia omnium qualitatum ratificandi actus.

SVMMARIVM.

Transactio facta nomine proprio, alteri præiudicare non potest, num. 1. vbi præsertim, quòd non præiudicat successoribus.

Ratificatio actus non inducitur sine certa scientia, & notitia omnium qualitatum actus, qui prætenditur ratificatus.

DECISIO CIX.

1 FVit resolutum transactionem non suffragari Herculi ad effectum, vt de exbursatis vigore illius Dominæ Constantiæ possit se releuare in bonis hæreditatis q. Ferrantis suppositis primogenituræ, de qua in testamento illius, ea moti ratione Domini, quia non nomine primogenituræ, sed proprio transegit, vt ex lectura instrumenti transactionis clarè colligitur. ibi, *& Domina Constantia ex causa concordiæ cessit, & renunciauit Domino Herculi præsenti acceptāti suo proprio nomine, & ad eius proprium commodum, prout declarauit, non hæreditario nomine q. Domini Ferrantis omnibus legatis*, &c. & ibi, *& Dominus Hercules ex causa præsentis transactionis, ac animo sibi ipsi, & eius hæredibus iure proprio, & non hæreditario soluere promisit dictæ Dominæ Constantiæ libras*, &c. quò fit vt ad alios minimè extendi, nec ipsimet primogenituræ in aliquo præiudicare debeat. ad textum *in l. 1. C. de transact. in l. si vnus. §. ante omnia. ff. de pact.* Dec. *cons. 374. num. 5. & cons. 463. num. 4.* Natt. *cons. 563. num. 5.* Imò si tractatio, de qua agitur fuisset facta ad Hercule vti primogenito (quod factum non est) non per hoc præiudicaret aliis primogenitis post eum vocatis, vt ex pluribus concludit Berett. *cons. 534. num. 53.*

Nec deducta circa prætensam ratificationem Ioannis Camilli ad dictam primogenituram post obitum Herculis vocati placuerunt Dominis, tum quia dicta transactio apparet expresè facta nomine proprio, & ad vtilitatem duntaxat ipsius Herculis, ad textum *in l. si pupilli. §. sed si ego. ff. de negot. gest.* bene Cyn. *in l. ei qui num. 2. ibi prope finem dicti num. C. quod cum eo* tum etiam, quia ex literis ipsius Ioannis Camilli, & aliis ponderatis per informantes pro Hercule non potest per necesse inferri ad ratificationem, quæ ad sui essentiam non tantùm requirebat in ipso Ioanne Camillo certam notitiam facti, sed etiam qualitates illius. gloss. *in c. concertationib. de appellationib. in 6.* Put. *decis. 397. num. 3. lib. 2.* & sæpe tenuit Rota, signanter in Nucerina affictus 11. Maij 1571. coram R. P. D. meo Seraphino & in Anconitana sequestri 24. Maij 1596. coram R. P. D. Corduba.

Et ad illud quòd dicta transactio cesserit in vtilitatem dictæ hæreditatis, & primogenituræ, fuit vnico verbo responsum, id non esse verum, quod ex eo manifestè constat, quia, vt suprà relatum est, omnia cessa per dictam Constantiam fuerunt cessa ipsi Herculi præsenti, & acceptanti suo nomine proprio, & ad eius proprium commodum, quæ verba, vt omnibus notum est, excludunt aliam quamcunque personam, & ipsiusmet primogenituræ commodum, & vtilitatem, ad tex. *in l. cum prætor. ff. de iud.* cum vulg.

Nec facit, quòd Hercules, vt prætenditur, post dictam cessionem vsusfructus, & mobilium sibi factam à prædicta Constantia plura, & diuersa debita dicti Ferrantis testatoris persoluerit, quod vtique tendere videtur ad commodum ipsius hæreditatis, & primogenituræ. Quia quicquid sit, hoc non facit, quòd dicta transactio cedere debeat damno ipsius primogenituræ, & sic vt soluta dictæ Constantiæ in exequutionem illius deducta valeat, Hercules ipse ex bonis dictæ primogenituræ subiectis; sed bene operatur, vt tandem liquidatis debitis dicti testatoris, & solutione eorum facta per ipsum Herculem, si, inquam, calculo facto apparebit, quòd illa in totum dissolui non potuerint cum bonis ad id particulariter destinatis per testatorem, vel aliàs per eum relictis in hæreditate sua, non tamen suppositis primogenituræ, debeat residuum ex bonis dictæ primogenituræ ad commodum ipsius Herculis deduci, quod cùm non sit præsentis speculationis;

Ideo, &c.

R. P. D. LVDOVISIO.

Romana fideiussionis. Die 30. Ianuarij 1612.

DECISIO CX.

Est inter eius impress. decis. 554.

R. P. D. LVDOVISIO.

Romana Legitimæ. Die 6. Februarij 1612.

DECISIO CXI.

Est inter eius impressa decis. 539.

R. P. D.

R.P.D. PAMPHILIO.

Legionen. confirmationis electionis. Lunæ 13. Februarij 1612.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio eligendi Priorem Monachorum, numquid arctet Abbatem ad confirmationem electi Prioris.

SVMMARIVM.

Eligendi Monachorum Priorem, quasi possessio non suffragatur ad effectum, vt electus confirmetur ab Abbate, num. 1. & 2. vbi declaratur hæc conclusio, numquid procedat in electione Prioris claustralis, vel conuentualis monasterij.

Abbas numquid possit electum in Priorem remouere, vel non admittere, num. 2.

Prior Monachorum quis dicatur claustralis, seu conuentualis, num. 3. & 4.

Abbas est caput monasterij, & penes ipsum residet omnis monasterij potestas, omnésque officiales tenentur ipsi obedire, numer. 3.

Abbas monasterij claustralis numquid ligetur statuto monasterij, num. 5.

Præscriptio in facultatiuis quomodo probetur, num. 6.

DECISIO CXII.

1 FVerat in hac causa lata sententia, in qua non solùm declaratur Canonicos, & Conuentum fuisse, & esse in quasi possessione eligendi Priorem triennalem monasterij sancti Isidori, sed etiam denegationem confirmationis factam per Abbatem fuisse iniustam, & indebitam. Vnde proposui dubium super confirmatione, vel infirmatione prædictæ sententiæ; & Domini post plures propositiones supradicta die censuerunt illam esse infirmandam, moti ex eo quòd licèt Conuentus, & Canonici sint in quasi possessione eligendi prædictum Priorem, vt deponunt testes pro Conuentu examinati; non tamen probatur se esse in quasi possessione cogendi Abbatem ad dandam confirmationem, Prioris electi, pro qua non suffragatur dicta quasi possessio eligendi, vt trad. Bart. *in l. 1. §. huius autem interdicti, num. 3. in fin. ff. vti possidetis.* & facit vulg. reg. *Tantum præscriptum, quantum possessum*, de qua *in cap. auditis, de præscript.*

2 Neque obstare quòd pro obtinenda confirmatione electionis sufficiat sola quasi possessio, & vlteriùs status eligendi, ex adductis in decisione in hac causa facta coram Illustrissimo Cardin. Lancellotto sub die prima Iulij 1609. cui pro respectione fuit dictum, hoc non procedere in Priore claustrali, qualis est Prior dicti monasterij. Quinimò, vt dicunt testes in summario Abbatis *num.* 10. & subordinatus, & obedientiarius ipsi Abbati, quo casu illius confirmatio pendet à nutu, & libera voluntate ipsius Abbatis qui sicut possit illum electum, & admissum ad sui nutum remouere. Feder. de Sen. *consi.* 134. *numer.* 2. Imol. *in Clem.* 2. *num.* 21. & ibi Vitel. *numer.* 20. *de rescript.* Abb. *in cap.* 2. *num.* 8. *ad fin. de stat. monach. & in cap. fin. numero* 6. *versic. ex quo infero. de precar.* Dec. *in cap. ad nostram num.* 23. *de confirm. vtil. vel inutil.* etiam fine causa, & tenuit Rot. in causa Aquilana prioratus 16. Martij 1584. coram Cantuccio relata inter impres. *decis.* 778. *num.* 1. *& seq. parte quinta.* ita potest non admittere, neque confirmare eius electionem. gloss. *in cap. quamsit. verb. obtinere, in fin. & verb. facultatem.* & Franch. *in cap. si religiosus, ad fin. vers. sed rectè videtur quod de electione in* 6. quo fit, vt nec eo inuito possit ab alio confirmari ad euitandum inutiles circuitus.

Quòd autem iste Prior sit claustralis, non verò conuentualis, visum fuit DD. claustralem, non solùm quia talis vocatur in constitutione monasterij, ad trad. per Abb. *consi.* 15. *in fin. lib.* 5. Alexand. *consil.* 3. *sub num.* 1. *lib.* 1. Arm. *cons.* 20. *num.* 1. sed etiam, quia in isto monasterio adest Abbas, qui est caput illius. *cap. ad monasterium §. Prior autem*, & Abb. *de stat. monach.* Doct. *in Clem.* 2. *de rescr.* & fuit dictum in causa Barchinonensi anniuersariorum 28. Iunij 1557. coram Paleotto relata inter impress. *dict. decis.* 449. *num.* 4. *lib.* 3. *part.* 3. & penes quem residet omnis potestas monasterij. Abbas *in cap. ea noscitur, nu.* 4. *ad fin. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. cap.* & omnes officiales tenentur ei parere. *d. c. cùm ad monasterium*, & ibi Abb. *in* 6. *de stat. monach.* adeò quòd nullo modo potest dici iste Prior conuentualis, quia propriè dicitur ille qui est loco Abbatis. Franc. Monach. *quæst.* 1247. *num.* 3. *part.* 1. & præest Conuentui, in quo non adest Abbas. *Clem. ne in agro. §. cæterum. de stat. monach. cap. nisi essent. de præb.* 3

4 Neque etiam obstare, quòd prædictus Prior per viam electionis assumatur, quia modus eum assumendi per viam electionis non facit eum desinere esse claustralem, cùm electio in claustrali nullam constituat differentiam. Vital. *in ead Clem.* 2. *num.* 11. *de rescript.* prout nec etiam in conuentuali. Vital. *ibid. num.* 15. *in* 5. *not.* & in claustrali per viam electionis assumpto loquitur. Abb. *in d. cap.* 2. *num.* 8. *ad fin. & seq. de stat. monach.* 4

4 Minùs obstare allegatum statutum, nam illud non arctat Abbatem quominus possit illi contrauenire, etiam quòd de eius consensu fuerit conditum, quia monachi non possunt illi resistere, sed debent ei obedire, cùm eorum velle dependeat à mera voluntate Abbatis, vt per Abb. *in cap. cùm inter il* 1. *num.* 2. *vers. aliàs tamen citra Papam. de elect. & in d. cap. cùm ad monasterium, num.* 11. *vers. ex his infero, de stat. monach.* Dec. *in d. cap. ad nostram num.* 19 *de confirm. vtil. vel inutil.* Rebuff. *de pacif. poss. nu.* 294. *vers. Imò si Abbas*, aliàs enim quatenus respiceret coactionem Abbatis ad consentiendum electioni factæ à monachis, diceretur inualidum tanquam contrarium obedientiæ, quæ est de substantia regulæ. Abb. *in d. cap. cùm ad monasterium, num.* 7. 4

5 Neque postremò obstare quòd dictum statutum debeat præsumi à Sede Apostolica confirmatũ, quia hic nulla ostenditur obseruantia, quę ad hoc suffragari possit, ex quo non probatur quòd Abbas requisitus noluerit confirmare, & nihilominus fuerit coactus id facere, prout requiritur in istis facultatiuis, vt in his terminis tenuit Rota in d. causa Aquilen. Prioratus 16. Martij 1588. coram Cantuccio relata inter impress. dec. 28. *in fin. part.* 1. & licèt probetur obseruantia respectu requisitionis, & obtentæ confirmationis, tamen potest inferri ad coactionem, vt trad. Bart. *in d. l.* 1. *§. huius autem interdicti, nu.* 3 *ff. vti possid.* quia isti actus valdè inter se differunt. Bald. *cons.* 18. *n.* 4. *circa med. vers. & sunt duo actus lib.* 4. maximè quòd obtinere confirmationẽ ex parte Abbatis, procedit ex mera liberatione, vt suprà dixi, licèt ex parte Prioris sit necessaria. Et ita decisum, &c. 5

R. P. D. PEGNA DECANO.

Bononien. legati. Veneris 11. *Maij* 1612.

DECISIO CXIII.

Habebitur in 2. tomo decis. eiusdem Auditoris citò imprimendo Lugduni ab Hæredib. Prost, Borde & Arnaud.

R. P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. præeminentiarum. Lunæ 4. *Iunij* 1612.

DECISIO CXIV.

Est replicata suprà in par. 1. recent. decis. 416.

R.P.D. COCCINO DECANO.

Romana iuris congrui. Lunæ 5. *Iunij* 1610.

DECISIO CXV.

Decisio ista est de anno 1600. *& non de anno* 1610. *vt mendosè hîc adscripta erat. Est replicata inter impressas eiusd. bo. me. Coccini, decisio* 2.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana rescissionis instrumenti. Mercurij 27. *Iunij* 1612.

DECISIO CXVI.

Impressa est apud Censium de censib. decis. 262. *& penes Duard. eod. tract. decis.* 262.

R.P.D. VBALDO.

Hispalen. legitimitatis. Lunæ 5. *Nouembr.* 1612.

DECISIO CXVII.

Replicata est suprà in 1. *part. recent. decis.* 434.

REVERENDISSIMO P.D. PAMPHILIO.

Burgen. iuris præsidendi in choro. Lunæ 10. *Decembris* 1612.

ARGVMENTVM.

Manutentio danda est duobus cumulatiuè, quando probatum fuit, quòd duo possidebant, etiam per testes patientes aliquas exceptiones, & in materia preeminentiarum attendenda sunt statuta, & consuetudines potiùs, quàm dispositio iuris communis.

SVMMARIVM.

Manutentio danda est duobus, quando constat quòd duo possidebant, num. 2.

Testes etiam inhabiles, & exceptiones patientes, admittuntur in possessorio manutentionis, numer. 3.

Præminentia quibus concedendum sit, vel non, non attenditur dispositio iuris communis; sed attenduntur statuta, & consuetudines, numero 5.

DECISIO CXVIII.

DIe 28. Maij præteriti fuit resolutum mandatum de manutenendo in quasi possessione præsidendi in choro, & silentium in eo indicendi dandum esse iudicibus quatuor temporum deputatis à Capitulo, & illis deficientibus Canonicis antiquioribus pro tempore existentibus, ex rationibus in decisione deductis, quibus informantes pro Decano acquiescere noluerunt.

Ideo denuo supradicta die proposui causam super eisdem, & Domini dixerunt cumulatiuè Decano & dictis iudicibus dandum esse mandatum de manutenendo, quia ex testibus pro parte Decani examinatis constat de illius quasi possessione præsidendi in choro, & silentium indicendi de tempore motæ litis, & antea, vt in summario *numero* 3. non minus quàm de quasi possessione iudicum quatuor temporum per testes examinatos pro parte Capituli, quo fit vt mandatum de manutenendo sit dandum DD. iudicibus & Decano cumulatiuè. *l si duo in princip.* & ibi Bart. *num.* 5. *ff. vti possidet.* Menoch. *de retinen. remed.* 3. *num.* 756. *versic. procedere etiam possess.* & fuit dictum in causa Paduana parochialis prima Decembris 1600. coram bo. me. Pacen.

Nec obstare quòd testes pro parte Decani examinati sint in dignitate, prætendentes præsidentiam absente Decano, & sic interessati; quia vltra quòd in hoc summariissimo possessorio non admittuntur exceptiones contra testes, vt fuit dictum in causa Hostien. littoris maris 10. Decembris 1574. coram Rubeo relata inter impress. diuers. 28. *num.* 4. *&* 9. *part.* 1. & in causa Nucerina beneficij 6. Februarij 1609. coram D. meo Caualerio, præsertim quòd dicti testes sunt viri insignes, fuit etiam responsum eandem exceptionem posse fieri contra testes Capituli, qui pariter sunt Canonici interessati, ex quo singulis quatuor temporibus possunt eligi in iudices, & consequenter adhuc possessio iudicum & Decani remanet æqualiter probata.

Neque subsistere quòd quasi possessio iudicum sit præferenda tanquam titulata ex dispositione statuti Ecclesiæ, quia placuit responsio quòd in dicto statuto præseruatur authoritas & præeminentia Decani, vt expresè in eo legitur; quinimmo in, & pro illius obseruatione grauantur conscientiæ tam iudicum, quàm Decani, quo casu visum fuit prædictum statutum æquè omnibus & Decano, & iudicibus fauere, & ideo tanto faciliùs onus cumulatiuè dandi manutentionem.

Et ex hoc cessat quod dicitur de assistentia iuris communis, quæ allegatur pro parte Decani. Nam in casu isto quicquid sit de iure communi, attendi debet institutio statuti. Abb. *in c. quod Clericis, nu.* 25. *de for. compet.* Fel. *in c. cum omnes, in fine de constit.* cū aliis in hac causa allegatis 28. Maij præteriti. Et ad hoc placuit simile de consuetudine, quæ in huiusmodi præemi-

præeminentiis attendi solet. gloss. *in c.1. verbo Diaconus. de offic. primicer.* Cassan. *in tractat. glor. mundi, part.4. consid.37. in fine. vers. de his dignitatibus.*

6 Nec demum refragari testes Capituli, qui deponunt iudices quatuor temporum reperiri in quasi possessione cum scientia & præsentia Decani, ex quo ipsum quoque contrauenientem mulctarunt, quia actus de quibus deponunt supradicti testes, sunt illi qui dederunt causam liti.

7 Et pariter cessare, quòd Decanus fuit aliquando per Capitulum electus in iudicem quatuor temporum, & ipse officium acceptauerit, quia fuit responsum, quòd Decanus exercebat dictum officium non pro habenda præsidentia in choro, vel facultate silentium indicendi, quam vti Decanus habebat, licèt non esset iudex, vt deponunt supradicti testes, sed potiùs vt assisteret Episcopo in cognitione causarum criminalium, & cognosceret nomine Capituli causas ciuiles, & criminales dignitatum, Canonicorum, & aliorum beneficiatorum dictæ Ecclesiæ Burgen. aliásque facultates haberet, quæ particulari consuetudine illi officio competunt, & ita decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Veronen. pensionis. Lunæ 14. Ianuarij. 1613.

ARGVMENTVM.

Pensionis translatio, vt subreptitia dicatur, quæ requirantur, & de regressu in translatione quid, quando, & quantum operetur.

SVMMARIVM.

Pensionis translatio facta in vim facultatis à Pontifice concessæ, seruata illius forma executionem habere debet, num.1.

Pensionis reseruatio, seu etiam translatio, an, & quando dicatur subreptitia ex eo quòd non fiat mentio alterius pensionis in eodem beneficio reseruatæ, num.2.

Pensio translata non dicitur noua pensio, nec nouus modus, licèt obligationis mulctatio fiat de persona in personam, quia in effectu, & substantia est eadem cum antiqua, ibid.

Pensionis translatio non dicitur subreptitia, nisi ex omissione qualitatum de iure exprimendarum, numer.3. vbi exemplificatur hæc conclusio, & numero 4. vbi etiam an sit necessaria expressio sacerdotij, quæ erat in transferente.

Gratia translationis pensionis præsumitur iustificata ex cursu 30. annorum cum obseruantia, numero 5.

Regressus pensionis appositus in facultatem transferendi, quid, & quantum operetur, & quando locum habeat, num.6.

DECISIO CXIX.

1 Domini responderunt pro validitate translationis pensionis factæ per Leandrum seniorem in fauorem Leandri iunioris eius pronepotis. quia cùm illa emanauerit vigore specialis facultatis à Summo Pontifice concessæ, & seruata fuerit forma in litteris dictæ facultatis præscripta, non videtur de illius facultate posse dubitari. Paris. *de resignat. lib.6. q.4. num.46.*

Non obstat gratiam translationis fuisse subreptitiam, non expresso, quòd super eadem parochiali adesset alia pensio, prout de prima facienda, est mentio in reseruatione secundæ pensionis. Cassad. *decis.3. de pension.* Veral. *decis.303. part.2.* Gig. *de pension. q.29.* quia respondetur in huiusmodi facultate transferendi non esse faciendam mentionem de alia pensione, qua beneficium est grauatum. Ant. August. *in epitome tit. de translatione pensionis, num.1.* Paris. *de resignat. lib.6. q.4. num.43.* Cassad. *decis.1. num.2. & 3. de reb. Eccles. non alien.* Nam pensio translata non dicitur noua pensio, nec nouum onus, licèt obligationis mutatio fiat de persona in personam, sed in effectu, & substantia est eadem cum antiqua. Paris. *consil.5. num.86. lib.4.* Vital. *in Clem.1. §. eadem, num.3. de supplen. neglig. prælat.* Paris. *de resignat. lib.6. q.4. num.4. & 6.* & fuit decisum in causa Carpentoracten. pensionis 29. Maij 1602. coram Illustrissimo Lancellotto, & in vna Terulen. pensionis 15. Decembris 1600. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno. Vnde quamuis per translationem prorogetur beneficij seruitus consistens in onere pensionis. Sarnen. *in reg. de infirm. q.16.* Caputaq. *decis.305. num.10. part.2.* Paris. *de resignat. vbi suprà num.6.* Non tamen grauatur nouo onere beneficium, sicut quando noua in eo pensio constituitur, tunc enim est necesse aliam præcedentem exprimere, quod non est in translatione, cùm sufficiat semel voluisse Summum Pontificem duplici onere beneficium prægrauare, & sic in casu nostro, tantummodo seruitus antiqua de persona Leandri senioris, in personam iunioris fuit prorogata. Vnde cessat obiectio quæ solùm inducitur ex illarum qualitatum omissione, quæ de iure, vel consuetudine veniunt exprimendæ. Mohed. *dec.7. de rescript.* Caputaq. *dec.46. part.2.*

Non obstat pariter alia exceptio subreptionis ex eo, quòd non fuerit expressum decretum ab Ordinario factum in visitatione, vt videlicet cessantibus pensionibus ob populi multitudinem, alius in dicta parochiali Capellanus eligeretur. huius enim omissio decreti non inducit subreptionem, cùm non sit de qualitatibus de iure exprimendis, stante præsertim quòd translatio de sui natura non est adeò Ecclesiæ dānosa, cùm possit casus euenire, vt translatarius transferenti præmoriatur. Et licèt iste transferens fuerit septuagenarius, & trāslatarius valdè iuuenis, id tamen fuit per accidēs, ac propterea non videtur habendum in cōsideratione. *l. verum la 2. ff. de furtis.* 3

Nec releuat in dicta facultate transferendi Leandrum seniorem fuisse vocatum Sacerdotem, cùm idem in translatione nominatus fuerit Diaconus, quia respondetur ad obtinendam huiusmodi facultatem non fuisse magis necessarium sacerdotium, quàm Diaconatum, & sic per talem expressionem vti superfluam non vitiari dictam facultatem. Rota *de rescript. decis.10. in nouis, & 70. in antiquis.* Ægid. *decis.4.* & fuit decisum in vna Conchen. beneficij de Valdeiudeos 11. Maij 1609. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno. 4

Quod obiicitur, pensionem ipsius transferentis non esse iustificatam, dicitur non obstare, cùm ex cursu 30. annorum cum obseruantia satis illa præsumatur iustificata, vt fuit dictum in causa Brixien. pensionis 23. Maij 1594. coram Illustrissimo Cardinali Mellino, & in Papien. pensionis 11. Decembris 1606. coram Reuerendissimo Attrebaten. 5

6 Denique non obstat regressus ad parochialem appositus in facultate transferendi, quasi per illum pensio transferri non potuerit Leandro iuniori, qui ratione ætatis inhabilis erat ad parochialem. Nam respondetur, censeri concessum regressum quatenus translatarium contingeret illius esse capacem, & vt posset releuari, si titularis ipse pensionem non solueret, & sic apponi dicitur accessoriè, & in pœnam non soluentis pensionem. Put. *decis.* 293. *lib.*1. Dicitur præterea locum esse regressui, si ille, in cuius fauorem fuit appositus, vti voluerit. Mohed. *decis.*13.*num.*4.*& decis.*36.*vers.nec obstat, de renunciatione*.Put.*decis.*34.*circa fin.versi.tamen aliquando, lib.* 2. Sicut videmus in emphyteota irrequisito domino alienante, qui iure suo non cadit, nisi dominus voluerit, & se velle declarauerit. Cassad.*decis.*2.*num.* 1.*de locat. & conduct.* Mohed. *decis.*36. *de renunciat.* Dec.*consi.*159.*num.*3. vnde inducta in fauorem translatarij contrarium effectum operari non debent. *l. quod fauore*, & ibi Doct. *C. de legibus.*

REVERENDISSIMO P.D. PAMPHILIO.

Fesulana Prioratus. Lunæ 14. *Ianuarij* 1613.

ARGVMENTVM.

De vacatione Ecclesiæ per obitum, seu per assecutionem incompatibilis beneficij quando dicatur constare, & quando etiam per enunciatiuas Papæ censeatur probata qualitas collata beneficij.

SVMMARIVM.

Beneficij vacatio non dicitur per obitum beneficiati, qui ante mortem beneficium resignauit, numer. 1.

Beneficij secundi incompatibilis assecutio facit vacare primum ipso iure, ibid.

Beneficij resignatio facta in manibus alterius quàm Papæ, nulla, & inualida est, numer. 2.

Possessio non censetur probata ex locatione sine perceptione fructuum, vel alijs adminiculis, quando agitur contra tertium, num. 3.

Ecclesiæ, & beneficij collatio non valet nisi facto concursu intra sex menses à die obitus beneficiati. declara, dummodo adsit scientia ordinarij collatoris de quo tempore obierit beneficiatus, numer. 4.

Concursus beneficij quòd non fuerit factus in tempore, probari debet per eum qui se fundat in negatiua, ibi.

Concursus non requiritur in collatione parochiæ Regularis, num. 5.

Pontificis assertioni creditur quòd Ecclesia parochialis sit regularis, num. 6.

Enunciatiuæ antiquissimæ Pontificis probant qualitatem Ecclesiæ, ibid.

Resignatio beneficij, an fuerit valida, vel inualida, non est quærenda, quando apparet resignantem non fuisse legitimum possessorem, num. 7.

Clausula generalis vacationis, siue præmisso, siue alio quouis modo, *operatur, vt vltra modos expressos possit beneficij possessio capi. declara vt num.* 8.

DECISIO CXX.

1 Conclusum fuit gratiam Ludouici non esse iustificatam, quo ad vacationem per obitum Andreæ, quia ex deductis pro parte monachorum non solùm constat, quòd Andreas ante illius obitum de anno 1567. parochialem, de qua agitur, resignauerat ad fauorem monachorum; ideóque per obitum eiusdem vacare non potuit. Roman. *consi.* 342.*num.*1. sed etiam quòd postea de anno 1576. idem Andreas fuit prouisus de parochiali Ecclesia Sancti Marcellini, illiúsque possessionem adeptus fuit; vnde remanet omnino exclusa vacatio per obitum, cùm per assequutionem secundi beneficij incompatibilis, primum dicatur ipso iure vacasse. *cap. de multa*, & ibi Abbas *num.*16.*versic. sic ego indistinctè crederem.* Anchar. *num.*3. & alij. *de praben.* & tenuit Rota in causa Feltren. parochialis 10. Nouembris 1600. coram Illustrissimo Lancellotto, & sæpè in aliis causis.

Non obstat quòd resignatio facta per Andream ad fauorem monachorum fuerit inualida tanquam facta in manibus superiorum Congregationis contra formam constitutionis Pij V. prohibentis huiusmodi resignationes aliter fieri posse, quàm in manibus Papæ, quia vltra quòd constitutio emanauit de anno 1568. quæ propterea non comprehendit istam resignationem, quæ fuerat facta antea de anno 1567. *cap. fin. de constit.* & facit text. *in l. leges, & constitutiones. C. de legib.* Pro responsione fuit etiam dictum quòd in casu isto, vacatio per obitum satis dicitur exclusa per assecutionem alterius parochialis incompatibilis, ex suprà deductis.

Minus obstat, quòd resignatio facta de anno 1567. non fuerit effectuata, cùm appareat Andream de anno 1569. locasse pascua Ecclesiæ, & sic remansisse in possessione, quia fuit responsum quòd locatio contra tertium sine perceptione fructuum, vel aliis adminiculis, non probat possessionem. Felin. in *cap. inter dilectos, num.*8. *de fid. instrum.* Verall. *decis.* 10.*lib.*3. *in manuscript.*

Præterea fuit etiam responsum, quòd cùm Andreas post resignationem vigore concordiæ remanserit reseruatarius fructuum, censeri debet fecisse dictam locationem, non vti possessor Ecclesiæ, sed vti reseruatarius.

Vacatio narrata ob non seruatam formam constitutionis felic. record. Pij V. minus fuit iustificata ex quo non probatur scientia ordinarij Collatoris, quæ requiritur ad hoc, vt dicatur probata negatiua, quòd intra sex menses à die scientiæ vacationis per obitum Andreæ non fuerit factus concursus, & collatio, cùm dicti sex menses incipiant currere à die scientiæ vacationis. *c. quia diuersitatem. de concess. præbend.* cum aliis allegat. in causa Toletana beneficij 18. Nouembris 1578. coram bo. me. Cardinali Seraphino relat. inter impress. diuersor. *decis.* 481. *num.* 1. *part.* 1. & tamen huiusmodi negatiua debet per Ascanium probari. Innocen. *in c. super his, num.*3. *de accusat.* Bart. *in l. in illa. ff. de verb. oblig.* Aymon. *consil.* 112.*num.*6. & quidem plenè, & concludenter, vt in istis terminis tenuit Rota in causa Cæsaraugustana parochialis de Maella 8. Nouembris 1599. coram bo. me. Card. Pãphilio, & in causa Vicen. parochialis 14. Ianuarij 1611. corã R.P D. meo Manzanedo.

Et tanto magis supradicta videbantur Dominis procedere in casu isto, quia cõstitutio Pij V. non cõprehendit parochialẽ regularem, prout est Ecclesia de qua agitur, nec in ea habet locum concursus, vt iuxta declarationem Sacræ Congregationis Concilij Trid. tradunt modern. *super regul.* 8. *gl.* 6. *num.* 162. *vers.* 12 *& vlt.* & tenuit Rota in d. causa Vicen. parochialis 14. Ianuarij 1611. coram R.P.D. Manzanedo.

Quòd

6 Quòd autem parochialis, de qua agitur, sit regularis Congregationis Camaldulensis, probatur ex Bulla Gregorij IX. de anno 1227. & Alexandri IV. de anno 1258. In quibus inter Ecclesias, & loca Congregationis expreſsè enumeratur iſta Eccleſia S. Margaritæ, quæ conſtitutiones probant non ſolùm quia Pontifices ita eſſe affirmant *Clem. 1. de probat.* Ant. de Butr. *in cap. final. numer. 30 verſic. Quandoque verba. de ſucceſſ. ab inteſtat.* Fulgoſ. *conſi. 148. ad fin. verſ. Tertia & vlt.* ſed, & quia ſunt antiquiſſimæ excedentes ſpatium 350 annorum. Iaſ. & alij *in l. cùm aliquis. C. de iur. deliberan.* Chiſan. *deciſ. 68.*

7 Nec obſtat prouiſio Apoſtolica de iſta Eccleſia facta ad fauorem Andreæ, quia poſtea de anno 1565 monaſterium fuit ad poſſeſſionem Eccleſiæ reſtitutum per ſententiam Vicarij Florentini, quæ de anno 1567. ſtante titulo colorato, & poſſeſſione monaſterij fuit in Rota confirmata iuxta reſolutionem factam coram Sarmiento, ſub die 3 Martij eiuſdem anni. Et ſtante iſta reſtitutione tanto minus obſtat reſignatio facta per Andream, quia cùm appareat ipſum fuiſſe poſſeſſorem minus legitimum, non eſt quærendum, an illius reſignatio fuerit valida, vel inualida.

8 Nec clauſulæ generales, *ſiue præmiſſo, ſiue alio quouis modo*, &c. Aſcanio ſuffragari poſſunt, quia licèt ex eis poſſit capi alius modus vacandi vltra expreſſos *cap. ſuſceptum*, vbi Doctor. *de reſcriptis in 6.* Rot. *deciſ. 1.* & ibi Adden. *num. 5. & ſeqq. de reſcript.* in nouis tamen, cùm, vt ſuprà oſtenſum eſt, vacatio diſpoſitiuè narrata per obitum Andreæ, vel ob non ſeruatam conſtitutionem Pij V. non ſit iuſtificata, nec etiam de facto non poteſt capi alia vacatio ex clauſulis generalibus; vt fuit reſolutum in cauſa Vindunen. Canonicatus 15. Martij, & 13. Maij 1596. coram bo. me. Card. Pamphilio.

9 Valor beneficij impetrati quod non excedat ducat. 150. minus iuſtificatur, teſtes enim examinati deponunt vltra ſcuta 300. provt etiam nec dici poteſt iuſtificatus valor obtentorum, quòd non excedat ducatos 48. cùm neque talis valor fuerit articulatus, & teſtes ſuper eo nihil certi deponant. Et ita deciſum, &c.

R.P.D. VEROSPIO.

Bononien. de guidalottis. Lunæ 28. Ianuarij 1613.

DECISIO CXXI.

Replicata eſt ſuprà in 1. part. recentiorum deciſ. 451.

R P. D. MANZANEDO.

Monopolitana bonorum. Lunæ 28. Ianuarij 1613.

ARGVMENTVM.

Hæreditas æqualiter diuiditur inter hæredes, & ſimiliter quòd indiuiſum relinquitur, ad hæredes ſpectat pro rata.

SVMMARIVM.

Inſtrumentum diuiſionis contra diuidentes plenè probat, numer. 1.

Commune quod relictum eſt in diuiſione inter hæredes ad vnumquemque hæredum ſpectat pro rata, num. 2.

Æſtimi liber probat contra deſcribere facientem, n. 3.

DECISIO CXXII.

Sibylla ſoror, & cohæres Iuſtinæ in hæreditatibus Franciſci Antonij Romanaſij, & Iuſtinæ de Iandellis ſibi vniuerſalem hæredem inſtituit Cæſarem, & poſt eius mortem eius filios legitimos, & naturales; mortua Sibylla, & deinde Cæſare, relictis poſt ſe Matthæo, & fratribus de Romanaſio, cùm illi tanquam d. Sibyllæ hæredes agerent pro recuperatione bonorum ad illam ſpectantium contra Portiam, & Iuſtinam, dedi dubium, an Vineale di Notarnardo Tapetum in loco di Arnallo, nuncupatum Vineale della Seta, ſeu del Barone terræ in vocabulo *paterno*, & annuus cenſus ducatorum 16. cum dimidio ipſis deberentur, & pro qua parte. Quo hodie propoſito, Domini Vineale di Notarnardo in totum, & reliqua bona pro tertia parte eis deberi dixerunt. Nam Vineale di Notarnardo cùm obuenerit in portionem Sibyllæ in diuiſione quam fecit cum Portia, & Iuſtina, vt conſtat ex inſtrumento diuiſionis, quod contra diuidentes plenè probat, Socin. *conſil. 46. in princip. lib. 3.* Decian. *conſil. 76. numer. 9. lib. 3.* Peregr. *de fideicom. artic. 44. num. 5.* illud in totum ad Matthæum, & fratres de Romanaſio hæredes d. Sibyllæ ſpectare videtur. *l. hæreditas nihil aliud. ff. de reg. iur. §. inſtituto. Inſtitut. de vulg.* 1

Tapetum autem in loco di Arnallo in prædicta diuiſione remanſit commune, vnde pars Sibyllæ, & ſic eius hæredum erit tertia. *l. ſi non fuerint. ff. pro ſoc.* & Vineale della Seta erat in bonis Iuſtinæ, quæ Sibyllam & ſorores hæredes inſtituerat, vnde vnicuique earum tertia pars erat debita. *l. qua pater la 1. ff. famil. herciſcun.* 2

Quo verò ad terras, in vocabulo *paterno* mouebantur Domini, quia illæ fuerunt à Iuſtina relictæ Siluiæ, cui ſine filiis decedenti ſubſtituit Sibyllam, & ſorores, quæ Siluia cùm ſine filiis deceſſerit, factus fuit locus ſucceſſioni ad fauorem Sibyllæ pro tertia parte. Tandem annuus cenſus ducatorum 16. cum dimidio, qui fuit impoſitus ad fauorem hæredum Franciſci Antonij, ad Sibyllam pro tertia ſpectare videtur, ex quo pro illa parte fuit hæres dicti Franciſci Antonij.

Quia autem fructus dicti cenſus vnà cum parte ſortis principalis fuerunt exacti ſolùm à Portia & Iuſtina, & portio Sibyllæ dictorum bonorum fuit etiam ab illis occupata, vt conſtat ex libro æſtimi, in quo dicta bona tanquam propria deſcribere fecerunt. Iaſ. *in l. decem, num. 35. de verb. oblig.* Alexand. *conſi. 10. num. 5. lib. 4.* Ruin. *conſil. 40. num. 7. lib. 4.* Peregr. *vbi ſuprà num. 9.* viſum fuit Dominis quòd ſicut Sibyllæ, ſi viueret, eſſet facienda reſtitutio, ita hodie ea mortua illa fieri debeat Matthæo, & fratribus de Romanaſio eius hæredibus. 3

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Florentina bonorum. Veneris 1. Februarij 1613.

ARGVMENTVM.

De interpretatione quorundam ſtabilimentorum Hieroſolymitanæ religionis, de quibus in ſummario, vnde poteris argumentum ſumere.

SVMMARIVM.

Referens ſe ad conſtitutionem, ſeu ſtatutum, cenſetur in totum ſeruare voluiſſe ſtatutum & conſtitutionem, ad quam ſe refert, numero 2. in fine.
Res vt integra non dicatur, ſufficit vt aliquid fuerit factum etiam circa præparatoria, numer. 4.
Statutum quod non dicit , neque nos dicere debemus, numero 5.
Statutum , & qualibet diſpoſitio facta in vnum caſum, non trahitur ad alium, ibid.

DECISIO CXXIII.

1 FRater Iacobus Guuius Eques Hieroſolymitanus, Commendatarius commendæ S. Sepulchri de Florentia, volebat quędam bona dictæ commendæ per ſuum anteceſſorem in emphyteuſim conceſſa recuperare tanquam ad commendam deuoluta, ſed propter ſenilem ætatem, & alia impedimenta, quibus detinebatur, quominus poſſet dictæ recuperationi incumbere, ius ipſum recuperandi ſibi competens ceſſit per publicum inſtrumentum, ad fauorem D. Petri Medices, accedente conſenſu, & decreto Excellentiſſimi D. Antonij Medices Magni Prioris; lite incepta per Petrum ceſſionarium contra detentores bonorum, & Iacobo mortuo D. Franciſcus Lomellinus nouus Commendatarius monuit Petrum coram A. C. vt ab incepto iudicio deſiſteret, prætendens ius recuperandi ad ſe pertinere, & obtinuit ſententiam fauorabilem, de cuius confirmatione cùm hodie in Rota ageretur, Domini reſponderunt dictam ſententiam eſſe reuocandam tanquam iniuſtam, quia declarauit D. Petrum non poſſe agere ad recuperationem bonorum de quibus agitur, & deſiſtere debere ab eiuſmodi iudicio; cùm tamen vigore ſtabilimentorum 55. & 56. de commendis, detur facultas quibuſcunque militibus recuperandi bona religionis ab aliis occupata, quæ eis donec vixerint applicantur.

2 Non obſtat quòd debeant moneri Commendatarij, an ipſi velint bona recuperare iuxta dictum ſtabilimentum 56. quia hîc adeſt declaratio expreſſa facta à fratre Iacobo Commendatario, quòd ipſe non poterat dictum prædium recuperare ſtante eius ſenili ætate, & aliis impedimentis, & ideo requiſitus à D. Petro, illud ius ei cedebat, iuxta diſpoſitionem dicti ſtabilimenti, & propterea vel fuit ſatisfactum ſtabilimento ſtante dicta requiſitione, vel monitio non fuit neceſſaria propter expreſſam, & ſpontaneam declarationem Iacobi, præſertim proteſtantis, ſe dictam declarationem facere iuxta prædicta ſtabilimenta, quæ operatur, vt cenſeatur in totum voluiſſe ſeruare fines ſtabilimentorum, vt per Rotam *deciſ. 608. in fin. part. 1. diuerſ.* cùm relatum ſit in referente cum omnibus ſuis qualitatibus, *l. aſſe toto. ff. de hæred. inſtituend.* & Rot. *ibid.* Caputaq. *deciſ. 204. numer. 4. part. 1.*

Nec facit quòd dictus Commendatarius non potuerit cedere bona dictæ commendæ, quia non ceſſit bona, ſed ius recuperandi bona vigore dictorum ſtabilimentorum, vt patet ex lectura inſtrumenti ceſſionis. Concurrit etiam facultas data D. Petro à Magno Magiſtro recuperandi, & retinendi in vita dicta bona, vt in copia Bullæ quæ data fuit, vnde eo minus videtur potuiſſe Petro per A. C. denegari dictum ius recuperandi.

Non obſtat quòd Eques Lomellinus re integra ſucceſſerit in dicta commenda fratri Iacobo, & ideo debeat aliis præferri in dicta recuperatione, ex quo D. Petrus poſt dictam ceſſionem nihil fecit in cauſa. quia hoc obiectum tollitur ex Monitorio partis facto contra Petrum ad deſiſtendum ab inchoato iudicio, & ad hoc vt res non dicatur integra, ſufficit quòd aliquid fuerit factum, etiam circa præparatoria. Cephal. *conſil. 91. numer. 39.* Rot. *diuerſ. deciſ. 271. num. 3. part. 2.*

Minus obſtat quòd non fuit mota lis intra annum, iuxta diſpoſitionem dicti ſtabilimenti 56. quia per illud ſtatuitur anni tempus Commendatario ad recuperandum, poſtquàm declarauerit ſe velle recuperare: at aliis nullum ſtatuitur certum tempus, & ideo cùm ſtabilimentum hoc non dicat, neque nos dicere debemus. *l. ſi verò. §. de viro. ff. ſolut. matrim.* cùm prouiſio ſtatuti facta in vnum caſum non trahatur ad alium. *l. commodiſſimè, ff. de liber. & poſthum.* Bart. *in l. Gallus, §. & quid ſi tantum, ſub num. 2. eod. tit.*

R. P. D. VEROSPIO.

Romana dotis. Veneris 8. Martij. 1613.

ARGVMENTVM.

De dote filiæ promiſſa à patre, & non ſoluta, nunquid ad eam agere poſſit ipſa filia, an verò potiùs filiæ maritus.

SVMMARIVM.

Hypotheca ſine actione perſonali ab initio non contrahitur, num. 2. declara vt num. 6.
Dotis recuperandæ actio competit viro, non autem vxori, num. 2. in fine.
Promiſſio in diem certam, producit actionem, & obligationem ſtatim, & ab initio. declara vt num. 3.
Dos à patre data, patri reſtituenda eſt, ibid.
Vxor eſt creditrix viri pro dote recuperata, vel ſi per eum ſtetit, quominus recuperare, num. 4.
Mulier nunquid poſſit agere contra patrem dotantem pro ſolutione dotis abſque ceſſione viri, nu. 5. 8. & 9.
Dos à patre filiæ conſtituta, dicitur ipſius filiæ patrimonium, nec ampliùs cum patrimonio patris confunditur. declara vt num. 7.
Iuramentum efficitur caducum, vbi promiſſio ſuper qua interpoſitum fuit, fit caduca, n. 8.
Stipulari alteri quis poteſt in contractu dotis, ibid.
Iuramentum facit tranſire actionem ſine alia ceſſione in eum pro quo fuit facta ſtipulatio, ibid. in fine.
Dotem à patre promiſſam nunquid filia recuperare poſſit, an verò vir, num. 9.

DECI-

DECISIO CXXIV.

1 ANtonius Burius de anno 1591. nuptui tradidit Vincentiam filiam suam Hortensio Altopasso, cum dote scut.5000. ad quorum computum soluit scut.3500.residuum verò, & sic alia scut.1500.eidem soluere promisit infra annum, post quem non facta solutione teneri voluit ad interesse, videlicet ad scuta centum singulis annis,& in euentum restitutionis dotis, fuit pactum illam esse restituendam dictæ Vincentiæ, eiúsque hæredibus,& successoribus,vel cui de iure. Ante lapsũ anni decessit Hortensius,inde Vincentia illius vxor egit postea cõtra patrem in foro Capitolino pro consecutione dicti residui dotis,& obtento mandato fuerunt pro summa scut.1500.illi adiudicatæ domus, & vinea ipsius Antonij patris. Post dictam adiudicationem insurrexit Anna Proyda, quæ de anno 1606.nupsit quondam Gaspari Burio filio dicti Antonij cum dote scutorum 4000. pro quorum restitutione se Antonius obligauerat, & sic facto per mortem Gasparis loco restitutioni dictæ dotis Anna sibi petiit illam assignari super bonis adiudicatis Vincentiæ pro dicto illius dotis residuo, asserens Vincentiam non habere hypothecam super bonis patris, & consequenter ipsam esse præferendam, vnde causa de consensu partium ad Rotam deuoluta, & dicto dubio per me bis proposito,Domini ad fauorem Annæ responderunt,& sic Vincentiam non habere super bonis Antonij patris hypothecam.

2 Hæc enim ab initio sine actione personali non contrahitur.*l.contrahitur*,vbi Bart.& DD *ff.de pign.* Negus. *de pignor.in 2. membr.6. parte princip. num.5.* Surd. *decis.271.num.4.* quam actionem personalem Vincentia nullo pacto habet contra patrem dotis promissorem etiamsi dotis restitutio fuisset ipsi tantùm promissa, & actio esset in virum radicata, quia nec tunc contra patrem agere potuisset, sed tantùm contra viri hæredes, vt actionem sibi contra patrem cederent. *l. si pater.C.de dotis promiss. l. si socer.* §. *Lucius, ff solut.matrim.* Bald.*in d.l. si pater.* Gabr.*cons.129.num.6.in fin.vers.3.igitur, & nu.8.lib.1.* Vincent.de Franchis, qui de communi testatur, *decis.33 num.1.*

3 Quod tanto magis procedit in casu nostro, cùm ante diem solutionis maritus decesserit, vnde promissio soceri expirauit, non obstante quòd ex promissione in diem certam obligatio, & actio statim oriantur. *l.cedere diem, ff. de verb.signif.* Rip.*in l.ita stipulatus, num.83. ff. de verb.oblig.* id enim procedit quando certum est debitum in adueniente die, secus quando non est certum. Bart.*in d.l. ita stipulatus 115.num.38. in fine vers. si homine*, & ibi Rip.*num.84. ff. de verb. oblig.* In casu autem nostro certum non erat debitum iri,quia cùm fuisset propter onera matrimonij dos promissa, & sic haberet obligatio tractum successiuum, defuncto genero infra annum hæc promissio euanuit. Vltra quòd etiam si dos fuisset per virum exacta, adhuc illo defuncto patri esset restituenda, *l. dos à patre,C. solut.matrim.* Paul. de Castr.*cons.11.num.2.lib.1.* vt eam pro alio matrimonio conseruaret. Bald.*cons.7. circa finem. vers. & hoc est vtile lib.1.& cons 406.nu.1.eod.lib.*& ideo non erat certum dum annus durabat debitum iri, cùm posset genero infra annum defuncto promissio deuenire ad casum à quo incipere non potuisset.

4 Præterea licèt actio statim à die promissionis radicata fuisset in virum, vt esset factus creditor soceri, adhuc tamen Vincentia non esset viri, vel eius hæredum creditrix, vxor enim solùm est creditrix viri pro dote recuperata, vel si per eum steterit, quominus illam recuperasset, *l. si extraneus*, & ibi DD. *ff. de iure dot.* Bart.*in l. si socer.§.Lucius, num.3. vers oppono genero. ff. solut.matr.* Vnde cùm non potuerit maritus durante anno dilationis exigere scuta 1500. pro residuo dotis, nec pariter infra dictum tempus illo defuncto, Vincentia poterit pro dicta summa contra patrem, vel eius hæredes agere.

Vlteriùs etiamsi fuisset ex illa stipulatione radicata in virum actio quæ de sui natura transmissibilis esset ad vxorem,non ideo tamen Vincentia contra patrem actionem haberet, nec esset viri creditrix, quia cùm socero gener promiserit soluto matrimonio dotem ipsi Vincentiæ restituere,vel hæredibus & successoribus,seu cui de iure,censetur dotis restitutioné secundùm iuris ordinem soli patri promisisse,non obstante litteræ præposteratione. Paul. de Castr.*cons.11.num.2. lib.1.* Gabr.*cons.58.num.14.& seqq.lib.1.* Accedente præsertim Notarij stipulatione pro omnibus quorum interest, quæ importat,vt soli patri dotis restitutio sit facienda cuius intererat, vt soluto matrimonio per obitum generi dos ipsi viuenti restitueretur. Gabr.*d.cons.58.num.16. & seqq. lib.1.*Quod procederet facta etiam stipulatione soli filiæ, quia tunc censeretur tantùm actio donata pro dote recuperanda contra virum, nec ea contra patrem dotantem vti posset absque cessione. *l.si pater. C.de dotis promiss. l. si socer.* §. *Lucius, ff. solut. matr.* Franc.*decis.33.num.1.* 5

Non obstat quòd vidua in bonis promissoris dotis habeat hypothecam tanquam contra nomen debitoris viri, etiam si illa non habeat actionem personalem contra dotis promissorem, vt per Vincent. de Franch. *decis.alleg.* quia id procedit quando vir est creditor promissoris dotis hypothecæ: in casu autem nostro vtrumque deficit. nam vir non erat creditor soceri, ex quo neque obligatio, neque actio fuit in illum radicata, cùm ante diem solutionis decesserit; nec pariter Vincentia fuit creditrix viri, cùm plus iuris in illa, quàm in viro esse non potuerit. 6

Non obstat, quòd dos semel à patre constituta remaneat filiæ patrimonium,nec amplius cum patrimonio patris confundatur. Rot. *diuers.decis.156. num.2. part.1.* Quia procedit in terminis *authent. hoc amplius, C. de rei vxor.act.* ad effectum, vt filiæ secundo nubenti dos debeatur, per illum text.& ibi gloss. Negus. *de pignor. in 4. membr. 2. partis, sub num.34.* 7

Non obstat Alexand.*cons.207. & 208. lib.7.* vbi ex stipulatione mariti censetur propter iuramentum vxori actio acquisita. Nam dicitur iuramentum in contractu appositum respicere omnes conditiones, quas habet ille contractus. *l. fin. C.de non num. pecun.* Tiraq.*in tract.de constit. part.3. limitat.7. num.35.vers. Sed illud generale*, & ideò si principalis promissio sit caduca, necesse est iuramentum pariter euanescere, per Tiraquel.*loco citato.* Ex quo sequitur non posse Vincentiam vigore iuramenti contra patrem agere, cùm illius obligatio propter obitum viri ante diem solutionis euanuerit. Insuper iuramentum, cuius vigore actio sine cessione transit, non potest maioris esse virtutis, quàm ipsa cessio per virum expresè facta; vnde sicut vir do- 8

li exceptioni repelleret, petendo quod statim socero restituturus, cùm fuerit stipulatus illi dotem restituere, per illa verba, *cui de iure*, quæ important, vt patri à quo dos erat profecta, restitueretur. *l. dos à patre, C. solut. matrim.* ita quoque vxor posset repelli si ageret, vel vigore actionis sibi cessæ, vel iuramenti, cùm maritus in illam plus iuris transferre non potuerit, quàm ipse haberet. *l. traditio, ff. de acquir. rer. dom. & l. nemo plus iuris, ff. de reg. iur.* Vlterius Alex. *loco cit.* est intelligendus, vt tradit Gabr. *cons. 129. num. 8. lib. 1.* in quo casu vir dotem stipulatur pro vxore, tunc enim quando quis alteri potest stipulari sicut in dote. *l. Caius, ff. solut. matrim.* & ibi DD. Gabr. *de verb. oblig. conclus. 1. nu. 73.* iuramentum facit quòd actio transeat sine cessione: in casu autem nostro vir stipulatus non fuit pro Vincentia vxore, vt dixi, & ideò ex iuramento non censetur illi actio acquisita.

9 Non obstat decis. Guid. Pap. 375. nam illa loquitur in terminis *l. vnicæ, §. videamus, & §. accidit, C. de re. vxor. act.* vbi supponitur dotem filiæ emancipatæ fuisse promissam, vel datam ab extraneo: secus autem si dos à patre fuisset promissa filiæ sub illius potestate existenti, quia tunc illa contra ipsum patrem agere minimè posset. *l. si socer. §. Lucius, ff. solutr. matr.* Vltra quòd Guido Pap. non loquitur in casu quo pater fuit stipulatus dotem sibi restitui, tunc enim actio filiæ non acquiritur. *l. ex morte, in fine. Cod. de pact. conuen.* Præterea dicta decisio est communiter reprobata, vt Franc. testatur *decis. 33. num. 7.* & sic visum fuit Dominis Vincentiæ nullam competere super bonis patris hypothecam.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana dotis. Lunæ 29. Aprilis 1613.

ARGVMENTVM.

De testium fide, & probatione nonnulla notanda, de quibus in decisione, & quid: De in liquido ad liquidum non datur compensatio.

SVMMARIVM.

Confessio debitoris superat omnes alias probationes, n. 1.
Testis vnicus non probat. ibid. in fine.
Testes de auditu nihil probant, num. 2. vbi præsertim quando dicunt se audiuisse à principali.
Testis mediator probat plusquam semiplenè, num. 4. vbi etiam quando dicatur deponere de facto proprio.
Testis de facto proprio deponens nunquid plenè probet, ibid.
Obligatio non inducitur nisi probato mutuo ex simultaneo partium consensu ibid.
Compensatio non datur de debito non liquido ad liquidum, num. 5.

DECISIO CXXV.

1 Contracto inter Tullium, & Agnetem filiam Thomæ Tongi matrimonio, cùm nulla super eo fuisset confecta scriptura, ac propterea quantitas dotis postea controuerteretur, causa coram me introducta, dubitaui, an Thomas nomine dotis ad summam scutorum mille teneretur? Et fuit affirmatiuè responsum, cùm ex testibus, & ex propria ipsius Thomæ confessione in querela data contra Tullium probetur huiusmodi debitum, quod idem etiam agnouit in iudicio, cùm protestatus fuerit de tractis scutis 556 à Tullio sibi debitis residuum scutorum mille separatum soluere, dummodo pecuniæ in locis montium non vacabilium, vel aliis stabilibus inuestirentur, quæ probatio cùm oriatur ex debitoris confessione, superat omnes alias probationes. *l. cùm te. C. de probat. l. generaliter, C. de non numerata pecun. cap. per tuas, de probat.* & sic dictum Thomæ debitum non videtur in dubium posse reuocari. Difficultas remanet circa prætensam conuentionem, quam Thomas allegat inter ipsum, & Tullium fuisse initam, quòd de istis videlicet scutis mille annuus census emeretur à D. Antonio Tasso tanquam pro dicta summa ipsius Thomæ debitore, hæc enim conuentio per vnicum tantùm testem deducitur, quæ probatio non releuat. *l. iusiurand. C. de testib. cap. licet ex quadam, eod.*

Alij verò duo testes, videlicet, secundus, & tertius, deponunt tantùm de auditu quod non sufficit. *cap. tam litteris*, vbi Felin. *de testib. & cap. tua, de consang. & affinit.* Caputaq. *decis. 278 nu. 2. part. 3.* & tanto minus probat secundus testis, cùm deponat ab ipso Thoma se audiuisse. *cap. licet ex quadam*, & ibi glos. *in verbo ab vno, & in verbo authores. de testibus*, & ibi Host. *num. 2. in fin.* Aymon. *cons. 6. num. 67.*

Accedit, quòd vnus testis fatetur dictam conuentionem effectum non habuisse, quia partes non fuerunt inter se concordes, quod etiam comprobatur ex ipsius Thomæ protestatione, qui conuentus vltimo loco pro solutione scutorum mille non excepit de dicta conuentione, sed solùm institit, vt excomputaretur ipsius creditum scutorum 556. & residuum pecuniarum inuestiretur. Ex quibus conuentio penitus excluditur.

Nec obstat quòd vnus testis super ea deponens vti mediator plusquam semiplenè probet, quia dum de tractatu per ipsum deponit, dicitur de facto proprio deponere, secus vbi de partium conuentione, prout in casu nostro, quia tunc de facto alieno testari dicitur; & propterea dictum illius, semiplenam probationem non excedit. Achill. *decis. 3 de testib.* Vltra quòd contrariam sententiam, quòd videlicet vnicus testis, etiamsi de facto proprio attestetur, non probet, secuti sunt. Alex. *in l. 1. §. si absens, ff. si ex nox. causa*, vbi dicit eam esse veriorem Boër. *decis. 221. ad fin.* Ruin. *cons. 65. num. 2. lib. 5.* Gabr. *cons. 31. num. 11. lib. 1.* & alij. Præterea dictus testis non probat mutuum simultaneum consensum vtriusque partis, prout erat ille necessariò probandus ad inducendam obligationem. *l. 1. & l. ab emptione. ff. de pact. l. prout quidquam, ff. de solut.* Surd. *cons. 136. n. 16. ad finem, & seqq. lib. 1.*

Non obstat quòd Thomas prætendit hoc debitum scutorum mille cum alio credito scutorum 556. quod ipse habet contra Tullium, esse compensandum. Quia cùm istud creditum adhuc sit controuersum, & consequenter illi qui dum non potest conducere compensationem. *l. fin. C. de compensat.* Felin. *in cap. ad nostra, num. 10. de iureiuran.* Verall. *decis. 50. num. 2. part. 1.* Cæsar. de Grass. *decis. 105. alias 12. de sent. & re iud.*

R. P. D. VEROSPIO.

Baren. iurisdictionis. Lunæ 20. Maij 1613.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Episcopus de iure habet fundatam iurisdictionem causarum criminalium in sua diœcesi, & qui ab ea se exemptum prætendit, quid probare debeat.

SVMMARIVM.

Episcopus de iure habet iurisdictionem causarum criminalium in sua diœcesi, nu.1.

Exemptus ex priuilegio à iurisdictione Episcopi manuteneri debet in sua quasi possessione quadragenaria. declara vt nu.2.& 4.

Iurisdictionales actus facti post litem motam, dicuntur attentati, num.2. in fine.

Bona fides non inducitur ex errore iuris, quando quis habet titulum inualidum, licèt crederet illud validum, num.6.

Culpæ appellatione venit etiam delictum, nu.7.

Commissio iactationis, & iactationum non probat iurisdictionem in commissione assertam, num.8.

Iactationis, & iactationum iudicium intentans probare debet se possidere, ibid. in fine.

DECISIO CXXVI.

1 Dominus Prior, & Clerici Ecclesiæ S.Nicolai ciuitatis Baren. sub prætextu exemptionis in vim cuiusdam priuileg.j Paschalis Papæ secundi, cùm iurisdictionem Reuerendissimi Archiepiscopi declinarent, ac propterea nonnullos actus iurisdictionales contra ipsorum personas ab eo gestos declarari peterent attentatos, causa super dicta exemptione mihi in Rota commissa dubitaui, an constaret de dictis attentatis, & cui mandatum de manutenendo competeret. Et Domini, causa benè discussa, responderunt de prætensis attentatis non liquere, sed D. Archiepiscopum in cognitione causarum criminalium esse manutenendum, cùm illius quasi possessio tum ex pluribus actibus, tum ex testibus pro eodem examinatis appareat, iuncta præsertim iuris communis assisten.ia, per quam ad solum Episcopum spectat criminalium causarum cognitio. gloss. *in cap. irrefragabili*, §. *excessus. in verbo, per capitulum. de offic. iud. ord.* Abb. *in cap. cùm contingat, num.4 de for. compet. & in cap. auditis, nu.6. de præscript.* Caputaq. *decis.203. part.3.* ex qua sola iuris assistentia deberetur Ordinario manutentio. *cap. cùm persona*, & ibi Doctores, *de priuileg. in 6.* & fuit dictum in causa Burgen. iurisdictionis Sancti Ioannis 7. Februarij 1596. coram Orano.

2 Non obstat quòd ex dispositione *cap. cùm persona, de priuileg. in 6.* videatur Prior manutenendus, cùm exemptionis priuilegium exhibeat, & probet quadragenariam quasi possessionem. Nam priuilegium, vltra quòd concedit leuium tantùm culparum coërtionem, & sic delicta, & commissa extra claustrum non comprehendit; fuit vlteriùs abrogatum per Concil. Trident. *in cap.20. §. ad hæc. sess.24. de reformat.* & super eo sacra Congregatio pluries statuit, ordinarium in cognitione causarum criminalium esse manutenendum, donec inferior super immemorabili canonizatione per tres conformes obtineat, non obstantibus priuilegiis, consuetudinibus, & quacunque litis pendentia: sublato autem dicto priuilegio, etiam quòd Prioris possessio probaretur, non posset illi suffragari, tanto magis cùm actus iurisdictionales, vt plurimum fuerint ab eodem exercitati post motam litem de anno 1537. qui propterea dicuntur attentati. *cap.1. vt lit. pend. in 6.* Rota *decis.374. diuers. num.4. lib.3. & decis. 456. num.1. ead. part.*

Præterea dato etiam quòd Prior, & Clerici cum titulo dicti priuilegij suam probarent quasi possessionem exemptionis. quia tamen testes pro ipsis examinati non deponunt de criminibus in diœcesi, & extra Ecclesiæ claustra paratis, quoad hæc ipsi manutenendi non essent in exemptione, sed cognitio pertineret ad Ordinarium, ad quem illorum spectat correctio. *cap.1. de priuileg. in 6.* & ex Concil. Trident. *cap.4. sess.14. de reformat.* 3

Nec releuat quòd excipitur dictum cap. primum non procedere in exemptione personali, de qua Paschalis priuilegium loquitur. Nam, vt tradunt Abb. *in cap. fin. num.6. & 7.* Felin. *ibid. num.5.* & reliqui Canonistæ communiter, *de foro compet.* dictus textus locum habet in quacumque exemptione, vt pluries etiam firmauit sacra Congregatio Concilij. Et licèt Couar. *pract. quæst. cap.11. num.5. vers. quid enim*, asserat illius capituli dispositionem in simplici exempto procedere soli Papæ immediatè subiecto, secus vbi exẽptus alteri subderetur, vt in casu in quo Prior Clericos Ecclesiæ S.Nicolai sibi prætendit esse subiectos; hæc tamen distinctio non videtur attendenda, tanquam expressè contra illum textum in fine principij, *vers. & id ipsum*, vbi licèt priuilegiatus coram certo solo iudice valeat conueniri; punitur tamen etiam ab Ordinario, in cuius iurisdictione delinquit, cùm sortiatur ratione delicti nouum forum, cui Papa noluit per priuilegium derogare, vt trad. Franc. *in d. cap.1. in 2. notab.* Decius *cons.3. nu.3.* & idem Franc. *loco suprà citato*, dicit prædictum textum esse intelligendum de priuilegio plenæ exemptionis quantumcunque lato. 4

Non obstant declarationes Archiepiscoporum Romualdi, & Putei, vt ex illis potuerit Prior titulum putatiuum acquirere validum ad præscribendum; nam in dictis declarationibus, cùm nulla concedatur Priori iurisdictio, sed solùm enuncietur, illam ad Archiepiscopos non spectare, non potest inferri per necesse Priorem habuisse talem iurisdictionem in criminalibus, quia residet illa penes Sedem Apostolicam & Ordinarium, tanquam eiusdem sedis delegatum, vt in terminis, & in hac eadem causa respondit sacra Congregatio Concilij, & fuit dictum in Tirasonen. iurisdictionis 5. Iulij 1593. coram Illustrissimo Mellino. 5

Vnde cùm nulla fuerit quoad causas criminales in Priorem translata iurisdictio, nullus pariter ex illis declarationibus potuit acquiri titulus aptus ad præscribendum, cùm iuris error, quando videlicet quis validum credit quod est inualidum, bonam fidem non inducat, vt post Imol. *in cap. Apostolicæ, nu.8. de donat.* tradit Felin. *in cap. de quarta, num.35. vers. sed considera 1. de præscript. & in cap. si diligenti, sub num.12. vers. sed considera benè, eod. tit.* Bald. *in l. Celsus, num.8. de vsucap.* Alexand. *cons.74. num.7. lib.3.* Castrens. *cons.70. num.10. lib.1.* & per consequens etiam quòd probaretur prætensa Prioris quasi possessio, quoniam ex dicto titulo inualido emanaret, illi tanquam malæ fidei possessori non suffragaretur. *cap. fin.* vbi Abb. *num.4.* & reliqui Canonistæ, *de præscript.* Caputaq. *decis.362. part.2.* Vlteriùs ex quo de vero titulo constat, nimirum de priuilegio Pascha- 6

lis,& eius vigore Priori leuium culparum correctio tantùm indulgetur, recurri non poteſt ad titulum putatiuum. Ægid.*conſ.10.num.20.in fin.*Pariſ.*conſ.27. num.119.lib.1.*Aym.*conſ.134.num.44.verſ.pro hoc.*Rota *diuerſ.deciſ.731.num.19. part.1.*

7 Nec obſtat,quòd appellatione culparum veniant quoque delicta, ex notatis *in cap.irrefragabili, §.exceſſus,*vbi gloſſ. *de offic.ordin.in* 6. & per conſequens ex dicta facultate Priori attributa cenſeatur etiam cognitio cauſarum criminalium illi conceſſa. Nam ex lectura dicti priuilegij patet grauiores cauſas fuiſſe Summo Pontifici reſeruatas, & ſic Ordinario tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato, ex Concil. Trident. *ſeſſ.14. cap.4.de reformat.* fuit dictum in allegata Tiraſonen. iuriſdictionis 5. Iulij 1563. coram Illuſtr. Mellino.

8 Ex his igitur cùm Archiepiſcopum conſtet habeiure iuris, & Concilij aſſiſtentiam, nec non actualem quaſi poſſeſſionem per teſtes probatam, eam continuando dici non poteſt ipſum attentaſſe. *cap. 1.vt lite pend.p.2.cap.4.limit.1.num.*48. Nec ad effectum attentatorũ Archiepiſcopo refragantur commiſſiones pro parte Prioris obtentæ; cùm enim illæ ſint in cauſa iactationis, & iactationum,non impediunt, quominus ſuam quis poſſeſſionem continuet, quia tale iudicium inſtituens probare debet ſe poſſidere. Bald.*in l.3.nu.2.C.qui bon.ced. poſſ.*Boër. *deciſ.255.nu.*10.Gabr.*de art.concluſ.6.num.*38.

R.P.D. VEROSPIO.

Bononien. de Guidallottis. Lunæ 3.*Iunij* 1613.

DECISIO CXXVII.

Replicata eſt ſuprà in 2. *part.recent.deciſ.*495.

R.P.D. VEROSPIO.

Romana de Incoronatis. Lunæ 10.*Iunij* 1613.

ARGVMENTVM.

Euictæ rei valor debet exiſtimari ſecundùm tempus euictionis, & non ſecúdùm tempus æſtimationis; peritúſque ad æſtimandum electus poteſt alium peritum ad menſurandum eligere, & iuxta illius menſurationem pretium declarare.

SVMMARIVM.

*Euicta re agens de euictione debet facere rem euictam æſtimare quanti valebat tempore euictionis, & non tempore æſtimationis,*num.3.

Peritus ad æſtimandum electus poteſt alium deputare peritum, & iuxta illius menſuram, & æſtimationem, pretium declarare, num.4.

DECISIO CXXVIII.

1 FRatres de Incoronatis volentes nonnulla bona, quæ communiter poſſidebant, diuidere,cócorditer elegerunt cum ampliſſima facultate Marium Fanum vti peritum arbitrum, & amicabilem compoſitorem; verùm inter ſe poſtea conuenerũt, vt Marcus Antonius alter frater haberet inter alia pro ſua portione domum magnam nuncupat *PalaZZetto,*& in portione D.Ioan.Baptiſtæ,& rum fratrum eſſet caſale Aquæ Trauerſæ,ita ta vt per d. Fanum hæc eſſent æſtimanda. Et ſi pars valore præponderet, hic ad æqualitatem i cendam alteri deberet,vel pecuniæ,vel tot bo eiuſdem Fanni æſtimationem refundere. De 1605. Marius Fanus in vim facultatis ſibi conc domum,& caſale prædictum æſtimauit, & fact latione, quia Marcus Antonius prætendebat, rum fratrum ſe remanere creditorem, cauſa in ta propoſita die 24.Iunij 1607.coram Illuſtr.La loto deciſum ad fauoré d. Marci Antonij pro ma liquidata relaxatum eſſe mandatum,vt latu deciſione,quam Dominus Ioannes Baptiſta,cùn teretur impugnare, cauſa denuo per me propo dictum fuit ab ea non eſſe recendum,non obſt bus in contrarium allegatis.

Et ad primum obiectum, quòd videlidet Ma Fanus exceſſerit fines compromiſſi,cùm non ſo æſtimauerit, vt debeat partem caſalis omnibus tribus communem,ſed aliam etiam,quæ Marco tonio non competebat, videlicet rubra 24.cum midio ad Ioann.Baptiſtam,& fratres ſpectantia totidem aliis ipſi Marco Antonio de anno 1573. ſpondetur, Marium Fanum dictam partem vti ſeparatam, nec diſtinctá ab aliis probabiliter ig raſſe, & ſic benè illum proceſſiſſe ad æſtimation totius caſalis diuerſa pretia iuxta terrarum q litatem apponendo, ex qua æſtimatione nullu dictis fratribus præiudicium inferebatur, cùm i ipſi habere debent æquiualentiam rubrorum cum dimidio, videlicet ſcuta mille, & octinge quanti tempore euictionis dicta rubra fuerunt ſtimata,quæ pecuniarum quantitas de pretio tot caſalis erat illis aſſignanda, prout aſſignata fuit deciſione Illuſtriſſ. Lancelloti.

Nec poteſt D.Ioan.Baptiſta prætendere ſe læſu in æſtimatione, quia pretium de tempore euictio nis, & ſic de anno 1573. non æſtimationis totius ca ſalis factæ de anno 1605. eſt attendédum. Vnde no obſtant teſtes pro illius parte axaminati ad probar dum valorem iſtorum rubrorum 24.cum dimidio Nam,vt reſpondetur, in deciſione teſtes non depo nunt de tempore euictionis, quo ex aliquibus di ctorum rubrorũ nulli penitus fructus percipieban tur,nec reperiebatur, qui vellet ea conducere. Et li cèt ob varia melioramenta fuerint poſtea eff ecta bonæ qualitatis,& fructuoſa,nihilominus augmen tum, quod ratione melioramentorum, & expenſa rum prouenit, non debetur; ſi quod verò ſolùm ex lapſu temporis eueniſſet, de eo dicitur habendam eſſe rationem in deciſione, quæ propterea manda ex credito Marci Antonij non ſolùm dicta ſcuta 1800.ſed aliud præterea excomputari, & nonnullos affictus, & penſiones etiam à Mario Fano liquida tos in ſuſpenſo relinqui, donec ſuam exceptionem Ioannes Baptiſta liquidauerit. Interim autem pro reſiduo crediti iam liquidi non debet executio re tardari.Bald.*conſ.152.lib.3.*

Minus obſtat quòd excipiunt domum fuiſſe æſti matam à Valperga,non autem ab arbitro, quia be nè reſpondetur in deciſione non fuiſſe prohibitum Mario Fano deputare peritum, & ſecundùm illius menſuram, & æſtimationem pretium declarare, & ſatis ipſe dicitur æſtimaſſe domum cùm retulerit pro eodem pretio à Valperga declarato ſe illam æ ſtimaſſe.

Nec

5 Nec releuat domum fuisse æstimatam habito respectu ad annum 1592. quo fuit facta diuisio, casale verò ad tempus æstimationis, videlicet ann. 1605. Quia constat Marium æstimasse casale habito respectu ad fructus decem, vel duodecim annorum. Et sic ad tempus ferè diuisionis, vltra quod cùm ipse vigore instrumenti dictæ diuisionis æstimauerit, dicendum est ad illud tempus se retulisse.

6 Et ex iis non obstantibus in contrarium adductis DD. censuerunt ad fauorem hæredum Marci Antonij relaxandum esse mandatum pro summa in decisione Illustr. Lancelloti contenta, stante obligatione Camerali, quæ paratam habet executionem. Cynus *in l. si certum. C. famil. hercisc.* Gabr. *consil. 6*1. *num. 7. & lib. 1.* Galles. *ad form. oblig. Cam. part. 1. quæst. 2. nu. 11.*

R. P. D. VEROSPIO.

Albanen. iurisdictionis. Mercurij 26. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Iurisdictio quando, & ex quibus actibus probata censeatur.

SVMMARIVM.

Iurisdictio probatur per executiones factas reales, & personales, delinquentium punitionem, & gratiam illis quandoque factam, num. 1.

Testis vnicus probat in possessorio manutentionis summarijssimo, num. 2.

Testes etiam inhabiles admittuntur in possessorio manutentionis summarijssimo, num. 3.

Possessio nunquid amittatur per decem annos, ibid.

Possessio præsumitur continuata vsque ad tempus litis, num. 4. ad effectum obtinendi manutentionem, ibid.

Iurisdictio non acquiritur sine scientia, & patientia illius, de cuius interesse agitur; hæc tamen scientia, & patientia præsumitur ex multiplicitate actuum, & temporis cursu, nu. 5. vbi etiam quod hæc scientia, & patientia non requiritur vbi adest titulus

Possessio non dicitur probata per actum, qui liti causam dedit, num. 6.

DECISIO CXXIX.

1 Extat inter castra Cinthiani D. Ducis Cæsarini, & Nemi Dominorum de Frangipanibus, lacus, super cuius iurisdictione orta inter prædictos Dominos cõtrouersia & causa extra Rotam mihi commissa, dubitaui, an Dominis de Frangipanibus dandum esset mandatum de manutenendo, quoad possessionem omnimodæ iurisdictionis in toto lacu, etiam vltra duas columnellas versùs Cinthianum exercendi. Et fuit affirmatiuè responsum, ex eo quòd constat de actibus iurisdictionalibus factis ab eorum Officialibus in toto lacu, vt ex testibus pro illorum parte examinatis, qui de executionibus realibus & personalibus deponunt, & cùm delinquentes postea, vel fuerint puniti, vel gratiam habuerint, fuit Dominis de Frãgipanibus quoad omnimodam iurisdictionem acquisita vniuersalis quasi possessio, Oldrad. *cons. 172. num. 24. & cons. 254. nu. 17.* Abb. *cons. 71. num. 3. lib. 2.* Aym. *cons. 55. num. 1.* Ioan. And. *in cap. dilectus, col. 2. vers. si enim in hac materia. de capell. monach.* Felin. *in cap. auditis, num. 19. in fine. vers. dicit* *Bald. de præscript.* Put. *decis. 107. num. 2. lib. 1.* Rota *decis. 22. num. 7. p. 1. & 17. num. 2. & 4. part. 2. diuers.* Mohed *decis. 22. num. 3. de præb.* & pluries fuit decisum in Rota. Quæ quidem vniuersalis quasi possessio iurisdictionis fuisset dictis dominis acquisita, etiam quòd de vnico tantùm actu doceretur, cùm illa per vnicum actum acquiratur. Innoc. *in cap. 1. de relig. dom.* cum aliis cumulatis per Tiraq. *de retract. lignag. §. 36. gloss. 3. nu. 12.* Gabr. *de præscript. conclus. 2. per tot.* & fuit dictum in vna Colonien. iurisdictionis 27. Maij 1580. coram Rubeo, & in Oscen. iurisdictionis 24. Maij 1604. coram bo. me. Pegna.

Quòd autem Domini Frangipani iurisdictionem etiam vltra duas columnellas exercuerint, deponit secundus ex dictis testibus, qui licèt sit vnicus; in hoc tamen iudicio summariissimo probat, Verall. *decis. 3. lib 3.* Paleot. *decis. 22.* aliàs *375. lib. 3. part. 3. diuers.* Rota *decis. 196. in fine p. 1.* Idem probare videtur primus testis, cùm de quadam captura deponat ab eisdem officialibus facta in parte lacus erga Cinthianum, & sic videtur innuere locum controuersum, videlicet vltra duas columnellas, quamuis eas non expresserit. 2

Non obstant quæ contra testes allegantur, quia in hoc summarijssimo iudicio exceptiones contra illos non admittuntur. Capic. *decis. 55. num. 5.* & fuit dictum in vna Marianen. decimarum 11. Ianu. 1610. coram R. Bononien. Nec etiam releuat dictos actus iurisdictionales fuisse multo ante decennium, & propterea spatio tanti temporis amissam fuisse possessionem, Rota *decis. 27. num. 10. p. 1.* Hæc enim respectu iurisdictionis, quæ superuenientibus tantùm delictis exercetur per lapsum decennij, & vltrà non amittitur. Innoc. *in cap. dilectus, num. 3. in fin.* Host. *num. 1. vers. quod enim si aliqua Ecclesia.* Butr. *num. 15. in fin.* Anch. *num. 21.* Ioan. And. *num. 8. vers. si autem nullus. de capel. monach.* Felin. *in c. cùm accessissent num. 26. vers. ad idem quod notat. de constit.* Tanto magis, quia in casu nostro de continuata quasi possessione iurisdictionis vsque ad ann. 1605. & 1606. docetur ex depositione tertij testis. 3

Præterea cum non constet de contraria possessione, licèt nullus iurisdictionis actus appareret, præsumeretur tamen vsque ad tempus motæ litis dictorum dominorum possessio continuata. *l. siue possidetis,* & ibi gloss. & Doct. *C. de prob.* Abb. *in cap. cùm ad sedem num. 15. de restit. spoliat.* Afflict. *decis. 394. nu. 2.* Rota *decis. 4. de probat. in nouis.* Menoch. *de recuperanda, remed. 15. num. 386.* quod sufficit ad effectum obtinendi manutentionem. Aret. *in §. retinendæ, nu. 3. Instit. de interd.* Bero. *cons. 55. num. 6. & seqq. lib. 3.* Afflict. *d. decis. 344. num. 2.* Rota *decis. 378. nu. 1. part. 1. diuers.* Menoch. *de retinend. remed. 3. nu. 557.* 4

Nec obstat scientiam, & patientiam Domini Castri Cinthiani, & illius communitatis non probari, sine quibus iurisdictio non acquiritur. Ripa *in cap. cùm Ecclesia Sutrina, num. 64. de caus. poss. & propr.* Nam vltra quòd ex iuribus productis hæc satis apparent interuenisse, & ex lapsu tanti temporis, atque actuum multiplicitate, & coniecturis præsumuntur. Abb. *in d. cap. cùm Ecclesia Sutrina, num. 25. de caus. poss. & propr.* post Inn. *in c. bonæ il 2. nu. 1. vers. has autem præsumptiones, de postulatione Prælat.* Rota *decis. 166. p. 1. diuers.* Put. *decis. 264. num. 2. lib. 1.* vt ex locorum vicinitate Ruin. *cons. vlt. nu. 10. lib. 4.* Dec. *cons. 85. num. 2. vers. & data.* Rota *decis. 28. nu. 166. nu. 2. & 3. p. 1. diuers.* Cùm etiam Domini Frangipani dominium dicti lacus, & sic titulum haberent, vt ex 5

laudo anni 1565. scientia, & patientia D. Ducis, & dictæ communitatis non erat necessaria. Paul. de Castr. *in l. seruitutes, la vltim. nu. 9. vers. 4. requiritur. ff. de seruit.* Cæpol. *de seruit. vrbanorum præd. c. 20. n. 5. in 2. limit.* & fuit dictum in Carthaginen. iurisdictionis 16. Decembr. 1596. coram Cardinali Seraphino.

6 Non obstat, quòd officiales Dominorum de Frangipanibus dum vltimo loco vellent in dicto lacu iurisdictionem exercere, fuerunt ad querelam hominum Cinthiani per vrbis Gubernatorem carcerati, & puniti. Nam vltra quòd hic vltimus actus, qui dedit causam liti, non est habendus in consideratione, vt fuit in Rota pluries decisum. Respondetur istam carcerationem non fuisse subsecutam, ex quo dicti officiales iurisdictionem in lacu, etiam vltra duas columellas exercuissent, sed quia Vicarius Nemi plures armatos homines collegit, & secum duxit pro executione facienda, & sic videbatur in Bullam Sixti fel. record. in ordine octauam incidisse, vt legitur in sententia Gubernatoris.

7 Stante autem dicta iurisdictione Dominorum de Frangipanibus in toto lacu, cùm in consequentiam illi prætenderent posse hominibus etiam Cinthiani prohibere vsum retium, de quibus est controuersia, visum fuit Dominis hoc esse particulariter discutiendum.

R. P. D. VEROSPIO.

Perusina redditionis administrationis tutelæ. Mercurij 26. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Sententia dicitur nulla, si non fuit publicata eadem die qua fuit lata, nec administrator tutelæ condemnari potest sine libro administrationis, & non facto calculo reddituum, & expensarum in administratione existentium.

SVMMARIVM.

Sententia dicitur nulla, si non fuit publicata eadem die, qua lata fuit, num. 2.

Administrator condemnari non potest, nisi facto calculo, & liquidatione eorum, in quibus est debitor, num. 3. & 4.

Liber administrationis produci debet in iudicio, aliter sine eo ratio reddi non potest, num. 5.

Mandatum exequutiuum, nec etiam per modum prouisionis à iudice relaxari potest, quando iniustè relaxatur, num 6.

Decretum prouisionale fieri non potest sine matura discussione, num. 6.

DECISIO CXXX.

1 FRatres de Mansuetis prætendentes, Fabium pro administratione ipsorum tutelæ remanere in notabili pecuniarum quantitate debitorem, contra illum egerunt de anno 1558. coram Locumtenente Gubernatoris Perusiæ, qui pronunciauit instrumentum tutelæ purum, & liquidum esse, nec non ad fauorem dictorum fratrum executioni demandandum pro administrationis ratione reddenda, ac restitutione reliquorum in executione sententiæ liquidandorum; & licèt postea fuisset hæc sente[ntia] per iudicem appellationis reuocata, nihilominu[s] anno 1606. confirmata fuit ab Auditore Illustr. [...] gati, & causa nouissimè introducta coram iu[dice] per Auditorem Cameræ deputato fuit ab eo [per] modum prouisionis, & sine iurium ambarum [par]tium præiudicio decretum, & relaxatum man[da]tum in summa scutorum trium millium contra [bo]na eiusdem Fabij tutoris hæreditariæ. Verùm in[ter]posita per illius hæredes appellatione cùm fu[it] causa in Rota commissa cum clausula, *si quid [...] quendum*, per me dubio proposito, dictum fuit, mandatum vti nullum, & iniustum executio[nem] non mereri.

Nullitas deducebatur, quia cùm illud emana[ue]rit vigore sententiarum, quæ nullæ sunt, vti ead[em] die, qua latæ fuerunt, non publicatæ. Rot. *decis. [...] p. 3. diuers.* & fuit dictum in vna Fauentina succes[sio]nis 22. Nouembr. 1610. coram R. Lugdunen. ita p[ræ]ter mandatum ad illas referens nullum erit. Et [si] excipiatur, quòd sententiæ de stylo non solean[t ea]dem die, qua fuerunt latæ, publicari; cùm tam[en] hic stylus non probetur, non debet attendi, vt [pro]betur in alleg. decisione Fesulana.

Iniustitia dicti mandati colligitur ex quo in [di]ctis non apparet fuisse factam liquidationem red[di]tuum, & expensarum, nec aliquem calculum exe[cu]tionem præcessisse, vt requirebatur. Alex. *cons. [...] nu 1. & seqq. per tot. lib. 7.* Negus. *de pignor. in 1. mem[bro] 5. partis. nu. 37. vers. præterea præmisso.* Anchar. *cons. [...] nu. 1. vers. præterea.* Crauett. *cons. 231. num. 16. in f[in.] vers. 11. considero,* Purpurat. *cons. 339. num. 3.*

Nec releuant inuentarium, & testes de reddi[ti]bus bonorum stabilium deponentes, quia cùm [li]quidatę non fuerunt impensæ, quarum vigore tu[tor] poterat debitor non existere, dicta liquidatio red[di]tuum pro executione non sufficit. Alex. *d. cons. [...]* lib. 7. Anchar. *cons. 235. num. 1. vers. præterea.* Purpura[t.] *cons. 339. num. 3. vers. tamen.*

Vlteriùs transportati non fuerunt libri admin[i]strationis producti, sine quibus ratio reddi non p[o]terat. Roland. *cons. 49. num. 22. post medium vers. id[em] voluit.* Angel. *lib. 1.* Nec valet exceptio, dictos libr[os] à tutore, vel eius hæredibus verbaliter tantùm fu[is]se productos, quia cùm adsint in productione verb[a] *quorum tenores, &c.* & contra eosdem libros pars [re]cęperit, quòd videlicet anno, mense, alijsque sol[em]nitatibus careant, satis constare videtur de re[ali] productione, cùm isti defectus non potuissent al[i]à parte diuinari.

Non obstat, quòd mandatum fuerit per modu[m] prouisionis decretum, quia cùm ex supradictis ne[c] iustificetur, non potuit à iudice relaxari. Rebuff. *d[e] sent. prouisionalibus, in præfat. num. 14. 19. & 22.* cùm præsertim hìc ageretur post annos 45. de sententia[rum] executione contra tutoris hæredes non infor[]matos, & ab illis de præscriptione satis probabili[]ter exciperetur, vnde non erat ad aliquam prouisio[]nem absque noua, & matura causæ cognitione de[]ueniendum.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana quartæ, seu dotis 28. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Dotis quarta pars nō debetur vxori ab hæredibus viri prædefuncti, sed filiis, aut nepoti[s]

nepotibus superuiuentibus. cætera habes in summario.

SVMMARIVM.

Dotis quarta pars non debetur vxori superstiti, viuente nepote ex filia amborum coniugum, num.1. & 2.
Liberorum appellatione veniunt nepotes, num.2.
Nepos in successionibus intrat in locum patris, num.3.
Legitima debetur nepoti ex filio in bonis aui, ibid.
Vxor eiecta de domo per virum sine causa, debet consequi quartam partem bonorum defuncti viri, num.4.
Decretum iudicis habet præsumptionem pro se, ibid.

DECISIO CXXXI.

1 MArina de Burgo nupsit aliàs Cæsari de Petris, qui omnibus filiis prædefunctis obiit, superstite solùm Dominico ex communi filia nepote, quem sibi hæredem vniuersalem instituit, vnde cùm dicta Marina quartam partem bonorum sui viri, etiam quoad proprietatem velut inops, & indodata prætenderet, orta inter ipsam, & Dominicum hæredem controuersia, dubitaui, an ista quarta pars dictæ mulieri deberetur? & fuit responsum eam non deberi; quia cùm vir superstitem ex filia nepotem reliquerit, non potest Authentica *præterea. C. vnde vir, & vxor*, ad fauorem mulieris intrare.

2 Nec obstat, quòd illa de filiis, non de nepotibus loquatur. nam ex communi Doctorum sententia dictæ authenticæ dispositio non solùm ad filios, verùm etiam ad nepotes extenditur. Dec. *in eadem auth. nu.* 8. & ibi Curt. iun. *nu.25. vers.1. dubitatio*, vbi de communi testatur, cùm sit certum in iure nepotes liberorum appellatione comprehendi. *l. liberorum*, vbi Bart. & scribentes, *ff. de verb. signific. §. si quis filiabus suis, Instit. qui testamento tutores dari poss.* gloss. *in cap. de verb. signif.* Dec. *in l. 2. col. 3. C. de in ius vocando.* quod tanto magis procedit, quando agitur, prout in casu nostro, de illorum fauore. Bart. *in d. l. liberorum, n.5. ff. de verb. signif.* Angel. *in l. Gallus, §. instituens. ff. de lib. & post.* Oldrad. *cons.269.* Alex. *cons.9. col.1. & seqq. vol.1.* Socin. *cons.14. vol.1.* Curt. iun. *in d. auth. præterea, nu.26.* Illustriss. Mantica *lib.5. tit.5. de coniect. vlt. vol.* & fuit dictum in vna Vrbeuetana castrorum 10. Iunij 1588. coram Illustr. Platto.

3 Et hoc etiam confirmatur ex eo, quia nepos in aui successione locum sui patris ingreditur, vnde legitima sicut filiis primi gradus illi debetur. *l. si auus*, vbi Bald. *num.4. C. de lib. præter.* Peregr. *de fideicom. art.36. num.39.* idem *art.22. num.61.*

4 Non obstat, quòd Marina sine causa fuerit de domo per virum eiecta, & propterea quartam partem bonorum illius consequi debeat, ex dispositione *l. iubemus. C. de repudiis.* quia respondetur non constare, quòd sine causa vir illam eiecerit, immo contrarium apparet ex iudicis decreto, pro cuius iustitia præsumitur. gloss. *in l.1. in verbo omni ordine. C. de fid. instr.* Specul. *in tit. de empt. & vend. §. nunc dicendum, nu.5. vers. & breuiter.* Alex. *cons.147. nu.9. lib.7.* Achill. *decis. vlt. de præsumpt.*

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana domus. Veneris 28. Iunij 1613.

ARGVMENTVM.

Interesse *l. curabit. C. de act. empt.* conuentum debetur etiam pendente dilatione ad soluendum, quia conuentum, sed debetur pro vt taxatur: sed pro rata fructuum rei venditę non conuentum debetur, lapso tempore dilationis.

SVMMARIVM.

Interesse debetur venditori pro re vendita, quando pretium non habuit ab emptore, & si interesse fuerit conuentum, & eius taxatio sit excessiua debetur, non ad rationem conuentionis sed interesse legale pro rata fructuum, qui percipiuntur ex re vendita, num.1.
Interesse ab pretium non solutum rei venditæ ab initio taxari non potest, si nescitur quantum res vendita redderet, & interesse legale, per textum in l. curabi. C. de actionibus empti, *debet correspondere fructibus, qui ex re vendita percipiuntur, num.2.*
Dilatio concessa ad soluendum non impedit quominus debeatur interesse si fuerit conuentum, num.3.
Interesse pendente dilatione ad soluendum regulariter non debetur nisi fuerit conuentum, ibid.

DECISIO CXXXII.

LAurentius de Fulchis vendidit Liuio eius fratri tertiam partem vnius domus communis pro pretio librarum 1383. & data dilatione quinquennali ad soluendum cum hoc quòd interim soluantur fructus ad rationem librarum 88. quolibet anno; transactis verò decem annis cùm pretium non fuisset solutum, Liuius assignauit totam domum Laurentio detinendam loco pignoris, quousque satisfieret de suo credito, tam respectu sortis, quàm fructuum, & supponitur domum ab anno venditionis 1591. fuisse locatam pro annua responsione lib. 88. vsque ad annum assignationis 1602. ex quo in posterum fuit locata pro annuis libris centum. Cùm autem hodie ad instantiam Felicis de Leonardis creditricis d. Liuij pro sua dote agatur contra d. domum, quæ opponit Laurentium esse satisfactum de suo credito ex pensionibus d. domus, & ille ratione interesse prætendat remanere creditor in notabili summa, dubitaui, an d. interesse conuentum, vel aliud illi debeatur? & Domini debere interesse censuerunt, non tamen conuentum, sed potiùs legale ad rationem pensionis domus pro rata, & pro toto tempore. 1

Et mouebantur, quia prædicta taxatio conuentionalis certa ab initio non potuit fieri. Cephal. *cons.290. num.7. & seq.* & fuit excessiua, cùm absorbeat pro tertia parte domus omnimodam annuam pensionem totius domus. & dispositio text. *in l. curabit, C. de actionib. empt.* de æquitate permittit dictam taxationem ab initio, ne emptor interim fruatur re, & pretio. Aym. *cons. 105. num. 11.* Alex. *cons. 79. num.4. lib.1.* dummodo tamen dicta taxatio correspondeat fructibus, seu pensionibus rei. Cagnol. *in d. l. curabit, num.23.* aliàs venditor ageret de Lucio captando. Alex. *vbi suprà.* Corn. *cons.145. num.6. & 7. lib.2.* faciunt tradita per eundem Cagnol. *vbi suprà num.55. & 57.* 2

Quod autem pro toto tempore prædictum inter- 3

esse debeatur, probatur ex eo quòd licèt ab initio fuerit data dilatio quinquennij ad soluendum, & pendente dilatione regulariter non debeatur interesse. Crauett. *cons.189. num.5. & 7.* hoc non procedit quoties conuentum fuit, vt in nostro casu, quòd etiam pendente dilatione interesse solueretur. quæ conuentio in quantum, vt diximus, correspondeat fructibus, vel pensionibus sustinetur, & est satis conformis dispositioni *d.l. curabit.* Dec. *in cap. cùm venerabilis, num.14. vers. & quantum, de except.* Corn. *cons.113. num.4. lib.3.*

Quo verò ad secundum quinquennium d. interesse legale deberi pars Felicis acquiescit. Ex quibus videtur quòd Laurentius de toto dicto tempore debeat habere tertiam partem pensionum, pro quibus domus fuit locata.

R. P. D. VEROSPIO.

Rauenaten. laudi. Veneris 28. Iunij 1613.

DECISIO CXXXIII.

Impressa est post Merlin. de legitim. decis.104.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana pecuniaria. Lunæ 1. Iulij 1613.

ARGVMENTVM.

Mercator acceptans literas, facit se debitorem illius, ad cuius fauorem litteræ sunt scriptæ. Fallit hæc conclusio, vt in hac decisione.

SVMMARIVM.

Debita soluens anteriori creditori, est liberatus, nu.2.
Litteras cambij mercator acceptans facit se debitorem illius, ad cuius fauorem sunt litteræ scriptæ. declara vt num.4.
Debitor non potest soluere posteriori creditori sui creditoris cessionarij, quandò anterior creditor suam anteriorem cessionem intimauit, num.5.
Delegatio habet vim solutionis. declara vt nu. 6.

DECISIO CXXXIV.

1 Pompilius de Cuppis vti conductor D. Ducis Alexandri Sforitiæ, cùm illi quolibet anno soluere tenetur in duabus vicibus, nimirum in mensibus Martij, & Septembris certam pecuniæ quantitatem, anno præterito ad instantiam & mandatum dicti Ducis promisit Christophoro Scotto ab bonum computum soluere scut.3000. quæ debebat in proximo mense Septembris. Verùm hoc postea non valuit adimplere, sed vigore mandati A.C. dictum debitum, adueniente die, soluit Ruberto primo, cui priùs d. Dux illud cesserat. Hac solutione non obstante, Christophorus in vim promissionis sibi factæ pro eadem summa egit cõtra Pompilium, & obtinuit ab A.C. mandatum, à quo interposita Põpilij appellatione, causam introduxit in Rota, & stante commissione mihi directa cum clausula, *si quid exequendum*, cùm dubitassem, an dicto mandato danda esset exequutio, Domini negatiuè responderunt.

Nam licèt Pompilius pro dicta summa debita in mense Septembris ad fauorẽ Scotti se obligauerit, quia tamen illam adueniente die soluit Ruberto Primo, qui anteriorem habebat cessionem à D. Duce; ipse Pompilius fuit liberatus. *§.1. Institut. quibus mod. tollitur obligat. reg. bona fides. de reg. iur. in 6.* Cùm præsertim illius promissio non fuerit simplex, & absoluta, sed restricta ad pecunias debitas in mense Septembris, iuxta Ducis mandatum, qui illas tantùm Scotto voluit obligari, vt fuit in terminis similis promissionis decisum in causa Romana executionis schedulæ 21. Maij 1586. coram Bubalo: vnde cùm postea superuenerit dictus Rubertus habens cessionem anteriorem, eámque intimauerit Pompilio, cum inhibitione, ne alteri solueret, benè dicitur Pompilius Ruberto soluisse, tanto magis accedente iudicis mandato. *l. Paula Callimacho, §. fin. ff. de leg.3.* Afflict. *decis.150. num.19. & 20.* Surd. *cons.436. num.6.*

Non obstat, quòd Pompilius cessionem, & inhibitionem prædictam Scotto non intimauerit, quia cùm non appareat, Scottum aliquam causam habuisse Rubertum anteriorem cessionarium excludendi, hæc intimationis omissio non est habenda in consideratione. Alex. *in l. non solum. §. morte num. 47. ff. de nou. oper. nunciat.* Achill. *decis.1. num.2. & 3. de concess. prœbend.* & fuit dictum in causa Romana pecuniaria 6. Aprilis 1601. coram Reuerendissimo Domino meo Decano. Quia imò cùm Dux Ruberto suo creditori cesserit terminum de quo agitur, in illius præiudicium postea non voluit eundem Scotto cedere, ex alleg. per Surd. *cons.22. nu.28. vers. non etiam aduersatur.*

Non obstant decisiones in causa Romana litterarum cambij 11. Nouembris 1582. coram Illustr. Arigonio, & in Romana cambij 3. Martij 1595. coram Gipsio, in quibus dicitur acceptantem litteras constituere se debitorem illius, ad cuius fauorem sunt litteræ scriptæ, & acceptatæ; quia Scottus non præsentauit Pompilio mandatum, sed illud fuit per Ducem ipsi directum, & ad eiusdem Ducis instantiam à Pompilio subscriptum, & acceptatum; vnde non applicantur quæ in allegatis decisionibus afferuntur de acceptatione litterarum cambij, mediante illarum præsentatione ab eo facta, in cuius fauorem sunt litteræ scriptæ, quo casu inter acceptantem, & præsentantem dicitur obligatio contracta, ita vt solutio denegari non possit, vt etiam in terminis allegatarum decisionum fuit resolutum in Romana litterarum cambij 29. Aprilis 1611. coram Illustrissimo Lancellotto: secus autem est in casu nostro, ex supradictis.

Præterea solent acceptationes litterarum cambij de soluenda pecuniarum quantitate in eis contenta fieri simpliciter; verùm hîc prouisio fuit restricta ad solutionem tantùm illius, quod de mense Septembris debebatur, & stante eiusdem termini cessione per Ducem priùs alteri facta, non potuit ex sua promissione Pompilius conueniri, ne hoc modo bis idem debitum soluere cogeretur, cùm in præiudicium anterioris cessionarij, qui cessionem intimauit, posteriori soluere non potuisset. *l. debitorem pactionibus. C. de pactis*, cum aliis alleg. per Surd. *cons. 22. num. 28. & seq.* 2

Non obstat præterea delegatio, quæ vim habet solutionis. Nam hîc requisita non interuenerunt ad inducendam delegationem. Non enim Dux in solutum dedit Scotto Pompilij creditum, sed fuit simplex

simplex mandatum ad exigendum, quo casu non dicitur inducta delegatio. Surd. *decis.23. num.10.per totam.* Vlteriùs delegatio facta non fuit, ex quo Pompilius mediante stipulatione Scotto soluere non promisit, cùm illo absente mandatum acceptauerit. *l. 1. C. de nouat.* & fuit dictum in causa Bononien.pecuniaria 13.Ianuarij 1581.coram bo.me.Cardinali Lancellotto.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Militen. Baliuatus. Lunæ 27. Nouembr. 1613.

ARGVMENTVM.

Remissoria non cōceditur sine fumo, quando causa est beneficialis. Item nec conceditur quando articuli sunt irreleuētes, vel contra id, quod constat ex scriptura.

SVMMARIVM.

Remissoria non conceditur quando articuli non sunt releuantes, num.2.

Remissoria non conceditur ad probandum ea, de quibus per scripturam constare debet, ibid.

Remissoria denegatur quando de contrario constat per scripturas, num.3.

Vna, & eadem persona eodem tempore non potest repræsentare duas personas incompatibiles, num.6.

Copula &, quandoque resoluitur in disiunctiuam, nu.6.

Instrumenti conclusio attendēda est, & non tractatus, n.7.

Verba, & præcipuè, implicant casum magis dubitabilem, num.8.

Remissoria non datur quando causa est beneficialis sine fumo, num.10.

Commendæ ordinis Hierosolymitani sunt beneficia amouibilia, ibid.

DECISIO CXXXV.

1 ORta lite super electione Baliuatus de Manoasia Ordinis sancti Hierosolymitani inter D. Guilelmum de Vaccheras, & D. Herculen. de Vintimilia Equites & Commendatores eiusdem antianitatis, seu, vt vulgò dicitur, traiectus, asserente dicto D. Guilelmo se vigore concordiæ sacra iurisiurandi religione vallatæ, nec non sacræ Sedis Apostolicæ, & Illustr.& R.D. Magni Magistri auctoritate confirmatæ esse præferendum. Hoc non obstante dictus D.Hercules in Venerabilis linguæ prouinciæ Concilio petiit & obtinuit electionem, & postmodum confirmationem à dicto D. Magno Magistro & Concilio, vnà cum collatione atque possessione. A qua electione pro parte dicti Guilelmi fuit appellatum, causaque in signatura gratiæ Sanctissimi D. N. mihi commissa: pro parte dicti D.Herculis fuerunt exhibiti articuli, quibus probare nitebatur dictam concordiam non potuisse obstare suæ electioni, vnde iuxta ordinem Rotæ dubitaui, vtrùm danda esset remissoria, nec ne. Quo dubio proposito DD. sine vlla difficultate denegandam esse remissoriam responderunt.

Præcipuum, & maximum fundamentum decisionis illud est, quòd omnes articuli dati pro parte D. Herculis visi sunt irreuelantes, & non percutiunt vires concordiæ, aut continent materias in constitutionibus religionis registratas & decisas. Vnde frustrà petitur remissoria ad probanda ea, de quibus per scripturas constare debet. Felin. *in c.1.n.4.de appell.* Rot. *decis.6.& 46. de testib. in antiq.* cum multis aliis adductis in vna Tuden. beneficij de Rosal. 9. Iunij 1598. coram Corduba.

Quo ad sextum articulum, in quo informantes pro parte dicti Herculis vim faciunt, cùm in eo prætendant probare dictum D. Herculem cessisse antianitatem super dignitatibus, & in specie super Baliuatu dicto D.Gulielmo, sed noluisse cessionem huiusmodi sortiri effectum, nisi postquam dictus Hercules Magni Commendatoris officium obtinuisset & non priùs, nec hunc articulum esse admittendum Domini censerunt duplici ratione. Aut enim contendit D. Hercules probare hunc casum non esse comprehensum in concordia, & tunc ad testes frustrà recurritur, quia non datur remissoria ad probandum contenta in scripturis publicis, ex supradictis. Spectandus est enim solummodo tenor cōcordiæ, super quo cadere debet disputatio. Aut prætendit probare per testes tenorem diuersum ab ipsa concordia, & hoc etiam casu denegatur remissoria quando de contrario constat per scripturas. Ægid *decis.9.* Put. *decis.331.& 339.lib.2.* Card. Seraph. *decis.1460.* & fuit decisum in vna Carthaginen fructuum 2. Maij 1611. coram Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto. 3

4 Visum enim fuit verba illa concordiæ esse clara, & nulla indigere interpretatione, cùm appareat ex his D. Gulielmum qui eodem antianitatis iure gaudebat, cessisse ius & antianitatē suam dicto D.Herculi, qui vice versa in casum vacationis aliarum dignitatum, & in specie dicti Baliuatus, sacramento se adstrinxit in concursu dicti D.Guilelmi ad dictas dignitates se promoueri non petiturum, qua conuentione & promissione iurata stante, non poterat ipse petere, multoque minus obtinere electionem ad dictum Baliuatum.

5 Non obstat quod dicitur dictum articulum non directè oppugnare tenorem concordiæ, sed cùm verba sint dubia ac perplexa, ad ea interpretanda non denegari probationes per testes, quæ perplexitas inducitur ex illis verbis, dum dictus Dominus Guilelmus cedit antianitatem ad Magnam Commendam & locumtenentiam, cum clausula copulatiua, itaut non videatur sufficere dictum D. Herculem fuisse locumtenentem, nisi etiam ascenderit ad Magni Commendatoris dignitatem, prout fusiùs per informantes pro D. Hercule. Responsum enim fuit ex his verbis nullam perplexitatem induci posse ad introducendum sensum dubitatiuum, vt magis intelligi debeat de persona Commendatoris, quàm de persona locumtenentis, cùm verba non possint restringi ad eum tantùm, qui ascenderet ad prædictam Magni Commendatoris dignitatem, quinimmò separatim considerata fuit dignitas ipsa, & separatim locumtenentia, & consideratus casus quòd vnus posset esse Magnus Commendator, & alius locumtenens.

Dictio siquidem, &, posita inter Magnum Commendatorem, cùm non possit copulare in eadem persona, quia idem eodem tempore non potest esse Magnus Commendator & locumtenens, resoluitur quòd ad quemlibet ex his cum quibus contrahitur in disiunctiuam, quasi dictum fuisset, *vel*, vt *in auth. fratrum filij, circa med.* Alberic. *in l. cùm quidam. C. de verborum significat.* Ioan. Andr. *in cap. is qui.* 6

de election. in 6. Nec est nouum in iure, vt dictio, *&*, quæ componitur inter ea quæ insimul stare non possunt in eodem subiecto, vim habeat disiunctiuæ, vt in specie *l. final. §. 1. C. de codicill. & in l. si Titio. ff. de vsufruct.* quam interpretationem suadent verba sequentia concordiæ, in qua partes semper disiunctiuè, & alternatiuè locutæ sunt de locumtenentia, & sic intrat regula, in alternatiuis sufficere partem vnam verificari, vt sit dispositioni locus. *l. si hæredi plures. ff. de condit. instit. l. generaliter.* vbi Dec. *num. 2. C. eod. l. si ita stipulatus fuerit. ff. de verbor. obligat.*

7 Nec potest interpretatio suppleri ex prætenso articulato tractatu, quia conclusio ipsa spectanda est, non autem tractatur in instrumento. Bald. *in cap. fin. col. final. de iuram. calumn. & in cap. 1. circa med. de prohib. alien. feud.* Rip. *in l. 1. post princip. ff. ad Trebell.* cum infinitis allatis per Tiraquell. *in tract. conuent. in fin. num.* 24. si enim admitteretur probatio dicti tractatus, non esset declaratio, sed potiùs subuersio concordiæ, facta cum Magna Maturitate inter partes, confirmata à magno magistro, de Sede Apostolica, & registrata in Cancellaria.

8 Nec etiam visa sunt obstare illa verba, *& præcipuè ante illum qui erit Magnus Commendator*, quia cùm sæpiùs verba ex supradictis sint clara, & plura, implicant casum magis dubitabilem, non autem includunt minus dubitabilem. *l. illud. C. ad l. Aquil.* gloss. *in l. quod si minor. §. restitutio ff. de minor.*

9 Non obstat quòd officium locumtenentis non sit dignitas certa, vt fuit articulatum, sed medium, seu ascensus ad dignitates, per quod officium, non est verisimile, quòd quis voluerit renunciare suæ antianitati. Si enim hodie detegeretur læsio conuentionis factæ, hoc non sufficit in euentualibus, potuit enim non solùm in vno anno, sed etiam in vno die euenire talis casus, vt simul quis & locumtenens & Maior Commendator efficeretur, propter cessionem concursus Domini Guilielmi; ideo D. Hercules debet patienter tolerare accidens contrarium, in cessionibus enim quæ pendent ab euentu futuro, non sunt metienda pacta à felici euentu.

10 Secundò denegarunt Domini remissoriam, quia causa est beneficialis, nec solet ex stylo Rotæ concedi sine fumo. Put. *decis. 366. num. 7. lib. 2.* qui non datur pro parte D. Herculis, sufficit enim vt petatur beneficium siue per viam electionis, siue alia, vt intret *Clem. dispendiosam, de iudic.* & ibi gloss. & Doct. Achil. *decis. 6. de dilat.* Nec dici potest causam non esse beneficialem, quia Commendæ & Præceptoriæ dicti ordinis sunt beneficia amouibilia ad nutū, quia manualia & regularia sub *eadem Clem. dispendiosam*, comprehenduntur, vt ibi gloss. & Imol. *num. 3.* prout non placuit quod dicitur, non agi de titulo beneficij, cùm non agatur de concordia, nisi ad effectum petendæ dignitatis vacantis. Vltra quòd pro parte D. Guilelmi opponitur D. Herculi exceptio periurij incursi ex eo quòd tribus diebus ante abtentam absolutionem à iuramento ad effectum agendi ipse Dominus Hercules petiit, & obtinuit electionem de dicto Baliuatu contra promissionem in concordia expressam, & iuramento vallatam, quæ exceptio omninò repelleret Herculem à limine iudicij. *can. paruuli*, vbi gloss. *in fin. 22. qu. 5. c. tua nobis.* vbi Bald. *de iureiurand. l. si quis maior. C. de transact. cum similib.*

Et ita decisum vtraque parte acerrimè informante.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Bononien. fideicommissi de Manzolis. Lunæ 16. Decembris 1613.

ARGVMENTVM.

Transactio dicitur exceptio litis finitæ, impeditque litis ingressum, & per receptionem eorum, quæ in transactione dari permittuntur, ratificata censetur.

SVMMARIVM.

Transactio dicitur exceptio litis finita, & impedit litis ingressum, num. 2.
Enunciatiua probat inter easdem partes, num. 3.
Ratificatio transactionis inducitur ex receptione eorum, quæ in transactione dari permittuntur, num. 5.
Hæres non potest impugnare factum defuncti, num. 4.

DECISIO CXXXVI.

Die 30. Martij 1612. fuit resolutum coram Reuerendissimo D. Archiepiscopo Bononien. dandam esse immissionem Comiti Francisco & fratribus de Ranutiis super castro S. Martini contra DD. de Manzolis post discessum Reuerendissimi D. mei. Cùm causa mihi fuisset commissa, dubitatum fuit, an esset recedendum à decisis; & causa pluries proposita in Rota, propter varias difficultates non potuit capi resolutio, sed dictum fuit quòd informaretur strictè super transactione.

Tandem die 16. Decembris Domini resoluerunt Comitibus de Ranutiis obstare transactionē quoad portiones Hieronymi & Georgij: de reliquis autem voluerūt quòd particulariter videretur. Nam quoad Hieronymum patrem dictorum Comitum de Ranutiis actorum, qui petunt immissionem, dicebatur portionem ipsius super dicto castro fuisse in dicta transactione concessam D D. de Manzolis durante illorum linea pro annua responsione duodecim parium caponum. Transactio autem dicitur exceptio litis finitæ, & impedit litis ingressum. *l. fratris*, vbi Doctor. *C. de transactionib.* Roland. *cons. 28. nu. 14. & seq.* vbi latè *lib. 4.* cum aliis congestis in Massanen. Baroniæ 8. Februarij 1606. coram Reuerendissimo Bononien. Huiusmodi autem transactio non solùm afficit ipsos transigentes, verùm etiam ipsorum hæredes, maximè nominatos in transactione, vt dicitur in dicta Massanen.

Nec videtur posse controuerti quòd ipsi essent hæredes patris, quia id euidenter apparebat ex ipsorum confessione in instrumento ratificationis cuiusdam concordiæ, & diuisionis inter ipsos Ranutios & Manzolos; quæ enunciatiua benè probat inter ipsas partes. Bart. *in l. gerit, num. 14. ff. de acquiren. hæredit.* & fuit dictum in Montis Falisci pecuniaria 16. Decembris 1611. coram bo. me. Penia.

Accedebat pro adminiculo depositio vnius testis, per Ranutios inducti, qualiter ipsi possidebant bona hæreditaria Hieronymi ipsorum patris, vnde non poterant impugnare factum defuncti. *l. cùm à matre. C. de rei vendicat.*

Sed videbatur cessare omnis difficultas, quia resultebat expressa ipsorum ratificatio ex receptione capo-

caponum, iuxta terminos transactionis, vt apparebat ex quitantiis productis. Bellon. *cons.* 15. *num.*11. Surd. *cons.*28. *nu.*21. cum allegatis, &c.

R. P. D. BVRATTO.

***Romana laudi. Lunæ* 13. *Ianuarij* 1614.**

ARGVMENTVM.

De laudo conditionali, quòd ipso iure sit nullum non purificatis conditionibus; quid in laudo operetur potestas arbitris data procedendi; nulla pœna iudicialiter seruata de iure, & de facto, & sine scriptis. Quando & quantum arbitrorum assertioni credendum sit, est decisio magistratis, & singularis.

SVMMARIVM.

*Arbitrorum laudum conditionale latum non purificatis conditionibus est ipso iure nullum, num.*1. *&* 7.

*Laudi arbitrorum clausula, quòd procedere possint nulla tela iudiciaria seruata de iure, & de facto, nunquid operentur, vt dicti arbitri possint procedere sine scriptis, num.*2. *& seqq.*

*Arbitrorum assertioni quando credendum sit; ibid. & seqq. vbi præsertim num.*3. *quòd creditur in causis leuibus, & modici præiudicij, secus in causis magni præiudicij, & grauibus, & num.*4. *vbi quòd non creditur quando arbitri assertio esset fundamentum suæ vtilitatis. & idem num.*7. *& seqq.*

*Opiniones Doctorum vbi sunt contrariæ, attenditur opinio eorum qui distinguunt, num.*3.

*Præsidi dicenti se delegare causas meri, & mixti imperij, & iusta causa, an, & quando credatur, num.*6.

*Præsupposito cessante, cessat etiam dispositio loquens cum præsupposito, num.*7.

Exceptionibus à statuto prohibitis contra sententiam, non censetur prohibita exceptio incompetentiæ iudicij, ibid.

*Laudum arbitrorum nullum in parte, est nullum in totum, num.*15.

*Arbitri debent decidere omnia contenta in compromisso, & nihil indecisum relinquere, nu.*16 *&* 18.

*Arbiter, seu iudex, qui tenetur decidere cum voto consultoris, tenetur illud requirere sed non sequi, num.*17.

*Laudum arbitrorum est quid indiuiduum, ideò debet prorogari ab omnibus compromissariis, nu.*18.

Clausula omni meliori modo, *licèt faciat sustineri actum etiam alio modo quàm expresso, non tamen operatur, vt quis se pro altero obliget, num.*19.

*Prorogatio alicuius actus censetur facta cum eisdem qualitatibus, & conditionibus contentis in primo actu. declara vt num.*20.

DECISIO CXXXVII.

1 APprobarunt Domini resolutionem factam 28. Iunij præteriti, laudum à nullitatibus defendi non posse, existimantes, Primò ex defectu potestatis ob non seruatam formam compromissi, vt arbiter non posset ad aliquam declarationem deuenire, nisi priùs solidatis omnibus computis, & factis omnibus bilanciis, & illis consignatis, & ideo laudum conditionibus priùs non purificatis est ipso iure nullum. Innoc. *in cap. fin.* quem ibi omnes sequuntur, teste Felin. *nu.*23. *vers.*3. *aduerte, de præsump.* gloss. magn. *in Clem.*1. vbi Anchar. Card. & Imol. *de offic. deleg.* quos Felin. *vbi suprà*, Socin. *cons.*49. *nu.*10. *vers.*3. *confirmatur lib.*3. Ruin. *cons.*68. *num.*5. *in princ.* Paris. *cons.*25. *à num.*5. *ad* 9. *in* 4. Put. *decis.*319. *in fin. lib.*1. *secundum vltimam impressionem.*

Nec prædictorum implementum ex arbitri assertione probatur, quamuis ex compromisso procedere posset, nulla tela iudiciaria seruata de iure, & de facto. Quia vltra quòd posset controuerti, an istæ clausulæ æquipolleant clausulæ sine scriptis, in qua loquitur Bart. *in auth. nisi breuiores, in fin. C. de sententiis ex breuiculo recitandis.* Domini prætermiserunt discussionem opinionis Bart. quam sequuntur cumulati per informantes, pro Dominis de Donis, contra quam tenent Ang. & alij *in decis. allegat.* inter quos Imol. de veriori, Fel. opinionem Bart. communiter reprobatam, Paris. hanc veram & ab omnibus approbatam testantur Barbat. *in cap. ex litteris. num.*22. *de probat.* dicens se malè aliàs pro Bart. consuluisse, addentes ad Dec. *in cap. quoniam contra. num.*29. *littera B. de probat.* Ruin. *cons.* 68. *num.*14. *lib.*1. dicens communem, & contrariam Bart. non veram, & communiter reprobatam, sed firmarunt illam in præsenti casu non procedere ex pluribus. 2

Primò, quia habet locum tantùm in leuibus causis & modici præiudicij, non autem in causa graui, & magni ponderis. Butr. *cons.*24. *sub num.*8. quem Socin. sen. *cons.*46. *nu.*47. *lib.*4. Lauden. *in tract. notularū, seu retractationum opinionem Bart.* quæ non seruantur in practica, quem refert & sequitur Curt. sen. *in repet. l. admonendi. num.*338. dicens sæpe consuluisse. *ff. de iur. iur.* Aret. & Felin. *in decis. allegati*, & videtur sequi Aret. *cons.*163. *num.*5. *vers. non obstant notata.* Quæ distinctio concilians opiniones est amplectenda, *gloss. fin. in fin. & cap. scientes, de censibus*, maximè cùm magnam sapiat æquitatem, ne in arduis grauibus, & formalibus nimis potestas arbitri relaxetur, & inueniatur cautela tollendæ reductionis ad arbitrium boni viri, etiam post laudi paritionem nunquam à Doctoribus reperta. 3

Secundò, quia non procedit in assertione circa concernentia iustitiam, vel iniustitiam laudi. Butr. *in cap. Quintauallis, num.* 43. *de iur. iurand.* Abb. *d. cap. quoniam contra, num.* 3. *vers. & vide*, ibique Aret. *num.* 19. Felin. *numer.* 3. *vers. vno casu*, Bero. *num.* 34. Franc. Curt. *in* 2. *petit. d. legis admonendi, nu.* 338. Aym. *cons.* 265. *num.* 4. Prout esset ista cùm ex solidatione computorum resultet augmentum, vel diminutio crediti, & debiti vtriusque partis respectiuè, & illa omissa non posset arbiter bene cognoscere, quis esset creditor, vel debitor, & in qua summa, & ita multo minus aliquam declarationem desuper facere. 4

Tertiò, quia opinio Bart. non applicatur, quando arbitri assertio est circa fundamentum suæ auctoritatis, & formam præscriptam, sine qua laudare non poterat, cùm nunquam credatur iudici in iis, à quibus prouenit iurisdictio, ex allegatis in decisione. 5

Quibus non obstat Ruin. *cons.*35. *num.* 38. *& cons.* 50. *in fine. lib.*1. volens credi Præsidi dicenti se delegare causas meri, & mixti imperij, ex aliqua iusta causa, sine qua non posset, cum aliis citatis. Data enim illa opinione pro vera, quæ multos habet contradictores, procedit in iudicibus ordinariis, de quorum iurisdictione cùm constet, præsumi volunt 6

pro qualitate; at secus in delegato, vel arbitro, quorum iurisdictio pendet ab alterius concessione. Bart. *in cap. cùm in iure, num.* 13. vbi Henricus Boich. *vers. si quæris de delegato. de offic. deleg.* Gabr. *cons.* 40. *num.* 16. *&* 17. *lib.* 1. Menoch. *de arbitrariis lib.* 1. *quæst.* 76. *num.* 8. *vers. hic intellectus, & num.* 14. *&* 15.

7 Et Bart. vult stari arbitrio circa processum & gesta coram eo, supponendo illum esse arbitrum: at hic negatur suppositum, & sic asserentem fuisse arbitrum, de quo prius constare debet, ex *l. non erit. §. dato, iuncta gloss. in verb. dato. ff. de iur. iurand.* Ioan. de Monte Sperello, quem sequitur Socin. sen. *in auth. si quis in aliquo. C. de edendo nu.* 12. qui licèt loquatur, vbi non constat de compromisso, eius tamen ratio concludit, etiam quando constat de conditionali. Alexand. *cons.* 124. *num.* 9. *vers.* 3. *ratione, &* 10. *lib.* 2. vbi, quòd si arbiter sit electus sub conditione, debet de illius purificatione constare ante laudum, quod alias tanquàm latum à carente auctoritate arbitrandi, non valet, nec statur in hoc verbis narratiuis laudi, quod confirmat *cons.* 48. *num.* 121. *vers. vlt. principaliter lib.* 7. sequitur Natt. *cons.* 167. *sub nu.* 10. Ruin. *cons.* 68. *num.* 4. *&* 16. *vers. sed prædicta,* vbi relato dicto Bart. *num.* 14. inquit non procedere, nisi in assertione, per quam non acquiritur iurisdictio, quia priùs aderat, & de illa constabat, secus conditione non verificata, quia non antè acquirit potestatem. Aret. *d. cons.* 163. *sub num.* 5. *à vers. non obstat, ad num.* 6. Hinc statutum tollens exceptiones contra sententiam non excludit illam, qua negatur esse latam à iudice competenti, & sic esse sententiam Bart. *in l. diuus, nu.* 1. *vers. certè sic. ff. de test. milit.* Abb. *in cap. item cùm quis, num.* 6. *de restit. spol.* & idem dicitur de statuto tollente exceptiones instrumenti. Bart. *vbi suprà, & in l.* 1. *§. & parui. nu.* 3. *vers. ego in ista materia. ff. quod vi aut clam.* Butr. *in d. cap. item cùm quis. nu.* 16. *vers. si statutum licet,* vbi Abb. alleg. & Berous, qui de communi, *num.* 27. Felin. *in cap. ex parte il* 2. *num* 6. *vers.* 2. *fallit,* & ibi Dec. *num.* 39. *in* 2. *limit. de offic. deleg.* & in statuto prohibente dici de nullitate laudi, fuit dictum in præcedenti decisione.

8 Quartò, opinio Bart. non potest procedere in iis, quæ probari non possunt, nisi per scripturam, in quibus arbitro credi non potest, gloss. *in l. ne in arbitris, in verb. iudice,* & Addentes ad illam *in verb. sermones. C. de receptis arbitris,* vbi Bart. *num.* 6. *vers. aut postquam & vers. solum,* Bald. *num.* 10. Salic. *nu.* 2. *in fin. &* 5. Vnde Bart. & sequaces mouentur vnica ratione datæ facultatis procedendi sine scriptis, ex qua videntur partes voluisse stari eius attestationi. Hic autem respectu confectionis bilanciorum, & solidationis computorum arbitro consignandorum, ne dum partes non dederunt facultatem arbitro illa conficiendi, & sine scriptura, sed expresse voluerunt illa in scriptis redigi, dum conuenerunt ea omnia fieri, & arbitro consignari, cum clausulis abnegantibus potentiam aliter declarandi, & ideo hoc casu procedit doctrina Castr. *in l. contractus. C. de fide instrumentorum,* scripturam dici de substantia, vt per Put. *decis.* 43. *lib.* 3. *iuxta modernam impressionem,* prout etiam est impossibile, bilancia fieri sine scriptura, vt ad sensum patet, & deponunt testes pro Donis examinati.

9 Quintò, Bart. & alij dicentes arbitro procedenti sine scriptis credi, loquuntur de gestis coram se: hic autem computa & bilancia non fuerunt facta, neque erant facienda coram eo, sed illi facta inter ter partes consignanda, & insuper arbiter non attestatur de consignatione illorum facta per partes, vel Pyrrhum.

Minus prædicta probantur ex testibus nouiter examinatis, ex illis enim contraria potiùs resultat probatio respectu solidationis, dum secundus iuxt. 22. dicit nescire computa fuisse solidata, tertius iuxt. idem dicit nescire, & quòd si fuissent solidata, id appareret in libris, quartus iuxt. idem dicit computa in eius domo fuisse calculata, non solidita in summario Pyrrhi, *num.* 5. cùm tamen Doni in articulis cum iuramento productis, inter alios, à quibus ponunt fuisse solidata computa, nominauerint Fabrorum tertium, & Ciaium quartum testes in eodem summario, *num.* 17. id expressè negantes. Quod etiam colligitur, quia constat non fuisse exhibitos omnes libros rationis sæpiùs à Pyrrho ante laudum petitos, & dum illorum exhibitio denegabatur, illam obtineri ab arbitro non potuisse, sed responsum per verbum *vet-r,* vt in summ. eiusdem, *num.* 6. iuncta maximè interpellatione Pyrrhi in termino prorogationis laudi ad exhibendum libros rationis alias petitos ad effectum conficiendi computa, & bilancia, in eodem summ. *num.* 8. & intimatione facta eadem die pro DD. de Donis, qualiter consignarunt arbitro bilancia negotiorum, quorum libri commodè haberi non possunt: in eodem summario, *num.* 15.

Respectu confectionis bilanciorum, quia primi duo nihil deponunt, tertius de bilanciis duorum negotiorum tantùm, quartus de variis, & sic non excludunt defectum formæ, & conditionis, cùm essent facienda omnia bilancia omnium rationum, vltra quòd quartus esset vnicus, & singularis, cùmque deponat fuisse facta sine interuentu, vel approbatione partis, appareret fuisse nulliter confecta, ex allegatis in alia decisione.

Neque ad ostendendam solidationem factam cum Pyrrho facit vltima notula quarundam partitarum pro Donis producta, quia nulla apparet in ea computorum solidatio, immo excluditur, dum manu Ciaij plures partitæ reseruantur aptandæ, & insuper adnotatur quòd expectentur quidam libri, & quòd arbiter debeat omittere declarationem super differentia vnius partitæ, quod in sequentem quoque nullitatem influeret.

Nec pro bilanciis deseruire potest liber spolij, quia partes noluerunt illi stare, nedum ex eo quòd licèt liber iste adesset tempore compromissi, conuenerunt, quòd fierent bilancia, sed etiam quia ita protestatus fuit Procurator illorum de Donis in illius exhibitione coram arbitro facta, vt in eius extractu *fol.* 65. & summa ratione, quia in eo plures partitæ debebant aptari, & meliori calculo solidari, vt adnotatum fuit in partitis, de quibus in notula Pyrrhi, & quia deficiebant partitæ rationis ab anno 1608. vsque ad annum 1611.

Minus compendium computorum exhibitum per arbitrum vnà cum laudo continens, vt prætenditur, bilancia cuiuslibet rationis. Quia omisso quòd non fuissent confecta cum interuentu, vel approbatione Pyrrhi, nulla erat data facultas arbitro in faciendis bilanciis, sed tantùm in facienda declaratione, seu, vt dicitur, Staglio, postquam illa essent facta, & eidem consignata. Et ex dicto compendio apparet bilancia malè fuisse confecta, constat enim non fuisse habitam rationem scutorum 1012. auri, & scutorum 1427. monetæ ante laudum exactorum per bancum eorundem de Donis adnotatorum

tatorum super libris rationis nouæ signatis litera M. in qua non est particeps Albericus, vt ex partitis extractis coram A. C. & ex quitancia D. Octauij respectu scutorum 1012. auri pro residuo, & respectu scutorum 549. ba. 50. monetæ per instrumentum sub die 21. Augusti 1612. Vnde cùm Doni dictas partitas ad rationem in qua aderat Albericus, spectantes, descripserint in alia super libro M. erant etiam super illo facienda bilancia, quæ fieri non dicuntur, n si examinatis omnibus, & singulis rationibus, ex allegatis in decisione, vel saltem illarum habenda ratio, & propterea A. C. relaxauit mandatum pro scutis 15. mill. Iuliorum duodecim, pro quolibet tantùm, & sic detracta ex laudo hoc summa exacta.

15 Ex quo etiam resultabat nullitas tanquam laudi excessiui, quòd, cùm summa esset sub vnica verborum conceptione, erat nullum in totum. Bart. *consil.* 159. *num.* 8. prout dicitur de sententia Bart. *in l. fin.* per illum text. *in fin.* vbi Albericus, *numer.* 16. Cast. *numer.* 10. *ff. de iurisd. omnium iudicum*, Put. *decis.* 315. *lib.* 1. *iuxt. nouißim. impressionem.*

16 Secundò, non fuit etiam seruata forma compromissi in eo, vt deberet omnia terminare, nec posset vnum decidere, aliud indecisum relinquere, vt fecit reseruando iura Donis recuperandi in alio iudicio summas contentas in partitis reuocatis, seu, vt dicitur, stornatis, quæ reseruatio vitiabat totum laudum, ex deductis in decisione, quæ reseruatio est præiudicialis Pyrrho, & non Donis.

17 Neque obstat consensus Alberici voto Domini Consultoris eandem reseruationem cõtinenti. cum arbiter qui tenebatur decidere cum voto, teneretur illud requirere, sed non sequi. Card. post Innoc. *in cap. cum olim. in sum. in* 2. *oppositione, & in* 7. qui Abb. *n.* 1. Anania, *nu.* 17. Anchar *num.* 1. *&* 4. *vers. nota*, Bellamer. *numer.* 2. *&* 17. Imol. *num.* 7. *&* 8. *de arbitr.* Cagnol. *malè in contrarium citatus in l. consilij numer.* 11. *ff. de reg. iur.* Vnde bene intrat conclusio in decisione firmata quòd ex consensu præstito voto non inferebatur ad consensum laudo contra formam compromissi, neque expressè, neque necessariò ex actu illo nouatam.

18 Tertiò, ex defectu compromissi, tam respectu Nicolai, quàm Ricasoli, cùm neuter illorum illud prorogauerit, itaut ratione indiuiduitatis laudum nec respectu Octauij, & Alberici sustineatur. Indiuiduitas autem est patens, præcipuè ex partium intentione, & conuentione in compromisso, etiam cum interuentu Ricasoli, vnius ex principalibus compromittentibus adiecta, & sic omnium respectu intelligenda, quòd arbitrator non posset nisi super omnibus pronunciare, & deberet omnes differentias, & prætensiones dirimere, ex *l. Pædius.* §. *in seruum ff. de recept. arbitr.* vbi Alberic. *vers. quædam indiuidua*, cum aliis in decis. allegatis, & latè explicat Alciat. *in l.* 1. §. *sed si mihi Pamphilum, num.* 19. vbi ampliat etiam ex voluntate vnius ex partibus, & sufficere indiuiduitatem respectu intentionis agentium, licèt in veritate non sit, *& numero* 20. vbi in laudo.

19 Nec obstat respectu Nicolai prorogatio illius etiam nomine facta per D. Octauium; quia vel in ea non est repetita promissio de rato virtute clausulæ, *& omni meliori modo*, vt videtur, quia licèt faciat sustineri actum, etiam alio modo quàm expressum sit, valere posset, ad Achill. *decis. vnica, de verb. signif.* Verall. *decis.* 124. *part.* 1. *cum allegatis.* nemo tamen dixerit operari obligationem pro alio, quæ poterat esse damnosa, & in qua fit strictissima interpretatio, ita vt in ea quod expressum non est, habeatur pro omisso. ad *l. quicquid adstringendæ, in princip. ff. de verb. obligat.* cùm in requirentibus expressionem clausula prædicta nihil operetur. Ruin. *consil.* 6. *numer.* 8. *lib.* 2. Alciat. *in l.* 1. § *si quis ita, num.* 23. *limita istam. ff. de verb. oblig.* Cephal. *consil.* 23. *numero* 120.

Vel si admittamus esse repetitam ex regula, prorogationem censeri factam cum eisdem qualitatibus & conditionibus quibus primus actus ad *l. sed & si manente. ff de precario*, cum pluribus per Gabr. *de dilat. conclus.* 2. *nu.* 4. & in prorogatione compromissi, *l. Labeo ait, la* 2. § *hac autem ff. de recept. arbitr.* Blancus *de compromiss. quæst.* 7. *num.* 53. vt contendunt informantes pro Donis; necesse est etiam eadem ratione fateri repetitam fuisse promissionem de faciendo illum ratificare, etiam cum insertione instrumenti, & de exhibendo instrumentum ratificationis intra mensem, cum promissione præcisæ obseruantiæ in eodem compromisso contentæ. quæ non fuerunt adimpleta ex epistola Nicolai 10 Nouembris 1612. cùm non sit per instrumentum, iuxta conuentionem, exhibita, ne dum intra mensem, sed nec ante laudum, & non probetur fuisse scriptam tempore datæ appositæ, vt in scriptura priuata requiritur. 20

Minus facit prorogatio Alberici facta, stante prorogatione D. Octauij nomine etiam Nicolai; quia ex ea non sequitur illam approbatam fuisse pro sufficienti respectu Nicolai, & remissam promissionem de faciendo ratificare Nicolaum, & exhibendo instrumentum ratificationis intra mensem, quæ in ipsamet prorogatione, ex regula suprà firmata, inesse, & repetita censebatur. Neque in facto subsistit, Albericum institisse pro laudo, immo contradixit eius prolationi, vt dictum est. 21

Quo verò ad Ricasolum nulla adest prorogatio, neque circa prorogationes compromissi adest aliqua arbitri assertio in laudo, vt pro Donis supponitur, quæ tamen non sufficeret ex prædictis. Ex quo etiam sequitur, arbitrum, qui respectu omnium laudauit, ignorasse à quibus prorogationes factæ essent, vel non, & sic nulliter pronunciasse. Bald. & Blancus *in decis. alleg.* Socin. *in l. multum interest, col. penult. in fin vers. aliquando. & 2. & vers. aliquando. & 3. ff. de condict. & demon.* Alex. *in l. sed etsi, n.* 3. *vers. non dicit. ff. de acq. hæred.* 22

Ex quibus & aliis in decisione & per informantes deductis ita Domini conclusere.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana prætensarum censurarum. Veneris 24. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Paupertas nunquid sit iusta causa excusandi debitorem à relaxatione censurarum, & quomodo probetur paupertas.

SVMMARIVM.

Debitor pauper excomunicari non debet. declarã vt n. 1.

Paupertas probatur per testes deponentes de publica fama, & alias, ibid.

Testis consanguineus non probat pro consanguineo. declara vt num. 2.

Testes domestici melius probant factum domesticum, quàm non domestici, num. 3.

DECISIO CXXXVIII.

1 IOannes Baptista Fucciolus in pluribus societatibus officiorum se tanquam principalis, & in solidum obligauerat, & inter alias ad fauorem Tiburtij Vicentini pro summa scutorum ducentorũ & quinquaginta, pro quibus à dicto Vincentino conuentus excepit de paupertate, & cùm fuissent nihilominus contra ipsum relaxatæ, necnon etiam affixæ litteræ declaratoriæ, stante paupertatis exceptione Ioannes Baptista prætendebat illas de iure non subsistere, vnde causa extra Rotam mihi commissa, in primis, & ante omnia dubitaui, an constaret de dicta paupertate; quam Dominis visum fuit satis apparere, cùm super illa testes hîc reperiantur formiter examinati, qui reddendo congruas rationes deponunt, Annibalem Ioannis Baptistæ patrem nihil in bonis reliquisse, nec aliquid per ipsum Ioannem Baptistam fuisse acquisitum, cùm illi R.P.D. Fucciolum eius fratrem alimenta ex mera benignitate præstarentur. Deponunt insuper de publica voce, & fama, eundem Ioannem Baptistam semper ab omnibus habitum fuisse pauperem, quod sufficit ad probandam illius paupertatem. Caputaq. *decis. 293. part. 1. in manuscript.* & fuit dictum coram bon. mem. Penia in vna Cathanien. Quartæ 15 Ianuarij 1607.

2 Non obstant, quæ contra dictos testes excipiuntur, videlicet primum, & quartum tanquam ipsius Ioannis Baptistæ consanguineos non probare. *cap. 2. & cap accusatores 3 quæst. 5.* Hoc enim non procedit quando consanguineorum dicta cum reliquorum testium depositione conueniunt, prout in casu nostro. Roman. *consil 486. in fine vers. licet fidei.* Præterea cùm isti deponant super qualitate, quæ verisimiliter magis ipsis, quàm aliis nota esse potuit, vtique probant. *cap consanguinei 3. quæst. 5.* vbi gloss. *in verbo præsentes*, & latè Gabr. *concl. 33 n. 15. eod tit.*

Quòd autem dicitur alios duos testes esse famulos R.P.D. Fuccioli, & consequenter illorum dicta non releuare, vltra quòd hoc in facto non docetur; cùm tamen de prædicta qualitate domestici melius, quàm alij esse possint instructi, ipsi decentiùs ad illam probandam admittuntur. *cap. veniens ad Apostolicam, in fine, de testibus* Felin. *in cap. in litteris, num. 6. eod tit.* Gabr *concl. 10. n. 34. eod. tit.*

3 An autem sufficiat paupertas ad effectum de quo agitur, placuit Dominis vt particulariter videretur.

R.P.D. VEROSPIO.

Terracinen. liquidationis. Lunæ 3. Martij 1614.

ARGVMENTVM.

De liquidatione fructuum, & de testibus super liquidatione deponentibus multa notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Pretium, seu valor rei censetur liquidatus ex pluribus, licèt singula de per se non sufficerent, n. 3.

Fructuum liquidatio admittit regulam, Si non prosunt singula, multa iuuant, leuiores quàm probationes, & coniecturas ibid.

Fructus quos reddit vno anno possessio, censetur etiam reddere annis præteritis, ibid. in fine.

Testium dicta non cauillanda sed iuuanda sunt, n. 5.

Testium numerus supplet exceptiones, ibid.

Fructuum liquidatio fieri debet iuxta tempus factæ concessionis, n. 6.

Valor, & pretium rei iustum colligitur ex subhastatione, ibid.

DECISIO CXXXIX.

SIxtus V. fel. record. de anno 1586. concessit Ascanio Finitio, necnon sociis ab eo nominandis vti bonificatoribus terras paludosas in agris Terracinæ, Setiæ, & Priuerni existentes, quæ per quinquennium antea fuissent inhabiles ad culturam, dummodo tamen illarum dominis id totum soluerent, quod tempore concessionis ex eisdem terris capiebatur. In vim huius indulti, bonificatores ab Ascanio nominati duo prædia communitatis Terracinæ pro annua responsione scutorum 950. in perpetuum conduxerunt, alterum nuncupatum Carraræ, alterum Plani, quæ cùm per decennium retinuissent, cupientes à locatione vnius prædij, videlicet Plani recedere, & lite super hoc instituta coram bo. me. Cardinali Platto iudice deputato, sententiam fauorabilem reportarunt; hac tamen conditione, quòd ipsi de alia tenuta Carraræ id totum soluere tenerentur, quod iuxta liquidationem faciendam ex illa, tempore concessionis percipiebatur. Vnde facta per alium iudicem liquidatione, dictum pretium ad summam scutorum quadringentorum singulis annis ascendisse, fuit per bonificatores appellatum, & causa mihi commissa, dubitaui super iustitia, & validitate dictæ sententiæ, quam Domini validam, & iustam fuisse responderunt.

1 Et circa iustitiam, quando validitas controuerti non poterat, satis dictum fuit eam apparere ex instrumento publico inter ipsos bonificatores, & Terracinæ communitatem inito, in quo dicta duo prædia pro scutis 950. locantur, & asseritur eadem tunc reperiri locata pro annua responsione scutorum mille & ducentorum, & cùm ex testibus pro communitate inductis probetur tenutam Carraræ tempore concessionis Paludum fuisse maioris reditus, & bonitatis, altera Plani sequitur per necesse illam excedere fructus liquidatos, & per consequens iustam fuisse sententiam, immo potiùs bonificatoribus fauorabilem. Rationes autem per dictos testes assignantur, quia tenuta Plani non tota spectabat ad communitatem, cùm nonnullas particularium terras contineret, & vlteriùs esset in magna parte sterilis tanquam arenosa; tenuta verò Carraræ tota erat in dominio communitatis, & ob glandes, & pascua reddebatur fructuosa, tam in parte pratiua, nunquam aquis obnoxia, quàm in alia parte paludosa, quæ ad pastum animalium hyemali tempore locabatur, vt omnes concorditer deponunt, etiam qui fuerunt ad instantiam bonificatorum contra communitatem examinati.

Dantur

3 Dantur præterea locationes vtriusque tenutæ de anno 1560. videlicet Carraræ pro scutis 400. & Plani pro summa scutorum 220. necnon aliæ locationes Carraræ de anno 1563. 64. 65. pro annuis scutis 440. dantur etiam plures partitæ redituum eiusdem tenutæ Carraræ, ex quibus apparet illam fuisse melioris qualitatis, altera Plani; hæc autem omnia simul iuncta probant optimè dictam qualitatem ad vulgatam regulam, Quæ non prosunt singula, multa iuuant, de qua per gloss. *in l. 2. verbo legitimis*, & ibi Bart. & alij. *ff. de excusat. tut.* Et tanto magis ista regula procedit in materia liquidationis fructuum, cùm in ea leuiores probationes, & coniecturæ sufficiant. Bald. *in l. 1. num. 22. vers. adde. C. de fruct. & lit. expens. & consil. 323. numer. 5. lib. 2.* Corn. *cons. 301. in fine lib. 3.* Alexandr. *in l. pretia rerum. numer. 9. ff. ad l. falcid.* Natta *cons. 510. per totum, & consil. 536. numer. 5.* Surd *consil. 293. num. 31. & decis. 282. numer. 26.* Achil. *decis. 127. aliàs 22. de rest. spoliat.* & satis esset probare quantum vna tenuta præteritis annis consueuerit reddere. Bald. *in dicta l. 1. Cod. de fruct. & lit. expens.* Surd. *dicto consil. 293. num. 31. vers. verò.* Achil. *d. decis. 22. n. 1. de rest. spoliat.*

4 Additur etiam si dictæ probationes non extarent, cùm tamen per publicum instrumentum inter partes initum constet de pretio simul vtriusque prædij de tempore concessionis, fructus vniuscuiusque illorum deberet æqualis reputari. *l. antiqui,* vbi gloss. *in verbo medietatem,* & Angel *numer. 3 vers. nota mediam viam ff. si pars hæred petat. l. sed si ex lege. §. adeò, in fine,* vbi gloss. *in verb. dimidiam. vers. item nota. ff. de petit. hæred.* Bart. *in l. si duo, in fine principij. vers. & sic mihi videtur ff. vti possid.* Socin. *in l. diuortio, sub numero 6. vers. vel dicamus, ff. solut. matrim.* Abb. *in cap. licet num. 37. vers. poterit enim de probat.* Anchar. *cons. 210 per tot* Crauet. *consil. 514. numer. 16. & sequ.* Et ita non solùm teneret sententia, sed esset bonificatoribus fauorabilis, cùm fructus Carraræ fuerint minus dimidia parte totius affictus liquidati.

5 Non obstant exceptiones contra testes communitatis oppositæ. nam vltra quòd non visæ fuerunt releuantes, illorum dicta non sunt cauillanda, sed iuuanda, vt inquit Alexandr. *cons. 5 numer. 12. lib. 1.* Corn. *cons. 172. num. 17. lib. 2.* Dec. *cons. 100. num. 2.* Roland *cons. 33. num. 4. lib. 2.* Vlteriùs tolluntur hæ exceptiones ex numero testium pro parte communitatis examinatorum. gloss *in l. 3 §. 1. in verbo numerus. ff. de test.* Ias. *in auth. si verò contigerit, n. 4. C de iudiciis.* Alex. *cons. 47. nu 2. vol. 2.* Dec. *cons. 163 col penult.* Socin. *cons. 194. num. 2. vers. 2. propter, lib. 2.* latè Gabr. *de test. concl. 6 in princip.*

6 Nec releuat, tenutam Plani de anno 1589. fuisse locatam pro pretio scutorum 800. & sic inferri, alteram tenutam Carraræ tempore concessionis, nimirum de anno 1586. non potuisse constituere summam liquidatam, cùm ambæ simul tunc temporis locatæ fuerint pro scutis 950. Nam respondetur inde non inferri ex tenuta Carraræ tempore concessionis percepta non fuisse scuta 400. & vltrà, cùm locatio anni 1589. non percutiat tempus concessionis. quod erat attendendum, ad *l. si voluntate, in fine. C. de rescind. vend.* Verall. *decis. 264. num. 9. vers. & debet. part. 1.* & fuit resolutum in Romana affictus 15. Nouembris, 1602. coram Reuerendissimo Bononien. Præterea potuit tunc temporis Plani tenuta pro summa scutorum 800. locari propter felicitatem ceptæ bonificationis, quæ longiùs progressa non fuit, cùm eadem tenuta immediatè restituta communitati fuerit ab illa per viam subhastationis locata pro pretio scutorum 233. ex qua subhastatione verus valor arguitur. ad trad. per Angel. Aret. *in §. si quis agens, sub nu. 2. vers. 4.* Ioannes de Platea *in §. loco plus nu. 6. vers. addo, Inst. de act.* Alex *in l. pretia rerum, n. 8. ff. ad l. falcid.*

Pari modo respondetur ad obiectum, quòd hæc tenuta Carraræ de anno 1568. ob fluminis Bandini clausuram reddita fuerit deterior, & infructuosa. hoc enim non percutit tempus dictæ concessionis. 7
Iura etiam pro bonificatoribus producta per necesse non inferunt ad istius particularis tenutæ deteriorationem, immò ex eodem publico instrumento è dictis Reuerendissimi Thesaurarij testibus, & aliis deductis apparet, illam tempore concessionis etiam postquam inclusa fuerat, in circundario conseruabatur, vt priùs fructuosa respectu pascuorum, & glandium, ad quem vsum pariter fuerat, de anno 1560. 64. & sequentibus locata, vt constat ex dictis publicis instrumentis. Et sic non obstat, illam fuisse positam in circundario. Nam ex capitulis in Camera Apostolica firmatis apparet omnes terras in bonificatione comprehendi, quæ à quinque annis citra seri non potuissent, nec secari tanquam optima prata, vnde aliæ non excludebantur, quæ pro pascuis, glandibus, & aliis vsibus inseruirent. Ex testibus autem, & instrumentis supradictarum locationum, satis apparet, huius tenutæ fructus ad summam liquidatam ascendisse.

Ad nullitates, quæ pro parte Thomæ deducebantur, fuit responsum illas tantùm respicere mandatum contra ipsum relaxatum, & propterea nihil detrahere posse de iustitia, & validitate sententiæ liquidatoriæ. 8

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana Capellaniæ. Lunæ 14. Aprilis 1614.

ARGVMENTVM.

Beneficia dicuntur incompatibilia, quando ambo residentiam requirunt; & quando dicatur beneficium residentiam requirere ad effectum priuationis, seu potiùs ad effectum non lucrandi fructus.

SVMMARIVM.

Beneficia dicuntur incompatibilia, quando ambo requirunt personalem residentiam, num. 1. & 3. in fine, declara vt n. 7.

Instar *dictio quid importet, num 2.*

Beneficiati in Ecclesia tenentur personaliter residere, ibid.

Beneficium requirit personalem residentiam, quando in eo beneficiatus tenetur celebrare Missas, n 3.

Beneficiorum incompatibilitas nunquid resultet ex personali residentia, quando illa tantùm requiritur ad effectum lucrandi fructus, num. 4.

Inducta ad vnum finem, operari non debent contrarium effectum, ibid. in fine.

Residentia in beneficio quando requiratur ad effectum euadendi priuationem illius, n. 4. & 5.

Verba generalia, & indefinita restringi non debent, sed

extendi ad omnes casus, numero 6.

Residentia Capellaniæ numquid sit temporalis, & incompatibilis, numero 7.

DECISIO CXL.

1 FRanciscus Ageuolus cùm vnam ex quatuor Capellaniis in Basilica S. Petri ab Innocentio VIII. erectis haberet, & nihilominus anno præterito in Ecclesia Veliterna Canonicatum obtinuisset, fuit alius à Sanctissimo de dicta Capellania prouisus vti vacante; & quoniam Ageuolus illam sine residentia, & ob id non esse incompatibilem prætendebat, ideò per me dubio in Rota proposito, an per Canonicatus assecutionem dicta Capellania vacasset, fuit affirmatiuè responsum, ex eo quòd ista beneficia personalem residentiam requirunt, vnde sunt inter se incompatibilia, ex Conc. Trident. *sess. 24. cap. 17. de reformat.* Et per vnius assecutionem alterum dicitur ipso iure vacare, ex eodem Concil. Trident. *sess. 7. cap. 4. de reformat.* & tenuit sacra Congregatio Concilij interpretum, & Rota in vna Zamonen. Canonicatus 18. Martij 1598. coram Pacen. & in Salamantina dimidiæ portionis 11. Decembr. 1585. coram Orano, & in Giennen. portionis 5. Iunij 1613. coram R.P D. meo Vbaldo, & in aliis sæpiùs.

2 Quòd autem Canonicatus habeat annexam personalem residentiam, non controuertitur, cùm habeamus dicti Concilij Tridentini dispositionem *in sess. 24. cap. 12. de reformat.* Solùm de residentia Capellaniæ dubitabatur, quam Domini personalem esse censuerunt, ex illius fundatione, per quam Capellani toto anni tempore obligantur singulis Dominicis, & duplicibus festiuis diebus ad instar aliorum beneficiatorum Missis, Vesperis, & processionibus interesse, quæ per Canonicos, & beneficiatos illius Basilicæ celebrantur: dictio autem *ad instar* importare videtur, vt residentia Capellanorum sit eodem modo personalis, ac reliquorum beneficiatorum. ad trad. *in Clem. 1. de iud.* & ibi Card. *num. 3 vers quintò nota, cap. legatos,* & ibi gloss. *de offic. leg. l. si ad instar. C. de lib. exhib. l. sufficit. in fin ff. de condict. indebit. l. stipulatio. §. opus ff de oper. noui nunciat.* De priuileg. imper. ad instar. *l. instar. Cod. de iure fisti, libro* 10. Innoc. *in cap. inter dilectos. vers. cæterum. de fid. instrument.* Archidiac. *in c. si Papa. de priuileg. in 6.* Alex. & DD. *in l. 1. ff. de leg. 1.* Mandos. *de priuileg. ad instar. qu. 1. & 4.*

3 Præterea statuitur Capellaniæ fructus esse diuidendos more distributionum quotidianarum, quæ præsentibus in choro dictæ Basilicæ dari consueuerunt, & quòd per se ipsos Capellani certo, & expresso modo in eadem Capella Innocentij Missas celebrare teneatur. quæ verba *per se ipsos* indicant personalem residentiam. Card. *in c fin sub nu. 2. vers. sed si expressè per se. de cleric. non resid.* Lap. *alleg. 35. nu. 4 vers. quia vbi non exigitur idem. alleg. 116. sub nu. 4. vers. non obstat & alleg. 17. sub nu. 2.* Ex qua personali residentia necessariò resultat vtriusque incompatibilitas. ad tradita *in cap. gratia. de rescript. in 6. Clemen. gratiæ eod. tit.* Gem. *d. cap. gratia, n. 8.* Franc. *nu. 7.* Vitalin. *in dicta Clem. gratiæ num. 49.* Ant. But *in dicto cap. fin. n. 10 de cleric. non resid.* & ibi Anchar. *num. 7.* Card. *sub n. 2. vers. octauò quæro.*

4 Nec valet dicere huiusmodi residentiam non requiri ad effectum suadendi priuationem tituli, sed esse tantùm causatiuam, videlicet pro lucrandis fructibus, cùm in fundatione reperiatur certa mulcta pecuniaria ob non interessentiam apposita, & sic nullam adesse incompatibilitatem, ex Innoc *in dicto cap fin numer. 2. vers. item diffinitiua. de cler. non resid.* Hoied. *de incompatib. c. 7. n. 34.* & fuit dictum in vna Casalen. Canonicatus 29. Nouembris 1613. coram R.P.D. meo Manzanedo. Respondetur enim prædictam mulctam fuisse ad instar aliarum, Canonicis, & beneficiatis non interessentibus impositarum, & corroborandam residentiæ necessitatem, vnde ex illa inferri non posse ad causatiuam residentiam, cùm ad vnum finem inducta contrarium effectum operari non debeant. *l. legata inutiliter. ff. de leg. 1.* & Ias. *num. 5 l. cùm tali. §. fin. ff. condict. & demonst. l. ex facto. ff. de hæred. instit.*

5 Vlteriùs additur etiam in fundatione pœna priuationis, vt ex illis verbis ipsi Cardinales possint ad dictarum pœnarum declarationem, vel dictorum Camerarij, & Capellanorum sic negligentium, &c. priuationem procedere, & sic apparet, residentiam esse necessariam pro titulo retinendo, quo casu illa dicitur simplex & præcisa ex sacro Concili Trident *sess. 23. c. 1. & sess. 24. c. 12. de reform.* But. *in cap. fin. de cler. non resid. num. 6. vers. in 3. casu.* Imol. *num. 13. vers. 3. specie.*

6 Nec prætendi potest huiusmodi pœnam priuationis esse restringendam ad Camerarium, cui anniuersaria celebrari negligenti superiùs fuerat imposita. nam illa tam Camerario, quàm reliquis Capellanis ob illorum negligentiam iniuncta reperitur, vt ex supradictis verbis clarè colligitur, & ex subsequentibus, videlicet, *si præmissa, vel aliquid eorum obseruare contempserint, in pœna priuationis incidant* quæ verba tanquam generalia, & indiffinita, non debent ad Camerarium tantùm, & ad illius negligentiam restringi, cùm sint apta comprehendere cæteros Capellanos, & omnes casus illorum inobseruantiæ, de quibus in fundatione, Bec. *consil. 94. num. 30. & seq. & consil. 14. n. 14.* Cephal. *consil. 97. n. 20. lib. 3* Rota *diuers. decis. 54. nu. 19. part. 2. & decis. 215. nu. 10. part. 1.*

7 Non obstat huius Capellaniæ residentiam esse temporalem, & propterea cum Canonicatu non incompatibilem, ex Imol. *in c. fin. num. 13. vers. & ideo. non resid.* Hoied. *d. c. 17. num. 135. de incompat.* Nam vltra quòd contrarium potiùs ex deductis apparet, dato etiam, quòd illa esset temporalis, cùm in diuersis diœcesibus beneficia reperiantur, & per consequens repugnet eodem tempore vtique posse beneficiatum inseruire, necessariò sequitur vtriusque incompatibilitas, ex Hoied *de incompatib. d c. 17. nu. 35. vers. hæc tamen* Rota *decis. 483 num. 3. part 1. diuers.* Imol. *in d. cap. fin. n. 13. vers. alterum verò,* & ibi Abb. *n. 5. vers. 2. casu* Alex. de Neuo *in 7. vers. pone exemplum. de cler. non resid.* Bursat. *cons. 446.*

Et quoniam Ageuolus ad excludendam vacationem obseruantiæ potissimum nitebatur, excipiens nonnullas istas Capellanias retinuisse cum beneficiis personalem residentiam requirentibus, placuit Dominis, vt de ista consuetudine particulariter videretur, an illa talis esset, quæ à vacatione potuerit excusare, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Tudertina pensionis. 21. Aprilis 1614.

ARGV-

ARGVMENTVM.

In reseruatione pensionis nunquid exprimendus sit beneficij valor, & expressus nunquid iustificari debeat à pensionario.

SVMMARIVM.

*Pensionis reseruatio in qua non datur beneficij valor, iustificari debet per pensionarium quoad valorem dicti beneficij, num.*1.

Narratiua est pars gratiæ, ideo ab impetrante iustificari debet, ibid. in fine.

*Gratia semper intelligitur habere clausulam, si preces veritate nitantur, & si preces non sunt veræ, gratia dicitur subreptitia, & exequutionem non meretur, numer.*2.

Beneficia Ecclesiastica regulariter conferuntur sine diminutione, & pensione, ibid.

Pensionis reseruationi si quis non consensit, pensionarius debet iustificare omnia contenta in reseruatione, ibid.

*Quasi possessio exigendæ pensionis operatur retardationem solutionis, non autem operatur iustificationem reseruationis, num.*3.

*Pensionis reseruatio nunquid requirat expressionem valoris beneficij num.*4.

DECISIO CXLI.

1 FVit aliàs de anno 1586. per Sixtum V. fel. record. ad fauorem Sanctorij Modesti reseruata annua pensio 25. aureorum super fructibus, & distributionibus Canonicatus in Ecclesia Tudertina, quem Bartholomæus Sanctorius obtinebat, post cuius obitum Octauius Astancollus successor istam soluere pensionem recusauit eo prætextu, quòd valor expressus in illius reseruatione non iustificaretur. Vnde conuentus in possessorio coram A. C. cùm succubuisset, introduxit in petitorio causam in Rota, & per me dubio proposito cui onus incumberet probandi valorem Canonicatus, ipso titulari solùm informante, fuit resolutum ad pensionarium spectare iustificationem valoris in reseruatione pensionis expressi. Nam cùm narratiua pars gratiæ habeatur, proculdubio venit ab impetrante iustificanda. Ægid. *decis.* 76. Put. *decis.* 271. *n.* 1. & *decis.* 128. *num.* 1. *part.* 1. *diuers.*

2 In gratiosis enim, prout in casu nostro, subintelligitur semper clausula, *si preces veritate nitantur. cap. ex parte de rescript.* Dec. *consil.* 33. *n.* 1. & 142. *n.* 6. Rota *decis.* 221. *numero* 4. *part* 2. diuers. Nam aliàs gratia dicitur subreptitia, & exequutionem non meretur. Verall. *decisio.* 49. *part.* 2. & fuit dictum in Compostellan. parochialis 29. Ianuarij 1596. coram bon. memor. Cardinali Mantica; & tanto magis iste pensionarius debet expressa iustificare, cùm hîc agatur cum titulari successore, qui assensum pensioni non præstitit, & habet de iure communi fundatam intentionem, quòd Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur. *cap. vnico, vt ecclesiastica beneficia.* Vnde sufficit illi dicere pensionem nullam, & inualidam, absque eo quòd aliquid iustificare teneatur, vt fuit resolutum in causa Salamantina pēsionis 26. Martij 1593. coram Gipsio, in Rauennaten. pensionis 28. Iunij 1596. coram Litta, & in Portugallen. fructuum 28. Ianuarij 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten.

Neque ad hunc effectum quasi possessio exigendi pensionario suffragatur, quia solùm hæc operatur respectu solutionis, vt nimirum lite pendente solutio non retardetur; vt fuit dictum in allegata Salamantina coram Gipsio, & in Rauennaten. pensionis 28. Iunij 1596. coram Litta, & in Meleuitana pensionum 27. Iunij 1597. coram eodem. 3

Nec releuat, quòd beneficij valor sicut non est per pensionarium exprimendus, ita nec debeat per illum iustificari; quoniam id locum haberet, vbi pensio ex causa sessionis, vel prouisionis per obitum reseruatur. Tunc enim cùm in prouisionis supplicatione fructus exprimantur, alia expressio in litteris pensionis necessaria non videtur, ex quo Papa de beneficij valore per titularem fuit certioratus. Secus autem est quando absque causa pensio reseruatur, videlicet super fructibus beneficij non resignati, vt in casu nostro. Nam cùm Pontifex non habeat aliunde notitiam de beneficij valore, tunc debet ille per pensionarium exprimi, vt scire valeat, in qua fructuum quantitate beneficium grauetur. Staphil. *supr. tit. de comm. super reduct. pensionis numero* 2. quem refert, & sequitur Gig. *consil.* 147. *num.* 2. & sic distinguendo fuit dictum in causa Burgen. pensionis 18. Februarij 1585. coram Cipsio. 4

R. P. D. VBALDO.

Romana donationis. Lunæ 21. *Aprilis* 1614.

ARGVMENTVM.

Donatio, seu fideicommissum, an, & quando transmittatur ad hæredes mortuo donatario, seu fideicommissario, conditione pendente, & an, & quando donatio absenti facta eidem absenti acquiratur sine ratificatione, & acceptatione ad effectum transmissionis ad hæredes: est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Ius conditionale quæsitum ex contractu transmittitur ad hæredes, etiamsi quis decesserit conditione pendente, num. 2.

Donatio sub conditione facta transmittitur ad hæredes donatarij etiam mortuo conditione pendente ibid.

Fideicommissum conditionale transmittitur ad hæredes, mortuo fideicommissario, pendente conditione, ibid.

Fideicommissum transmittitur ad filios, & hæredes, quado sunt positi in conditione, num. 3 *vbi præsertim quòd hoc procedit stante statuto Vrbis libro* 1. *cap.* 24.

Fideicommissum seu donatio transmittitur ad hæredes, quando testator seu donator digressit ad plures substitutionis gradus, n. 4.

Ius accrescendi locum habet in substitutione compendiosa, ibid.

Transmissio facilius locum habet in contractibus, quàm in vltimis voluntatibus. ibid.

Transmissio donationis, aut fideicommissi colligitur ex pluribus coniecturis simul iunctis, ibid. in fine.

Donatio absenti facta absque eius ratificatione, an, & quando ei absenti acquiratur, præsertim ad effectum transmissionis, num. 5. & 6.

DECISIO CXLII.

1 Domina Magdalena Vrsina de anno 558. donauit omnia bona sua irreuocabiliter inter viuos D. Maximæ suæ filiæ, & in euentũ in quem D. Maxima decederet sine filiis legitimis, & naturalibus, tam ante mortem ipsius donatricis, quàm pòst, voluit quòd dicta bona, & iura, vt suprà donata, intelligantur donata Archiepiscopo, & Iordano de Vrsinis germanis fratribus pro vna parte; pro altera verò parte Mario, & Troilo, etiam germanis fratribus de Vrsinis, addens, quòd siue Iordanus, siue Marius, & Troilus decederent sine filiis legitimis, & naturalibus, portio morientis censeretur donata superuiuenti. Mortuis Mario, & Troilo ante obitum Maximæ primæ donatricis, Illustrissimus D. Paulus Æmilius Vrsinus Marij, & Troili filius, & nepos respectiuè, & vtriusque hæres petebat ab Illustrissimo Marchione Saluiato hærede D. Maximæ partem prædictæ donationis, ad quam Marius, & Troilus vocati fuerant, ideo fuit datum dubium, an D. Paulus Æmilius esset comprehensus in dicta donatione. Quo proposito die 13. Ianuarij præteriti, placuit Dominis, vt materia restringeretur, & videretur de transmissione, videlicet an ius prædictæ donationis fuerit transmissum in D. Paulum Æmilium.

2 Et Rota vtraque parte informante affirmatiuè respondit, & principale fundamentum fuit, quia ius conditionale quæsitum ex contractu transmittitur ad hæredes, etiamsi quis decesserit conditione pendente. §. *ex conditionali. Instit. de verb. obligat. l. item vi. vbi gloss. ff. de verb oblig.* Aym. *consil.* 127. *nu.* 12. Bero. *consil.* 41. *num.* 22. *lib.* 1. Collegium Bononiense apud Honded. *cons.* 14. *num.* 59. *& nu.* 77. *lib.* 2. Alciat. *in c. cum contingat num* 326. *de iur. iur* Zanch. *in repet. l. hæredes mei. §. cùm ita part.* 4. *n.* 13 cum aliis per Surd *consil.* 403. *n.* 2. *lib.* 3. & in terminis donationis Ruin. *cons.* 98 *nu.* 16. *lib.* 1. Zanch. *loc. cit. nu* 18 *vers. amplia* 2. & quòd fideicommissum conditionale factum in contractu transmittatur ad hæredes, tenet Angel. *in d. §. ex conditionali, n.* 1. Bald. *consil.* 150 *nu.* 9. *lib.* 5. Gug. de Benedict *in c. Raynutius, in vers. vxorem nomine Adelasiam. decis.* 5 *nu.* 62. Surd. *consil.* 247. *nu.* 6. *cons.* 267. *n.* 40. *lib.* 2. *& d. consil.* 403. *nu.* 3. *lib.* 3. *& decis.* 144. *num.* 24. Crass. *in §. transmissio, q* 31 *nu* 3. Menoch. *consil.* 325. *num.* 57. *lib.* 4. vbi in specie id notat in substitutione facta in contractu donationis, illa enim spes quam acquisiuerunt Marius, & Troilus consequendi bona donata in casu quo Maxima decederet sine filiis, erat transmissibilis ad hæredes, *l. spem. C. de donat. d. §. ex conditionali,* & declarat Gabr. *consil.* 136. *nu.* 7. *lib* 2.

3 Imò eo magis videbatur esse locus transmissioni in hoc casu, cùm filij Troili, & Marij fuerint positi in conditione. Socin. *in l hæredes mei. §. cùm ita, n.* 19. *& seqq. ff. ad SC. Trebell.* Dec. *consil* 397. *num* 6. Bursat. *cons.* 71 *n.* 7. *& seq. lib.* 1. Menoch. *cons.* 1154. *num.* 33. *lib.* 11. *& dicta præsumpt.* 201. *n.* 97. Gabr. *dicta concl.* 2. *nu.* 35. Crass. *de com. in §. fideicommissum. quæstione* 68. *num.* 3. Rustic. *consil.* 3. posito post tract. *an, & quando,* &c. *num.* 58 *& seq.* Quæ coniectura eo magis procedit stante statuto Vrbis *lib.* 1. *cap.* 142. adeò vt nec videatur tractandum de transmissione, cùm iure proprio dicantur vocati, quo casu non attenditur, quòd qui eos prætendebant, decesserint ante grauatum, vt declarat Gabr. *consil.* 115. *num.* 10. *& seq. lib.* 1. Paris. *cons.* 66 *n.* 75. *& seq. lib.* 3. Moder. *de fid. com. art.* 28. *num.* 25. *vers. sed ego*, & sequuta est Rota in Romana fideicommissi de Aldonis 11. Ianuarij 1613. coram me. quod adhuc fortiùs procedere videbatur, in quo sumus in contractu data veritate illius opinionis, quòd in contractibus etiam de iure communi filij positi in conditione censentur vocati. Socin. iun. *cons.* 108. *n.* 7. *lib.* 2. Gabr. *in tit. de fid. concl.* 4 *nu.* 50 *&* 24. *limit.* Menoch. *cons* 325. *nu* 9. *lib.* 4. Honded. *cons.* 29. *n.* 103 *lib.* 1. Hier. Gabr. *cons.* 96. *n.* 19. Decian. *consil.* 41. *n.* 44. *lib.* 1.

Accedit etiam, quòd donatrix digressa est ad plures gradus substitutionis, quæ est ipsa vrgens transmissionis coniectura iudicatura. Paris. *cons.* 75. *num.* 5. *lib.* 2 & sequuntur alij, quos refert Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib.* 20. *tit.* 11. *n.* 24. Rustic. *consil.* 2. pox dictum tractatum *num.* 62 & demum, quòd Troilum, & Marium simul vocauit, & inuicem substituit, quo casu censetur vnitum ius accrescendi cum fideicommisso, & eo faciliùs habet locum transmissio. Bald. *cons.* 9. *num.* 1. *lib.* 2. Paris. *cons.* 5. *num.* 41. *lib.* 3. Aym. *cons* 568. *num.* 2. *& consil.* 584. *num.* 4. Mantic. *vbi suprà num.* 12. Gabr. *dict concl.* 2. *de hæred. instituend. num.* 46. Old. *de substitut. rub. de compen. par.* 6. *art.* 2. *limit.* 7. Menoch. *cons* 95. *num.* 3. vbi de communi, *lib.* 1. Honded. *cons.* 7. *num.* 40. *& seq. lib* 1. quæ si habent locum in vltimis voluntatibus, multo magis in contractibus, in quibus faciliùs fit transmissio. Alciat. *consil.* 180. *numer.* 6. *lib.* 9. bene faciunt tradita per Abb. *consil.* 35. *num.* 2. *part.* 1. præsertim omnibus istis coniecturis simul iunctis. Magon. decis. Floren. 27. *nu.* 13. *&* 14. licèt aliàs singulæ non sufficerent, in quibus terminis procedit decis. Serap. 1014. ex aduerso allegata.

Non obstat quòd hæc donatio facta Mario absenti nunquam fuerit ab eo ratificata, prout videbatur requiri ad effectum transmissionis, etiamsi Notarius pro ipso fuerit stipulatus, & quòd ab hærede non possit ratificari, vt post Paul. de Castr. *consil.* 195 *n.* 2. *& seqq. part.* 2. tradit Surd. *cons.* 60. *nu.* 17. cum aliis alleg. quia fuit responsum quicquid sit de illa controuersia, cuius controuersiæ partem negatiuam tenuerunt infiniti DD. relati per Rol. *cons.* 19. *n.* 22. *lib.* 1. & Ceph *cons.* 33 *nu.* 5. *&* 8. *lib.* 1. quibus addi potest Non. *cons.* 16. *nu.* 24. Clar. *in §. donatio qu.* 13. *num.* 2. *in fin. & n.* 5. *vers difficultas est.* Bursat. *cons.* 173 *num.* 10. *lib* 2. Honded. *cons.* 37. *n.* 25. *lib.* 1. vbi de veriori, & magis communi Menoch. *cons.* 92. *num.* 67. *lib.* 1. Osasc. dec. Pedem. 33. *in fin.* Vinc. de Franc. *decis.* 39. 2. *partis*, & ibi in fine dicit fuisse nunciatum in cons. Neapolitano pro donataria actrice, cui absenti fuerat donatum, nec donatio fuerat ratificata. idem tradit Surd. *dec.* 311. *num.* 6 *& decis.* 206. *num.* 4. & nouissimè Christoph. Torniel. *consil.* 47. *num* 6. *consil.* 67. *numer.* 17. *& consil.* 105. *num.* 34. *lib.* 1. vbi quòd opinio Castrens. communiter reprobatur, prout etiam testatur Aym *cons.* 252. *sub num.* 2. & hanc partem videtur tenuisse Rota in causa Venetiarum census 2. Decembris 1610. coram Reuerendissimo Lugdunen.

Quicquid igitur sit de ista opinione, præsertim quoad effectum acquisitionis dominij, & possessionis, ad quem effectum necessariam esse acceptationem latè comprobat Cephal. *cons.* 440 *nu.* 3. *& seqq. lib.* 3. Rota in Vrbeuetana hæreditatis 15. Iunij 1580. coram Seraphino, quæ est *decis.* 683. *n.* 4. *parte* 1. *diuers.* Card. Mantic *de tac. & ambig. lib.* 13. *tit.* 7. *num.* 25. Moder. discep. Floren. *cap.* 292. *in fine part.* 2.

The-

Thesaur. *decis.* 22. *sub num.* 5. *vers. aut verò tamen*, dicebant Domini quoad effectum acquisitionis actionis ad tradendum, qui est casus noster, talis ratificatio non videtur necessaria, ex latè trad. per Roland. *d. cons.* 19. *num.* 17. vbi de communi, *lib.* 1. Cephal. *dicto cons.* 33. *num.* 8. Couar *in rubr. extrà de testament.* 3. *parte num.* 13. *circa fin.* quem sequitur Rota *in dicta decis.* 683. *num.* 5. *vers. præterea.* Bart. dec. Bonon. 26. *sub num.* 10.

7 Et quòd possit fieri ratificatio saltem ab hærede donatarij, sensit contra Paul. de Castr. Clar. *dicta quæst.* 13. *num.* 4. *vers. tertius casus*, & sequuta est Rota in Rauenaten. donationis 29. Aprilis 1596. coram Seraphino, quæ est decis. 1184. *num.* 13. *part.* 2. *in impres.* & in Spoletan. bonorum 6. Nouembris 1587. curam eodem, quæ est dec. 801. *numer.* 4. *parte prima*, & in aliis allegatis per informantes. Sed videbatur cessare difficultas, quia fuit probatum, quòd Marius habuit scientiam dictæ donationis, quæ in his lucratiuis habetur pro acceptatione. Dec. *in l. traditionibus num.* 15. *C. de pact. & cons.* 58. *num.* 2. Aym. *cons.* 267. *numer.* 5. latè Roland. *dicto cons.* 19. *num.* 34. *& seq.* Ceph. *d. cons.* 33. *num.* 19. Ludouic. decis. Perus. 29 *num* 9. Surd. *dicta decis.* 111. *nu.* 13. *& in dicta decis.* 206. *num.* 11. *& cons.* 305. *num.* 18. *lib.* 3. idem tradit Caiet. *cons.* 48. *num.* 3. *cons.* 47. *sub num.* 1. *& seq.* Bursat. *cons.* 33. *num.* 5. *& cons.* 118. *num.* 11. *& seqq. lib.* 1. Soc. iun. *cons.* 67. *num.* 11. *& seq. lib.* 3. Menoch. *cons.* 92. *num.* 66. *lib.* 1. & tenuit Rota in dicta Rauenaten. donationis coram Seraphino *num.* 12. Probatio autem scientiæ fuit deducta per testes, quorum primus optimè de ea deponit, secundus autem saltem adminiculatur primo, & aliàs, scientia probatur etiam per vnicum testem. Natta *cons.* 231. *num.* 2. *lib.* 1. Surd. *cons.* 19. *num.* 35. *lib.* 1. *& decis.* 221. *num.* 11. Put. *decis.* 121. *num.* 8. *lib.* 2. imò solis coniecturis. Guidop. *cons.* 23. *nu.* 18. *& seq.* Thess. *decis.* 7. *num.* 12. Roland. *d. cons.* 19. *num.* 34. *& seqq. lib.* 1. *& cons.* 4 *num.* 31. *lib.* 2. Cephal. *d. cons.* 33. *num.* 19. Surd. *d. decis.* 111. *num.* 13. *& d. decis.* 266. *num.* 11. *& d. decis.* 221. *num.* 9. *& seqq.* vbi inter alias coniecturas ponunt etiam eam quæ ducitur ex coniunctione sanguinis quæ hîc adest.

8 Nec visum est obstare consilium Alciati tertium *lib.* 8. vbi *num.* 19. *& seqq.* quod tenet donationem factam Petro sua vita durante, & post eius mortem Michaëli, & suis hæredibus, mortuo Michaële ante Petrum non transmitti, & sequuntur Modern. *de fideic. art.* 54. *num.* 20. Menoch. *cons.* 388. *num.* 47. *lib.* 4. cum aliis allegatis, quia vltra quòd contrarium expresse firmat Gugilielm. de Benedict. *in c. Rainuntius, in vers. vxorem nomine Adelasiam, decis.* 5. *nu.* 62. Rip. *resp.* 1. *num.* 6. *in tit. de donat. & grat. profect. & reuoc.* cum aliis per Zanchium *in dicto §. cùm ita, part.* 4. *num.* 18. *&* 157. & ipse Alciat. *consil.* 151. *lib.* 5. tenet, vbi est facta mentio hæredum, vt hîc, transire donationem ad hæredes, & ab iis posse ratificari. Intendebatur etiam quòd in casu Alciat. donatio erat facta Petro sua vita durante, & post eius mortem Michaëli, quæ clausula importat conditionem, si Michaël esset superstes Petro, vt ibi *num.* 21. quod verbum *superstes* repugnat transmissioni, vt per Card. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 20. *num.* 28. & ita cons. Alciat. intelligit Valasc. *de iure emphyt. quæst.* 10. *in fin. vers. quorum opinio.* in casu autem nostro Marius non fuit vocatus sub conditione, si esset superstes, maximè præterquam quòd ibi nullum planè ius fuerat quæsitum substituto, nec per stipulationem Notarij, nec per eius acceptationem, quæ contra se habent in hoc casu, vt ex prædictis patet.

Ex quibus fuit resolutum esse locum transmissioni.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana diuisionis domus. Veneris 9. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Rem communem quisque diuidere potest inuito socio, & emphyteusis pluribus concessa, nunquid vno soluente cadat in totum in commissum.

SVMMARIVM.

Rem communem diuidere quisque cogi potest, n. 1.
Emphyteotica res communis diuidi potest inuito socio, sub num. 1. *&* 2.
Feudum commune diuidi potest inuito altero socio, num. 1. *post med.*
Census omissa solutio non producit caducitatem rei censuatæ, nisi adsit contrarium pactum, n. 2.
Emphyteoticæ rei inuestitura pluribus facta, & qualibet concessio censetur facta pro rata, & virili, non autem in solidum, ibid.
Emphyteusi pluribus concessa, si vnus non soluit canonem, nunquid efficiatur caduca in totum, ibid.

DECISIO CXLIII.

AD instantiam illorum de Stanghillinis fuerunt per sententiam A. C. condemnati illi de Serenis ad diuidendas domus, de quibus agitur, aliàs de anno 1548. Marino de Angelinis & Lucæ de Straghillinis eorum auctoribus in perpetuam locationem concessis, pro cuius sententiæ confirmatione DD. resoluerunt ex vulgari clausula neminem inuitum cogi in communione permanere *l. final.* vbi Doctor. *C. comm. diuid.* sed posse consocium ad diuisionem compellere, *l. & si non omnes* 8. vbi omnes, *& l. antepen. in fin. ff. eodem.* quæ procedit etiam in emphyteoticis, Alexand. *cons.* 7. *num.* 5. *lib.* 5. Roland. *cons.* 80 *num.* 46. *lib.* 1. & in feudalibus, Socin. *cons.* 68. *num.* 45. *in fin. & seq. lib.* 1. cum aliis per Schrader *de feud. part.* 8. *cap.* 2. *num.* 32. *& seq.* qui de verissima & communi, & Rosenth. *in eodem tractatu cap.* 9. *conclus.* 53. *num.* 4. & in emphyteoticis est permissa diuisio, etiam irrequisito domino inter comprehensos, vbi præsertim æqualiter fiat. Bart. *in l. qui Romæ.* §. *duo fratres*, *numer.* 24. *vers. ego dico. ff. de verb. obligat.* quem ibi omnes sequuntur, & de magis communi testantur Alex. *num.* 60. Ias. *n.* 75. Crot. *n.* 135. Ripa *n.* 86. Modern. Bonon. *num.* 281. idem Ias. *in l. final. num.* 114. *C. de iure emphyt.* Fel. *in cap. quæ in Ecclesiarum nu.* 89. *vers. similiter dicitur. de constitut.* Clarus *in §. Emphyteusis*, *quæst.* 14. prout in feudo inferioribus pluribus concesso habetur *cap.* 1. §. *præterea ducatus. de prohib. alien. per Feder.* & tradunt Ias. *in d. l. final. nu.* 114. idem *in d. §. duo fratres, numer.* 75 vbi Ripa *num.* 86. Schrader. *in feud. lib.* 1. *part.* 8. *cap.* 2. *num.* 31. idque ob eandem ratio-

nem, quòd diuisio dicatur alienatio necessaria. Bart. *in l. & ideo, in fin.* vbi Bald. *vers. inducit hunc textum. ff. de cond. furt.* Iason. *in d. l. finali, n. 47.* Alex. *d. cons. 7. num. 5. lib. 5.* Redoan. *de rebus Eccles. non alienand. quæst. 11. vers. ista autem quinquagesimanum.* 18. bon. mem. Card. Mantic. *de tacit & ambig. lib. 22. tit. 28. num. 49.*

Nec impediri potest prætextu, quòd vnus ex emphyteoticariis posset, si alter deficeret in solutione canonis, absque propria culpa caducitatem incurrere. Nam vltra, quòd concessio de qua agitur, videtur potiùs censualis, vel locationis ad longum tempus, quàm emphyteutica, in quibus cessante pacto, vt hîc, cessat caducitas, vt in censu, *gloss. penult. in cap. constitutus*, vbi Innoc. & alij, *de relig. domib.* Natta *cons. 3.* & in locatione in longum tempus latè probauit Rota in vna Romana Casalium de Maximis, 20. Februarij 1576. & 14. Martij eiusdem anni, coram bon. mem. Cardin. Seraphino relata, *part. 1. diuers. decis. 139. & 147.* cùm simpliciter absque clausula in solidum fuerit prædictis Marino & Lucæ concessio facta, censetur cuilibet facta pro rata, & quilibet pro virili tenetur, *l. eum qui ita. 56. in princ. & l. si mihi & Titio, 110. ff. de verborum oblig. l. reos 11. §. cùm in tabulis. ff. de duobus reis*, & in emphyteusi, Bart. *in l. fraudati, ad finem vers. & ideo si ponerem. ff. de publican.* Bald. *cons. 116. num. 1. lib. 1.* Crot. *in d. §. duo fratres num. 145.* Dec. *cons. 58. in fin.* Gabr. *cons. 86. in princ. lib. 1.* Corbul. *de causa. priuat. ob non solutum canonem, limit. 36. numer. 1.* ita vt solùm pars soluere cessantis incidat in commissum. Bartol. *in d. l. fraudati, in fin.* Bald. *d. cons. 116. num. 1.* Iason. *in l. fin. num. 57. vers. secundò limita*, post Alber. *ibi in 9. quæst. C. de iure emphyt.* Ripa *in l. 4. §. Cato, num. 44. vers. 1. casu ff. de verborum oblig.* Ronchgal. *in l. eandem, in princ. num. 137. ff. de duobus reis.* Corbul. *d. limit. 36. num. 2.*

Et ex his pro sententiæ confirmatione resolutum.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. decimarum de Agamonte. Lunæ 12. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Est magistralis decisio, in qua magistraliter explicatur, quænam requirantur in extractione instrumentorum in archiuo existentium vigore literarum compulsorialium facta.

SVMMARIVM.

Archiui præfectus habet facultatem extrahendi scripturas in archiuo existentes absque iudicis authoritate, & partis citatione, perinde ac si extraheret de suo originali, n. 1. & 2. Vbi etiam quòd probatur quem esse præfectum archiui ex eius subscriptione.

Legalitas magni Prioris Religionis Hierosolymitanæ cum sigillo, probat Notarium archiui in instrumento subscriptum esse talem, n. 2.

Notarium in instrumento subscriptum haberi pro Notario, & illius scripturis fidem adhibendam probatur per testes, ibid.

Instrumenta extracta vigore litterarum compuls[...] lium, & parte citata, dicuntur esse in forma prob[...] num. 3.

Instrumenta in archiuo existentia etiam non recog[...] si antiquissima sunt, probant, num. 4. Vbi etiam antiquitas instrumenti dicitur constare ex da[...] psius.

Instrumentum esse originale, & non exemplum [...] sumptum, ex quibus cognoscatur, & quomodo [...] betur, num. 5. & 6.

Compulsoris subdelegatus subdelegare non potest. [...] clara vt n. 7.

Delegatus Principis subdelegare potest, ibid.

Citatio nunquid requiratur coram subdelegato comp[...] soris ad videndum extrahi iura, n. 8.

Citationis defectus suppletur ex præsentia partis. ibi[...]

Exemplum etiam ex archiuo extractum non probat. [...]

Abundans cautela non nocet, n. 10.

Instrumenti fides suppletur ex adminiculis, n. 11.

Obseruantia subsequuta dare solet fidem scripturis [...] tiam non authenticis, ibid. vers. ex quibus.

Instrumenta, & scripturæ antiquissimæ extractæ in p[...] tibus remotis cum magna impensa, & diuturni[...] temporis dicuntur in forma probanti, nec eis de f[...] diminuitur, etiam quòd in earum extractione a[...] quid deficiat, ibid. in fine.

DECISIO CXLIV.

POst resolutionem sub die 14. Iunij 1610. cora[m] Reuerendissimo Bononien. in hac causa factam quòd scriptura concordiæ anni 1263 inter Episco[...] pum Syluenien. & Milites Sancti Iacobi de Spat[...] pro parte Marchionis tunc producta, non sit in for[...] ma probanti, fuit denuò in actis producta alia scri[...] ptura eiusdem concordiæ, super qua in locum eiu[s] dem Reuerendissimi Domini Bononien. subroga[...] tus supradicta die 12. mensis Maij proposui dubiu[m] particulare, an illa sit in forma probanti. Et Ro[ta] vtraque parte informante affirmatiuè responden[...] dum censuit, quia fuit extracta à scriba præfect[o] archiui supradictæ Religionis Sancti Iacobi lo[...] Palmellæ, qui habet facultatem extrahendi scri[...] pturas in archiuo existentes absque iudicis aucto[...] ritate & partis citatione, perinde ac si extraher[et] de suo originali, Zabarel. *cons. 2. incipiente, sigill[...] num. 16.* Rota in Lucana expensarum 24. Maij 160[...] coram Pegna, & in aliis pluribus.

Quòd autem ille, qui extraxit dictam scriptu[...] ram, esset præfectus archiui, visum fuit probari ne[...] dum ex eius subscriptione, in qua nominat se tale[m] iuxta decis. Caputaq. 245. *part. 2.* & fuit dictum in causa Thertusen. iuris conferendi 14. Maij 1596. co[...] ram bon. mem. Card. Pamphilio, sed etiam ex lega[...] litate magni Prioris cum sigillo Religionis. Put. [...] *cap. 1. num. 5.* & ibi Felin. *num. 18. in fine. de fid. instr.* Paul. de Castr. *in l. 1. in fine. C. vbi de ratiocin.* & de[...] ponunt testes pro parte D. Marchionis examinati qui vlteriùs dicunt quòd illis scripturis, & tran[...] sumptis, plena & integra fides adhibetur, & quòd archiuum huiusmodi est locus publicus & authenticus, vbi custodiuntur omnes scriptu[...] ræ ad prædictam Religionem Sancti Iacobi spe[...] ctantes.

Et hæc eo faciliùs procedunt in casu nostro, in quo extractio fuit facta vigore litterarum compul[...] sorialium ex parte citata, ad not. *in cap. cùm P. Tabellio. de fid. instrument.* Rota *decis. 1. eodem tit. in nouis*

in nouis, & coram bon. mem. Cardinali Seraphino *decis.1028.in princ.*

4 Non obstat quòd dictum instrumentum existens in archiuo non fuerit recognitum, quia cùm sit antiquissimum, & habeat faciem instrumenti publici, non indiget recognitione. Put. *decis.9. de fid. instrumentor.& decis.151. lib.1.* & fuit dictum in causa Parmen. Prioratus 27 Februarij 1595. coram Litta: & in Vrbeuetana fideicommissi de mense Nouembri 1602. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio. Quòd autem sit antiquissimum, satis visum fuit constare ex data ipsius de anno 1263. vnà cum adminiculis per informantes deductis. Put. *d.decis.9. in princ.de fid.instrum.& decis.449.lib.1.*

5 Minus obstat quòd supradictum instrumentum non sit originale, sed sumptum, & propterea scriptura ex eo extracta, vti supra dictum, desumpta non sit in forma probanti. Dec. post alios, *in auth. si quis in aliquo, numer.8. & 30. vers. contrariam. C. de eden.* Caputaquen. *decis.284. num.1. part.1.* Quia de contrario satis apparet ex attestatione D. Georgij de modo à compulsore subdelegato, qui asserit fuisse sibi in archiuo præsentatam quandam membranam cum quodam sigillo appenso, & loco in quo fuerat aliud sigillum pariter appensum, cum inscriptionibus purpureis & rubeis tenoris infra citati, videlicet:

6 Instrumentum inter ordinarium, & Episcopum soluen. Ex quo colligitur quòd est originale, aliàs & insertio esset facta per huiusmodi verba, *Copia, siue exemplum*, vel similia, &c. non in eo appensa essent sigilla, quæ solùm in originalibus apponi solent, nec fides dicti instrumenti visa fuit imminuenda ex eo quòd careat vno ex dictis sigillis. quia id censetur euenisse per antiquitatem, maximè quia superfuit vnum ex illis cum vestigiis alterius, & adsunt subscriptiones partium & testium, vt in simili post Decium *cons.146. vers. Nec obstat*, considerauit Rota in Tudertina Prioratus 10. Ianuarij 1594. & Parmen. Prioratus 27. Februarij 1595. coram Litta.

7 Neque releuat, quòd extractio fuerit facta coram subdelegato compulsoris, qui vti subdelegatus non poterat subdelegare; placuit enim responsio, quòd in casu isto fuit facta citatio generalis ad videndum compulsari instrumentum, & examinandi testes coram compulsore, nec apparet aliquis actus iurisdictionis factus coram illius subdelegato, cui propterea censet subdelegatus, nedum ministerium, quòd etiam subdelegatus à delegato à Principe subdelegare potest. *cap.mulieres*, vbi gloss. *in verbo idoneum. de iudic. in 6.* facit decis Ægid. Guidopap. *decis.158.* Rota *decis.8.* & ibi adden. *sub num. 6. versic. tamen sicut. de offic. deleg.in nouiss.*

8 Nec aliqua citatio visa fuit necessaria coram subdelegato compulsoris, quia supradicta citatio sufficiet ad ea omnia, quæ in exequutionem litterarum compulsorialium fieri debent, vt fuit dictum coram Seraphino *dicta decis.128. num.7.* ex trad. per Rotam *decis. 8. de dol. & contumac. in nouissim.* Præsertim quòd quatenus in casu isto aliquis defectus citationis considerari posset, visus fuit cessare ex præsentia præcitati Capituli. Vant. *de nullit. quib. mod.sent. null. defendi poss. num. 116.* cum aliis allegatis.

9 Nec demum subsistit, quòd scriptura in actis producta non sit exemplum ab archiuo extractum,

seu compulsatum, sed exemplum exempli, quod propterea non probat, ex supradictis, quia immò, & ipsummet exemplum extractum ab instrumento originali existens in dicto archiuo loci Palmellæ, quod fuit transmissum compulsori, & per eum ad curiam, retenta copia penes ipsum, vt patet ex subscriptionibus tam archiuistæ, quàm magni Prioris, & aliorum officialium in eo existentium, & hîc in curia formiter recognitum.

Præterea fuit dictum quòd archiuista poterat illam extrahere ab his litteris compulsorialibus, vt 10 suprà dictum est: vnde licèt illæ fuerint adhibitæ pro abundanti cautela, & in aliquo minus solemniter excusæ, id non nocet, ex traditis per Rotam *decis.de rescriptis in nou.* Vant. *dicto tit. quib. mod. sent. null. defen. poss. n.114.*

Denique fuit ponderatum quòd ista scriptura reperitur adminiculata, tum ex qualitate loci, in quo 11 fuit reperta, qui est publicus & authenticus, vt suprà deductum fuit; tum ex litteris Iulij II. de anno 1508. & Leonis X I. de anno 1514. & seq. ad postulationem Comitis & Capituli Hispalen. super confirmatione concordiæ inter easdem partes emanatæ, in quibus partes narrant oppida de Ayamonte, & de Lepo, cum aliis de quibus agitur, fuisse Religionis sancti Iacobi, & quòd antiquitus decimæ locorum percipiebantur per Religionem iuxta tenorem concordiæ de qua agitur. Ex quibus propterea, & aliis sub die 20. Nouembris 1609 & per informantes pro parte D. Marchionis cumulatis, satis visa fuit augeri fides supradictæ scripturæ, & comprobari illius obseruantia subsequuta, quæ scripturis etiam non authenticis fidem dare solet. Aym. *cons.101. num. 4.* Rota in causa Aquilana releuationis indemnitatis de anno 1577. & in Romana census 21. Februarij 1576. relata inter impress. *decis. 113. num.11. & 375. num.4. part.1. diuersorum.* Maximè, quia agitur de scriptura antiquissima, extracta in partibus remotis cum magna impensa, & diuturnitate temporis, quo casu non est ita scrupulosè agendum ad illius fidem subuertendum, vt in simili considerauit Rota coram Seraphino *decis. 1392. in fine.*

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana prætensæ nullitatis. Mercurij 14. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Filiusfamilias validè se obligare potest pro patre, adhibitis tamen solemnitatibus statutariis, & pater indemnis releuatur.

SVMMARIVM.

Sententia lata ad instantiam Procuratoris qui non habet mandatum, parte protestante est nulla, n.2

Negatiua mandati procuræ probatur ex reuolutione processus, ibid.

Filiusfamilias pro patre cum solemnitabus statutariis validè obligatur, num.3.

Minoris contractus factus sine interuentu proximiorum, iuxta formam statuti valet, & tenet, nisi pro-

betur tempore contractus fuisse proximiores habiles, qui contractui interuenire potuissent,n.4.

Promissio releuationis indemnitatis aliud non est, quàm commodum contractus, & incommodum in se suscipere,num.5.

DECISIO CXLV.

1 FVit de anno 1599. per D. Auditorem Cameræ pronunciatum, obligationem Flaminij Carmadij pro ipsius patre factam ad fauorem bon.mem. D. Ciccolini signaturæ iustitiæ Referendarij, nullam extitisse. Vnde interposita D. Ciccolinus appellatione, cùm iam postea non fuisset prosequutus, & per consequens ad sui fauorem prætenderet Flaminius rem iudicatam, dubio in Rota proposito per R.P.D. meum Pamphilium die 27. Iunij præteriti, fuit resolutum de illa non constare. Vnde postea ad fauorem Antonij hæredis dicti D Ciccolini causa expedita, & per viam appellationis coram me introducta; dubitaui super confirmatione sententiæ Rotalis, quam Antonio solùm informante, Domini esse confirmandam censuerunt, cùm prior sententia nulla,& iniusta dideatur.

2 Nullitas apparet ex defectu mandati, qui enim pro Flaminio comparuit, & sententiam obtinuit, non obstante protestatione, & instantia partis, mandatum non exhibuit, vt requirebatur ad sententiæ validitatem. Bald. *in l.1. in 2. lectura numer. 3. ff. de procurat.* Guidop. *decis.* 599. *& decis.* 129. *&* 689. *part.1. diuers.* Et cùm ex reuolutione processus de tali mandato non appareat, satis dicitur hæc nullitas probata. Corn. *consil.*191. *num.*6. *lib.*1. Ripa *in cap. cùm Ecclesia Sutrina num.*82. *de caus.poss. & propriet.* Bart. *consil.* 81. *num.*2. Caputaq. *decis.* 191. *num.*3. *part.*1. Card. Seraph. *decis.*189. *numer.*5. *part.*1.

3 Iniustitia pariter deducitur, quia filiusfamilias pro patre cum solemnitatibus statutariis validè obligatur. *l.si dubitet.§.filiusfamilias.ff.de fideiussoribus. l.*1. vbi gloss. *in verbo fideiussor. C. de filiofamilias minore.* Quæ solemnitates in casu nostro cùm interuenissent, obligatio Flaminij tanquam nulla infirmari non poterat,vt fuit resolutum in causa Firmana restitutionis dotis 23. Iunij 1603. coram bon. me. Pegna,& in causa Romana rescissionis contractus, prima Decembris 1608. coram Reuerendissimo D. meo Decano.

4 Non obstat hîc duos proximiores iuxta formam statuti non interuenisse. Non enim apparet tunc temporis fuisse consanguineos habiles, qui dictæ obligationi interuenire potuissent, prout plenè & concludenter per Flaminium ad nullitatem obligationis agentem probandum erat, ex allegat. in decis. Vnde benè potuit in defectum consanguineorum adhiberi curator, & cùm decreto iudicis pro patre Flaminius obligari. Chisanen. *decis.* 183. *incip.statutum.*

5 Nec valet dicere, decretum ex falsa causa interpositum fuisse, cùm Flaminij pater, iuxta prouisionem iudicis, indemnitatis releuationem non promiserit. Nam licèt hæc promissio in instrumento non legatur, cùm tamen appareat dictum patrem eademmet die in se onus societatis,de qua agitur, assumpsisse, nec non sub hypotheca omnium bonorum promisisse sortem principalem vnà cum fructibus soluere, satis ille dicitur indemnitati filij consuluisse, cùm in effectu expressa indemnitatis promissio nihil amplius operari potuisset, Ba[rt.] *l. quæro,num.*4. *& seq.ff loca.* Dec. *cons.*551. *num* Paris. *cons.*109.*num.*37. *& seq.lib.*1. Surd.*cons.*15[...] *lib.*1.

Vnde non obstant, quæ dicebantur de re[uoca]tione huius decreti facta per primum collater[alem] ex allegata causæ falsitate, ista enim reuoca[tio ex] supradictis iniusta detegitur, & vlteriùs fuit [...] propter litem tunc temporis pendentem cora[m] C. vt etiam fuit expressum in decisione R.P.D. Pamphilij, à qua non visum fuit Dominis [rece]dere.

R. P. D. VBALDO.

Turritana bonorum. Mercurij 14. *Maij* 16[..]

ARGVMENTVM.

Manutentio danda est patri in bonis [ma]ternalibus filio communi acquisitis p[er] mortem matris ratione administrat[io]nis, & vsusfructus, posteriórque p[os]sessio tanquam clandestina, & turb[a]tiua reputatur, & sine traditione n[on] dominium, nec possessio retro tra[ns]fertur. Cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Possessio matris defunctæ continuatur in filium infa[n]tem, & in illius patrem ratione legitimæ administr[a]tionis, & vsusfructus, quem habet ipse pater in bon[is] maternis filio obuentis,n.1.

Pater habet vsumfructum in bonis maternis commu[ni] filio relictis,etiam post mortem filij,ibid.

Possessio posterior tanquam clandestina, & turbati[ua] manutenibilis non est,ibid.ad fin.

Possessio nemini auferenda sine citatione,ibid. in fin[e] num.3.

Statutum, & consuetudo differunt inter se, num.3.[...] fin.

Præsupposito cessante, cessat etiam dispositio loqu[ens] cum præsupposito,n.4.

Statuta interpretanda sunt ne pater excludatur à [su]ccessione filij hæreditate,ibid. vers.vnde cùm.

Dictiones donec, & quousque, *& similes sunt dictio[nes] extinctiua,n.5.*

Dominium in contractibus sine traditione retro no[n] transfertur,ibid. vers. respondebatur enim, & num. 6. Vbi quid de possessione.

Substitutio dicitur facta per verba obliqua, videlicet restituere teneatur,n.6.

DECISIO CXLVI.

DOmini censuerunt dandum esse mandatum de manutenendo Domino Michaëli,de cuius possessione constat per publicum instrumentum constante matrimonio inter ipsum, & Antoniam quæ possessio fuit continuata etiam post mortem vxoris, superstite filio infante ratione legitimæ administrationis,& vsusfructus. *l.cùm oportet.C.de bon. quæ lib.* qui vsusfructus durat etiam post mortẽ filij viuente patre. *l.vlt.C.de vsufruct.* cum aliis in decisione huius causæ allegatis, die 22. Aprilis anni præteriti

præteriti coram me. quibus addi potest Gomez *ad l.Tauri 6. num.11. & seq.* Ascan.Clement.*de patr.potestat.effect.num.34.vers.Amplia 6.* Caualc.*de vsufruct. mulier.relict. n.* 180. & consequenter Michaëli tanquam anteriori possessori debetur manutentio, non autem Domino Archiepiscopo, cuius possessio posterior tanquam clandestina, & turbatiua non est manutenibilis, *cap. licèt causam. de probat.* Rot. diuersor *decis.27.num.7.part.1.decis.19.num.1.part.2.* & fuit sæpissimè decisum, & nouissimè in causa Regien. beneficij 15. Nouembris præteriti coram R.P. D.Dunozetto; debuit enim citari Michaël qui erat in possessione, quamuis aliàs vsusfructus finitus esset. Crescen.*decis.7.de restitut. spoliat.* Gabriel *cons.* 88. *num.23.lib.1.*

2 Neque obstare visum fuit fundamentum quod fiebat pro Archiepiscopo super instrumento dotali, ac statuto, cuius vigore prætendit potuisse capere possessionem vti vacuam propria authoritate. Quia nec in instrumento, nec in statuto legitur permissa talis facultas, sed solùm in instrumento dicitur dotem datam fuisse iuxta vsum, consuetudinem, & practicam ciuitatis Sassaris, & in casu restitutionis Michaël promittit restituere dictam dotem; in statuto verò dicitur, quòd dos remaneat his à quibus processit.

3 Vnde cùm D. Michaël potuisset deducere non esse statuto locum in hoc casu, & alia plura, ex quibus fortè ostendisset se non teneri restituere dicta bona, requirebatur omnino citatio, & non poterat sine citatione partis & ministerio iudicis ab Archiepiscopo propria authoritate capi possessio, iuxta decision. Afflict.97.*num.2.& 3.* Gabr. *dicto consil.* 88.*num.23.lib.1. & cons.67.num.13.& 17.lib.2.* Bart.*in l.creditores, sub num.14.C.de pignor.* & in similibus terminis Guid.Pap. *decis.107.nu.1.* Rebuff.*de constit. regni.gloss 5.numer.* 64. & fuit dictum in causa Cesenaten.spolij 22.Iunij 1592. coram bon.mem.Card. Mantica, & per eundem Mantic.*de tacit.& ambiguis lib.22.tit.22.num 4.& seqq.* quem secuta est Rota in causa Regien. bonorum 20. Decembris præteriti, coram R. P. D. meo Dunozetto, & in causa Romana de Arrhonis 15. Ianuarij præteriti coram me. vbi aliæ decisiones cumulantur. Vltra quòd pactum, vel instrumentum dotis non refertur ad aliquod statutum, sed ad vsum, practicam, & consuetudinem ciuitatis, de quibus non constat, & vtique differunt statutum & consuetudo, iuxta not. *in l.omnes populi. ff.de iustit.& iur.& in l. quibus.ff. de legib.*

4 Statutum verò non videbatur intrare, quia sub rubrica de dotibus, & antifato loquitur, defuncto patre, non autem superstite, prout est casus noster; nam ibi *in vers.si mulier decederet*, &c. disponitur, quòd moriente muliere sine filiis, dotes suæ & antifatum reuertantur ad dotantes. quæ verba non possunt intelligi, nisi mortuo viro, quo casu est locus antifato, seu lucro dotali, & sic cessante præsupposito antifati, cessare etiam debet illa dispositio, iuxta notat. *in l.mancipia.C.de seru.fugitiu.* cum aliis per Surd. *cons.150. num.78. lib.1.* Vnde cùm statutum postea in continenti ponat alium casum quãdo mulier reliquerit filium, vel filios qui moriantur ante ætatem legitimam, quòd remaneant proximioribus quibus de iure debentur, debet intelligi, retento eodem themate, videlicet præmortuo marito: quæ sanè interpretatio videtur rationabilis, ne pater excludatur à luctuosa hæreditate filij, vt eiusmodi statuta esse intelligenda, tradit Vincent. de Franch. *decis.91. num.1. & seqq.* Capyc. *decis.210. num.1.* & cessare videbatur difficultas ex alio statuto sub rubrica de filiis decedentibus ab intstato, deferente successionem filij ab intestato ipsi patri superstiti.

Rursus quoad pactum quòd Michaël dotem habeat, teneat, & possideat, tam, & tamdiu, vel tantum, quo vsque accidat casus & locus restitutionis dictæ dotis, & sic cùm prætendatur euenisse casum ob mortem filij infantis, videatur dominium, & possessio Michaëlis resoluta, & consequenter Archiepiscopus potuerit ingredi possessionem vacantem. Respondebatur enim quoad dominium non posse dici retro translatum per illas dictiones extinctiuas, *donec, quousque*, & similes, quia cùm simus in contractibus, dominium non videtur posse retro transferri sine traditione. *l. ea lege*, vbi not. *ff.de condict. ob. caus. l.fin.C.de reb.alien. non alienan.* Bart. *in l.1.num.16.ff.de condit. & demonstrat.* Castr. *in l.qui absenti.§.1.circa finem*, & ibi Alexand. *num.* 8.*versic. est & alia.ff. de acquirend. possess.* vbi dicit contrarium esse speciale in pacto legis commissoriæ & addictionis in diem, & pro hac opinione est authoritas gloss. *in l.1.in verbo mortis causa. vers. & in illis casibus.* quam ibi sequuntur Bart. & Cuman.*num.10.* Angel. *in fin. ff. de donationib.* de communi Alex. *cons. 10. sub num. 4. lib. 1.* Corn.*cons.96. num.5.lib.1. & cons.102. num.19.lib.2.* Ruin.*cons.109. num.24.* vbi de communi, *lib.4.* Dec. *cons.299. visa petitione, num.4. & in l.traditionibus, num. 13. in fine. C.de pact.* Tiraquell. *de retract. conuent. §. 1. gloss.7. num.16. & in l.si vnquam, in verb. reuertatur, sub num. 17. vers.sed & illud. C.de reuocan. donationib.* Alciat. *cons.84. num. 6.& 8.* Iacob.Henric. *cons.1.num.278. lib.1.* Ferdinand.Loaz *in l. filiusfamilias.§. diui, num. 173. in fine, in 6. limitat.& num.174.* & ibi Rip. *nu.88. ff.de legat.1.* Surd.*de aliment.tit.8 priuileg.71. num.7.* & alios etiam addit Modern. *de fideicommiss. art. 51. sub d.num.82.*

Et in omnem euentum, quicquid esset dicendum de dominio, certè non esset resoluta possessio ipsius Michaëlis, iuxta text. & ibi Bald. *in l.dotis. C. soluto matrimon.* quæ tanto magis procedunt, quia verba pacti non erant absoluta, sed statim post suprà relata, sequuntur alia, videlicet, vt veniente dicto casu restitutionis dotis Michaël teneatur restituere, & reddere pecuniam pro pecunia, &c. & sic requirebatur eius factum, cùm illa sint verba obliqua. Bart. *in l. centurio, num.45.ff.de vulgari.* quem omnes, nemine discrepante, sequi testatur Oddo *de compend. part.4.in verbo restituat.* Vltra quòd hæc omnia quæ dicuntur de statuto & pacto, respiciunt petitorium, vt fuit consideratum in alia decisione 22. Aprilis.

Non obstat quòd ipse Michaël mortuo filio petierit immissionem, quia obiectum cessabat ex facto, cùm potiùs fuerit petita manutentio, vt apparet, tum ex verbis suæ comparitionis, ibi, *quia dubitat ne aliqua persona velit illum perturbare, aut molestare in dicta possessione, aut illum de facto spoliare, & ibi mandet constituere eum sub protectione, & defensione realium manutentialium, & illarum virtute conseruare in illa*, &c. Tum ex littera Saluaguardiæ rescripta ad dictam petitionem, ibi, *Dominum Michaëlem conseruetis, & conseruare faciatis in dicta possessione*, &c.

Ex quibus fuit resolutum Michaëli dandum mandatum de manutenendo.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Asculana fideiussionis. Veneris 23. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Fideiussor in forma Cameræ obligatus habetur pro principali, & contra eum agi potest non excusso principali debitore.

SVMMARIVM.

Fideiussor soluens qro suo principali, potest agere contra releuatorem, n. 1.
Excussio non requiritur vbi adest obligatio Cameralis, num. 2.
Fideiussor in forma Cameræ obligatus habetur pro principali, & amittit omne quodcumque priuilegium fideiussori competens, ibid.
Obligationis Cameralis priuilegium est, omisso iudicio incepto contra bona principalis debitoris, agere contra fideiussorem, n. 3.

DECISIO CXLVII.

1 AMon, & Camillus fratres de Monteronis annuum censum quadraginta scutorum super ipsorum bonis impositum vendiderunt Vincentio Cataldo, pro cuius census validitate se Horatius, & Octauius obligarunt; pro solutione verò fructuum insolidum vnà cum dictis Amone, & Camillo se obligauit Horatius, cui solemniter Octauius fideiussit. Vnde cùm postea vigore mandati Auditoris Cameræ dictos fructus Horatius soluere coactus fuisset, egerit pro releuatione contra Octauium, qui, fuit dubitatum, an teneretur? & dubio per me in Rota proposito, fuit affirmatiuè responsum. Constat enim de illius fideiussione Horatio facta per instrumentum obligatione Camerali vallatum; vnde cùm Horatius soluerit, benè potuit contra Octauium fideiussorem agere. §. *si quid autem. Instit. de fideiuss. l. idémque. §. fideiussores. ff. eodem.* Castrens. *in l. si duobus. numer. 2. ff. de iur. iur. & in l. 2. qui debitorem, in principio. ff. de fideiuss. & cons. 64. num. 1. lib. 1.* Afflict. *decis. 94. num. 3.* cum aliis per Tiraquell. *de retract. lignag. gloss. 18. §. 1. numer. 84.*

2 Nec requiritur hic excussio contra principales debitores. nam stante obligatione Camerali, cessat excussionis beneficium. Socin. *cons. 24. in fine lib. 1.* Neguss. *de pignor. part. 5. membr. 1. num. 32.* Cephal. *cons. 439 num. 24. lib. 3.* Facit etiam quòd fideiussor in forma Cameræ obligatus habetur pro principali, & quodcunque priuilegium amittit, vt fuit dictum in Romana indemnitatis de Odeschalchis 5. Nouembris 1578. coram bon. mem. Cardinali Lancellotto.

3 Non obstat, Horatium egisse contra bona principalium debitorum, & mandatum obtinuisse, quia potest nihilominus in vim obligationis Cameralis dictum iudicium relinquere, & contra fideiussorem experiri. Bart. *in l. consentaneum, num. 17. C. quomodo, & quando iudex.* Paris. *cons. 103. num. 3. lib. 3.* Surd. *decis. 44. n. 17.*

R. P. D. VEROSPIO.

Bononien. administrationis plateæ. Lunæ 26. Maij 1614.

ARGVMENTVM.

Expensæ, & sumptus litis, vt pauperi actori subministrentur, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

Arbitrium Rotæ regulandum est à dispositione iuris communis, n. 1.
Expensæ, & sumptus litis non debentur litiganti, nisi copulatiuè constet de ipsius bono iure, & paupertate, ibid.
Paupertas ad hoc, vt pauperi subministrentur expensæ litis, debet in specie probari, vt sit talis, quæ sine subministratis expensis litem prosequi non valeat, num. 2.
Expensæ litis faciendæ sunt de communibus redditibus Canonicorum, & beneficiatorum, quando communiter litigant, n. 3.
Expensæ, & sumptus litis non sunt subministrandæ possessori rei controuersæ, ibid. in fine.

DECISIO CXLVIII.

VErtente coram me lite super lacatione, & administratione datij platearum Bononiæ inter Capitulum, & Canonicos Ecclesiæ collegiatæ S. Petronij ex vna, & magistratum, vel regimen eiusdem ciuitatis ex alia. Cùm dicti Canonici, tanquam pauperes litis expensas prætenderent, adita signatura iustitiæ, obtinuerunt mihi rescribi, vt illis arbitrio Rotæ subministratis, in causa procederetur. Vnde proposito per me dubio visum fuit Dominis arbitrium non intrare, cùm illud à iuris dispositione veniat regulandum. Peregr. *decis. 239. cap. fin. lib. 2. in manuscript.* Cæsar de Grass. *decis. 7. num. 7. & decis. 8. num. 2. de sent. & re iudicat.* Rota *decis. 641. num. 1. part. 1. diuers.* & de iure litis expensæ non debeantur, nisi copulatiuè de bono iure, & de paupertate constet. *l. fin. §. nam si tales,* & ibi Bald. & Salicet. *C. de ordin. cognit.* Couarr. *practicar. quæst. cap. 6. num.* Verall. *decis. 20. num. 2. lib. 1.* Cardinalis Seraphinus *decis. 1098. num. 2.*

2 In casu autem nostro Capituli paupertas non apparet: quamuis enim Canonici, habito ad ipsorum dignitatem respectu, dici possint pauperes, cùm tenues habeant redditus. hoc tamen in præsenti casu non suffragatur, sed est in specie probandum quòd sine dictis expensis litem prosequi non valeant. *l. paupertas. ff. de excusat. tutor. §. sed & propter paupertatem, & ibi gloss. in verbo imparem. Instit. eod. tit.* cum aliis per Alex. *cons. 37. num. 1. lib. 1.* Hæc autem probatio non datur, immo de contrario constat ex annuo Capituli redditu duorum millium aureorum, ex quo benè singulis annis deduci potuerunt scuta ducenta pro ista lite ad summum eroganda. Et cùm inter triginta sex viros Capitulum constituentes ista veniant diuidenda, parum vnusquisque detrimenti erit habiturus.

Nec potest in dubium reuocari, tales impensas de com-

de communibus redditibus esse detrahendas, cùm de singulorum in Ecclesia beneficiatorum interesse agatur, iuxta tradita per Bart. & Bald. *in l. ab omnibus. §. si à Titio. ff. de legat.* 1. Natt. *cons.* 418. *in princ. lib.* 2. Card. Seraph. *decis.* 1012. Vlteriùs cùm per Capitulum res controuersa possideatur, æquum non videtur, vt expensæ litis illis subministrentur, cùm istæ regulariter soleant pro redditibus rei, quæ litigatur, taxari. iuxta notat. per Bart. *in l. pen. ff. de alimen. & cibar. leg.* Menoch. *de arbitr. casu* 169. *num.* 3. Surd. *de alim. tit.* 4. *q.* 9. *n.* 2.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana pecuniaria. Lunæ 2. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Socius, seu administrator non dicitur debitor in pecunia antequam rationem reddiderit, & computorum solidationem, ad quem effectum eligi debent duo periti, & illis discordantibus eligendus est tertius.

SVMMARIVM.

Peritis duobus electis discordantibus eligendus est tertius, n. 1. *in fine.*

Socius, seu administrator in administratione non dicitur debitor, nisi computis solidatis, num. 2. *&* 3. *Vbi tamen quòd hæc conclusio intelligitur quoad restitutionem pecuniarum, non autem quoad bona per administratorem inuentariata.*

Mercatorum causæ tractandæ sunt ex bono, & æquo, & sola facti veritate inspecta, n 5.

DECISIO CXLIX.

1 Dissoluta de anno 1599. societate, ad quam D. Camillus Palagius fuerat ab olim D. Alexandro Dono de anno 1590. in socium assumptus, & anno 1596. cum maiori participatione confirmatus; prætendens D. Pelagius ratam vtilium ad ipsum spectantem egit coram A. C. pro electione communium amicorum iuxta formam capitulorum anni 1596. ad effectum videndi computa societatis prædictæ, & versa vice DD. de Donis hæredes Alexandri contra Palagium ad rationem administrationis reddendam, ac in primis reponendum in eorum banco plures pecuniarum summas ab ipso habitas. Cumque R. P. D. Ginettus in causa, & causis prædictis ab A. C. deputatus mandasset sine præiudicio quorumcunque iurium partium eligi peritos, & illi in relatione longè discordassent. Dubitatum fuit, an esset locus electioni tertij? Et Rota affirmatiuè respondit: quia firma & passim obseruata est conclusio in discordia duorum ad electionem tertij deueniendum esse, *l. item si vnus. §. pen. ff. de recept. arbitr. cap. innotuit. eod. tit.* & vtrobique Doctor.

Non obstat pretēsio DD. de Donis, quòd Palagius debeat ante omnia restituere pecunias ab ipso extractas. Quia pro responsione dicebant DD. etiam Donos pecunias habuisse ex negotio, ita vt facienda sint computa, vt videatur quis debeat refundere. Castr. *cons.* 126. *circa med. vers. si tamen ad manus, lib.* 2. & ab omnibus reddenda sit ratio, nec interim possit vnus condemnari. Angel. *cons.* 286. *col.* 2. *vers. & si inter dictos* Rimin. sen. *cons* 300. *num.* 53. *&* 54. *vol.* 2. Socin sen. *cons.* 24. *num.* 36. *vers. hic enim si vnus. lib.* 1. Rota Ian. *decis.* 39. *n.* 3.

Et vlteriùs Palagium non posse ad certæ summæ restitutionem compelli, nisi computis solidatis, ex quibus potest etiam creditor remanere, vt ex *l. de illo. ff. pro soc.* Bald. *in cons.* 463. *n.* 4. *vers. quarta ratio lib.* 1. Anchar. *cons.* 235. *sub n.* 1. *vers. præterea.* Alex. *cons.* 192. *n.* 2. *&* 3. *lib.* 7. Neguſ. *de pignor. p.* 5. *memb.* 1. *nu.* 37. Aym. *cons.* 231. *num.* 16. *vers. vndecimò considero. & cons.* 275. *n.* 13. *vers. tertiò principaliter.* Purpur. *cons.* 339. *n.* 2. *vers. tamen. lib.* 1. Cephal. *cons.* 768. *num.* 14. *& cons. seq. n.* 11. *lib* 5. Munnoz de Escobar *de ratiocin. cap.* 21. *à n.* 12. vbi alios refert ad *n.* 22. vbi hanc opinionem dicit magis rationi & æquitati consentaneam, melioribusque fundamentis fulcitam, ac in Senatu Pintiano frequentissimè obseruatam, quam probauit Rota in illa Assisien. pecuniaria coram Reuerendiss. Lugdunen. quod in pecunia admittit, licèt contrarium velit quo ad bona per administratorem inuentariata, aliaque functionem in genere suo non recipientia. Surd. *decis.* 184. *n.* 2. *&* 12. *vers. non resistunt*, vbi ita opiniones conciliare videtur. 3

Neque etiam obstat, quod dicebatur Palagium debere saltem priùs rationem reddere, cùm haberet negotij complementum. Quia hac ratione dixerunt DD. tertium, seu peritum esse eligendum quo ad omnia hinc inde, ita vt videantur quæcunque computa administratorum, & gestorum per quemlibet, necnon lucra & alia quæcunque necessaria, ex quibus nihil supererit pro sufficienti redditione rationis, quàm restitutio reliquatus. *l. cùm seruus* 81. *vers. nam non vtique. ff. de condit. & demonstr.* & quo ad omnes cùm istud sit vnicum negotium, & rationes sint connexæ, Rimin. sen. *d. cons.* 300. *num.* 54. & faciunt tradita in Romana laudi 28. Iunij præteriti coram me. 4

Et eo faciliùs in hanc sententiam venerunt DD. cùm agatur causa inter mercatores, & coram A. C. habente facultatem procedendi inter illos ex bono, & æquo, & sola facti veritate inspecta, quæ bene haberi poterit, eligendo tertium, seu peritum, etiam quo ad omnia hinc inde prætensa, & quo ad omnes, prout ita fuit resolutum. 5

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana prætensi spolij. Lunæ 2. Iunij 1614.

DECISIO CL.

Impressa est post Pacific. de Saluian. decis. 68.

R. P. D. VBALDO.

Mutinen. Canonicatus. Veneris 13. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

De occupante propria authoritate possessionem secundi beneficij, an, & quando ipso iure priuatus sit primo

beneficio, iuxta text. *in cap. eum qui. de præbendis, in* 6. & de illius materia.

SVMMARIVM.

Impetrans beneficium vacans certo expresso modo, seu quouis alio modo, comprehendit omnem vocandi modum, num. 1.

Impetrans beneficium certo modo, an, & quando teneatur se subscribere ad pœnam talionis, n. 2.

Authoritate propria beneficium occupans, dicitur intrusus, & ideò ipso iure beneficio priuatur, n. 3.

Impetratio beneficij in forma Dignum, *nullum tribuit ius in re, sed solum importat mandatum de prouidendo quatenus fuerit idoneus repertus, & ideo ante conditionis purificationem nullum ei fuit ius quæsitum, ibid.*

Possessio parochialis Ecclesiæ censetur apprehensa per celebrationem Missarum, baptizationem, & aliorum sacramentorum administrationem. n. 4. *Vbi etiam idem per perceptionem fructuum, decimarum, primitiarum, & oblationum.*

Testes licèt nulliter examinati deseruiunt pro adminiculo, ibid. in fin.

Actus præsumitur factus ex prætenso titulo præambulo, num. 5.

Incompatibilia beneficia habens ipso iure illis priuatus est, ibid.

Authoritate propria occupans secundum beneficium, an, & quando sit ipso iure priuatus primo beneficio, num. 7. & 8.

Ignorantia iuris regulariter non excusat, n. 8.

DECISIO CLI.

1 PRoposito pluries dubio reseruato in decisione huius causæ 11. Martij 1613. quod erat, an Annibali Burellæ obstaret dispositio *cap. eum qui. de præbend. in* 6. illud, propter varias Dominorum sententias, non fuit resolutum, sed cùm pro eius parte prætenderetur gratiam Bernardi aduersarij, non comprehendere vacationem inductam in terminis *dicti cap. eum qui*, ideò Domini voluerunt informari super dubio ita concepto, an gratia Bernardi suffragetur quoad dispositionem *cap. eum qui, de præb. in* 6. & fuit resolutum affirmatiuè. Nam quòd gratia suffragetur, & sic quòd capiat prædictam vacationem, deducebatur, quia licèt Bernardus impetrauerit Canonicatum tanquam vacantem per sacrilegium; tamen virtute clausulæ generalis, *seu quouis alio modo vacet*, venire potest ex quacumque vacatione. Quia dicta clausula, *quouis alio modo*, comprehendit omnem modum vacandi. Rota *decis. 1. num. 2. de rescript. in nou.* Felin. *in cap. in nostra, n. 37. vers. fallit. 4. eod. tit.* Sarnen. *in reg. de infirm. quæst. 34. n. 2.* dummodò iustificetur narratiua gratiæ saltem de facto, vt fuit resolutum in Aurien. parochialis 26. Iunij 1606. coram R. D. meo Damasceno, in Oueten. beneficij 5. Iulij 1610. coram R. P. D. meo nunc Decano in Virdunen. Canonicatus 25. Maij 1596. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & sæpè in aliis: sacrilegium autem satis visum fuit iustificatum ex ipsius Annibalis confessione, qua nulla melior probatio, *l. generaliter. C. de non num. pecun.* cum similibus.

2 Neque obstare videbatur, quòd gratia Bernardi esset conditionalis, quatenus scilicet, si dictus Bernardus eundem Annibalem super relatis huiusmodi accusare, seque in forma iuris inscribere voluerit, &c. & aliæ conditiones apponuntur, consideratæ per informantes, quibus non verificatis non videatur esse locus gratiæ, etiam virtute clausularum generalium, tanquam dependentium à dispositione principali, ex allegatis. Quia fuit responsum, quòd hæc procederent, si tractaretur de canonizanda gratia ex capite sacrilegij, tunc enim esset necessaria inscriptio, diligens inquisitio Ordinarij, & sententia priuatoria cum formali amotione Annibalis à Canonicatu, & aliorum narratorum iustificatio; secus videtur esse ad effectum obtinendi ex alio modo vacandi præter expressum, vigore clausularum generalium, quo casu videtur sufficere simplex probatio illius facti narrati ex suprà allegatis, cùm talis probatio requiratur solùm ad effectum tollendi dolum, & calumniam impetrantis, vt fuit dictum in Tirasonen. Canonicatus de Alfaro 24. Maij 1600. coram R. P. D. meo Decano.

Quòd autem intret dispositio *cap. eum qui. de præben. in* 6. dicebant Domini constare ex eo, quòd Annibal propria auctoritate se intrusit in possessionem parochialis Ecclesiæ sine aliquo Canonico titulo, quo casu dicitur intrusus. Innoc. *in cap. nihil est num. 4. de elect.* cum aliis per Rot. *decis. 21. num. 5. par. 2 diuers.* & priuatur ipso iure beneficio, vel Canonicatu, quem antea obtinebat, *dicto cap. eum qui.* gloss. *in Clem. si plures, in vers. vacare, in fin. de præb.* Rota *decis. 3. eod. tit. in nou.* & fuit resolutum in causa Toletana Capellaniæ 14. Iunij 1599. coram bo. me. Cardinali Mantica; licèt enim obtinuisset dictam parochialem titulo permutationis cum Bernardo factæ de Canonicatu Mutinensi, de quo agitur; tamen gratia Annibalis erat in forma *Dignum*, quæ nullum tribuit ius in re, sed solum importat mandatum de prouidendo, quatenus idoneus fuerit repertus. Cassad. *decis. 1. n. 6. vt lit. pend.* Mandos. *in reg. de annal. qu. 55. n. 3.* Rebuff. *in prax. in tit. de rescript. form. dign. n. 2. & 3.* Modern. *ad reg. 8. gloss. 15. §. 2. n.* Immò stante clausula apponi solita in litteris in forma *Dignum*, si per diligentem examinationem idoneum esse repereris, sequitur, quòd ante purificationem dictæ conditionis idoneitatis nullum ei fuerit ius quæsitum, neque etiam ad rem. Bellam. *decis. 667.* Gabr. *cons. 186. num. 26. lib. 1.* poterat enim non approbari in examine, prout euentus docuit, cùm fuit reiectus.

De intrusione autem videbatur doceri per plures actus, de quibus deponunt testes in Curia formiter examinati. nam vltrà quòd Annibal locauit terras, & possessiones dictæ Ecclesiæ parochialis, se quæ Rectorem in instrumento locationis asseruit, vt ex instrumento sub die 4. Ianuarij 1600. ipse celebrauit Missas, baptizauit, & alia sacramenta administrauit in dicta Ecclesia, exercuit omnes spirituales actus ad curatum pertinentes, per quorum actuum exercitium censetur apprehensa possessio Ecclesiæ. Abb. *in cap. in Genesi, n. 5. de elect.* deinde percepit fructus, videlicet decimas, primitias, & oblationes, ex quibus probatur possessio quoad temporalia, ad text. *in l. Titia. ff. de solut. lib. 2.* vbi Bart. *C. de acquir. poss.* cum aliis per Menoch. *de retin. remed. 3. nu. 564.* vlterius per eosdem testes, & per alios examinatos vigore remissoriæ, qui licèt nulliter examinati, deseruiunt tamē pro adminiculo. Bart. *in l. admonendi, n. 41. ff. de iur. iurand.* Aym. *cons. 198. nu. 11.* Caputaq. *decis. 206. n. 6. p. 2.* & fuit dictum in Hispalen. legitimitatis 11. Maij 1612. coram me, & sæpe aliàs.

Non

5 Non obstat, quòd isti actus potuerint fieri etiam ab extraneo de permissione Rectoris, quia de tali permissione, vel licentia non apparet, & è contrario constat ex prædictis Annibalem locasse prædia Ecclesiæ, & fructus percepisse vti Rectorem; & cùm præcesserit beneficiorum permutatio, expeditio literarum, & accessus vtriusque ex permutantibus ad Ecclesias permutatas, vtique actus præsumuntur facti ex prætenso titulo præambulo. *l.2. C. de acquirend.possess* gloss *in l. quædam mulier ff.de rei vend.* & cùm Bernardus iam assecutus fuisset possessionem Canonicatus incompatibilis cum parochiali, desiit esse Rector ipso iure, ex dispositione Concil. Tridentini *sess.7.cap.4.* latè Modern. *ad reg. 8.gloss.5.num.15. & seq.* vnde Annibal non potuit alieno nomine munera parochialia exercere, & per consequens illa censetur exercuisse nomine proprio.

6 Non obstat, quòd Annibal fuerit ordinatus ad titulum Canonicatus, de quo agitur, & propterea illi non possit renunciare, ne mendicare cogatur in dedecus Ordinis sacerdotalis, quia hoc intelligitur in renunciatione voluntaria, non autem de priuatione proueniente ex dispositione iuris ob iniustam intrusionem absque Canonico titulo, qualis est ista ex dispositione *dicti cap. eum qui*, alioquin hoc modo ordinatus ex nullo delicto priuaretur beneficio, quod est absurdum.

7 Non obstat, quòd vt intret *cap.eum qui*, sit necessarium probare non solùm possessionem secundi beneficij, sed etiam maioris partis fructuum, ex allegatis, quia vltrà quòd talis possessio videtur probata ex supradictis, cùm tam spiritualia, quàm temporalia Annibal possederit. Bald. *in cap.Ecclesia, in fin. de elect.* respondebatur, quod allegata procedunt in terminis. *cap. de multa, de prebend.* in quo consideratur pacifica possessio, cum fructuum perceptione, vt declarat Sarnen. *in reg. de triennal.quæst. 53. num. 2. vers.sed quoad cap. de multa*, vbi de communi, secus videtur esse in terminis *cap. eum qui*, in quo consideratur sola occupatio, vel intrusio scienter facta in secundo beneficio, vt patet ex eius lectura.

8 Demum non obstat, quòd Annibal potuerit credere se habere aliquod ius in dicta parochiali vigore gratiæ, in forma *Dignum*, & ideo videatur excusandus à pœna *dicti cap. eum qui*, iuxta decisionem Bellam.562. quia vltrà quòd hęc est ignorantia iuris, quæ regulariter non excusat. *l.iuris ignorantiam. C. qui admitt.* dicebatur in specie, eam in terminis *dicti capit. eum qui*, non posse allegari, sed solam facti ignorantiam. gloss. *in dicto cap.eum qui, in vers.scienter*, & ita intelligit dictum text. post relatos, Rota in dicta Toletana Capellaniæ coram bon. mem. Mantica; immò eò magis mouebantur Domini ad non admittendam talem excusationem, quia die 28. Iulij, Annibal tanquam non idoneus fuit ab examinatoribus reiectus, & nihilominus perseuerans in intrusione per totum mensem Augusti, & Septembris, fructus percepit, Sacramenta administrauit, & alia similia fecit, prout deponunt testes nouissimè examinati, quo tempore ille color præsumptæ ignorantiæ omnino cessabat.

Ex quibus & aliis adductis, præsertim in dicta Toletana Capellaniæ, vbi alia obiecta remouentur circa dispositionem *dicti cap.eum qui*, Domini concluserunt gratiam suffragari Bernardo, ita vt intret dispositio *dicti cap.eum qui, de prab.in 6.*

R. P. D. LVDOVISIO.

Perusina fideicommissi de Alphanis. Veneris 15. Iunij 1612.

DECISIO CLII.

Replicata est inter eius impressas decis.565.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana societatis officiorum. Veneris 20. Iunij 1614.

ARGVMENTVM.

Societas officij contracta inter amasium, & amasiam præsumitur simulata, licèt alias Cameralis obligationis exequutio retardari nequeat.

SVMMARIVM.

Contractus societatis officij factus inter personas prohibitas, vtputa amasium, & amasiam, præsumitur simulatus, n.1.

Instrumentum Camerali obligatione vallatum, executioni mandari debet, ibid.

DECISIO CLIII.

Claudia de Bubalis, cùm agere vellet pro consecutione sortis principalis duarum societatum officij, quarum alteram pro scutis 600. cum Domitio contraxerat, alterius verò scutorum 400. bonam fidem recognouerat Honorius Trincius; dubitaui, an pro dictis societatibus danda esset ad illius fauorem exequutio. Et quo ad primam scutorum sexcentorum fuit resolutio dilata, eo prætextu, quòd cùm inter personas donare prohibitas, illa fuisset inita, simulata præsumebatur; respectu verò alterius cum Trincio Rota censuit exequutionem non esse denegandam. Ex quo enim Claudia pro se habet instrumentum obligatione Camerali vallatum, non potest eius exequutio retardari. Angel. *in l.4.§.condemnatam. ff. de re iud.* Boërius *quæst. 295. num.6.vers.secus autem.* Menoch. *de arbitr. iud. casu 17. num.4.* Gallesius ad formam obligationis Cameralis *part.1.quæst.2. num.*10. Gabriel *cons. 67. num. 7. & 8. lib.1.* Mohed. *decis.1. & 2. de except.* cùm præsertim huic societati non applicentur, quæ contra aliam cum Domitio prætenso adultero initam excipiuntur. In hac enim pecunias recepit, & bonam fidem recognouit Honorius, quem non apparet cum dicta muliere commercium habuisse, & licèt fuerit ista societas imposita super officio Domitij, qui bonam fidem recognouit, satis exclusa videtur omnis simulatio. 1

REVERENDISSIMO P. D. LVDOVISIO.

Pennen.pensionis. Mercurij 27.Iunij 1612.

DECISIO CLIV.

Est inter eius impressas decisio 583.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Paduana Capellaniæ. Veneris 4. Iulij 1614.

ARGVMENTVM.

Residentia quando dicatur personalis, & necessaria, & de illius probatione.

SVMMARIVM.

Clausula, si ita esse compereris, *dicitur conditionalis, & apposita in gratia debet in primis iustificari, n.1.*

Residentia vbi est fundamentum gratia, debet plenè, & concludenter probari, ibid. in fin.

Residentia non censetur probata, ex eo quòd probetur Capellanum teneri celebrare, & seruire, quia hoc potest etiam fieri per alium, numer. 2. & ideo quando in fundatione fuit dictum quòd per alium prouisus celebrare non valeat, tunc censetur probata residentia personalis.

Residentia personalis non videtur necessaria, vbi per alium suppleri potest, n.3.

Narratiua posita in gratia non iuuatur ex gratia aduersarij non iustificata, n.4.

Clausula, si preces veritate nitantur, *semper subintelligitur in gratiosis, n.5.*

Surreptio, & qualibet falsa expressio, dolosa præsumitur, & gratiam vitiat, ibid.

DECISIO CLV.

1 Vitus Camporantus per resignationem Pompeij Tagliapetræ, cùm fuisset de Capellania sancti Ioannis Euangelistæ Patauin. diœcesis, tanquam libera prouisus, eandem Aloysius Paccarellus, vti personalem residentiam requirentẽ à Sanctissimo pariter impetrauit, & cùm Vicarius Patauinus litteras ad eiusdem Aloysij fauorem admittere noluisset, ille per viam appellationis causam introduxit in Rota, & proposito per me dubio, an eius gratia esset iustificata, nemine ex aduerso comparente, fuit negatiuè responsum; cùm enim dicta gratia in personali residentia fundetur, vt apparet ex conditionali clausula, *si ita esse compereris.* Dec. *cons.570.num.7.* Accoramb. *decis.* 340. & fuit dictum in Portugalen. dismembrationis 9. Martij 1598. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto. Et residentia tanquam gratiæ fundamentum plenè, & concludenter iustificari debuisset. Ægid. *decis. 76.num.6.* Crescen. *decis.18.de probat.* & fuit dictum in causa Casalen. præpositurae 21. Aprilis 1597. coram Gipsio, & in Regien. Prioratus 31. Maij 1597. coram bon. mem. Pegna.

2 Ista probatio hîc facta non reperitur, licèt enim Capellanus celebrare, & deseruire teneatur; ex hoc tamen personalis residentia præcisè non arguitur, ita vt per alium obligatio nequeat adimpleri. Lapus *allegat.* 35. *num.*2. & ibi addentes *in verbo per se.* Idem *allegat.*117. *num.*2. Ferret. *cons.*305. *num.*4. Cùm præsertim fundationis verba non sint concepta negatiuè quòd scilicet per alium prouisus celebrare non valeat, quo casu non tenetur Capellanu[s] residere, vt fuit resolutum in Romana Capellani[æ] 23. Ianuarij 1589. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Brixien. Capellæ 2. Martij 1598. cora[m] Litta.

Non obstat obligatio prouisi de anno 1464. quo[d] ipsi videlicet Ecclesiæ benè deseruiet, nec vltr[a] quindecim dies continuos extra diœcesim absq[ue] licentia permanebit. Nam ista particularis Capellani promissio successoribus obesse non posse. Rom. *cons.*240. *num.* 1. Aymon. *cons* 93. *num.*1. Caputaq. *decis.*185. *part.*1. cùm præsertim residentia personalis non ita videatur hîc necessaria, vt per alium suppleri non possit, ex alleg.

Vlteriùs gratia eiusdem Aloysij respectu valor[is] non iustificatur, quòd nimirum Capellania ducatos 90. expressos non excedat.

Nec valet dicere, Vitum in sua possessione eundem valorem expressisse. Nam vltra quòd in Vi[ti] gratia valor ad quadraginta ducatos, non verò a[d] 90. legitur expressus; hîc in omnem euentum no[n] agitur de iustificatione prouisionis Viti, sed de probanda ipsius Aloysij narratiua, quæ non iuuatur e[x] aduersarij gratia non iustificata. Ægid. *decis.* 11[.] Cassad. *decis.* 2. *de caus. poss. & propriet.* Put. *decis.* 185. *lib.*2.

Propterea nec probatur, Vitum, vt asserebatur per annum, & vltra, citrà tamen triennium Capellaniam detinuisse. Nam potiùs contrarium apparet ex possessione per Vitum capta 11. Augusti 160[8] & ex prouisione Aloysij de mense Maij 1609. e[x] quibus liquidò constat à possessione Viti ad han[c] Aloysij prouisionem, nouem tantùm menses interuenisse. Nec dubium videtur, huiusmodi narrat[i]uam fuisse iustificandam, cùm in gratiosis, pro[ut] in casu nostro, semper clausula intelligatur, *si preces veritate nitantur. cap. ex parte, de rescript.* Dec. *cons.* 33. *num.* 1. & 142. *num.*6. Rota *decis.* 221. *num.* 4. *part.* 2. *diuers.* Et quælibet falsa expressio dolosa præsumatur, & gratiam vitiet. *cap.* 2. *de filiis presbyt. in* 6. Cassad. *decis.*10. *num.*3. *de præb.* Mohed. *decis.*8. *de rescript.*

REVERENDISSIMO P.D. PAMPHILIO.

Placentina Archipresbyteratus. Veneris 4. Iulij 1614.

DECISIO CLVI.

Replicata est supra in par.2. recent. decis.656.

REVERNDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Romana societatis officij. Veneris 7. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

De vi, & probatione confessionis tam iudicialis, quàm extraiudicialis.

SVM

SVMMARIVM.

Indebitè solutum qui repetere vult, debet probare solutionem indebitè factam, n.1. in fine.

Confessio partis plenè probat contra confitentem, nu.2. & 4. Vbi quòd est maior probatio omnibus aliis probationibus, & fortior instrumento.

Confessio extraiudicialis de æquitate Canonica plenè probat contra confitentem, num.2. Vbi præsertim, si fuit geminata.

Societatis disdicta, an valeat si non reperitur adnotata in margine instrumenti, n.3. & 4.

Acta iudicialia probantur per partis confessionem, numer.4.

Confessio partis supplet omnem defectum scripturæ, ibid. in fine.

Confessio reuocata nihil operatur, non docto de errore, num.5.

DECISIO CLVII.

1 IVlius Massa, & Fabius de Grossis ab Equite Neuio Canalio receperunt ad societatem officij scuta 300. sub vitæ periculo, respectu scutorum centum Thadei filij eiusdem Equitis, qui cùm cœpisset ægrotare, fuit à dicto Equite pro ea rata disdicta societas, & Fabius de Grossis, vnus ex debitoribus, bonam fidem agnoscens mediante banco sancti Spiritus, fructus omnes persoluit, fatendo pro dicta rata societatem fuisse disdictam, quod idem vnà cum Iulio Massa altero debitore in societatis renouatione præstitit. Verùm postea lapso triennio, & extincta per solutionem pecuniarum societate, iidem Fabius, & Iulius cœperunt prætendere se per Thadei obitum scuta centum fuisse superlucratos; quasi pro ista quantitate societatis disdicta non præcessisset, & cùm vellent solutum repetere, de consensu vtriusque partis dubium in Rota proposui, an Eques Neuius teneretur ad restitionem alicuius partis sortis principalis, vel fructuum dictæ societatis, quod fuit negatiuè resolutum. Non enim probatur solutum indebitum, vt ad hunc effectum requiritur. *l. cùm de indebito. ff. de probat. l. 1. ff. de condict. indeb.* Alexand. *cons.83. num.1. lib.1.* Castrens. *cons.123. num.1. lib.2.*

2 Nec suffragatur Thadei obitus, cùm disdicta ritè facta præcesserit, vt apparet ex partis confessione, quæ plenè contra confitentem probat, *cap. per tuas. de probat. l. generaliter. C. de non numer. pecunia.* & hoc etiam de æquitate canonica procedit in confessione extraiudiciali. Puteus *decis. 11. num.3. & decis. 52. numer.1. lib.2.* Gabriel. *de confess. conclus. 1. num.46.* Rota *decis. 4. num.1. part. 2. diuers.* & fuit decisum in causa Pampilonen. pensionis 16. Ianuarij 1613. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno; cùm præsertim in casu nostro geminata partis confessio reperiatur, videlicet in ordine ad bancum sancti Spiritus directo, & in ipsius societatis renouatione, iuxta notata per Bart. *in l. cùm scimus, in fine, C. de agric. & censit. lib.11.* Ias. *in §. personam, num.48. Instit. de action.*

Nec valet dicere, minimè probari disdictam, cùm illa iuxta Sanctissimi Domini Nostri reformationem in manuali, & in margine instrumenti societatis adnotata non inueniatur, talis enim adnotatio, cùm requisita fuerit ad occurrendum fraudibus, & in ipsorum contrahentium vtilitatem, non debet eius omissio partibus inferre præiudicium. *l. quod fauore. C. de legibus.* Cùm præsertim dicta constitutio non procedat vlteriùs ad actus annullationem, sed onus dumtaxat Notariis iniungat tales faciendi annotationes. Vnde remanet actus validus, licèt contraueniendo Notarij dicantur in pœnam incidisse. Iason. *in l.1. num. 10 ff. de lib. & posthum.* Seraphin. *decis.777. num.10. part.1.* & fuit resolutum in causa Romana vineæ 5. Maij 1589. coram Orano.

Præterea videtur hæc adnotatio necessaria, vbi pars iudicialiter per viam intimationis procedendo vult initam societatem dissoluere, non autem quando mutuo partium consensu illa resoluitur, vt in casu nostro, & sic absque aliæ disdictæ annotatione satis visa fuit probari societas dissoluta ex partis confessione, quæ maior est omnibus aliis probationibus. *l. generaliter. C. de probat.* Honded. *cons.30. num.24. lib.2.* Curt. iunior. *cons. 181. num. 5. circa medium.* Iason. *in l. Titia, num.20. ff. de verb. obligat.* & sit fortior instrumento, & quacunque testium depositione. *l. cum te, la 2. Cod. de transact.* Bald. *cons. 192. num.8. lib.2.* Surd. *cons.60. num.1. lib. 1.* & fuit dictum in causa Romana domus in burgo 21. Aprilis 1589. coram bon. mem. Cardinali Mantica; necnon sententiæ vim obtineat. *l.1.* & ibi Bart. & Bald. *in princip. C. de confess.* Innocent. *in cap. G. perpetuus, vers. Item confessus. de fide instrument.* & per illam acta quæcunque iudicialia probentur in pactis confitentis. Ægid. *decis.684. in princip.* Dec. *in cap. fin. num.3. & seq.* & Felin. *num.2. de probat.* Ac omnem denique suppleat scripturæ defectum, etiam vbi hæc de substantia requireretur. Surd. *decis.10. n. 13* cum ibi alleg. 4

Non obstat huiusmodi confessionem dici reuocatam; quia non docto de errore, propria confessio reuocari non potest. Abb. *cons. 80. num. 14. lib.2.* Afflict. *decis.233. num.1.* cum aliis per Gabr. *de confess. conclus.5.* qui error venit probandus concludenter. Aymon. *de antiquit. temp. part. 1. §. propositum, num.56.* Corn. *cons. 250. num.1. lib.4.* Hic autem ex eo tantùm infertur error, quòd in manuali, & in margine instrumenti disdicta non fuerit adnotata. Cùm tamen hæc adnotatio ex partis confessione suppleatur, quæ superat omnes alias probationes, ex allegatis. 5

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana spolij. Lunæ 10. *Nouembris* 1614.

ARGVMENTVM.

Tutor, & administrator nunquid ante redditam administrationis rationem, actione spolij conueniri possit ad certum debitum. est notabilis decisio.

SVMMARIVM.

Ægidianæ locus non est quando actor sine actione egit, num.1.

Tutor spolij actione nunquid conueniri possit ad rem certam, non reddita priùs ratione administrationis, ibi. Vbi declaratur hæc conclusio, & n.2.

Tutor si de facto, & cum dolo bona pupilli alienauit, conueniri potest actione spolij, ibid.
Administrator nunquid ante redditam administrationem possit conueniri actione spolij, n. 3.
Mala fides excluditur per titulum coloratum, n. 5.
Tutor qui sine solemnitatibus bona pupilli alienauit, nunquid actione spolij conueniri possit, n. 6.

DECISIO CLVIII.

1 Visum fuit Rotæ, causa denuo proposita, à decisione coram me facta die 2. Iunij præteriti, non recedere, & sic Ægidianæ locum non esse, cùm Tarquinia spolio agere non potuerit, ex alleg. *in dicta decisione*. Nec obstat contra tutorem spolij actionem ad rem certam competere, antequam reddita per illum fuerit ratio administrationis tutelæ, per Socin. *cons. 24. num. 35. lib. 1.* Surd. *cons. 296. num. 23. lib. 2. & decis. 184. num. 11.* Aymon. *cons. 231. num. 16.* Nam vltra quòd adsunt pro contraria sententia plures viri grauissimi, Doctores ex aduerso allegati loquuntur in terminis, quando tutor bona in inuentario descripta alienauit, quia tunc ante redditam rationem pro illorum restitutione potest conueniri, cùm debitum bonorum in inuentario descriptorum sit liquidum: secus quando agitur de bonis per tutorem alienatis in inuentario non descriptis, quę ad illius manus administrationis tempore peruenerunt, vt in casu nostro; tunc enim contra tutorem ante redditam rationem spolij, actio non competit, cùm ille pro pupillo potuerit plus impendere, quàm habuerit. Alex. *cons. 192. num. 2. vol. 7.* Anchar. *cons. 235. lib. 2.* Surd. *dicta decis. 184. numer. 12.* Aymon. *cons. 275. num. 13.*

2 Non obstat Afflict. *decis. 403. num. 20.* & Berous *cons. 44. lib. 3.* Nam isti loquuntur de tutore, qui bona de facto & cum dolo manifesto alienauit, contra quem actio spolij datur. textus pariter *in l. qui fundum. §. si tutor. ff. pro empt.* dicitur procedere, quando tutor pupilli rem subripuit, quo casu, non pro tutore, sed pro fure, & extraneo se gerit. Rota *decis. 93. num. 13. versic. Quartò non obstat text. in l. qui fundum part. 2. diuers.* hoc autem non est in casu nostro, ex alleg. in alia decisione.

3 Nec valet dicere, Vincentium non fuisse Tarquiniæ tutorem, sed administratorem bonorum illius, & consequenter hîc dicta de tutore non applicari, quia plures ex Doctoribus allegat. in decisione loquuntur etiam in terminis administratoris, qui ante rationem redditam pro restitutione bonorum administratorum spolio conueniri non potest. Cephal. *cons. 769. num. 11. & cons. 768. num. 14. lib. 5.* Surd. *dicto cons. 296.* Cùm postea Vincentius propria pecunia domos redemerit, & sic iustam habuerit causam illas retinendi. *l. si non sortem*, & ibi Bart. & Doctor. *ff. de condict. indeb.* Bald. *in l. credita 28. num. 2. ff. si certum petatur.* Contra ipsum non poterat spolij iudicium intentari, ex alleg.

4 Nec releuat, Vincentium ex actis debitorem apparere, & consequenter locum non esse retentioni. Nam licèt id ex primo calculo constare videatur, in secundo tamen contrarium detegitur. Nec valet dicere, posteriorem calculum extraiudicialem fuisse, hoc enim pendet à definitione causæ super redditione rationis, vnde Vincentius ac eius hæredes interim à credito liquido non sunt excludendi, cùm ex instrumento probetur, ipsum pro redemptione domorum, de quibus agitur, certam pecuniarum summam erogasse. Cephal. *dicto cons. 769. num. 11. & 763. n. 14. lib. 5.* Purpur. *cons. 339. n. 2.*

Non obstat ad excludendam præscriptionem exceptio malæ fidei, cùm Vincentius non ignoraret dimidium bonorum alienatorum ad Tarquiniam pertinere. Nam ex quo de anno 1576. hæc pro ipsius credito illi fuerunt assignata, satis dicitur mala fides repelli, cùm etiam titulus coloratus ad eam excludendam sufficiat, Menoch. *de recuper. remed. 15. num. 418. & seq.* cum aliis in decisione allegatis.

Nec pariter obstat, in domorum alienatione, solemnitates in contractibus minorum requisitas non interuenisse, quo casu videatur contra Vincentium, & emptores actionem spolij competere. Roland. *cons. 41. in fine vers. vnde ex iis concludo, lib. 3.* Ex quo enim Tarquinia capitulis matrimonialibus assensum præstitit, & sic dictæ alienationi consensit, necnon bonorum diuisionem inter ipsam, & Ersiliam de anno 1581. ratificauit, spolio agi non poterat. Rota *decis. 93. part. 2. per totum*.

REVERNDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Farfen. territorij. Lunæ 17. Nouembr. 1614.

ARGVMENTVM.

Lis contra vnum introducta, alteri non citato non præiudicat, nec officiales præsumuntur certiorasse suum dominum de his, quæ ad eorum officium non pertinent.

SVMMARIVM.

Lis contra vnum introducta non præiudicat alteri non citato, num. 1.
Officiales non præsumuntur certiorasse suum dominum de his, quæ ad ipsorum officium non pertinent, n. 2.

DECISIO CLIX.

Bis fuit coram me decisum, quòd in concordia inter Montopolitanos, & Turritanos inita occasione litis super territorio, & iure pascendi, licèt Episcopus Salæ, necnon alij officiales Illustriss. Abbatis Farfensis interuenissent; ex horum tamen scientia de dicta lite ad scientiam Abbatis non infertur. Verùm cùm Dominus Turritæ adhuc non acquiesceret, tertia vice super eisdem causam proponi fui, nec Domini voluerunt à decisis recedere, non obstante, quòd plurimum ex aduerso pars insisteret in concordia, dictos officiales Farfenses vti tales interuenisse. nam hoc etiam admisso, fuit dictum non esse præsumendum ab eisdem certiorem fuisse redditum Abbatem, cuius non intererat, cùm illi tamquam non citato lis non præiudicaret, ex Bart. in *l. si publicanus, §. in omnibus. ff. de public.*

Præterea non præsumitur quis dominum certiorasse de illis, quæ ad ipsius officium non pertinent. Peregrin. *de iure fisci lib. 6. tit. 8. num. 26. vers. quid adde.* Bart. *in dicta l. si public. §. in omnibus, num. 1. de public.* Surd. *decis. 181. num. 16. versic. & quamuis* Alex. *cons. 566. num. 14. versic. & quod dicitur, lib. 4.* Alexand. *cons. 6. num. 3. versic. vt enim verum, lib. 1.* Abb. *cons. 41. num. 2. lib. 1.* Munus autem Episcopi Salæ, & aliorum officialium Farfensium non erat, immiscere

immiscere liti, quæ inter dictas communitates in Rota vertebatur, & quæ, vt dixi, non erat Abbati præiudicabilis, vnde cessat tanto magis præsumptio certiorationis.

R. P. D. MANZANEDO.

Vrbeuetana hæreditatis. Lunæ 24. Nouembris 1614.

ARGVMENTVM.

Prohibitus alienare sub pœna priuationis hæreditatis pœnam non incurrit, nisi habita certa, & specifica scientia d. prohibitionis, & pœnæ in ea appositæ: & ad effectum pœnæ incurrendæ est necessaria traditio rei alienatæ; non ficta per constitutum, sed per reseruationem vsusfructus, sed est necessaria, vera, & naturalis traditio.

SVMMARIVM.

Prohibitus alienare sub pœna priuationis potest sine incursu pœnæ, non obstante prohibitione, alienare quando est vltimus vocatus in fideicommisso, & sic quando fideicommissum in illo finitur. num. 2.

Renunciatio fideicommissi data, illius scientia valida est, num. 3.

Renunciatio fideicommissi facta ad fauorem vnius pro conseruanda agnatione, non extenditur ad alium, in quo seruandæ agnationis ratio cessat. declara vt num. 4.

Prohibitus alienare sub pœna priuationis hæreditatis non incurrit pœnam quando probabiliter potuit credere se alienare potuisse, quia talis pœna non incurritur nisi quando talis alienatio fuit facta dolo, & animo subuertendi fideicommissum, num. 7.

Prohibitionis alienandi pœna non incurritur, nisi ab alienante fuerit habita scientia prohibitionis, & pœnæ in ea appositæ, ibid. vbi amplius quòd isto casu non sufficit scientia fideicommissi in genere, nisi etiam concurrat scientia pœnalis prohibitionis.

Prohibitus alienare sub pœna non incurrit pœnam traditione non sequuta, & isto casu sufficit facta traditio per constitutum vel reseruationem vsusfructus, sed est necessaria naturalis, & vera traditio, num. 8.

DECISIO CLX.

CVm 14. Aprilis præteriti Domini perseuerassent in decisis quo ad resolutionem captam 1. Martij 1613. ex illo præcipuè capite, quòd donatio per Equitem Liuium facta Comiti Gaspari Marciano esset contra testatoris voluntatem, prohibentis nedum alienationem istorum bonorum, sed etiam imponentis alienanti pœnam priuationis, & illo casu adueniente volentis admitti ad fideicommissum subsequentem vocatum ex latè in dicta vltima decisione adductis, à quo fundamento hodie iterum causa reproposita, & sic à dicta decisione Domini recesserunt, reseruato vt de reliquis videretur.

2 Et moti fuerunt primò, quia videbatur D. Equitem Liuium esse vltimum vocatum ad hoc fideicómissum, sicque in illo finiri, vnde potuisse alienare absque aliqua contrauentione, cùm non adsit persona, quæ secundùm mentem testatoris alienationem possit reuocare. *l. cum pater. §. liberti in fine l. qui solidum. §. pennult.* vbi gloss. Bart. & Doctor. *ff de legat. 2.* Archar. *cons. 162. n. 3. vers. & videtur prima facie.* Castren. *cons. 43. n. 2. lib. 1.* Natt. *consil 145. n. 19.* Ruin. *cons. 164. n. 14. versic. ad idem. lib. 4.* Roland. *cons. 15. nu. 19. lib. 1.* Ripa *in l. filiusfam. § diui, n. 17. ff. de legat. 1.* Tiraq *de retract. lignag. §. 26. glos. 1. nu 10.* Gabriel. *cons. 132. in 9. qu n. 69 lib. 1.* Peregr. *de fideic. art. 4 nu. 50 & artic. 52. n. 2.* Petr. *de fideicomm. q 8. n. 512.*

Et quamuis super sit D. Catherina neptis testatoris, & in defectum masculorum, & sic post D. Equitem vocata, nihilominus illi renunciatio per ipsam facta ad fauorem Monaldi iunioris sui fratris ex aduerso opponebatur de omni iure, omniq; actione ipsi, seu eius hæredibus quouis modo, iure, titulo, seu successione, & causa forsan competenti super bonis paternis, maternis, & fideicommissariis, & aliis quouis modo nuncupatis, cuiuscumque generis, maximè concurrente scientia fideicommissi, de qua videbatur constare, cùm de illo expressam mentionem in renunciatione fecerit, ibi, *super bonis paternis, maternis, & fideicommissariis, &c.* iuxta Bursat. *consil 64. num. 35.* Bero. *consil. 130. num. 16. in fine lib. 1.* Honded. *consil. 33. num. 31. lib. 1.* sicque videbatur ius ad dictum fideicommissum remisisse. ad tradita per Bart. *in l. qui Romæ. §. duo fratres, numero 18 ff. de verborum obligat.* Surd. *consil. 308. numero 18. lib. 3* Gabr. *de fideicommiss. conclus. 1. nu. 42.* Menoch. *consil. 87 num. 27. & præsumpt. 115. num. 33. lib. 3.* Peregrin. *de fideicommiss. artic 52. num. 36.* cum aliis ab ipsis adductis. 3

Nec etiam videbatur Dominis obstare quòd prædicta renunciatio per D. Catherinam facta fuerit ad fauorem Monaldi fratris, illiúsque filiorum, & descendentium, pro conseruanda agnatione & nobilitate familiæ Clementinæ, & pro amore quo ipsum Monaldum prosequebatur. & dicto Monaldo decedenti sine liberis, & descedentibus prædictæ rationes quæ mouerunt ad renũciandum, cessant. Respondebatur enim quòd quidquid sit de hoc, non ex eo sequitur quòd D. Catherina possit reuerti ad bona renunciata, sed potiùs pertinerent ad hæredes Monaldi cessionarij, & sic ad D. Lauiniam illius matrem, & hæredem ab intestato, vt in puncto respondit Rota apud Put. *decis. 274. num. 4. & seq. vsque ad fin. lib. 3.* & Achill. *decis. vnic. de donat.* Mantic *de tacit. & ambig. lib. 13. tit. 21. num. 20.* & fuit dictum in vna Viterbien. bonorum 2. Maij 1614. coram me. Quod tamen procederet, nisi obstaret D. Liuius superstes & vocatus ex fideicommisso. 4

Et in omnem euentum quicquid sit dicendum circa istum articulum, an Eques Liuius sit vltimus vocatus, & non supersit alius, qui alienationem ab ipso factam reuocare valeat, quòd non omnino caret difficultate, stante D. Catherina vocata in defectum masculorum. Nec dicta renunciatio in totum istam difficultatem excludere videtur, quin si partes velint possint super hoc particulariter audiri. 5

Verum tamen est Liuium ex supradictis probabiliter potuisse credere sic alienare sibi licere, & hoc sufficit ad euitandam pœnam priuationis, cùm ad istum effectum requiratur quòd alienatio fuerit facta dolo & animo subuertendi fideicommissum. ad trad. per Mandell. *cons. 92. n. 35. & seq.* Port. Imol. 6

*consil.*58. *num.* 36. Honded. *consil.*58. *num.* 35. *lib.*1. & fuit dictum in vna Perusina hæreditatis, seu fideicommissi de Americis 26. Februarij 1586. coram Orano, qui dolus cessat in nostro casu, stante prædicta rationabili credulitate, quam Equitem habuisse deduci videtur ex ipsamet donatione, in qua asseruit bona donata ad se iure dominij spectare,& de illis pro suo libito,& voluntate disponere posse.

7 Secundò mouebantur Domini, quia nullibi probatur Equitem habuisse scientiam strictissimæ prohibitionis alienandi, & pœnæ alienationis in illa appositæ,prout requiritur,iuxta Bald. *in c.si vasallus feudum,in fin.si de feud.fuer controuers.* Ias. *in l.fin.nu.* 117.*in fin.C.de iur.emphyt.*Rip.*in l.filiusfamilias,*§.*diui.nu.*11. *ad finem vers.Nota.de legat.*1. Ruin.*cons.*118. *circa fin.vers.& ideo lib.*2.Pet.*de fideicommiss. quæst.*3. *num* 42.Seraphin.*decis.*916.*nu.*8.Quæ quidem scientia debet esse certa & præcisa, nec sufficit resultans ex productione testamenti, & immissione illius vigore per Equitem obtenta, ex quibus posset elici scientia fideicommissi in genere, quæ ad hunc effectum priuationis non sufficit, nisi concurrat scientia aliarum qualitatum, & præcipuè dictæ prohibitionis pœnalis, iuxta gloss. communiter receptam *in cap.concertationi, verbo sciuerit,* & ibi Doctor. *de appellat.in* 6.Alex.*cons.*114.*num.*4.*vers.accedit ad maiorem,lib.*1.Tiraquell. *de retract.lignag.*§.36.*gloss.*2.*n.* 30.Aym.*consil.*193.*num.*8. & fuit dictum in vna Romana dotis 10.Maij 1602. coram bo.me. Card.Pamphilio, & Romana de Arroniis 10. huius coram D. meo Vbaldo.

8 Ad motiuum verò in decisione adductum quòd ex reseruatione vsusfructus facta per Equitem in donatione inducta videatur traditio,iuxta text. *in l.quisquis. C. de donat.*cum aliis in decisione relatis, fuit responsum non procedere ad effectum incurrendi pœnam priuationis,quo casu requiritur vera, & non ficta traditio,iuxta Bald *cons.*187. incipit, *factum tale est*, *n.*1.*vers quid ergo lib.*3. tenentem, quòd per actum verbi feudum non incidit in commissum,sed per actum facti.Idem Bald *consil.* 9.*n.*1.*vers. quid ergo lib.*1. & cùm versemur in materia pœnali & stricta, intelligenda est de actu naturali, vt est gloss.*in cap susceptum,de rescr ptis in* 6.& text. *in l. fin. C de his qui ven.ætat. impetr.* vt in terminis notat Alciat.*cons* 142.*nu.*4.*& seq.lib.*5. vbi ante *num.*6. dicit hanc esse veriorem & humaniorem sententiam, & paulo infrà dicit hãc veriorẽ & magis communiter approbatam. Vnde hanc eandem sententiam sequitur & pluribus ornat Guido Pap.*decis.*101. *à princip. vsque ad n.*6.& Frec.*de subfeud. lib.*2 *prima authorit. nu.*8.*& seq.*& nimirum cùm per reseruationem vsusfructus,seu alios actus fictos, licèt censeatur traditio inducta, est ciuilis, non verò naturalis, vt ex Doctoribus suprà allegatis, & in prima decisione adductis satis patet, quæ sola absque naturali non sufficit ad pœnam priuationis incurrendam, ex superiùs notatis.

9 Et quamuis sint plures auctoritates pro contraria sententia, vt ex allegatis in prima decisione apparet, tamen istam tanquam æquiorem, & à tot grauissimis Doctoribus approbatam, Domini sunt secuti, prout etiam Rota respectu clausulæ *Constituti* priùs illam fuit secuta in vna Romana deuolutionis domus,seu palatij 13.Martij 1611.coram R.Bononien.

Et idem hodie fuit responsum ad eandem clausulam *Constituti*, ex eisdem rationibus & authoritatibus, cùm vtroque casu traditio dicatur ficta, & non sufficiens ad priuationem inducendam.

Ex quibus ita fuit decisum.

R.P.D. VEROSPIO.

Terracinen.dotis. Lunæ 1.*Decembris* 1614.

ARGVMENTVM.

Confessio dotis receptæ probat solutionem dotis, præcedente illius promissione, & de instrumento authenticato archiuistæ quomodo recognosci debeat.

SVMMARIVM.

*Instrumentum publicum facit probationem probatam, & rem manifestam, num.*1.*in fin.*

Dotis recepta confessio probat numerationem,constito de præcedente promissione, num. 2.

*Archiuista publicans instrumentum in archiuo receptum, sufficit, quòd in eo apponat suum proprium signum, etiam quod non apponat signum Notarij, qui de instrumento se rogauit, num.*3.

Testes recognoscentes manum Notarij in instrumento appositam,quomodo debeant deponere,ibid.

*Exequutiua via agi non potest contra tertios possessores; fallit vigore statuti vrbis de executione instrumentorum,num.*4.

DECISIO CLXI.

INter Alexandrum Americum, & Laudomiam Cancellariam, cùm esset matrimonium contrahendum, Iacobus Laudomiæ pater in apocha matrimoniali promisit dotem soluere scutorum mille & sexcentorum, quæ postea dictus Alexander per publicum instrumentum confessus fuit recepisse. Vnde illo mortuo,Laudomia pro dotis repetitione cõuenit Dominum Bernardinum Maffeium,& alios bonorum sui viri detentores, contra quos obtinuit decerni mandatum, super cuius relaxatione postea cùm ageretur extra Rotam, causa mihi commissa, dubium proposui, quod ad fauorem dictæ Laudomiæ fuit resolutum. De illius enim solutione dotis constat per publicum instrumentum, quod probationem probatam, & rem manifestam facit. Dec. *in cap.licet causam n.*3.*de probat.& cons.*36.*n.*2 *& consil.*423.*n.*2.Alex.*consil.* 37.*num* 16 *lib.*2. 1

Et licèt in hoc instrumento sola confessio de recepto, non autem vera pecuniæ numeratio contineatur, quia tamen in capitulis matrimonialibus præcessit eiusdem dotis promissio, confessio de recepto probat etiam in præiudicium tertij solutionem.Socin.*in l.*1.*num.*78.*& 95.ff.solut.matr.* Crauetta *consil.*40.*num.*1.Afflict. *decis.* 401 *num.*9. Cephal. *cons.*315. *num.* 11. *& cons.* 325. *num.* 39. cum aliis per Surd.*decis.*55 *num* 4 *&* 5. 2

Non obstat, dictum instrumentum non esse in forma probanti, tanquam absque signo Notarij rogati.Nam illud exemplatum non fuit ab eodem Notario rogato, sed ab archiuista Sermonetæ, in quo archiuo seruabatur huius Notarij iam defuncti protocollum, & sic ad instrumenti validitatem sufficit, illud extractum fuisse ab archiuista, qui pro- 3

prium

prium in eo ſignum appoſuit. Gemin. *conſil.* 82. *nu.* 6. Alex. *conſil.* 245. *n.* 3 *lib.* 6 Roman. *conſ.* 319. *per tot.*

Nec valet dicere inſtrumenti recognitionem per teſtes ritè factam non fuiſſe, quia contrarium apparet ex illorum depoſitione, qui concludunt, ſe notam habere dicti Notarij manum, cùm pluries illum ſcribentem viderint. Alexand. *conſil.* 87. *num.* 2. *lib.* 3. Gemin. *conſ.* 15. *nu.* 16. *verſ. ſuper quarto.* Necnon deponant de qualitate characteris, quod perfectam recognitionem arguit.

4 Non obſtat contra tertios poſſeſſores agi non potuiſſe via exequutiua, id enim ſtatuto Vrbis permittitur. *c.* 85 *lib.* 1. *ſub tit. de inſtrumentorum dotalium exequutione.* Quod ſtatutum cùm omnino prohibeat appellationem, habetur deciſorium, vt fuit reſolutum in Romana domus 12. Februarij 1571. coram Benacino, & in cauſa Bononien. de Comitibus 2. Aprilis 1565. coram Robuſterio.

Bona autem, de quibus agitur, fuiſſe in bonis Alexandrini viri, probant optimè teſtes in ſummario dati pro parte Laudomiæ, pro qua fuit ita deciſum.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Burgen. præminentiarum. Lunæ 1. *Decembris* 1614.

ARGVMENTVM.

Tranſactio reſcinditur propter læſionem: læſio autem in tranſactione quomodo conſideranda ſit ad dubium litis euentum.

SVMMARIVM.

Tranſactio reſcinditur conſtito de læſione, nu. 1. *in fin.*

Maioris partis conſenſus præiudicat minori, quando agitur de iure ſpectante non ad ſingulos, ſed ad vniuerſitatem, vtputa ad Eccleſiam. Fallit, quando adeſt læſio in conſenſu, quia tunc vnius contradictio ſufficit, ibid.

Tranſactio non reſcinditur propter læſionem quando adeſt dubitandi cauſa etiam modica, declara vt n. 2.

Sententia, & res iudicata offuſcatur ex nullitatibus, ibid.

Beneficiatorum & officialium appellatione nunquid veniant portionarij, n. 3.

Obſeruantia interpretatiua non admittitur, quando verba diſpoſitionis ſunt clara, n. 4.

DECISIO CLXII.

1 IN litteris ſuppreſſionis Iulij II. & Leonis X. diſponitur, quòd dignitates, Canonicatus, & portiones ſuppreſſæ intelligantur applicatæ menſæ Capitulari, ad effectum vt fiat repartitio fructuum, & redditnum earum in diſtributiones quotidianas beneficiatorum Eccleſiæ præſentium, & intereſſentium diuinis officiis, & pro officialibus modo, & forma, quibus per Epiſcopum, & Capitulum fuerit conſtitutum. Propterea cùm ſententia Conchen. deputet dimidios Portionarios beneficiatos, & condemnet Capitulum ad illos admittendos vt tales ad diſtributiones prouenientes ex fructibus ſuppreſſis vigore dd. conſtitutionum Iulij, & Leonis; tranſactio verò, ſiue laudum auferat illis portionem dd. fructuum, & dietim det illis minimam partem marapetinorum, adeò vt toto anno non habeant de dictis diſtributionibus niſi ducatos ſex, vel circa, pro ſingulis dimidiis portionariis, vt colligitur ex deductis in ſummario *n.* 2. reſultat læſio ſatis clara, cùm dimidij portionarij patiantur damnum. *l.* 2. *C. de reſcind. vend.* Corn. *conſil.* 181. *numero* 65. *lib.* 2. Vnde contradictio vnius ex portionariis dimidiis facta dictæ tranſactioni ſuffragatur omnibus, quia licèt agatur de iure quod ſpectat ad Eccleſiam, & propterea maior pars præiudicat minori; ſecus tamen eſt quando adeſt læſio, vt fuit reſolutum in hac cauſa 14 Ianuarij 1611. coram me.

Neque releuat quòd ſi dimidij portionarij non obtinuerunt per tranſactionem, totum illud quod prætendere poſſent per ſententiam, adhuc tranſactio ſuſtinetur, propter dubium litis euentum, quia ad hunc effectum ſufficit modica cauſa dubitandi. *l.* 2. vbi gloſſ. *v. nulla.* Bart. & Bald. *n.* 1. *C. de tranſactionib.* Alex. *conſil.* 20. *num.* 3. *lib.* 3. vbi de communi. Pariſ. *conſil.* 3. *nu.* 24. *lib.* 4. & dixit Rota in cauſa Præneſtina bonorum 21. Februarij huius anni coram Reuerendiſſimo Domino meo Sacrato Archiepiſcopo Damaſceno Huic enim obiecto, in quo videtur conſiſtere tota difficultas huius cauſæ, reſponderunt Domini, quòd cùm tam clarum eſſet ius dimidiorũ portionariorum, vt patet ex ſupradictis, & patebit ex infradicendis, dubius litis euentus parum erat æſtimandus, maximè cùm ipſi haberent ſententiam pro ſe, & rem iudicatam, licèt offuſcatam ex nullitatibus, ex quibus Rota voluit tranſactionem ſuſtineri, iuxta text. *in l. eleganter,* §. *ſi poſt rem iudicatam ff de condict. indebit.* vt in deciſionibus in hac cauſa factis, & ideo ex ſupradictis ſatis viſum fuit Dominis conſtare de læſione ad effectum de quo agitur. 2

Non obſtat quòd dicta ſuppreſſio fuerit facta ad fauorem menſæ Capitularis, & de præbendis ſpectantibus ad Capitulum, & ideo ſub nomine beneficiatorum & officialium non debent venire dimidij portionarij, iuxta not. per Imol. *in cap. cùm M. Ferrarienſis, nu.* 31. *ante med. verſ. ſed iſta opinio, in illis verbis, & idem erit iudicandum, de conſtit.* & per Rot. *deciſ.* 17. *n.* 4. *verſ.* 3. *moti, & n.* 5. *verſ. & præmiſſa part.* 2. *& deciſ.* 296. *part.* 1. & fuit in puncto reſolutum in cauſa Valentina emolumentorum prima Iunij 1597. coram Rubeo. Nam huic motiuo fuit reſponſum quòd nedum fuerunt ſuppreſſi ſeptem Canonicatus, qui ſpectabant ad Capitulum, ſed fuerunt etiam ſuppreſſę duæ ſcholaſticæ, & duæ integrę portiones; quæ non ſpectabant ad Capitulũ, & ideo retorquetur argumentum, & propterea ſuppreſſio eſt intelligenda, vt fuerit applicata menſæ Capitulari non ſimpliciter, ſed ad effectum faciendi diſtributiones inter beneficiatos & alios officiales, quorum beneficiatorum appellatione quòd veniant dimidij portionatij negari non poteſt, vt fuit reſolutum in cauſa Hiſpalen. præeminentiarum 17. Iunij coram R. P. D. meo Pamphilio, & prædicta optimè comprobantur ex aliis ſuppreſſionibus, & vnionibus factis à diuerſis ſummis Pontificibus relatis in dicta ſententia, & quarum partic. copia data fuit, in quibus omnibus ſpecificè legitur ſuppreſſio, & vnio reſpectiuè facta pro Canonicis & beneficiatis dictæ Eccleſiæ. 3

Non obſtat allegata obſeruantia, videlicet quòd nunquam dimidij portionarij participauerint de 4

eiusmodi fructibus, quia fuit responsum, quòd stantibus verbis dictarum suppressionum factarum per summos Pontifices, non videtur esse locus obseruantiæ interpretatiuæ. *l.3.in fine Cod.de liber.præter.* prout Castrens. *in l. hæredes palam. §. quid. ff. de testament.* Arch. *in consil.115.numero 2.* Sarnen. *in reg.de non tollend.iur. quæsit.quæst.13. numero 7. cum seqq.* & dixit Rota in causa Toletana decimarum de Sazedrog 22. Maij 1592. coram Illistrissimo D. meo Cardinali Arigonio.

4 Alia quæ deducebantur circa læsionem, non placuerunt Dominis, & ideo ex prædictis solùm recesserunt à decisione facta sub die 3. Iunij 1613.

R.P.D. VBALDO.

Bononien. bonorum de Zaualeis. Veneris 12. *Decembris* 1614.

Impressa est post Cenc. de censibus decis. 85. & apud Duard.eod.tract.decis.85.

R.P.D. BVRATTO.

Firmana hæreditatis. Veneris 12. *Decembris* 1614.

ARGVMENTVM.

Substitutio pupillaris quibus verbis expressè concepta dicatur, & quando per eam mater excludatur à legitima.

SVMMARIVM.

Substitutio pupillaris expressa quibus verbis concipiatur, num.1 & 2. vbi quid si concipiatur per verba negatiua.

Duæ negatiuæ important affirmatiuam, n.2.

Dictio che, significat idem quod nisi, affirmat, & ponit, quando est posita post negatiuam, ibid.

Substitutio pupillaris restricta ad bona testatoris quando trahatur ad totam hæreditatem, & exclusionem matris à legitima num 4.

Legitima, & Trebellianica pluribus verbis, & coniecturis à testatore prohibita censeatur, num.5. in fin & num. 6.

Substitutio quando dicatur facta per verba communia, seu directa, n 7.

DECISIO CLXIV.

1 SVbstitutio facta per Franciscum Eliseum in eius testamento, sub quo decessit, condito die 7. Augusti 1607. Laurentio vnico filio masculo, hæredi scripto de Ludouica, & Doralice propriis filiabus, & dicti Laurentij sororibus, nec non de Gilmina, Hieronyma, & Sextilia sororibus, ex filio prædefuncto neptibus, fuit purificata per obitum dicti Laurentij in pupillari ætate. Et illam DD. dixerunt fuisse pupillarem expressam ex claris verbis testamenti, ibi, *Item lascia che morendo Lorenzo senza figliuoli in pupillare età, che Dio il cessi, cioè sin che non arriuarà al tempo, che dicono le leggi, non possa andare ad altri la robba di esso testatore, che alle dette sue figliuole, & nepote senza detrattione.* &c. Et rursus, *Et questo come ho detto, morendo in pupillare età, ouero senza figliuoli maschi che Dio no'l vogli.* Hæc enim sunt verba, sub quibus solet concipi pupillaris. *l. qui liberis, in princ.ff.de vulg. & pup.* gloss. *in l.precibus, in verb. in 2.casum, C.de impub.& aliis subst.§.1. Inst.de pupill. subst* & tradit Card. Mantica *de coniect. vlt. vol lib.5. tit.7.n.4.vers. & si testator specialiter.*

2 Et licèt sint concepta per verba negatiua, *Non possa andare la robba di esso testatore ad altri, che alle dette sue figliuole,* &c. Tamen perinde est, ac si expressè testator dixisset per verba affirmatiua, *che debba andare.* Tùm quia duæ negatiuæ affirmant. *l. duobus.* vbi Bart. & alij. *ff de verb sign.* idem Bart. *in l. fœminæ, ff.de senator.* Doct. *in l.1.C.de seru.fugit.* Tum quia illa dictio, *che*, quæ in proposito significat idem quod *nisi*, affirmat, & ponit, cùm sit postposita negatiuæ illi, *Non possa andare* ad text. *in l actione*, vbi Bart. *sub num.1.* quem cæteri sequuntur, *C. de transact.* Ruin. *consil.127.sub num.13. col. pen vers.quandoque & tertio, & consil.132.nu.1.lib.2.* cum aliis per Decian. *cons.78.n 5.& 12.vol.3 & seq.* Rota *decis.322. nu. 4 part.1.diuers.*

3 Et per consequens substitutiò per illa verba, *Non possa andare,* &c. est verè pupillaris directa, cùm verbum *vada*, dicatur directum, ex quo alterius ministerium non requirit, vt in specie de illo tradunt Bald. *in rub.C.de impub.&c.sub num 2.* Bero. *cons.127. num.10.vol.2.* Simon de Prætis *lib 3.interp.2 dubit.1. solut.2.num.9 fol mihi 229* Old *de compendios.part.4. in versic.Vadat.* Trentacinq. *de substit.part.4. cap.4. numer.9.* Et generaliter omnia verba, quæ alterius ministerium non requirunt, esse directa, tradunt Bart. *in l Centurio, num 43.* & ibi Ias. *num.5.ff.de vulg. & pupil.* Salycet *in d.rubr.C.de impub. in princ.* & Sichard *n.3.*

4 Nec facit quòd sit ad bona testatoris restricta, quia nihilominus trahitur etiam ad totum, & verè dicitur pupillaris expressa. Bald. *in l.cohæredi, § vlt.in 1.notab.* vbi etiam Alber. Ang & Castr. *ff. de vulg. & pupill.* & per illam mater penitus excluditur à legitima filij, ad text. *in l.Papinianus §.sed nec impub* vbi Bart *num.1.* Castr. & alij *ff.de inoff testam. & in cap.si pater, de testam.in 6.* Socin.iun. *in d.l.Centurio*, qui de communi *n.510.* Card. Mantica *de coniect.lib.3.tit.11. n.14.* latè Surd. *decis.273. in 3.* qui dicit esse communem & in vtroque foro receptissimam, quod etiam latissimè probat Trentacinq *in dict.tract. de substit. part.2.c.16.per tot.*

5 Ex quibus, quando etiam dici posset, non adesse pupillarem expressam, negari saltem non potest, quin facta sit expressa mentio pupillaris ætatis. Et ideò non intrat illa conclusio quòd compendiosa facta impuberi per verba communia, & restricta ad bona testatoris, prout in casu, de quo agitur, non sit pupillaris directa, sed omni tempore post aditam hæreditatem fideicommissaria ex opinione Bald. *in dict.l.precibus, numer.44. Cod.de impub.* & aliorum quos sequitur Rot in illa Firmana bonorum 5. Nouembris 1584. coram Bubalò Nam ex ista expressione pupillaris ætatis restrictio illa ad bona testatoris pro non scripta habetur, & compendiosa, etiam per verba communia, intra tempora pubertatis continet pupillarem directam, prout supradictam conclusionem limitando tenuit Bart. *in l. si ita scriptum.§.qui filio.ff.de bonor.possess secund. tabul.* qui dicit in quæstione de facto, ita respondisse, & menti tenendam, & illum sequuntur Castrens. *in l.1.sub num. 4.ff de vulg. & pupill.* vbi Alexand. *num. 7.* Socin. sen. *sub n.11.in 2.casu,* Aret. *sub num.5.* Rip. *num.37.* vbi, quòd cum Bart. transeunt omnes, Alciat. de communi *n. 167.* & de magis cõmuni Socin. sen.

consil.

*conſ.*10.*num.*5.6.& 9.*lib.*1. Socin.iun.*conſ.* 95.*num.*24. & 26.*lib.*1. Cardin.Mantica *de coniunct.d.tit.*7. *nu.*7. Menoch.*præſumpt.*34 *num.*16.*verſ. extenditur* 2.*lib.*4. & fuit reſolutum in allegata Firmana bonorum, præſertim vbi conſtat de mente teſtatoris, quòd voluerit etiam pupillariter ſubſtituere, vt pro 2. limitatione ad ſupradictam concluſionem firmauit Rota in d.Firmana.

6 De qua omiſſis aliis coniecturis, Domini ex eo potiſſimum conſtare dixerunt, quòd teſtator mandat totam ſuam hæreditatem, & bona tranſire in ſubſtitutas ſine diminutione legitimæ, & Trebellianicæ, quarum detractionem prohibuit etiam in codicillis Iſabellæ eius vxori, dicto Laurentio communi filio in pupillari ætate decedente, vt per Bart. *in d.l.Centurio, ſub num.*27. Iaſ. *num.*47. & 48. Ripa *num.*125. Mantic.*d tit.*7.*num.*16. Menoch. *præſumpt.* 56.*num.*12.*lib.*4. Peregr. *de fideicomm.art.*34. *num.*47. etiam ad excluſionem matris, vt dictum eſt. Quæ prohibitio repetita in codicillis magis declarat ſubſtitutionem in teſtamento factam eſſe directam, vt per Mantic. *vbi ſuprà lib.*6.*tit.*4.*num.*4.

7 Vltrà quòd non ſumus in compendioſa facta per ſolum verbum *commune.* In ea enim adſunt verba illa, *Vada, & ſuccedino*, ideò licèt verbum, *ſuccedino*, ſit commune, vt per Bart. Aret. Iaſ. Socin. iun.Rip. & Galiaul. *in d.l. Centurio*, cum aliis latè per Trentacinq *vbi ſup.part.* 4.*cap.* 4. *num.* 22. tamen verbum *vada*, quod eſt directum, vt ſuprà, manet in ſua ſignificatione, nec immutatur per verbum *commune*, quin ſit in electione ſubſtitutarum capere iure directo ex pupillari, cuius caſus aduenit, vt inquit Bart. *in d. l. Centurio, num.* 38. quem ſequuntur ibidem Alex. *numer.*95.*verſ.*2. *opinio*, Iaſ. *num.*59. Galiaul.qui de communi *num.*480.Ruin.*nu.*5.Socin. iun.*num.*308. *in princ.* qui pariter de communi. Iaſ. *conſ.*72.*col.*3.*verſ.non obſtat ergo.vol.*3. Menoch. *lib.*4. *præſumpt.*21.*num.*7.& 8.

8 Non obſtat exceptio fideicommiſſi ex teſtamento Vincentij patris Franciſci. Nam vltra quòd opponitur teſtamentum eſſe laceratum in ſubſtantialibus, prætenſum fideicommiſſum patitur etiam alias difficultates. videlicet quia filiæ ſunt tantùm poſitæ in conditione, & ſic intrat quæſtio, an cenſeantur diſpoſitiuè vocatæ. Item quia cùm de tempore mortis Franciſci, adeſſet Laurentius eius filius, prætenditur defeciſſe illam conditionem, ſi deceſſerit ſine filiis, & ſic etiam intrat diſputatio Oldradi *conſil.* 21. Sed in omnem caſum Iſabella, & filiæ non poſſunt dici legitimæ contradictrices ad impediendam immiſſionem ſubſtitutarum, ex quo non conſtat bona de quibus agitur eſſe fideicommiſſaria, & poſſunt etiam competere detractiones iſtis ſubſtitutis ex perſona Franciſci. Zuccard. poſt alios *in l. fin. num.* 426. *C. de edict. Diui Adriani toll.* Gabr. *conſ.*39. *num.*3.*vol.*7. Cardinal. Seraph. *deciſ.*271.*num.*5. & fuit dictum in Senogallien.fideicommiſſi 22. Maij 1602. coram Reuerendiſſ.Domino meo Damaſceno, in illa Romana de Capizucchis, 10. Aprilis 1606. coram Illuſtriſſ. Lancellotto, & in Viterbien. fideicommiſſi, 27. Iunij præteriti, coram R. P. D. meo Manzanedo.

Ex quibus fuit reſolutum dandam eſſe immiſſionem actricibus, & ſic pro parte informante.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana Viridarij. Veneris 14. Decembris 1614.

ARGVMENTVM.

Defenditur in hac deciſione ſubhaſtatio, aduersùs quam plures opponebantur nullitates. reliqua habes in ſummario.

SVMMARIVM.

*Ceſſionarius poteſt agere contra principalem debitorem, cuius debitum ſibi fuit ceſſum, num.*1.

Poſſeſſio acquiſita, præuia ſubhaſtatione, & liberatione, dicitur legitima, & manutenibilis, ibid.in fin.

*Subhaſtatio fieri poteſt ſine decreto iudicis parte conſentiente, num.*2.

Sententiæ intimatio non requiritur vbi conſtat de ſcientià illius cui facienda erat intimatio, ibid.

*Notarius eſt idoneus teſtis in his quæ deponit de viſu, num.*3.

Notario aliquid atteſtanti de actis coram eo factis credendum eſt, ibid.

*Subhaſtatio facta pro maiori ſumma debiti eſt nulla, etiam quòd fuerit exceſſum in minima quantitate. declara vt num.*4.

*Creditor habens actionem contra diuerſa bona, vna via electa, quando alteri renunciaſſe videatur, num.*6.

Variare non licet quando electio fuit geminata, ibid. in fine.

*Mandatum præſumitur per comparationem in iudicio, & productionem iurium ſciente principali, nu.*7.

*Citatus & non opponens cenſetur conſentire, nu.*8.

Apocha, vt tertio præiudicet debet eſſe ſubſcripta non ſolùm à debitore, ſed à tribus teſtibus, ibid.

*Ius acquiſitum lite pendente nullius eſt roboris, nec alicui præiudicat, num.*9.

DECISIO CLXV.

FVit ſeptima Iunij 1597. deciſum coram Illuſtriſſimo Lancellotto, conſtare de bono iure D.Abbatis Lippomani contra Iacobum Spinolam, quia 1 cùm dictus Abbas pro ſoluenda ſocietate aureorum mille & quingentorum R. P. D. Barberino, in qua dictus Iacobus bonam fidem recognouerat, eandem ſummam ad ſocietatem officij denuò recepiſſet, cum proteſtatione, quòd omne commodum, & incommodum ad ipſum Spinolam pertineret, potuit poſtea contra illum obtinere mandatum pro ſumma dictæ ſocietatis, cuius vigore fuit inter alia bene proceſſum ad ſubhaſtationem, & deliberationem vnius Viridarij, nec fuit attenta ſententia D. Robuſterij, qui ſuper ſpolio ad fauorem Spinolæ pronunciauerat. Vnde cùm hodie Excellentiſſimus Comeſtabilis ex perſona fratris ceſſionarij dicti Abbatis veniat ſuper eodem Viridario, DD. dixerunt, conſtare pariter de illius bono iure, quicquid ex aduerſo excipiatur, cùm enim Abbas D.Barberino ſatisfeciſſet ceſſione iurium ab eo reportata, potuit contra Spinolam principalem debitorem experiri, Bart. *in l. Modeſtinus num.*4. *ff. de ſolut.*vbi poſt alios Angel.& Caſtr.*nu.*4.Dec.*conſ.*99. *num.* 1. & cùm poſtea ſeruatis ſeruandis, præuia ſubhaſtatione, & deliberatione, Viridarium, de

quo agitur, obtinuisset, illius possessio fuit legitima, & manutenibilis, *l. iustè possidet ff. de acquirenda possessione*, vbi Bart. *in princip.* Alex. *num.5.& 6.* Ias. *num 6.*

2 Non obstat, quòd obiicitur, de nullitate subhastationis ex defectu decreti de subhastando, hoc enim legitur in processu, vltra quòd stante consensu per Spinolam præstito subhastationi, dictum decretum non erat necessarium. *l.1.* vbi Bald. & Salicet. *& l. prædium. C. quando decreto opus non est l.2. in princip. vers. præterea*, vbi gloss. *ff. de rebus eorum qui sub tutela sunt.* Defectus etiam, qui supponitur intimationis decreti de deliberando tollitur, cùm ex processu constet, die sequenti Spinolam appellasse, necnon supersessoriam obtinuisse ad impediendam illius decreti executionem, vnde sequitur necessariò, vel factam fuisse dictam intimationem, licèt ea non appareat, cùm de processu dempta fuerint multa folia, vel certè Spinolam huius decreti plenam notitiam habuisse, quo stante non erat intimatio necessaria. *Clem. causam in fine*, & ibi post gloss. *in verb. plena.* Card. *numer 9.* Imol. *numer.11. de elect.* Felin *in cap. cùm contingat numer. 7. de rescript.* Menoch. *de arbitrar. quæst.66. num.3. lib.1.* Caputaqu. *decis.325. num.4. part.2.* Lancellot. *de attent. appell. pend. cap.12 in 15. ampliat. num.39.*

3 De mandato autem de deliberando, licèt illud in instrumento deliberationis non reperiatur insertum, satis videtur constare, cùm Notarius de executione rogatus in instrumento coram testibus asserat, illud se vidisse in manibus cursoris & sibi fuisse consignatum, vnde cùm attestetur de visu, est illi fides adhibenda. Specul. *de instrument. edit. §. re[illegible]at, sub numer.37.* vbi latè Ioan. Andr. in addit. Bald. *in rub. Cod. de fid. instrum. numer. 19 24. 31.* Abb. *in cap. cùm causam num 11.* & post eum Felin. *numer.9 vers. postremò, de testibus*, cum aliis cumulatis per Mascard. *de probat. concl 1196. in princip.* Tanto magis, quia testatur, mandatum per ipsius acta fuisse relaxatum, vnde fortiùs illi tanquam actuario creditur. Ias. *in l.1. numer.4. C. de procur.* Fulgos. *cons.195 per totum*, concurrente præsertim decreto deliberationis, in quo mandatum relaxatur, necnon eiusdem expeditione, quæ in solito expeditionum libro in actis legitur.

4 Non obstat, quòd subhastatio non valeat vti facta pro maiori summa debiti. Put. *decis.323. lib 1.* etiam si fuisset excessum in minima quantitate. Bartol. & Ias. *in l. si non sortem. § si certum, numero 1. ff. de cond. indeb.* & fuit decisum coram Iusto in Romana spolij 21. Februarij 1600. Quia vltrà quòd ex calculo, & processu colligitur, sortem principalem societatis vnà cum fructibus & expensis taxatis, & liquidatis excedere summam, pro qua bona fuerunt subhastata, dicitur Viridarium fuisse primo loco distractum pro scutis 910. & sic pro longè minori summa debiti, vnde subhastationes aliorum bonorum postea subsecutæ, si debitum excessissent, fuissent in omnem euentum inualidæ, non ista Viridarij, quæ præcessit.

5 Nec releuat, quòd cessio D. Barberini, & subhastatio, ac deliberatio dicti Viridarij factæ fuerint, non solùm ad fauorem Abbatis, sed etiam Pompeij Cansacchi, qui pariter vti principalis accesserat in eadem societate, & nihilominus Viridarij possessionem adeptus fuit solum Abbas, à quo fuit postea cessa D. Comestabili. Quoniam Abbas Viridarium non habuit per viam subhastationis, nec vti creditor Spinolæ, cùm seruatis seruandis, illud fuerit deliberatum Octauio Capranicæ tanquam vltimo oblatori, sed in vim retrocessionis ab eodem Capranica sibi factæ pro eodem pretio, vt apparet ex processu.

Non obstat, quòd tempore subhastationis hoc Viridarium in vim cuiusdam apochæ reperiebatur à Spinola datum in solutum Cassandræ ipsius coniugi, nam in dicta apocha legitur, Cassandram pro suo credito posse Viridarium, vel bona Griptæ Ferratæ retinere, ita tamen vt per vnius electionem aliis renunciatũ videatur, vnde cùm appareat Cassandram elegisse bona Gryptæ Ferratæ, sequitur illam nullum amplius ius in dicto Viridario habuisse. *l. si quis stipulatus sit Stichum. ff. de verb. obligat.* vbi post gloss. mag. Bart. *in 1. notab. & num. 2.* Angel *num. 2. in fin. & n.3.* Alex. *num.5.* Imol *in 1. notab* Castr. *num. 2.* Angel. *in l. eum qui certarum. § vlt num. 2. ff. eodem.* Surd. *cons. 413. num.18. lib.3.* Bero. *cons.105. num.1. lib.3.* Caputaq. *decis.119. num.6.* Tanto magis cùm fuerit electio iudicialis, & geminata, quo casu minimè licuit variare. Bart. *in d. l. eum qui certarum. § fin. nu.4. in fine. vers. & hoc dico. ff. de verb. oblig.* Caputaq. *decis 33. n.3. vers. 2. facit. & decis.46.*

Nec valet dicere Cassandram dicta bona non elegisse. nam hoc illius filij præstiterunt, de quorum mandato non potest dubitari. nam cùm in termino citationis comparuerint, & chartas dotales & alia iura matris ipsa sciente, & patiente produxerint, satis dicitur fuisse probatum mandatum. gloss. *in l. vlt. in verbo ratihabitione. C. de pact. conuen.* quam sequuntur Bart. Bald. & alij. Rota *diuers. decis. 8. part. 2. n.8.* Put. *decis 358. lib.1. & decis. 14. lib.2.* addita præsertim locatione deinde facta ab eadem Cassandra de dictis bonis electis in territorio Gryptæ Ferratæ, & concurrente instrumento dotis Victoriæ ipsius filiæ in quo ipsa fatetur, Viridarium ad filios & hæredes Iacobi sui viri pertinere, & videtur constare de ratihabitione dictæ electionis, quod idem operatur quod mandatum. *cap. ratihabitionem. de reg. iur. in 6.* Surd. *decis.231. num.11.* Verall. *decis.53. num.4. & 5. part.1.*

Vltra quòd, cùm in dicta subhastatione, & deliberatione Cassandra fuerit citata, nec se opposuerit, videtur sibi præiudicasse. Alex *in l. à diuo Pio. §. si super rebus num 27 ff. de re iudicat.* Castr. *in l. sæpè, n.3 & 4 ff. eodem.* Felin. *in cap. cùm super num.12. de re iudic.* Couar. *pract. quæst. cap.13. n.7.* Rot. *decis.3. de empt. & vend. in antiquis.*

Additur, etiam apocham solùm fuisse subscriptam à Spinola debitore, non à tribus testibus, vt requirebatur, ad effectum præiudicandi Lippomano creditori instrumentario. *l. scripturas. C. qui pot. in pig. habeant.* vbi Bart Bald. Salicet. & alij gloss. *in cap. 2. in vers. authentica circa, medium*, vbi Host. & alij Canonistæ, *de fid. instrum.* Couar. *pract. quæst cap.22. num.5* Verall. *decis.217. num. 4. & 5. part. 1.* Dantur etiam reuelantes exceptiones contra testes inductos pro recognitione manus Spinolæ, vt benè per informantes.

Quo verò ad Victoriam Cassandræ filiam, fuit pariter dictum, nullum illi ius cõpetere super dicto Viridario, quamuis eidem fuerit de anno 1601. in dotem assignatum, hæc enim habere non potuit ius à matre, vt dictum est, nec à fratribus, filiis, & hæredibus Iacobi Spinolæ, cùm isti nõ potuerint Lippomano creditori iam de anno 1590. præiudicare, vt fuit decisum coram Illustrissimo Lancellotto.

Vltra

Vltra quòd ius dictæ Victoriæ fuit acquisitum lite pendente, & per consequens nullius est roboris, & momenti. *l.2.vlt.C.de litig.*

10 Non obstat apocha priuata nuper ad probandum ius dictarum Cassandræ, & Victoriæ producta, quia vltra quòd nec illa fuit a tribus testibus, prout requirabatur, subscripta, *d.l.scripturas*, patitur exceptiones valdè releuantes, vt per informantes deducitur.

11 Quod asseritur, Abbatem agere non potuisse contra Spinolam, cùm nullum habuisset incommodum ex prima Societate, tanquam extincta de pecuniis alterius Societatis, cum declaratione, quòd illius commodum, & incommodum ad ipsum Spinolam pertineret, plenissimè tollitur ex decisione Illustrissimi Lancellotti, cui additur, dictum Spinolam postea citatum ad videndum expediri mandatum pro residuo sortis principalis, & fructibus vnà cum expensis d.2. societatis, hoc debito non negando die 30. Ianuarij 1595. fuisse protestatum, Abbati satisfactum fuisse de bonis subhastatis, vt legitur in processu.

12 Cætera, sicut ex eadem decisione tolluntur, ita DD. noluerunt attendere, quæ deducebantur ad probandum primam societatem factam fuisse contemplatione bon. me. Comestabilis patris alterius nuper defuncti, & pecunias fuisse conuersas in illius vtilitatem, & commodum, stante enim decisione bon. me. Cardinalis Seraphini, quòd Spinolæ fuerit à D. Comestabili satisfactum, & stante sententia in vim dictæ decisionis vnà cum re iudicata postea subsecuta, visum fuit id hodie non controuertere, cùm præsertim hæredes dicti Spinolæ commissionem restitutionis in integrum aduersus dictam rem iudicatam obtinuerint, super qua, si voluerint, audientur.

R. P. D. VEROSPIO.

Tuden. parochialis. 26. Ianuarij 1615.

ARGVMENTVM.

Beneficium non dicitur litigiosum ex iudicio intentato in possessorio recuperandi, nisi commissa causa appellationis, & nullitatis, cum clausula, *quam, & quas*, & quando lis dicatur deserta ob illius non prosecutionem.

SVMMARIVM.

Litigiosum non efficitur beneficium per litem super possessorio recuperandi, num. 2. fallit quando fuit commissa causa appellationis & nullitatis, cum clausula, quam, & quas, *ibid.*

Mandatum Procuratoris inducitur, & probatur coniecturis, & præsumptionibus, de quibus num. 3. vbi ponuntur nonnullæ coniecturæ, & præsumptiones.

Appellationis causa deserta, non dicitur deserta causa nullitatis, cuius instantia durat per annos 30. numero 4. & 5.

Litis extinctio nunquid dicatur finita per illius non prosecutionem, & intra quantum tempus, num. 5. & 6. vbi etiam ad effectum vt per cursum temporis lis dicatur finita, nunquid, & quomodo requiratur constare de non iure collitigantis.

DECISIO CLXVI.

De anno 1610. cùm vacasset in mense reseruato beneficium sanctæ Mariæ de Rosal, fuit à Sede Apostolica de illo tanquam curato prouisus Franciscus Vadron, & successiuè Ludouicus Enriquez à Sanctissimo pariter idem beneficium vti simplex obtinuit, qui etiam habito Breui de capienda possessione nomine Cameræ, sententiam declaratoriam contra Franciscum reportauit; verùm ille per viam appellationis causa introducta coram Illustrissimo Lancellotto, dictam declaratoriam obtinuit reuocari, necnon pronunciari, beneficium esse curatum, à qua sententia Ludouicus appellauit, & causa postmodum coram Reuerendissimo D. meo Damasceno pendente, cùm Franciscus in mense Apostolico decessisset, Alphonsus Guntin istud beneficium à Sanctissimo vti litigiosum impetrauit, & dum instaret pro supplicationis relaxatione, insurrexit Iosephus Garzia, petens de eodem beneficio sibi tanquam approbato in concursu de partibus corá ordinario prouideri, qua stante controuersia, dubium ad instantiam Reuerendissimi Datarij proposui, videlicet, an constaret de lite ad effectum, vt supplicatio signata pro Alphonso esset relaxanda, & Rota censuit affirmatiuè respondendum. 1

Licèt enim ab initio coram A. C. fuerit actum super Breuis executione, & sic possessorio recuperandæ, quod nó facit beneficium litigiosum. Cassad. *decis.6.num.2.de rescript.& decis.4.num.1.vt lite pend.* Ex quo tamen appellationis causa, & nullitatis, cum clausula, *quam, & quas*, & toto negotio principali fuit in Rota commissa, satis apparet, fuisse litem introductam super petitorio, cùm præsertim illud fuerit in specie deductum. Bellam. *decis.* 619. Cassad. *decis.9.num.13.de caus.possess.& propriet.* & fuit dictum in Barchinonen. parochialis de Mataro 20. Iunij 1611. coram Reuerendissimo D. meo Decano. & per consequens dicitur, beneficium effectum fuisse litigiosum, Bald. *in auth.litigiosa.C.de litig.* Put. *decis.496.num.2.lib.2.* Cassad. *decis.4. vt lite pend.* & fuit dictum in causa Casalen. Præposituræ 9. Iunij 1597. coram Gipsio. 2

Non obstat, commissionem appellationis à sententia Illustrissimi Lancellotti fuisse obtentam à quodam Gaspare Gallego, veluti ipsius Ludouici procuratore, de cuius tamen mandato non constat. Nam fuit responsum, illud ex coniecturis, & præsumptionibus induci, quod sufficit. Dec. *cons.36.post medium* 8. Gozad. *cons.11.num.11.nu.13.* Cæs. de Grass. *decis.2.nu.5. & 6.de reb.Eccles.non alien.* Coniecturæ autem deducuntur ex quo dictus Gaspar commissionem obtinuit, cum inhibitione, necnon citatione ad dicendum, contra illamque reproduxit, & vlteriùs dedit arrham pro registro, quæ omnia multum conferunt ad mandatum inducendum. Felin. *in cap.sicut num.35.de re iud.* Cassad. *decis.3.num.4.de procur.* Sarnen. *super regul.de annal. quæst.32. num.6.* Rota *decis.631.num.2.part.1.* Caputaq. *decis.190.num.4.part.1.& decis.8.num.8.part.2.* Ant. Aug. *decis.121. rescriptum censetur, lib.3.in manuscript.* Cùm præsertim Ludouicus, ad cuius fauorem commissa fuit appellationis causa, præsens esset in Curia, & pro transportatione registri primæ instantiæ Notario satisfecisset. Rota *decis.38. & 39. de procur. in nouiss.* Bald. *in l.Iulianus, num.11. quæst.5. vers.sed ego dico.ff. qui satisd.cog.* Abb. *cons.7. num.3. vers. sed ego contra-* 3

*riam,part.*2. Afflict. *decis.*338. *num.* 8. Cassad. *decis.*3. *num.*5.*de procur.* Menoch.*de præsumpt.lib.*2.*præsumpt.* 33.*num.*3. *& seq.* & fuit dictum in Bononien. bonorum 1. Martij 1602. coram Reuerendissimo Bononien.

4 Nec releuat, appellationis causam Reuerendissimo D. meo Damasceno commissam, ob illius non prosecutionem fuisse desertam. Quia cùm æquè principaliter commissa fuerit causa nullitatis, cuius instantia per triginta annos durat. Put.*decis.*172.*lib.* 2.Couar. *pract. quæst. cap.*24. non potest in omnem euentum hęc nullitatis causa dici deserta.Ruin.*cons.* 34.*num.*10.*lib* 5. Natta *cons.*217. *num.*4. *& seqq. lib.*1. Lancell.*de attent.*2.*part.cap.*17.*num.*69. *vers. quod tamen.* Couar.*pract.quæst.dicto cap.*24.*in fine.vers.verùm vbi nullitas.* Rota *decis.*101.*lib.*2.*diuers.& decis.*33.*nu.* 6.*lib.*3.*par.*3. *diuers.* & fuit dictum in Placentina parochialis de Malpartida 9.Nouembris,& 2.Decembris 1602.coram Litta.

5 Nec valet dicere, saltem ob non prosecutionem infra deceniumlitem, haberi pro deserta,ex Cassad. *decis.*5. *vt lit. pend.* Quia per solam non prosecutionem ad litis extinctionem, seu desertionem non infertur, nisi aliunde mens illius appareat, qui litem prosequi non intendit,vt ex eod. Cassad.*dict. decis.*5. Achill.*decis.*8.*vt lite pend.* & fuit resolutum in Conchen. Archipresbyteratus 27. Februarij 1589. coram Cardinali Platto. In casu autem nostro non datur actus ex quo Ludouici collitigantis animus arguitur, & licèt contra se ille sententiam reportauerit, non inde tamen infertur, quòd liti voluerit cedere, immo cùm appellauerit, satis colligitur, eundem sententiæ non acquieuisse.

6 Vlteriùs ad effectum desertionis propter cursum temporis adeò clarè de non iure collitigantis debet apparere,vt illud controuerti non valeat.Crescent. *decis.*19.*de prob.*Achill.*decis.*7.*vt lite pend.*de hoc autem notorio malo iure hîc non constat, cùm plura contra dictam sententiam excipiantur,& præsertim quòd illa ad excommunicati fauorem emanauerit ob recursus ab eodem Francisco habitos ad iudices laicos, de quibus in actis, & licèt hæc pro iniustitia sententiæ fortasse non sufficerent, pro colore tamen deseruiunt ad effectum, vt lis extincta non dicatur, pro cuius subsistentia non requiritur litigantem fouere bonum ius, sed sufficit calumniam non adesse, vt in casu nostro. Cresc. *dicta decis.*19.*num.*2. *de prob.* Achill. *decis.*7. *vt lit. pend.* & fuit dictum in Conchen. Archipresbyteratus 16. Decembris 1588. coram bo.me.Cardinali Platto.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Romana spolij. Veneris 13. *Februarij* 1615.

ARGVMENTVM.

Sententia nulla,etiam in possessorio,dicitur spoliatiua. Deuolutio ob canonem non solutum non incurritur, nisi lapso triennio, & non incurritur per impositionem census super fundo emphyteutico, nisi prohibita sit expressè omnis alienatio,& deuolutio ob derogationem dominij,requirit declarationem iudicis.

SVMMARIVM.

*Possessio patris vigore statuti Vrbis continuatur in filios hæredes, num.*1.

*Possessio auctore Pratore adepta, spoliatiua non dicitur, dummodo iudex ritè, ac rectè processerit, nu.*2.

Tutore, vel curatore non petito à iudice, omnia acta contra pupillum corruunt, ibid.in fin.

*Restitutio non datur in spolio contra possessorem immissum à iudice etiam nulliter, quando constat de bono iure. cuius vigore potuit sibi mutare causam possessionis sine iuris ministerio, tanquam nouo titulo superueniente, num.*3.

*Deuolutionis,& caducitatis pœna ob canonem non solutum non incurritur ante lapsum triennij à lege, vel ex pacto inducti, num.*4.

*Deuolutio,& caducitas, viuo eo qui incurrit, non declarata, non potest contra filios declarari, num.*5.

*Deuolutio, seu caducitas propter canonem non solutum incursa per receptionem canonis, tacitè remissa censetur, num.*6.

*Deuolutioni locus non est propter impositionem census super fundo emphyteutico, nisi in contractu sit prohibita expressè omnis alienatio, num.*7.

*Caducitatis pœna incurritur per negationem dominij directi super re emphyteutica, limita in instrumento inter alios facto, & hominis imperiti facto, num.*8.

*Caducitatis pœna per errorem incursa corrigi potest ante litem contestatam, & impediri caducitas nondum petita, num.*9.

Deuolutio ob denegationem dominij directi non incurritur ipso iure, sed requirit iudicis declarationem, ibid. in fine.

*Census potest dici extinctus, si is qui imposuit, & vendidit censum, efficiatur hæres illius qui emit, quia nemo dici potest sui ipsius debitor, & creditor, nu.*10.

*Curia Capitolina in Vrbe seruat exactè ius ciuile, non æquitatem canonicam, num.*11.

DECISIO CLXVII.

ROta vtraque parte informante censuit, sententiam iudicis Capitolini esse confirmandam, quia de eius iustitia constat ex eo, quòd Annam, & Vincentiam domo paterna spoliatas esse reintegrandas, probatis concludenter duobus extremis pronunciauit. De primo satis constare visum fuit, tam per depositionem testium in hac causa examinatorum, quàm per instrumenta pro parte D. Euandri de Comitibus producta, in quibus legitur Herculem dictarum Annæ, & Vincentiæ patrem hanc domum possedisse; quæ possessio patris vigore statuti Vrbis continuatur fauore filiarum hæredum, vt apparet ex mandato executiuo contra eas obtento; secundum verò extremum satis euidenter probatum fuit ex possessione adepta per bo.me. Ioannem patruum D.Euandri, quæ similiter transit in hæredem, qui hodie litem sustinet. 1

Nec existimarunt Domini suffragari dicto D. Euandro, quod dicitur ipsius patruum immissum fuisse in possessionem dictæ domus authore Prætore,qui non dicitur spoliare,*l.iustè possidet.ff.de acquir. possess.* hoc enim verum est,dum iudex ritè, & rectè procedit; secus cùm euidentes adsunt nullitates.*l.*4. *§.condemnatum.ff.de re iudic.* cum vulg. vt in hac immissione facta non citata aliqua persona legitima, quæ comparere posset pro puellis minoribus, imò infan-

infantibus; fuit enim citatus quidam Sebastianus, de cuius cura, vel tutela nullibi constat, & ita non adito iudice, & non petito tutore, aut saltē curatore, omnia acta cotra pupillas indefensas corruant necesse est, *l.2.§.siquidem aliquis.ff.qui pet.tut.vel curat.l.si filius.C.eod. l. cùm & minores. C.si aduers.rem. iudic.* vltra quòd citatio multum fuit vaga, executa scilicet per affixionem domus, quæ à cursore non fuit specificata, sicque non potest afficere dictas pupillas.

3 Nec obstare visum fuit, quòd dicebatur non dari restitutionem in spolio contra possessorem immissum à iudice etiam nulliter, quando de eius bono iure constat, cuius vigore potuit sibi ipsimet mutare causam possessionis tanquam nouo titulo superueniente, etiam sine iuris ministerio, arg. *l.cùm nemo plus iuris,* & ibi gloss. *C.de acquir.possess.d.l.non solùm. §.quod vulgo.ff.de vsucap.l.2.§.fin.ff.pro empt.* vt in hac facti specie dicitur, dictum D. Euandrum, superueniente nouo iure ex deuolutionibus incursis, ex triplici capite hodie dictam domum sibi deuolutam posse licitè retinere.

4 Censuerunt enim Domini nullum deuolutionis caput satis ad hunc effectum probatum fuisse à dicto D.Euandro; & quoad primam caducitatem prætensam ob canonem non solutum per triennium, tribus modis responderunt Domini, & primò considerarunt de anno 1582. dictam domum fuisse datam in emphyteusim Herculi lege præscripta, vt per nouennium non teneretur soluere canonem, sed dictis nouem annis elapsis, omnes decursos tunc solueret, & cùm immisso facta fuerit anno 1594. de mense Nouembris, quo tempore ad effectum caducitatis non erat decursum triennium à lege, & pacto inductum, antequam pœna caducitatis emphyteuta mulctetur. iuxta *l.2.C.de iur.emph.auth.qui rem.C.de sacrosanct.Eccles.cap.potuit.de locat.* cum aliis per Menoch.*cons.*543.

5 Secundò posset dici caducitatem Hercule patre viuente nondum declaratam non posse ipso mortuo contra filias pupillas declarari, Clar. *in §.emphyteusis quæst.8.vers.prosequendo,* Menoch.*cons.1.nu.*221.fuitq; dictum in Romana prætensæ deuolutionis coram bo.me.Litta 18.Nouembris 1596.

6 Tertiò visum fuit per receptionem canonum (si quæ adesset ex eo capite caducitas) eam tacitè fuisse remissam, Alex.*cons.106.num.4.& cons.113.nu.3.lib.4.* Bero. *cons.116. num. 12. vol.*1. cum multis citatis per Corbul. *de caus.priuat.ob alien. limit.*40.

7 Quod ad secundum caput caducitatis attinet, quo prætenditur ob impositionem census ab Hercule facti, placuit responsio, non fuisse prohibitam in instrumento emphyteusis omnem alienationem, cuius species & impositio census, sed tantùm cessionem, & venditionem; & sic non est locus deuolutioni, quia qui sensum imponit super domo, eam non vendit, nec cedit, sed solùm hypothecæ subiicitur, ex qua, si expressè cautum non fuerit, non inducitur caducitas, Ias. *in l.fin. num.78. C. de iur.emphyt.* cum aliis per dictum Corbul. *de caus.priuat.ob alien. limit.33.num.1.*

8 Nec obstat denique tertium, & maximum dicti D.Euandri fundamentum, dum ait Herculem denegando dominium directum in impositione census super dicta domo tanquam super re libera incidisse in pœnam caducitatis irremissibilem; responderunt enim Domini simplicem enunciationem in instrumento hominis rustici, & imperiti factam inter alios, & nō inter dominum excusare à deuolutione, cum propriè non dicatur controuersum dominium, nisi scienter contra dominum id agat, & non incidenter inter alios, vt ex multis firmat d. Corbul. *de caus.priuat.ob mendac.nu.2.*

Constat etiam ex instrumento post biennium circiter facto, ipsummet Herculem in impositione alterius census agnouisse liberè directum dominium dicti Euandri, & ita ante litem contestatam potuit errorem suum corrigere, multoque magis impedire caducitatem nondum petitam, Ang. *in l. fin.num.5.ff.de rei vendic.* Felin. *in c.cæterùm.vers.18.de iudic.* cum aliis fusè per dictum Corbul. allegat. *de caus.priuat. ob mendac. num.* 13. stante maximè quòd hæc deuolutio ob denegationem dominij requirit iudicis declarationem, cùm non incurratur ipso iure, & per Specul. *§.nunc aliqua quæst.65.num.82.* Barr. & alij *in l.fin.num.1.ff.de rei vendic.* d.Corbul. *num.17. de caus.priuat.ob mendac.* 9

In quam sententiam eò libentiùs iuerunt Domini, quia hodie constat, dictum censum posse dici extinctum, & non subsistere ampliùs, quia erat impositus super dicta domo, cùm ipsæmet Vincentia, & Anna sint hæredes ipsius, cui dictus census debebatur, & ita confusæ sunt actiones penes ipsas hæredes; cùm nemo possit esse sui ipsius debitor, & creditor, *l.si quis pro eo. §. item si filius. ff.de fideiuss.l.si vxor.C.de bon.auctor.iud.poss.* Roland *cons. 31.num.59.& 60.lib.2.* ex quibus omne dicti D.Euandri interesse cessat. 10

Ex quibus cessat obiectio facta ab informantibus pro D.Euandro in foro Capitolino obseruari debere exactè ius ciuile, & non æquitatem canonicam; considerarunt enim Domini nec Pontificio, nec Cæsareo iure posse validari possessionem nulla lege fulcitam; frustrà enim pro purgatione moræ non dari iure ciuili dicitur; cùm nec etiam de ipsa mora constet ex supradictis. 11

Ex quibus ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Amerina domus. Veneris 13. Februarij 1615.

ARGVMENTVM.

Decretum iudicis in contractu minorum interpositum facit præsumere omnia solemniter gesta, & de materia.

SVMMARIVM.

Decretum iudicis in alienatione minoris interpositum facit præsumere omnia fuisse solemniter gesta, nu.1.& 2. vbi etiam quòd operatur esse adhibendam fidem assertioni minoris in eodem contractu factam.

Æqualitas inter fratres seruanda est, nu.4.

Liber Baptismi minoris ætatem probat, nu.5.

Maior viginti annorum ex Vrbis statuto potest contrahere sine solemnitatibus statutariis, ibid.

Statuti verba impetranda sunt secundùm aliud statutum, ibid.

Minor 20. annorum vigore statuti Vrbis prohibitus contrahere sine solemnitatibus, nunquid extendatur ad forensem maiorem 20. annorum, num.6.

Minoris contractus de iure communi iuramento sustinetur, ibid.

DECISIO CLXVIII.

1 Domini Silla, & Ascanius de Cansacchis, vnà cum Pompeio, & Io. Vincentio patruis de anno 1605. vendiderunt in Vrbe domum quam pro indiuiso possidebant in ciuitate Ameriæ; verùm cùm de tempore venditionis Silla & Ascanius essent minores, cœperunt prætendere venditionem fuisse nullam, & propterea obtinuerunt mihi committi causam rescissionis. Pro cuius expeditione dedi super hoc particulare dubium, quo supradicta die proposito Domini dixerunt venditionem sustineri, quia legitur facta pro pretio scutorum mille, quibus venditores indulgebant pro extinctione vnius societatis officij scut. 600. & alteris scut. 400. quæ fuerant disdictæ, & pro quibus exequutio imminebat, nec habebant alia bona, quæ cùm minori eorum damno vendi possent, ac insuper apparet facta iuxta formam statuti Vrbis *c.113. lib.1.* cum authoritate curatoris ad id loco coniunctorum absentium specialiter deputati, qui etiam iurauit venditorem non cadere in damnum, vel præiudicium minorum; & causa plenè cognita per iudicem, qui cùm interposuerit decretum, præsumuntur omnia fuisse solemniter gesta. Put. *decis.205. nu.2. lib.3.* Seraphin. *decis.* 217. *num.* 1. & fuit dictum in causa Romana de Iacomellis 29. Aprilis 1611. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

2 Neque obstare quòd vigore dicti statuti constare debeat alienationem cessisse in euidentem vtilitatem minorum, quia satis de hoc visum fuit constare ex supradictis, nec aliud dicendum esse ex eo quòd societates appareant contractæ ab ipsis patruis tantùm, quia in instrumento venditionis dicti minores medio iuramento expresè asseruerunt societates fuisse per eorum patruos contractas, etiam pro seruitio ipsorum, licèt in eis hoc declaratum non fuerit, quæ assertio stante decreto iudicis, & aliis solemnitatibus præsumitur vera. Seraphin. *d. decis.* 217. *n.1.* cum aliis suprà allegatis, præsertim quia de illo tempore omnes viuebant, & in communione, quo casu satis verisimile visum fuit quòd dictæ pecuniæ prout minores asserunt, versæ etiam fuerint in communem vtilitatem. ad *l. fin. C. de alimen. pupill. præstan.* Menoch. *præsupt.* 11. *num.* 1. *lib.* 6.

3 Minus sustineri quòd immò supradictæ assertioni non sit standum, cùm in casu isto clarè constet, quòd in societate scut. 600. Perrignanus recognouit bonam fidem pro scutis 150. & altera societas scut. 400. versa fuit in solutionem fructuum census, in quo supradicti patrui erant fideiussores, quia vltra quòd post impositionem huiusmodi census DD. de Cansacchis dicebantur recognouisse bonam fidem, quicquid sit de hoc placuit etiam responsio quòd minores non asseruerunt pro qua parte supradictæ societates ad ipsos spectarent, sed quòd fuerunt contractæ etiam pro seruitio ipsorum, quod sufficit in aliqua parte verificari posse ad sustinendam venditionem ex causa æris alieni, vt suprà solemniter factam. *cap. inter dilectos. de fid. instrumentor.* Calder. *cons.8. circa finem, de donat.*

4 Tanto magis, quia etiam domus erat communis, & licèt patrui in debito maiorem partem haberent, id ipsis imputari poterat in propria ipsorum portione, habito respectu ad pretium domus. *l. cùm in fundo. §. si fundus, ff. de iur. dot.* maximè vt inter eos seruetur æqualitas, quæ inter fratres est seruanda, vt per text. *in l. illud. C. de collationibus,* tradit Socin. *cons.98. sub num.2. vers. posthumo lib.1.*

5 Præterea quoad Sillam ex alio visa fuit cessare difficultas, quia de tempore contractus erat maior 20. annis, vt apparet ex libro Baptismi, qui probat ætatem. Caputaq. 314. *num.1. part.1.* Ioseph. Ludou. *decis. Perus. 57. nu.7. part.1.* In quo propterea non habet locum statutum Vrbis *lib.1. c.113.* quòd dum loquitur de minoribus, visum fuit intelligendum de minoribus 20. annis, secundùm dispositionem eiusdem statuti in præcedenti *cap.* 47. ad text. *in l. si cùm fundum. ff. de verbor. signif.* & faciunt deducta in Bononien. census 17. Martij 1608. coram Reuerendissimo D. Lugdunen.

6 Neque obstare quòd huiusmodi statutum non habiliret forenses maiores 20. annis ad contrahendum, ex allegatis corā R. P. D. meo Buratto in causa Tudertina, seu Romana nullitatis obligationis sub die 4. Iulij præteriti, quia satis est ad istum effectum quòd d. statutum *cap.113.* intelligatur de minore 20. annis, ita vt dum versamur in maiore 20. annis, cesset illius dispositio, & remaneat in dispositione iuris communis, de quo talis contractus ex solo iuramento sustinetur. *auth. sacramenta puberum. C. si aduersus vend.* & hoc casu tanto faciliùs esset standum assertioni contrahentis, ex quo etiam sine causa contrahere poterat. Put. *decis.245. lib.3.* Prout etiam nihil facit quòd contraxerit cum solemnitatibus, quia non vitiatur propterea contractus alias validus, ex *reg. c. vtile non debet, de reg. iur. in 6.* quæ maximè locum habet in contractibus. Tiraquell. *de retract. conuent. ad fin. tot. tit. nu.*145. Surd. *decis.248. nu.22.*

7 Quod autem dicebatur minores fuisse læsos ex quo promiserunt de euictione pro patruis, visum fuit cessare ex eo, quia patrui quoque promiserunt pro illis, adeò vt læsio ex hoc capite pro æquali promissione recompensata videatur, & venditio sustineri debeat stante causa necessaria æris alieni cum aliis suprà deductis. Ex quibus, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Romana spolij. Veneris 13. *Februarij* 1615.

ARGVMENTVM.

Spoliatus ante omnia restituendus, probatis duobus extremis; non tamen datur spolium contra possidentem, authore prætore, qui ritè, & rectè processerit, aliàs secus. Nulliter autem processisse dicitur procedendo contra minores, & pupillos indefensos, tutore & curatore carentes, & aliàs in decisione, in qua etiam plura explicantur, de caducitate emphyteusis, ob non solutum canonem, ob impositionem census in re emphyteotica, & ob non denegationem dominij.

SVMMARIVM.

Spoliare non dicitur qui in possessionem immissus fuit authore prætore, iustè tamen procedente, secus si iniustè, num.2.

Minores, & pupilli si fuerint indefensi in iudicio, omnia acta corrunt, ibid. in fine.

Citatio

Citatio facta curatori per affixionem domus non nocet pupillo, num.3.

Possessio nulliter data, reuocanda non est, quando constat de bono iure possessoris, ibid.

Possessionis causam mutare quis sibi potest ex superuenienti titulo sine ministerio iuris, ibid.

Emphyteotica res non cadit in commissum per non solutionem canonis, quando sic ex pacto conuentum est, nu.4.

Emphyteusis caducitas non potest declarari mortuo patre, qui canonem non soluit in præiudicium filij pupilli, ibid. in fine.

Emphyteusis caducitas non incurritur ex eo solùm quòd emphyteota rem emphyteoticam alteri hypothecauit sine consensu domini, num.5. ad finem.

Emphyteoticæ rei deuolutio an, & quando locum habeat ex denegatione dominij directi, num.6.

Rusticitas excusat à deuolutione rei emphyteoticæ per denegationem dominij directi in impositione census super re emphyteotica tanquam super libera, ibid.

Emphyteoticæ rei caducitas per denegationem dominij purgatur per pœnitentiam & contrariam declarationem, num.7.

Debitor sui ipsius, & creditor nemo esse potest, num.8.

Possessio nulliter capta conualidari non potest de iure Pontificio, aut Cæsareo, num.9.

DECISIO CLXIX.

1 ROta vtraque parte informante censuit sententiam iudicis Capitolini esse confirmandam, quia de eius iustitia constat ex eo quòd Anna & Vincentia domo paterna spoliatas esse reintegrandas, probatis concludenter duobus extremis pronunciauit. De primo satis constare visum fuit, tam per depositionem testium in hac causa examinatorum, quàm per instrumentum pro parte D. Euandri de Comitibus productum, in quibus legitur Herculem dictæ Annæ & Vincentiæ patrem, hanc domum possedisse, quæ possessio per patres vigore statuti Vrbis continuatur fauore filiorum hæredum, vt apparet ex mandato exequutiuo contra eos obtento. Secundum verò extremum satis euidenter probatum fuit ex possessione adepta per bon. mem. Ioannem patrem Domini Euandri, quæ similiter transit in filium hæredem, qui hodie litem sustinet.

2 Nec existimarunt Domini suffragari Domino Euandro quòd dicitur ipsius patrem immissum fuisse in possessionem dictæ domus, authore Prætore, qui non dicitur spoliare. *l. iustè possidet. ff. de acquir. possess.* Non enim verum est dum iudex ritè & rectè procedit, secus cùm euidentes adsunt nullitates. *l.4. §. condemnatum. ff. de re iudic.* cum vulgatis, & in hac immissione facta, non citata aliqua persona legitima, quæ comparere possit pro pupillis maioribus, immò infantibus. Fuit enim citatus quidam Sebastianus, de cuius cura vel tutela nullibi constat, & ideo non adito iudice, & non petito tutore, aut saltem curatore, omnia acta contra pupillos indefensos corruant necesse est. *l.2. §. si quidem aliquis. ff. qui petant tutores, vel curatores. l. si filius. C. eod. l. cum & minores. & l. 1. si aduersus rem iudicatam.*

3 Vltra quòd citatio multùm fuit vana, exequuta scilicet per domus affixionem, quæ à curatore non fuit specificata, sicque non potest afficere dictos pupillos. Nec obstare visum fuit quod dicebatur, non dari restitutionem in spolio contra possessorem immissum à iudice etiam nulliter, quando de eius bono iure constat, cuius vigore potuit ipsemet mutare causam possessionis tanquam nouo titulo superueniente sine iuris ministerio. Angel. *l. cum nemo,* & ibi gloss. *de acquiren. & retinenda possessione. l. non solùm. §. quod vulgo. ff. de vsucap. l.2. §. final. ff. pro emptore.* Et ex hac facti specie dicitur dictum D. Euandrum, superueniente nouo titulo, iure & deuolutionibus inuentis, exemplari capite hodie dictam domum sibi deuolutam posse licitè retinere. Censuerunt enim D D. nullum deuolutionis caput satis ad hunc effectum probatum fuisse à dicto Domino Euandro.

Et quo ad primam caducitatem prætensam ob canonem non solutum per triennium tribus modis responderunt Domini. Et primò considerarunt de anno 1582. dictam domum fuisse datam in emphyteusim Herculi lege præscripta, vt per nouennium non teneretur soluere canonem; sed dd. 9. annis elapsis, omnes decursos tunc elapsos solueret, & cùm immissio facta fuerit de anno 1594. mense Septembri, quo tempore ad effectum caducitatis non erat decursum tertium, al. leg. & facto inductum, antequam pœna caducitatis emphyteuta militetur incursa, iuxta *l.2. C. de iur. emphyteot. auth. qui rem. C. de sacrosanct. Eccles. cap. potuit, de locat.* cum aliis per Menoch. allegat. *in consil. 543.* Secundò posset dici caducitatem Hercule patre viuente nondum declaratam, non posse ipso mortuo cum pupillis declarari. Clar. *in §. emphyteusis. quæst. 8. vers. Præceptos.* Menoch. *cons. 1. num. 217.* fuit dictum in Romana prætensæ deuolutionis coram Cotta 13. Nouembris 1596. 4

Quod ad secundum caput caducitatis attinet, quæ prætenditur ob impositionem census ab Hercule facti, placuit respondendum, non fuisse prohibitum in instrumento emphyteusis omnem alienationem, cuius species vt impositio census, sed tantùm cessionem, & venditionem, & sic non est locus deuolutioni, quia qui censum imponit super domo, eam non vendit, nec cedit, sed solùm hypothecæ subiicit, ex qua l. expressè cautum non fuit, non inducitur caducitas, Ias. *in l. final. num.78. C. de iur. emphyteut.* cum aliis per Dominum Cor. Vlel. *de causa ob alienationem, limitatione 33. num.1. & seq.* 5

Nec constat denique tertium, & maximum Domini Euandri fundamentum, dum ait Herculem denegasse dominium directum in impositione census super dicta domo tanquam super libera incidisse in pœnam caducitatis irremissibilem. Responderunt Domini simplicem enunciationem in instrumento hominis rustici & imperiti factam inter alios, & non inter dominum excusare à deuolutione, cùm propriè non dicatur controuersum dominium, nisi scienter contra dominum id agatur, & non incidenter inter alios, vt ex multis firmat Corbul. *de caus. priuat. ob mendac. num.2.* 6

Constat etiam ex instrumento post biennium circiter factum, ipsum Dominũ Herculem in impositione alterius census acquieuisse liberè directum dominium D. Euandri, & ita ante litem contestatam potuit errorem suum corrigere, multoque magis impedire caducitatem nondum petitam. Angel. *in l. fin. n.5. ff. de rei vendic.* Felin. *in cap. cæterùm, vers.18. de iud.* cum aliis fusè allegat. *de caus. priuat. ob mendacium, n.13.* stante maximè quòd hæc deuolutio ob denegationé dominij respicit iudicis declarationem, cùm non incurratur ipso iure, vt per Specul. *§. nunc aliqua, q.63. n.82.* Bart. & alij *in l. fin. n.1. ff. de rei vendic.* D. Cordub. *n.17. de caus. priuat. ob mendac.* 7

8 In quam ſententiam eo libentiùs iuerunt Domini quòd hodie conſtat dictum cenſum poſſe dici extinctum nec ſuſtinere ampliùs, quia erat impoſitus ſuper domo, cùm ipſæmet Vincentia & Auna ſint hæredes ipſius, cui dictus cenſus debebatur, & ita confeſſi ſunt actiones penes ipſos hæredes, cùm nemo poſſit eſſe ſui ipſius debitor, & venditor. *l. ſi quis pro eo.§.item ſi filius.ff.de fideiuſſ.l.ſi vxor.C.de bonis auth.iud.poſſid.*Roland.*conſ.71.num.59.& 60.lib.2.* Ex quibus remed.D.Euandri ceſſat.

9 Ex quibus ceſſat obiectio facta ab informantibus pro D. Euandro in foro Capitolino obſeruari debere exactè ius ciuile, & non æquitatem canonicam. Conſiderarunt enim DD.nec Pontificio, nec Cæſareo iure poſſe validari poſſeſſionem nulliter captam, multoque minus induci caducitatem prætenſam nulla *l. fulcitam.* Fruſtrà enim pro purgatione moræ non dari iure ciuili dicitur, cùm nec etiam de ipſa mora conſtat ex ſupradictis.

Ex quibus ita fuit deciſum.

R. P. D. VEROSPIO.

Viterbien. tranſactionis. Veneris 20. Febr. 1615.

ARGVMENTVM.

Sumptus, & expenſæ litis non ſunt actori per reum ſubminiſtrandæ, niſi conſtito de paupertate, & bono iure litigantis, & quomodo ad iſtum effectum paupertas probata cenſeatur.

SVMMARIVM.

Sumptus, & expenſæ litis non ſunt ſubminiſtrandæ litiganti, niſi conſtito de paupertate, & bono iure, n.1.& 2.vbi quomodo,& iſto caſu probanda ſit paupertas.

Pauper olim, hodie non præſumitur pauper ad effectum, vt propter paupertatem ſint ſubminiſtrandi ſumptus, & expenſæ litis, num.3.

Alimenta non ſunt præſtanda Doctori Medicinæ, qui ex exercitio medendi poteſt ſe ipſum alere, ibid.

Alimenta non debentur de iure vbi quis aliunde viuere poteſt, num.4.

Sententia per appellationem ſuſpenditur, num.5.

DECISIO CLXX.

1 NOn fuit viſum Rotæ Coſmum, & Fauſtinam coniuges teneri ſumptus & expenſas litis Aurelio ſubminiſtrare, de cuius bono iure, & paupertate non apparet; cùm tamen ad hunc effectum de vtroque conſtare debuiſſet. *l.final.§.nam ſi talis,* vbi Bald. & Salicet. *C. de ordin. cognit.* Verall. *deciſ.20. n.2.lib.1.* Afflict.*deciſ.10.& 11.* Boër.*deciſ.324.& 325.* Molina *de primog. Hiſpan.lib 2.tit.16.nu.41.* Cardin. Seraphin.*deciſ.198.num.2.*

2 Et licèt paupertatem deducat Aurelius, ex quo ſibi fuerunt ſcuta decem quolibet menſe pro alimentis aſſignata, id tamen ad hunc effectum non ſufficit, cùm ſpecialiter ſit probanda paupertas, quòd expenſæ litis per illum ſolui non valeant. *§. ſed neque,auth.de fideiuſſ.*Bald.*in auth.præterea num.4. verſ.Quæro ergo,* vbi Salicet.*nu.4.C.vnde vir,& vxor.* Rota *deciſ.48.nu.3.part.2.diuerſ.*& fuit dictum in vna Auerſana Decanatus coram Clemente VIII. 24. Ianuarij 1582. Tanto magis, quia hæc ſimul non repugnant quòd Aurelius habeatur pro paupere, & nihilominus ferre poſſit litis expenſas, quæ modici momenti ſunt futuræ, cùm vnius dubij propoſitione, cauſa veriſimiliter poſſit expediri; & regiſtrum ſit tranſportatum, & integrè ſolutum à parte, vt in ſimili dictum fuit in Romana grani 11. Aprilis 1614. coram R.P.D.meo Buratto.

Præterea quamuis de tempore aſſignationis dictorum ſcutorum decem probata fuiſſet paupertas, non tamen infertur per neceſſe, quod etiam de præſenti ad effectum de quo agitur, ille pauper habeatur. Bart.*in l.ex diuerſo.§. vltimo num.9.ff.ſolut.mat.* Salicet. *in l.ex perſona.num.1. C.de probat.* Alciat.*de præſumpt.reg.2.præſumpt 27.num.5* Socin.ſen. *conſ.21. nu.42.lib.1.* Surd.*de alim.tit.7.quæſt.8.n.14.* Menoch. *de præſumpt.præſumpt 25.nu 6.& 14. lib.6.* cùm præſertim poſt dictam aſſignationem Aurelius Medicinæ Doctor euaſerit, & hodie ſit in arte medendi peritus. Angel. Aret. *conſil.95. num.12.& 21.* & fuit dictum in allegata deciſione coram R. P. D. meo Buratto.

Quo verò ad bonum ius, nec illud videtur apparere. nam ex quo dicti coniuges mediante tranſactione pro alimentis Aurelio promiſerunt quolibet menſe ſcuta decem. hæc promiſſio iuxta legis diſpoſitionem venit intelligenda, & per conſequens videtur ceſſare, cùm Aurelius arte medendi, quam hodie profitetur, veriſimiliter ſibi victum quærere valeat. Alimenta enim de iure non debentur, vbi quis aliunde viuere poteſt. *l. ſi quis à liberis. §. idem diuus. verſ. ſed ſi filius. & §. fin. ff. de liber. agnoſ.* Alex. *conſ.27. num.3.lib.3.* & fuit dictum in Spoletana vſusfructus 26.Martij 1592. coram bo.me. Cardinali Mantica.

Non obſtat ad bonum ius inducendum ſententia pro Aurelio lata reſpectu dictorum alimentorum. Nam vltra quòd illa patitur exceptiones, fuit etiam ſuſpenſa per appellationem. Surd.*de alim.tit. 1.q.110.num.8.*

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Bononien. de guidolottis. Veneris 3. Aprilis 1615.

ARGVMENTVM.

Hæreditas ſpectans ad monachum deffertur ipſo iure ad monaſterium ſine facto, & aditione monachi, & præſcriptio iuris adeundi contra monaſterium non intrat niſi ſpatio 40. annorum. Nepos ex ſorore mortua matre ſuccedit auunculo iure repræſentationis matris vnà cum materteris ex patruo, contra pupillum, nec exiſtentem in patria poteſtate, non intrat præſcriptio iuris adeundi. & in iudicio petitionis hæreditatis admittitur exceptio de iure tertij.

SVMMARIVM.

Monaſterio defertur hæreditas ſpectans ad monachum ipſo iure, & abſque facto, & aditione ipſius monachi ſecun-

secundùm opinionem communem Canonistarum, contra legistas, num.1. quæ opinio Canonistarum est communior, & fauorabilior Religioni, ibid.

Hæreditas superueniens seruo ad hoc vt acquiratur Domino, requiritur aditio serui, num.2.

Præscriptio contra monasterium etiam per lapsum 30. annorum super aditione hæreditatis non intrat, quia contra Ecclesiam non intrat præscriptio minor quàm 40. annorum, num.3.

Præscriptio iuris adeundi hæreditatem delatam monasterio ex persona monachi non intrat nisi per lapsum 40. annorum, nu.4.

Religio mõtis Oliueti habet priuilegium, vt contra ipsam non currat præscriptio minori tempore quàm 60. annorum, ibid.

Nepos ex sorore in successione bonorum subintrat in locum matris suæ prædefunctæ, & succedit auunculo iure repræsentationis, & concurrit cum materteris, & patruo, num.5. & 6.

Præscriptio non currit contra pupillum, & postquam pupillus excessit pupillarem ætatem ad inducendam præscriptionem subducuntur anni pupillares, nu.7.

Præscriptio non currit contra existentem in patria potestate, & quis existere in patria potestate de iure præsumitur, donec contrarium probetur, nu.8.

Exceptio de iure tertij in iudicio petitionis hæreditatis admitti debet ea ratione, quia cohæres non potest in solidum petere hæreditatem, quandiu alter cohæres adire potest partem suam, & ideò hæc exceptio opponi potest à reo, & possessore, nu.9.

Hæreditatis partes cohæredum non petentium accrescunt cohæredibus petentibus, dummodo constet de non aditione post lapsum temporis, vel de repudiatione, num.10.

DECISIO CLXXI.

1 POstquam sub die 20. Februarij præteriti, resolutum fuit ex sex portionibus, in quas erat diuidenda hæreditas quondam Antonij, duas spectare ad puellas de Guidalottis, videlicet portiones Valeriæ ipsarum matris, & Floriani filij Camillæ, qui ratam suam his puellis cesserat. Proposui dubium in Rota super aliis partibus; & Domini responderunt portiones Felicis, Iuniperæ, & Alexandri, non spectare ad has puellas. Quo verò ad portionem Plinij, licèt aliàs Rota coram R. P. D. meo Verospio resoluisset pro Domino Tomacello; tamen Domini voluerunt quòd decisiones reuiderentur. Et incipiendo à portione Felicis monachi Olluetani patrui Antonij, Domini non censebant spectare ad puellas, cùm ipsa sit delata monasterio, & absque facto & aditione monachi secundùm communem opinionem Canonistarum, de qua per Inn. Abbat. Burr. Felin. & alios *in cap. in præsentia*, vbi Felin. *n.58. de probat.*

2 Licèt contrarium sentiant legistę, videlicet quòd respiciatur factum monachi, quemadmodum ad acquirendam hæreditatem domino requiritur aditio serui, cui delata est hæreditas. *l.1. per seruum. ff. de success. edict.* & ita sentiunt legistæ *in l.1. ff. de vulgari, & pupill. & in l.3.* vbi Castren. *num.4 C. de hæredib. instit.* & de vtraque communi opinione legistarum, & Canonistarum, testatur Socin. *cons.81. num.1. lib.1.* & quòd opinio Canonistarum sit amplectenda tanquam magis communis, & fauorabilis Religioni, testatur post alios plures Stephan. Grat. *disceptat. forens. cap.363 nu.20. part.2.*

Nec dicebatur obstare monasterio, quòd à die mortis Antonij, quæ fuit de anno 1580. sint elapsi plusquam 30. anni, & regulariter ius adeundi præscribatur spatio 30. annorum. *gloss. in l. licèt. C. de iur. deliberan.* Put. *decis.57. nu.2. lib.3.* Quia placebat Dominis responsio contra Ecclesiam non currere præscriptionem minorem 40. annorum. *auth. quas actiones. C. de sacrosanct. Eccles.* Doctor. *in cap. de quarta,* vbi Abb. *nu.7. & in c. illud,* vbi Imol. *num.6. de præscriptionibus.* 3

Et in præscriptione iuris adeundi hæreditatem ex persona monachi delatam, Bero. *in d. cons. in præsentia, sub num.559. vers. Nam verius est. de probationibus.* præter quæ allegabatur etiam priuilegium Iulij III. fel. me. concessum Religioni montis Oliueti, vt contra ipsam non curreret præscriptio minori tempore, quàm 60. annorum, & hoc quoad portionem Felicis. 4

Quoad portionem verò Alexandri Asinelli filij Æmiliæ sororis prædefunctæ Antonij, Domini censebant ipsum subintrare in locum matris prædefunctæ, & succedere Antonio auunculo iure repræsentationis. *§. si autem defuncto. auth. de hæred. ab intest. ven. l. vnica. C. de his qui ante apert. tabul. §. cùm filius. Instit. de hæredit. quæ ab intest. defer.* cum aliis cumulatis per Surd. *cons.416. num.1.* in tertio. 5

Nec visum fuit obstare statutum Bononiense sub rubr. *de success. ab intest. ascenden. collateral. §. agnati quoque masculi, lib.4.* quia præsens casus, de quo controuertitur, non videtur expressus in hoc statuto, videlicet an sorores excludant natum ex alia sorore prædefuncta, vnde remanet sub dispositione iuris communis, secundùm quam repræsentat matrem prædefunctam, & concurrit in successione auunculi cum materteris & patruo, *auth. cessante. C. de legit. hæred.* cum aliis suprà allegatis, & in terminis dictum fuit in Bononien. successionis 10. Maij 1597. coram bo. me. Pacen. & tradit gloss. stat. in verbo *admittantur*, ponens casum de quo agitur, quando concurrit patruus, soror, & nepos ex sorore prędefuncta. 6

Nec contra Alexandrum potuit currere præscriptio ex eo quòd per triginta annos & vltra tacuerit; quia cùm tempore obitus Antonij esset pupillus, non superest tempus sufficiens ad præscribendum si subducatur tempus pupillaris ætatis, intra quod non potuit contra ipsum currere præscriptio. *l. sicut. C. de præscriptione triginta annorum.* Osasch. *decis.69. num.14.* Surd. *decis.4. num.1.* 7

Sed neque currere potuit præscriptio contra Alexandrum cùm esset in patria potestate constitutus, in qua durauit per multos annos, cùm non nisi ante paucos annos eius pater mortuus esse dicatur, *auth. nisi triennale, vbi gloss. penult. C. de bon. matern.* In qua patria potestate præsumitur de iure fuisse, donec contrarium probetur. Doctores per illum text. *in l. emancipati,* vbi Fulgos. Alexand. & Ias. *C. de collationib.* Angel. & alij *in l. sed si de se sua. ff. de acquir. possess.* Veron. *cautel.118. incip. quis in dubio.* 8

Nec etiam visa fuit releuans replicatio hanc exceptionem quòd dictæ portiones spectent ad monasterium, vel ad Alexandrum, esse de iure tertij, & ideo non posse allegari, quia in hoc iudicio petitionis hæreditatis talis exceptio admittitur, ea ratione, quia cohæres non potest in solidum petere hæreditatem, quamdiu alter cohæres potest adire partem suam, tunc enim potest talis exceptio opponi à reo & possessore, 9

vt in terminis est text. *in l.2. ff. si pars hæreditatis pet* la. è Thesaur. qui post longam disputationem resedit ab hac sententia, secundùm quam dixit senatum iudicasse. *decis.4. num. 8. vers. Tertiò faciebat.*

10 Et sic cessat obiectum quòd non petentium partes petentibus accrescant, quia ad hunc effectum requiritur non aditio post lapsum temporis, vel repudiatio, vt per glossam, *in l. vnica. C. quando non pet. part.*

Quoad portionem Iuniperæ, Domini dicebant cessare difficultatem, quia cùm ipsa pro sua parte adiuerit hæreditatem, non potest dici quòd dicta portio ad has puellas pertineat. Supererat portio Plinij, in qua licèt adsint tres decisiones Rotales coram R.P.D. meo Verospio, nihilominus Domini voluerunt eas particulariter reuidere.

R.P.D. VBALDO.

***Bonon. pecuniaria. Veneris 3. Aprilis* 1615.**

ARGVMENTVM.

Pupillaris substitutio trahitur non solùm ad bona testatoris, sed etiam ad bona pupilli vndecunque quæsita, quando, & quibus verbis concepta dicatur.

SVMMARIVM.

Sententia dicitur valida vbi in actis constat de iurisdictione, mandato & citatione, num. 1. in fine.

Instrumentum dicitur probatio probata, num. 2.

Confessione iudiciali nulla maior probatio, ibid. in fine.

Substitutio pupillaris quando, & quibus verbis concepta dicatur, num 4.

Substitutio pupillaris trahitur non solùm ad bona patris testatoris, sed etiam ad bona pupilli, num. 3. & 5. vbi ampliatur hæc conclusio etiam quòd eadem substitutio sit restricta ad hæreditatem testatoris.

Substitutio dicitur facta in tota hæreditate, etiam quòd testator hæreditatem in quotas diuiserit num. 6.

Hæreditas non adita non transmittitur ad substitutos, declaratur num. 7.

DECISIO CLXXII.

1 Testator instituta hærede Beatrice infanti, & in pupillari ætate, vel quandocunque sine liberis decedenti, substituit Germanicum, Blancham, & Isabellam hæredis matrem, singulos in tertia parte, pro qua Isabella, Horatius, & Valerius eius fratres promiserant Hieronymo testatori, Isabellæ marito dotis nomine libras octo millia, ex quibus solutis tantùm duabus millibus, & pro reliquis sex millibus dilata solutione testator decessit, mox Isabella: postremò decessit hæres instituta dum adhuc esset in infantili ætate: itaque substituti egerunt pro consecutione residui dotis delatæ filio in hæreditate materna, & consequenter ipsis substitutis, & cùm vltimam sententiam à Rota Bononien. pro se reportassent, causa in Curia deuoluta, dubitaui; an sententia esset confirmanda, vel infirmanda? & Domini pro confirmatione responderunt, informantibus tamen substitutis; de validitate enim non poterat dubitari, cùm in actis constaret de iurisdictione mandantis, & citatione ad sententiam. Vet. l. *decis.260. part.2.* & sæpe fuit dictum in Rota.

Quo verò ad iustitiam deducebatur, quia in primis de credito Isabellæ constat per publicum instrumentum, quod dicitur probatio probata, B... *in l. quoties in fine. C. de iudic. & in cap. consuluit nu... de offic. deleg.* Socin. *cons.2 num.2. lib.3.* Osasc. *decis. ... demont. 72. nu.4.* Honded. *cons.89. nu.16. lib.1.* Surd. *de... cis.177. num.4.* Quòd autem Isabella mater Beatricis decesserit ab intestato superstite Beatrice, q... fuit ipsius hæres, & quòd ipsa Beatrix decesserit ... pupillari, immò in infantili ætate, constat ex pro... pria confessione Horatij, & Valerij facta in iudicio, & acceptante ex aduerso procuratore, qua confes... sione præsertim iudiciali nulla, dicitur maior pro... batio. *l. generaliter. C. de non num. pecun. cap. at si cle... ci.* vbi Abb. & Dec. *in 4. not. de iudic. l. cùm te. Cod. ... transact.* Bald. *cons.142. col.2. lib.2.* cum aliis per Sur... *cons.60. nu.1. & decis.326. nu.28.*

Quòd autem Germanicus, & Blanca substitu... fuerint vocati ad totam hæreditatem Beatricis, p... tet, quia fuerunt substituti pupillariter. Certu... est autem substitutionem pupillarem trahi non so... lùm ad bona patris testantis, sed etiam ad bona pupilli, illi vndecunque quæsita. Bart. *in l.2. in prin... cipio num.30. ff. de vulg. l. sed & si plures. §. ad substi... tutos, eod. tit.* Socin. *cons.144. num.6. lib.1.* Paris. *cons... 59. num.4. lib.2.* Surd. *cons.48. num.7.* Honded. *cons.7... num.10. lib.1.* Menoch. *de præsumpt. lib.4. præsumpt.4... num.2.* Honded. *cons.73 num.10. lib.1.* Menoch. *de pr... sumpt. lib.4. præsumpt.48. num.2. & 10. & cons.303 nu... 13 & 57. lib.4.*

Nec dubitari potest quin hoc casu fuerit facta pupillaris substitutio; tum quia est facta mentio expressa pupillaris ætatis. ibi, *seu in pupillari ætate*, quæ est formula pupillaris substitutionis. *l.1. §.1. & l. qui liberis, in princip. ff. de vulg.* Ruin. *cons.103. nu.6. lib.2.* cum alijs per Card. Mantic. *de coniect. lib.5. tit.7. num.4. vers. Et si testator*; tum quia testator non solùm vsus est verbo communi *substituit*, sed etiam verbo directo *instituit*. Bart. *in l. Centurio nu.47. ff. de vulg.* Crass. *in §. substitutio qu.5. num.1. & 18.* Ouid. *de compendios. part.4. in ver. instituo, & in verb. substituo*; vnde eueniente casu pupillaris substitutionis, censetur data facultas substituto capere iure directo ex pupillari. Bart. *in d. l. Centurio num.38.* & ibi Alexand. *nu.45.* Ias. *num.54.* & fuit ponderatum in vna Firmana hæreditatis 12. Decembris coram R.P.D. meo Barratto, quæ fuit confirmata 23. Februarij præteriti, & hoc eo magis, quia hîc habetur illa clausula, vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum. Ripa *in d. l. Centurio num.171. vers. Item amplia.* Bart. *ibid. d. num.38.*

Neque obstat quòd testator videatur se restrinxisse ad hæreditatem suam, quia nihilominus est pupillaris substitutio, & illa restrictio habetur pro non apposita. *l. cohæredi. §. vlt. ff. de vulg. l. si ita scriptum. §. qui filio*, & ibi Bart. *ff. de bon. possess. secund. tab.* Castr. *in l.1. sub num.4.* & ibi Alexand. *num.7.* Socin. *num.11. in 2. cas. ff. de vulg.* latè Mantic. *de coniect. lib.5. tit.7. num.7.* de communi. Socin. iun. *cons.95. num.26. & 37. lib.1.* Honded. *cons.73. num.35. lib.1.* Menoch. *præsumpt.34. nu.12. & 13. lib.4.* Modern. Catan. *de substit. centur.1. quæst.86. num.76.* & fuit dictum in dicta Firmana hæreditatis.

Minus obstat substitutos esse vocatos in partibus, videlicet, quemlibet pro tertia parte, & sic videantur tantùm vocati ad hæreditatem testatoris, quia

quia cùm testator illam diuiserit in quotas, dicitur facta substitutio in tota hæreditate. Bart. *in l. Centurio*, *num.* 36. & ibi Ripa *num.* 157. Socin. Iun. *num.* 289. *ff. de vulg.* & dicit Rota in vna Vrbeuetana fideicommissi 27. Nouembris 1604. coram R. P. D. meo Decano, & sic in omnibus bonis pupilli vndecunque quæsitis ex suprà allegatis, & habetur per Corn. *cons.* 138. *sub num.* 10. *lib.* 3. Socin. iun. *cons.* 110. *nu.* 34. *lib* 3. Odd. *de compend. part.* 5. *art.* 3. *sub num.* 33. *vers. sed tene communem.* Rota *decis.* 181. *nu.* 5. *part.* 2. *diuers.*

7 Nec refragari videbatur quòd hæreditas Isabellæ non fuerit adita per pupillam, nec per eius tutores, & ideo non potuerit transmitti ad substitutos pupillæ hæredes, sed spectet ad proximiores matris; quia omissa illa quæstione, quæ de iure communi non modicam habet difficultatem, an saltem substituti veniat admittendi beneficio restitutionis in integrum, iuxta *l. Pantonius. ff. de acquir. hæred.* de qua per Thesaur. *decis.* 88. *num.* 5. *&* 6. Surd. *decis.* 138. *nu.* 10. latè Odd. *de restit. in integr. part.* 1. *quæst.* 50. *art.* 8. Crass. *in §. transmissio*, *quæst.* 29. *num.* 15. cum aliis allegatis per informantes, hoc casu videbatur cessare obiectum; tum quia in capitulis à parte confessatis, vt suprà, continebatur quòd Isabellæ remansit, & fuit hæres Beatrix eius vnica filia; tum propter statutum Mutinen. disponens quòd si vlla hæreditas, vel ius aliquod hæreditarium deferatur alicui mulieri in quacunque ætate constitutæ, & ipsa hæreditas, vel ius hæreditarium, non fuerit ab ea acquisitum, si tamen acquiri potuerit, transmittatur, & transmissum ipso iure intelligatur esse, & sit ad quoscumque hæredes suos, vel extraneos ex testamento, vel ab intestato; vnde cùm consideretur à statuto sola potentia adeundi, quæ in Beatrice habente tutores non deerat, intrat clara transmissio ex dispositione dicti statuti.

Et ita fuit decisum.

ILLVSTRISSIMO D. CARD. CAMERARIO.

Romana retractatus vineæ 30. *Aprilis* 1615.

ARGVMENTVM.

De retractu in prædiis rusticis vigore constitutionis Gregorij XIII. vt locum habeat, quænam requirantur, & adimplenda sint, & præsertim nunquid locum habeat in venditione voluntaria, sicut in coacta, & cum quibus qualitatibus.

SVMMARIVM.

Retractus vinearum, & sic in prædijs rusticis, vt locum habeat vigore Bullæ Gregorij XIII. quænam adimplenda sint, num. 1. 2. 3. 4. *&* 23.

Retractus vigore constitutionis Gregorij XIII. vt locum habeat, nunquid intimatio vicino facienda sufficiat eam fecisse, domi dimissa copia, an verò debeat esse personalis, num. 4.

Citatio domi dimissa copia sufficit vbi citandi præsentia haberi non potest, nu. 4. *vbi declaratur hæc conclusio.*

Retractus in prædijs rusticis vigore Bullæ Gregorij XIII. nunquid habeat locum in spontanea venditione, videtur quòd sic, num. 5. *&* 6. *contrarium, nu.* 7. *& seqq.*

Extensio fit secundùm qualitatem, & naturam extensi post num. 4.

Retractus prædij rustici in vim constitutionis Gregorij XIII. nunquid suffragetur vicino, cuius fundus non sit maioris pretij mensuræ magis cultus, aut ædificijs magis conspicuus, prout in fundo Vrbano, num. 6. *& seqq.*

Verisimile quod non est, falsitatis habet imaginem, ibid. ante finem.

Retractus constitutio cogens vicinos ad vendendum, non est exorbitans à iure communi; imò est admissa de iure diuino, de consuetudine, de iure communi antiquo, & de iure feudorum, num. 8. *& seqq. & num.* 20. *vbi quòd est fauorabilis.*

Lex, seu constitutio corrigens præcedentem constitutionem, seu legem, recipit interpretationem, seu constitutione correcta, num. 14. *vers. lex enim.*

Extensio facienda est de casu ad casum, ex identitate rationis expressæ in constitutione, num. 17.

Interesse, & præiudicium modicum Princeps non attendit, nu. 18. *vers. nec habetur in consideratione.*

Dictio quoque, est implicatiua præcedentium, num. 19. *in fine, & num.* 21. *vbi quòd in dubio iudicandum est esse retractui locum.*

Clausula decreti irritantis, *& clausula* sublata, *impediunt, ne iudices valeant aliter interpretari, quàm dicitur in constitutione, in qua adsunt tales clausulæ, num.* 21.

DECISIO CLXXIII.

Domini Stephanus, & fratres de Rota obtinuerunt monitorium ex Bulla Gregoriana super retractu, contrà per Illustrem D. Tiberium de Caualleriis ad eis retrocedendum vineam ipsis contiguam emptam ab hæredibus D. Curtij Broggiæ, quod exequi fecerunt die 25. Februarij, & 6. Martij 1614. Ipso autem Monitorio prima vice executo, Illustris D. Tiberius sub die 4. Martij intimari fecit dictis fratribus pro omni eorum iure, & interesse, huiusmodi emptionem, & intimationem reproduxit die sequenti vnà cum instrumento rogato Moschenio; deinde sub die 6. iurauit iuxta formam Bullæ; venditores verò die 8. contenta scilicet in instrumento esse vera, & non intercessisse dolum, fraudem, simulationémve. In termino 15. dierum à die iuramentorum fratres declarauerunt velle præferri iuxta formam Bullæ, & velle hanc vineam vnire, & incorporare cum eorummet vinea, & se obligarunt in forma Cameræ, & ei intimari fecerunt hanc declarationem, & citari fecerunt ad recipiendam quandam particulam pretij soluti in actu stipulationis instrumenti, cùm reliquum pretium non fuerit solutum, sed solui promissum ad omne beneplacitum venditorum, aliàs mandari deponi, prout in termino deposuerunt. Facta autem visione vinearum, & assignato termino partibus ad probandum. Pro Illustri D. Tiberio præuia citatione fuit producta fides solutionis totius pretij, & fructuum recompensatiuorum pro rata temporis sub die 21. Aprilis, & pro fratribus de Rota parte citata ad recipiendum fuit die 5. Maij depositata eadem summa pecuniarum; & quia pro eodem Illustri Domino Tiberio fuit deinde producta fides solutionis laudemij debiti Dom. Quintiliano de Cardulis proprietario

vineæ controuersæ, & facta intimatio aduersariis de huiusmodi solutione sub die 22. Maij domi dimissa copia, iidem fratres habita notitia aliter, vt dixerunt, quàm per intimationem, quam habuisse negarunt, præuia citatione ad recipiendum, deposuerunt eandem summam pro laudemio die 16. Iunij, sicque post 15. dies à die intimationis. Datisque articulis, & examinatis testibus probarunt vicinitatem, quodque earum vinea sua impensa colitur, est maioris pretij, & mensuræ, magis culta, in eaque adesse ædificium; in controuersia verò nil aliud nisi quandam vascam discoopertam, &c. Cumque pluries discussa fuerit causa partibus, Procuratoribus, & Aduocatis hinc inde informantibus fuit reducta ad duo dubia.

2 Primum super processu, an fatres de Rota dicantur non adimpleuisse contenta in Bulla, vt propterea ab illius commodo excludendi veniant ex eo quòd infra 25. dies à die intimationis non soluerint, nec deposuerint pecuniam pro laudemio solutam. Alterum super meritis, an Bulla, quæ signanter in §.12. vult vicinos posse cogi ad vendendum vineas, aut canneta iis, qui propè illas vineas habent, concurrentibus qualitatibus ibi expressis, prouideat in casu spontaneæ venditionis, vt est casus noster, vt vicini possint retrahere concurrentibus, vel non concurrentibus qualitatibus.

3 Quò ad primum diximus non adesse defectum implementi inducentem amissionem commodi Bullæ. Quia obligatio implementi infra secundos 15. dies à die declarationis factæ expressos à Bulla *in* §.8.*versic. Rursus*, respicit ea, quæ soluta fuere tempore, & in actu celebrationis instrumenti, & non deinde, vt aliàs sensimus de anno 1612. in Romana retractus domus pro Rectore parochialis S. Nicolai in Agone cum D. Antonio Nigro, & intelligi debet de pretio soluto venditori, vel alteri de eius mandato, non autem de laudemio non soluto, sed soluendo de iure domino directo; quin potiùs visum est, quòd D. Tiber. non coactus non debuisset soluere alterando statum causæ, cùm lite iam contestata non potuisset ei aliquis defectus imputari, si auctoritate legis, auctoritate Principis dubium iam erat, an vinea ei esset remansura, præter quòd ante intimationem pro parte Illustri D. Tiberij factam præcesserat monitorium pro fratribus contra eundem D. Tiberium personaliter executum, vt propterea fratres intimati deinde ad declarandum, an vellent præferri, potuissent dicere se satis declarasse per monitorium, & vlteriùs non teneri; quodque satis fuisset si soluissent, vel deposuissent infra annum à die monitorij, vel scientiæ, vt censuit Rota in Romana retractus coram Reuerendiss. Bononien. 18. Iunij 1610. tam in principio, quàm in finalibus verbis ipsius decisionis.

4 Minus placuit in istis terminis, quòd intimatio fuerit executa domi dimissa copia, vt ex ea fratres constituerentur in tali mora soluendi, vel deponendi pecunias pro laudemio, quòd aliàs caderent à beneficio Bullæ; sed sensimus personalem executionem isto casu fuisse necessariam, nisi constitisset præsentiam haberi non potuisse. Bart. *tract. de citat. num* 3. *in l.* 4. §. *Prætor ait, num.* 2. *& tribus seqq.* vbi addentes. *ff. de damno infect.* Abb. *cons.* 84. *sub num.* 1. vbi de communi, & licèt quando quis semel comparuit in iudicio, soleat sufficere citatio domi facta ad actus successiuos; potest tamen dici secus esse, vbi agitur de iis, quæ sunt grauis præiudicij, & citandus non latitet, vel se non absentauerit. *c. fin. de eo, qui mit. in possess. cap. quoniam.* §. *sunt & a* vbi gloss. *in vers. citari non possit. vt lite non contest. c. causam quæ*, vbi Abb. *sub num.* 5. *etiam de comm. dolo & contum.* tenent Doct. relati à Tiraquell. *de tract. lignag.* §. 9. *gloss.* 2. *num.* 2. quod minus vis est habere dubitationis ex Bulla nostra generale formam præscribente in dicto §. 8. intimationes licet, & perquisitiones fieri debere personaliter reperti fuerint intimandi: si autem duorum cur rum, seu mandatariorum diligentia commodè periri non poterunt, domi dimissa copia, & si fu rint absentes, per edictum seruata forma ibi tra ta, & maximè cùm appareat intimationem, de q agitur, fuisse factam, vt non minus præiudicij reparabilis esset allatura, quàm illa, quæ primo l co facta est, & probabile etiam videtur fratres intimatione notitiam non habuisse, cùm enim timati priùs deposuerint totum pretium, & fructu verisimile non est, si de hac notitiam habuissen minimam quantitatem non deposuissent.

Quoad secundum dicebatur pro Illustri D. Tib rio, Bullam non intrare ad fauorem istorum vicin rum prætendentium præferri in spontanea vend tione vineæ controuersæ. Quia Bulla i. §. 12. de p diis rusticis loquens dat solummodo formam, modum cogendi vicinos ad vendendum vineas, canneta, non autem disponit super prælatione, se retractu in voluntaria venditione, & cùm de iu quisque sit rei suæ moderator, & arbiter, *l. in re man data, C. mandat.* cum vulg. Bulla hæc tanquam co rectoria iuris communis non debet extendi de ca coactæ ad casum spontaneæ venditionis. *l. iubemu* §. *fin.* vbi Bald. *ff. ad Trebell.* Honded. *cons.* 1. *num.* 4. *lib.* 1. præsertim cum facilè fuisset Summo Pontifi id exprimere si voluisset.

Accedat quòd discretiuè fit mentio in hoc §. 1 de rusticis prædiis in hæc verba: *In rusticis quoq prædijs vt*, &c. vt propterea dicendum videatu quòd superiùs nihil fuerit depositum de rustici sed vrbanis tantùm, quamuis *in* §. 6. *& in* §. 8. dictu fuerit de fundo, & solo, ad Bald. *in l. in multis, nu mero* 4. *ff. de stat. hom.* Gabr. *cons.* 60. *num.* 6. *lib.* 2. cu aliis per ipsos allegatis. Vnde aut dicendum est ca sum istum spontaneum venditionis esse omissum, relictum sub dispositione iuris communis, vt sic li berum fuerit dictis hæredibus vendere cui sibi ma gis placuit. *l. dudum. C. de contrahenda empt. d. l. in re mandata. Cod. mand.* aut quatenus posset per ex tensionem dici inclusus, id sit intelligendum cu qualitatibus requisitis in coacta, quia extensio fi secundùm qualitatem, & naturam extensi. Bart. *in l.* 1. §. *& post num.* 5. *ff. de oper. nou. nunc. gloss. fin. in cap. fin. nec clerici vel monachi*, vbi Butr. & Abb. *num.* 1 Grammat. *tract. de extensionibus, num.* 134. Ruin. *cons.* 37. *num.* 11. *lib.* 3. Cum autem in coacta requiratur in ter cætera, quòd vinea volentis cogere sit non so lùm maioris pretij, & mensuræ, & magis culta sed structuris ædificiorum conspicua, & tantoper aliam superet, vt inter vtramque sit magna inæqua litas iudicio Camerarij & magistrorum viarum, & vinea fratrum de Rota agentium non sit talis, sed habeat tantummodo domunculam, seu statiuncu lam rusticam cum vascis, res videtur clara, quò obtinere non possint; alioquin si vicinus in rusti cis posset retrahere etiam non concurrentibus qualitatibus, esset melioris conditionis quam vi cinus in vrbanis, qui debet se obligare ad ædifican in §.

in §.8. & hoc cùm verisimile non sit, ex quo Bulla fauet principaliter vicinis in vrbanis propter ornatum, qui est finis principalis ipsius Bullæ, dicitur habere falsitatis imaginem. Boër. *conf*.40.*nu*.48. Rota *de test. decis*.23. *in antiq. cap. non est verisimile. extrà de præsumpt.* esset item melioris conditionis casus tacitus, subauditus, vel subintellectus per extensiuam vel comprehensiuam interpretationem, quàm casus expressus ad literam, contra text. *in l. licet. ff. in quibus caus. pign. tacit. contrahatur.* Et quatenus vinea actorum in aliquo excederet controuersiam, non sufficeret, quia Bulla requirit, quòd copulatiuè in omnibus ibi expressis tantopere superet, vt magna sit inæqualitas inter vtramque.

7 Sed re maturè, vt dicebat, discussa, censuimus Bullam intrare, vt scilicet casus prælationis, qui diceretur, si venditio esset in fieri, vel retractus, qui propriè est casus noster, cùm venditio sit facta secũdùm Solsen. in Lucerna laudemij 3. *quæstione principali, vers. præterea habemus, sub nu*.4. sit in ea comprehensus, etiam quòd non concurrerent qualitates, quæ requiruntur quando agitur via coactiua.

8 Resolutio ab eo pendet, quòd licèt Bulla nostra in quantum cogit inuitos ad vendendum, sit exorbitans à iure communi, non tamen talis censenda sit, dum certo generi personarum pro re sponte vendita retractum concedit, quin potiùs contineat dispositionem statutam de iure diuino, communi, & consuetudinario, vt propterea dici non possit isto casu tractari de extensione ex paritate, vel identitate rationis, quo casu esset facienda extensio cum qualitatibus, sed de comprehensione etiam ex maioritate rationis, vt scilicet Bulla fauens vbique vicinis etiam in materia coactiua contra omnes communis iuris regulas comprehendat multo magis retractum in casu spontaneæ & non inuitæ venditionis, secundùm regulas ipsas iuris communis, quo cautum est, vt mox demonstrabitur, quòd sufficiat vicino pro prælatione, & retractu obtinendi oblatio eiusdem pretij sine aliquibus qualitatibus, seu conditionibus.

9 Quòd de iure diuino sic præceptum fuerit, probant tres text. legis Mosaïcæ *Leuit. cap*.25. *ad nu*.25. *Ruth cap*.4. *ad num*.3. *& Hierem. c*.32. *ad num*.7. quibus mandatur propinquos in casu venditionis admitti ad redimendum seu retrahendum, quod deducitur, ad ostendendum in genere retractum viguisse ex lege Mosayca, licèt appareat id dispositum in fauorem propinquorum sanguine, quoniam hoc concesso facile posset idem admitti in fauorem vicinorum, pro quibus est par ratio, ex *l. si in emptionem* 36. *cum gl. in vers. maiorum. ff. de minorib. in l. si cui fundus* 56. *cum gloss. in verb. confines ff. de leg*.2. ad quod alludit statutum Mediolani, mandans compromitti differentias inter vicinos, quod aliàs inter consanguineos fieri solet, vt ex Signorolo *cons*.32. *in fin.* testatur Illustr. Card. Tusc. *pract. conclus. iur. tom*.8. *in verb. vicini conclus*.200. *nu*.6.

10 De consuetudine etiam approbata à iure canon. constat ex *cap. constitutus, de in integr. rest.* vbi res, & bona alienata possunt per agnatos infra tempora à consuetudine Parosinensi præstituta redimi, & recuperari, & ibi gloss. *in verb. consuetudinem*, quam consuetudinem vigere penes omnes ferè gentes, testatur Tiraq. *de retract. lignag. in præfatione in princip.* asserens id seruari nedum in tota Gallia, in qua constitutiones Imperiales pro lege seruari non solent, sed in vniuersa penè Italia.

De iure autem communi Iurisconsult. illi antiqui qui etiam ante aduentum Christi per trecentos annos vicinitatem tanti habuerunt, siue fuerit propter ampliationem, siue propter commoditatem; aut potiùs propter malum vicinum, & scandalum euitandum, vt censuerint nostra interesse fundos vicinos etiam supra iustam æstimationem habere, ne alius extraneus habeat. ita text. *in d. l. si cui fundus* 56. *in fine. ff. de leg*.2. & ibi glossa ad idem *in l. quod sæpe* 35. §. *fin. de contrah. empt.* vbi in venditione prædij, si celatus fuerit confinis, propter quem emptor non emisset, tenetur venditor. text. *in d. l. si in emptionem* 36. *& ibi gloss. in verb. maiorum. ff. de min.* vbi propter solam affectionem minor restituitur si sciuerit se superari in pretio rei emptæ *in l. fin. C. de agri. & mancip. lib*.11. non admittente quemlibet ad emendum agros priuati patrimonij Imperatoris, ex quibus iuribus inferebat Bald. habentem malum vicinum, malum quoque habere matutinum, *in tract. de iure protim*. §.7. *sub num*.1. *vers*.3. *Ratióque Sixti*, ibi, *alia etiam ratio*, facit text. *in l. vnica, C. non licere habitat. metrocom. eod. lib*.11. excludente extraneos ab emptione prædiorum villæ mensuratæ, *in* §. *insula. Instit. de rer. diuis. in l. insula* 56. *ff. de acquir. rerum dominio*, concedente alueum fluminis recedentis proximo vicino, *in l. prima, ff. de priuil. leg. credit.* disponente cognatum inter creditores præferri extraneis, vbi bona debitoris vendantur, ex quibus dixit Fabian. de Monte *tract. de empt. & vend. qu*.3. *principali, vers. vigesimò quæro, nu*.41. quòd cæteris paribus teneatur quis potiùs vendere vicino, quàm alteri, aliàs posset appellari, deducens alias leges, & auctoritates, de quibus ibi per eum, & Carpan. *ad statutum Mediol. cap*.417. *sub num*.555. *in vers. vel rem contiguam habent*, &c. proximiorem in vicinitate præferri remotiori, ex dispositione iuris communis, ex tradit. per Bald. *in tract. de iure protim. in rubr. num*.8. *& seq.* Tiraquell. *de retract. lignag*. §.11. *gloss*.2. *in princip.* testatur de hoc eadem met *l. dudum, C. de contrahend. empt.* in quantum asserit in princip. quòd dudum concessum erat proximis & consortibus extraneos emptores remouere: & licèt Imperatores istius legis conditores superiorem, seu antiquam legem ibi cassauerint, statuentes, vt vnusquisque possit pro suo arbitratu quærere vel probare emptorem, vt aliàs statutum reperitur, quòd in re propria quilibet sit moderator, & arbiter, *d. l. in re mandata. C. mand.* cum vulg. subiunxerunt tamen statim, nisi lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit, sic ponentes in ventre ipsiusmet legis exceptionem, quam continet Bulla nostra, prohibens certas personas vicinas, scilicet vendere extraneis, quoties vicini præferri velint; quæ dicta sint quatenus nec adesset alia lex posterior, quæ circa hanc exceptionem disponeret; sed successit deinde Federicus Imper. qui super hac materia constitutionem edidit insertam hodie in corpore iuris inter leges additas ad tres vltimos libros Codicis, *ad vsus feud. lib*.5. *tit*.13. post leges Longobardorum, quæ est lex *sancimus, de iure protim.* disponens ad litteram, quòd in alienatione debent præferri post proximiores ibi expressos, oblato solo pretio, extranei. Si sint coniuncti coniunctione reali, seu vicini, vt declarat ibi Bald. in pluribus locis, & præsertim *in versic. sed pone, quòd quis num*.20. *&* 20. & Iacob. Noueil. *in princip. num*.2. vbi subiungit, quòd per hanc leg. *sancimus*, reducimur ad ius antiquum, cui 11

derogatum erat per *l. dudum*, & ante Nouell. Afflict. *in rubr. vers. in contrarium*, *num.* 7. dicens per istam legem posteriorem correctas esse omnes leges antecedentes, in ea quæ præscribitur forma obseruata ab iis, qui præferri, vel retrahere volunt, vt fit in Bullis Apostolicis superinde emanatis absque eo quòd concurrere dicantur qualitates, seu conditiones aliquæ.

12 Nec potest controuerti de viribus istius legis, cùm sit constitutio Imper. quemadmodum sunt omnes leges Cod. quæ commentata apparet à summo; omniúmque consessu celeberrimo Iurisc. Bald. de Vbald. à ducentis annis vltrà, sub tract. *de iure protim.* vbi ius eam appellat, *n.* 2. *&* 5. & constitutionem *num.* 1. *qu.* 10. *&* 11. præsertim ibi, ex quo d. const. *sancimus*, *& nu.* 13. Eam publicè interpretatus est in studio Neapol. Matthæus de Afflict. vt ipse profitetur in præfatione sub tract. seu tit. *de iure protim.* præmittendo totum text. ad literam, & Iacobus Nouel. sub simili tract. seu tit. *in princip.* vbi testatur communiter affirmari, quòd fuerit vltima lex, seu constitut. Federici Imper. per quam reducimur, vt dicebatur, ad ius antiquum, illiúsque verba esse ponderanda, quia si Iurisconsult. leges cum tanta iustitia, & ratione factæ sunt, vt iniustitia in eis inueniri non possit; multo magis id dicendum est de Imper. constitut. quæ diuinum in se numen habere credendum est, ex auctoritate Andr. de Iser. *in cap* 1. *vers. ad felicem. quæ sint regal. in vsibus feud.* pro lege illam citat Ioan. de Arnon, *singul* 34. *in princip. & singul.* 56. *etiam in princip.* & Ioan. Franc. de Castillo sacri consist. Regni Sicil. *decis.* 89. *in princip.* hanc allegat Tiraquell. *de retract. lignag. in præfatione*, *num.* 2. asserens Oldendor. virum doctissimum illam legisse *in lib. de iur. & æquit.* & referens *nu. seq.* plures, qui eam commentarunt, suamque consuetudinem Gallicanam illinc esse depromptam, esseque secundùm dispositionem iuris diuini, communis, & consuetudinarij inter cæteros relatos, testatur Afflict. *in rubr. sub n.* 1. Nouell. *in princip. num.* 18. *& seqq.* & Tiraquell. *in d. præfatione*, *num.* 2.

13 In quem sensum diuersi Romani Pont. pro ornatu almæ Vrbis, & districtus diuersas constitutiones particulares ediderunt, quæ vtiles admodum, & necessariæ fuerunt pro forma præscribenda compellendi emptores extraneos ad restituendum res emptas vicinis tam respectu temporis, quàm interpellationum, intimationum, & instrumentorum; non enim regionibus omnibus conuenire poterat modus in ipsa *l. sancimus* præscriptus, Sixt. videlicet IV. *constit.* 11. & post Alexand. VI. & Iul. II. Leo X. *const.* 13. *in Bullar. vol.* 1. vbi recenset totum tenorem ipsius Bullæ Sixti IV. & *in §. Ac volumus, circa fin.* statuit ius istud in specie retrahendi ex dicta Bulla admitti debere etiam in prædiis rusticis vicinis per decem milliaria ab Vrbe absque qualitatibus, vel conditionibus aliquibus ad confouendum eos, qui iam cœperunt speciosa viridaria facere, & vineas plantare, aliosque animandum; & post Pium IV. & Pium V. qui contrarias super hoc ediderunt constitutiones, emanauit constitutio hæc nostra Gregor. XIII. quæ antiquatis, & abrogatis constitutionibus aliorum Pontificum vnica constit. vti magis accommoda his temporibus complexa est omnia, quæ ab illis ad publicum Vrbis, illiusque districtus ornatum sic comprehendendo etiam expressè prædia rustica sub ratione ornatus, aëris salubritatem, ac priuatorum etiam commoditatem prouidè tunc fuerunt ordinata, præcisis verbis in fine principij vtens, vt sic constet, quòd intentio Bullæ nulla alia est, nisi fauere vicinis pro ornatu Vrbis, nitore ruralium, vt declaratur *in hoc §.* 12. accipiendo nitorem pro ornatu; honesta hominum commoditate, salutarique animi, & corporis refectione plusquã inquilinis, de quibus *in §.* 9. & plusquam dominis directis, seu proprietarijs, ex iis, quæ habentur *in §.* 11.

Si igitur de iure communi competit retractus pro spontanea venditione tam in vrbanis, quàm in rusticis prædiis, probata sola vicinitate, & oblato pretio, idemque statuerit etiam Leo X. ductus ratione respectu rusticorum inuitandi subditos ad faciendum speciosa viridaria, & plantãdum vineas; non est visum, quòd secus potuerit sentire Gregorius noster, qui iisdem rationibus ductus hanc constitut. edidit, & intentum est assecutus, siquidem ab anno 1574. quo edita est, citrà, tot vineæ sunt plantatæ, totque speciosa viridaria facta, & quotidie plantantur, & fiunt, vt hodiernum tempus illud excedat ad centies, & millies, vberrimusque fructus almæ Vrbi inde accreuerit, & quotidie accrescit pro vino, vt ibi omnes ferè vino forensi vti cogebantur, hodie auctis vineis solo vino Romano etiam pretioso pro viliori pretio vti valeant. Lex enim hæc nostra corrigens constit. Leonis, & aliorum, recipit interpretationem à lege correcta. Bart. *in l. sciendum num.* 1. & post alios Ias. *in princip. post num* 4. *vers. amplia istam regulam*, *ff. qui satisd. cog.* Felin. *in cap.* 1. *num.* 19. *vers. primus quando de const.* Card. Tusch. *pract. conclus. iur. tom.* 5 *litera L. conclus.* 239 *num.* 1. 3 5. 6. 20. *&* 27. vbi plures allegat. Et hunc sensum semper habuit hoc Tribunal Camerarij, & Mag. vt nec inuenerimus sententiam vnicam latam in contrarium per annos 40. sic quoque tentum fuit in C. Apost. quoties per recursum à prætensis grauaminibus Camer. & Mag. causæ in plena Camera sunt introductæ saltem per annos 30. licèt ab annis decem citrà auditum sit quandoque Cameram in contrariam partem inclinasse, ex aliquo fortè particulari motiuo, quod sapientissimos illos Patres ad aliter sentiendum mouere potuerit.

Confirmatur iste sensus ex eademmet Bulla *in §.* 6. *&* 8. in quibus agitur de coacta, & voluntaria venditione respectiuè in vrbanis, & statuitur, quòd pro coacta concurrere debeant qualitates, si res non sit solita locari; si verò sit solita locari, nullæ requirantur qualitates, sed solùm debet augeri pretium ad duodecimam partem; pro voluntaria verò sola vicinitas & pretij solutio, vel depositum sufficiat etiam absque augmento, vt non sit præsumendum Papam secus voluisse in rusticis prædiis. Nec ob id potest dici melioris conditionis retrahere volens in rusticis, quàm in vrbanis, nec casus tacitus, vel subintellectus, quàm expressus, vt pro contraria parte dicebatur, & si retrahens vrbana teneatur, promittere, & se obligare ad ornandum, quia & in rusticis retrahens tenetur vnire, & incorporare vineam retractam cum propria vinea, prout formiter se obligarunt fratres de Rota in actis; etiam cum oblig. Camer. & ex ista vnione, & incorporatione resultat nitor, qui pro ornatu sumitur, etiam vbi de coactiua agitur, & cum ornatu confunditur in Bulla *in d. fine proœmij*, ibi, *ad vrbis illiúsque districtus ornatum*; sternuntur enim fractæ, seu sepes intermediæ; implentur formæ, seu foueæ, & fiunt vialia ampla, ex quibus omnibus causa-

causatur maior aëris salubritas, & maior salutaris animi & corporis refectio, vt considerata etiam priuata commoditate concurrere dicantur omnes rationes expressæ in dicto proœmio Bullæ, quæ propterea dicuntur finales ipsius Bullæ. *l.* 1. vbi Bart. *ff. ad Maced. l. fin.* vbi Bart. & Doctor. *ff. de hæred. instit.* Rub. Alexand. *consi.* 147. *num.* 13. Decius *consi.* 675. *num.* 9.

16 Et cùm rationes eædem considerentur in coacta, quæ in spontanea venditione, tam in vrbanis, quàm in rusticis, si in rusticis, quando agitur per viam coactiuam ex §. 12. non adest obligatio ædificandi, quæ nec accommodari posset cannetis, ad quorum vend. Bulla mandat ibi posse cogi vicinos, nec visum est posse dici obligationem adesse, quoties agatur per viam retractus ex spontanea venditione, alioquin duriùs ageretur cum eo, qui non cogit inuitum, sed rem sponte venditam retrahere intendit, secundùm iuris communis dispositionem, quàm cum eo, qui inuitum cogit per constitutionem particularem contra communes regulas; quod cùm absurdum appareat, admitti non debet. *l. aliud est*, §. *absurdum*, vbi Dec. *ff. de reg. iur.* cum simil. constat tamen ad intellectum, quòd si quis habeat vineolam, non facilè inducitur ad fabricandum; si verò vineam amplam, facillimè induci potest, vt quotidie videmus, ad fabricandum, ne dum pro habitatione vineareoli, sed pro sua delitiosa, vnde fauere debemus retrahere volenti, & de duabus vineolis vnam amplam facere, vt sic inuitetur ad fabricandum, sed non cogatur, nulla lege hoc præcipiente.

17 Stringit, quòd rationes, propter quas Bulla edita est, sunt expressæ in Bulla in fine principij, seu proœmij vt sæpiùs tactum est, siquidem ratio expressa in lege facit, vt censeantur comprehensi omnes casus, in quibus militat eadem ratio. *l. libertum*, §. *Senatusconsult. ff. de ritu nupt.* qui est text. in iure melior, & menti tenendus, secundùm Cassad. *decis.* 1. *sub numer.* 2. *vers. facit quia*, vbi plures cumulat, *de rerum permut.* Hieron. Gabr. *consi.* 134. *num.* 11. *lib.* 2. & ampliat dispositionem, maximè si sit expressa in proœmio. Rota *diuers. decis.* 234. *num.* 2. *part.* 2. & in casu nostro militat ne dum eadem, sed maior ratio, quia Bulla cogens inuitum ad vendendum, multo magis debet concedere prælationem, seu retractum ex venditione spontanea, & propterea intrat comprehensio, non extensio. Crescen. *decis.* 2. aliàs 218. *num.* 2. *de success.* Cald. *consil.* 1. *in princip. vt lite pend.* Surd. *decis.* 62. *num.* 25. dixit Camera in Rom. retractus 8. Octobris 1601. coram R. P. D. Biscia *in decis.* quæ circumfertur, *in princip.* Ratio enim præsertim expressa est, quæ disponit de Bulla, & prior fuit in potentia, quàm ipsa Bulla, cùm propter rationes edita fuerit: non autem Bulla est, quæ disponat de ratione; & portat pondus totius Bullæ. Tiraquell. *tract. cessante causa part.* 1. *sub litera L. num.* 138. *& seq.* vbi de more sexcentos allegat, illiúsque verba intellectui, & rationi debent accommodari, non è contra. Stephan. de Feder. *tract. de interpr. iur. part.* 3. *num.* 2. *cum dub. seq. & numer.* 22. vbi docet sensum illum capi debere, qui magis ordinatur ad finem, & propositum subiecti, refert, & sequitur Bald. *d.* §. 7. *sub numer.* 2. *versi. ratio Sixti.*

18 Quæ & faciliùs admittenda censuimus, cùm satis apertè constare credamus in spontanea venditione cessare causam, propter quam Papa voluerit qualitates requiri in coacta venditione, potuit enim videri nimis durum, quòd quis inuitus simpliciter & ex quolibet animi motu vicinorum cogeretur vendere rem propriam, ad quam solent homines affectionem habere, siue proprio labore sit parta, siue ex successione maiorum habuerint; volens tamen Princeps ex rationibus expressis hanc coactionem concedere, rigorem temperauit, vt non simpliciter, non in omni casu cogi quis posset; sed quoties qualitates appositæ concurrerint: sed cessat affectio, cessat rigor in casu voluntariæ venditionis, vt propterea cessare debeat etiam concursus qualitatum; nihil enim interest venditoris, quòd vinea retrahens sit locata, vel ne. Sit maioris pretij, maioris mensuræ magis culta ædificiorum structuris conspicua, & his omnibus alteram vineam contiguam ita superet, vt magna sit inter eas inæqualitas si eam alienauit. Nec habetur in consideratione emptoris, quia cùm ei pretium restituatur, est modicum præiudicium, quod Princeps non attendit, vt in terminis dicit Afflict. *de iure protim. in rubr. vers.* 8. *Princeps, num.* 10. confert text. *in d. l. dudum, Cod. de contrahend. empt.* vbi Imperatores antiquam legem cassantes habuerunt in consideratione interesse venditoris, vt posset quærere, & probare emptorem suo arbitratu, non autem emptoris. Et tollitur omne dubium. Quia aut admittitur, quòd casus iste sit comprehensus, aut non. Si est, vt verè esse ex prædictis constat, non est vlteriùs quærendum: si non est, sed dicatur casus omissus, qui propterea debeat remanere sub dispositione iuris communis, vt pro contraria parte deducebatur, adhuc idem est, quia de iure communi sic cautum reperitur, ex *dicta l. sancimus, de iure protim.* vel ex const. Leonis X. quæ etsi abrogata sit per constitutionem nostram, potest nihilominus allegari, vt superiùs demonstratum est; cùm enim non correxerit constitutionem Leonis in hoc puncto disponentem simpliciter, quòd retractus admittatur in rusticis prædiis absque expressione, seu concursu aliquarum qualitatum, recipit distinctionem in hoc à lege antiqua correcta: Alexand. *consil.* 101. *num.* 19. *lib.* 3. Cardin. Tusc. *dicto tomo* 5. *littera L. conclus.* 259. *num.* 27.

Non obstat quod deducebatur ex eodem met §. 12. in quo discretiuè loquitur Bulla de rusticis prædiis cum dictione *quoque*, quasi quòd nihil superiùs fuerit de rusticis dispositum, ex Bald. *in d. l. in multis, num.* 4. *de stat. hom.* ex Gabriel. *consi.* 69. *num.* 4. *lib.* 2. Quia præter quod apparet Papam habuisse casum istum pro indubitabili, & dictio *quoque* refertur nedum ad §. 6. loquentem de coactiua in vrbanis; sed ad §. 11. immediatè præcedentem; quo contra omnes iuris regulas cogitur dominus directus vendere suam proprietatem, suum directum dominium emphyteutæ ædificare volenti propter solam rationem ornatus vel nitoris, quæ sic concurrit, & verba illa, *illud obseruetur*, possent fortasse induci, vt innuant, quòd in rusticis prædiis obseruentur omnia, quæ superiùs contenta sunt in constitutione, ex quo dictio *illud*, iuncta cum dictione *quoque*, dicatur implicatiua præcedentium. *l. seruum quoque, in princip. ff. de procurat.* Surd. *decis.* 264. *nu.* 20. sufficit quòd casus iste ex rationibus expressis sit comprehensus, vel quatenus dici posset omissus, debeat decidi in puncto, iuxta constitutionem Leonis X. vel dispositionem *d. l. sancimus, de iure protim.* quæ dicitur ius commune, vt probatum est. 19

Accedat constare ne dum ex rationibus expressis in proœmio, sed dispositiuè *in* §. 20. Bullam nostram fauorabilem censeri tam in iudicio, quàm ex- 20

trà, cum decreto irritanti, & clausula *sublata*, vt eam fauorabilem appellat Rota diuers. coram Robust. *decis.276.ante num.1.& prope fin.part.2.* & propterea cùm agatur de sensu eorum, quæ superiùs in Bulla statuta sunt, an scilicet Bulla loquens expresse de coactiua in rusticis, cum certis qualitatibus intellexerit concedere retractum in spontanea sine qualitatibus; est facienda interpretatio quæ magis faueat ampliationi, & ornatui, seu nitori; alioquin restringeretur hæc dispositio fauorabilis contra regulam *odia.de reg.iur.in 6.* Restringerentur enim, & excluderentur agentes si pro ampliatione & nitore, pro honesta commoditate, pro salutari animi, & corporis refectione, rarò daretur casus pro retractu, non inuitarentur sic homines ad vineas colendas, ad fabricandum in eis, pro fauore publico.

21 Nec visum est posse intrare arbitrium, vt sæpiùs inculcauit procurator Illustr. D. Tiberij, quia cùm dispositio sit fauorabilis, etiam quòd resolutio posset apparere dubia, esset nihilominus facienda in fauorem agentium pro retractu, & contra ipsum D. Tiberium retractum impugnantem ex prædictis, &c. Præsertim cùm sint apposita decretum *irritans*, & clausula *sublata*, quæ impediunt ne iudices valeant aliter, quàm isto fauorabili modo interpretari. *cap.si eo tempore, de elect.in 6.* Cassad. *super reg. Canc. decis.12.sub num.5.* Put. *decis.48. num.6.& decis. 386. lib.1.* secundùm vltimam impressionem. Rota diuers. *decis.24.numero 55.& 149. num.2.part.2.* Capyc. *decis.9.in fin.* Card. Tusc. *tom.1. littera C. conclus.344.& 345.* Præter quòd nunquam cognouimus tantam libertatem arbitrij in iudicando, quamuis enim se offerret articulus ita disputabilis, quòd hincinde deduceretur communis opinio, non per hoc credidimus arbitrium nobis esse in quam partem vellemus iudicare, sed rationes & auctoritates hinc inde deductas bene examinare, & partem illam, & non aliam sequi, quæ intellectus, & non voluntas, omnibus bene discussis, & speciali diuino auxilio implorato percipiat & retineat meliores, & vrgentiores habere, errare non cognoscens, sícque auditur tenere Rotam.

22 Tandem in casu isto videtur etiam quòd ex abundanti concurrant qualitates requisitæ in coactiua. Quoniam constat ex testibus examinatis pro actoribus ne dum de vicinitate, sed quòd eorum vinea est maioris pretij, & mensuræ, magis culta, sua impensa colitur, & in ea adest ædificium; licèt enim ædificium hoc non possit dici modo aliquo structuris conspicuum, vt requirit Bulla in coactiua, quia tamen in vinea controuersa nullum adest ædificium, sed quædam tantùm vascha, potest videri quòd sufficiat. Et quamuis parum, & nihil soleant æquiparari. *§.1.Instit.de l.Falcid.* Mars. *singul.276.* tamen hoc non est sic simpliciter intelligendum, sed solet recipere interpretationem, vt dixit Rota diuers. post plures quos allegat *decis.202. numer.15.part.2.* & cùm Bulla requirat, quòd vinea cogens superet ædificiorum structuris, & conspicuitate vineam cogendam, satis colligitur præsupponere casum duriorem pro coactis, quòd scilicet in vinea cogenda sint etiam ædificia, vt comparatio fieri possit, quia comparatiuum supponit positiuum. *l.vbi autem non apparet. de verbor.obligat.* Et propterea quamuis ædificium existens in vinea actorum sit paruum, est tamen considerabile respectu alterius, in qua nullum adest, tantúmque propterea abest dici posse, quòd paruitas ædificij istius sit notabilis respectu alterius, vt in suo casu considerabat Rota paruitatem notabilem non adesse; quòd potiùs dicendum sit esse debere in magna consideratione, cùm in vinea actorum adsit saltem stantia habitabilis etiam tempore nocturno qualis qualis sit, quod non contigit in alia, in qua nec tectum aliquod reperitur pro reparatione in casu superuenientis pluuiæ; & quemadmodum videretur absurdum, si habens ædificium conspicuum posset cogere vicinum habentem aliud ædificium bonum, non tamen ita conspicuum, & non posset cogere illum, qui nullum haberet ædificium, sic quoque videretur, si habens ædificium non conspicuum non posset cogere nullum habentem, & inuitari ad ornatum, seu nitorem ad ampliationem, & ad fabricam etiam conspicuam faciendam, maximè stante quòd dispositio est fauorabilis, non coagustanda, sed amplianda, vt suprà retulimus: confirmatur iste intellectus ex verbis ipsiusmet §.12. in quo disponitur, quòd ne dum possint cogi ad vendendum, qui habent vineas vicinas, sed etiam canneta disiunctiuè, ibi, *vineas, aut canneta*; & propterea constat, quòd si quis vult cogere vicinum habentem cannetum sine vinea, vt quotidie contingit, debet audiri, & obtinere, etsi in canneto cogendo nullum soleat adesse ædificium.

Nec facit aliquid oblatio, seu obligatio facta pro Illustr. D. Tiberio in calculo ferendæ sententiæ de ædificando in hac vinea controuersa, quia id est præter præscriptum Bullæ in terminis nostris, licèt desideret quòd omnes inuitentur, & nos attendimus statum, qui erat tempore Monitorij emanati pro parte actorum, & intimationis factæ pro parte Illustr. D. Tiberij; cuius alteratio nec augere, nec minuere potest resolutionem, cùm statim sit ius quæsitum partibus, & res effecta litigiosa in hac actione in rem scripta, non autem personali, vt post alios Bald. *de iur.protim. §. 4. sub numero 7.versic. & pro hac opin. & quæst.1. num.2.* & aliàs fuit dictum in Romana domus pro loco pio pauperum puellarum sanctæ Euphemiæ contra D. Andream Albertinum.

R. P. D. MANZANEDO.

Romana fideicommissi de Paluzzellis. Luna 4. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Singularis, & magistralis decisio est, in qua præcipuè explicatur, an, & quando in fideicommissis agnatorum appellatione veniant filij, & alij descendentes; an verò solùm transuersales per masculinam lineam coniuncti, & an, & quando filij agnati, & alij consanguinei in conditione positi censeantur vocati: ad eam semper recurre in contingenti casu.

SVMMARIVM.

Agnatorum appellatio capi potest in genere, & in specie: in genere capta quos comprehendat, & quos in specie num.2. & 3. & seqq.

Agnato-

DECISIO CLXXIV.

Postquam per duas resolutiones captas 28. Februarij 1611. & 8. Iunij 1612. fuit firmatum constare de fideicommisso ad fauorem fratrum de Paluzzellis, repropos ui ad instantiam DD. de Massa, non semel, sed pluries idem met dubium; & tam propter magnam molem scripturarum quæ vtrinque dabantur, quàm propter diuersas Dominorum sententias, non potuit capi resolutio vsque in hodiernam diem, quo causa reproposita super eisdem, & partibus hinc inde acriter informantibus, & omnibus Dominis de ordine Rotæ causam diligenter discutientibus, súmque suffragium præstantibus, fuit resolutum standum esse in prædictis decisionibus ex iuribus, & fundamentis in illis adductis. 1

Quibus nec obstare visum fuit, quæ de nouo in contrarium adducebãtur. Et in primis, quòd quamuis nomen *agnati* possit capi in genere, & tunc comprehendat etiam filios, ac omnes alios descendentes, & collaterales per masculinum sexum coniunctos, etiam capitur in specie, & magis propriè, & tunc comprehendit tantùm transuersales per lineam masculinam, iuxta iura expressa *in* §. 1. *Instit. de legit. agnat. success. & in l. 2. §. agnati. ff. de suis & legit. hæred. & in authen. de hæred. ab intestat. venien. collat. 9. in princ. versi. quia igitur, & in §. si igitur. vers. reliquum est*, & vtrobique DD. & Menoch. *consi. 424. num. 2. & 3.* Vnde cùm versemur in fideicommisso, & sic in materia odiosa, interpretatio videtur faciẽda stricta, & dictum nomen *agnati* capiendum in specie, ita vt illius appellatione veniant tantùm transuersales, iuxta tradita in decisionibus Ariminen. fideicommissi 17. Ianuar. 1614. coram D. meo Verospio, & 23. Martij istius anni coram D. meo Dunozet, in quibus fuit firmatum appellatione filiorum non venire nepotes, maximè ad inducendum fideicommissum, cùm non ex natura nominis filiorum, nepotes sub illo comprehendantur, sed potiùs interpretatione iuris, iuxta text. *in l. iusta. de verb. signific.* & sic filiis sub nomine *agnati* non comprehensis ex supradictis inferebant statutum Vrbis non intrare, cùm tantùm filios, non verò transuersales in conditione appositos vocatos disponat. 2

Fuit enim responsum, verum esse, appellatione *agnatorum* in genere venire filios, & descendentes, insimúlque transuersales per virilem sexum coniunctos, iuxta text. *in princ. versi. sunt autem. Inst. de legit. agnat. tutel.* ibi, *sunt autem agnati cognati per virilis sexus cognationem coniuncti, quasi à patre cognati. & in l. Iurisconsultus. §. nomen cognationis, vers. cognati sunt, & quos agnati lex duodecim tabularum appellat, sed hi sunt per patrem cognati ex eadem familia. ff. de grad. affinit.* 3

Vnde cùm agnati sint ex eadem familia patris, sequitur filios esse agnatos, cùm appellatione familiæ veniant filij, iuxta text. expressum *in l. fin. C. de verb. signific.* ibi, *Decernimus familiæ nomen talem habere vigorem, parentes & liberos, omnésque propinquos per hanc appellationem significari, & l. pronunciatio. §. fin. ff. de verb. signif.* notant Dec. *in l. 2. nu. 71. ff. de reg. iur.* Cephal. *consi. 386. nu. 10.* Roland. *consi. 100. nu. 13. lib. 1.* & aliis citatis per Peregr. *de fideicõmiss. art. 22. nu. 26.* 4

5 Et quòd filij sub nomine *agnati* comprehendantur, quia & ipsi sint patri agnati, probat expresè text. *in l.filius patri agnatus proximus est. ff. de suis & legit.hæred.* cum aliis in prima decis. in ista causa facta adductis. Idémque desumitur ex prædicta *l. Iurisconsultus* §. 1. *vers. proximiores & agnati sui dicuntur.* Vnde agnationis nomen continere omnes personas cuiuscumque gradus per virilem sexum coniunctas, descendentes, ascendentes, & transuersales, firmat expresè Peregr. *d.art.22.num.25.* Laur. de Pin. *consi.12.nu.3.* Ruin. *consi.153.nu.10 lib.2.* Mant. *de coniect.vlt.volunt.lib.8.tit.12.& nu.20.* secundùm nouam impressionem. Ex quibus elicitur iuxta proprietatem nominis *agnati*, tam filios, & descendentes, quàm transuersales comprehendi.

6 Nec obstant iura in contrarium adducta, & superiùs relata, quibus legitur nomine *agnati* tantummodo transuersales comprehendi. Respondetur enim hoc ex eo euenisse, quia Imperator Iustinianus antequam aggrederetur titulum *de legit. agnat. success. Inst.* in proxima præcedenti rubrica disseruerat de hæreditatibus quæ ab intestato deferuntur, vbi *in* §. 1. disposuerat nominatim de filiis, nepotibus, & pronepotibus, sicque in specie de illis egerat. Vnde postea prosequendo in titulo proximè sequenti materiam legitimæ successionis, egit de agnatis etiam in specie, non quasi de filiis, & descendentibus, de quibus iam discretiuè egerat, sed tanquam de transuersalibus sub nomine *agnati* comprehensis, ex quo non sequitur filios sub nomine *agnatorum* in genere prolato non comprehendi. Et eodem ordine proceditur *in d.auth.de hæred.ab intest.venien. & in d.l.2.* §. *agnati*, aliàs mentio in prædictis iuribus discretiuè de filiis antea facta superflua esset, provt in simili rerum appellatione omnia continentur, nempe & causæ, & iura, & sic etiam personæ. *l.1. in fin. ff. si cert. pet. l. rei 23. ff. de verb. signif.* Et tamen si sit facta mentio rerum, & personarum discretiuè, tunc appellatione rerum non continentur personæ. text. *in l.1. ff. de stat.homin.* in hæc verba, *omne ius quo vtimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.*

7 Et hinc etiam resultat responsio ad obiectum desumptũ ex rubr. *An agn. vel fil. in vsib. feud.* quòd quia discretiuè in dicta rubr. agitur de filiis, sub nomine *agnati* non veniant ibi nisi transuersales. In casu verò nostro nulla mentio facta fuit de filiis Alexandri, sed tantùm de agnatis, consanguineis, & affinibus illius, vnde nimirum si sub isto nomine *agnatis* genericè prolato, etiam ipsius filij comprehendantur.

8 Quin & tali casu censentur inter reliquos agnatos primo loco filij vocati, iuxta text. *in d.l.2. in princip.* ibi, *Post consanguineos admittuntur agnati, si consanguinei non sunt.* & paulò inferiùs ibi, *sed hoc sic erit accipiendum, si nec sperantur esse.* Cæterùm si vel nasci consanguineus, vel de captiuitate reuerti potest, agnati impediuntur. *ff. de suis & legit.hæred.* vbi consanguineus præfertur agnatis, quamuis ex supradictis sub nomine *agnationis* in genere, & consanguinei comprehendantur.

9 Quin non est dubium nomen *consanguinei* comprehendere etiam omnes à patre ortos, & sic filios, nepotes, & descendentes, iuxta tex. *in l. si spurius.* ibi, *quia consanguinitatis.* Itémque agnationis iura à patre oriuntur; provt & notat *gl.1. in l. consanguinitatis. C. de legit.hæred.* & facit text. *in l.1.* §. *post suos. ff. de suis & legit.hæred.* Abb. *consi. 69.nu.2.* Peregr. *d.art.21.nu.35.* Quod & benè probat text. *in d.l.2.* superiùs ponderatus, quatenus consanguineos dicit esse præferendos agnatis, & ibi agnatos intelligi transuersales, provt *in* §. *proximo, incip. agnati autem.* ergo consanguineos intellexit descendentes, cùm aliàs frustrà discretiuè de agnatis, & cõsanguineis lex disponeret, & per consequens satis patet ex *d.l.2.* consanguineos filios, & descendentes præferẽdos esse aliis agnatis, & sic transuersalibus. Quod etiam probauit text. *in* §. *cæterùm, in fin. Inst. de legit. agnat. success.* & in terminis notat Mantic. *d.lib 8.tit.12.num.22.vers. sed ego subsisto,* & Peregr. *d.art.22.nu.25.vers. seruatis tamen gradibus,* per text. *in l. cùm ita* §. *in fideicom. de leg. 2.* Vnde mẽtio facta in casu nostro de agnatis in genere, ita comprehendit filios descendentes, & transuersales, vt inter ipsos gradus prerogatiua sit seruanda, & sic filius priùs censeatur in conditione comprehensus, & veniat admittendus.

Quod clariùs in nostro casu subiecta materia necessariò exposcit. Nam ex istis agnatis consanguineis & affinibus positis in conditione tantùm filij possunt dici vocati stante statuto Vrbis; ergo cùm filij comprehẽdantur ex supradictis sub nomine generico agnatorum, sequitur quòd illis extantibus ad ipsos tantùm sit hodie conditio de agnatis restricta, & tantummodo in illis veniat verificanda.

Nec obstat quòd sicut non censeantur vocati alij agnati, & consanguinei Alexandri; ita non debeant censeri vocati eius filij, ne eadem dispositio diuerso iure censeatur. *l. cùm hoc iure ff. de vulg. & pupill.* Dicta enim regula non procedit militante diuersa ratione in vna, quàm in alia. Paris. *consi.110.n.5.lib.3.* & latè post alios Roland. *consi.74.n.13.lib.2.* Nec minus procedit si concurrat in vna maior fauor, quàm in alia. Roland. *d.consi.74.n.14.* Vnde cùm in filiis militet ratio beneficij illis concessi; non autẽ aliis agnatis ab statuto, & cùm sit fauorabilius consulere successioni filiorum, quàm aliis remotioribus & transuersalibus, siue agnatis, siue cognatis, sequitur nõ esse locũ supradictæ regulæ; & quòd isti filij censeãtur in casu nostro vocati, licèt secus sit in aliis agnatis.

Nec etiam obstant decisiones Ariminen. superiùs relatæ, quibus probatur appellatione filiorum non venire ex natura vocabuli nepotes, nec in genere, nec in specie, cùm aliter filij, aliter nepotes appellentur, iuxta text. *in* §. *fin. Inst. qui testam. tutor. dar. poss.* & quando appellatione filiorum admittuntur nepotes, hoc venit impropriè, & per extensionem, ad text. *in d.l. iusta,* cum aliis adductis in eisdem decisionibus. In casu enim nostro filij sub nomine *agnatorum* non veniunt impropriè, aut per extensionem; sed ex natura nominis *agnatorum* generici cõprehendentis propriè ipsos filios tanquam sub suo genere, sub quo propriè illius species continetur. *l. si quid earum.* §. *inter emptorem. de leg.3.* cui speciei, nempe filiis, conuenit diffinitio agnatorum, nempe, *agnati, sunt cognati virilis sexus ab eodem orti,* vt *in d.l.2.* §. *agnati. ff. de suis & legit.hæred.* cum aliis iuribus superiùs & in prima decisione adductis. Quibus stantibus bene in casu nostro appellatione *agnatorum* comprehenduntur filij.

Minus facit quod dicitur ex eo nomen *agnatis* in isto castro esse restringẽdum in species ad transuersales tantùm, cùm versemur in materia odiosa, nẽpe in fideicõmisso inducendo. Quia fuit responsum verba vniuersalia, quæ & sui natura sunt apta plures significationes comprehendere, retinere etiam in odiosis propriam significationem, & generaliter intelligi. Calder. *consi.1. de consang. & affin.* Aym. alios referens *consi.118.nu.12. cum seqq.* Rot. *decis.233.nu.9.part.1.*

Nec

14 Nec visum fuit intrare obiectum contra secundam decisionem in ista causa factam oppositum, nempe quòd si filius venit ad successionem alicuius extranei ad illam agnoscendam, habet tantùm centum dies, vt *in l.1.§.si quis autem. ff. de success. edict.* quod secus est si veniat ad agnoscendam successionem paternam, quia tunc habet annum de iure prętorio, vt *in d.l.1.§.largius tempus*, vnde inferebant, quòd cùm filij Alexandri veniant ad successionem extranei, nempe Isabellæ testatricis, licèt veniant tanquam agnati, non sint considerandi filij, & per consequens non comprehendantur sub dispositione statuti Vrbis, quod tantùm admittit filium positum in conditione censeri vocatum. Fuit enim pro responsione dictum, veram esse conclusionem text. *in d.§ si quis autem.* sed nihil in contrarium in dicta decisione fuisse firmatum, cùm ibi ad probandum quòd persona filij sit attendenda, siue ille veniat ex capite liberorum, siue agnati, siue cognati, fuit dictum quòd annus datus filiis ad agnoscendam successionem paternam, competit ipsis, siue succedant ex capite liberorum agnatorum, vel cognatorum, iuxta text. *in d.§.largius tempus*, cum aliis iuribus in dicta decisione adductis. Et intentum decisionis fuit non demonstrare quibus filiis competat annus, quibus verò centum dies tantùm, sed probare qualiter qualitas filiationis attenditur in filio, quamuis veniat ex capite agnatorum, vel cognatorũ, quod verificatur in filio venięti ad successionem paternam, ex adductis in dicta decisione. Quibus ad idem nũc additur text. *in l.de bonis, §.huic autem, ff.de Carbon. edict.* ibi, *Huic autem edicto locus est, etiam si ab intestato ad bonorum possessionem veniant liberi, tametsi ex inferioribus partibus petant, qua legitimi vocantur, quoniam sui sunt, vel ex illa quæ cognatis datur*; & tradit Cuiac. *in d.§.largius*, ibi, *Datur autem eis annus quoquo iure ad bonorum possessionem veniant, etiam si non veniant quasi liberi, vel quasi parentes. Itaque liberis datur, etiam si petant vnde legitimi, & quòd eundẽ annum habent parentes si veniant vt manumissores, non vt parentes, iuxta text. in d.l.1.§ sed & si pater. eod. tit. de success. edict.* Hactenus Cuiacius. Itaque dicta 2. decisio nec firmat successionem extranei, sed tantummodo firmat filios nõ amittere iura filiationis, quãtumcumque veniant non vt liberi, quod demonstrat, & probat in filiis venientibus ad successionem paternam, vt in eadem decisione. Vt ex hoc inferatur in statuto Vrbis censeri vocatos filios quantumcumque venientes sub nomine agnatorum, & in eodem Domini hodie steterunt.

15 Et pro illius roboratione de nouo ponderarunt tex. illiúsque rationem *in d.l.1.§.nõ solùm*, vbi etiam filiis qui per seruum acquisierint bonorum possessionem secũdum tabulas, datur annus, quamuis ipsi non sint instituti, nec petant suo nomine, & reddit rationem text. ibi, *Persona est enim ea quæ meruit hoc beneficium, quæ bene applicatur nostro casui, cùm dispositio statuti volens filios positos in conditione censeri vocatos, intelligatur, siue veniant nomine agnatorum, vel consanguineorum, vel quoquo alio, dummodo tamen filij sint, persona enim est ea quæ meruit hoc beneficium, quæ bene applicatur nostro casui, cùm dispositio statuti volens filios positos in conditione censeri vocatos, intelligatur siue veniant nomine agnatorum, vel consanguineorum, vel quoquo alio, dummodo tamen filij sint. Persona enim est ea quæ meruit hoc beneficium, & de qua statutum disposuit, nec est facienda vis in verbis, quo scilicet nomine fuerint positi in conditione, sed in substantia quòd sint filij, quæ stante comprehenduntur sub statuto.* Ex quibus infertur argumentum optimè procedere, nempe, agnatus est positus in conditione, filius est agnatus; ergo est positus in conditione. Et hoc non est arguere de genere ad speciem, est agnatus; ergo filius, vt ex aduerso prætenditur, sed de specie ad genus, quod est validissimum.

Minus obstat illud motiuum quòd licèt vera sit conclusio quòd in relictis conditionalibus, quale est istud de quo agitur, si Alexander decessisset sine agnatis, &c. sit attendendum tempus purificatæ cõditionis, ita vt si illo tempore reperiantur agnati Alexandri, censeantur vocati. Alex. *cons.22.nu.3.& 4. lib.3.* Dec. *cons.217.circa fin.* & quamplurimis relatis hanc dicit veram, & receptissimam Cach. *cons.71.nu.14.* tempore enim euenientis conditionis cedit dies relicti, & locus est substitutioni. *l.si post. & l.si dies. ff. quand. dies legat. ced.* Peregr. *d.art.22.num.69.* & hoc quamuis non essent nati de tempore testamenti, si tamen post mortem testatoris reperiuntur in rerum natura, prout in casu nostro euenit, filius Alexãdri, iuxta text. *in l.si cognatis. ff. de reb. dub.* Nihilominus ista communis sententia limitatur, nisi tẽpore mortis testatoris essent aliqui de eisdem positis in conditione, illi enim essent præferẽdi iis qui postea nascerentur, & reperirentur in rerum natura de tempore purificatæ conditionis, cùm præsumantur magis dilecti à testatore, iuxta Curt. iun. *cons.37.n.11. & seq. & cons.58.n.5. & 6.* cui assentiunt Mant. *d.lib.8.tit.12.n.22.* & Menoch. *cons.106.n.42. & 70.* cum omnibus seq. Quamuis Ceph. *cons.659.nu.24.* firmet parui faciendam esse prædictam doctrinam Curtij, & tantùm attendendum tempus purificatæ conditionis, quin & Surd. illam confutat, *cons.125.nu.22. & 23.* & Peregr. *d.num. 69.* circa prædictam distinctionem Curtij maturiùs cogitandum esse putet. 16

Sed omissa ista disputatione, & admissa sine veri præiudicio destitutione Curtij iunioris, Domini illam intellexerunt procedere in terminis *d.l.si cognatis*, & sic quando sunt vocati agnati, vel cognati testatoris, in quibus potest considerari maior, vel minor dilectio erga iam natos tempore testamenti, secus si fuerint vocati agnati alicuius tertij, vt in casu nostro, in quo vocantur agnati Alexandri, erga quos non potest considerari maior affectio testatricis circa iam natos, quàm circa nascituros, vt in terminis tradit, & prosequitur Torniell. *in l.Gallus.§.quidam rectè*, in parte, qua distinctè disputat quæstiones super *eodem §.num.43.vsque ad num.46. ff.de liber. & posth.* qui omnino istam quæstionem, prout Rota, isto casu resoluit. Maximè quia Isabella testatrix ex eo Alexandrum proprio filio Laurentio sine filiis decedenti substituit, omissis propriis consanguineis, agnatis & cognatis, quia maximo amore Alexandrum maritum suum prosequebatur, & in tantum processerit, vt non solùm maritum dilexerit, quin & in marito, & propter ipsum eiusdem mariti agnatos, consanguineos, & affines illos in prædicta conditione apponenda, vnde cessat præsumptio maioris dilectionis in testatrice erga agnatos Alexandri de tempore testamenti, quàm postea natos. Torniell. *vbi suprà.* 17

Ad obiectum verò quòd versemur in casu mixto, quatenus nomen agnatorum potest referri ad filios, & descendentes, & etiam ad transuersales, & statutum Vrbis, de quo agitur, sit contra ius commune, cùm sit contra gloss. *in l. Lucius, de hæred. inst.* communiter approbatam, & tenentem positos in 18

conditione non censeri vocatos, cùm de filiis tantùm loquatur, debet de illis simpliciter intelligi, & non extendi ad casum mixtum, iuxt. doctrinam Bar. *in l. 2. in princ. ff. de verb. oblig.* communiter approbatam, teste Socin. sen. *consi.* 28. *nu.* 22. *lib.* 4. Respondebatur enim negando prædictum statutum esse exorbitans à iure communi, nec contra illius dispositionem, cùm in isto articulo antiqua controuersia circa positos in conditione, an censeantur vocati, nulla lege certa reperiatur terminata, & pro vtraque parte sint quamplurimi grauissimi vtriusque iuris professores, tam ex veteribus, quàm ex recentioribus, qui quamlibet communem, & magis communem firmant, quos seriò describit Mantic. *vbi suprà lib* 11. *tit.* 2. & Peregr. *de fideicommiss. art.* 28. vbi quæ sit verior, & receptior, adhuc sub iudice pendere, dicit: inter quas ita ab antiquo controuersas sententias statutum Vrbis declarauit quoad filios, quæ seruanda esset inter Romanos, & approbauit, ac pro lege stabiliuit, filios positos in conditione vocatos censeri, quod inter Romanos semper Rota seruat, in cæterísque tribunalibus Vrbis ab eo non receditur.

19 Minus facit motiuum ex aduerso excitatum quòd per testatricem fuerint tantummodo positi in conditione consanguinei, & affines, non verò agnati, nec cognati, qui potiùs (vt prætenditur) fuerunt appositi, ne dubitaretur an consanguinei, & affines prædicti deberent esse ex latere paterno, vel materno, ad cuius declarationem fuerunt adiuncta dicta verba *agnatis*, & *cognatis*, cum sequentibus, siue masculis, siue fœminis. Fuit enim responsum in conditione fuisse positos tam consanguineos, & affines, quàm agnatos, & cognatos, siue essent masculi, siue fœminæ, dictáque verba adeò comprehensiua & amplectentia viro coniunctos tam consanguinitate, quàm affinitate, denotare dilectionem vxoris erga maritum tantam fuisse, vt posuerit in conditione non solùm omnes mariti consanguineos, agnatos, & cognatos, sed etiam eiusdem affines.

20 Nec applicari valet isti clausulæ intellectus ex aduerso datus, cùm affines sint viri & vxoris cognati, ex ipsorum nuptiis coniuncti, iuxta text. *in l. non facile. §. affines. ff. de gradibus affinit.* Nomen verò *agnati*, vel *cognati* affinibus adæquari non valet, cùm *agnati* dicantur quasi à patre cognati per virilem sexum, *cognati* per fœminam coniuncti, iuxta text. *in princip. Instit. de legit. agnat. tutel.* cum aliis superiùs adductis, quorum nominum natura ex prædictis definitionibus apparet appropriari non valere affinibus, vnde nec intellectus in contrarium datus.

21 Vlteriùs non obstat quòd testatrix discretiuè locuta fuerit de filiis & agnatis, quando Laurentio sine filiis decedenti substituit Alexandrum, cui sine agnatis decedenti substituit Hospitale, quo casu filij non comprehenduntur sub nomine *agnatis*, ad tradit. per Corn. *cons.* 112. *num.* 12. *lib.* 2. & per Menoch. *consi.* 328. *num.* 6. & Dec. *consi.* 47. *numer.* 10. *lib.* 3. Surd. *consi.* 554. *nu.* 9. Respondebatur enim motiuum contrarium bene procedere, si in vna met substitutione posuisset in conditione nominatim filios, & agnatos Titij (v. g.) Tunc enim cùm de filiis Titij discretiuè locuta fuisset testatrix, illi non venirent appellatione agnatorum Titij. Attamen in casu nostro filios Laurentij expresè posuit in conditione in prima substitutione, qua Laurentio decedenti sine filiis substituit Alexandrum, quia illum tanto amore prosequebatur, quòd noluerit ab alio consanguineo, nec affine proprio ipsius Isabellæ excludi, nisi tantummodo à filiis Laurentij, vnde necessariò ad hunc effectum vsa est specificè nomine *filiorum*. In secunda verò substitutione, qua Hospitale non ita sibi dilectum substituit Alexandro, illius fauore, & vt faciliùs deficeret conditio, & substitutio Hospitalis expiraret, posuit in conditione non solùm filios Alexandri, sed etiam illius consanguineos, & affines, & agnatos, & cognatos, vtens his verbis generalibus aptis ex sui natura comprehendere filios & reliquos descendentes transuersales, & affines Alexandri. Vnde apparet de diuersitate substitutionum, & personarum, & rationis in qualibet substitutione mouentis testatricem ad sic disponendum, & ex his sic stantibus, visum fuit Dominis cessare omnino contrariam oppositionem.

Nec facere videbatur quod dicitur iuxta communem vsum loquendi, vulgariter sub nomine *agnatorum* non comprehendi filios, qui vsus loquendi est attendendus in vltimis voluntatibus. *l. libertorum. §. quod tamen Cassius. de legat.* 3. *l. Labeo. de supell. legat.* & vtrobique Bart. & alij, & plures refert Mantic. *vbi suprà lib.* 3. *tit.* 8. *numero* 1. Respondebatur enim huiusmodi vsum loquendi communem non probari, & cùm consistat in facto probari oportere, iuxta Bart. *in d. l. Labeo, ad finem*, maximè cùm opus fuisset illum probari cum qualitatibus loci, & temporis, & circumstantiis, de quibus seriò egit Idem Mantica *loco proximè citato, num.* 8. Vltra quod ex supradictis, & decisionibus iam factis, habemus voluntatem testatricis ad fauorem istorum filiorum Alexandri, quæ magis est spectanda quàm communis vsus loquendi, cùm ipsa primum locum teneat, & præferatur cuilibet verborum significationi, & interpretationi. *l. in conditionibus primum locum. de condit. & demonstrat.* Cephal. *consi.* 306. *numero* 118. quem sequitur Riminald. iun. *consil.* 458. *numer.* 48. Mantic. *d. lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 12. vbi refert Ias. *in l. si pater tuus, numer.* 2. *in fine*, post Alberic. *ibid. num.* 2. *C. de hæredib. instituend.* dicentem magis spectari voluntatem, quàm communem vsum loquendi, vel proprium ipsius testatoris.

Tandem nec obstare visum fuit motiuum desumptum ex eo quòd filij positi in conditione censeantur vocati ex præsumpta mente testatoris, vt colligitur ex verbis *l. Lucius la* 2. *ff. de hæred. instituend.* & notat Tob. Non. *consi.* 31. *num.* 11. & 12. & Rustic. *in tract. an filij in condit. positi lib.* 1. *cap.* 1. *part.* 2. *num.* 67. 68. & 69. quam præsumptam testatricis mentem non adesse in casu nostro eliciunt ex eo quòd non sit verisimile voluisse filios Alexandri ex secundis nuptiis procreati sub conditione de agnatis comprehendere. Dum etiam si expresè vocasset filios eiusdem Alexandri, de istis sentire non intelligeretur, nisi de eis expressam mentionem fecisset. *l. sed si hoc specialiter. ff. de condit. & demonstr.* sed de susceptis, vel suscipiendis ex eodem testatricis matrimonio. tanto enim odio vxores prosequuntur in suis viris secundas nuptias, iuxta text. *in l. cùm vir.* 25. vbi Bart. & Bald. & *l. si vir vxori*, & *l. seq. ff. de condit. & demonstrat.* Boër. *decis.* 276. Surd. *consi.* 72. *num.* 13. Mant. *vbi suprà lib.* 11. *tit.* 8. *numero* 29. Cessante igitur prædicta ratione positionis in conditione nullo modo filij Alexandri vocati censentur. Socin. *consil.* 73. *numer.* 31. *lib.* 4. Rustic. *vbi suprà lib.*

lib.5.c.9.nu.13. Menoch.*præsumpt.76.n.88.lib.4.* Responderunt enim Domini quòd licèt coniuges soleat regulariter abhorrere secundas nuptias in superstite, tamen, vt superiùs diximus, Isabella tanto amore prosequuta fuit Alexandrum, vt decedente sine liberis Laurentio eius filio, vocauerit ad suam hæreditatem Alexandrum ipsius virum, quin & non habitis in consideratione cæteris ipsiusmet Isabellæ consanguineis, posuerit in conditione quoslibet eiusdem Alexandri non solùm cognatos,& agnatos descendentes,& transuersales,sed etiam affines,quod fecit solùm ob amorem erga Alexandrum. Quanto ergo magis dicendum est ponere voluisse in conditione filios cuiuscumque futuri matrimonij eiusdem Alexandri tanquam ab ipso magis dilectos, quàm cæteros ipsius agnatos, cognatos, & affines, quæ coniectura visa fuit tantæ potentiæ,vt superet contrariam coniecturam ex odio secundarum nuptiarum. Quin & de filiis secundi matrimonij Alexandri cogitasse videtur quando agnatos, & cognatos illius in conditione apposuit,sub quibus filij continentur, vt suprà dictum est. Quod satis clarè apparet ex eo quòd si de aliis propriis filiis præter Laurentium ex illo matrimonio procreandis cogitasset, illos instituisset, prout Laurentium instituit, vel saltem in legitima illis debita,ne illorum præteritione testamentum corrueret, aut illos Laurentio substituisset, quod neutrum cùm fuerit, & se morti propinquam videret (prout ex illa infirmitate decessit) magis verisimile est tunc non habuisse spem ampliùs filios procreandi, sicque de illis non cogitasse,sed de procreandis ab Alexandro ex alio matrimonio, faciunt optimè notata per Aym. *cons.552. num.8.*

24 Quæ confirmatur per text. *in d.l.si vir vxori 60. iuncta l.seq.ff.de cond.& demonst.* vbi si vir vxori legauerit quando liberos susceperit,& adiecerit expressè, *siue me viuo,siue post mortem nascantur.* Respondit Iurisconsultus deberi legatum, etiamsi liberi nascãtur ex alio matrimonio. Nec obstat quòd aliqui prætendant text.*in d.l.seq.* sed hoc intelligi quando testator specialiter expressit, & vocauit liberos post mortem suam ex alio matrimonio procreandos,qui intellectus non potest admitti, cùm esset dispositio de indubitabili. Vnde iuxta verum, & genuinum intellectum illius text. dicendum est quòd Iurisconsultus *in d.l.si vir vxori in fin.* dixit in hæc verba. *Verùm æquum est proficere siue viuo marito, siue post mortem nascantur.* vnde prosequendo *in l.seq.* dicit, *sed si hoc specialiter expresserit testator, etiã si ex alio post mortem suam liberos procreauerit, nihilominus eam ad legatum admitti.* Quasi voluerit Iurisconsultus quòd si expressè vocauerit testator filios nascituros ipso viuo,vel post illius mortem vxor cõsequatur legatum, etiam si post mortem mariti liberos ex alio matrimonio procreauerit, & sic text.*in d.l.sed si hoc intelligit,* ibi Alberic. Et comprobatur per gloss.1.*ibidem,* dicentem dicta verba *l.sed si hoc,* stare continuatiuè ad præcedentem text. sicque ex prædictis apparet, quòd quamuis testator non vocauerit expressè filios ex alio matrimonio procreandos, sufficit tacitè illos vocasse, sub verbis text. *in d.l.sed si vir, in fine.* nempe, *siue viuo marito,siue post mortem nascantur.* Ex istorum enim verborum expressione inducitur tacita vocatio liberorũ, etiam ex alio matrimonio procreandorum,iuxta prædicta iura insimul iuncta. Ita & ex supradictis videtur inducta per Isabellam saltim tacitè vocatio filiorum Alexandri, etiam ex alio matrimonio procreandorum. Et facit optimè doctrina Alex.*cons.119.n.6.& 7.lib 5.* vbi resoluit quòd facta inuestitura pro marito & vxore & eorum, & cuiuslibet eorum filiis,talia verba iuxta iuris dispositionem veniant interpretanda, videlicet quòd dicta emphyteusis transire valeat ad filios mariti ex alio matrimonio contrahendo, quando non extarent filij primi matrimonij, & pro hac sententia facit text. quem Alex. pro hac sententia, vbi suprà, allegat *in l fœminæ.§.fin.C.de secund.nupt.*

Quæ eo magis procedunt,cùm nomen agnatis & consanguineis in conditione appositis referatur ad Alexandrum, vt ex clausula testamenti clarè apparet,quo casu etiam veniunt filij Alexandri ex secundo matrimonio procreati, vt docet Ias. *in cons.116. nu.20. lib.1.* quem sequuta fuit Rota apud Bubalum in vna Rauennaten. bonorum 8.Iunij 1588. Ex qua doctrina resultat responsio ad decis.Boër.276.quam simpliciter sequuntur cæteri in contrarium suprà relati, nempe quòd in casu illius decisionis testator simpliciter fecerat mentionem de prole legitima ab vxore ex eius matrimonio procreanda, quo casu dispositio videatur restricta ad filios, & verisimiliter intelligitur de nascituris ex illo coniugio, ad text.*in d.l.si vir vxori.* In casu verò nostro dispositio extenditur ad agnatos,cognatos,consanguineos,& affines Alexandri, & sic facta relatione ad ipsum, quo casu etiam filij ex alio matrimonio procreandi veniant, iuxta Ias. *vbi suprà.* 25

Nec etiam facit quicquam text.*in l.cùm vir 25.ff. de condit.& demonstr.* vbi legatum per virum factum vxori quando liberos haberet, non debetur si diuortio facto mulier liberos ex alio procreauerit, & deinde soluto matrimonio secundo ad primum redierit, & reddit text.rationem, quòd non est verisimile testatorem de his liberis sensisse,qui se viuo ex alio suscepti fuissent; qua ratione stante optimè procedit dispositio eiusdem text. & verisimilitudo, qua fundatur. quæ tamen, & prædicta ratio cùm non militent in nostro casu, nec dispositio illius text.illi adaptari potest,& eo maximè,cùm nec procedere valeat hodiernis temporibus, quibus tale diuortium non est permissum.*c.2.de translat.Prælat.ca. gaudemus.de diuort.* & multo minus permittatur viuente primo cum alio matrimonium contrahere. 26

Et ex supradictis ita resolutum fuit, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Gerunden. Prioratus de Rocca Rossa. Lunæ 11. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Vnionis effectus, quando censeatur suspensus, præsertim per clausulam suspensiuam in supplicatione apposita, & de materia.

SVMMARIVM.

Vnio per cessum vel decessum non purificatur in resignatione ad fauorem certæ personæ, num.1.& 3.

Clausula suspensiua cessionum apposita in supplicatione resignationis, suspendit effectum vnionis, nu.2. quod procedit etiam in vnione pro dote mensæ capitulari facta in erectione cathedralis, ibid. Item procedit in vnione consistorialiter facta, num.4.

Item procedit etiam quòd suspensio legatur inter clausulas executiuas, num.6.

Regula reuocatoria cessionum non habet locum in cessione pro dote necessaria mensæ capitulari facta in erectione cathedrali, num.2.

Vniones mensis Episcopalibus solent fieri consistorialiter, num.4.

Clausula suspensiua quarumcumque vnionum, &c. comprehendit etiam vniones, quæ aliàs de sui natura non comprehenderentur propter dicta verba generalia, ibi.

Officiales Cancellariæ possunt in litteris apponere alias clausulas vltra expressas in supplicatione, num.5.

DECISIO CLXXV.

1 FVit 10. Decembris 1614. coram me decisum, Capitulum Celsonense non teneri litteras vnionis Prioratus, de quo agitur, iustificare. Verùm Sebastianus Saletta cùm exciperet de eiusdem Prioratus resignatione sibi facta, & Capitulum prætenderet, eam illi non suffragari, quia fuerat idem Prioratus in erectione dictæ Ecclesiæ in Cathedralem ipsius mensæ Capitulari vnitus, cum clausula, cùm primum per cessum, vel decessum, aut aliam quamlibet amissionem, vel dimissionem vacaret, &c. Ideò proposui dubium, an Sebastiano dicta resignatio suffragaretur. Quam decisum fuit suffragari; cùm vnio per cessum, vel decessum in resignatione ad fauorem certæ personæ non purificetur. Cassad. *decis. 3. de resig.* Put *dec.357 lib.1. & dec.523 lib.2.* Accoram. *decis.20. lib.1.* Parif. *de resig lib.2. q.9. nu.12.* & fuit dictum in Eugubina beneficij S. Stephani 15. Martij 1599. coram Card. Pamphilio. Cùm præsertim in resignationis supplicatione reperiatur clausula vnionum suspensiua, per quam Papa suspendere voluit illarum effectum. Mandos. *de sig. gratiæ, verbo resignationes. vers. datur suspensio.* Put. *dicta decis.357. lib.1.* Accoramb. *dicta decis.20. lib.1.* Parif. *de resign. lib.2. q.3. num.52.* Cassad. *decis.5. & 6. de reseruat.* Rebuff. *in praxi tit. de reuoc. vni. num.32.*

2 Non obstat, vnionem fuisse factam pro dote mensæ Capitulari in erectione illius Ecclesiæ in cathedralem, quo casu regula reuocatoria, sicut nõ intrat, vt fuit iam resolutum, ita nec intrare videatur suspensio. Nam diuersa militat ratio, regula enim reuocatoria nullam prorsus reddit vnionem, suspensio verò modicum infert præiudicium, quod non dicitur considerabile, cùm præsertim euenire possit, vt resignatarius resignanti prædecedat. Put. *dict. decis.357. lib.1.* Accoramb *d. decis.20.* Parif *de resign. lib.2. q.9. num.9.* & fuit dictum in allegata Eugubina.

3 Nõ obstat vnionis effectuatio, cùm illa pro maiori parte suum dicatur effectum sortita, quia non inde sequitur, eam fuisse purificatam, stante dicta resignatione Cassad. *decis.3. de resign.* cum aliis suprà alleg.

4 Nec valet dicere, istam vnionem, vti consistorialiter factam, sub clausula suspensiua non includi. Cùm enim hîc suspensæ sint etiam vniones mensis Episcopalibus factæ, quæ fieri solent consistorialiter, Mandos *super reg.22. qu.3.* Necessariò venit hæc vnio sub dicta clausula, tanto magis, quia fuit Summus Pontifex vsus verbis generalibus, nimirum, *quascunque vniones,* &c. quæ verba comprehendant etiam ea, quæ aliàs de sui natura non includerentur. Gabr. *cons.20. num.17. lib.2.* Put. *decis.259. num.2. lib.2.* Mandos. *reg.19. quæst.19. in fin. vers. & ad omnia fundamenta, & in terminis clausulæ suspensiuæ.* Alex. *cons.216. num.19. vers. septimò confirmatur. lib.2.* Vlteriùs non reperitur in iure cautum expressam consistorialitatis mentionem esse necessariam.

5 Non obstat in supplicatione non legi clausulam suspensiuam vnionum mensis Episcopalibus factarum, sed eam adesse tantummodo in litteris. Quæ propterea non debeant attendi. Nam hîc non agitur de discrepantia litterarum à supplicatione, sed tantùm de clausulis, quæ per Cancellariam solent extendi, & sic illæ sunt attendendæ, cum officiales dicantur Organum Papæ, & clausulas iuxta ipsius mentem extendant. Cassad. *decis.2. n.7. de vnion.* Sardin. *in reg. de trienna. q.7. nu.2.* Vecall. *decis.31. lib.3. in manuscrip.*

Nec refert, suspensionem in secunda parte, & in clausulis executiuis reperiri. Quia non eo minus illa suffragatur, cùm secunda pars in præsenti casu sit æquè principalis, ac prima. Cassad. *decis.5. de reseruat.* & fuit dictum in allegata Eugubina beneficij.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Asculana iurispatronatus. Lunæ 18. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

De probatione existentiæ, & pertinentiæ iurispatronatus multa notanda, de quibus in summario, & est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Iurispatronatus existentia probatur ex fundatione, & dotatione, num.1.

Confessio facta in supplicatione impetrationis beneficij probat contra confitentem, ibid. in fine.

Iurispatronatus pertinentia probatur ex præsentationibus antiquissimis, quæ effectum sortitæ fuerunt, præsertim quando agitur non cum Ordinario, sed inter præsentatos, num.2.

Iurispatronatus pertinentia probatur leuioribus probationibus, quando agitur non cum Ordinario, sed inter præsentatos, ibid.

Iurispatronatus præsentationis quasi possessio acquiritur ex vnico actu, num.3. vide num.5.

Iurispatronatus præsentationes effectuatæ probantur per collationem beneficij factam per obitum præsentatorum, num.4.

Iuspatronatus nunquid probetur per enunciatiuam repertam in institutionibus, & præsentationibus, numer.5. & 6.

Descendentia vnius familiæ ab altera familia in materia iurispatronatus probanda est per allegantem, num.7.

Confessio supplicantis in impetratione beneficij non probat ad eius fauorem valorem ipsius beneficij, vel vacationem per priuationem ad fauorem ipsius confitentis, num.8.

DECISIO CLXXVI.

VAcante ob Vincẽtij priuationem Ecclesia parochiali S. Stephani Asculanæ diœcesis, fuit à nonnullis de Falconeriis vti patronis ad eam præsentatus Iosephus Bonafides, qui prouisionem etiam Apostolicam cum derogatione quo ad dimidiam partem iurispatronatus obtinuit, exprimendo se meditate patronorum in quasi possessione existentium fuisse præsentatum. Verùm, quia Pierotius Pica eandem parochialem à Sede Apostolica tanquam à maiori parte præsentatus impetrauerat, & capta illius possessione exequutionem litterarum Apostolicarum ad fauorem Iosephi nitebatur impedire causa

causa ad Rotam deuoluta; & dubio per me proposito, Domini gratiam Iosephi esse iustificatam censuerunt. Nam existentia iurispatronatus laicorum ex fundatione, & dotatione controuerti non posse videtur, cùm illud ab vtraque parte, tanquam tale fuerit impetratum, vt apparet ex prouisionibus Apostolicis, quæ confessio in impetratione sufficit ad iurispatronatus iustificationem, quando cum Ordinario lis non vertitur. Put.*decis.* 325. *lib.* 2. & *decis.*36.*lib* 3.

2 Pertinentia similiter ad familiam de Falconeriis apparet ex institutione de anno 1459. ad eorundem præsentationem, vnà cum familia de Catalanis facta, necnon ex alia præsentatione facta pariter ab iisdem de anno 1523. Nec videtur dubitandum ex antiquissimis præsentationibus effectum sortiris pertinentiam, de qua agitur, probari. Dec *cons* 126. *num.*3.& fuit dictum in causa Papien. Archipresbyteratus 19.Febr.1605. coram bo.me.Cardinali Pamphilio, & in causa Romana iurispatronatus 13. Iunij 1601. coram Iusto. Tanto magis, quia lis non agitur cum Ordinario, sed inter ipsos præsentatos, quo casu leuiores probationes sufficiunt, vt fuit dictum in causa Pampilonen. beneficij 10. April. 1596. coram Card. Mantica & in causa Pampilonen. de Ianzi 9. Maij 1597. coram Litta.

3 Quasi possessio præsentandi similiter probatur ex vltimis præsentationibus de anno 1585.& 1608.factis ab eisdem de Falconeriis, ex quibus apparet, illos fuisse constitutos in dicta quasi possessione, cùm ex vnico tantùm actu hæc acquiratur. Dec.*cons.*134.*n.*1. & *cons.*126.*nu.*3. Corn. *cons.*47.*num.*4.*lib.*3.

4 De præsentationum effectuatione constat pariter ex collatione facta per obitum præsentatorum, iuxta cons.Oldradi 220.*num.*2.& 3. Rota *decis.*147.*nu.*1. & 598. *num.* 9.*part.*1.*diuers.* Vnde satis remanet Iosephi gratia iustificata, quòd ipse videlicet à medietate patronorum in quasi possessione existentium fuerit præsentatus.

5 Nec refragatur, hoc ius patronatus ad tres familias pertinere, & propterea Iosephum vti præsentatum à solis Falconeriis dici non posse à meditate patronorum præsentatum. Nulla enim ad alias familias attinentia probatur. Siquidem respectu familiæ de Antheis, vltra quod enunciatiua in institutione de anno 1585. videtur nomen proprium alicuius ex familia de Falconeriis inferre, cùm ab illis tantùm præsentatio facta reperiatur, & præsentationi respondere debeat institutionis enunciatiua. Nec in omnem euentum tanquam vnica non releuaret. Felin. *in cap.cùm causam, num.*4.*de probat.*Aymon.*de antiquit.tempor.part.*1.*§.ampliatur,nu.*7. Achill.*decis.* 8. *de iurepatronatus.*& fuit dictum in causa Caputaq. vnionis 27. Nouembris 1593. coram Penia. cùm præsertim dicta enunciatiua sit de recenti. Achill. *decis.*7.*num.*3.*de iurepatronatus.* Cassad. *decis.*2.*nu.*6. & 7. *de probat.*

6 Quo verò ad familiam de Odoardis, vna pariter ad eorum fauorem datur enunciatiua in institutione de anno 1608. quæ, vt dictum fuit, non suffragatur, ex alleg. Tanto magis, quia non constat illorum præsentationem scientibus Falconeriis emanasse, vt requirebatur ad possessionem in eorum præiudicium acquirendam. Calder.*cons.* 6. *de caus. possess.& propriet.& cons.*12.*de iurepatronatus.* Rochus *de iurepatronatus.in verbo competens. quæst.*14. *num.*37. *vers.*4.& *vltimo.*

7 Nec apparet Odoardos ab illis de Catalinis descendere, qui de annis 1459.& 1523. erant compatroni, prout fuisset probandum, Archidiac.*in cap.si plures, nu.*4.*vers.sed pone quòd aliqua.*16.*quæst.*7.Lamber. *de iurepatronatus part.* 2. *secundi libri art.* 4. 10. *quæst. principali, nu.*11.*vers.tamen per prædicta.*

Huius denisiue parochialis valor, & vacatio per Vincentij priuationem probatur ex partis confessione in ipsius gratia, vt fuit decisum in causa Burgen.Abbatiæ 13. Ianuarij 1586. coram Cantuccio; & in causa Astoricen. 12. Nouembris 1584. coram Clem. VIII.

Et ex his bene dictum videtur, Iosephi gratiam esse iustificatam.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Ciuitatis castelli vnionis. Lunæ 18.*Maij* 1615.

ARGVMENTVM.

Exceptiones turbidæ non admittuntur in iudicio possessorio, quoties possessio est clara.

SVMMARIVM.

*Arbitrium iudicis ad effectum cumulandi petitorium cum possessorio resultari debet à iure, num.*1.

Possessorij cognitio debet præcedere cognitionem petitorij, num. 2.

*Possidens releuatur ab onere probandi, num.*3.

*Possessorij cum petitorio cumulatio concedi non solet in summariissimo iudicio manutentionis, num.*4.

*Arbitrium cumulandi possessorium cum petitorio non admittitur quoties non adducitur causa, quæ arbitrium suadeat, num.*5.

*Tituli inualiditatis exceptio admittitur in summariissimo iudicio manutentionis,nu.*6.*declara vt nu.*7.

*Tempus longum iuncta obseruantia subsequuta præsumi facit confirmationem Apostolicam, num.*8.

Confirmatio Apostolica præsumitur ex longo tempore, & ex obseruantia subsecuta, ibid.

*Exceptio turbida non admittitur in iudicio possessorio, sed ad petitorium requiritur, num.*9.

DECISIO CLXXVII.

FVit resolutum non intrare arbitrium ad effectum cumulandi petitorium cum possessorio, 1 quia illud regulatur à iure. Cæsar.de Grass. *decis.*7. *de sent.& re iud.num.*7.

Et de iure præcedere debet cognitio possessorij 2 cognitione petitorij, *l.ordinarij, C.de rei vendic. l.in-uiti.C.de interdict.* qui quidem ordo præuerti non debet in præiudicium possessorij, quia priuaretur commodo possessionis, quod maximum est.

Et grauaretur onere probandi, à quo stante pos- 3 sessione releuatur, & ideo non videtur arbitrium intrare, vt fuit dictum in vna Virduuen. Abbatiæ 20. Februarij præteriti coram D. meo Buratto.

Et prædicta facilius procedunt, cùm versemur in 4 iudicio summariissimo manutentionis, in qua cumulatio concedi non solet, vt testatur Rota in causa Romana census coram Robusterio, quæ est inter impressas *decis.*99.*num.*6.*part.*1.

Et cùm possessio Antonij sit clara, ex adductis in 5 decisione in hac causa facta 16. Mart. præteriti nec

aliqua adducatur causa quæ arbitrium suadeat, multo minus illi videtur esse locus, vt in istis terminis fuit resolutum in causa Turritana bonorum 22. Aprilis 1613. coram D. meo Vbaldo, & priùs in alia Montis Falisci Capellaniæ 13. Ianuarij 1606. coram Illustr. Lancellotto.

Et quamuis informantes pro Iosepho dixerint, quòd patroni de Bernardinis præsentarunt Antonium ad duo beneficia simplicia, scilicet S. Rochi, & S. Ioannis, reseruato sibi iure super parochiali sancti Angeli, de qua agitur, & præsentatus obtinuit de dictis duobus beneficiis institutionem, & possessionem cum eorum iuribus, & pertinentiis.

Vnde inferebant quòd quamuis aliàs capta possessione Ecclesiæ sancti Rochi censeatur etiam capta possessio Ecclesiæ sancti Angeli illi vnitæ, secus esse stante dicta reseruatione, quæ videtur operari quod eodem modo, quo vigore illius præsentatio patronorum non extenditur ad Ecclesiam sancti Angeli, ita nec possessio præsentationis vigore capta; nihilominus quia de prædictis nihil constat in actis, Domini illa non habuerunt in consideratione.

6 Non obstat exceptio inualiditatis vnionis resultans ex defectu potestatis eius qui vniuit, vt ex eo quòd Ecclesia parochialis libera, & maioris valoris fuit vnita beneficio simplici iurispatronatus, & exigui valoris, & quod huiusmodi exceptio inualiditatis tituli qui exhibetur, sit admittenda in hoc iudicio, iuxt. Abb. *in cap. audita querela, in primo notab. de restitut. spoliator.*

7 Quia hoc procederet si defectus tituli appareret ex lectura ipsius tituli. Menoch. *de retinen. remed. 3. num. 683.* quod applicari non valet casui nostro, in quo ex scriptura vnionis non resultant defectus contra eam oppositi, nec minus extrinsecus illi iustificantur.

8 Immò reddi videntur turbidi ex quo versamur in vnione excedente metam 90. annorum, quæ propterea iuncta obseruantia subsequuta deducta ex pluribus præsentationibus & institutionibus præsumitur à Sede Apostolica confirmata, vt fuit dictum in vna Firmana iurispatronatus 1. Martij 1613. coram D. meo Decano.

9 Vnde cùm huiusmodi exceptio inualiditatis reddatur ex prædictis admodum turbida, videtur ad petitorium reiicienda, iuxta decisionem Caputaquen. vnionis 20. Februarij 1589. coram Bubalo, & Oxomen. Capellanię 10. Martij eiusdem anni coram bonæ mem. Cardinali Platto.

10 Minus obstat decisio Vicen. parochialis 8. Decembris 1608. coram me, quia ibi possessio erat turbida, hîc verò est clara, ex deductis in prædicta decisione in hac causa facta.

R.P.D. ANDREA.

Romana fideicommissi de Scalabrinis. Veneris 22. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

De impositione census facta à tutrice super bonis pupilli sine solemnitatibus statutariis, quòd non valeat nisi probetur censum versum fuisse in vtilitatem minorum, & quomodo hoc probetur.

SVMMARIVM.

Actus factus contra prohibitionem statuti est nullus quando statutum vlterius procedit annullando actum, num. 2.

Minor, seu mulier sine solemnitatibus statutariis non potest imponere censum super rebus immobilibus, nu. 3.

Tutrix mulier nunquid possit se obligare nomine proprio in impositione census facta super bonis pupilli, nu. 5.

Census impositus super rebus fideicommisso subiectus est inualidus, ac si impositus fuisset super re aliena, numero 6.

Minoris contractus factus in ipsius vtilitatem valet etiam sine solemnitatibus statutariis, num. 7. & seqq. vbi etiam an, & quis debeat probare versionem in vtilitatem minoris.

Decretum iudicis non habet præsumptionem pro se, quando est interpositum super contractu nullo, num. 7.

DECISIO CLXXVIII.

IOan. Baptista Alberinus, & Marinus de Hortis asserentes se creditores q. Petri Pauli de Scalabrinis, tria credita prætendebant contra filios dicti Petri Pauli, eosque molestabant super vna domo, quæ remanserat in hæreditate patris fideicommisso ex testamento Nicolai aui paterni dictorum filiorum subiecta. Et quia inter alias exceptiones oppositas pro parte dictorum filiorum etiam opponebatur de defectu crediti ipsorum agentium, ideo sub die 30. Martij 1615. dubitaui an constaret de credito. Et cùm de resolutione Dominis non liqueret, causa iterum proposita 22. Maij sequentis fuit resolutum quo ad scuta 300. constare de credito, quo ad residuum non constare, & quòd interim æstimetur domus, & firmetur status hæreditatis.

Præsupponi autem debet, hæc tria credita fuisse à creditoribus prætensa, vnum scutorum 200. occasione census impositi de anno 1576. ab Anna matre, & tutrice dicti Petri Pauli, ac aliorum filiorum Nicolai super hac domo; aliud scutorum 60. ratione alterius census impositi per eandem Annam de anno 1578. aliud verò scut. 300. impositum per dictum Petrum Paulum de anno 1591. Et quo ad priora duo credita visum fuit de eis non constare, quia illi census fuerunt impositi per dictam Annam tanquam tutricem, & curatricem dictorum filiorum Nicolai, quæ etiam se obligauit tam tutorio, quàm proprio nomine, & ideo huiusmodi impositiones non poterant sustineri: respectu enim pupillorum non interuenerunt solemnitates statuti Vrbis *lib. 1. cap. 113.* & præcipuè proximiores consanguinei, sine quibus non potest aliquo modo subsistere dicta impositio, cùm statutum procedat vlteriùs annullando actum aliter factum. *l. non dubium cum not. C. de leg.* Corn. *cons. 151. num. 4. lib. 4.* & in terminis dicti statuti fuit resolutum in Romana donationis de Cupis 24. Maij 1600. coram bo. me. Cardinali Pamphilio.

Nec dubitari potest, quin dictum statutum habeat locum in impositione census, cùm imponatur super re immobili, & illius impositio dicatur alienatio, Corbul. *de caus. priuat. ob alienat. num. 3.* adeò quòd prohibitus alienare non possit huiusmodi annuos redditus constituere. Bald. *in cap. audientiam il 2. num. 11. de rescript.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 6. num. 5. ad fin. vers. Nec qui non potest.* Follet. *in pract.*

*in pract. censual. in verbo huiusmodi census super rebus num.*41. Rot.*decis.*480.*num.*1.*&* 2.*part.*1.*& decis.*121. *num.*5.*part.*2.*diuers.* & fuit dictum in Romana inualiditatis census 24. Maij 1591. coram Cardinali Pamphilio, & in Leodien. census 29. Ianuarij 1596. coram Orano, & in eadem 15. Iunij 1597. coram Corduba.

4 Nec obstat quod in primo censu interuenerit vnus consanguineus, & loco alterius fuerit datus curator loco consanguineorum, quia, vt patet ex lectura instrumenti, illi interuenerunt ad integrandam personam tutricis, quæ se obligabat etiam nomine proprio; non autem pro interesse minorum, quorum respectu erant adhibendi, vt in puncto est decisio in dicta Romana donationis de Cupis antè allegata.

5 Respectu verò Annæ tutricis, quæ se obligauit etiam nomine proprio, minus quoque dicti census poterant sustineri, quia cùm obligatio quod ad minores esset inualida, obligatio Annæ de proprio remansit absque causa. Quia tanquam tutrix, ipsa non tenebatur se obligare de proprio, pro soluendis debitis testatoris, nec constat, quòd ipsa habuerit releuatorem, & sic tanto magis apparet, quod mulier remansit decepta contra statutum Vrbis *cap.*151.*lib.*1. quod ad euitandum, vt mulieres non decipiantur voluit, vt causa in scriptis redigatur; & insinuetur, ac plenè per iudicem cognoscatur, vnde eius obligatio fuit nulla, vt decisum fuit in Romana nullitatis obligationis 23. Ianuarij 1602. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Romana argentorum 27. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Bononien.

6 Vltrà quod cum domus, super qua dicti census fuerunt impositi, ad Annam non spectaret, sed ad eius filios vigore fideicommissi auiti illorum impositio etiam respectu Annæ fuit nulla tanquam facta super re aliena, & sine fundo contra constitutionem Pij V. Surd. *cons.*318.*nu.*1.*& seq. iuncto num.*6.*vers. Ad id verò*, & fuit dictum in Viterbien. census 6. Aprilis 1590. coram bo. me. Cardinali Platto. Nec hoc casu data nullitate censuum intrabat obligatio ad dãna, & interesse, cùm ex assertione ipsius Annæ in dictis instrumentis scirent creditores hanc domum ad filios, non autem ad Annam spectare, ad text. *in l. si fundum*, vbi gloss. & Doct. *C. de euict.* Aym. *cons.*64. *num.*4. Put.*decis.*257.*num.*2. *lib.*2.

7 Non denique subsistebat, quod dicebatur primum censum proprietatis scutorum 200. fuisse impositum pro extinguendis societatibus fideicommittentis, pro quibus soluebatur maius interesse, & sic tãquam vtilem minoribus debere sustineri etiam sine aliis solemnitatibus. *l. cùm hi. §. eam. ff. de transact.* cum aliis per Roman.*cons.*316.*&* 453. vbi firmat hanc conclusionem in terminis statuti, & plures referens sequitur Tiraquell. *in* 15.*l. connub. gloss.*8.*nu.*76. Quia ad huiusmodi effectum esset probanda versio in talem extinctionem, cùm aliàs impositio census sit nulla ob non interuentum proximiorum, quo casu nec etiam pro decreto iudicis præsumitur, & illud interpositum nihil prorsus operatur, ad text. *in d. l. cum hi. §. si Prætor*, vbi not. Scriben. Rot. in Firmana dotis 8. Iunij 1601. coram bo. mem. Penia, & in Romana prætensi erroris calculi 21. Iunij 1610. coram Reuerendiss. Bononien.

8 Non obstat, quod emptor census non teneatur probare versionem, quia hoc procederet, si census fuisset impositus cum debitis solemnitatibus: sed vbi reperitur, prout hîc, nulliter impositus; si emptor prætendit illum sustinere, ex eo quod versus fuerit in vtilitatem minoris, hoc probare debet. *l. si prædium*, ibi, *emptor autem, si probare potuerit, ad vtilitates tuas cessisse pecunias*, vbi gloss. *in verbo probare. l. prædiorum*, & ibi quoque gloss. & vtrobique Salic. & Doctor. *C. de præd. minor.* Socin. *cons.*115.*num.*13.*lib.*1. vbi de communi etiam fuit dictum in Rom. casalis 23. Maij 1588. coram bo. me. Orano.

Quod autem dicebatur satis probari versionem ex testamento Nicolai, in quo ipse inter alia debita fatetur, se relinquere duas societates officij scutorum 100. pro qualibet earum visum fuit non concludere, quòd pecuniæ acceptæ ad censum fuerint conuersæ in extinctionem illarum, quia neque hoc dicit instrumentum; sed solùm, quòd pro extinguenda societate officij hæreditaria scutorum 200. quæ post mortem Nicolai fuerat disdicta ipsa Anna alia scuta 200. pariter ad societatem officij acceperat, & postea ad effectum extinguendi istam secundam societatem fuerunt acceptæ pecuniæ ad censum: sed de ista secunda societate nullibi constat, & potest esse quòd illæ primæ societates fuissent lucratæ, vel extinctæ, ex aliis pecuniis hæreditatis, vnde intrat regula, *non probat hoc esse*, &c. *l. non hoc C. vnde legit.* 9

Quò verò ad alium censum scut. 300. impositum per Petrum Paulum, non controuertebatur pro parte filiorum eius validitas respectu solemnitatum; sed dicebatur non potuisse per eum imponi, super ista domo fideicommisso subiecta, nec sustineri ex legima, quam iam antea consumpserat quod pendet à verificatione calculi, aliàs ordinata. Et sic Domini voluerunt quòd æstimetur domus, & firmetur status hæreditatis Nicolai, &c. 10

R. P. D. VBALDO.

Meten. professionis. Lunæ 25. *Maij* 1615.

ARGVMENTVM.

De professione monialis per metum, & non ex voluntate facta, quando & quomodo talis metus purgatus censeatur per acquiescentiam, seu ratificationem.

SVMMARIVM.

Monialis professio tacita per susceptionem habitus, & per delationem veli eliditur, & ecluditur per contrarias præsumptiones, & multo magis per expressionem & declarationem animi factam in contrarium, num. 1. *&* 2.

Animus in præcedentibus declaratur ex subsequentibus, num. 2.

Monialis professio tacita per susceptionem habitus, & delationem veli fieri debet coram Abbatissa & aliis monialibus, num. 3.

Metus causa durante, semper durare præsumitur idem metus, ita quòd quasi impossibile videatur probare contrarium, num. 4.

Ignorantia in dubio præsumitur, num. 5. *in fine.*

Metus non censetur purgatus ex eo quòd cesset causa metus, si metum passus hanc causæ cessationem ignorauerit, num. 5. *&* 6. *vbi amplius quòd sola acquiescentia metum passi non sufficit ad prorogandum metum, nisi interueniant actus positiui contrarij.*

Metus non censetur purgatus per acquiescentiam & ratificationem actus, nisi metum passus sciuerit actum à se factum posse impugnari vti nullum, num.6.

Metus non censetur purgatus per ratificationem factam à metu passo in loco non tuto, num.7.

Semper, *dictio includit omne tempus, ibid. in fine.*

DECISIO CLXXIX.

1 FVerat decisum in hac causa die 18. Aprilis anni præteriti, non constare de professione quæ obstaret D. Renatæ; quia præsumptio tacitæ professionis, de qua sola erat controuersia, resultans ex gestatione habitus, & lapsu temporis, elidebatur ex contrariis protestationibus, & reclamationibus D. Renatæ, vt latiùs in decisione tunc extensa; sed quia contra testes, ex quibus probabantur dictæ reclamationes, opponebatur de nullitate examinis, fuit adita signatura Sanctissimi, à qua emanauit rescriptum arbitrio Rotæ; ideo proposito dubio, an intraret arbitrium die 23. Ianuarij præteriti, fuit ordinatum, vt reuideretur decisio in causa facta cum præsupposito sine veri præiudicio, quòd testes sint validè examinati; vnde die 13. Martij præteriti proposui causam super eisdem cum dicto præsupposito, & fuit dictum, vt iterum proponeretur; demum hodie Domini permanserunt in decisis ex rationibus tunc deductis, & potissimum, quia cùm agatur de inducenda professione ex susceptione habitus, & delatione, vel per quam nullum votum expresse emittitur, sed præsumptiuè tantùm, dicta præsumptio eliditur per contrarias præsumptiones, & multo magis per expressam animi declarationem in contrarium factam. Innoc. *in cap.1. in fine*, & ibi Card. & Anchar. etiam *in fin. de his quæ vi, met. caus. fiunt*. Butr. *in cap. cùm M. Ferrarien. num.43. vers. melius de constit.* vbi quòd protestatio sola detractiua consensus in ingressu iuuat protestantem, quando ingressus Religionis fit habitus sumptione, quia factum est dubium. Abb. *in cap. consulti num. 1. vers. in 2. verò casu. de regular.* Bald. *cons.206. nu.4.* vbi quòd sufficit contradictio Monialis, etiam coram sororibus, & quòd non habuerit animum profitendi. Rota *decis. 216. num.21. part.2. diuers.* Honded. *cons.78. num.4. & num. 23. & seqq.* præsertim *num.26. lib.2.* vbi quando constat de expressa declaratione, dicit esse verissimam receptissimam conclusionem; & faciunt alij allegati in decisione: de expressa autem declaratione Rotæ quòd nolebat esse religiosa, nec professionem emittere, dubitari non potest stante depositione testium, qui fuerunt considerati in alia decisione.

2 Non obstat quòd dicta Renata in susceptione habitus ab Abbatissa interrogata, an vellet facere votum, & professionem? respondit nolle facere votum, nec professionem, debeat intelligi de professione expressa, non autem de tacita, quasi Abbatissa vellet inducere in illo monasterio consuetudinem emittendi professionem expressam, quæ antea ibi non erat, quia id fortè posset procedere, si non adessent aliæ protestationes, & declarationes postmodum factæ, ex quibus apertissimè deprehenditur, quòd etiam de tacita intellexerit, ex regula quòd ex sequentibus declaratur animus in præcedentibus. *l. sed Iulianus. §. proinde. ff. ad Macedon. l. si seruus plurium. §. vltim. ff. de leg.1.* cum vulg. Nam octauus testis super quinto deponit quod Renata illi semper declarauit, & in eodemmet instanti quo ipsa accepit velum quod ipsa nolebat esse Religiosa, & nullam in ea habebat inclinationem, sed quod id fecerat propter apprehensionem quam habebat commorandi cum eius magna auia, & quod semper audiuit illam facere easdem reclamationes. Idem deponit primus testis confessarius Renatæ, dicens audiuisse à Renata, eam nullo modo Religiosam fieri velle in dicto monasterio, aut alibi. Item secundus testis super primo quod audiuit Renatam interrogatam ab Abbatissa respondisse, se nunquam fuisse eius voluntatis professionem emittendi in dicto monasterio, neque ibi monialem remanere, & quod nullam professionem vellet emittere, à dictoque monasterio statim recessuram, nisi seueritatem auiæ suæ reformidaret. Idem testis super 2. testatur pluries audiuisse Renatam reclamantem, & idem testantur tertius, & septimus testes super 5. Et tertius addit quod Renata ei dixit, ideo se non habere ædes in monasterio, quia nolebat fieri Religiosa.

Accedit etiam pro adminiculo metus reuerentialis erga auiam probatus per prædictas protestationes sciente, & non contradicente Abbatissa, vt per Rip. *in d. cap. cùm M. Ferrarien. num.92. vers. pro concordia, vers. quoad vltimum.* Butr. *ibid. num.43. in fin. & vers. aut actus. de constit.* quod etiam valde facit ad inualidandum professionem, præsertim tacitam, ex allegatis in decisione, & conferunt quæ tradit Abb. *in d. cap. cùm M. Ferrarien. num.20.* Dubitabat enim vnus ex Dominis, an hîc tacita professio dici possit inducta, cùm non constet, Renatam suscepisse habitum coram Abbatissa, & aliis Monialibus simul. Abb. *in cap. ad Apostolicam num. 11. vers. sed vltra gloss. de regular.* Decian. *resp.18. n.9.10. & 11. lib 3.* Menoch. *præsumpt.83. num.12. lib.6.* & tradit nouissimè Azor. *Instit. moral. lib.12. cap.5. quæst.3. part.1.*

Non obstant literæ missiuæ eiusdem Renatæ, & renunciatio bonorum ad fauorem Annæ suæ sororis, necnon prætensa ratificatio ex aduerso considerata ad probandam liberam voluntatem Renatæ; quia vltra quod opponebatur scripturas non esse in forma probanti; respondebatur quod stantibus probationibus super metu, de quibus suprà, & in dicta decisione difficile, immò quasi impossibile videtur probare contrarium durante causa metus, quæ durare præsumitur viuente auia, ex qua metus procederat, & illi actus dicantur emanasse in vita auiæ. Bart. *in l. fin. num.7. ff. de cond. ob turp. caus.* not. Doct. *in cap.1. de his quæ vi met.* Cassad. *decis.3. num.1. de dol. & contum.* Seraph. *decis.771. num.8. & decis.851. num.1. part.1. & decis. 1177. num.1. part. 2.* & fuit dictum in vna Neapolitana professionis 26. Iunij 1598. coram Giptio, & in Conchen. nullitatis Ordinum 10. Martij 1606. coram bo. me. Penia, & in vna Hispalen. matrimonij de Alcala 1609. coram Reuerendissimo Bononien. & hac ipsa die 25. Maij 1615. in vna Toletana professionis coram me, vbi alia multa allegantur.

Nec obstat quod post mortem auiæ quam prætendit euenisse de mense Februarij 1608. videatur purgatus omnis metus; tum ex eo quòd Renata permansit in eodem monasterio vltra annum absque vlla reclamatione; tum ex declaratione expressa quam fecit de mense Decembri eiusdem anni, & sic decem mensibus post mortem auiæ, in qua dixit se ex bona voluntate, & affectione singulari addixisse ordini sancti Benedicti; quia quoad primum fuit responsum in primis non constare de morte auiæ de illo tempore, & fides curialium de morte attestantium, non probat, & quatenus constaret de morte, non

non probatur quòd Renata habuerit illius scientiam, & cùm sit facti, non præsumitur, sed potiùs ignorantia. *l. verius. ff. de probat. cap. præsumitur. de reg. iur. in 6.* Respondebatur etiam.

6 Secundò quòd si probaretur mors, & illius scientia, tamen pro purgatione metus non sufficit sola acquiescentia etiam longi temporis post mortem eius quæ metum intulit, sed requiritur quòd metus probetur sublatus per actus positiuos contrarios, aliàs durare præsumitur, vt per Osac. *decis. 179. num. 11.* Quem secuta est Rota in dicta Neapolitana professionis coram Giptio, & in dicta Toletana professionis coram me. Vltra quòd nec etiam apparet quòd ipsa Renata sciuerit nullitatem professionis, & quòd esset in tempore ad eam impugnandam prout requiritur, ad effectum, vt ex permanentia in monasterio, censeatur inducta ratificatio professionis, vt post Caiet. *in 22. quæst. 189. art. 5.* firmat Nauarr. *consil. 28. num. 7. & cons. 89. num. 3. de regular. & in manual. c. 12. n. 71. & seq.*

7 Quo verò ad secundum vltra quòd ista etiam declaratio non est in forma probanti, dicebatur etiam facta in castro, & loco aduersariorum, quibus Renata fortè non poterat contradicere, quo casu tanquam facta in loco non tuto, non dicitur sufficiens ad purgandum metum, cùm requiratur, vt illum patiens sit in plena sui libertate constitutus. Seraph. *decis. 859. num. 1. & decis. 863. num. 2. part 1.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 126. num 26.* & fuit dictum in dicta Neapolitana professionis coram Giptio, & in dicta Hispalen. matrimonij coram Reuerendissimo Bononien. & cùm præcesserint tot protestationes, & geminatæ declarationes in contrarium probatæ per testes deponentes, etiam per verbum *semper*, quòd illam audiuerunt semper reclamantem, quæ dictio *semper* includit omne tempus, & sic etiam post mortem auiæ, gloss. *in l. 1. ff. solut. matrim. & in l. eorum. ff. ad l. Pomp. de parricid.* Paris *consil. 90. num. 28. & seq lib. 2. & consil. 74. num. 86. lib. 3.* & fuit in terminis nostris consideratum in dicta Neapolitana professionis coram Giptio, talis prætensa ex aduerso declaratio non transibat sine aliqua suspicione.

Ex quibus Domini permanserunt in decisis.

R.P.D. VEROSPIO.

Romana furti. Lunæ 25. Maij 1615.

ARGVMENTVM.

Soluta pecunia per communitatem publico exactori, si fuerit furto subtracta, communitas non ampliùs tenetur.

SVMMARIVM.

Furata si fuerit pecunia soluta per communitatem publico exactori gabellæ, communitas est liberata, nec ampliùs tenetur, num. 1.

Pecunia soluta in vnam causam adhuc remanet in dominio soluentis, donec in destinatam causam fuerit versa, num. 2.

DECISIO CLXXX.

1 Mvtius Orsinus pecuniarum exactor, quas prouincia Vmbriæ soluebat in extinctionem vectigalis vulgò nuncupati *del quattrino della foglietta*, cùm scuta mille tanquam residuum taxæ anni 1592. hîc de more depositario non consignaret, ab agentibus dictæ prouinciæ conuentus excepit illa furto subtracta fuisse dum ad Vrbem transmitterentur, & sic ipsum vlteriùs non teneri. Verùm causa mihi comissa, dubitaui, an contra Mutium agentibus ad scuta mille obstaret exceptio prætensi furti, & licèt super hoc dubio plures essent inspectiones, videlicet, an probetur furtum, an pecuniæ subtractæ fuissent de exactis à dicta prouincia, an de illarum quantitate constet, & cuius damno furtum cedere debeat; istis tamen hodie prætermissis, Rotæ placuit firmare communitates per solutionem exactori factam, fuisse liberatas, adeò, vt prouincia pro huiusmodi debito ampliùs conueniri non valeat, illas enim pecunias ad Vrbem transmittere non tenebantur, sed eas tantùm exactori deputato per Principem soluere. *l. 2. & seq Cod. de apoch. pub. lib. 10. l. 1. Cod. de canone larg. tit. eodem lib.* Peregr. *de iure fisci lib. 6. tit. 7. de debitis fiscalibus sub numer. 20. vers. Item non intellig.* Quòd autem Orphinus esset à Principe deputatus, apparet ex Bulla extinctionis dicti vectigalis.

Nec releuat pecunias exactori solutas in dominio soluentis remanere, donec in destinatam causam illæ fuerunt versæ. Decius *consil. 473 num. 9.* & propterea facta solutione communitates illico non fuisse liberatas. Nam respondetur casum Decij esse diuersum, quia Mutius non fuerat à prouincia deputatus, vt illius pecunias custodire teneretur, sed fuit, vt dixi, deputatus exactor à Principe, quo casu per solutionem ipsi factam dominium pecuniarum fuit à communitatibus abdicatum, & per consequens prouincia liberationem fuit consecuta. Peregrin. *de iure fisci, loco suprà citato*, &c. 2

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana domorum. Lunæ prima Iunj 1615.

ARGVMENTVM.

Dominium non probatur per librum Canonicorum, nec etiam per tacitam confessionem.

SVMMARIVM.

Dominium concludenter probari debet in iudicio rei vendicationis, num. 1.

Liber Canonicorum, & Capituli non probat ad eius fauorem dominium domorum, num. 3.

Tacita confessio non probat dominium quando de eo principaliter dubitari contingit, num. 5.

DECISIO CLXXXI.

Capitulum, & Canonici Basilicæ sancti Petri de Vrbe, cùm per obitum Prosperi de Rochis, nonnullas domos existentes apud Campum sanctum hodie possessas ab Angela de Rochis prætenderent fuisse deuolutas, egerunt coram iudice deputato, qui ad fauorem dictæ Angelæ sententiam tulit, & insuper declarauit ex domibus in monitorio Canonicorum expressis, quatuor tantummodo il- 1

lorum directo dominio subiacere, cæteras verò liberas pronunciauit: sed causa per viam recursus alteri iudici commissa, reuocata fuit sententia quoad libertatem domorum, & declaratum, omnes sub proprietate Canonicorum existere, & cùm per appellationem causa fuisset ad Rotam deuoluta, dubio per me proposito DD. sententiam vltimo loco latam, quoad domos in duobus primis capitibus expressas infirmandam esse dixerunt, cùm earum dominium concludenter non probetur, vt ad rei vendicationem requiritur. Afflict. pro Isern. *in cap.*1.§. *illud,n.*22.*de prob.feud.alien.*Socin.*consil.*167. *n.*21.*in fine lib.*2.Roland *consil.*82.*num.*17.*lib.*2. Menoch.*de arb.cap.*554 *n.*7.*vers.cæterùm.*Caputaq.*decis.* 280.*part.*1. & fuit dictum in Nucerina emphyt.8. Februarij,& 5.Decembris 1608. coram Reuerendissimo Atrebaten.

2 Ad probandum enim huiusmodi dominium respectu domorum primo loco in sententia positarum, in planta verò inter numerum 18. & 19. datur instrumentum, in quo de anno 1498.per Capitulum certa domus Ioanni de Minchinis conceditur;hoc tamen instrumentum non releuat, cùm in eo concessio fiat vnius tantùm domus existentis propè,& retro Campum sanctum pro annua responsione librarum octo piperis, & pro finibus enuncietur via, qua itur ad Campum sanctum, ab aliis verò lateribus via publica, vbi est caupona, vel plaustrum Ioannis de Chiauena: isti autem fines non verificantur in duabus domibus, de quibus agitur, cùm à tribus illarum partibus non adsit via, nec iuxta plaustrum Ioannis de Chiauena illæ sint positæ, vt ex planta manifestiùs apparet. Nec valet dicere sub dicta concessione fuisse comprehensas quinque domos,nimirum tres in angulo sub *num.*21.*&* 22.vbi insignia Basilicæ reperiuntur, & alias duas,de quibus agitur. nam instrumentum,vt dixi, de vna tantùm domo loquitur, & inter has quinque, quæ ex aduerso prætenduntur,in instrumento comprehensæ aliæ domunculæ diuersarum personarum intercedunt, & sic tanto magis Capituli prætensio redditur inuerisimilis.

3 Non obstat partita extracta ex libello inserto in libro censuum Capituli,in quo enunciantur tres domus terrenæ solerata in opposito Ecclesiæ Campi sancti locatæ Iacobo de Voltolina, & Thomasio illius nepoti,& dicitur hanc esse vnam locationem simul factam cum duabus aliis domunculis terrenis, pro quibus annuus canon octo librarum piperis eidem Basilicæ soluitur, vt latiùs constare dicitur ex publico instrumento per Sanctem de Parsillis rogato. Respondetur enim fines quo ad domunculas non apparere designatos, nec expressum annum, quo dictus liber fuit confectus. Vlteriùs hæc descriptio est relatiua ad instrumentum Sanctis de Parsillis,in quo de vna solùm domo fit mentio.Et in omnem euentum iste liber non sufficeret ad probandum principaliter dominium, non concurrente canonis solutione,*l.censualis*,vbi gloss. *Cod.de donat.*Castrens.*consil.*105.*nu.*1. *in fine lib.*1. Barbat. *cons.* 8.*n.*17.*& seq.lib.*2.Afflict.*decis.*83.*nu.*12. *& decis.*264. *num.*7.*&* 8.

Nec releuat pariter adnotatio quædam extracta, vt prætenditur ex liberculo Angelæ, & per eam producto.nam vltra quòd de tali productione ipsius nomine facta non docetur, illa etiam in pluribus dicitur erronea, refertur enim ad concessionem factam Iacobo de Minghinis, & ad translationem eiusdem locationis in Federicū eius nepotem, cum assertione quòd talis concessio non reperiatur; & nihilominus in summario Basilicæ datur instrumentum, in quo leguntur concessio & translatio in liberculo enunciatæ cum vnius,& non plurium domorum expressione.

4 Non obstat, ex planta confecta, vt dicitur per Bartholomæum de Rochis ipsius Angelæ authorem probari sub dominio Canonicorum existere, domos in duobus primis sentētiæ capitibus expressas, quia non constat huiusmodi plantam à Bartholomæo fuisse confectam,& in omnem euentum illa solùm tacita esset confessio, quæ ad probandum dominium non sufficeret, cùm de illo principaliter hîc dubitari contingat. Verall.*decis.*280.*num* 5.*part.* 1.Seraphin.*decis.*1453. Quo verò ad alias duas domos inter *num.* 11. *&* 12. datur solùm partita libri censualis, quæ de domo loquitur cum domunculis in atrio vsque ad burgi mœnia: huiusmodi autem demonstrationes istis domibus non aptantur, cùm sint plures, & burgi mœnibus non cohæreant, nec habeant atrium,& domunculas,vt patet ex planta.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Romana fideicommissi de Magdalenis. Mercurij 10. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

De diuisione facta inter filios ab eorum patre,vel matre in testamento,quando seruari debeat in eisdem filiis.

SVMMARIVM.

*Actus quilibet præsumitur factus in vim præcedentis tituli,num.*1.*in fine.*

Alienans rem communem ante diuisionem, delictum committit, ibid.

Clausula constituti *probat possessionem contra constituentes,& habentes causam ab eo,num.*2.*&* 5.

*Hæres censetur approbare factum à defuncto in suo testamento,num.*3.

*Diuisio inæqualiter facta rescindi debet,n.*6. *vbi etiam isto casu quanta debet esse inæqualitas.*

Filij seruare debent diuisionem factam à matre in eius testamento,ibid.

DECISIO CLXXXII.

ROtæ visum fuit à decisis coram Cardinali Blanchetto sub die 17. Maij 1596. non recedere. Et propterea constare de diuisione bonorum fideicommisso Vannotiæ subiectorum inter Ioannem Baptistam Crescentium ex vna,& Iulianum,ac Petrum de Magdalenis ex alia, necnon diuisionem huiusmodi fuisse sortitam effectum; primò enim diuisio probatur ex testamento Baptistæ ipsius Vannotiæ filiæ, quæ de bonis maternis reliquit Casalettum Petro,& Iuliano de Magdalenis suis ex primo matrimonio filiis, Ioanni verò Baptistæ Crescentio filio ex altero viro domum magnam reliquit ad sanctum Eustachium. Diuisionis effectuatio probatur, ex quo dicti Petrus, & Iulianus post matris obitum Casalettum vendiderunt. Vnde satis

tis colligitur illud iuxta diuisionem ad ipsos integrum peruenisse. Tum quia actus in [illegible] præcedentis tituli factus præsumitur. *l. quædam mulier ff. de rei vendicatione. l. 2.* vbi Bart. *num. 2.* & alij. *Cod. de acquirend. possess.* Tum quia non præuia diuisione rei communis alienatio delictum includeret. Bald. *consil. 220. lib. 2.* quod non est præsumendum. *l. merito ff. pro socio.*

2 Quo verò ad domum pariter diuisionis effectuatio probatur ex quo Ioannes Baptista de anno 1510. illam vti propriam cum clausula *constituti* hypothecauit. Vnde apertè constat, ipsum diuisionem à matre factam approbasse. Nam aliàs domus ipsius non fuisset nec ab ipso possessa, vt apparet ex clausula *constituti*, quæ contra constituentem, & habentes ab eo causam probat possessionem. Tiraquell. *de iure constit. possess. part. 3. num. 20.* Natta *consil. 439. n. 3.* Plotus *in repetitione l. si quando nu. 137. C. vnde vi.* & fuit dictum in Romana de Roncionibus 3. Martij 1597. coram bo. me. Litta.

3 Præterea, quod omnem tollit difficultatem, cùm Ioannes Baptista matris hæres extiterit per necessarium consequens diuisionem ab eadem in testamento factam approbauit. *l. cùm à matre*, vbi Bart. Bald. & Salic. *in princip. C. de rei vendic.* Dec. *consil. 15. num. 9. & seq. lib. 1.* Socin. iun. *consil. 116. num 52. & 53. lib. 1.*

4 Nec potest in dubium reuocari, Ioannem Baptistam fuisse matris hæredem; id enim ex diuisione cum Panthasilea sorore, & quitantia super matris hæreditate bene comprobatur *auth. de testam. imperf. §. final.* vbi notant Angel. & alij Doctor.

5 Nec releuat quòd à Iuliano domus inhabitaretur de tempore quo fuit per Ioannem Baptistam hypothecata, quia hoc vel iure familiaritatis, vel locationis titulo contingere potuit, cùm tota per solum Ioannem Baptistam possideretur, vt apparet ex clausula *constituti*, quæ ipsum tantùm domus possessorem arguit. Tiraquell. *de iure constit. possess. part. 2. ampliat. 2. per totum, & ampliat. 13. num. 6.*

6 Non obstant quæ de inæqualitate diuisionis obiiciuntur ad illius effectuationem excludendam. Nam vltra prædicta quælibet inæqualitas ad hunc effectum non sufficit, sed magna diuersitas requiritur. Gabriel *de præsumpt. concl. 1. nu 30.* & in omnem euentum, cùm facta fuerit à matre, diuisio debuit inter filios omnino seruari. *l. quoties. l. filij. & l. si cogitatione. C. famil. ercisc.* Honded. *consil. 59. per totum, lib. 1.* Socin. iun. *consil. 116. num. 52. & 53. lib. 1.*

7 Denique non obstat iura super ista domo non esse in forma probanti, contrarium enim apparet, cùm illa formiter extracta, & producta fuerint. *cap. 2. de fid. instrument.*

R. P. D. MANZANEDO.

Pacen. decimarum. Veneris 12. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Remissoria conceditur super eisdem, quando articuli dantur magis specificè, & ad tollendum obscuritatem.

SVMMARIVM.

Decimarum causa dicitur esse profana, & ideò in ea remissoria conceditur in quacumque instantia, etiam sine fumo, num. 1.

Remissoria conceditur etiam super eisdem quando datur articulus releuans super materia non ampliùs articulata, & quando super eisdem dantur articuli magis specificè, & distinctè, num. 2. & 3.

Remissoria non denegatur super eisdem, quando probationes factæ redduntur obscuræ ex contrariis probationibus, & remissoria deseruit ad tollendam obscuritatem, num. 4.

DECISIO CLXXXIII.

Fvit per Dominos resolutum remissoriam esse concedendam mensæ Magistrali sancti Iacobi de Spata, cùm releuantia articulorum inter partes non controuertatur, & versemur in causa decimarum, & sic profana, in qua remissoria passim concedi solet in quacumque instantia, etiam sine fumo. Put. *decis. 334. in fin. lib. 2.* 1

Non obstat quòd super eisdem articulis fuerint aliàs in partibus examinati septuaginta testes, & ideo intret præsumptio calumniæ, & remissoria veniat deneganda. 2

Quia primus articulus continet materiam quæ non fuit ampliùs articulata, nempe quòd Magni Magistri de Spata semper exercuerunt, & exercent curam animarum in omnibus locis suorum magistratuum, & præsertim in ciuitate de Xerez per Rectores ad nutum amouibiles, qui articulus solus cùm sit releuantissimus, & tendat ad fundandam intentionem super decimis, de quibus agitur, ad fauorem exercentium curam, sufficit, pro concessione remissoriæ. Cassad *decis. 5. in fine. de sequestr. possess. & fruct.* Seraphin. *decis. 1364. num. 3.* & fuit dictum in Neapolitana illegitimatis 18. Maij 1607. coram bon. mem. Penia, & aliàs sæpe. 3

Vlteriùs licèt ea quæ hodie articulantur, magna ex parte fuerint etiam articulata in partibus, tamen respectu tertij articuli materia hodie articulatur magis specificè, distinctè specificando scilicet confines & limites partis Granciæ, quæ prætenditur priuilegiata, qui quidem limites, & confines nunquã fuerunt specificata in aliis articulis de partibus. 4

Vnde licèt materia sit eadem, tamen quia articuli specificant quod in genere in aliis articulatum fuerat, & quodammodo illam declarant, videtur remissoria concedenda. Bellamer. *decis. 725. de probat.* Abb. *in cap. fraternitatis num. 9. de testibus.*

Maximè, quia fuerat in partibus articulatũ quantitatem partis priuilegiatæ ascendere ad summam septem, vel octo Caualeriatuum, & hodie articulatur diuerso modo, nempe excedere duodecim. 5

Quibus accedit quòd pars quæ petit remissoriam, obtinuit in partibus sententiam fauorabilem, cum probationibus tunc factis, quæ si hodie sunt redditæ obscuræ ex contrariis probationibus ex aduerso factis, non videtur remissoria deneganda ad auferendum dictam obscuritatem, & ad meliùs probandum, cùm probationes non sint coangustandæ. *l. quoniam, in fine. C. de hæretic.* Mantic. *de tacit. & ambig. lib. 18. tit. 34. in fine.* 6

Et ita conclusum.

R. P. D. PAMPHILIO.

Fesulana Prioratus. Veneris 13. Ianuarij 1614.

ARGVMENTVM.

Gratia, *si neutri*, cum conditione, si beneficium vacet, & neutri ex collitigantibus ius competat, non suffragatur conditionibus non iustificatis per impetrantem.

SVMMARIVM.

Gratia conditionalis non suffragatur, nisi iustificatis conditionibus in ea expressis, num. 1. *&* 2.

Gratia si neutri, *cum conditione, si beneficium vacet, & neutri ex collitigantibus ius competat, passim conceditur prouiso Apostolico, num.* 2.

DECISIO CLXXXIV.

1 FVit resolutum gratiam *si neutri*, per D. Ascanium petitam, non esse concedendam, quia illa duplicem habet conditionem, si beneficium vacet, & neutri ex collitigantibus ius competat. Pur. *decis.* 48. *num.* 4. *lib.* 1. & fuit dictum in causa Mediolanen. præpositurae 28. Iunij 1589. coram Cardinali Platto, & in pluribus aliis, quæ conditiones non solùm non iustificantur per Ascanium, qui tenetur eadem iustificare, iuxta decisionem Caputaq. 39. *lib.* 2. Sed potiùs visum fuit constare de contrario ex decisione in hac causa facta sub die 14. Ianuarij 1613 in qua firmatum fuit bonum ius congregationis Camalduensis super ista parochiali, per quod etiam excludebatur illius vacatio, ex latè ibi deductis, & per consequens cùm huiusmodi gratia non possit aliquo modo Ascanio suffragari, vti frustratoria, & inutilis est ei deneganda, saltem officio iudicis, ad text. *in l. aliquando. §. sub conditione*, & ibi Barr. *in summario. ff. ad Velleian.* Dec. *in c. causam quæ, in secundo not. de iudic.* Roman. *consil.* 67. *in fin.*

2 Nec obstare quòd huiusmodi gratia passim concedatur prouiso Apostolico, qualis est Ascanius, ad quem spectat postea verificare dictas conditiones, & alia in gratia narrata; quia placuit responsio, quòd monachi, de quorum bono iure ex iam resolutis apparet, non debent indebitè nouis litibus defatigari, iuxta text. cum ibi not. *in c. finem litibus. de dolo, & contumac. cap. tuam. de ordin. cognit.* & faciunt tradit per Rebuff. *in prax. de rescript. si neutri, num.* 22. & per Caputaq. *decis.* 360. *incip. cum gratia si neutri lib.* 1. *in manuscript.*

Et ita decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana legitimæ. Lunæ 22. *Iunij* 1615.

DECISIO CLXXXV.

Impressa post Merl. in tract. de legitim. decis. 67.

R. P. D. VEROSPIO.

Viterbien. alimentorum, siue transactionis. Lunæ 22. *Iunij* 1615.

ARGVMENTVM.

Alimenta debita iure actionis non cessant, etiam quòd alendus aliunde, & præsertim propria industria, & labore se alere possit.

SVMMARIVM.

Alimenta debita iure actionis non cessant ex eo quòd quis propria industria se alere possit, num. 1.

Alimentandi onus cessat per obitum alendi, num. 2.

Conuentio facta in vno casu non extenditur ad alium, num. 3.

Alimenta quærenda ex propria industria, & labore sunt incerta, & non attendenda, ibid.

DECISIO CLXXXVI.

COsmus, & Faustina coniuges mediante transactione promiserunt Aurelio Marocho scuta decem quolibet mense pro eiusdem alimentis, quæ tamen secundùm iuris dispositionem cessare debuissent. Vnde cùm Aurelius dando Medicinæ operam, Doctoratus gradum fuisset assequutus, dicti coniuges de iure prætendebant ipsos ad hæc alimenta vlteriùs non teneri, tanquam ea posset arte medendi sibi Aurelius acquirere. Ad cuius fauorem nihilominus fuit in Tribunali Auditoris Cameræ pronunciatum, & causa per viam appellationis ad Rotam deuoluta; dubitaui, an dicta alimenta deberentur, postquam Aurelius obtinuisset conductas, vel arte medendi sibi victum acquirere potuisset. Et fuit affirmatiuè resolutum. Nam cùm illa per transactionem, & sic iure actionis Aurelio debeantur, non ideo cessant, quòd eadem ipsa propria industria consequi valeat. Bald. *consil.* 481. *numero* 5. *lib.* 4. Decius *in l. de alimentis numero* 5. *C. de transactionibus.* Roland. *consil* 55. *num.* 5. *lib* 2. Menoch *consil.* 8. *num.* 22. Card. Seraphin. *decis.* 487. *num.* 8.

Non obstat fuisse conuentum in transactione, quòd huiusmodi alimentorum præstatio secundùm iuris dispositionem cessaret. Cùm enim versemur in alimentis debitis iure actionis, quæ non cessant, ex quo aliunde quis ea superlucretur, dicta verba secundùm legis dispositionem vsque ad Aurelij mortem veniunt intelligenda, cùm præsertim alimenta regulariter de iure non nisi alendi obitu terminentur *l. cum ij. §. modus. ff. de transact.* Bero. *consil.* 165. *num.* 38. *lib.* 2. Cephal *consil.* 399. *numero* 12. cum aliis per Surd. *de aliment. tit.* 5. *quæst.* 1. *numer.* .. *& seq.*

Non obstat pariter dictos coniuges in vim eiusdem transactionis Aurelio scuta quatuor solummodo quolibet mense præstitisse, dum aliàs sex eidem per communitatem Viterbij soluebantur. Vnde per hoc videantur isti coniuges ad nihilum teneri, dum Aurelius aliunde victum quærere possit. Nam respondetur conuentionem in vno casu factam, ad alium extendendam non esse, cùm præsertim eadem ratio non militet. *l. Papinianus. ff. de minoribus.* Crauetta *consil.* 942. *num.* 11. *lib.* 1. Aurelius enim scuta sex à communitate ex causa merè lucratiua consequebatur; hodie verò de alimentis agitur proprio ipsius labore, & industria quærendis, quæ ob humanam imbecillitatem, cùm certa esse non possint, non videntur attendenda, vt fuit consideratum in Bononien. alimentorum 24. Nouembris 1604. coram Iusto, & in alia Romana alimentorum 13. Iunij 1608. coram R. P. D. meo Pamphilio.

REVE-

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Neapolitana iuris conferendi. Veneris 26. Iunij 1615.

ARGVMENTVM.

Ius conferendi beneficium probatur ex quasi possessione ex visitationibus Ordinarij, ex præsumptione, in eo quòd cætera illius Ecclesiæ sunt de collatione eiusdem.

SVMMARIVM.

Possessio, seu quasi possessio conferendi cum enunciatiuis antiquis instrumentorum habet vim famæ, & probat pertinentiam collationis beneficij, num. 1.

Visitationes Ordinarij in quibus dicitur beneficium spectare ad collationem alterius, probant pertinentiam collationis, num. 2.

Collatio beneficij spectare ad aliquem, præsumitur si cætera item beneficia illius Ecclesiæ spectare ad eundem quoad collationem probatur, num. 3.

Collatio beneficij licet non probetur effectuata, facit adminiculum ad probandum ad quem collatio spectet, numer 4.

DECISIO CLXXXVII.

1 Collationem primiceriatus, & fratentiarum & hebdomadariæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ in Cosmadin. spectare ad Abbatem sancti Petri ad Aram Domini, illo solùm informante responderunt, cùm ex decisione in ista causa facta 19. Decembris præteriti constet de eius quasi possessione conferendi beneficia istius Ecclesiæ per spacium 150. annorum, ex qua longa possessione iunctis antiquissimis enunciatiuis plurium instrumentorum, quæ habet vim famæ, Aym. *de antiquitate parte* 1. §. *ampliatur numero* 8. *&* 19. *& consil.* 322. *numero* 2. Rot. *decis.* 130. *numero* 1. *parte* 2. Seraphin. *decis.* 1141. *numer.* 5. probatur pertinentia collationis. Bald. *consil.* 310. *volum.* 5. Achil. *decis.* 7. *de iurepatronat.* Cassad. *decis.* 1. *de probationibus.* Put. *decis.* 60. *in fine, &* 140. *in fine, libro* 1. Rot. *decis.* 792. *num.* 1. *& sequ. part.* 1. *diuersorum*, & fuit dictum in vna Tudertina Prioratus 17. Nouembris 1589. coram Orano, & in Aurien. parochialis de Pao 15. Decembris 1611. coram me. præsertim cùm dictæ enunciatiuæ contineant collationem ab immemorabili spectare ab Abbatem. Put. *decis.* 209. *numer.* 3. *lib.* 2. & fuit dictum in vna Burgen. Quindenniorum 8. Martij 1599. coram Litta.

2 Prædicta confirmantur ex visitationibus Ordinariorum formiter extractis, in quibus per prouisos ab Abbate exhibitis eorum titulis, visitatores dixerunt collationem ad Abbatem spectare, quibus visitationibus in hac materia multum deferri solet Rot. *decis.* 11. *num.* 2. *de iurepatronat. in nou.* Put. *decis.* 743. *in fine lib.* 2. Gabr. *consil.* 192. *num.* 7. *& consil.* 198. *num.* 4. *lib.* 2. Seraphin. *decis.* 272. *num.* 3. iunctis præsertim duabus sententiis antiquis, in quibus hæc pertinentia fuit canonizata. Nec facit quòd respectu primiceriatus adsit vna tantùm collatio Abbatis de anno 1460. effectuata, quia vltra illam adsunt etiam visitationes Ordinariorum, in quibus dicitur collationem omnium beneficiorum istius Ecclesiæ pertinere ad Abbatem, inter quæ beneficia adest etiam iste primiceriatus.

Vltra quòd cùm cætera beneficia huius Ecclesiæ sint de collatione Abbatis, iuxta superiùs adducta, præsumendum videtur etiam primiceriatum ad illius collationem spectare, iuxta *decis.* 15. *&* 16. *de iurepatronat. in antiq.* Felin. *in cap. cùm venerabilis n.* 37. *versic. Tu vide, de except.* & fuit dictum in vna Bononien. Capellæ 29 Februarij 1608. coram Domino meo Decano, & in illa Papien. iurispatronatus 17. Februarij 1612. coram me. maximè stantibus plurimis antiquissimis enunciatiuis, quòd ipsamet Ecclesia est grancia, & membrum Abbatiæ. 3

Et tandem præmissa roborantur ex alia collatione facta per Abbatem de anno 1567. quæ licèt non probetur effectuata, tamen negari non potest quin faciat aliquod adminiculum. 4

Et ita conclusum.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana electionis puellæ. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

Legatum dotis factum puellæ eligendæ per aliquem, intelligi debet, dummodo eligatur virgo pauper, & non indigna, cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Testator quod expressè non dixit voluisse non videtur, num. 1.

Testatoris dispositio, quæ non est relatiua ad aliquas qualitates debet esse libera, & non qualificata nu. 2.

Legatum dotis factum puellæ eligendæ per aliquem, intelligi debet dummodo eligatur virgo pauper, & non indigna, & dummodo eligens non abutatur in eligendo potestate sibi concessa, ibid. & seqq.

Puellæ verbum intelligitur de virgine. num. 3.

Verba vbi non sunt apposita per modum qualitatis ad præcedentia, referuntur ad proxima, n. 4.

Obseruantia subsequuta declarat etiam testatoris dispositionem. declara vt num. 5.

Obseruantia interpretatiua ad hoc vt suffragetur, debet esse præcisa & indiuidua in casu de quo agitur, ibid.

Obseruantia interpretatiua non operatur vbi verba sunt clara, ibid. vbi quòd nec etiam operatur sine scientia, & patientia illius de cuius interesse agitur.

Testatoris dispositio interpretari debet secundum statuta loci testatoris. declara vt num. 6.

DECISIO CLXXXVIII.

Cæsar Pandinus in eius testamento condito del 1604. relicto sibi hærede Iulio Cæsare ex fratre nepote, inter cætera mandauit ex suis bonis hæreditariis quotannis in perpetuum die festiuitatis Sanctissimi corporis Christi dotari tres puellas deligendas, vnam ab eius hærede, reliquas verò à 1

generali congregatione Ven. Archiconfraternitatis Pontissimi corporis Christi Ecclesiæ sancti Petri in Vaticano cum dote scutorum 40 pro qualibet exbursandorum per dictum hæredem ad requisitionem officialium dictæ Archiconfraternitatis; & iuxta illius ordinationes & statuta fuit dubitatum an puella per hæredem eligenda habere debeat qualitates requisitas in aliis quæ dotantur à dicta Archiconfraternitate iuxta illius constitutiones? & negatiuè fuit resolutum. Testator enim id nō dixit, prout facile poterat. vulg. *l. vnica. §. sin autem ad deficientis. C. de caduc. tollend.* & sufficit non fuisse verbis expressum. *l. quoties* 9 *& l. quidam cùm filium* 46. vbi Bald. & Ang. *ff. de hæred. instit.* latè Card. Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 2. tit. 2. num.* 2.

2 Neque ex coniecturis desumitur, & dispositio testatoris respectu qualitatum puellarum non est relatiua ad dictas constitutiones, ideoque electio debet esse libera, & non qualificata, ad tradita per Calderin. *consil. 29. vers. respondeo, tit. de testam.* & sufficit quòd non eligatur indigna. gloss. *in l. cùm quidam, in verb. qui non offenderint. vers. quid si aliqui. ff. de legat. 2.* & ibi Bart. *nu. 3. vers. nam quando & num. 6.* Castr. & Imol. *eodem num.* Florian. de sancto Petro *n. 9. & 10.* Peralt. *de communi nu* 18. Molin. *de primog. Hisp lib. 2. cap. 5. num. 46.* & in terminis nostris tenuit Rota *in Romana dotium de Matthæis* 17. Decembris 1584. coram bo. me. Bubalo. & quòd hæres non abutatur in eligendo potestate sibi concessa. *l. fideicommissa. §. si fideicommissum. vers. quandoque. ff de leg. 3.* cum allegatis per Mantic. *de coniect. tit. 5. nu. 8.* & tenuit Rota *in d. Romana dotium de Matthæis.*

3 Propterea dixerunt DD. satis esse quòd eligatur virgo, vt importare videtur illud verbum *puella.* arg. *l. cùm quædam puella. ff. de iurisd. om. iud. cap. puella,* & ibi gloss. *20. quæst. 2. & cap. honorantur,* vbi similiter gloss. *32. quæst. 1.* Cassan *cap. qualis 30. quæst 5.* quæ non sit malis imbuta moribus, ad text. *in l. sed ea. de sponsal. l. nuptiæ. C. de nupt & in l. 3. §. si emancipatis ff. de bon. poss. contra tab.* & in puncto Menoch. *præsumpt. 189. n. 85. lib. 4.* viripotens, iuxt. *cap. puberes, cap. de illis il 2. & c. fin. de spons. impub.* & demum pauper, iuxta verisimilem mentem testatoris, & solitum in huiusmodi legatis quæ relinquuntur pro eleemosyna. Quas etiam qualitates sufficere absque eo quòd concurrerent requisitæ à Congregatione Sanctissimæ Annunciationis. in simili legato tenuit Rota *in Romana dotium de Matthæis.*

4 Non obstant verba illa iuxta statuta Ven. societatis, & ordinationes officialium illius, quia non adiecta electioni puellæ per hæredem faciendæ, sed solutioni scutorum 40. pro dotibus faciendæ, ad requisitionem, & iuxta ordinationes dictorum officialium, & statuta dictæ Archiconfraternitatis. Quod euidenter constat ex lectura testamenti, in quo cùm verba non sint apposita per modum qualitatis ad præcedentia, referuntur ad proxima. *l. filium, cum ibi not. ff. quand dies leg. ced.* & ibi Castr. *in princ. vers. si autem,* & Socin. *col. 2. vers. 2. notandum est.* Bart. *in l. fin. num. 1. vers. si enim illa clausula. ff. de reb. dub.* Menoch *præsumpt. 181. num. 13. lib. 4.* Ordinationes & statuta ad quæ testator se retulit, sunt quòd adhibeatur fides parocho matrimonij contracti, & quòd dos non soluatur, nisi data priùs idonea cautione de illam restituendo, casu quo puella sine filiis decederet, vel inhonestè viueret, vel aliàs prout in dictis ordinationibus.

5 Minus obstat quòd puellæ electæ per hæredem ab officialibus Archiconfraternitatis fuerint visitatæ, & præuio scrutinio approbatæ, & sic obseruantia à qua dispositio testatoris dicitur interpretationem recipere. Aym. *consil. 101. nu. 3.* Nam vltra quòd non probatur, & præsertim quòd puellæ per hæredem electæ habuerint omnes qualitates, iuxta ordinationes dictæ Archiconfraternitatis, & non sufficeret, quòd aliquas habuissent, cùm obseruantia debeat esse præcisa, & indiuidua casus, de quo agitur. Surd. *consil. 324. num.* 26 prout debet esse consuetudo. Alexand. *consil. 196. n. 14. lib. 2.* Natt. *consil 575. n. 15. & consil. 600. num. 2.* Roland. *consil. 53. nu. 39. vol. 1.* Illa non potest suffragari contra verba testamenti satis clara, tanto minus, quia non constat de scientia, & patientia hæredis, sine qua non potuit induci dicta obseruantia. Bart. *in l. 1. § huius autem interdicti, num. 3. vers. 2. modo. ff. vti possid.* Abb. *in cap cùm Ecclesia Sutrina n. 25. de caus. possess. & propr.* Rot *decis.* 104 *num. 16. part. 2. diuers.*

Demum non obstat testatorem tanquam vnum ex confratribus dictę Archiconfraternitatis voluisse se conformare cum illius ordinationibus & statutis ad not. per DD. *in l Gallus. §. quidam rectè ff. de lib. & posth.* Quia vltra quòd coniectura ista procedit in dubio, & quando voluntas est tacita, & antiqua, prout loquuntur Ant. Rub. *in repet. d. § quidam rectè n. 62. vers. quia in dubio,* & ibi Crot. *num. 110.* & alij. Simon de Præt. *de interpret. vlt. volunt. lib. 1. solut. 10. n. 10.* Card. Mantic. *de coniect. lib. 6 nu. 28. in fin.* Secus vbi verba repugnant, vt in casu nostro. Mantic *ibid. num. 10.* Honded. *consil. 48. num 47. vol. 1.* vel violarentur. Alex. *in l. hæredes mei. §. cùm ita sub num. 11. ff. ad Trebell.* illis enim magis inhærendum est, vt dicit Mantic. *vbi supra n* 28.

Illa intraret si testator disposuisset in casu, in quo disponunt statuta Archiconfraternitatis, videlicet de puellis per eam eligendis. Aym. *consil. 250. num. 4.* Rot. *decis. 775. numer. 5. part. 1. diuers.* Decian. *consil. 98. numer. 22. volum. 3.* vel si idem ipse testator alias puellas in eius vita dotasset, iuxta dicta statuta, quasi tunc illa essent sibi nota, & secundùm ea vixisset, & ideo eis videtur affectus, quæ est ratio propter quam testator præsumitur cum statuto se conformare. Socin. *cons. 90. lib. 1.* Rot. *dicta decis 775. num. 6.* Quæ videtur cessare in statuto particulari secundùm quod non viuebat, nec ei in disponendo de re propria erat subiectus, & ideo ex his DD. resoluerunt, vt suprà, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Mediolanen. pensionis. Mercurij 1. Iulij 1615.

ARGVMENTVM.

De transactione facta inter beneficiatos, & Canonicos Mediolani super redditibus Ecclesiasticis, quòd non sit valida ex pluribus capitibus, de quibus in decisione.

SVMMARIVM.

Litteræ Apostolicæ habent exequutionem paratam, n. 1. in fine.

Transa-

Transactio super rebus Ecclesiasticis requirit easdem solemnitates, quæ requiruntur in alienationibus, n.2.
Episcopus non potest disponere super redditibus suæ Ecclesiæ, nisi eius dispositio fuerit à Sede Apostolica confirmata, ibid.
Apostolicum beneplacitum vbi fuit reseruatum in aliquo contractu, contractus sine eo celebratus est nullus, ibid.
Transactio facta de rebus Ecclesiasticis non valet sine consensu Episcopi, vel Archiepiscopi, ibid.
Pactum resolutiuum in transactione appositum facit vt ipsa transactio ratificari non possit post resolutam transactionem, nu.3.
Transactio rescindi potest ex capite læsionis enormissimæ, nu.4.
Transactio facta super redditibus Ecclesiasticis à beneficiatis, requirit consensum omnium beneficiatorum, ibid. declara vt num.5.
Remedium petitionis hæreditatis, vel interdictum quorum bonorum, non impeditur per habentem titulum inualidum. ibid.
Beneficiati transigendo successoribus præiudicare non possunt sine Apostolica confirmatione, n.6.

DECISIO CLXXXIX.

1 INformantibus tantùm Dominis beneficiatis, Officialibus nuncupatis Ecclesiæ Cathedralis Mediolanen. Rota ad eorum fauorem respondit. nam ex decisionibus in hac causa factis, constat de ipsorum bono iure; in prima enim fuit firmatum, applicationem pensionis, de qua agitur, fabricæ domorum Canonicalium, & ipsorum beneficiatorum factam per glor. memor. S. Carolum Archiepiscopum Mediolanen. de anno 1583. non fuisse perpetuam, sed restrictam ad quinque annos, vt in decisione 12. Maij anni præteriti coram me; in secunda verò, die 20. Februarij præteriti fuit decisum, applicationem bonorum de Besate, quorum loco Domini Canonici prætendebant posse pro fabrica retinere dictam pensionem, expirasse, vnde hodie non videbatur dubitandum, quin beneficiati essent immittendi in quasi possessionem exigendi dictam pensionem: quia ipsi habent intentionem fundatam in litteris Apostolicis reseruationis pensionis, & in forma rationi congruit à fel. record. Gregorio XIII. expeditis, quæ habent executionem paratam. *cap. litteris. de rescript.* Gig. *de pens. quæst.* 35. *num.* 9. *&* *quæ* 85 *num.* 2. Cassad. *decis.* 10. *nu.* 8. *de rescr.* Sarnen. *in compend. vtriusque Signat. nu.* 86. *versic. Sed in Papa. cum vulgar.*

2 Neque obstare videbantur transactiones initæ inter Canonicos, & beneficiatos, quia fuit responsum in primis eas corruere ex defectu confirmationis Apostolicæ, quæ requiritur in transactionibus, sicut in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, Redoan. *de reb. Eccles. non alien. cap.* 1. *num.* 12 *& seq.* Caputaq. *decis.* 106. *part.* 1. & nisi obtineatur, est saltem locus pœnitentiæ, Put. *decis.* 2. *de transact.* Caputaquen. *decis.* 12. *num.* 3. *part.* 3. Achill. *decis.* 2. *num.* 3. *de pact.* & confirmatur exemplo ipsius S. Caroli. qui nunquam voluit de huiusmodi redditibus disponere absque speciali Sedis Apostolicæ facultate, ad not. *in cap.* 1. *de his quæ fiunt à prælat.* & quatenus prædicta paterentur aliquam difficultatem, ex quo allegata videntur procedere in terminis beneplaciti Apostolici, vel consensus expresè reseruati, vt etiam loquuntur Cephal. *cons.* 118. *lib.* 1. Roland. *cons.* 63. *per tot. lib.* 4. Surd. *cons.* 484. *num.* 6. *&* 7. *lib.* 4. allegati per informantes. Respondebatur magis in specie quo ad primam transactionem, quæ fuit facta de anno 1585. nullitatem esse claram ob defectum consensus Ordinarij, iuxta text. *in c.* 2. ibi, de assensu Episcopi, vel Archiepiscopi, & ibi notant omnes Doct. *extra de transact.*

Quo verò ad vltimam transactionem de anno 1602. 28. Augusti celebratam, nec etiam posse saluari videbatur à manifesta nullitate, quia fuerat adiecta conuentio de ratificando instrumentum intra quindecim dies cum pacto resolutiuo, quæ tamen ratificatio non fuit facta nisi post protestationem nullitatis, acceptationem resolutionis, ex lapsu temporis, quæ ratificatio nihil operatur, cùm debeat fieri re integra. *l. bonorum ff. rem rat. haber.* Paris. *cons.* 77. *n.* 39. *lib.* 1. 3

Sed quo ad transactionem initam de anno 1591. cum arbitramento, seu laudo Archiepiscopi, & Vicarij, & cum acceptatione vtriusque partis, & in qua pensio fuit assignata pro scutis 600. fabricę, tam beneficiatorum, quàm Canonicorum vsque ad eius perfectionem, videbatur adesse aliqua difficultas, ex quo ista transactio, vel compositio non videbatur posse impugnari, nisi ex capite læsionis, & vt prætendunt beneficiati, enormissimæ, cuius ratione competit remedium *l.* 2. *Cod. de rescind. vend.* gloss. *in cap.* 1. *in vers. redire, de in integr. restit.* Bart. *in dict. leg.* 2. *num.* 7. Cagnol. *de communi num.* 80. & læsio resultat, tum ex eo, quòd pensio non erat applicata per S. Carolum, nisi per quinquennium inceptum ab anno 1583. vt iam Rota resoluit 12. Maij 1614. coram me, & tamen in hac transactione fuit applicata vsque ad perfectionem vtriusque fabricæ, quæ potest perdurare per longissimum tempus, tum quia fuit applicata pro fabrica etiam Canonicorum: dicebatur tamen, nullitatem etiam huius transactionis resultare ex defectu consensus beneficiatorum, qui præsupponuntur esse numero trigintaduo. In transactione autem interuenerunt solùm 13. Et tamen omnium consensus videbatur requiri, cùm esset negotium voluntarium, non necessarium, iuxta *cap. fin.* vbi Innoc. *nu.* 3. *ad fin.* Butr. *in* 5. *notab.* Abb. *in* 6. *not.* Card. *in* 7. *oppos.* Ancharan. Anan. & Imol. *circa principium*, Host. *num.* 18. *vers. vel dic.* Ægid. *sub num.* 6. *vers. item, de maior. & obed.* Felin. *in cap. cùm omnes, num.* 17. *ad fin. vers. Et hanc. de constit.* 4

Quæ nullitas applicatur etiam aliis transactionibus, de quibus suprà. Et stantibus nullitatibus transactionum, ex iis non videtur impediri via executiua immissionis, sicut in simili ad impediendum remedium petitionis hæreditatis, vel interdictum, *Quorum bonorum*, requiritur titulus validus, nec sufficit inualidus, vel putatiuus, *l. nec vllam.* §. 1. *ff. de pet. hær.* Seraphin. *decis.* 256. *in princip.* & alia similia congeruntur per informantes, præsertim quando nullitas est ex defectu consensus, prout hîc. Put. *decis.* 277. *num.* 7. *libro* 3. Seraph. *decis.* 638. *num.* 1. 2. *&* 3. *part.* 1. 5

Quæ eo magis videbantur amplectenda, ex quo beneficiati qui transegerunt, non potuerunt præiudicare successoribus sine confirmatione Apostolica, ita vt non possint venire via executiua immissionis, sicut possent venire remedio spolij, si fuissent spoliati, cùm agant nomine Ecclesiæ, Caputaquen. *decis.* 170. *&* 181. *part.* 3. Si tamen super hoc aderit aliqua difficultas circa mo- 6

dum causæ expediendæ, iterum consulam Dominos, cùm beneficiati acquiescant accipere expeditionem saltem via ordinaria per sententiam.

Ex quibus fuit conclusum pro informante, quo ad fructus tamen futuros, non autem antea decursos, & per Canonicos, seu Fabricerios perceptos, nisi à tempore motæ præsentis litis.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana restitutionis dotis. Mercurij 1. Iulij 1616.

ARGVMENTVM.

Exceptio præscriptionis ab habente titulum vniuersalem non impedit immissionem ex Saluiano interdicto, & quando quis dicatur habere vniuersalem titulum.

SVMMARIVM.

Præscriptionis exceptio opposita ab habente vniuersalem titulum non impedit Saluianum interdictum, n.1.

Hæres dicitur successor vniuersalis, nu.2.

Titulum vniuersalem habere quando quis dicatur, ibi.

Successor vniuersalis dicitur non solum hæres institutus, sed etiam substitutus, ibid.

Hæredis alterius nunquid dicatur hæres primi hæredis, ibid. in fine.

Hæreditario titulo possidere rem quis dicitur, quando illam possidet vigore pacti de retrouendendo in hæreditate reperti, nu.3.

DECISIO CXC.

1 FVit 13. Martij præteriti coram me decisum, Ioan. Curto pro recuperatione dotis Alexandrę Gucchiæ, cuius fuerat hæres, competere Saluianum contra Archiconfraternitatem Sanctissimæ Trinitatis, quę domum retinebat olim possessam à Ioanne Baptista de Ganis huius dotis fideiussore. Verùm, quia dicta Archiconfraternitas ad excludendum Saluianum excipiebat de præscriptione, super ea dubio per me proposito, quod fuerat in decisione reseruatum, fuit responsum, illam non obstare; cùm enim Archiconfraternitas domum vniuersali titulo possideat, allegata præscriptio ad effectum impediendi Saluianum illi non suffragatur. *l. cùm notissimi. §. 1. de præscript. 30. annorum*, & ibi Bald. *num. 1.* Angel. *num. 2.* Salicet. *nu. 2.* Gabriel. *cons. 144. num. 77. libro 2.* Curt. *cons. 70. num. 2. libro 2.* Boër. *decis. 328. num. 2.* & fuit dictum in causa Imolen. Saluiani interdicti 27. Iunij 1594. coram Cardinali Mantica.

2 Quòd autem Archiconfraternitas vniuersali titulo successerit præter mandatum de immittendo, quod tanquam hæres obtinuit in bonis hæreditariis Siluię dicti Ioannis Baptistę fideiussoris filię, & hæredis, probatur ex eiusdem Siluię testamento, in quo illa disposuit, vt post obitum Leonardi sui filij, absque filiis, nonnulla ipsius bona ad certas personas deuenirent; de residuo verò hæreditatis voluit, vt per tutores, & curatores Leonardi filij constitueretur, & donaretetur in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Capellæ, quæ dispositio de residuo titulum vniuersalem importat. *l. 2.* vbi Alex. Castr. & cęteri. *C. de hæred. instit.* Bart. *in l. Centurio n. 42. ff. de vulg. & pupil.* Vnde, cùm factus fuerit substitutioni locus ad fauorem Archiconfraternitatis, satis apparet illam in domo, de quo agitur, vniuersali titulo successisse, cùm per substitutionem vniuersaliter sicut per institutionem succedatur. Paris. *cons. 43. nu. 48. lib. 3.* Doctor. *in rubr. de vulg. & pupill.* Peregrin. *de fideicom. art. 5. nu. 6.* Nec potest controuerti, quin Archiconfraternitas tanquam hæres Ioannis Baptistæ domum possideat, cùm fuerit hæres Siluiæ illius hæredis. *l. fin. C. de hæred. instit.* Angel. Aretin. *cons. 93. nu. 10.* Alex. *cons. 172. num. 12. lib. 6.*

3 Non obstat, quòd per Archiconfraternitatem eadem domus postea fuerit redempta. Nam cùm hoc illa vigore pacti de retrouendendo in hæreditate reperti præstiterit, satis apparet ipsam titulo hæreditario dictam domum possidere. Tiraquell. *de retract. lignag. §. 19. gloss. 2. nu. 4. & seq.* & fuit dictum in Bononien. de Bonsignoribus 3. Aprilis 1609. coram R.P.D. Caualerio.

R. P. D. PAMPHILIO.

Fesulana Prioratus. Lunæ 16. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Assertioni Papæ, continenti præsertim dispositionem, & dicenti se ita velle, an standum, & credendum sit, & quid si assertio emanauerit ad postulationem partis, & contineat factum proprium.

SVMMARIVM.

Verba enunciatiua quæ dispositionem continent, satis probant, n. 2.

Assertioni Papæ dispositionem continenti, & dicenti se ita velle, standum est, ibid. ante fin. vbi præsertim quando assertio continet factum proprium Papæ, & nu. 3.

Enunciatiuæ adminiculatæ per Pontificem prolatæ probant, licèt emanauerint ad postulationem partis, ibid.

Scripturæ non recognitæ, & lite pendente extractæ ex archiuo monachorum nunquid probent ad fauorem monasterij, n. 6.

Pluralitas Ecclesiarum eiusdem inuocationis non præsumitur, ibid. in fine.

DECISIO CXCI.

PRoposui dubium, an Ecclesia, seu Prioratus, de quo agitur, sit Regularis Monachorum Camaldulensium? Et Domini concluserunt constare de antiquo statu Regularitatis, quia in Bulla Cælestini tertij de anno 1191. Camaldulensibus directa super confirmatione iurium Ecclesiæ supradictæ habentur huiusmodi verba. *Ius parochiale, quod Ecclesia vestra Sanctæ Margaritæ per 40. annos tenuit inconcurssè, donationes quoque, seu concessiones, &c. decimas etiam, & alia iura Ecclesiæ vestræ, vobisque competentia auctoritate Apostolica confirmamus.* & eadem verba habentur in Bulla Gregorij IX. de anno 1227. ac postmodum idem Gregorius de dicto anno

anno 1227 & Alexander IV. de ann. 1258. cùm susceperint sub protectione Sedis Apostolicæ Camaldulenses, & eorum loca & beneficia, subiiciunt huiusmodi verba, quæ loca propriis duximus vocabulis exprimenda in Episcopatu Fesulano monasterium sanctæ Mariæ de Poplena, & sanctæ Margaritæ in Pomino, vt apparet ex Bullis in actis productis, quę vnà cum duabus aliis supradictis satis ad istum effectum visæ sunt releuare, quia Pontifices pluries in eis ita esse affirmant, & sunt antiquissimæ, excedẽtes spatiũ 300. annorum, quo casu verba etiam enunciatiua cùm habeant vim famæ in antiquis probant. Butr. & alij *in cap. fin. de success. ab intest.* Dec. *cons.* 152. *sub n.* 2. *versic. Et prædicta maximè.* Aym. *cons.* 322. *n.* 2. *& in tit. de antiquit. tempor. in pr. n.* 8. Put. *dec.* 209. *n.* 1. *lib.* 2. Achil. *dec.* 7. *de iure patron.* & in istis terminis fuit dictum in causa Tudertina Prioratus 17. Nouembris 1589. coram Orano, & in causa Ferrarien. Prioratus 4. Decembris 1609. coram Pegna.

2 Quod eo faciliùs visum fuit admittendum, quia, vt legitur in alia Bulla Vrbani VI. cum de anno 1270. vacasset monasteriũ sanctæ Margaritæ de Tossina per obitum Matthæi Prioris, maiórque Camaldulen. ad illud deputasset Petrum Eremitam, idem Vrbanus, qui sibi illius prouisionem pro illa vice reseruauerat, asserẽs huiusmodi monasterium, eiúsque prouisionem ad antiquiorem Monachum Camaldulen. maiorem nuncupatum de antiqua, & approbata consuetudine pertinere, necnon Priorem pro tempore existentem pro solo nutu amoueri, & ad claustrum Eremi reuocari consueuisse, dictam prouisionem maioris irritam declarauit, & de dicto monasterio eundem Petrum Eremitam prouidit, & postea subdit huiusmodi verba, *Volumus autem, quòd in eodem monasterio solitus monachorum numerus nullatenus minuatur.* quæ cùm dispositionem contineant, ex quo ex iis Vrbanus se ita velle declarat, satis ad istum effectum probat. *c.* 2. *de in integr. restit. cap. si Papa.* §. 1. *de priuil. in* 6. Dec. *d. cons.* 152. *sub n.* 2. *versic. Nam clarum est.* Seraph. *dec.* 125. *n.* 12. Præsertim, quia continent etiam assertionem ipsius Vrbani de facto proprio, cui standum est. *Clem.* 1. *de probat.* Butr. *in d. c. fin sub n.* 3. *versic. quandoque verba. de success. ab intest.* Mandos. ad Roman. *cons.* 191. *verbo. non inducit, versic. Fallit primò.*

3 Nec obstat, quòd huiusmodi Bullæ emanauerint ad postulationem Camaldulensium, quia vltra quòd Vrbanus in eius Bulla asserit prouisionem dicti monastarij vti Camaldulensium ea vice sibi reseruasse, quo casu talia verba tanquam facti proprij assertiua ipsius Papæ, & prolata per viam dispositionis per se probant, ex suprà allegatis. Fuit etiam pro responsione dictum quòd supradictæ enunciatiuæ sunt sufficienter adminiculatæ, quo casu probant, licèt emanauerint ad postulationem monachorum, Put. *dec.* 144. *nu.* 2. *lib.* 3. Caputaq. *dec.* 337. *lib.* 3. Achil. *d. decis.* 7. *in fine, de iure patronat.* & fuit dictum in causa Theatina iurisdictionis 26. Iunij præteriti coram R. P. D. meo Decano, & aliàs sæpe.

4 Adminicula autem in casu isto plura concurrunt. Nam ex aliis scripturis pro parte monachorum in actis productis apparet, quòd Priorem Camaldulen. de anno 1231. monuit ad comparendum coram ipso Priore sanctæ Margaritæ, cùm appellasset, & noluisset comparere dictus Prior Camaldulen. illum excommunicauit, ex quo satis colligitur, quòd dictus Prior sanctæ Margaritæ erat regularis, quod etiam comprobatur, ex quo idem Prior legitur pluries conuocatus ad Capitulum ordinis Camaldulen. in quo habuit vocem prout alij Regulares, & quia in collectis plurium annorum impositis in Capitulis generalibus super monasteriis & Prioratibus Camaldulen. pro soluendis debitis taxatur etiam monasterium S. Margaritæ de Tossina, & cùm de anno 1321. Prior dictæ Ecclesiæ non soluisset ratam ipsum tangentem, ac propterea in pœnam excommunicationis incurrisset, Generalis mandauit illum absolui.

5 Præterea ex eisdem scripturis apparet cùm de anno 1377. orta esset rixa inter Moniales S. Petri de Luco ordinis Camaldulen. Generalis delegauit Priorem monasterij S. Margaritæ de Borsellis eiusdem ordinis, vt accederet ad dictas Moniales, & quòd idem Generalis Camaldulen. ad istam Ecclesiam vti Regularem accessit, eámque vti Generalis visitauit, & cùm fuisset electus Legatus in Germaniam, in socium itineris assumpsit Priorem S. Margaritæ de Tossina, ac insuper in eis scripturis legitur, quòd cùm monasterium S. Margaritæ de Tossina haberet quoddam prædiolum, & frater Philippus eius Prior vellet illud alienare, obtinuit litteras si in euidenter à Generali Camaldulen. ex quibus omnibus saltem simul iunctis absque difficultate supradictæ enunciatiuæ visæ sunt Dominis sufficienter adminiculatæ, ad notat. per Bart. *in l. admonendi, num.* 49. *ff. de iur. iuran.* cum aliis adductis per Cephal. *cons.* 207. *n.* 6. *& seq.* cum simili.

Neque refragatur quòd huiusmodi scripturæ non sunt recognitæ, & fuerint lite pendente ex proprio archiuo monachorum extractæ, quia cùm sint antiquissimæ excedentes ad minus spatiũ 200. annorum, non egent recognitione. Put. *decis.* 350. *num.* 6. *libro* 2. *& decis.* 151. *libro* 1. & fuit sæpissimè decisum. Et licèt possent pati aliquem defectum, tamen cùm ex earum aspectu colligatur antiquitas, & excludatur suspicio, negari non potest quin benè deseruiant pro adminiculo, ad notat. post. *in l.* 2. *num.* 25. *vers. Nam testis. ff. de appell. recip.* per Caputaq. *decis.* 206. *num.* 6. *& decis.* 208. *num.* 8. *p.* 2. 6

Neque releuat, quòd in aliquibus ex supradictis scripturis nominetur tantùm Ecclesia, seu monasterium S. Margaritæ, quia placuit responsio, quòd illæ suppleri & declarari debeant ab aliis, quæ specificant in Pomino & Tossina, & de Borsellis, quæ nomina licèt sint diuersa, vnam tamen, & eandem Ecclesiam significant, vt deponit secundus testis juxta 39. qui reddit rationem, quia fuit in dicta Ecclesia, & ita semper audiuit eam à diuersis personis vocari, & probatur ex confessione Martini authoris Ascanij cum aliis per informantes deductis. Tanto magis, quia non apparet, quòd Camaldulenses habeant aliam Ecclesiam sub huiusmodi inuocatione, nec aliàs pluralitas præsumatur. Aymone *consil.* 198. *num.* 1. *&* 4. Cephal. *consil.* 170. *num.* 45. Menoch. *consil.* 248. *numero* 33. & ex his fuit conclusum constare de antiquo statu Regularitatis. An autem adsit aliquis vlterius status, qui suffragetur Ascanio, Domini voluerunt quòd particulariter videatur. 7

REVERENDISSIMO P. D.
MANZANEDO.

Ciuitatis Castelli supplementi legitimæ. Veneris 27. Nouembris 1615.

DECISIO CXCII.

Impressa est post Pacific. de Saluian. Interdict. dec. 304. & post Merlin. de legitim. decis. 80.

R. P. D. VEROSPIO.

Placentina voti. Veneris 27. Nouembris 1615.

ARGVMENTVM.

Episcopus in electionibus beneficiorum, confraternitatum, & societatum, habet votum eligendi, sicut Capitulum, Quomodo hęc conclusio intelligatur, in hac decisione bene declaratur.

SVMMARIVM.

Episcopus in collationibus beneficiorum tantam habet vocem quantam ipsum Capitulum, n. 1. Fallit in electionibus, in quibus requiritur eiusdem Episcopi confirmatio, cùm simul esse non possit vt Episcopus eligat, & confirmet, d. n. 1. & 2. vbi bene declaratur hæc fallentia.

Episcopus in collationibus beneficiorum nunquid concurrat cum Capitulo tanquam Prælatus, vel tanquam Canonicus, n. 2. vbi etiam de effectu huius conclusionis.

Appellatio ab actu gesto ab Episcopo tanquam Canonico causam deuoluit ad ipsum Episcopum, secus in appellatione interposita ab actu gesto ab Episcopo vti Prælato, quia tunc causa deuoluitur ad Metropolitanum, num. 3.

Episcopus in electionibus beneficiorum confraternitatum, & societatum concurrit tanquam Canonicus, non tanquam Episcopus, n. 4.

Obseruantia interpretatiua non requirit alicuius temporis probationem, sed sufficit ita aliquando fuisse obseruatum, ibid.

Protestatio præseruatiua sui iuris non prodest facta in vna actu, nisi repetatur in aliis subsequentibus actibus, n. 5.

Beneficia minora non possunt conferri per electionē, n. 6.

Episcopus in electionibus debet habere votum qualificatum. declara vt n. 7.

DECISIO. CXCIII.

1 ORta inter Reuerendissimum Episcopum Placentinum, & illius Ecclesiæ Capitulum controuersia super ipsius Episcopi voto in electionib. ad beneficia, quæ societates nuncupantur, causa de vtriusque partis consensu Rotæ commissa, dubitaui quale votum habere debeat Episcopus in electionibus ad huiusmodi societates, & vtraque parte informante, Domini censuerunt, illum ad instar Canonici votum habere. Nam licèt in beneficiorum collationibus tantā vocem habeat Episcopus, quantam ipsum Capitulum. Hostiens. *in cap. postulastis, de concess. prabend.* Id tamen locum non habet in electionibus, in quibus requiritur eiusdem Episcopi confirmatio, cùm simul esse non possit, vt Episcopus eligat, & confirmet. Abb. *in cap. postulastis, num. 12. de concess. prabend.* Imol. *num. 13. vers. & per præd. potest inferri.* Butrius *in 1. quæst. sub num. 8.* Card. *in 7. opposit.* Anchar. *n. 5. vers. ex hoc colligere,* ibidem, cùm ab inferiori procedat electio, confirmatio verò à superiore. Hostiens. *in summa tit. de elect. n. 27. & tit. de confirmat. vtil. vel inutil. n. 5.* Nec valet Episcopus actum à se factum eodem iure, quo illum fecit confirmare. Butr. *in d. cap. postulastis, sub n. 4. & 5. de concess. prabend.*

2 Vnde, vel nō debet habere votum Episcopus, vel cum electione compatibile, vt nimirū ad illud, vti Canonicus, non tanquā Prælatus concurrat. Abb. & reliqui Canonistę *in alleg. cap. postulastis.* sicut pariter si in aliquo actu Episcopus vti Canonicus interueniat, & Capitulū sit negligēs, ad eum sit deuolutio, cùm ibi tanquām inferior se habeat; secus verò quando vti Prælatus concurrit, tunc enim cùm sit in eo actu superior, non ad illum, sed ad Archiepiscopū, vel alium superiorem res deuoluitur. Host. *in d. c. postulastis n. 2. circa medium.* Abb. *n. 4. & 10.* Card. *col. 1. ad fin. vers. 5. etiam.* Anan. *n. 1. & 3.* Anch. *num. 3. versic. sed dicas, & n. 5. in 2. opposit.* Imol. *n. 3.*

3 Pari modo, quādo appellatur ab actu, in quo Episcopus tanquam Canonicus interest, ad eum causa deuoluitur; secus verò vbi ille interuenit vti Prælatus. *cap. à collatione,* vbi Gloss. & DD. *de appellat. in 6.* Abb. *in d. c. postulastis, n. 11. vers. secus si interfuit vti Prælatus,* Imol. *n. 13.* Butr. *in 1. quæst. sub n. 8. vers. sed in 2. casu.* Cardin. *in 7. opposit.* Ancharan. *n. 5. in fine. vers. item si appellabitur col. 3. q. 3.* Anan. *n. 11. in fine.*

4 Ex quibus apparet, in electionibus ad istas societates Episcopum concurrere tanquam Canonicum, & eo magis id comprobatur ex obseruantia subsecuta, vt ex iuribus pro Capitulo productis, quæ obseruantia cùm sit interpretatiua, non requirit alicuius temporis probationem, sed sufficit aliquando ita fuisse obseruatum. Dec. *cons. 136. n. 4. in fine.* Aym. *cons. 101. n. 4.* Gabr. *cons. 164. n. 8. lib. 1.* Rota *decis. 174. n. 4. part. 1. diuers.* Menoch. *de arbitr. casu 13. n. 10.*

5 Nec releuat Episcopum de anno 1571. dictis electionibus cum protestatione præseruatiua suorum iurium interuenisse, quia cùm postea de ann. 1576. & 79. liberè, & absque vlla protestatione interfuerit, ab illa censetur recessisse. *l. cùm in plures, §. locator horrei. ff. locati.* Felin. *in cap. cùm M. Ferrariensis, n. 77. de const.* Surd. *cons. 8. n. 28. lib. 1.* Crauetta *cons. 463. n. 18. cons. 605. n. 3.* Cephal. *cons. 222. nu. 14.*

6 Non obstat, huiusmodi beneficia esse de minoribus, & propterea in illis viam electiuam procedi non posse. nam vltra quòd ex dicta obseruantia constat de contrario; dato etiam quòd hæc non adesset, ista minora beneficia nihilominus verè electiua dicerentur. Rota *decis. 1. de elect. in antiq.*

7 Nec refragatur sententia bo. me. Cardinalis Seraphini, in qua dicitur, Episcopum in electionibus habere debere votum qualificatum, illa enim procedit vbi Episcopus, vti talis, non tanquam Canonicus interuenit, & postea verba sententiæ veniunt intelligenda de electionibus, quæ nulla indigent confirmatione, cùm istæ potiùs collationes, quàm electiones dicantur. Rota *decis. 1. de elect. in antiquis.*

R. P. D. VBALDO.

Mutinen. Canonicatus. Veneris 4. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

De occupante per vim beneficium quas pœnas incurrat, & quid de impetrante beneficium secundum incompatibile cum

cum primo, & de materia cap. *eum qui, de præbendis in 6.* & cap. *de multa ex eodem.*

SVMMARIVM.

Authoritate propria, & per vim occupans beneficium ipso iure eodem beneficio priuatur, imò si occupat secundum beneficium per vim, & propria authoritate, priuatur etiam primo beneficio, & alia ad hanc materiam, nu.1. & per tot.

Incompatibile beneficium cum primo impetrans, ipso iure primo beneficio priuatur, quod quando verum sit, & de materia, ibid.

De occupante per vim beneficium quas pœnas incurrat, & quid de impetrante beneficium secundum incompatibile cum primo, & de materia cap. eum qui, de præbendis *in 6. & cap.* de multa, ex eodem.

DECISIO CXCIV.

1 Contra decisionem in hac causa factam die 13 Iunij 1614. multa opponebantur, sed aliis omissis, quæ vel in facto, vel in iure poterant pati difficultatem, Domini censuerunt à decisione recedendum, ex infrà dicendis. Et primò, quia negari non potest, quin dispositio *cap. eum qui, de præb. in 6.* emanauerit ad declarationem, & extensionem. *cap. de multa, eod.* in quo disponitur, vt qui cum titulo recipit secundum beneficium incompatibile cum eo quod antea obtinebat, sit ipso iure priuatus primo; & hoc declaratur, & ampliatur habere locum, etiam si quis sine titulo se iniustè in secundo intrudat, ne melioris sit conditionis stultus quàm peritus, vel inuasor, eo qui iustè ingreditur, *dict. cap. eum qui, vbi gloss.* 1. & Gemin. *nu.7.* Abb. *in d. cap. de multa, nu.16. vers. Item emanauit, de præbend.* quo stante Domini arguebant duobus modis. Primò quidem, quia, vt dicunt gloss. *in dicto cap. eum qui, in verb. cura, vers. vbi ergo esset priuatus,* & Franc. *ibid. num.5.* iniusta receptio secundi beneficij inducit priuationem primi, eo casu quo induceret iusta receptio, aliàs non; quia eo casu, quo iusta receptio secundi beneficij non induceret priuationem primi, eodem modo non induceret iniusta receptio; sed in casu nostro iusta receptio Ecclesiæ parochialis non priuasset Borellam Canonicatu, si eius resignatio fuisset detecta nulla, provt fuit detecta, ex eo quòd fuerat ordinatus ad illius titulum, & de hoc in resignatione mentionem non fecerat, vt fuit in hac causa resolutum 11. Nouembris 1602. coram Litta, quia eo casu Canonicatus non vacaret, iuxta terminos *cap. de multa.* Sequitur ergo, vt nec iniusta receptio eiusdem parochialis debeat in terminis *dicti cap. eum qui*, priuare Borellam Canonicatu quem nulliter resignauit.

2 Secundò arguebant, quia dispositio, seu lex interpretans, vel extendens debet intelligi secundùm terminos legis interpretatæ, vel extensæ. *l. si alterius. Cod. si minor. dixer.* gloss. *in cap. is qui, de elect. in 6.* Gemin. *in dicto cap. eum qui, num.7.* Bero. *conf.31. num. 10. vers. & quamuis aliqui, & num.11. lib.1.* Ruin. *conf. 135. num.7. libro 3.* vnde sicuti vt intret dispositio *cap. de multa,* requiritur vltra curæ exercitium in secundo beneficio perceptio omnium, vel maioris partis fructuum. Butr. *in d. cap. de multa, num.1. in fin. vers. quandoque habet possessionem,* & ibi Imol. *nu.20. vers. item intellige.* Gemin. *conf.78. num.5. vers. nec obstat quod isti* Decian. *conf.9. nu.19. & seqq. lib.1.* addit *ad decis.3. de præbend. in nou.* de communi Sarn. *in reg. de triennal. quæst.53. num.2. vers. sed quoad Capitulum, de multa.* Hojed. *de incompatib. benef. part.1. quæst.13. nu. 8. vers.3. declaratur*, ita debet requiri, vt incurratur pœna *cap. eum qui.* & hunc sensum videtur habuisse Rota in hac causa coram Reuerendissimo Bononien. vt *in decis.4. Nouembris 1609. vers. propterea dubitaui*, quæ perceptio non videbatur probata, nec ex instrumento locationis, quia illa fuit vnius prędij tantùm, vt fuit consideratum in hac causa coram Illustriss. Lancellotto 14. Martij 1603. neque ex testibus, quia primi examinati in partibus, fuerunt nulliter examinati, vt fuit iam firmatum; secundi verò examinati coram Reuerendissimo Bononien. non deponunt, nisi de quibusdam actibus particularibus, & in specie quòd non inferant ad integræ, vel maioris partis fructuum perceptionem, fuit dictum in dicta decisione 4. Decembris 1609. coram eodem. Alij verò duo nouissimè examinati in curia, omisso, an fuerint nulliter examinati ex defectu citationis, provt prætenditur per informantes pro Borella, deponunt secundus de locatione dicti prædioli cum perceptione nonnullarum pecuniarum à conductore, primus verò de quibusdam primitiis per Borellam perceptis, quas prætenditur non constituere maiorem partem fructuum.

Secundò principaliter mouebantur Domini, quia gratia Bernardi etiam sumpta ex clausulis generalibus, fuit conditionalis, vt apparet in illis verbis; *Et nihilominus si priuationem, & amotionem, seu declarationem huiusmodi per te vigore præsentium fieri contigerit*, & paulò infrà; *siue, vt præmittitur, per priuationem, & amotionem huiusmodi, aut aliàs quouis modo vocauerit, eidem Bernardo authoritate nostra conferas,* &c. & sic colligitur Papam noluisse dare Canonicatum Bernardo, etiamsi desumatur vacatio ex clausula generali, nisi purificata illa conditione quòd præcederet priuatio, & amotio Borellæ à Canonicatu ob narratum sacrilegium; conditio enim illa æquè respicit vacationem ex causa sacrilegij, ac ex alia quauis causa, & ideo vtramque qualificat, & in vtraque censetur repetita. Bald. *conf.153. num.2. lib.5.* vnde deficiente ista conditione, provt defecit, quia non solùm non fuit seruata priuatio, sed immò Borella fuit plenè absolutus, corruit gratia principalis, & consequenter omnes clausulæ. *cap. sedes Apostolica.* & ibi Abb. *colum.2. vers. 1. de rescript.* Put. *decis.340. libro 1. in nouiss.* Sarn. *in reg. de infirm. resign. quæst.34. nu.3.* Ex quibus tollitur consideratio facta in alia decisione quòd verificatio conditionum esset necessaria, quando ageretur ad canonizandam gratiam ex capite sacrilegij, quia ex præteritis constat conditiones respicere etiam clausulam generalem, *sine alio quouis modo,* &c. 3

Quæ tanto magis Domini censebant admittenda, quia gratia Bernardi videtur laborare vitio subreptionis, ex multis capitibus, de quibus per informantes, & præcipuè, quia non fuit expressum quòd Annibal fuerat ob prætensum delictum carceratus, & condemnatus in pœnam extraordinariam, & demum de mandato Sanctissimi absolutus cum abolitione processus, & impositione perpetui silentij fisco, quo casu succedit conclusio quòd condemnatus non potest amplius molestari pro 4

eodem delicto coram aliquo iudice. *l.1. & per tot. tit. Cod. de sent. pass. l. fin. Cod. de gener. abolit.* Paris. *cons.1. nu.1. & seq. lib.4.* cum aliis per eruditissimum D. Farinac. *in prax. crim. part.1. de inquisit. qu.4. num.2. & quæst.6. nu.1.* nec etiam fuit narrata reseruatio pensionis ad fauorem Violæ scut. 200. super parochiali, nec fuit expressa lis quæ vertebatur in Rota inter easdem partes, cùm gratia fuerit obtenta de mense Iunij 1603. quo tempore fuerat lata sententia Rotalis coram Litta, & emanauerant decisiones ad fauorem Annibalis; quæ omnia sine dubio, vel retraxissent, vel difficiliorem reddidissent Summum Pontificem ad concedendam gratiam, & proinde intrare videtur subreptio, & nullitas gratiæ. *cap. postulasti, & cap. super litteris.* vbi Doct. præsertim Felin. *num.8. de rescrip.* Cassad. *decis.12. nu.14 de prebend.*

5 Non obstat quòd cùm vacatio capiatur ex clausulis generalibus, non obstet subreptio, vt fuit dictum in causa Hipporegien. Canonicatus 20. Octobr. 1584. coram Orano, vt in copia data. Quia fuit responsum dictam decisionem procedere quando subreptio respicit solam primam narratiuam, scilicet modum vacandi expressum; secus verò quando subreptio respicit ipsam impetrationem, quia non fuit narratum aliquid, quod si Papa sciuisset, non concessisset, vel difficiliùs concessisset gratiam impetranti isto casu, quia subreptio influit etiam in clausulis generalibus, subreptio resistit toti gratiæ, & non intrat dicta decisio, sed potiùs decisio Put. *decis.390. lib.1. in nouiss.* seu *decis.* 400. secundùm antiq. impress. quam secuta est Rota in vna Vicen. Canonicatus 21. Iunij 1591 coram Reuerendissimo Perusino in fine decisionis; in proposito autem subreptio non solùm cadit circa modum vacationis expressum; sed etiam circa ipsam impetrationem, vt patet ex suprà adductis.

Ex quibus Domini recesserunt à decisis, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Pistorien. beneficij. Lunæ 4. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

Appellationis schedula debet dari in termino citationis ad sententiam, sub quo pronunciatur, nec sufficit data antè, quia per nouam citationem circunducitur, & mandatum præsumitur ex coniecturis.

SVMMARIVM.

Res iudicata dicitur probata quoties non constat de appellatione intra legitima tempora interposita, n.1.

Appellationis schedula sub forma quatenus contra recipitur ex vsu palatij, n.2.

Appellationis schedula quatenus contra remanet circumducta, & inutilis, si non fuit pronunciata sub illo termino, & citatione, & venit de nouo interponenda in termino alterius citationis ad sententiam, nu.3.

Appellationis schedula debet interponi coram iudice, nec sufficit dimitti in manibus Notarij in actis, numero 4.

Mandato ad lites, si in causa non fuit oppositum, non potest amplius dari de illius defectu post latam sententiam, n.5.

Mandatum præsumitur ex coniecturis: ea sunt, habere scripturas ad causam in manibus, facere plures expensas, & depositare sportulas, n.6.

Procurator dicitur approbatus, si per partem aduersam vti talis fuit semper citatus.

DECISIO. CXCV.

Constare de re iudicata Domini dixerunt, cùm non doceatur de appellatione saltem intra legitima tempora interposita. *cap. Romana. §. si verò. de appellat. in 6.* Rot. *decis.30. de appell. in nou.* Lancellot. *de attent. appell. penden. limitatione 50. nu.37.* Seraphin. *dec.422. n.5.* 1

Licèt enim die 8. Aprilis præteriti, fuerit data Notario schedula appellationis sub formula, quatenus, contra quæ recipitur ex vsu palatij, iuxta Vestr. *in praxi. lib.7. c.3. num.19. in fine.* Put. *decis.102. num.2. libro 3.* Rot. *diuers. decis.391. numero 3. part.3. lib.3.* 2

Tamen quia non fuit pronunciatum sub termino infra quem fuerat appellatum, sed die 29. eiusdem mensis, appellatio remansit circumducta, & inutilis, perinde ac si interposita non fuisset, & ideo erat de nouo interponenda in termino alterius citationis ad sententiam, sub quo fuit pronunciatum. 3

Vltra quòd dicta schedula appellationis fuit dimissa tantummodo in actis penes Notarium, non autem interposita coram iudice à quo, provt requiritur ad text. *in c. vt debitus. de appellat.* Rot. *dec.50. de appellat. in nou.* Grammat. *dec.36. num.76.* Cephal. *cons.185. nu.5.* Vestr. *vbi suprà nu.27.* Lancellot. *loco cit. num.* 184. 4

Non obstat defectus mandati eius qui obtinuit sententiam & in causa comparuit, quia adest mandatum ad lites, & cùm contra illud nihil vnquam fuerit oppositum, non potest hodie dari de illius defectu, iuxta decis. Mohedan. 1. *de procuratorib.* 5

Maximè, quia concurrunt plures coniecturæ in casu nostro, ex quibus mandatum præsumitur. Gozadin. *cons.11. num.13.* Cæs. de Grass. *decis.2. num.5. de reb. Eccles. non alienan.* Rot. *diuersor. decis.187. num.1. part.1. & decis.32. part.2.* Mantic. *de tacitis, & ambig. lib.7. tit.6. num.1.* ille enim qui comparuit, habebat plures scripturas ad causam facientes, quas in actis produxit. Ias. *l.1. num.12. vers. item vltra. C. de procurat.* Cassad. *decis.3 sub num.5. vers. & si apud aliquem, de procurator.* Caputaq. *dec.185. n.3. part. secunda.* 6

Item in huiusmodi causa sportulas deposuit, & alias expensas fecit. Rot. *decis.2. de caus. possess. & propriet. in antiquis.* Socin. *cons.86. num. lib.3.* Gabr. *de procuratorib. concl.1. nu.6.* 7

Et tandem vti Procurator fuit semper citatus per partem aduersam, & sic approbatus. Surd. *dec.104. n.12.* Menoch. *de adipiscend. remed.4. n.611.* 8

Ex quibus ita resolutum.

R. P. D. VEROSPIO.

Perusina successionis. Mercurij 9. Decembr. 1615.

ARGVMENTVM

De successione nepotum in hæreditate patrui in capita, & non in stirpes admittenda.

SVM-

SVMMARIVM.

Agnationis, & cognationis differentia sublata, coniuncti in pari gradu pro æquali portione defuncto succedunt, n.1. in capita, & non in stirpes, n.2.

Nepotes succedunt patruo in capita, & non in stirpes, n. 2. & 3.

DECISIO CXCVI.

1 MOrtua sine filiis, & ab intestato Camilla de Oliuis, relictis Paulo ex fratre, nec non Domitio, & Honorio ex sorore nepotibus, dictus Paulus fuit adeptus omnium bonorum possessionem in ciuitate, & territorio Assisij existentium. Et cùm alij ex sorore nepotes tanquam in pari gradu se quoque ad hanc hæreditatem admittendos esse prætenderent, causa in Rota coram me introducta, dubitauit an etiam ipsi ius haberent, & an in stirpes, vel in capita succederent? Et fuit resolutum in capita debere succedere. Cùm enim omnes dictæ Camillæ essent in pari gradu coniuncti, de iure pariter ad illius hæreditatem vocantur, agnationis, & cognationis differentia sublata. *§. reliquum, & §. si verò versi. nullam verò, Auth. de hæred. ab intest. venient. l. maximum vitium*, vbi Doct. *Cod. de liberis præterit.* Bald. *in auth. cessante. C. de legit. hæred.* Becius *cons. 13. n. 5. vers. nam de iure communi.*

2 Et quamuis nonnulli ad huiusmodi successionem plures nepotes in stirpes admittendos esse responderint, videlicet Accursius *in gloss. verbo stirpes. Authent. cessante. C. de legitim. hæred.* quem sequuntur Becius *cons. 16.* Gabriel. *cons. 1. num. 26. & seqq. lib. 2.* cum concordantibus. Contrariam tamen opinionem, quòd in capita succedant amplexi fuerunt Azo *in summa C. de legitim. hæred.* Bal. *in l. 1. §. vltimo. ff. si pars hæreditatis petatur.* quam opinionem communem esse testatur Capra *cons. 21. & 104.* Honded. *cons. 7. num. 9. lib. 9.* & eam rationibus & authoritatibus omnibus pro vtraque parte consideratis firmauit Senatus Pedemontanus, vt testatur Thesaurus *decis. 162. per tot.* Hanc etiam opinionem, vti veriorem, sequuta fuit Rota in causa Romana iuris succedendi 10. Aprilis 1592. coram Cardinali Blanchetto, & in causa Romana successionis 1. Iulij 1602. coram Illustrissimo Mellino.

3 Ratio autem assignatur, quia ius authentici quo nepotes cum patruo in stirpes admittuntur, est iuris antiqui correctorium, per quod patruus, vti proximior, nepotes excludebat. *l. 1. ff. si pars hæred. petat.* cum aliis adductis in causa Romana iuris succedendi coram Cardinali Blanchetto, & patruo non existente, succedebant nepotes omnes in capita. *l. 2. §. hæreditas. ff. de suis, & legit. l. fin. §. fin. C. de legit. hæred.* vnde cùm ius antiquum in primo tantùm casu correctum reperiatur, quando videlicet nepotes cùm patruo concurrunt, seruari debet ius antiquum. *l. præcipimus in fine. C. de appell.* cum similibus.

4 Verùm, quia pro parte Pauli excipiebatur Assisij statutum Honorio, & Domitio præteritis, obstare, Domini particulariter de illo videndum reseruarunt, &c.

R. P. D. BVRATTO.

Florentina Canonicatus. Veneris 11. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

De probatione iurispatronatus quoad personas priuatas, in quibus non cadit præsumptio vsurpationis, plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus quando agitur de personis priuatis, in quibus non cadit præsumptio vsurpationis, probatur secundùm iuris communis dispositionem, non autem secundùm dispositionem Concilij Tridentini, n. 1.

Iuspatronatus probatur ex quasi possessione centum annorum per continuatas præsentationes effectum sortitas, n. 1. & 3.

Iurispatronatus titulus fundationis, & donationis præsumitur, n. 1. in fine.

Iurispatronatus quasi possessio iustificatur ex consensibus patronorum reseruatis & præstitis in pluribus prouisionibus, num. 2. & 3. vbi quid si deficiant nouem menses in tempore centum annorum, & n. 4. vbi præsertim concurrentibus adminiculis.

Iuspatronatus ex præsenti statu præsumitur in præteritum, n. 3.

Iuspatronatus nunquid probetur per enunciatiuas factas in prouisionibus Papæ, n. 5.

Iuspatronatus plenè probatur ex testimonio Ordinariorum, & eorum sententiis, ibid.

DECISIO CXCVII.

DOmini tenuerunt constare de iurepatronatus, Canonicatus, & præbendæ, de quibus agitur ex fundatione, & dotatione. Cum enim agatur de personis priuatis, in quibus non cadit præsumptio vsurpationis, & nihil fuerit circa iurispatronatus probationem vltra ius commune à Sacr. Sanct. Trident. Concil. innouatum, vt dixit Rota *in Comen. Capellaniæ 17. Iunij 1591. coram bo. me. Penia, in Sorana beneficiorum 6. Iunij 1603. coram bo. mem. Cardin. Pamphilio*, & in aliis passim. Ideo ex quasi possessione centum annorum probata per continuatas præsentationes effectum sortitas satis visum fuit probari dictum iuspatronatus, iuxta consil. Feder. de Sen. 234. *sub num. 3. vers. sic ad propositum.* Dec. *cons. 117. in fin. & cons. 174. n. 4. in fin.* Cassad. *decis. 2. nu. 6. de prob.* & præsumi titulum fundationis & dotationis, iuxta *decis. 1640. lib. 3. p. 3. diuersor.* cum aliis per Paris. *de consid. q. 28. n. 236.* 1

Prædicta autem q. possessio iustificatur tum ex consensibus patronorum reseruatis, & præstitis in pluribus prouisionibus Apostolicis, qui consensus vim habent præsentationum, Rot. *decis. 534. num. 4. p. 1. diuers. & in d. cta Sorana beneficiorum coram bon. me. Card. Pamphilio*, tum etiam ex eorundem patronorum præsentationibus & institutionibus subsecutis. Primò enim dell' 1514. Kal. Iun. per resignationem in manibus Papæ Laurentij Cardinalis de Puccis, prouisus fuit per Leonem X. Iannozius eiusdem familiæ de Puccis. Secundò, dell' 1536. 14. Kal. Martij per obitum apud Sedem d. Iannozij tunc Episcopi Melphiten. fuit per Paulum III. prouisus Laurétius Raphaëlis eiusdem familiæ & vtraque ex istis prouisionibus facta est de dd. Canonicatu, & & præbenda vti de iurepatronatus, & cum clausula, *Accedente patronorum consensu*, vt *in summ. num. 1. & 2.* Tertiò, dell' 1537. 10. Kalend. Iul. per eundem 2

Paulum III. accedente expresso patronorum consensu per resignationem d. Laurentij prouisus fuit Leonardus de Nasis, vt *in summ.num.3.* Quartò dell' 1548. pridie Kal.Maij occasione permutationis d. Leon. fuit per eundem Pontificem cum patronorum consensu prouisus. Anton. de Petreis, vt constat ex fide partiti Capituli Florentini in traditione possessionis ei facta, & ex supplicatione eiusdem Antonij bon.me. D.Duci pro licentia illam capiendi, & decreto Auditoris super illius concessione, de quibus *in summ.num.4.& 5.* Quintò, dell' 1570.22.Ianuarij per obitum d.Antonij fuit à patronis præsentatus Alexander de Puccis coram Vicario Florentin. à quo fuit approbatus, & institutus, vt *in summ.num.6.* Et demum dell' 1586 17. April. per d. Alexandri resignationem de eorundem patronorum consensu fuit ab eodem Vicario executore Apostolico deputato prouisus Petrus de Nasis, vt *in summ.num.9.* per cuius obitum successit vltima vacatio de mense Augusti 1613. Ex quibus successiuis vacationibus per obitum, vel resignationibus dd. prouisorum, & præsentatorum plenè constat dictas præsentationes, & prouisiones fuisse effectuatas, iuxta cons. Oldrad.*229.num.2.& 3.* à Rota toties approbatum.

3 Et quamuis computanda à prima prouisione dell' 1514.Kal.Iun. vsque ad vltimam vacationem de mense Aug.1813. ad complementum centenariæ deficere videantur nouem menses, nihilominus de illis visum fuit sufficienter constare, siue inducatur ex præscriptione qua cùm de d.ann.1514.Card.Puccius resignauerit dd. Canonicatum & præbendam de iurepatronatus, sequitur in necessarium antecedens quòd ipse per prius fuisset prouisus ad præsentationem, vel de patronorum consensu, ac etiam quòd iuspatronatus ante illius prouisionem fuisset erectum, & sic verisimiliter hæc omnia præcessisse ante dictos nouem menses, qui videntur deficere centenariæ, ex præsenti enim statu iuspatronatus præsumitur in præteritum, vt in terminis est decis.Cassad.4.*de probat.* quæ est etiam 7. *de iur.patr. num.7. vers.Item tollitur coniectura*, maximè cùm non detur status contrarius libertatis, vt sequendo Cassad. est decis.Costæ 200.*incip.in vna Illerden.in manuscr.*

Siue inducatur ex præsumptione, provt videtur sentire Rot. *d.decis.1640. libro 3. p.3. diuers.* Quia defectus modici temporis non attenditur: provt in similibus terminis tempus 99. annorum haberi pro antiquo, est decis. Put.104. *in fin.lib.2.in nouiss.* Præsertim concurrentibus adminiculis, vt in terminis ad effectum præsumendi titulum fundationis, & dotationis quòd dicatur probata immemorabilis si vltra instrumenta doceatur etiam per testes de fama cum aliis circunstantiis de q.possessione præsentandi per annos 85. est decis. Mohed.254.*aliàs 3.de iur.patr.* & Put. *in fin.libro 1.in nouissim.*

4 In proposito autē plurimum adminiculantur tres enunciatiuæ in dd.prouisionibus Leon.X.& Paul. III. quamuis non sint annorum centum. Aym. *de antiq.temp.in princ.nu.5. vers.placet tamen.* cum aliis *in Auriacen. iuris nominan.18. Maij præteriti coram me.* Et instrumentum supradictæ prouisionis Ordinarij dell' 1570 ad fauorem Alexandri de Puccis factæ (vt in ea legitur) præuia causæ cognitione, & præsertim visione supradictarum prouisionū Apostolicarum & consensum patronorum, in qua clarè dicitur constare de iure patronatus, & præsentationem esse canonicam, & factam à veris patronis, & ideò illam confirmauit, & approbauit; nam testimonium Ordinarij, & præsertim sententia plenè probat iuspatronatus. Put. *decis.237. lib.2. in nouiss.* Gabr.*cons.198.n.4.vol.2.*

Et propterea fuit vt suprà resolutum pro informante, &c.

R.P.D. VBALDO.

Bononien.pecuniaria. Lunæ 14. *Decembris* 1615.

ARGVMENTVM.

Substitutio pupillaris an, quando, & quibus verbis concepta dicatur, & quando matrem, seu auiam excludat à legitima.

SVMMARIVM.

Substitutio pupillaris facta censetur per verba mortis in pupillari ætate superuenientis, n.1.

Substitutio pupillaris censetur facta per clausulam, vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum *ibid.*

Substitutio pupillaris trahitur non solùm ad bona testatoris, sed etiam ad bona pupilli vndecumque quæsita, ibid. vbi ampliatur hæc conclusio, etiam quòd testator suam hæreditatem in quotas diuiserit.

Substitutio pupillaris excludit matrem, & multo magis auiam à legitima, nu.2.& 3. vbi ampliatur hæc conclusio.

Filij an, & quando intrent in locum matris in substitutionibus per ius accrescendi, n.3.& 4.

Hæreditas non adita non transmittitur ad hæredes, nisi adsit contrarium statutum, n.5.& 6. vbi de materia.

Hæreditas infanti delata nunquid propriè dicatur hæreditas, n.6.

Verborum proprietas desumitur à verbis legislatorum, ibid.

Tutor potest pupillo hæreditatem acquirere, n.7.

Hæreditatem fuisse aditam probatur confessione partium, ibid.

Hæres *verbum nunquid intelligatur de hærede sanguinis, ibid.*

Substitutio pupillaris nunquid excludat matrem à legitima quando adsunt contrariæ coniecturæ testatoris, n.8.

Fideicommissarij non dicuntur propriè hæredes, n.9.

Fideicommissarij, & substituti dicuntur succedere testatori, non autem institutis, ibid. in fine.

DECISIO CXCVIII.

Domini existimarunt non esse recedendum à decisis in hac causa die 3. Aprilis præteriti, ex rationibus tunc adductis, neque enim controuerti potest pupillaris substitutio facta Beatrici in testamento Hieronymi, quia testator ei decedenti in pupillari ætate substituit Blancam, & Germanicum. *l.1.§.1.ff.de vulg.& pupill.* gloss. *in l.precibus in gloss. magna, in fine. Cod.de impub.* & in substitutione vsus est clausula, *vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum*, Paris.*cons.36.nu.34.lib.2.* Surd.*cons.212.n.5.* Card. Mant.*de coniect.vlt.volunt.lib.5.tit.8.n.13.* quæ substitutio pupillaris sine dubio comprehendit non solùm bona ipsius testatoris, sed etiam bona Beatricis vn-

cis vndecumque quæsita. Roman. *consil.397.num.2.* Honded.*cons.73.num.10.lib.1.* cum aliis in decisione adductis, non obstante quòd testator substitutionem ad bona tantùm sua restrinxisse videatur. Menoch. *de præsumpt. lib.4. præsumpt.334.num.12.* cum aliis, de quibus in decis. quibus addi potest Mant. *de coniect.vlt.vol.lib.5.tit.7.num.7.* ac etiamsi substituti fuerint vocati singuli pro tertia parte, & testator diuiserit hæreditatem in quotas Rota *decis.181. num.5. part.2. diuers.* & alij plures fuerunt congesti in decisione.

2 Quæ substitutio pupillaris non est dubium quòd excludit matrem, & multo magis auiam, etiam à legitima, non solùm de jure ciuili, sed etiam de iure Canonico. *l. Papinianus, §. sed neque impuberis,* & ibi Bart. *ff. de inoffic. testam. cap. si pater, de test. in 6.* Doctor. communiter *in l.2.* vbi Ripa *nu.43.* Socin. jun. *nu.94. ff. de vulg. & in l. precibus.* vbi Dec. *n.9.* & Hippol. Rimin. post alios de communi attestans *nu.90. C. de impub.* Trentacinq. *de subst. part.2. cap.16. n.1. & 4.* Faccin. *lib.4. contr. iur. c.42.* Paris. *cons.104. nu.4. lib.3.* cum aliis per Surd. *cons.212. num.1. lib.2.* Crass. *in §. substitutio q.30. num.2.* Honded. *cons.51. n.18. lib.2.* & fuit latè deductum in vna Firmana hæreditatis 12. Decembr. 1614. & 23. Februarij 1615. coram R.P.D. meo Buratto.

3 Non obstat quòd testator substituerit in tertia parte Isabellam vxorem suam, & matrem Beatricis institutæ, volens dictam tertiam partem succedere loco legitimæ, quæ de iure illi deberetur in bonis filiæ; ex quo inferebant informantes noluisse excludere matrem à legitima, quod sufficit ad hoc vt mater per pupillarem non excludatur à legitima. Decian. *cons.82. num 23. lib.3.* Surd. *d. cons.212. num.7.* & consequenter cùm mater prædecesserit filiæ institutæ, legitima videatur pertinere ad auiam maternam superstitem nepti; quia fuit responsum quòd immò ex dicta dispositione ad fauorem matris, quòd debeat habere tertiam partem loco legitimæ, potiùs colligitur testatorem voluisse illam excludere à legitima, ex latè congestis per eundem Surd. *dicto cons.212. num.12. & seq.* & signanter *num.14. vers. postremo & num.20. vers. pari modo, lib.2.* non enim mater si superuixisset filiæ, consecuta fuisset legitimam vigore dictæ substitutionis pupillaris, per quam potiùs ab ea excludebatur, ex suprà allegatis, sed etiam partem bonorum, in qua erat substituta, quæ portio cùm fuerit caducata per mortem matris ante Beatricem, in ea succedunt filij substituti per ius accrescendi. *l. vnic. §. his ita, & §. sin autem. Cod. de caduc. tollend.* Bart. *in l. re coniuncti, num.23. ff. de legat.3.* Honded. post relatos *consil.49. num.73. libro 2.* Rota diuers. *decis.24. in princ. & num.3. part.1.* & fuit decisum in vna Romana fideicommissi de Capizucchis 2. Maij 1594. coram bo. mem. Cardinali Blanchetto; in aliis verò bonis Beatricis, & sic in dote materna succedent iure pupillaris substitutionis vnitæ cum iure accrescendi, vt declarant Doctor. *in dicta leg. re coniuncti,* vbi Ioan. Bologn. *n.376. & seq.* Crass. *in §. ius accrescendi q.31.*

4 Et ex hoc cessat quòd objiciebatur ex aduerso quòd portio bonorum paternorum non potuerit capi ex iure accrescendi, tanquam non vacans, & ab auia occupata, quia cùm fuerit caducata ad fauorem substitutorum, ex proximè allegatis, non potuit ab auia occupari, provt nec potuit occupari dos materna stante substitutione pupillari, auiam excludente etiam à legitima, *dict. leg. Papinianus, §. sed neque impuberis. ff. de inoff. testam. dict. cap. si pater. de test. in 6.* Bart. *in l.2. num.31. ff. de vulg.* cum aliis suprà allegatis, & fuit dictum in Hortana successionis 28. Ianuarij 1611. coram Reuerendissimo Bononien.

Non obstat quòd hæreditas matris non fuerit adita per filiam, & ideo non potuerit transmitti, ex allegatis; quia quicquid esset dicendum de iure communi quo tamen inspecto verius est transmitti, maximè præcedente restitutione in integrum aduersùs omissam per infantem aditionem, juxta latè deducta in alia Hortana successionis 5. Nouembris 1601. coram bon. me. Cardinali Pamphilio, difficultas cessabat in hoc casu ob statutum Mutinen. disponens hæreditatem infanti delatam, & non acquisitam, transmitti, dummodo potuerit acquiri, provt in casu nostro acquiri potuit per aditionem tutorum, quos Beatrix habebat, vt fuit etiam firmatum in alia decisione. 5

Neque etiam obstat quòd statutum tanquam exorbitans debeat intelligi de hæreditate delata strictè, & propriè, non autem largè, provt hæreditas dicitur delata ignoranti, vel infanti, iuxta singulare Matthesil. 193. Socin. *cons.116. nu.16. lib.1.* Quia fuit responsum in primis veriorem videri opinionem contrariam, quòd immò hæreditas propriè dicatur delata etiam infanti, vt per Addent. *in dicto singul.93.* & probat text. *in l. si infanti, in princ. & in §. sin verò. C. de iur. deliber.* vbi text. ter appellat hæreditatem infanti delatam, & dicere quòd text. ibi impropriè loquatur, provt dicit Zuccard. *in l.1. nu.15. Cod. qui admin.* est alienum à legislatore, à quo sumitur proprietas verborum, vt per Bart. *in l. omnes populi, num.59 ff. de iust. & iur.* sic dicitur infanti competere bonorum possessio, vt *in rubr. ff. de bon. possess. furios. infanti compet.* & competere, & deferri hæreditatem idem sunt, vt per Cagnol. *in dicta l. nu.21. Cod. qui admitt.* & hanc opinionem sentit expressè gloss. *in l. infantis, in vltima gloss. Cod. eod. tit.* & ibi Bald. *in 1. oppos. Cod. qui admitt.* Imol. *in l. is potest. num.2.* & ibi Alexand, *num.7. in fin. ff. de acquirend. hæred.* Dec. *in dict. l.1. Cod. qui admitt. in add. ad primam lecturam, num.14. & in 2. lectura num.11.* & ibi Ioann. Bologn. *num.23.* Camill. Plaut. *in v. delatæ num.15.* vbi testatur in hanc sententiam frequentiùs ire Doct. *& num.17.* Cagnol. *ibidem de communi num.24. & 25.* & nouissimè Perus. *de magis communi ibidem num.138. in fin. & num.150.* post Iac. de Nigro Curt. & alios. Alciat. *in dicta l. delatam, numero 30. & seqq.* & ibi Rebuff. *col.2. vers. ad hæc. ff. de verb. sign.* Bellon. *supp. lib.2. cap.26.* Adden. ad Dec. *cons.55. sub num.8.*

Sed in casu nostro cessat omnis difficultas; tum quia statutum loquitur expressè de delatione, per quam acquiri potuit hæreditas quæ infanti per tutorem acquiri potuit, *d. l. si infanti. Cod. de iur. delib.* tum, & multo magis, quia statutum non simpliciter loquitur de hæreditate delata quòd ea transmittatur ad quoscumque hæredes, in quibus terminis loquuntur Matthesil. & sequaces; sed in hæreditate quæ deferatur cuicunque mulieri, in quacunque ætate constitutæ: quæ verba sine dubio comprehendunt mulierem infantem, & in omnem casum non constat de non aditione, immò potiùs oppositum colligitur ex confessione illorum de Bologninis, quòd fuit, & remansit hæres Isabellæ Beatrix eius vnica filia, vt fuit ponderatum in decisione: nec illud verbum *hæres* videtur posse referri 7

ad hæredem sanguinis, cùm vltra illud fuerit etiam addita qualitas, quòd fuerit filia vnica.

8 Nec refragatur quòd stantibus coniecturis cessset exclusio matris per pupillarem, quia vltra quòd coniecturæ allegatæ non videbantur admodum vrgentes. Respondebatur etiam illas fortè posse habere locum in tacita pupillari, in qua loquuntur Doctores ex aduerso allegati; secus in expressa, in qua versamur; per quam certum est matrem excludi. *dicto cap. si pater, de test. in 6.* cum aliis suprà adductis.

9 Demum nec videbatur subsistere quòd substituti videantur elegisse viam agendi per fideicommissum, non autem per pupillarem; quia contrarium deprehenditur ex sententiis latis ad fauorem Germanici, & Blanchæ, tanquam substitutorum, & hæredum Beatricis, quæ non conueniunt fideicommissariis, qui non dicuntur propriè hæredes, ex allegatis per Surd. *consf.212.nu.16.* vltra quòd si isti venirent per fideicommissum, succederent testatori, non autem Beatrici. *l. cohæredi. §. cùm filia. ff. de vulg.* Surd. *consf.120.nu.14.* Peregrin. *de fideicommiss. art.22. nu.2.*

Ex quibus Domini permanserunt in decisis.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana rescissionis contractus. Veneris 18. Decembris 1615.

ARGVMENTVM.

De legato alimentorum quando debeatur legatario ingresso in monasterium, vel si aliàs aliundè habeat vnde se alere possit, & quòd restitutio in integrum non datur nisi constito de læsione, & de bono jure illam petentis.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum denegatur etiam priuilegiatis vbi de læsione non apparet, n.1. in fine, & n.2. vbi etiam quòd negatur non constito de bono iure, & quanta debeat esse dicta læsio, d.n.2.

Aditio hæreditatis non præsumitur, ideò probanda est, n.3.

Hæres sine beneficio legis, & inuentarij, tenetur ad omnia onera hæreditaria, ibid.

Læsio in contractu consideranda est tempore contractus, & non postea superueniens, n.4.

Legatum alimentorum monacho factum quoad ius remanet penes monachum; commoditas verò ipsius vita durante transit in monasterium, ibid.

Alimenta debita iure actionis soluenda sunt etiam quòd quis aliunde habet vnde se alere possit, n.5.

Alimenta debentur etiam extra domum testatoris, quando quis ex iusta causa non potest in illa domo morari. n.6. & ibi etiam ponitur exemplum iustæ causæ.

DECISIO CXCIX.

De ann. 1585. quondam Ioannes Georgius Dux Cæsarinus legauit in codicillis Ascanio filio suo naturali, qui hodie in Religione S. Augustini degit, & frater Georgius nuncupatur, alimenta, & vestes in ipsius testatoris domo, vbi voluit etiam tres famulos, & vnum equum ad eiusdem vsum ali. Verùm quia mortuo testatore Dux Iulianus illius filius, & hæres huiusmodi legatum non præstabat, fuit à fratre Georgio conuentus coram A.C. quo subsecuto, dictæ partes inter se ad transactionem deuenerunt, & legatum redactum fuit ad scuta viginti pro quolibet mense, ac si ab initio fuisset in dicta summa constitutum. Et cùm deinde frater Georgius per huiusmodi transactionem enormiter se læsum prætenderet, causa introducta in Rota fuit coram bo. me. Pegna, & successiuè coram Reu. D. meo Decano in eius locum subrogato decisum, constare de læsione, ita vt transactio veniat rescindenda; super quo lata sententia, quæ ob non interpositam appellationem in tempore fecit transitum in iudicatum, fuit pro parte Dominorum de Cæsarinis, commissa mihi causa restitutionis in integrũ, & proposito per me dubio, fuit per Dominos resolutum de causis dictæ restitutionis non constare, cùm læsio non appareat, sine qua priuilegiatis etiam restitutio in integrum denegatur. *l. nam postea. § si minus. ff. de iureiurando, l. si ex causa iudicati. ff. de minor.* Natt. *consf.548. num.35.* Rot. *decis.1. de restit. in integr. in nou.*

Nec sola procuratoris negligentia in non appellando satis videtur ad obtinendam restitutionem, cùm vlteriùs de bono iure sit docendum. Roland. *consf.10. n.15. vers. Quintò recedit lib.4.* Aym. *consf. 172. num.7.* Rota *decis.1. de restit. in integr. in nou. dec. 156. n.4. & 5. lib.2. p.2. diuers. & dec.434. n.2. lib.3. part. 3.* In præsenti autem casu bonum ius Dominorum de Cæsarinis probari non valet, cùm frater Georgius enormiter fuerit læsus in transactione. Nam ex depositione testium vigore legati quolibet mense debebantur illi scuta quinquaginta, quæ per transactionem ad scuta viginti redacta fuerunt. Vnde clarè deducitur vltra dimidiam læsio, ita vt sit locus dispositioni legis *2. C. de rescind. vendit.* quæ procedit etiam in transactione. Bart. *in d. l.2. nu.7.* vbi Cagnol. *n.8.* Dec. *consf.156. in princ. & consf.551. n.6.* & hanc sententiam vti veriorem seruat Rota Chisamen. *decis.192.* incipit, *Transactio rescinditur.* & fuit dictum in causa Tirasonen. decimarum 8. Octobris 1586. coram Robusterio, & in hac causa 6. Aprilis 1612. coram bo. me. Pegna, & 28. Aprilis 1613. coram Reu. D. meo Decano.

Non obstat, bona in transactione assignata, licèt data fuerint ad rationem viginti scutorum pro quolibet mense, magni tamen valoris existere. Quia cessat obiectum, cùm dicta stabilia non fuerint purè, & simpliciter tradita, vt apparet ex trãsactionis instrumento, sed ad faciliorem exactionem illorũ, tãtummodo redditus fratri Gregorio fuerunt assignati. Nec valet exceptio, quòd omnia bona Ducis Ioã. Georgij subiecta essent fideicõmisso Cardinalis Cæsarini, cum prohibitione cuiuscunque detractionis, etiã legitimæ. Et propterea non potuerit illi dictum legatum relinquere. Respondetur enim primò non apparere Cardinalis hæreditatem per antecessores Ioannis Georgij fuisse aditam, quod tamen vti factum probari debuisset. Bald. *consf.224. lib.2.* Roman. *consf.154. nu.2.* Signor. *consf.19. nu.4.* Vlteriùs, quia sine beneficio legis, & inuentarij Dux Iulianus Ioan. Georgij fuit hæres, ad onera patris hæreditaria tenebatur. *l. vnica. C. de imponend. lucrat. descript. lib.10.* Rol. *de inuent. q.12. p.2. n.3.* & per cõsequens ad legatũ de quo agitur. Deniq; cùm plurima bona magni valoris dictus Ioan. Georgius acquisierit, de illis in omnem euentum huiusmodi legatum deberetur.

Non

4 Non obstat hîc læsionem considerari non posse, cùm frater Georgius vti religiosus, adeò pingui legato non indigeat. tum quia post transactionem fuit ingressus Religionem, & tempus contractus est attendendum. *l. si voluntate, in fine.* vbi Bald. *C. de rescind. vend.* Grat. *cons.* 142. *n.* 29. *lib.* 2. tum etiam, quia legatum remanet quoad ius penes Religiosum, ipsius verò vita durante, commoditas in monasterium transit, *Authent. ingressi*, & ibi Bart. *num.* 42. *vers. quærit gloss.* Ias. *numero* 48. *vers. tertiò videndum. C. de sacros. Eccles.* Specular. *in tit. de stat monach. n.* 52.

5 Non obstat pariter, huiusmodi legatum, tanquam alimentorum cessare cùm frater Georgius à monasterio sit alendus. Nam cùm hæc alimenta vigore legati, & sic iure actionis debeantur, non ideò cessant ex quo dictus frater eadem aliunde consequatur. Bald. *consil.* 481. *num.* 5. *lib.* 4. Dec. *in l. de alimentis num* 5 *Cod. de transact.* Roland. *cons.* 55. *num.* 5. *libro* 2. Menoch. *cons.* 8. *num.* 22. Card. Seraphin. *decis.* 487. *n.* 8.

6 Nec eidem fratri Georgio præiudicat extra domum paternam degere vbi ex testatoris dispositione præstanda illi erant alimenta. Quia non ideò minùs ea debentur, vbi iusta adest causa alibi commorandi. Bart. *in l. Caio. §. Imperator. ff. de alim. & cibar. legat.* Roland. *cons.* 89 *num.* 14. & 15. *lib.* 3. Surd. *de alim. tit.* 4. *q.* 15. *n.* 12. Peregr. *de fideic. art.* 16. *nu.* 138. Hic autem apparet de iusta causa, tam propter litem motam super ipsis alimentis, quæ propterea extra domum ille consequi poterat, ex suprà allegatis, tum etiam, quia professus idem fuerat religionem, quę multa habet priuilegia. *auth. ingressi. C. de sacros. Eccles.* vbi notant Doct. & fuit in hac eadem causa dictum coram bo. me. Pegna, & Reu. D. meo Decano: sicut pariter ad istum effectum iusta censetur causa, quando vult legatarius cum propria vxore, & filiis habitare. Rolan. *cons.* 22. *num.* 13. *lib.* 1. Simon. de Præt. *de interpr. vlt. vol. lib.* 4. *dubitat.* 11. *n.* 12. Surd. *in tract. de alim. tit.* 4. *q.* 13. *num.* 36. & 37. optimum autem est argumentum de matrimonio carnali, ad spirituale. *cap. quoniam frequenter. §. porrò*, & ibi Doct. *vt lit. non contest.*

7 Cæterùm quia pro parte Dominorum de Cæsarinis de nullitate professionis excipiebatur, Domini particulariter de illa videndum reseruarunt.

R. P. D. MANZANEDO.

Eugubina Canonicatus. Veneris 20. *Decembris* 1615.

ARGVMENTVM.

Clausulæ regulæ octauę Cancellarię non extenduntur ad alias regulas præcedentes, quia olim regula octaua separatim ab aliis regulis edebatur, & militat diuersa ratio.

SVMMARIVM.

Derogatoriæ, & derogatoriarum derogatoriæ operantur effectum aduersus regulas Cancellariæ, n. 1.

Derogatoria etiam specialis indulti, sed posterior non tollit ius quæsitum ex indulto, n. 2.

Regula octaua Cancellariæ continet amplissimas clausulas, quæ referuntur etiam ad regulas præcedentes, n. 3. *declara vt nu.* 4. 7. & 8.

Clausula refertur ad præcedentia si sit in fine posita secus si in medio, nu 5.

Hujusmodi, ea dicta &c. Dictiones istæ sunt relatiuæ eorum tantùm, de quibus fuit facta mentio, n. 6.

Clausula non refertur ad alias regulas in quibus militat diuersa ratio, n. 8.

Decretum irritas in regula 8. *appositum non extenditur ad alias regulas Cancellariæ, n.* 9.

Moderatio indultorum à Sanctissimo D. Paulo V. facta, loquitur tantùm de beneficiis vacantibus apud Sedem, nu. 10.

Derogatoriæ generales etiam amplissimæ non derogant reseruationibus in corpore iuris clausis, n. 11.

Extrauagantes constitutiones an censeantur in corpore iuris inclusæ, n. 12.

DECISIO CC.

Vacante Canonicatu, de quo agitur de mense Decembri 1613. per mortem Horatij Massarelli, Capitulum ad illum elegit D. Attilium Benematum vigore indulti fel. record. Gregorij XIII. sibi tribuentis huiusmodi electionem in Canonicatibus Ecclesiæ Eugubinæ in quibuscunque mensibus, & quomodolibet affecti, vel reseruati existant.

Cæterùm quia D. Horatius erat familiaris bon. mem. Cardin. Alexandrini, Dominicus Baldellus de eodem Canonicatu tanquam reseruato per regulam 3. Cancellariæ sibi à Sede Apostolica prouideri obtinuit. Vnde inter ipsum, & Attilium orta lite, illiúsque cognitione mihi commissa, proposui dubium, ad quem illorum d. Canonicatus spectaret.

Et fuit ordinatum quòd omnes Domini causam viderent, sicque hodie iuxta dictum ordinem causa reproposita, & discussa, ad Attilium spectare fuit resolutum, cùm ipse habeat intentionem fundatam in dicta electione de se facta à Capitulo, & ab Episcopo confirmata iuxta formam dicti indulti habentis derogatorias regularum Cancellariæ editarum, & edendarum, & derogatorias derogatoriarum, per quas satis videtur fuisse derogatum dictæ regulæ 3. qua Dominicus nititur ad tradita per Sarnen. *in proœmio regularum, q.* 5. 1

Non obstat quòd in litteris prouisionis Dominici fuerit specialiter derogatum dicto indulto, quia talis derogatio non est attendenda, cùm fuerit longè post electionem & confirmationem Attilij, & sic post ius illi quæsitum. Rot. *decis.* 574. *in fin part.* 1. *diuersorum.* Seraphin. *decis.* 1293. *in fine.* Et est subreptitia ob non factam mentionem dictæ electionis, & confirmationis. Rot. *decis.* 17. *de prebend. in nou.* Caputaq. *dec.* 37. *part.* 2. 2

Minùs obstat quòd dicto indulto censeatur derogatum per amplissimas clausulas contentas in regula 8. Cancellariæ, iuxta decisionem Eugubin. Præpositur. 30. Maij 1606. coram Reu. Bononien. quæ clausulæ cùm referantur ad omnes regulas præcedentes, videntur etiam repetitæ in regula 3. in qua versamur, iuxta Cassad. *decis. fin. de restitut.* Put. *decis.* 191. *libro* 3. Mandos. *super proœm. regul. cancell. quæst.* 2. & fuit dictum in Spoletana beneficiorum 3. Iulij 1606. coram Reuerendissimo Attrebaten. 3

Quia dictæ clausulæ reg. 8. respiciunt tantùm reseruationem octo mensium in ipsa regula contentam, & non extenduntur vltra eam, quod patet ex eo quòd antiquitus dicta regula non inserebatur 4

inter alias communes Cancellariæ, sed seorsum cum suis specialibus clausulis, & decreto irritanti. Vnde dum Pontifices illam addiderunt aliis regulis, non est verisimile voluisse alterare, & commutare earum naturam, dictas clausulas, quæ vsque ab initio in regula 8. apponebantur, referre ad regulas præcedentes penitus distinctas, & separatas. Et hoc clariùs desumitur ex decreto *irritanti* in fine septimæ regulæ præcedentis apposito, quòd superfluum fuisset apponere, si decretum irritans & aliæ clausulæ in regula 8. positæ censerentur repetitæ in præcedentibus, & sic ad istam superfluitatem euitandam non est admittenda talis repetitio.

5 Cùm præsertim non sint appositæ in fine, sed in medio regulæ, quo casu non est dicendum Pontificem ad præcedentes, illas referre voluisse. Abb. *in cons.75.num.2.lib.2.* post Bart. *in l.talis scriptura.§. hanc autem, nu.3.ff.de legat.1.* Gabr. *de clausul.conclus. 9.n.14.*

6 Et omnis difficultas cessat ex verbis ipsius regulæ quæ sunt restricta tantùm ad disposita in illa, vt patet ibi indulta Apostolica circa ea, *& ibi de huiusmodi beneficiis*, &c. quæ dictiones *huiusmodi*, & *ea*, sunt relatiua eorum tantùm, de quibus in eadem regula fuit dictum. *l.huiusmodi.ff.de legat.1.* Bero. *cons.57.n.48.lib.3.* Port. Imolen. *cons.10.n.18.* Surd. *cons.308.n.16.*

7 Et cùm fuerint prolata in singulari ibi aduersùs reseruationem huiusmodi referuntur ad reseruationem octo mensium tantùm in eadem regula contentam, non autem ad cæteras alias, ad quas referri non potest, salua ratione recti sermonis. Ias. *in l.1. nu.8.C.de liber.præterit.* Gozad. *cons.82.nu.14.* Barbat. *cons.74.nu.2.lib.1.* si enim hanc relationem voluisset fieri Summus Pontifex, locutus fuisset in numero plurali, non autem singulari.

Nec mirum si regula 8 contineat clausulas prægnantiores aliis regulis, cùm illa præiudicet in 8. mensibus tantùm, & temporales ad beneplacitum Pontificis; aliæ verò perpetuò, & in omnibus mensibus, quo stante dictæ clausulæ adeò amplæ & prægnantes non debent ad alias regulas in quibus militat diuersa ratio extendi. Bart. *vbi supr.* Abb. *d. cons.75.nu.4.vers.secundò facit.* Aym, *cons.70.num.10.* Gabr. *vbi supr.n.3.*

9 Ad auctoritates autem in contrarium adductas volentes decretum irritans appositum in regulam referri etiam ad regulas præcedentes, fuit responsum huiusmodi opinionem semper dubiam fuisse in Rota, vt patet ex d.decis. Cassad. quæ nihil firmat, sed tantùm arguendo dicit videri quòd clausula illa referatur ad præcedentem, & statim subiungit quatuor Dominos tenere contrà, & passum esse dubium. Prout & de tempore Putei Rotam dubitasse super hoc articulo apponere ex *d.eius decis.* 191. In qua pariter nihil firmauit, ideóque non est curandum de opinione Mandosij, qui mouetur ex d.decis. Cassad. Decisio verò Spoletana coram Reu. Attrebaten. id dixit incidenter, non autem ex professo firmauit hunc punctum, in quo in contrarium adest alia decisio in causa Licien. beneficiorum 4. Iulij 1607. coram D. meo Caualerio.

Vltrà quòd licèt decretum regulæ septimæ extenderetur ad præcedentes, non ex eo clausulæ regulæ 8. ad illa venirent extendendæ, cùm habeat verba restrictiua excludentia dictam extensionem, vt suprà probatum est.

10 Non obstat moderatio indultorum edita per S. D.N. de mense Octobris 1607. quia loquitur de beneficiis vacantibus apud Sedem, quorum collatio pertinebat ad Cardinales, vt clarè colligitur ex rubrica, proœmio, & verbis illius.

Et licèt faciat etiam mentionem beneficiorum vacantium per obitum familiarium Cardinalium; tamen quoad illa etiam restringitur ad indulta ipsorum Cardinalium. Illa autem verba ibi apposita, *quam & aliorum quorumcumque inferiorum collatorum*, intelliguntur de beneficiis quę aliàs competerent inferioribus collatoribus, & ex indulto pertinebunt ad Cardinales. 11

Tandem visum fuit non obstare quòd licèt indultum concessum Capitulo contineat amplissimas clausulas derogatorias; tamen cùm sint generales, per illas non censetur derogatum reseruationibus in corpore juris clausis, iuxta Rebuff. *super concordatis, tit. de reseruationibus §. volumus, vers. Tertio ratione beneficiorum*, sicque nec reseruationi ex familiaritate Cardinalium indultæ, iuxta *Extrauagant. ad regimen, &, ad Romani, de præbend.* 12

Quia omissa pro nunc quæstione, an huiusmodi Extrauagantes censeantur inclusę in corpore iuris, de quo latè per Sarnen. *in regul. de triennal. quæst. 31. à n.8.* visum fuit sufficere pro responsione quòd illę Extrauagantes non contineant in se reseruationem, de qua agitur.

Nam quoad Extrauagant. *Ad regimen*, illa nullam facit mentionem de hac reseruatione, vt ex eius lectura apparet.

Extrauagans autem *Ad Romani*, non inducit nouam reseruationem, sed inductam *in reg.3.* quæ aliàs per mortem Pontificis expirasset, perpetuat, & durare vult etiam Pontifice defuncto, & dispositione regulæ cessante: vnde durante hodie vita Pontificis (quam Deus dignetur prorogare ad plurimos, & felicissimos annos) reseruatio, de qua nunc agitur, est tribuenda regulæ 3. Simonett. *de reseruat. quæst. 35.* Gonzales *super reg.8.gloss.51.n.62.* non autem dictæ constitutioni, cùm nondum venerit tempus illius dispositioni.

R. P. D. PIROVANO.

Neapolitana alimentorum. Lunæ 11. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Habes in summario numero 1.

SVMMARIVM.

Alimenta præstari debent ab Ecclesia patrono pauperi, tribus concurrentibus, probatione iurispatronatus, paupertate petentis, superabundantia redditnum Ecclesiæ, nu.1.

Possessio percipiendi recognitionem debitam patrono beneficij releuat possidentem ab onere probandi iuspatronatus, n.6.

Paupertas si probari debet, non est attendenda summa egestas, sed inopia respectiuè ad conditionem nobilitis personæ, n.3.

Paupertatis probatio excluditur, si constat de annuo redditu, cuius vnica exactio sufficit ad possessionem, numero 4.

Actus vnicus sequuto effectu sufficit ad constituendum

dum quem in quasi possessione exigendi annuum redditum, num. 5.

Paupertas probatur per vrgentiam creditorum ad discussionem bonorum, num. 6.

Probationes si concurrant, magis statur illi, quæ fit per scripturam, quàm quæ fit per testes, num. 7.

Ecclesia patronata non tenetur ad alimenta patrono præstãda, si supersunt alij ad quos simile onus pertinet, n. 8.

Ecclesiæ redditus ad effectum probandi superabundantiam debent probari per corpora bonorum, nec sufficit per publicam vocem, & famam, num. 9.

DECISIO CCI.

CVm præsens dubium fuisset propositum, & resolutum, coram bon. mem. Iusto vsque de anno 1607. 5. Martij, & causa per mortem illius aduersarij non extensa decisione ad me deuoluta fuerit, causam iterum super eisdem de ordine DD. proposui, in qua

Censuerunt standum esset in decisis coram R. P. D. Manzanedo 31. Maij 1606. vbi firmatum fuit monasterium Montis Oliueti Neapolitani non teneri ad alimenta præstanda D. Equiti Ianuario Oreliæ.

1 In hac enim disputatione pro fundamento intentionis D. Equitis tria erant probanda, iuspatronatus, paupertas ex parte petentis alimenta, & quòd Religioni superabundent redditus, dempta condecenti 24. Monachorum sustentatione, ac aliis necessariis pro reparatione, & seruitiis Ecclesiæ.

2 Primum non controuertebatur, sed tantummodo quòd D. Eques non probaret descendentiam à primo fundatore Gurallo, quam tamen Domini existimabant non esse necessariam, cùm hodie appareat fundatorem iniunxisse Monachis vt quolibet anno in die Purificationis darent vnam candelam ceream patrono pro tempore existenti; & iuxta fundationis tenorem D. Equitem candelam in eo die recepisse, quod probant testes dati, cum quibus concurrit fides nobilium, & resolutio facta in cons. Neapolitano super eisdem præeminentiis inter impress. per Vincen. de Franch. 85. p. 1. per quam D. Carolus frater Equitis obtinuit à Nuntio manutentionem in perceptione candelæ, quod sufficere visum fuit in hac materia, vt Eques releuetur ab onere probandi. *cap. consultationibus. de iurepatronat.* & sæpe fuit resolutum; vt in Firmana iurispatronatus 15. Maij 1611. coram Illustriss. Card. Lancellotto in Placentina Capellaniæ 14. Maij 1614. coram Reuer. nostro Decano.

3 Paupertas autem non videbatur sufficienter probata. Nam etsi summa egestas non sit attendenda in hac specie probationum, sed inopia respectiuè ad conditionem nobilitatis personæ, vt per Couarr. *lib. 2. var. resol. c. 6. n.* 8. & Menoch. *de arbitr. cas. 65. n.* 9. quod etiam firmauit Rota in causa Rhegien. Prioratus 1. Iunij 1596. & 19. Iunij 1598. coram bon. mem. Penia.

4 Tamen visum est inopiæ satis succursum ex certa quantitate annuorum redditũum in summa ducatorum 360. eidem Equiti in renuntiatione bonorum facta, Carolo eius fratri assignata, & cessa pro parte super gabellis ciuitatis Neapolis, & super vniuersitate Nardo, & eorundem redditũum, vt ex fide officialium ciuitatis Neapolis sub die 15 Martij 1607. quæ datur, adeptus est possessionem per exactionem & vsum. *cap. querelam. de elect. & de reg. iur. in 6.*

Et sufficit vnica receptio & exactio ad continuendum aliquem in quasi possessione, R pa *in c. cùm Ecclesia Sutrina, num. 53. de caus. possess. & propriet.* Alex. *cons. 74. n. 16. lib.* 4. Roman. *consil. 311. in fine.* 5

Ideo cùm Eques non probauerit quòd huiusmodi redditus priuatus fuerit, vel vrgentiam suorum creditorum saltem per discussionem bonorum mãdato iudicis factam, prout nixus est probare in Carolo eius fratre, quem modum probandi paupertatem inter cæteros meliorem existimauerunt, Ang. *in l. si verò. §. qui pro rei. ff. qui satisd. cog.* Roman. *cons.* 163. *n.* 4. sequitur dicendum, quòd adhuc possideas annuos redditus in summa ducatorum 360. non videatur in tali egestate constitutus, vt pro alimentis sit subueniendus, iuxta dispositionem *cap. nobis. de iurepatr.* requirentem modestam subuentionem. 6

Non obstant fides nobilium, & testes dati in summario, affirmantes Equitem Ianuarium effectum esse pauperrimum, dum scuta 5000. quæ ex patrimonio & hæreditate matris illi obuenerant, in expeditione belli pro Cath. Maiestate expendit.

Quia fuit responsum illorum testimonium non cõcludere in eorum dicto, cùm non excludant quin redditus prædicti ducatorum 360. adhuc in bonis Equitis esse possint, ideo in concursu probationum magis stetur fidei scripturæ, quàm testium. *l. census. ff. de probat.* gloss. *in cap. 3. loco. in verbo testium, circa medium. eod. tit. de probat.* Roman. *consil. 319. num.* 1. 7

Neque excludunt quin maior portio bonorum ex prædictis hæreditatibus in partem Equitis obuenire deberet, cui non potuit Eques renunciare in præiudicium Ecclesiæ, vt ab eo exinde perciperet alimenta. Præterea non etiam excludunt Carolum fratrem & Mileuitanam religionem, quin & possint, & debeant præstare huiusmodi alimenta, quo casu Ecclesia conueniri non potest, cùm de egestate non constet, quando alij supersunt, ad quos simile onus pertinet. Bart. *in l. si quis à liberis. §. item rescriptum. ff. de lib. agnosc.* Surd. in his terminis *de alimen. tit. 1. quæst. 54. n. 16. vers. ego tamen.* 8

Tertium pariter quòd redditus superabundent non probatur, quia datur vnicus testis in summario *nu.* 11. deponens de publica voce, & fama quòd monasterium habet redditus scut. 20000. ex quibus absque incommodo cultus diuini poterit alimenta subministrare, cuius dictum nedum attenta singularitate nõ releuat. *l. vbi numerus. ff. de testib.* sed etiam quia ratio scientiæ deducta ex publica voce & fama non sufficit ad probandam superabundantiam redditus, sed necesse est concludenter probare corpora bonorum, in quibus consistant redditus, vt inde sciri possit, an argumenta prouenerint ex prima dotatione, vel aliunde, & si ex prima, an deductis impensis Ecclesiæ necessariis aliquid superexistat, & si aliunde, an nihilominus Ecclesia teneatur vltra quàm ferant redditus rei in dotem datæ. Surdus. *de aliment. tit. 1. quæst. 54. num.* 10. 9

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Ratisbonen. Canonicatus. 11. *Ianuarij* 1616.

ARGVMENTVM.

In concursu prouisorum Apostolicorum sufficiunt leuiores probationes, & pre-

ces partis Principi porrectæ releuant ab onere iustificationis.

SVMMARIVM.

Instrumenta publica & litteræ patentes probant in eis contenta, num 1.

Probationes leuiores sufficiunt in concursu prouisorum Apostolicorum, non quando agitur contra prouisum ab Ordinario, nu.2.

Beneficia Episcopis commendantur non conferuntur; tamen per obitum eorum vacare dicuntur quoad effectum reseruationis num. 3.& 4.

Beneficiorum retentio quæ datur Episcopis, est potius suspensio vacationis ratione promotionis, quàm collatio, aut commenda & terminata suspensione per obitum, beneficium per mortem dicitur vacare, num.5.

Reseruatio iuris antiqui non inducit nouum titulum, numer.6.

Confessio partis in narratiua precum Principi porrectarum, releuat partem aduersam ab onere iustificationis, num. 7.

Valoris beneficij expressio iustificatur consuetudine Prouinciæ sic exprimente n.8.

Gratia Principis in qua Princeps asserit impetrantem esse familiarem suum vel alias, &c. non est per necesse iustificanda ab impetrante, quia non sunt verba narratiua impetrantis, sed verba assertiua Principis, numer.9.

DECISIO CCII.

INstante Henrico dubium proposui, an gratia ipsius sit iustificata? Et esse iustificatam Domini censuerunt.

1 Quia quo ad Presbyteratum, Doctoratum, Magisterium in Theologia, & Protonotariatum omnia remanent iustificata ex publicis instrumentis, & litteris patentibus, quæ benè probant in eis contenta. Felin. *in cap. post concessionem, n.3. de probat* Grammat. *decis.* 81. *n.*1. Seraph. *decis.* 713. *n.*1. & sæpe fuit resolutum.

Obitus Caroli Episcopi in mense Septembri, probatur ex dispositione testium, qui in curia formiter examinati fuerunt. Primus reddit causam, quia accepit litteras à moderno Archiepiscopo significantes illius mortem in die 15. Sept. 1612. Secùdus tanquam vicinus oppido, in quo Archiepiscopus decessit, vbi publicè dicebatur de morte eiusdem Archiepiscopi. Tertius, quia Pragæ eadem vox de morte illius fuit diuulgata, quibus accedit confessio Ioannis aduersarij in sua prouisione per relationem ad prouisionem Henrici, ac instrumentum iuramenti præstiti per modernum Archiepiscopum in manibus Illustr. Card. Dietrichstain, & Reu. Episcopi Vienen. in quo refertur obitus Caroli de mense Septembri 1612.

2 Quæ omnia simul iuncta visa sunt in præsenti sufficere, cùm non agatur contra prouisum ab Ordinario, qui litteras suas produxerit, sed contra prouisum ab eadem Sede Apostolica, in cuius concursu admittuntur leuiores probationes, vt fuit resolutum in causa Legionen. Canonicatus 2. Decembris 1612. coram Reuer. nostro Decano.

3 Vacatio beneficij etiam videtur iustificata per mortem eiusdem, quamuis Episcopis beneficia non conferantur, sed commendentur, itaut videatur vacare vt priùs, non autem per obitum. Cassad. *decis.* 30. *super regul. & decis.* 5. *num.* 2. *de priuileg.*

Quia quoad effectum reseruationis, beneficia 4
etiam commendata dicuntur vacare, ex latè deductis in Campsana iurispatronatus 12. Nouembris 1607. coram bo. me. Penia.

Præterea visum est, etiam quòd gratia quæ datur 5
Episcopis in retentione obtentorum magis in suspensionem vacationis occasione promotionis ad Episcopatum, quàm in collationem, aut commendam sonare videatur, ideò terminata suspensione per obitum, beneficium pariter per mortem vacare
dicatur. 6

Cùm reseruatio iuris antiqui non sit inductiua
noui tituli, vt dicit Put. *dec.* 420. *lib.* 2. *in nou. impress.* 7

Possessio Canonicatus de tempore obitus probatur ex confessione Ioannis, dum in sua gratia repetit narratiuam Henrici, dicentis per obitum Archiepiscopi vltimi possessoris Canonicatum vacasse, quæ partis confessio solet releuare ab onere iustificationis, *vulgata l. cùm precum. C. de liber. causa.* Gabr. *de confess. concl.* 4.

Quo ad valorem tam huius Canonicatus, quàm 8
quoad aliud obtentum, quod non excedit valorem 24. ex generali consuetudine totius Germaniæ iustificatur, quæ in pluribus causis per Rotam fuit recepta, vt in Colonien. Canonicatus 20. Maij 1602. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Padebornen. Canonicatus 29 Martij 1610. coram Reuer. nostro Decano, in quibus aliæ decisiones referuntur.

Non obstat omissio iustificationis quòd ipse esset 9
familiaris Papæ, ac examinatus ab examinatoribus deputatis, & repertus idoneus.

Quia fuit responsum, illa verba non esse de narratiua Henrici, sed verba assertiua Papæ dum præfatur, *Dilecto filij Henrico familiari nostro*, & paulo infrà, *qui etiam alumnus noster existis, & à dilectis filiis examinatoribus, in Vrbe deputatis, examinatus, & idoneus repertus*, quæ ideo non egent iustificatione. *Clement. vnica. de probat.* Rota *decis* 171. *n.*2. *part.*1.

Nec aduersatur decisio 2. Mohedani *de probat.* quia Domini illam intellexerunt, quando ageretur ad effectum reseruationis deducendæ ex familiaritate; secus quoad effectum validitatis gratiæ, vt benè distinguitur in præcisis terminis *in decis.* 852. *part.* 3. *diuers.*

Et ita, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Viterbien. fideicommissi. Lunæ 11. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Trebellianica detrahitur per hæredem grauati, & non censetur prohibita, nisi vel expresè, vel tacitè, sed per verba, quæ non possint habere alium sensum.

SVMMARIVM.

Filius grauatus restituere hæreditatem sub conditione mortis sine filiis vltra legitimam detrahit etiam Trebellianicam ex bonis restitutioni subiectis, n.1.

Trebellianica per filium grauatum ad restitutionem non detracta, potest per eius hæredem detrahi, num.2.

Trebellianicæ detractio potest per testatorem prohiberi etiam

etiam filiis primi gradus, num. 3.
Trebellianica prohibetur non solùm expreßè, sed etiam tacitè, & per coniecturas, num. 4. declara vt n. 6.
Exceptio firmat regulam in non exceptuatis, num. 5.
Præsumptio de præsumptione elici non potest, & non debent specialia plura circa idem multiplicari, num. 7.
Superfluitas verborum in dispositione testatoris tolerabilior est, quàm elicere prohibitionem Trebellianicæ, contra opinionem Doctorum, num. 8.

DECISIO CCIII.

Clemens Saltalemachiæ institutis hæredibus Dominico, & Ioann. Baptista suis filiis, eos inuicem substituit, & decedentibus ambobus sine filiis, substituit proximiores de Cippo domus ipsius testatoris, præterquam de legitima, de qua dd. filij disponere possent ad eorum libitum. Mortuo testatore decessit Dominicus sine filiis, instituta hærede Constantia vxore, quæ ex d. fideicommisso vltra legitimam dicti Dominici prætendit etiam Trebellianicam detrahere. Vnde dedi dubium, an illius detractioni esset locus. Quod hodie Domini affirmatiuè resoluerunt.

1 Cùm enim Dominicus fuerit grauatus restituere hæreditatem sub conditione mortis *sine filiis*, poterat vltra legitimam Trebellianicam etiam detrahere ex bonis restitutioni subiectis. Couarr. *in cap. Raynutius §. 11. n. 5. de testam.* Surd. *cons. 471. n. 32.* Cephal *cons. 677. n. 11. lib. 5.* Roland. *cons. 25. n. 9. lib. 1.* Bero. *cons. 93. nu. 6. lib. 2.* Peregr. *de fideicom art. 3. nu. 51.*

2 Et quia illam non detraxit, potest hodie detrahi à Constantia eius hærede, cùm Trebellianica non detracta per filium grauatum, per ipsius hæredes detrahatur. *l. quamquam. C ad l. falcid.* Ruin. *cons. 143. nu. 12. lib. 2.* Port. Imolen. *cons. 9. num. 7. in fine.* Bursat. *consil. 19. n. 17. lib 31.* Roland. *d. cons. 25. nu. 8.* Honded. *cons. 63 nu. 76. & 110 lib. 1.* Surd. *vbi suprà.* Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib. 4. tit. 5. art. 13. num. 2.*

3 Nec obstat quòd Trebellianica possit per testatorem prohiberi, etiam filiis primi gradus, iuxta opinionem quam sequitur Rot. teste Seraphin. *decis. 553. num. 8. & 570. num. 1.* Rot. diuersor. *decis. 313. num. 1. part. 2.*

4 Et non solùm expresè, sed etiam tacitè & per coniecturas. Menoch. *cons. 374. n. 4. & præsumpt. 198. n. 10. lib. 4.* Crass. *in §. Trebellianica q. 8. nu. 2.* & in casu nostro cùm testator decedentibus hæredibus sine filiis substituerit Cippum domus, præterquam in legitima, de qua ipsi filij ad libitum disponere possent, videtur tacitè prohibuisse alienationem in reliquis, & sic etiam detractionem Trebellianicæ.

5 Quia exceptio firmat regulam in non exceptuatis, præsertim quia alioquin huiusmodi exceptio de legitima esset penitus superflua, cùm de iure inesset, & filij ad effectum disponendi liberè de illa non indigerent, præterita facultate patris.

6 Fuit enim responsum quòd quando agitur de inducendo tacitam prohibitionem Trebellianicæ, verba testamenti, ex quibus illa elicitur, debent esse talia quæ dictam prohibitionem necessariò ac concludenter inferant, aliúdque importare non possint, aliàs nunquam Trebellianica censetur prohibita. Castr. *cons. 28. nu. 2. lib. 2.* Decian. *cons. 89. nu. 44. lib. 5.* Bellon. *consil. 65. nu. 3.* Clar. *in §. testamentum q. 62. nu. 3.* Molin. *de primog. lib. 1. c. 17. n. 16.* Gabr. *concl. 2. num. 1. ver. contrarium, & nu. 3. ad Trebell.* Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib. 7. tit 12. n. 10* Honded. *consil. 45. nu. 22. & seq.* plures adducens *lib. 2.* Petr. *de fideicom q. 15. n. 154. & 156.* Boër. *decis. 44. n. 33.* Odd. *consil. 8. num. 22.*

In casu verò nostro cùm verba suprà ponderata non sint talia, cùm aliud importent, & in alium sensum trahi possint, vt ex se patet, non videtur ex illis Trebellianica Apostolica.

Maximè, quia si admittamus per dicta verba, *præterquam in legitimam, de qua disponere possint.* &c. testatorem tacitè prohibuisse alienationem in reliquis, & ex tali tacita alienationis prohibitione postea velimus etiam deducere tacitam prohibitionem declarationis Trebellianicæ, esset plura specialia circa idem multiplicare, & præsumptionem de præsumptione elicere, quod non licet, vt in proposito considerat Honded. *dicto consil. 45. num. 50. & sequenti.* 7

Et licèt prædicta verba videantur quodammodo esse superflua, tamen hoc videtur tolerabilius, quàm ex verbis, quæ possunt habere alium sensum, inducere prohibitionem Trebellianicæ, contra doctrinas suprà allegatas. 8

Et ita, &c.

R. P. D. VBALDO.

Dertusen. matrimonij. Lunæ 11. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Matrimonium metu contractum ad effugiendum carcerem aut mortem non valet, præsertim contractu per Procuratorem reuocato, & præcedente protestatione metus.

SVMMARIVM.

Matrimonium contrahi potest per Procuratorem, n. 1.
Procuratoris constitui ad contrahendum matrimonium, reuocatio tenet absque scientia & intimatione facta ipsi Procuratori, ibid.
Matrimonium requirit consensum amborum coniugum, aliter est nullum, ibid.
Procurator ad contrahendum matrimonium reuocari potest, etiamsi dominus iurauerit illum non reuocare, ibidem.
Matrimonium dicitur metu contractum, si præcessit protestatio de non libera voluntate, sed de metu carceris, aut mortis, ibid.
Protestatio metus ante contractum matrimonium, matrimonium subsequens annullat, num. 2.
Matrimonium metu, & nulliter contractum, ratificari non potest, ibid. & num. 3.
Matrimonium metu contractum, & nulliter, ratificari non potest, sed nouo consensus opus est, num. 4.
Matrimonium non perficitur ex nuptiali benedictione, & Missæ auditione, quando fuit metu contractum, ibid. & num 5. vbi ampliatur etiam quòd parochus, & testes interuenissent.

DECISIO CCIV.

Visum fuit Dominis, non constare de valido matrimonio, quod prætendebatur contractum inter Franciscum, Paulum Sibil, & Franciscam Iordanam, quia licet Paulus die 20. Augusti 1607. constituisset Procuratores ad matrimonium

contrahendum, nec dubitari possit, illud per Procuratorem posse contrahi, *l. sufficit*, vbi not. *ff. de sponsal. & in cap. fin. in princ. de procur. in* 6. *& in cap. honorantur, in ver. pudoris.* 32 *q.* 2. & per eosdem Procuratores fuerit contractum in facie Ecclesiæ cum solemnitatibus requisitis; tamen illi fuerant, antequam contraherent, reuocati, quæ reuocatio tenet absque scientia, & intimatione facta Procuratori, vel parti, vt est speciale in matrimonio. *d. cap. fin* §. 1. & ibi gloss. *de procur. in* 6. Zabarell. *consil.* 24. *in fin.* cum concordant per Sanch. *de matrim. lib.* 2. *disp.* 11. *num.* 6. & sic ob defectum consensus ex parte Pauli, matrimonium fuit nulliter contractum, *cap. cùm locum. cap. cùm apud. de sponsal. cap. sufficiat.* 17. *quæst.* 2. *cap. vbi* 30. *quæst.* 30. *quæst.* 2. Gemin. *consil.* 33. *num.* 10. gloss. *in d. cap fin. in ver. contraxerit, de procur. in* 6. quę *in ver. reuocatus, ibidem*, subdit, idem esse, etiamsi dominus iurauerit non reuocare mandatum, & ibi Ioan. Andr. & Franc. *num.* 5. Couarr. *super* 4. *decretal.* 2. *par. cap.* 4. *in princ. n.* 10. *vers. procedit*, cum aliis per Sanc. *vbi suprà nu.* 8. Quæ eo magis videbantur procedere, stante protestatione eiusdem Pauli ante cōstitutionem Procuratoris, quòd eam faceret non libera voluntate, sed metu carceris, & ad effugiendam mortem, ad quam fuerat per sententiam condemnatus, & similes protestationes stante causa metus valde conferunt, Surd. post plures relatos *consil.* 513. *num.* 36. *lib.* 4. & fuit dictum in causa Hispalen. matrimonij 18. Iunij 1607. coram Reuerendiss. Bononien. & in Toletana Professionis 19. Nouembris 1614. coram me.

2 Nec videtur suffragari ratificatio facta ab eodem Paulo, quia vltra quòd eam præcessit alia similis protestatio, & quidem non simplex, sed derogatoria, & annullatiua actus sequentis, quæ eo magis operatur, ex traditis per Surd. *d. cons.* 513. *n.* 45. respondebatur etiam, quòd cùm matrimonium fuerit iam nulliter contractum ex defectu mandati, vt suprà dictum est, non potuit ratificari, sed debuit iterum contrahi cum debitis solemnitatibus in facie Ecclesiæ, vt fuit resolutum in eadem Hispalen. matrimonij 26. Ianuarij 1609. coram eodem Reuerendissimo Bononien.

3 Neque dicatur, quòd post reuocationem mādati, idem Paulus Sibil cōstituit alium Procuratorem ad obtinendam executionem dispensationis Apostolicæ super matrimonio de quo agitur, & sic videatur per contrarium consensum recessisse à prædicta reuocatione, quia respondebatur consensum non esse contrarium, sed diuersum, cùm simul stare hæc duo possint, vt quis habeat dispensationem super matrimonio contrahendo, & tamen nolit contrahere, & ex diuersis non infertur. *l. Papinianus exuli. ff. de minor.* sed cessat difficultas, tum quia talis etiam Procurator reperitur reuocatus, tum & multo magis, quia eodem contextu iterum fuerunt reuocati quicunque Procuratores dati ad contrahendum matrimonium nomine Pauli, & sic semper intrat dispositio *d. cap. fin. de procur. in* 6.

4 Nec pro ratificatione matrimonij, aut nouo matrimonio deseruire potest Missa, & benedictio nuptialis cum annuli subarrhatione, tum quia præcesserunt duæ similes protestationes ex parte Pauli, & signanter in secunda dixit, quòd accesserat ad audiendam Missam, vt euitaret pœnam decē millium librarum, & ob reuerentiam iuramenti, sub quo illam audire promiserat, & mulier etiam protestata est, vt vir adimpleret contenta in sua obligatione, & de pœnis in ea contentis, & alimentis; tum quia stante nullitate primi matrimonij ex supradictis illud ratificari non poterat sine nouo consensu, cùm id quod nullum est, ratum haberi non possit, Bart. *in l. obseruare, in fin ff. de offic. procons.* Nat. *cons.* 262. *nu.* 10. Honded. *cons.* 38. *nu.* 19. *lib.* 1. & in terminis matrimonij, Sanch. *de matr. lib.* 2. *cap.* 36. *sub n.* 3. *vers. & confirmantur*; tum quia iste actus non tendebat ad matrimonium de nouo contrahendum, sed ad solemnizandum matrimonium iam antea, vt putabatur, contractum, cùm non sit de essentia matrimonij, ex allegatis per Rot. apud Seraphin. *decis.* 893. *num.* 29. Sanch. *lib.* 3. *disput.* 12. *num.* 6. & cessat difficultas ex protestationibus vtriusque partis, ex quibus elicitur consensus, vltra quem non debet actus operari, *l. omnis ff. si cert. pet.*

Neque obstat, quòd adfuerit Parochus, & testes, quia stante defectu consensus in contrahentibus, nihil operatur, immò dici potest, nec adfuisse Parochum, ex quo non fuit adhibitus hac de causa contrahendi matrimonij, sed tantùm vt eis daret benedictionem nuptialem, iuxta tradita per Sanch. *de matr. lib.* 3. *disp.* 39. *per tot.* & censuit Sacra Congregatio Illustrissimorum Concilij interpretum, vt in copia quæ fuit data, & Domini addebant alias similes declarationes eiusdem Congregationis. Ex quibus etiam videbatur tolli motiuum de annuli traditione, quæ venit in consequentiam dictæ Missæ, & benedictionis nuptialis, quam non inducere matrimonium iam dictum est, & annuli traditio regulatur secundùm præcedentia, vt per Abb. *in cap fin. n.* 7. *de despons. impub.* quem sequitur Sanch. *de matr. lib.* 1. *disp.* 22. *num.* 1.

Et ita fuit decisum.

R. P. D. MANZANEDO.

Segontina Canonicatus. Veneris 15. *Ianuarij.* 1616.

ARGVMENTVM.

Habes in summariis.

SVMMARIVM.

Libro Officialis ad id deputati fides plenè adhibetur, num. 1.

Alternatiua Episcopi probatur ex acceptatione illius extracta ex libro Dataria, nec est necesse probare residentiam, num. 2.

Possessio de beneficio defuncti probatur ex publica voce & fama, & ex confessione aduersarij in sua gratia, num 3.

Valor obtentorum expressorum satis sufficiunt ad probationem Presbyteratus & originis, num. 5.

DECISIO CCV.

DOmini dixerunt gratiam Gasparis esse iustificatam. Nam obitus Ferdinandi die 22. Septembris, & sic in mense Apostolico propter alternatiuam probatur per partitam extractam ex libro punctatoris Capituli, cui credendum est tanquam Officiali ad id inter alia deputato, vt patet ex inscriptione libri, ibi, *liber in quo adotatur dies possessionis prabendarum, & dies in quo moriuntur*, &c. *l. quadā* §. *nummularios*, & ibi gl. & Bart. *n.* 3. *ff. de eden.* Alexand. *consil.*

consil. 179. *in princ lib.*6. Mandell. *cons.*175. *numer.*14. *& consil.*453. *numer.* 4. Ruin. *consil.*53. *numer.* 9. *lib.* 4. Caputaquens. *decis.* 160. *parte* 2. Seraphin. *decis.* 1390. *numer.*2. iunctis præsertim testibus deponentibus de publica voce & fama eiusdem obitus in die supradicta.

2 De alternatiua autem constare visum fuit ex acceptatione illius facta per Episcopum extracta formiter ex libro Datariæ. Seraphin. *decis.* 1108. *numero* 4. Nec ad istum effectum est necesse probare illius residentiam, quia absentia Episcopi, licèt ipsum priuet commodo alternatiuæ, non tamen potest præiudicare Papæ, cùm culpa propria, sibi & non alteri debeat esse nociua. Mandos. *cons.*18. *n.*8. *& seq.* & fuit dictum in vna Fauentina Canonicatus 16. Decembris 1585. coram Blanchetto, & in aliis relatis per Gonzales *in reg.*8. *gloss.*43. *num.* 111.

Et quòd Canonicatus, de quo agitur, cadat sub alternatiua, probatur ex testibus deponentibus Canonicatus Ecclesiæ Seguntinæ esse liberæ collationis Episcopi, & per illum solùm conferri solere, quòd sufficit ad excludendam simultaneam cum Capitulo ad effectum de quo agitur, cùm de ea non tractetur principaliter, sed tantummodo incidenter.

3 Possessio defuncti, & valor Canonicatus probatur tam per testes de publica voce, & fama, quàm ex confessione aduersarij in sua gratia. *l. cùm precum. C. de liber. caus.*

4 Valor autem obtentorum quòd non excedant ducatos 60. probatur per eosdem testes de publica voce & fama. Ægid. *decis.*674. Put. *decis.*19. *lib.*1. Verall. *decis.*177. *num.*7. *part.*1.

5 Tandem de Presbyteratu Gasparis constare visum fuit vltra testes ex litteris patentibus Ordinarij ipsius ordinis Presbyteratus. Rot. *decis.*1 *de probationibus in nouis.* Felin. *in cap post cessionem n.* 3. *&* 15 *eod. tit.* Grammat *decis.*81. *num.*1.

Ex quibus litteris pariter probatur illum esse oriundum ex diœcesi Seguntina, cùm ita talis ibi enuncietur, nec ab Ordinario Seguntino promotus fuisset, nisi esset de illius diœcesi.

REVERENDISSIMO D. COCCINO DECANO.

Perusina melioramentorum. Sabb. 15. *Ianuarij* 1616.

ARGVMENTVM.

Melioramentorum exceptio an retardet restitutionem domus restituendæ, præstita cautione de illis reficiendis, facta legitima liquidatione, quando, & quomodo eadem melioramenta probata, & liquidata dicantur.

SVMMARIVM.

*Melioramentorum exceptio impedit restitutionem domus quæ restituenda sit num.*1.

Melioramenta vt dicantur probata probari debet status de tempore, quo fuit meliorata res empta, ita vt ex illo statu possit deueniri ad tempus præsens, ibid.

*Testes de credulitate non probant, num.*2.

Pretia rerum augeri possunt beneficio temporis, ibid.

Melioramentorum probatio vt legitimè dicatur facta, nunquid attendenda sit impensa in illis facta, an verò id in quo res meliorata fuit, ibid.

*Melioramenta, vt probata dicantur debet constare de eorum qualitate, quia quandoque qui illa fecit, recuperat per restitutionem, & quandoque per abreptionem, num.*3.

DECISIO CCVI.

Agentibus Dominis de Signorellis pro restitutione domus, de qua agitur, iuxta sententias Rotales, Reuerendissimus D. Episcopus dicebat sibi dari retentionem pro dictis melioramentis. *l. si in area. ff. de cond. indeb.* Doctor. *in l. si non sortem.* § *si centum*, vbi gloss. *ff. eod. tit.* Quare reportatis probationibus factis in termino præfixo ad liquidandum, dubitaui an melioramenta essent liquidata in aliqua summa, & in qua. Et Domini negatiuè responderunt, quia non probatur status domus de tempore quo fuit empta per Curtium, ita vt ex illo statu possit deueniri ad tempus præsens, vt dixit Rot. in causa Romana de Valle 13. Maij 1596. coram Sarmiento. Seraph. *decis.* 952. *num.*2. & fuit resolutum in causa Floretana melioramentorum 16. Iunij 1609. coram R.P.D. meo Manzanedo. 1

Ad hoc enim probandum afferuntur duo genera probationum, nempe prima ex testibus, qui tamen nihil concludunt, omnes enim deponunt de credulitate sua, & ideo non probant. Curt. iun. in puncto *in consilio* 144. *num.*4. *& consil.* 165. *num.* 20. *& seqq.* Secunda ex venditione domus, de qua agitur facta Petro muratori de anno 1575. pro scutis 800. Vnde inferebatur quòd cùm de anno 1603. fuerit vendita Curtio pro scutis 1500. per necesse fuerit meliorata in scutis 700. & à dicto anno 1603. vsque in hodiernam diem fuisse melioratam iuxta æstimationem vltimo loco factam. Sed nihil ista probatio valet, quia argumentum potuit fieri saltem ex parte beneficio temporis. *l. pretia rerum. ff. ad l. falcid. & l.*2. *C. de rescind. vend.* & quatenus prædicta esset liquidissima probatio, adhuc nihil valeret, cùm in ista materia simpliciter non attendatur, nec id quod fuit impensum, nec id quod fuit melioratum, sed ex istis, quod minus est, vtputa si fuerunt expensa 50. & in centum domus meliorata, vel è contra quod minus est attenditur, & restituitur. *l. in fundo*, & ibi gloss. *in vers. plus pretio*, & Bart. *numero* 2. Alberic. *numer.*5. *ff. de re iud.* Abb. *in cap.*1. *n.*4. *de rest. in integ.* Felin. *in cap. cùm causam, numero* 28. *de re iudic.* Negus. *de pign.* 4. *memb.* 5. *part. principalis numer.*11. Capic. *decis.* 93. *num.*9. 2

Et vltra prædicta considerabant Domini, quòd deberet constare de qualitate melioramentorum, quia qui illa fecit, non omnia recuperat per restitutionem, sed aliquando per abreptionem. *l ex duobus*, vbi Odofr. & Bald. *in princ.* Castr. pariter *in princ. vers. in text. ff. de neg. gest.* Curt. iun. *in consil.*165. *num.*20. *& seqq.* ex quibus videbatur non posse retardari restitutionē domus, præstita cautione, facta legitima liquidatione, de melioramētis reficiendis, cùm fuerit iam præfixus terminus ad liquidandum, & nihil fuerit liquidatum, & ista seruat Rota, vt per Put. *decis.*461. *lib.*2. *in nou.* & passim hoc seruatur. 3

R.P.D. REMBOLDO.

Romana pecuniaria Sabbati 23. *Ianuarij* 1616.

ARGVMENTVM.

De exequutione instrumenti, in quo mulieri pro restitutione suæ dotis, & donationis propter nuptias donec fuerit soluta, assignantur fructus percipiendi ex re stabili, in qua plura, & diuersa notanda singularia explicantur, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Instrumentum probat debitum dotis, & donationis propter nuptias, num. 2.

Confessio defuncti nocet hæredibus, & successoribus, ibid.

Producens iura censetur ratificare iura producta, n. 4.

Hypothecæ quisque renunciando potest quis sibi ex proprio facto præiudicare, num. 5.

Conditione deficiente perinde est, ac si dispositio facta non fuisset, num. 6.

Dotales fructus succedunt loco alimentorum, & morte mulieris amplius non debentur, num 8.

Præscriptio censetur interrupta per subsequens compromissum num. 9.

Annuæ præstationis præscriptio vnica non sufficit, sed tot debent esse præscriptiones, quot sunt annuæ præstationes, ibid.

DECISIO CCVII.

1 CVm per mortem quondam D. Sciarræ Columnæ, factus esset locus restitutioni dotis scutorum 14. mill. necnon donationis propter nuptias, scutorum scilicet 3500. ad fauorem quondam D. Claricis eiusdem D. Sciarræ coniugis per quoddam publicum instrumentum de anno 1582. inter Illustrissimas D. Iuliam, Placidam, & Flaminiam d. D. Claricis filias, atque ipsam D. Claricem, cum debitis solemnitatibus celebratum, dd. DD. filiæ in satisfactionem dotis, & donationis prædictæ D. Clarici tenutam Terræ Passarani pro intranti dicti sui crediti quantitate assignarunt, pacto etiam adiecto, quòd interim, & donec d. D. Clarix realem, corporalem, & actualem dictæ quantitatis terræ possessionem adepta, & eadem terræ quantitas, cum effectu, & realiter ipsi tradita, & consignata fuerit, ei debeantur, & currant pro rata crediti fructus, qui tam ex castro Gallicani, quàm etiam ex prædicta tenuta Passarani percipiuntur. Et quia dictum castrum, & tenuta ex cessionibus à dictis sororibus sibi inuicem in eodem instrumento factis, D. Iuliæ obtigerat, D. Iulia per plures annos debitum agnoscendo scuta 720. annua dictæ D. Clarici persoluit. Cùm verò postmodum dicta D. Clarice vita functa sibi expresè in medietate dictorum scut. 720. Illustrissima D. Flaminia hęrede instituta dicta D. Iulia eiúsque in dictis castro, & tenuta hæredes, ac successores medietatem dd. scutorum 720. D. Flaminię, vlteriùs soluere recusarent, atque ideo causa mihi cum facultatibus A.C. commissa esset, dubitaui, an esset relaxandum mandatum exequutiuum contra bona hæreditaria D. Iuliæ Columnæ pro annuis scutis 360.

2 Et Domini affirmatiuè responderunt. nam de credito D. Claricis respectu dotis, & donationis propter nuptias, non videbatur posse dubitari, cù**m** de eo satis constet ex propria confessione D. Iuliæ in d. instrumento de anno 1582. celebrato, ad *l. cùm precum. C. de lib. caus. & l. desiderium. C. deposit.* cum aliis latè deductis in vna Mediolanen. simulationis contractus 10. Nouembris 1603. coram Reuerendissimo Atrebaten. quæ confessio nocet etiam quibuscunque dictæ D. Iuliæ successoribus, qui non possunt eam impugnare, *l. cùm à matre C. de rei vendic. l. ex qua persona ff. de reg. iur.* Ruin. *consil.* 128. *num.* 16. *vers. non obstat, lib.* 2. Paris. *consil.* 11. *num.* 39. *vers. vnde enim, lib.* 3. Peregrin. *consil.* 64. *num.* 20. Præterea ex eodem quoque instrumento constat, quòd D. Clarici in satisfactionem dicti sui crediti assignata fuit portio tenutæ Passarani, atque insuper sub obligatione Camerali inter partes conuentum, quòd vsquequo dicta portio cum effectu eidem traderetur, ipsa consequi deberet partem fructuum ex dicto castro, & tenuta percipiendorum, quo fit, vt cùm dicta portio hactenus tradita non fuerit ex claris dicti instrumenti verbis, succedit obligatio præstandi dictam ratam fructuum.

Et sicuti vigore dictæ obligationis Cameralis D. Clarici concedi debuisset mandatum exequutiuum pro dictis fructibus contra D. Iuliam dicti castri, & tenutæ posseditricem, cùm præsertim eademmet D. Iulia, D. Clarici, vt dictum fuit, per plures annos dictos fructus in summo scutorum 720. persoluerit, ita, & pari ratione idem mandatum denegari non potest D. Flaminiæ d. D. Claricis in medietate hæredis prædictorum scutorum 720. medietatis rata, cùm virtus obligationis Cameralis ea sit, vt transeat etiam in hæredes, ad tradita per Moder. *de oblig. cam. part.* 2. *quæst.* 1. & firmauit Rota in vna ciuitatis Castelli bonorum 6. Iunij 1594. coram bon. mem. Litta, & alibi sæpiùs, prout regulariter quoque in hæredem transeunt omnes actiones defuncto competentes, §. *si post mortem, Instit. de inutil. stipul. tot. tit. C. vt actio ab hærede, & contra hæredes.*

Non obstat quòd non constet D. Flaminiam esse hæredem D. Claricis, quia hoc tollitur nedum ex testamento in quo legitur dicta D. Flaminia instituta hæres expresè etiam in medietate dd. scutorum 720. sed etiam ex alio instrumento aditionis hæreditatis eiusdem per ipsam D. Iuliam nomine dictæ D. Claricis factæ, & quòd dicta Flaminia eandem aditionem ratificauerit, plenè probatur ex compromisso, & iuribus per eandem D. Flaminiam coram bon. memor. Orano productis, de quibus *in Summario, numer.* 10. adnotata per Bald. *consil.* 172. *sub num.* 2. *lib.* 5. Castren. *consil.* 22. *sub numer.* 3. *vers. transigendo, lib.* 2.

Non obstat asserta anterior hypotheca D. Ducis hæredis dictæ Iuliæ, super bonis Gallicani & Passarani ratione dotis dictæ D. Iuliæ, quia in facto non subsistit, cùm creditum Claricis sit longè anterius dicta dote, & hypotheca, & in omnem euentum cum D. Iulia, cum præsentia, & consensu D. Martij eius viri dictæ assignationis portionis tenutæ, & fructuum de anno 1582. D. Clarici facta assenserit, eadémque scuta 720. persoluerit tam ipsa D. Iulia, quàm etiam D. Martius eius coniux sibi in dicta hypotheca proprio facto præiudicasset, ad *l. Diui, §. licèt. ff. de iur. codicill. & l. pacta, & ibi gloss. in verb. nouam emptionem. ff. de contrahend. empt.*

Non obstat quòd D. Clarix promisit soluere pro dote

dote D. Iuliæ scutorum 8000. de proprio, quia hæc promissio non fuit pura, sed sub duplici conditione facta, quatenus scilicet bona dictæ D. Iuliæ in dotem assignata per sententiam, & rem iudicatam euincerentur, & portio quæ sequuta euictione D. Iuliæ remaneret ad 30. mill. non ascenderet, quorum conditionum, cùm neutra sit purificata, cessat promissio, ex *vulg. reg.* quòd deficiente conditione, perinde est, ac si dispositio facta non fuisset, *l. cedere diem. ff. de verb. signific. l. hæc venditio, in princ. ff. de contrahen. empt. l. necessario. §. quod si pendente. ff. de peric. & commod. rei vend.* cum aliis per Cephal. *cons. 59. num. 12. vol. 1.*

7 Non obstat assertum fideicommissum Alexandri Columnæ ad fauorem Francisci, ratione cuius dicitur D. Martium fuisse coactum soluere scuta 40. mill. sibique perinde iura dicti Francisci super dicto castro, & tenuta acquisiuisse, quia vltra quod nihil horum verificatur in facto, in omnem casum ex dicto fideicommisso detrahi debeat legitima Sciarræ, & ex ea dos D. Clarici restitui, prout in eodemmet instrumento dicta D. Iulia, illam deduci, & solui debere ipso D. Martio consentiente declarauit.

8 Non obstat quod obligatio soluendi scuta 720. annua expirauerit per mortem D. Claricis, ad tradita per Surd. *tract. de alim. tit. 1. quæst. 74. nu. 2.* quia dicta scuta 720. non fuerunt promissa vti fructus dotales, qui in locum alimentorum succedunt, sed tanquam fructus terrarum eidem D. Clerici in satisfactionem dicti sui crediti assignatarum, qui propterea semper, & vsque quò dictæ terræ realiter tradantur, persolui debent æquitate, *l. curabit. C. de actio. empt.* Rota *decis. 653. num. 2. par. 1.*

9 Non obstat quòd præstatio dd. fructuum sit præscripta per lapsum annorum 16. quia præterquam quod fuit interrupta per compromissum factum in personam bon. me. Orani, & præscriptio semel interrupta ampliùs non currit. Rot. *decis. 86. part. 1. diuers.* & fuit dictum in vna Romana pecuniaria 1. Iulij 1602. coram Illustris. Card. Mellino in omnem etiam euentum cùm versemur in annua præstatione conditionali tot præscriptiones requirerentur, quot sunt præstationes, atque ita saltem relaxandum esset mandatum pro annis 16. ante hanc litem motam decursis, iuxta decis. Mohedan. 4. *de præscript.* Put. *decis. 259. num. 2. lib. 1.*

R. P. D. VBALDO.

Romana participationis. Sabbato 23. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Assumptus in participem conductæ gabellæ, nunquid dicatur assumptus in socium iurium conductionis eiusdem gabellæ, & an propterea talis participatio morte locatoris transeat ad hæredes.

SVMMARIVM.

Societas morte vnius socij finita est, ita quòd societatis lucrum non transit ad superuiuentem, num. 1.

Conductor potest sibi locatam rem in totum, vel pro parte alteri sublocare, nisi aliter fuerit conuentum, ibid.

Voluntas, & potestas in quocunq; actu cõcurrere debet, ib.

Contractus & locationis, & conductionis transit ad hæredes, num. 2.

Spectare, & pertinere verba significant translationem dominij. ibid.

Determinatio vna respiciens plura determinabilia, pariformiter determinari debet, ibid. ad finem.

Cessio iuris & actionis inducitur per verba, & entra in mio luogo, *num. 3.*

Cedentis omnia iura transeunt in cessionarium, ibid.

Locationis, & conductionis contractus vt initus dicatur, tria requiruntur, scilicet consensus, res, & merces, n. 4.

Contractus qualis fuerit inter partes celebratus, partium confessione probatur, num. 5.

Emens, seu conducens rem à Camera Apostolica pro se, & persona nominanda, an, & quando possit personam nominare sine consensu ipsius Cameræ, num. 6. & 7.

Societatis contractus an celebratus censeatur per verba participationis & participis, num. 8.

Negatiua probanda est ab allegante eam, num. 9. in fin.

Conuentionis vna pars aliam declarat, num. 11. in fin.

DECISIO CCVIII.

FVit formatum in decisione huius causæ 26. Iunij 1614. inter bo. mem. Philippum Guicciardinum, & Illustrissimum D. Ioan. Petrum Caffarellum assumptum, & nominatum ab eo in participem vnius solidi ex duodecim, qui ad eum spectabant conductionis Dohenarum Vrbis fuisse contractam solam societatem lucrorum ex dicta negociatione prouenientium, non autem fuisse admissum ad ius conductionis quod Philippus habebat cum Camera Apostolica, & proinde mortuo Philippo ante finem conductionis non posse D. Caffarellum participare de lucris post Guicciardini mortem obuentis, cùm certum sit societatem morte vnius ex sociis finiri. *l. action. § morte. l. adeo, l. socium, l. si fratres. §. idem respondit primò.* vbi gloss. *ff. pro soc.* cum aliis in decisione adductis, cui cùm D. Ioan. Petrus non acquiesceret, proposui iterum causam super eisdem, & Domini putarunt esse ab ea recedendum. 1

Fundamentum præcipuum fuit, quia non est dubium quemlibet conductorem posse sublocare in totum vel pro parte rem conductam, nisi aliter fuerit conuentum. *l. nemo. C. locat. l. cùm in plures, in prin.* vbi Bald. *l. si cui locauero l. si tibi alienam. ff. eod. tit.* Cardin. Mantic. *de tacit. & ambig. lib. 22. tit. 2. nu. 44.* Imol. *consil. 79. num. 1. & 2.* vbi loquitur in conductore vectigalium, & facit text. *in l. Moschis §. Æmilius.* vbi gloss. *ff. de iure fisc.* Rota Ianuen. *decis. 14. num. 25. vers. præterea,* Peregrin. *de iur fisc. lib. 6. tit. 5. num. 13.* & hoc vt Guicciardinus & Olgiatus principales conductores possent sublocare præter dispositionem iuris communis, videbatur illis expresse concessum per chirographum fel. rec. Clementis VIII. in illis verbis directis ad Camerales, *Diate & concediate in appalto alli detti Filippo Guicciardini & Settrinio Olgiati per loro & da nominarse de loro quandocumque & à loro heredi & successori le Dohane de Roma,* &c. Et adhuc clariùs continetur in capitulis inter Guicciardinum & Olgiatum conuentis, præsertim primo & vndecimo. Firmata igitur potestate sublocandi remanet quæstio voluntatis, cùm in quocumque actu debeat concurrere potestas & voluntas. *cap. cùm super. de offic. deleg. l. cùm te,* vbi Bald. *C. de donat. ante nupt.* cum aliis per Surd. *cons. 280. num. 5. lib. 2.*

Quòd autem Philippus in apocha celebrata inter 3

ipsum & D.Caffarellum 28. Iunij 1604. in qua dixit se eum facere participem dicti appaltus pro vno solido cum aliis verbis, de quibus in ea & relatis in decisione, de qua agitur, voluerit eum facere subconductorem Dohanarum pro illa rata, non simplicem socium, vel participem lucrorum, quo casu sine dubio talis cõuentio transiret ad hæres. *l.viam veritatis.l.locat.* Deducebatur in primis, quia in primo capitulo inter Philippũ & Septimium ita conuenit, *che detto appalto canti nella persona dell'vno, & l'altro di loro & in esso & suo negotio ciascuno di loro partecipi por la metà, tal che di 20. soldi, spettino 10. al detto Signore Settimo Olgiati, & à quello, o quelli ch'egli nominasse, & gl' autri 10. adesso Signore Filippo Guicciardino & à quello, o quelli ch'egli parimente nominasse.* Ad Philippum autem & Septimum quòd spectent dicti solidi iure conductionis, proprietatis, & dominij, non dubitatur, & suadetur ex illo verbo *spectare.* quod significat translationem dominij, sicuti verbum *pertinere.l. verbum illud pertinere.* vbi Rebuff. *circa principium.ff.de verb.signific.* gloss. *in cap. dilectus. de fid.instr.* Innoc. *in cap.cùm Ecclesia Sutrina, in princ. de caus.possess.& propriet.* Felin. *in rubr.de ref.col.pen. num.*7. Ita ergo spectare debent ad personas ab eis nominatas, ex regula quòd vna determinatio plura respiciẽs, debet pariformiter determinare. *l.iam hoc iure ff de vulg.l.quamuis.C.de impub.* & hoc tanto magis, quia D.Caffarellus contraxit cum eisdem capitulis inter principales conductores conuentis, inde statim ac fuit nominatus per Philippum pro vno solido dicti affictus, videtur ad eum spectasse proprietas & ius conductionis pro dicta rata, sicut spectabat pro reliquis solidis ad Guicciardinum, perinde ac si ab initio ipsemet D. Caffarellus ius contraxisset, vt dicit in terminis Rota.Ianuen. *decis.*14.*n.*24.

3 Præterea ponderabant DD. cessionem generalem à Guicciardino eidem Caffarello factam per illa verba, & per *detto soldo entra in mio luogo, & gli cedo ogne mie ragione à bene & male,* &c. quæ verba significant cessionem iuris & actionis, iuxta Bart. *in l.qui quadringenta num.*2. & ibi Ang.Imol.Alex.& alij, & præ cæteris Ias. *num.7.ff.ad Trebell.* Bart. *in l.in prouinciali.§.si ego nu.3.ff.de nou.oper. nunciat.* Paris. *cons.* 107. *num.* 34. *lib.* 3. Cùm enim Guicciardinus esset conductor, consequens est vt D. Caffarellus, qui in eius locum intrauit cum cessione iurium, sit etiam ipse conductor, non autem solus lucrorum particeps, cùm in cessionarium transeant omnia iura cedentis. *l.si ager,* vbi Doctor. *C.de rei vendic.l.emptor.* vbi Bald. *in 1.notab. C. de hæred. vel actio. vend.* Bec. *cons.* 105.*num.*17. cum aliis per Surd. *cons.*22. *num.*16. *lib.*1. *& d. cons.*280. *num.* 14. *lib.* 2. Quod & confirmant illa verba, *Io Filippo Guicciardino partecipe de detto appalto,* & infrà, *fò partecipe per vn soldo di detto appalto il Signore Gio. Pietro Caffarelli.* ex quibus apparet quòd qua ratione Philippus erat particeps appaltus, id est, conductor, eadem ratione fecit participem D. Caffarellum pro vno solido eiusdem appaltus.

4 Tertiò vnus ex dominis mouebatur, quia hîc videntur concurrere tria illa, sine quibus locatio & conductio esse non potest, & è contra, quibus concurrentibus videtur inducta, videlicet, consensus, res, & merces, vt per Surd. *cons.* 400.*n.9.lib.*3. Consensus apparet ex dicta cessione iurium, & in locum conductoris positione res est affictus pro vno solido, merces verò per per relationem ad capitula firmata inter conductores, & aliàs locatio per relationem valet. Surd. *cons.* 460. *num.* 30. *lib.* 4. & fuit dictum in vna Romana euacuationis 2. Decembris præteriti coram me. Et ratione mercedis est *decis.* 88.*num.*1.*&* 2.*part.*2.*diuers.*

Et demum accedit confessio hæredum Philippi in inuentario, quod ex 12. solidis affictus, qui pertinebant ad Philippum, duos cesserat, & assignauerat diuersis personis, quorum duorum vnus est cessus D. Caffarello, cum quo si fuisset contracta sola societas, non fuisset necessaria mentio in inuentario, cùm fuisset societas finita morte Philippi, ex allegatis suprà in principio; sed quia hæredes existimarunt fuisse cessum ius conductionis, ideo illos solidos tanquam extra hæreditatem Philippi non posuerunt in inuentario, quæ confessio valde attendi solet. *l.vlt.C.arbr.tutel.* Afflict. *decis.*13.*num.*1. & fuit dictum in vna Auenionen. Pec. coram Robusterio relata inter impress. diuers. *decis.* 71. *num.* 3. *part.*1.

Ad fundamenta autem decisionis fuit ita responsum. Et primò, non obstare quòd ad hoc quòd D. Io. Petrus esset conductor, fuisse necesse eum admitti cum consensu, & participatione Cameræ, ad Ruin. *cons.*90.*nu.*9.*lib.*1. Rota Ianuen. *decis.*14.*nu.*48. *vers. Nam ad hoc,* cum aliis allegatis. Quia dicebatur hoc procedere quando principalis conductor vellet per nominationem alterius se eximere ab obligatione; tunc enim locatoris interest scire an nominandus sit æquè idoneus, secus in casu nostro, in quo Guicciardinus non se exemit ab obligatione erga Cameram, sed cessit iura D. Caffarello, & sic non tractatur de præiudicio Cameræ, cuius potius interest habere plures obligatos. Paris. *cons.*82.*nu.*4. *&* 5.*lib.*1. Vltra quòd dicebatur Ruin. *in cons. allegato,* loqui in diuersis terminis, quia ibi locatio erat facta pro se, & sociis, quod Ruin. interpretatur de sociis præsentibus, non autem pro futuris, vel in futurum nominandis, vt *ibid. nu.*7. Hic autem expresè fuit facta locatio pro Septimio & Philippo & personis nominandis ab ipsis.

Similiter ad decis. Pedemont. 76. dicebatur ibi fuisse factum expressum pactum de non sublocando, nec sumendo in participem sine consensu Episcopi locatoris, vt ibi dicitur in principio decisionis, quod hîc cessat. Nec videbatur obstare decisio in Romana participationis 31. Ianuarij 1583. coram Bubalo, quia ibi facultas data nominandi intra mensem expirauerat, ideo alia nominatio sine nouo Cam. consensu non tenuit, sed hîc facultas data nominandi, est data quandocumque.

Ad verba apochæ pro secundo fundamento in decisione considerata respondebatur. Et in primis quòd licèt negari non possit quòd verbum *participationis, & participis* conueniat societati & socio. gloss. *in l. cùm in societatis. C.pro soc.* Rota Ianuen. *decis.*46.*num.*1. cum aliis in decisione allegatis. Tamen illa procedunt in participatione, quam solus præcesserat contractus societatis, ideo necessariò participatio ibi intelligitur de societate: sed in casu nostro præcessit contractus locationis habens admixtam & implicitam societatem inter conductores, vt decisio admittit. Ideo participatio data D. Caffarello ab vno ex conductoribus, non necessariò intelligitur de sola societate, cùm aliàs illud verbum possit etiam conuenire aliis contractibus, in quibus intercedat aliqua communio. Rot. Ianuen. *decis.*39.*num.*10. & communio non infert necessariò ad societatem. *l.vt sit, l.vt in conductionibus. ff.pro*

ff. pro soc. §. item si inter. Instit. de oblig. ex quasi contr. Aym. *cons.875. num.7. lib.5.* quod & confirmatur ex vsu ipsorum contrahentium, qui in suis capitulis sæpe vtuntur hoc verbo *participem*, & *participare* pro consorte in ipsa conductione, vt in primo capitulo, ibi, *& in esso appalto, & suo negotio, ciascuno di loro pertecipi per la metà*, & infrà ibi. *Promettono à detta rata l'vno & l'altro partecipare in detto appalto*, &c. *& in cap.11.* in quo decisio firmat tractari de cessione iuris conductionis, *volendo lui tal participatione sia preferito*, &c. & ad hoc faciunt etiam verba suprà ponderata in apocha cessionis facta D. Caffarello, in qua Philippus particeps appaltus dicit se facere participem pro vno solido D. Ioan. Petrum, vnde videtur incongruum vt in eadem oratione respectu Philippi illud verbum significet conductorem, vt non controuertitur. Respectu verò D. Caffarelli simplicem socium lucrorum, ex quibus etiam videbatur cessare 3. fundamentum decisionis, desumptum ex distinctione considerata inter cessionem solidorum per viam participationis, & cessionem iurium conductionis, cùm tam in 1. capitulo, quàm in 2. contrahentes promiscuè vsi fuerint verbo *participationis*, vt ex prædictis patet.

9 Neque obstat, quòd Guicciardinus nõ requisierit Olgiatum in hac solidi concessione facta D. Caffarello, prout tenebatur ex forma capituli 11. & sic non videatur facta cessio iuris, sed tantùm inducta societas, quod per Capitulum non prohibetur, quia respondebatur vel quòd vigore dicti Capituli prohibetur cessio totius portionis, non autem minimè ratæ dictæ portionis, qualis cessa fuit D. Caffarello, vel quòd non constat D. Septimum non fuisse requisitum, cùm ad hunc effectum non requiretur iudicialis interpellatio, de qua non fuit conuentum, & in omnem euentum talis negatiua esset probanda ab allegante. Bart. *in l. in illa. ff. de verb. oblig.* Gabr. *de probat. concl.6. num.14.* & fuit dictum in vna Augusten. Hospitalis 21. Februarij 1611. coram me.

10 Præterea nec refragari videbatur, quòd D. Caffarellus non se ingesserit in administratione, quia ex hoc non sequitur quòd ipse vel alij si qui essent nominati à principalibus conductoribus, non essent subconductores, cùm non sit absurdum plures esse conductores, & vnum administrare, prout in hoc casu administratio tota pertinuit ad Septimium ex secundo Capitulo, & tamen nemo negat ipsum & Philippum fuisse conductores.

11 Nec visum est subsistere quòd pactum expressum inter Septimium & Guicciardinum, vt conuentiones inter ipsos initæ transirent ad hæredes, vt *in cap. 12.* intelligatur quò ad ipsos tantùm, non autem quoad nominatos vel participes ab eis assumptos; quia cùm in primo capitulo conuenerint vt solidi diuisi totius appaltus ita spectent ad nominatos, seu participes, sicuti ad ipsos principales conductores, vt suprà fuit consideratum circa principium decisionis *vers. quod autem*, videtur etiam pactum prædictum quòd conuentiones transeant ad hæredes, intelligendum quoad omnes siue principales conductores, siue ab iis nominatos, cùm vna pars conuentionis aliam declaret. *l. qui filiabus. ff. de legat. 1.* vbi Ias. *l. vtrùm. ff. de pet. hæred.* Surd. *decis. 202. num. 15.* & ideò *in d. cap. 12.* fit mentio participum & sociorum, quod ipsum confirmatur ex chirographo Sanctissimi, in quo mandatur Cameralibus, vt dent in appaltum Dohanas Guicciardino & Olgiato pro ipsis & nominandis ab ipsis quandocumque, & eorum hæredibus & successoribus. Ex quibus & aliis congestis per informantes, Domini recesserunt à decisis.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Romana expensarum. Sabbati. 23. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Procurator qui de suo proprio litis expensas subministrauit, eas à principali recuperat. Quid isto casu præsumatur, & quomodo expensas factas fuisse probetur, & de earum liquidatione.

SVMMARIVM.

Expensæ litis in Copistis, Notariis, Procuratoribus, Aduocatis, aut iudicibus sunt consuetæ fieri, & factæ præsumuntur, num. 1.

Expensarum litis probatio sufficit ea quæ haberi potest, & admittuntur coniecturæ de quibus, ibid. in fine, & seq. & num. 5.

Expensæ litis præsumuntur factæ à principali litigante, & non à Procuratore. declara vt num. 3. & 4.

Solutio in dubio præsumitur facta potius de pecuniis soluentis, quàm de alienis, num. 5.

Expensarum liquidatio fieri debet iuxta solitum, ibid. in fine.

Expensarum litis taxatio quomodo fieri debeat, num. 6.

Perito de consensu partium electo standum est, ibid. ad fin.

Expensarum quantitatis liquidatio nunquid probetur iuramento expendentis, ibid.

DECISIO CCIX.

Post concordiam inter Priorem, & fratres de Gottor hæredes D. Lucæ de Luna cum D D. Caaruaschinis mensibus præteritis subsecutus D. Bartholomæus de anno 1605. per dictum Lucam Procurator constitutus obtinuit committi causam contra dictos Priorem, & fratres super recuperatione expensarum per eum de propriis pecuniis in causa factarum, & producto per eum in actis computo, & aliis iuribus, dedi super illis particulare dubium, quo supradicta die proposito Domini quò ad expensas censuerunt illas deberi, quia, vt apparet ex lectura ipsius computi, omnes sunt cum Copistis, Notariis, Procuratoribus, Aduocatis, iudicibus, vel aliàs occasione litis, in qua de iure, & consuetudine notorium est fieri expensas, in quibus propterea sufficit probatio, quæ conueniens haberi potest. Feder. de Sen. *cons. 119. sub num. 4. & 5.* etiam coniecturalis, & verisimilis arbitrio boni viri. Bald. *in l. restituenda in 2. not.* & ibi Salic. *C. de petit. hæred.* & fuit dictum coram me in causa Salamantina censurarum 5. Decembris 1607. 1

Coniecturæ autem in casu isto plures concurrunt. nam præter acta, & actitata, quæ per se satis patent, & nonnullas quitantias Notarij, & aliorum, qui pecunias receperunt, fuit etiam per Dominos ponderatum, quòd causa ista fuit in Rota longo tempore agitata nomine dicti Lucæ, & quòd coram bo. me. 2

Penia, & coram me discussa fuerunt plura dubia, vt apparet ex positionibus, quæ tum Dominis in Rota existentibus datæ fuerunt, & ex decisionibus desuper extensis, ex quibus omnibus satis visum fuit constare de expensis, quas notorium est in talibus fieri debere, consideratis præcipuè diuturnitate, & qualitate litis, & personis litigantium, ex trad. per Feder. de Sen. *dicto consil.* 119. *sub num.* 4. *&* 5. cum aliis adductis in dicta causa Salamantina censurarum.

3 Non obstat, quòd huiusmodi expensæ præsumantur factæ ab ipsomet Luca principali, ex adductis per Menoch. post Neuizan. *præsumpt.* 11. *num.* 8. *lib.* 6. quia placuit Dominis responsio, quòd id posset procedere, si D. Lucas fuisset præsens in Curia, in qua fuerunt factæ expensæ; aliàs enim potiùs præsumuntur factæ de propriis pecuniis ipsius Bartholomæi, qui eas fecit. Bald. *in dicta l. in restituenda in* 3. *notab. C. de petit. hæred.* & facit quòd probato facto, præsumitur quòd sit factum expensis facientis. Bald. *in dicta l. fin.* §. *in computatione num.* 2. *in fin. C. de iur. delib.* & fuit dictum in dicta Salamantina censurarum.

4 Tanto magis, quia non apparet, quòd vnquam fuerint per principalem transmissæ pecuniæ, & tamen si verò transmissæ fuissent per literas, & alias quitantias, quæ super illis fieri solent, id facile probari potest, prout requiritur, cùm aliàs id in dubio non præsumatur. *l.* 1. *C. de solut.* cum similibus, & ex hoc cessat, quòd non sit verisimile dictum Bartholomæum per tot annos sustinuisse litem de suis propriis pecuniis, qui cùm de expensis per eum factis constet ex actis, & actitatis, quitantiis, & aliis suprà deductis; illæ censentur factæ de propriis pecuniis, nisi contrarium probetur, ex supradictis.

5 Neque refragatur, quod non dentur quitentiæ de omnibus expensis, quin satis notorium est, quòd in similibus non solent adhiberi testes, nec recipi quitantiæ, & præcipuè ab Aduocatis, & Procuratoribus, ideò de iis satis visum fuit constare ex actis, & actitatis, diuturnitate litis, & positionibus tot dubiorum, quæ non solent fieri absque expensis, vt dictum est, & tamen in hac causa cùm aliqui ex Aduocatis, & procuratoribus attestentur, quòd quoties informarunt, tam in voce, quàm in scriptis, vel in congregationibus steterunt, fuit sibi per dictum Bartholomæum integrè satisfactum, iuxta solitum Romanæ Curiæ, ex quo tollitur quòd illi in hac causa scripserint gratis, quia vltra quòd contrarium ipsi attestantur, magis verisimile visum fuit, quòd de honorario fuerit sibi integrè satisfactum iuxta solitum, à quo in hac materia liquidationis licet arguere. Achil. *decis.* 22. *de rest. spol.* & fuit sæpissimè decisum.

6 Quo verò ad quantitatem expensarum, Domini dixerunt eas deberi iuxta taxationem faciendam; habita ratione quoad expensas cum Aduocatis, quod vt notorium est in Curia, & præcipuè super dubiis leuioribus sæpe scribunt, & non informant in voce, & quoad partitas Copistarum, licèt ex quitantiis iustificaretur illas fuisse solutas ad rationem bolen. 4. pro quolibet folio; tamen quia reperiuntur Copistæ, qui scribunt meliori pretio, nempe pro bolen. 3. pro quolibet folio, visum fuit Dominis prædictas partitas ad huiusmodi pretium esse reducendas; quo verò ad alias expensas, placuit Dominis liquidatio facta per peritum de partium consensu electum, cuius resolutioni standum est. Paris. *consil.* 96. *num.* 32. *lib.* 1. Et in omnem euentum super quantitate liquidata poterit præstari iuramentum, se verè eam expendisse, vt ex traditis par Couar. *pract. quæst. cap.* 27. *in fine. vers. Octauò est*, seruatum etiam fuit per Rotam in dicta Salamantina censurarum, &c.

Et ita decisum.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Florentina pecuniaria 27. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Minor non læditur, nisi ex proprio contractu, & cessante læsione efficaciter obligatur.

SVMMARIVM.

Statuta possunt restringere tempus legitimæ ætatis, v.g. vt habens ann. 18. *censeatur maior, num.* 1.

Statuta duo si exstant, vnum generale, alterum speciale & limitatiuum, speciale contrarium non censetur derogatorium generalis, sed vtrumque valet speciale in suo casu, generale verò in aliis, num. 2.

Minor, qui non ex proprio contractu, sed tanquam hæres patris obligatur, potest sine statuto, & sine solemnitate obligari, num. 3.

Minor efficaciter obligatur, quoties cessat læsio ex proprio contractu, num. 4.

Statuti verba si non ligant, non ligat neque dispositio illius, ibid.

Confessio relata ad sententias non continet læsionem, si non constat de iniustitia sententiarum, num. 5.

DECISIO CCX.

Fvit resolutum exceptionem minoris ætatis non obstare respectu quantitatis de qua in laudo, reseruando particulariter videre de residuo.

Ratio decisionis deducta fuit ex statuto Florentiæ *sub rubr.* 115. in quo disponitur, quòd ætas decem & octo annorum completorum cuiuslibet sit, & esse intelligatur legitima ætas. Vnde cùm ex fide baptismatis ab eodem D. Antonio Soderino producta appareat natus de anno 1564. 19. Septembris, obligatio verò de qua in apocha legatur sub die 6. Martij 1584. satis conuincitur de tempore obligationis fuisse maioris ætatis, quàm annorum 18.

Neque de potestate statuentium dubitari potest 1
in restringendo tempora legitimæ ætatis, quia hoc licere affirmant Castren. *in l.* 1. *num.* 3. *C. de his qui ven. ætat. impetr.* loquens hoc eodem statuto Florentino *in l.* 2. *num.* 2. *C. eod. tit.* Aretin. *Instit. de curatoribus, in princ. num.* 4. Carpan. *in consimili statuto ciuitatis Mediolani statut.* 452. *num.* 7.

Nec visum est obstare alium statutum eiusdem ciuitatis Florentiæ sub *rubr.* 15. in quo cauetur quod pupilli existentes sub cura magistratus pupillorum, non possint obligare propria bona, etiam quòd sint maiores decem & octo annorum, nisi fuerint in vigesimo secundo eorum ætatis anno, quod tempus verè D. Soderinus, iuxta præcedentem calculationem non attigerat.

Quia cùm huiusmodi statutum non sit derogato- 2
rium alterius supradicti, dum illud est generale, & hoc postremum speciale, & limitatiuum, itaut non prohi-

prohibeatur vtrumque valere, speciale namque in suo casu, generale verò in aliis casibus, vt post Felin. Alex. Bero. firmat Honded. *consil. 9. num. 19. & 44. lib. 2.* & fuit dictum in causa Camerinen. transactionis 24. Maij 1606. coram Reuerendissimo Bononien.

3 Fuit responsum nos versare in dispositione primi statuti, cùm Dominus Soderinus per obligationem vsque ad summam in laudo contentam non præsumatur potuisse lædi, quia non incidit in obligationem ex proprio contractu, sed tanquam hæres patris, & ea de causa potuisset etiam absque statuto & solemnitate se obligare. *l. 1. in fine. C. quando decreto opus non est. l. final. C. de reb. eorum.* Put. *decis. 105. num. 2. part. 1. & decis. 153. num. 2. part. 3.*

4 Cessante autem læsione ex proprio contractu incurrenda, minor non ligatur ex verbis postremi statuti, & per consequens neque per illius dispositionem. *l. 4. §. toties. ff. de damn. infecto.* cum aliis allegatis per Surdum *decis. 174. num. 8.*

Non obstat læsionem posse contingere in fatendo euenisse casum euictionis, & quod interuenerint requisita, quod videtur esse fundamentum crediti dicti Michelini.

5 Quia neque huiusmodi confessio est nuda, vt videatur sine causa D. Sordevinus suscepisse in se onus euictionis, sed est fundata in sententia quæ condemnat Alexandrum patrem Domini Antonij Francisci, & Franciscum de Mechelinis ad relaxandum bona, & in laudo præsupponente tenutam subsequutam ob euictionem præcedentem, vt fuit ponderatum in decisione diei 13. Iunij 1612. Ideo confessio tanquam relata ad sententias non videtur continere læsionem, nisi de iniustitia sententiæ & laudi constet, de qua huc vsque pro parte D. Soderini non fuit ostensum.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana liquidationis fructuum. 27. Ianuar. 1616.

ARGVMENTVM.

Consistit in facto.

SVMMARIVM.

Scriptura maiorem fidem facit, quàm argumentum possibilitatis, num. 1.

Fideicommissario nullum ius competit in fructibus ante restitutionem fideicommissi, num. 2.

DECISIO CCXI.

FVit primo loco in hac causa resolutum probari certam quantitatem grani, & ad certum valorem ascendere, illamque D. Æmiliam percepisse, cùm de eo tempore possideret bona, ex quibus fructus prædicti collecti reperiebantur. Causa postmodum sub die 4. Nouembris 1613. reproposita, recessum fuit in eo quod D. Æmilia fructus perceperit, ex pòst autem coadiuuatis per D. Flaminium probationibus, iterum dubitaui, an fructus sint liquidati, & ad quam quantitatem, itaut sit recedendum à præterita decisione sub die 4. Nouembris 1613.

Et non esse recedendum fuit resolutum.

Dicebatur enim primò non constare de perceptione vini vineæ Vallis anni 1587. vltra summam per schedulam consignatam, pro qua D. Flaminius iam remanet satisfactum; nam etsi testes dati in summario *num. 6.* de doliis 145. ex eadem vinea recollectis concludere videantur, nullus tamen præter secundum super 8. tangit actum perceptionis, & non etiam concludenter, quia dicit, *E la Signora Emilia poi mandò per detto vino, & lo fece portare à Roma, & questo lo sò per che alla consigna me treuai presente, & à mandare à pigliar' il vino.* Vnde cùm numerum doliorum non exprimat, de tempore consignationis simul esse potest quòd D. Æmilia curaret vinum afferri ad Vrbem, & tamen non fuerit in ea summa recollecta illi consignatum, quod verisimilius videbatur dum non erat in potestate D. Æmiliæ retinere vinum, sed petebat sibi consignare stante quòd possessionem vineæ auocauerat penès se D. Cardinalis tunc iudex delegatus.

Interim autem magis inhærendum est fidei scripturæ consignationis, quàm argumento possibilitatis maioris numeri doliorum ex dicto testium desumpto. *l. Celsus. ff. de probationibus.* gloss. *in cap. tertio loco, verbo testium, circa medium. de probationib.* Rom. *cons. 319. n. 1.* Cassaneus *cons. 16. Vnde dicit.* 1

Secundò dicebatur respectu doliorum 24. vini ex eadem vinea Vallis recollecti de anno præcedenti 1586. non etiam constare quod peruenerit ad manus D. Æmiliæ, quamuis obtinuerit mandatum vt sibi consignarentur tanquam fructus a solo separati, viuente adhuc Virginio, & vlteriùs vti extantes post eius mortem, augere quidem hæreditatem, sed non pertinere ad donatarium propter reseruationem vsusfructus tertiæ partis bonorum per eundem Virginium DD. Flaminio, & Ioan. Baptistæ post mortem patris donatorum, neque ad fideicommissarium, cui ante restitutionem fideicommissi nullum ius competit in fructibus. 2

Verùm, quia datur ordo sub die 10. Septembris eiusdem anni 1587. directus Tiberio Ceulo, & subscriptus per D. Io. Baptistam Anguillariam vt solueret D. Æmiliæ scuta 107. pro completa solutione doliorum septem vini vineæ Vallis, ac etiam dicebatur d. dolia 24. fuisse D. Æmiliæ relaxata, non vigore diuisionis, sed decreti, cum promissione & fideiussione præstita de eis restituendis quatenus non probasset vineam Vallis ad eam spectare, & deinde fuerit condemnata in sententia bo. me. Cardinalis Plati ad restituendos dictos fructus, voluerunt Domini videre in separata disputatione de pertinentia dictorum scutorum 107.

Tertiò dicebatur nec etiam probari perceptionem quoad fructus vineæ riui & castri Mazzani propter impedimenta ponderata in decis. diei 4. Nouemb. 1613.

Neque ex testibus postea examinatis videbantur sublata, quia quoad fructus Mazani 2. 4. 6. & 8. testis, solùm affirmant, quòd factores D. Æmiliæ fructus perceperunt, & 10. dicit quòd fructus reponebantur pro parte in palatio, & pro parte in foueis iuxta mandatum factorum; sed qui essent factores non specificant.

Respectu verò fructus vineæ Riui de perceptione per factores, omnes deponunt, sed primus, secundus & tertius nominant Angelum Patauinum in factorem, nonus verò testis nominat quendam Hieronymum, & cùm factores proprij respectiuè DD.

Anguillariis & D. Æmiliæ per decretum Rotale essent deputati ad exactionem fructuum, cum onere deponendi in locis communibus: introitus verò pecuniarios penes Tiberium Ceulum, nec D. Æmilia à se ipsa, sed per factores fructus perciperet, inde sequitur adhuc non constare de perceptione ad effectum liquidationis propter impedimentum liberæ collectionis fructuum & destinationis eorundem ad subleuanda debita hæreditaria Auersi patris, quæ videbantur effectum habuisse, quia exactores granum consignabant, & contra exactores & depositarium mandata relaxabatur, vt ex calculo dato & mandatis contra Ceulum depositarium relaxatis constare videtur.

Et ita, &c.

R. P. D. VBALDO.

Bononien. de Poëtis. Mercurij 27. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Substituti, & per testatorem vocati sub nomine collectiuo filiorum & descendentium, an, & quando censeatur vocati per vulgarem substitutionem, an verò etiam per fideicommissum: est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Substitutio vulgaris, & non per fideicommissum censetur facta vbi testator vocauit simpliciter filios alicuius, etiam sub nomine collectiuo descendentium, num. 1. declara vt num. 2.

Fideicommissaria substitutio censetur inducta, quando ex mente, vel verbis apparet testatorem considerasse in ea tractum temporis successiuum, & quando hoc apparere dicatur, num. 2. & seq.

Fideicommissum censetur inductum à testatore, quando instituto vniuersali hærede vocauit eius filios, & descendentes non simpliciter, sed successiuè processitque ad plures substitutiones, etiam post lineam extinctam, num. 3.

Fideicommissum censetur inductum quando testator substituit filios descendentes masculos, & sic quando voluit agnationi prospicere, num. 4. vbi hoc ampliatur quando idem testator considerauit tractum temporis, & lineæ extinctionem.

Substitutio censetur facta per fideicommissum, quando facta est in casu mortis, num. 5.

Substitutio compendiosa continet etiam fideicommissariam, & dicitur compendiosa quando in ea mortis mentio facta est, ibid.

Fideicommissum factum ad fauorem vocatorum non descendentium, multo magis factum censetur ad fauorem ipsorum descendentium, num. 6.

Fideicommissaria substitutio probatur etiam confessionibus vocatorum in fideicommisso, num. 7.

Testatoris voluntas interpretanda est secundùm confessiones vocatorum in substitutione, num. 7.

Successiuè verbum importare potest etiam vulgarem substitutionem. declara vt num. 8.

Testamenti vna pars potest fideicommissum vno modo continere, & alio modo potest illud continere altera pars, num. 9.

DECISIO CCXII.

DOmini permanserunt in decisis in hac causa 17. Iunij 1611. quoad vocationem filiorum, & descendentium Virgilij per fideicommissum, licèt reseruauerint videre, an inter eos adsit reciproca substitutio, licèt enim admitteretur conclusio quòd vbi testator vocauit simpliciter filios alicuius, etiam sub nomine collectiuo descendentium, illi intelligantur vocati per vulgarem, non autem per fideicommissariam, iuxta opinionem Cuman. *in l. cum ita. §. in fideicommissio num. 4. ff. de leg. 2. & in l. Gallus. §. quidam rectè. num. 7. ff. de lib. & posthum.* Socin. *cons. 113. num. 7. vers. sed omnia ista. lib. 1.* Aym. *cons. 131. sub num. 3.* cum aliis latè congestis per Surd. *decis. 346. num. 17. & seq.* vbi de communi, & fuit resolutum in vna Auenionen. status 16. Ianuarij 1578. coram Bubalo, & in vna Auximana fideicommissi 26. Nouembris 1611. coram me, vbi aliæ decisiones, & authoritates allegantur.

Tamen admittebatur etiam limitatio eiusdem conclusionis quando ex mente, vel verbis apparet testatorem considerasse tractum temporis successiuum, iuxta distinctionem eiusdem Cumani *in dicto §. in fideicommisso.* Ruin. *cons. 19. num. 9. & seq. lib. 3.* Menoch. *cons. 85. num. 54. & 67. lib. 1. & cons. 173. num. 14. lib. 2. & præsumpt. 71. numer. 34. lib. 4.* Peregrin. *de fideicommiss. art. 18. num. 12. & art. 19. num. 16.* Surd. *de communi dicta decis. 346. num. 22.* & admittit dicta decisio Auenionen. coram Bubalo, & decisio in Maceracen. fideicommissi 23. Ianuarij coram Gipsio, & 2. Decembris 1594. coram eodem, & latè firmatur in decisione, de qua agitur, & in dicta Auximana fideicommissi 26. Nouembris coram me.

Inter cæteras autem coniecturas in decisione consideratas, mouebantur Domini, quia testator instituto vniuersali hærede Virgilio filio, vocauit eius filios, & descendentes, non simpliciter, sed successiuè, quod verbum iunctis aliis, tractum temporis significantibus, vt quia testator processit ad plures substitutiones, considerata etiam extinctione lineæ, vt infrà dicetur, est aptum ad coniiciendum voluntatem testatoris, quod voluerit substituere per fideicommissum, non per solam vulgarem, *l. 1. ff. de success. edict.* Mantica *de coniect. lib. 8. tit. vltim. num. 68. vers. sed huic,* & fuit ponderatum in Romana de Gabrielibus 19. Nouembris 1587. coram Gipsio, & in Viterbien. fideicommissi 24 Nouembris 1603. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in Bononien. de Felicinis 8. Februarij 1591. coram Seraphino.

Accedit alia coniectura ex eo quòd testator vocauit filios, & descendentes masculos, quasi voluerit prospicere agnationi, quæ potissimum per fideicommissa conseruatur. Aym. *cons. 113. num. 2.* Socin. iun. *cons. 63. col. 8. in fin. lib. 3.* Et quod magis est testator deficientibus omnibus suæ descendentiæ dedit alios substitutos, videlicet pro dimidia proximiores de sua familia, pro altera verò dimidia illos de Tambeuariis, & sic considerauit tractum temporis, & extinctionem lineæ, vt fuit in terminis pro fideicommisso ponderatum in dicta Bononien. de Felicinis coram Seraphino, quæ est *decis. 934. num. 7. & 8. part. 1.*

Et addebant nunc Domini, quòd hæc substitutio est facta deficientibus omnibus descendentibus, & mortuis, quæ mentio mortis, facit, vt vocatio censeatur

censeatur facta in vtrumque casum, videlicet ante aditam, & post aditam hæreditatem, & sic per fideicommissum. *gloss. final. in l. in testamento. C. de testam. milit.* & aliis relatis, Peregrin. *de fideicommiss. art. 19. num. 19.* Mentio enim mortis inducit compendiosam, iuxta not. per Bart. *in l. Centurio num. 25. ff. de vulg.* Menoch. *præsumpt. 71. sub num. 12. lib. 4.* quæ continet etiam fideicommissariam; vt not. communiter *in dicta l. Centurio,* Dec. *cons. 406. n. 10.* Menoch. *cons. 85. n. 100. lib. 1.*

6 Si igitur fideicommissum est ad fauorem aliorum vocatorum post mortem descendentium, videtur etiam dicendum esse inductum fideicommissum descensiuum ad fauorem ipsorum descendentium, cùm non possent ipsi bona aliis restituere, nisi penes ipsos fuissent conseruata, saltem pro sua rata per fideicommissum.

7 Et tandem placebat Dominis maximum adminiculum desumptum ex confessionibus ipsorum descendentium, qui in instrumentis diuisionum fatentur fideicommissum in bonis Alexandri senioris, quæ confessiones plurimum faciunt ad interpretandum testatoris voluntatem. Paris. *cons. 11. num. 38. lib. 1.* Aym. *cons. 202. num. 48. & seq.* Card. Mant. *de coniect. lib. 3. tit. 1. num. 28.* cum aliis in decisione allegatis.

8 Neque obstat quòd verbum *successiuè* possit intelligi respectu vulgaris tantùm, iuxta consil. Rim. sen. 182. *num. 12.* quia hîc concurrunt alia, videlicet mentio mortis, & alia hîc, & in prima decisione considerata, quæ suadent illud verbum applicari etiam ad fideicommissum.

9 Non obstat, quòd in priori parte testamenti fecerit magis expressum fideicômissum in sua domo, quod fideicommissum hodie non controuertitur per informantes; quia ex hoc non sequitur, quin adsit etiam in posteriori parte testamenti, ex suprà allegatis, vt in simili arguit Rota apud Seraphin. *d. decis. 934. num. 17. vers. dico autem.*

10 Ex quibus Domini per manserunt in decisis quoad fideicommissum, videlicet quòd descendentes Virgilij sint vocati per fideicommissum, sed an inter ipsos sit inducta substitutio reciproca, adeò vt D. Francisca teneatur restituere portionem paternam Annibali, vel eius hæredi, qui est effectus præsentis disputationis, Domini voluerunt vt particulariter videatur.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Carthaginen. iuris deputandi custodem. Mercurij 27. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Custodes decimarum, & bonorum communium à quibus deputari debeant.

SVMMARIVM.

Custos bonorum, & rerum communium debet communiter deputari à dominis dictorum bonorum, n. 1.

Iurisdictio quando est communis cum pluribus Dominis, officiales deputari debent ab omnibus Dominis, ibid.

Custos decimarum communium inter Capitulum, & Episcopum, à quo deputari debeat, n. 1 & 2.

Testes deponentes de actu positiuo in aliorum concursu præferuntur deponentibus de possessione simpliciter sine aliquo actu positiuo, n. 3.

Præscriptio negatiua non censetur probata, non probata alterius partis acquiescentia, n. 4.

DECISIO CCXIII.

ORta inter Capitulum Carthaginen. & Marchionem de los Velez controuersia super iure apponendi custodem in horreo, vbi communes inter ipsos decimæ reponuntur; fuit nouissimè ad fauorem Marchionis pronunciatum, & causa per appellationem in Rota mihi commissa. Dubitaui, an dictus Marchio simul cum Capitulo concurrere posset in appositione custodis. Quod dubium fuit affirmatiuè resolutum, cum præsupposito tamen, quòd ille participet in tertia parte de decimis. Ex quo enim de custodia communium decimarum agitur, debet in tali deputatione Marchio concurrere; Alberic. *in l. si legatus. §. dominus num. 3. ff. de vsu, & habit.* Capic. *decis. 27. num. 38.* Boër. *de custode clauium num. 65. circa finem. vers. & sic erit vnicuique.* Prout in simili de habentibus communem iurisdictionem, dicitur, quod officialem communiter eligere debent. Castr. *in l. Pomponius num. 6. vers. debent. ff. de re iud.* Boër. *decis. 5. num. 2. & in dicto tractat. de custode clauium num. 65. in fine.* Pacian. *de prob. lib. 2.* & regulariter, vbi tractatur de custodis vel ministri communis appositione, debet ab omnibus communiter, ad quos negotium pertinet, ille deputari. *c. ad hæc. § fin. de officio Archidiac.* Seraph. *decis. 645. n. 4.* 1

Nec refragatur decisio Vlixbonen. iuris deputandi collectores coram Reuerendissimo Attrebaten. in contrarium allegata. Quia loquitur illa de communione decimarum inter Episcopum, & Capitulum; tunc enim Episcopus cùm habeat in perceptione decimarum de iure communi fundatam intentionem, ad ipsum tantùm spectat illarum administratio. DD. *in c. edoceri. de rescript.* Secus autem in casu nostro, in quo tam Marchio, quàm Capitulum in iure speciali se fundant. Vnde non debet ius deputandi custodem vni magis, quàm alteri competere, ex allegatis. 2

Nec releuat allegata Capituli præscriptio custodem priuatiuè ad ipsum Marchionem deputandi; nam vltra quòd contrariû probatur ex testib. Marchionis, qui deponunt per antiquissimum tempus illum in quasi possessione deputandi custodem extitisse, qui testes de actu positiuo deponentes in aliorum concursu præferuntur. gloss. *in l. diem proferre, verbo consenserunt. de arb.* Bart. *in l. 1. n. 6. vers. vlterius nota. ff. de vent. inspic.* Alex. *cons. 148. n. 3. vers. item quod cæteri. lib. 2.* Aym. *cons. 226. n. 11.* Bald. *cons. 101. n. 3. in fine lib. 1.* 3

Cùm tamen simus in actus negatiui præscriptione, sola deputandi possessio non sufficit, nisi etiam prohibitio ex parte præscribentis, cum alterius partis acquiescentia concurrat. gloss. *in c. Abbatem, in verb. Alciatensem Monachum. de verb. signif.* Bart. *in l. 1. nu. 1.* & Bald. *n. 8. C. de seruit.* Franc. *in c. significante, num. 3. & 4. de appellat.* Felin. *in c. pastoralis nu. 5. vers. & procedit. de officio ordin.* Aym. *de antiq. temp. 4. part. § nostra n. 81.* Caputaq. *decis. 306. num. 7. part. 1.* Qua prohibitione, & acquiescentia non probata Marchioni præiudicatum non intelligitur; quinimò videtur illius possessio præseruata, Compostellan. *in c.* 4

querelam num.2.verſ.at vbi electioni, & ibi Anchar. *num.7.verſ.& hæc procedunt.* Innoc. *num. 6. verſ. ad omnes prædictas quæſtiones.* Bellam. *num.21. verſ. plus dicit.* Card. *num. 8. verſ. ſed hunc animum. de elect.* Rota *deciſ.391. per tot.& deciſ.713.num. 6.part. 1. diuerſ.* Calderin. *conſ. 2. verſ. non obſtat ſi diceretur, de præſcript.* Seraph. *deciſ.1021.n.1.*

5 Vt in ſimili de præſentatione per vnum ex compatronis facta, quòd illi priuatiuè ad alium acquiſita non cenſetur quaſi-poſſeſſio. Abb. *conſ.54.num. 3. verſ.nec obſtat ſi dicatur quod ipſe ſolus.lib.1.* Feder. de Sen. *conſ.192.num 2.verſ. ad vltimum, & num. 3.* Cald. *conſ.15. de iurepatr.* Ruin.*conſ.50.num. 9.& 10. lib 5.* Ferret.*conſ.132 num.2.& 3.* Caputaq.*deciſ.294. deciſ.367.num. 6.& 7.deciſ.369.part.2.*

6 Non obſtat horreum, in quo decimæ ſeruantur, emptum à Capitulo; nam ex iuribus productis apparet, illud accepiſſe pro huiuſmodi emptione facienda pecunias ad cenſum, necnon de communibus decimis fructus perſoluiſſe. Dato tamen quòd hæc emptio per ſolum Capitulum, eſſet facta, non tamen ius priuatiuum apponendi cuſtodem illi fuiſſet acquiſitum, ex alleg. ſed competeret eidem ſolummodo facultas cogendi Marchionem, vt ratam ipſi tangentem ſolueret, Boër. *d. tract. de cuſtode clauſum num.15.*

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana ſocietatis. Veneris 29. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Debitor ante, vel poſt motum iudicium, an, & quando teneatur illud aſſecurare.

SVMMARIVM.

Iudicium aſſecurare regulariter quis non debet. num.1.
Declara niſi contrarium ſuadeatur ex aliqua iuſta cauſa. vtputa deterioratio debitoris, n.2.
Debitor non habens in Vrbe aliqua bona, nec in ſtatu Eccleſiaſtico aliquid poſſidens, nunquid teneatur creditori aſſecurare iudicium, num.3.& 4. Vbi præſertim ſi ante motum iudicium diſceſſit ab Vrbe.
Sequeſtrum ad inſtantiam creditoris in bonis debitoris quando concedi debeat, num.5.

DECISIO CCXIV.

1 IAcobus Sella poſt initam cum Ioanne Baptiſta Italiano ſocietatem, cùm ſe illius creditorem in certa pecuniarum ſumma prætenderet, cauſa coram me introducta inſtetit pro iudicij aſſecuratione, ſuper quo dubio propoſito, Rota cenſuit ad hoc dictum Ioannem Baptiſtam non teneri, ſtante regula, quòd iudicium quis aſſecurare non cogitur. gloſſ. *in §. 1. Inſtit. de ſatiſdat.* & dictum fuit in cauſa Veneta pecuniaria 17. Iunij 1605. coram bon. mem. Pegna, tanto minus poſt litem conteſtatam Caſtrenſ. *in l. de die.§. ſi ſeruus num.2.* Alexand. *num. 2. ff qui ſatiſd. cog.antur.* Et firmatum fuit in cauſa Neapolitana pecuniaria 29. Ianuarij 1610. coram Reuerendiſſimo Domino meo Decano. Necnon in cauſa Romana participationis aſſi-ctus 28 Ianuarij 1611 coram R. P. D. meo Pirouano.

Nec releuat aliqua exiſtente iuſta cauſa, id non procedere; quia nullatenùs adeſt cauſa propter quam à dicta regula ſit recedendum, cùm præſertim non probetur, Ioannem Baptiſtam poſt contractum huiuſmodi ſocietatem effectum fuiſſe deterioris conditionis, quod probari debuiſſet ex latè cumulatis in allegata deciſione Veneta pecuniaria 1605. coram Pegna.

Non obſtat, eundem Ioannem Baptiſtam, finita ſocietate ab Vrbe diſceſſiſſe, nec aliquid illum in ſtatu Eccleſiaſtico poſſidere. Quia non hæc propterea iuſta cenſeri debet cauſa, aliàs omnis forenſis, qui in ditione Eccleſiaſtica ſtabilia non poſſideret, cauere tenetur, quod eſt contra praxim. Et quicquid ſit de rigore iuris circa huiuſmodi aſſecurationem iudicij, certum eſt tamen, illam de conſuetudine ampliùs non ſeruari, & ab aula receſſiſſe, vt fuit dictum in allegata Veneta pecuniaria coram Pegna.

Vlteriùs ceſſare videtur omnis difficultas, cùm ante motum iudicium ab Vrbe Ioannes Baptiſta receſſerit. Et hoc non obſtante, cùm Iacobus fuerit litem conteſtatus, non poteſt ampliùs dictum Ioannem Baptiſtam cogere ad præſtandam huiuſmodi cautionem, ex allegatis.

Non obſtant deciſiones in cauſa Siracuſana Quarti, quinta Iunij 1593. coram Gipſio & in cauſa Plocen. hæreditatis, ſeu pecuniaria 10. Martij 1595. coram Cardinali Blanchetto in contrarium allegatæ. Non enim illæ de iudicij aſſecuratione loquuntur, ſed de ſequeſtri duntaxat appoſitione. Vnde meritò ad præſentem caſum non applicantur.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. Fabricæ 29. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

Fructus prædij Eccleſiæ applicati fabricæ authoritate Apoſtolica per beneficiatum exacti durante tempore applicationis reſtituendi.

SVMMARIVM.

Papæ authoritas in beneficialibus ſuprema eſt, & abſoluta, num. 1.
Fructus indebitè percepti reſtituendi ſunt, n.2.
Actus vitiatur defectu cauſæ finalis, n 3.
Succeſſio non admittitur in beneficiis, n.4.
Succeſſor in beneficio, non tenetur ad debita anteceſſoris num.5. vide infrà.

DECISIO CCXV.

PEr duas deciſiones coram R.P.D. Vbaldo fuit firmatum fructus Prioratus Caluenzani menſe reſidentiali Canonicorum Eccleſiæ maioris Mediolani vnitos, ac penſionem ſcutorum mille ſuper Prioratu Miramundi, & fructus bonorum de Belatæque menſe beneficiatorum officialium pariter vnita fuerunt, eaſdemmet omnes fabricæ domorum Canonicalium pro tempore ſecundi quinquennij applicatos remanſiſſe, vlteriùs tamen applicationem non

non durare, quæ fuit ratio vt pro benefitiatis pronunciaretur.

Causa postmodum in gradu appellationis ad me deuoluta, fabricerij qui ex particulari rescripto Sanctissimi ad causam venerant, pro eorum interesse prætenderunt, neque Canonicos ordinarios, neque beneficiatos officiales intra secundum quinquennium potuisse in præiudicium fabricæ subtrahere fructus Caluenzani & Besati, ideo eis instantibus proposui dubium.

An fructus Caluenzani, Besati, & aliorum percepti per Canonicos & officiales intra secundum quinquennium sint restituendi fabricæ Canonicæ.

Super quo placuit Dominis resolutionem affirmatiuam capere, quia de applicatione pro secundo quinquennio non dubitatur, dum illa legitur in instrumento anni 1583. & in decisionibus allegatis confirmatur.

1 Facultas applicandi non etiam potest impugnari, cùm authoritate Apostolica facta fuerit, quæ suprema, & absoluta est in beneficialibus. *cap. licèt. de preben. in 6. Clement. 1. in fine vt lit. pend.* Paris. *cons. 5. num. 84. & cons. 82. num. 22. lib. 4.* Nec etiam potest in dubium reuocari quòd illa facultas fuerit consumpta per applicationem auctoritate Apostolica factam mensæ residentiali Canonicorum & officialium respectiuè de eodem Prioratu Caluenzani, pensione, & bonis Besati, quia legitur cum reseruatione facultatis eidem sancto Carolo conuertendi dictos fructus & pensionem in vsus sibimet bene visos, & præcipuè pro vsu fabricæ.

2 Ideo cùm tam Canonici, quàm beneficiati officiales omni prorsus facultate carentes subtraxerint fructus de tempore secundi quinquennij fabricæ applicatos, inde sequitur quòd ab eis tanquam indebitè percepti, eidem fabricæ sunt restituendi, prout sunt text. aperti, *in l. 1. l. quod indebitum. l. eleganter. ff. de condict. indeb.*

3 Et si per errorem fuissent subtracti existimantes proprio iure facere potuisse, non etiam iuuarentur, quia nihilominus vitiatur actus defectu causæ finalis. Castrens. *in l. final. §. item quæsitum est. ff. de condict. indeb.* Dec. *cons. 600. n. 7.*

Transactio quoque emanata inter Canonicos & beneficiatos officiales vsque de anno 1585. ad effectum concorditer subtrahendi fructus, non etiam visa est obstare tanquam absentibus fabriceriis Ecclesiæ, quæ illis præiudicare non poterit, ita vt quo ad hanc obligationem restituendi fructus perceptos res transibat sine difficultate.

Sed respectu personarum hæsitabatur cùm pauci tam Canonici, quàm beneficiati officiales hodie viuant ex eis qui de tempore secundi quinquennij fructus prædictos indebitè perceperunt.

4 Et in hac parte Domini censuerunt modernos non teneri, quia antiquorum successores non sunt, neque esse possunt, cùm in beneficiis, non admittatur successio. *cap. 1.* & ibi Abb. *num. 5. de præbend.* Concil. Trident. *sess. 25. de reform. cap. 7.* Rebuff. *in prax. tit. de dispens. super defect. natal. num. 20.* Achil. *decis. 1. de fil. presbyt.*

5 Neque habent causam à præcessoribus suis, vt per consequens nec ius, ideo nec mirum si non tenetur ad debita antecessorum, ex quo ad illa Ecclesia non censetur obligata. *cap. 1. de solut.* nisi exacta probentur conuersa in vtilitatem Ecclesiæ, vel eiusdem necessitem subueniendam, quia tunc per versionem cohærent beneficio, & simultaneæ transeunt, & obligant successorem. *cap. præsenti,* cum ibi not. *de offic. ordin. in 6. cap. grauis, de depos. in fin.* Rota *in antiq. de probat. decis. 41. num. 2.* Abb. *in cap. ex præsentium num. 5. de pignorib.* Put. *decis. 11. lib. 3.* quod in præsenti non iustificatur.

Propterea antiquos & hæredes eorum, qui fructus perceperunt, & locupletati præsumuntur, non autem successores teneri vidétur, prout fuit resolutum in causa Ferrarien. bonorum 17. Ianuarij hoc ipso mense coram R.P. D. meo Pamphilio.

R. P. D. PIROVANO.

Ferrarien. decimarum. 1. Febr. 1616.

ARGVMENTVM.

Scientia qualitatis bonorum præsumitur ex illorum emptione.

SVMMARIVM.

Scientia qualitatis bonorum præsumitur exemptione ipsorum bonorum, cum æstimatione, & calculatione prius facta, n. 1.

Actus indiuiduus non potest vnam partem includere, & alteram excludere, n. 2.

Decima sub appellatione exemptionum venire possunt, num. 3.

DECISIO CCXVI.

Secundo loco Domini steterunt in decisis, non obstante exceptione de defectu mandati Serenissimi Ducis ad vendendum decimas, de quibus agitur, quia controuerti non potest scientia Ducis Alphonsi circa qualitatem, & valorem bonorum, & exemptionum venditarum, dum per prius empta fuerint per eundem Ducem Alphonsum à Cardinale Aloysio eius fratre cum æstimatione possessionũ milliarij, & calculatione exemptionum, & decimarum per Venturinum & Ferrum facta, vti acquisita ab eodem Cardinali fratre enunciata in instrumento mandati, quæ omnia certificant in mandante scientiam qualitatis bonorum, vt per Bart. & Angel. *in l. qui Romæ. §. duo fratres. ff. de verbor. oblig.* Crauet. *cons. 65. num. 7.* Cephal. *cons. 218. num. 14. vol. 2.* cum aliis allegatis per Surd. *cons. 150. num. 31. & cons. 133. eod. num.* 1

Ideo cùm mandatum de vendendo dicat, *con l'esentioni calculate nell'estima fatta già del Venturino & Ferro,* visum est Dominis Ducem Alphonsum bene sciuisse, & intellexisse quid esset expressum in prædicta æstimatione, tam respectu exemptionis & decimæ, quàm respectu earum valoris expressi, ita vt exprimendo *con l'esentioni calculate,* non videatur voluisse separare pretium exemptionis decimæ spiritualis à pretio decimæ temporalis, quia nec calculus prædicta distinguebat, sed exemptionem & decimam sub vnica summa librarum 16567. 16. comprehendebat, & per consequens cessante distinctione pretij videtur impossibile quòd in actu indiuiduo vnum comprehendatur in mandato, & alterum excludatur. Tiraquel. *de retract. lign. §. 23. gloss. 1. n. 14.* Corn. *cons. 38. n. 7. vol. 3.* 2

Præterea fuit etiam ponderatum quòd in mandato prætendebatur idem pretium prout stabat Cameræ Ducali cui acquisita fuerunt exemptio, & 3

decima in eadem summa calculata per Venturinum & Ferrum, & quòd non erat alienum à proprietate verbi *decimæ*, quin sub generalitate exemptionis posset comprehendi, ac demum quòd pro exemptione tota summa calculata pro exemptione, & decima non erat recipienda, si de sola exemptione Dux Alphonsus intellexisset, quæ omnia visa sunt iustificare mandatum etiam quoad decimam.

Et ita conclusum & resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. pensionis. Lunæ 8. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Enucleatur materia positionum, & quale mandatum requiratur, cùm per Procuratorem dantur, vel illis responderi debet.

SVMMARIVM.

Positiones non debent admitti, cùm dantur per Procuratorem, qui non asseuerauit esse veras, cum indiuiduo, & specialissimo mandato ad ponendum materias in actis specificatas, & ad iurandum de veritate earum, num. 1. & 6. nec sufficit speciale mandatum, sed requiritur specialissimum ad sic ponendum, num. 9. & 10.

Positionis effectus est vt is, qui ponit id quod ponit, confiteri dicatur, n. 2.

Confessio Procuratoris in positionibus, non qualibet sufficit, sed illa duntaxat, quæ producit iuris effectum, scilicet obligandi dominum, num. 3. vide n. 4. & 5.

Positiones qui dat, irreuocabiliter confitetur, id quod ponit, ideo in Procuratore requiritur specialissimum mandatum ad sic ponendum, num. 6. Declara intelligendum esse parte opponente, n. 7.

Positionibus respondere non potest Procurator, nisi cum specialissimo & indiuiduo mandato, ad sic specificè respondendum, n. 8.

Positiones dantur ad effectum vt ponens per responsionem & confessionem partis releuetur ab onere probandi, num. 11.

Procurator cum speciali mandato ad respondendum positionibus, siue ad dandum positiones, & non habens specialissimum ad sic & sic, &c. non posset iurare de veritate, tanquam non plenè informatus de conscientia domini, sed tantùm de credulitate ad euitandam calumniæ præsumptionem, n. 12.

DECISIO CCXVII.

1 FVit resolutum positiones non esse admittendas, quia Procurator qui eas dedit in actis, non asseuerauit esse veras cum specialissimo, & indiuiduo mandato Canonicorum suorum principalium ad ponendum materias in actis specificatas, & iurandum de veritate eorum, prout necessarium est, vt exinde reus cogi possit ad respondendum. *cap. præsentium, de testibus lib. 6.* gloss. *in l. vnica, in verbo soluere, in fine. C. de confess.* Bald. *in cap. vertr actandis n. 2. de iuram. calumn.* Iat. *in l. iudices n. 7. C. de iudic. & in l. possideri n. 24. ff. de acquir. possess.*

2 Est enim effectus positionis, vt is qui ponit, quod ponit, confiteri dicatur gloss. *in cap. 1. in verb. statuimus, in fine. de confess. in 6.* Alex. *cons. 83. num. 3 vers. pondero lib. 1. & cons. 71. n. 4. vers. verio ad merita lib. 3.*

Quælibet autem confessio non satisfacit, sed illa duntaxat, quæ potest habere iuris effectum obligando dominum, Cotta *in memor. incipit, actus nullus.* Osasch. *decis. Pedemont. 172. n. 26.* Surd. *cons. 3. num. 30. & seqq. vol. 1.*

Ideo cùm confessio Procuratoris voluntaria sit, dum offert se, & ponit nullo iure cogente materias specificatas, Ægid. *decis. 694. in princ.*

Et neque apta est ad obligandum principalem, neque illi præiudicat. Bald. *in l. 1. num. 30. C. de confess.* Paris. *cons. 47. num. 92. lib. 1.* Aufrer. *in addit. ad Capell. Tholos. decis. 392.* Honded. *cons. 66. n. 72. vol. 1.*

Inde sequitur quòd vel positiones ab ipsismet principalibus sunt dandæ, vel Procurator habere debet mandatum indiuiduum ad sic ponendum, vt sequatur effectus confessionis irreuocabilis à lege desideratus. Neuizan. in his terminis *cons. 7. n. 12.*

Nec dissentiunt Ferrar. *in praxi Pap. in forma positionum actoris c. 3.* & addit ad Vestr. *lib. 5. c. 14. nu. 16.* qui hoc ipsum admittit, sed parte opponente contra Procuratorem non instructum, de qua oppositione in præsenti non dubitatur.

Et per easdem rationes excluditur Procurator ad respondendum positionibus, nisi simile mandatum indiuiduum habeat. Bald. *in l. final. num. 3. vers. cùm enim habet mandatum. C. de procuratorib.* Socin. sen. *cons. 55. num. 10. volum. 1.* Menoch. *cons. 84. num. 64. lib. 1.* Honded. *cons. 66. num. 72. volum. 1.* Qui omnes loquuntur in Procuratore, qui admittendus non est ad respondendum, nisi cum mandato ad sic respondendum.

Nec visum est sufficere mandatum Procuratoris Canonicorum cum clausula ad ponendum, & iurandum, quia etsi sit speciale, vt tenuit Dec. *in cons. 60. col. penult. num. 1.* tamen non est indiuiduum ad certas positiones, prout requiritur vt de conscientia sui domini plenè instructus dici possit, vt considerat Bald. *in d. l. final. num. 3. C. de procuratorib.* Neuizan. *d. cons. 7. n. 13.*

Vnde cùm possit dubitari ne dominus postea reuersus dicat se de hoc non intellexisse, & altera pars damnificetur, ideo requiritur, vt exprimatur specialiter in indiuiduo, vt voluit Bart. *in l. filiusfamilias, num. vndecimo. ff. de donationibus.* & Tiraquel. *de legib. connubial. gloss. 7. n. 112.*

Præterea si mandatum speciale, non autem specialissimum, sufficeret, non sequeretur effectus ex positionibus desideratus, nempe vt ponens releuetur per responsionem, & confessionem aduersarij ab onere probandi. *cap. 1.* vbi gloss. *in præambulo, vers. pro intellectu,* ibi, *& fuerunt inuentæ, & in vers. statuimus. vers. fiunt autem positiones. de confess. in 6.*

Quia cùm prædicto mandato non posset Procurator iurare de veritate tanquam non informatus plenè de conscientia domini, sed de credulitate ad euitandam præsumptionem calumniæ. gloss. magna *in fin. l. vnic. C. de confess.* & respondens non teneretur respondere de veritate, sed & ipse de credulitate. *cap. 2. de testibus in 6. gloss. 1. in d. c. 1. vers. & sunt inscriptis. de confess. in 6.* & per consequens confessio aduersarij non erit certa de veritate, sed possibilis de credulitate, quæ non releuat. *cap. in præsentia. de probat. l. non hoc. C. vnde legitim.* cum similibus.

Et ita, &c.

R. P. D.

REVERENDISSIMO P.D. BVRATTO.

Marsicen. iurisdictionis. Lunæ 8. Febr. 1616.

ARGVMENTVM.

Transactio facta ab Episcopo cum Capitulo, licèt successorem non liget, seruari tamen debet ab eodem Episcopo transigente, & iurante ad effectum manutentionis.

SVMMARIVM.

Transactio per Episcopum iurata, licèt non liget successorem, tamen seruari debet per transigentem, & iurantem in iudicio manutentionis, num. 1.

DECISIO CCXVIII.

1 QVamuis Domini non dubitauerint transactionem initam inter Episcopum Marsicen. prædefunctum, & Capitulum terræ Saponariæ non subsequuta confirmatione Apostolica, non obstare moderno Episcopo ad effectum vt ipse dicatur illa ligatus, iuxta text. *in cap. veniens, 8. verb. mandamus. de transactio.* & Doct. *in cap. cùm venissent. de instit.* & iuxta expressam conuentionem, quòd transactio duraret viuente solo Episcopo transigente; tamen censuerunt illam obstare ad effectum ne modernus Episcopus possit se iuuare, & vti manutentione d. Episcopo antecessori transigenti concessa; quia cùm in dicta transactione fuerit conuentum quòd iurisdictio in causis matrimonialibus, & criminalibus exerceretur ab Archipresbytero cumulatiuè cum Episcopo, adeò vt esset locus præuentioni, & Episcopus promiserit etiã cum iuraméto omnia & singula in ea cõuenta eius vita durate attendere, & obseruare, & in aliquo non contrauenire; non potuit postea idem Episcopus obtinere manutentionem in quasi possessione exercendi iurisdictioné præter, & contra formam eius iuramenti, & transactionis, quæ sine dubio ipsum transigentem & iurantem ligabant. *d. cap. veniens*, & ibi Abb. *num. 2. vers. item nota*, & alij *de transact.* Mohed. *decis. 9. nu. 1. vers. & idem dicitur, de locat. & conduct.* Cæs. de Grass. *decis. 1. & 2. de iur. iur.* & consequenter mandatum de manutenendo ad eius fauorem relaxatum præuia decisione Rotali facta 18. Maij 1607. coram R.P.D. meo Manzanedo, in qua fuit resolutum eum esse manutenendum in quasi possessione cognoscendi dictas causas criminales, & matrimoniales priuatiuè ad Archipresbyterum, fuit nullum tanquam contra dictam transactionem, & iuramentum, & modernus Episcopus illo vti non potest, ad reg. *l. quod ab initio, ff. de reg. iur. & cap. non firmatur. eod. tit. in 6.*

2 Non obstat, quòd prætendatur transactionem non esse in forma probanti, quia (quidquid sit) absolutio à iuramento in ea interposito obtenta per Episcopum transigentem præsupponit in necessarium antecedens ipsam transactionem. An autem constet de causis restitutionis in integrum aduersùs sententiam Rotalem, Domini nihil resoluerunt. An verò modernus Episcopus debeat ex persona propria manuteneri, poterit particulariter disputari, &c.

REVERENDISSIMO P.D. DAMASCENO.

Colimbrien. Canonicatus. Mercurij 24. Februarij 1616.

In hac decisione explicatur primò quòd in dubio acta præsumuntur transportata integra, & non in parte. Secundò declaratur an, & quando producens scripturam censeatur approbare in ea contenta, quatenus scriptura probet, & non aliàs. Tertiò firmatur conclusio, quòd parte non opponente, scriptura etiam recognita probat. Quartò declaratur quòd Notarius allegatur suspectus. Quintò & vltimò pariter declaratur an & quando sententia nulla possit in secunda instantia confirmari parte opponente, vel non.

SVMMARIVM.

Acta, & processus præsumi integros, nisi contrarium probetur, n. 1.

Notarius præsumitur bene functus officio suo, ibid.

Acta transportata sufficit quòd sint extracta à Notario qui se de illis rogauit, n. 3.

Ratificatio, & approbatio pacto potentior est quàm verbis, n. 4. in fine.

Producens scripturam, ita demum censetur approbare contenta in ea, quatenus inde scriptura probat, aliter secus. Declara vt n. 5.

Notarius allegari suspectus non potest causa expedita, num. 7.

Mandatum speciale requiritur ad allegandum suspectum Notarium, ibid.

Suspensionis allegationi iam factæ renunciare quis censetur per subsequentem consensum, ibid.

Sententia lata sine citatione, nulla, & inualida est, nec suppletur per conclusionem in causa quando eadem conclusio emanauit parte non citata, n. 8.

Citari debet etiam is qui Procuratorem in iudicio non constituit, ibid. in fine.

Sententia nulla confirmari non potest in secunda instantia, si de nullitate fuit oppositum in eadem secunda vel tertia instantia, secus si non fuit oppositum, numer. 9.

DECISIO CCXIX.

ROta censuit processus esse integros & in forma probanti, sententias verò de partibus esse 1
nullas. Quoad integritatem fuit dictum, quòd illa præsumebatur donec contrarium probaretur. Bart. *in rubr. ff. de nou. oper. nunciat. sub num. 8.* Iason. *ibidem. num. 8. versic. & quia statutum.* Rota in Bononien. bonorum 16. Ianuarij 1601. coram bon. mem. Litta, in Romana, seu Interamn. separationis thori 11. Decembris 1602. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in Placentina parochialis de Malpartida 14. Maij coram Illustrissimo Cardin. Lancellotto, & alias sæpe, etenim Notarius qui dedit acta, bene præsumitur functum fuisse officio suo, ad not. *in c. ad*

a.. sententiam. de præsumptionib. cap. sanc.mus 1. *q. ast.* 7. Bald. *in l. errore, numer.* 2. *C. de testam.* Cyn. *in l. si quis Decurio sub num.* 9. *C. ad l. Cornel. de falsis.* Dec. *cons* 315.

2 Et circa illud obiectum quòd in actis primæ instantiæ deficerent duo articuli aliàs producti in processu *fol.* 36. fuit responsum, quòd verba de quibus dicto *fol.* 36. non concludunt per necesse nouam productionem, propter verba de quibus ibi, cum duobus articulis iam priùs exhibitis, & oblatis, quæ possunt referri ad articulos per priùs productos in illa instantia, & qui modò reperiuntur transportati.

3 Minus releuare visum fuit, quòd acta primæ instantiæ non fuerint transportata ad Curiam tanquam extracta à Notario qui fuit de illis rogatus, quia sufficere visum fuit quòd fuerint transportata & producta in actis secundæ instantiæ, ad effectum vt Notarius secundæ instantiæ potuerit illa registrare, & transmittere ad iudicem tertiæ instantiæ vt fuit coram me resolutum in causa Segouien. habitus 4. Iulij 1612. & visum fuit non applicari cons. Federic. 160. quia loquitur quando productio fuit facta ad alium effectum, & ante litem contestatam, vt patet ibi *num.* 1. *vers. & meritò, & num.* 2. *in princ.*

4 Quoad recognitionem opponebatur, quòd processus primæ instantiæ non fuit recognitus coram Nuncio Apostolico iudice secundæ instantiæ, hoc est, non fuisse probatum quòd ille processus fuerit extractus manu cuiusdam Simonis Notarij de illo rogati: sed visum fuit neque hoc obstare, posteaquam ne dum pars non opposuit de huiusmodi recognitione, sed immò vsa fuit dicto processu reportandi sententiam fauorabilem super illo quod videtur importare approbationem ipso facto quæ est potentior, quàm verbis, ad *l. Paulus. ff. rem. rat. haber.*

5 Nec applicantur tradita per Honded. *cons.* 166. *n.* 52. *lib.* 2. quòd scilicet approbatio quæ oritur ex productione, ita demum operetur, si scriptura producta probet. Primò, quia allegati loquuntur in simplici productione, nos autem versamur in vsu, & formali approbatione, mediante petitione, & confirmationis sententia vigore illorum actorum prolata. Secundò allegati loquuntur de defectu in substantia, puta quando in instrumento deficit annus rogitus Notarij, & similia, de quibus Honded. *vbi suprà.* Secus videtur quando scriptura in sui facie non præ se fert aliquem defectum, aliàs nunquam verificaretur conclusio quòd scripturæ probent contrà, de qua *in l. cùm precum. C. de lib. caus. cap. cùm olim. de cens.* Rota in Romana computorum 16. Iunij 197. coram bon. mem. Pegna, & in Lucana confidentiæ 27. Februarij 1606. coram Reu. Bononien.

6 Et multo minus verificaretur alia quòd scriptura probet parte non opponente de recognitione, de qua per Salyc. *in authent. si quis in aliquo. num.* 18. *C. de edend.* Felin. *in cap. vlt. num.* 7. *vers. secundò limita. de fid. instrument.* Put. *decis.* 119 *part.* 1 Verall. *decis.* 99. *p.* 2. Rot. *de fide instrum. decis.* 7. *in nouis,* & in Gerunden. vini 28. Ianuarij 1591. coram Cardinali Mantica, & in Segouien. habitus 28. Ianuarij 1613. coram me.

7 Tertiò videtur quòd pars met Capituli recognouerit, dum dixit illum processum fuisse extractum per Simonem postquam fuit allegatus suspectus, eo enim ipso videtur affirmasse quòd Simon extraxit, & non alius. Et quantum ad suspicionem visum fuit illam non obstare, tum quia fuit allegata causa iam expedita, tum quia sine speciali mandato, ad *l. non solùm,* §. *fin. in verbo sed non fac. de ff. de procur.* Paris. *cons.* 31. *num.* 72. *lib.* 1. Verall. *dec.* 168 *par.* 1. tum denique quia pars videtur ab illa suspicione recessisse reportando sententiam super eisdem actis, qui recessus fieri potest. Abb. *in cap. cùm speciali, num.* 14. *de appellat.* Rot. diuersor. *decis.* 901. *num.* 3. *lib.* 3.

Quo verò ad nullitatem sententiarum fuit dictum primam sententiam de partibus fuisse nullam ex defectu citationis ad *l. ea quæ. C. quomodo & quando* *Clem. sæpe, & ibi gloss. in verbo ad id. de verb. signif.* Vant. *de nullit. ex defectu citat. n.* 56. & quamuis fuerit conclusum in causa, quæ conclusio solet sufficere in illis partibus: attamen nec prædicta conclusio in eam potest suffragari ex quo non fuit citata pars ad videndum concludi, ad *l. vnoquoque. ff. de iudic.* Nec suffragatur quòd D. Franciscus Cardosus de Oliuiem dixerit se nolle habere Procuratorem, quia non reperitur in iure cautum, quòd contra nō constituentem Procuratorem possit procedi parte non citata. Vltra quòd apparet D. Franciscum constituisse non tantùm vnum, sed plures Procuratores, vt in summario D. Francisci, *num.* 5.

Prædicta autem nullitas influit in secundam sententiam, ex quo pro parte D. Francisci fuit oppositum de nullitatibus in eius summario *num.* 5. qua oppositione non obstante, iudex processit ad confirmationem primæ sententiæ, & sic nulliter. Cæl. de Grass. *decis.* 9. *num.* 8. *de caus. possess. & propriet.* Verall. *decis.* 262. aliàs 264. *lib.* 1. *in manuscript.* & fuit dicta in Tiburtina administrationis tutelæ 18. Martij 1611. coram R. P. D. Manzanedo. Addebant aliqui ex Dominis quòd etiamsi non fuisset oppositum de nullitate in secunda instantia, adhuc posset opponi in tertia. Appellatio à secunda suspendit illius effectum. *cap. non solùm. de appellationib. in* 6. Franc. *in cap. cùm speciali.* §. *porrò, num.* 8. *versùs finem. de appellat.* Rota in Calaguritana beneficij de Oliuariis 28. Iunij 1614. coram bon. mem. Pegna, & consequenter non videtur quòd prima sententia possit recipere robur à secunda, cuius effectus fuit suspensus. Ita patet, quia priuilegium appellantis est vt possit deducere in secunda instantia, non deducta vel probata in prima, vel secunda instantia, *gloss. fin. in cap. inter monasterium. de sentent. & re iudic.* ergo debet posse deducere nullitates, quas non deduxit in prima, & quod aliàs dicitur post confirmationem sententiæ nullæ non posse amplius agi de nullitate, debet intelligi quando non fuit oppositum de nullitate, & sententia confirmatoria transiuit in rem idicatam. Ita tenuit Rota in causa Foroliuien. emphyteusis 1. Iulij 1615. coram R. P. D. Decano.

R. P. D. VBALDO.

Firmana altaris. Mercurij 24. *Febr.* 1616.

ARGVMENTVM.

Res iudicata inducitur per plures sententias conformes, & per non prosecutionem appellationis, sententiáque vt dicatur

eatur lata ex falsa causa: falsitas causæ debet esse euidens, & inexcusabilis; & gratia *si neutri*, habet tacitam conditionem, dummodo scilicet ex euentu litis apparet neutri ius competere. Quomodo hæc conditio dicatur iustificata, & quid in dubio præsumatur: negligentibus autem patronis ad præsentandum quódnam ius præsentandi ad Sedem Apostolicam deuoluatur.

SVMMARIVM.

Res iudicata inducitur per quatuor sententias conformes, n.1.

Appellationem quando appellans sine fatalium prorogatione prosequutus non est, sententia transit in iudicatum, ibid.

Testator non præsumitur voluisse præiudicare propriis filiabus hæredibus institutis, easque minus diligere quàm remotiores, n.2.

Sententia, vt dicatur lata ex falsa causa, ipsa causæ falsitas debet esse euidens, & inexcusabilis, ibid. in fine.

Sententia quæ continet diuersa capita separata, & præsertim inter diuersas personas, nulla in vno capite, non est in totum nulla, n.3.

Patronis an hîc præfixum aliquod tempus ad præsentandum, vel ad subsequutam institutionem, n.4.

Patronis negligentibus in præsentando, deuolutio collationis beneficij fit ad Sedem Apostolicam, gradatim scilicet de patronis negligentibus ad Episcopum, de Episcopo ad Metropolitanum, & de Metropolitano ad Papam, ibid.

Gratia si neutri, *est conditionalis, dummodo scilicet per euentum litis apparuerit neutri ius competere. quomodo hæc conditio iustificari possit, & quid in dubio præsumatur, num.6.*

DECISIO CCXX.

1 Post latas plures sententias in hac causa, tam extra Rotam, quàm in Rota contra Ricciotum mihi transmissa commissio executorialis; & quia Ricciotus allegabat prosequendam gratiam *si neutri*, ideo simul & semel dubitaui, an constaret de re iudicata, quæ sit exequenda, vel intret gratia *si neutri*. Et quoad primam partem dubij Domini affirmatiuè responderunt; quia contra Ricciotum, & ad fauorem Sauini adsunt quatuor sententiæ conformes, ex quibus duo sunt Rotales. *Clem. vt calumniis. de re iud. l.1. & per tot. C. ne lic. tert. prouoc.* vbi gloss. & Doctor. & vlteriùs Ricciotus appellationem ab vltima sententia interpositam, non fuit prosecutus, nec curauit prorogari fatalia, ideo intrat res iudicata satis clara. *auth. ei qui, & l. fin. §. illud. C. de tempor. appell. Clem. sicut, & Clem. si appellatione. de appellat. cap. cùm sit Romana. extrà eod. tit.* Dec. *cons.436. nu.1. & 20.* & est locus executioni. Verall. *decis.330. part. 1.* Vestr. *in prax. lib.8. cap. vlt. n.8.*

2 De iustitia autem dictarum sententiarum satis videbatur cònstare ex decisionibus in causa factis coram bon. mem. Cardinali Blanchetto, & bon. mem. Pegna. Neque obstare visum fuit principale obiectum partis aduersæ, ex eo deductum, quòd prima sentẽtia Ordinarij Firman. fuisset lata ex falsa causa, quod vitium videatur influere in alias sententias huius confirmatorias, quasi non fuerit iustificatum, quòd Sauinus esset præsentatus à medietate patronorum, vt in prædicta sententia supponitur, & enunciatur, cùm Iacobus pater mulierum, quæ Sauinum præsentarunt, & habebat medietatem dicti iurispatronatus, ordinauerit, quòd in Altari, de quo agitur, Apollonius Aurelij filius, & tres filiæ ipsius Iacobi ab eo hæredes institutæ haberent facultatem præsentandi, & sic videatur suam medietatem reliquisse partim filiabus, partim Apollonio compatrono, vnde dictæ filiæ habuerint dictam quartam partem, non autem dimidiam; ad hoc enim obiectum fuit responsum primò, hoc non necessariò colligi ex dicta ordinatione Iacobi, qui non legauerit portionem suam filiabus, & Apolonio, sed simpliciter ordinauit, vt vtrique haberent facultatem præsentandi, & sic quilibet pro medietate. Crescent. *decis. 4. de iurepatron.* quod etiam redditur verisimile, quia non præsumitur voluisse præiudicare propriis filiabus, quas hæredes vniuersales instituerat, & sic videtur eas magis dilexisse, quàm Apollonium. argum. *l. filium, § sed & si portio. ff. de leg. præst.* & satis est quòd Ordinarius potuit ita credere, cùm testamenti verba sint ambigua, & tamen ad vitiandam sententiam, falsitas causæ debet esse euidens, & inexcusabilis, vt post alios tradit Surd. *cons.567. n.11. lib.4.*

Secundò fuit responsum dictam sententiam continere duo capita omnino distincta, vnum dum pronunciat Sauinum alteri præsentato esse præferendum: alterum in quo declarat gratiam Riccioti esse obreptitiam, & subreptitiam, vnde quidquid esset dicendum quoad primum caput, & dato sine veri præiudicio quòd sententia quoad illud esset nulla, tanquam lata ex falsa causa; non tamen potest dici talis quoad alterum caput, & certum est, sententiam quæ continet diuersa capita separata, posse quoad vnum valere, licèt quoad aliud sit nulla. *l. quædam mulier*, vbi Bald. *ff. fam. ercisc.* & ita Bald. *in l. hoc iudicio, num.1. C. eod. tit.* Rota *decis.53. n.9. part.2. diuers.* & apud Put. *decis.323. sub n.3. vers. secus quando sententia lib.1.* & fuit dictum in Mantuana bonorum 10. Decemb. 1612. coram me, & tanto magis cùm in hoc casu non solùm versemur in diuersis capitibus, sed etiam inter diuersas personas, cùm primum caput sententiæ respiciat præsentatos; caput autem subreptionis, & obreptionis, solùm personam Riccioti. Bart. *in l.1. num.7. C. si in comm. ead. caus.* Ruin. *cons.75. num.13. lib.5.* cum aliis allegatis, quibus addi potest Gabr. post alios *cons.16. num. 26 lib.1.* 3

Præterea, nec visum est posse controuerti, quin gratia Riccioti esset subreptitia propter falsitatem narratã deuolutionis, vt fuit resolutum in hac causa coram bon. mem. Blanchetto, & Pegna. Nam dato etiam quòd mulieres præsentassent Sauinum post tres dies à lapsu quadrimestris laicis ad præsentandum concessi, vt fuit firmatum in decisione D. Pegnæ 10. Maij 1606. non tamen intrabat deuolutio propter præsentationem ab Aurelia, & Apollonio compatronis in tempore factam in persona Ioann. Francisci de Benedictis, etiamsi non fuisset secuta institutio, ad quam faciendam non est in iure præfixum aliquod tempus, gloss. & Doct. *in cap. cùm in cunctis. §. 1. de elect.* Abb. *cons.28. num. 2. part. 2.* & quatenus etiam omnes patroni fuis- 4

sent negligentes in præsentando, non tamen deuolutio fuisset facta ad Sedem Apostolicam, cùm deuolutio fiat gradatim, & sic de patronis negligentibus ad Episcopum, & de Episcopo ad Metropolitanum, & vltimo ad Papam. Abb. *in cap. cùm nostris, num. 2. de concess. prabend. & in dicto cap. cùm in cunctis, §. clerici sanè sub n. 5. de election.* Cass. *decis. 8. n. 1. in fin. de prabend.* Rebuff. *in praxi in tit. de deuolut. n. 7.* & fuit dictum in vna Vercellen. Capellaniæ 28. Iunij 1606. coram Reu. Lugdunen.

5 Ad alias obiectiones propositas pro parte Riccioti, veluti, quòd non constet de valida reseruatione iurispatronatus, quòd illæ mulieres essent incapaces iurispatronatus, & præsertim stante constitutione fel. record. Pij V. contra illegitimos, & ad testes aliàs inductos ad probandum scientiam vacationis in illis mulieribus, fuit sufficienter responsum in tribus decisionibus coram Pegna, & in vna coram Blanchetto in hac causa factis, adeò vt Ricciotus videatur actum agere, dum repetit easdem obiectiones iam antea reiectas, & confutatas.

6 Quo verò ad secundam partem dubij circa gratiam *si neutri*, Domini concluserunt eam non intrare, quia illa est conditionalis, si per euentum litis apparuerit neutri competere. Put. *decis. 48. num. 4. lib. 1.* Gemin. *cons. 79. in 2. dubio*, & fuit dictum in vna Aurien. parochialis de Brues 15. Iunij præteriti coram me. hoc autem non est iustificatum, nec potest iustificari, quia tantùm abest, vt possit apparere per euentum litis de non iure Sauini, vt etiam constet de eius bono iure ex eius præsentatione, & de re iudicata ad eius fauorem, vt in puncto fuit consideratum in dicta Aurien. & confirmatur ex non iustificatione deuolutionis narratæ in gratia personali, vt patet ex decisionibus coram Pegna, & Blanchetto sæpe allegatis, & ex decisione in hac causa 15. Iunij 1612 coram me, in qua fuit denegata remissoria ad dictam deuolutionem probandam, & tamen erant iustificanda, etiamsi non fuerit expressa in gratia *si neutri*, cùm illa fuerit desumpta ex corpore gratiæ principalis, vt in pucto respondit Rota apud Seraph. *decis. 1470. n. 3. part. 2.*

Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Fanen. fideicommissi. Mercurij 24. Februarij 1616.

DECISIO CCXXI.

Impressa est post Pacificum de Saluian. decis. 296.

R. P. D. PIROVANO.

Romana multiplici 30000. 24. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Mora non incurritur, si pars altera qua obtulit factum suum, defecit in amplimento oblationis conuenta, n. 1.

Exceptio non implementi, est exceptio litis finitæ, n. 2.

Mora cessante, cessat interesse quod venit propter moram, n. 3.

Rescriptum Principis omnino seruandum est per partes, neque per consensum partium à forma in eo data potest recedi, n. 4.

Notificatio specifica non est necessaria quando constat quòd is cui debebat fieri notificatio, est certioratus aliunde, n. 5.

Obligatio conuenta de faciendo aliquid, qua Titius obligatur, Titius tenetur, & non egreditur eius personam, vt non comprehendantur hæredes, num. 6. Declara si obligatio concepta sit cum dictione taxatiua ad personam Titij procedere conclusionem, secus si non adsit taxatiua, n. 7.

DECISIO CCXXII.

IN venditione Casalis Scurani, & Floræ, quod perpetuo fideicommisso ex paterna dispositione subiacebat, fuerunt obtentæ derogationes per Alexandrum filium, & venditorem, cum conditione tamen multiplici ex certa parte pretij, scutorum scilicet sex millium constituendi pro integratione fideicommissi vsque ad summam ex venditione redactam.

Et quia multiplicatio istius summæ sperabatur ex implicatione redditũum, qui prouenie bant ex capitali implicato; propterea in instrumento venditionis vltra obligationem emptori impositam multiplicandi summam scutorum sex millium vsque ad 30000. ad fauorem vocatorum ad maiorem securitatem reinuestimenti, & ad euitandam difficultatem inueniendi loca montium pro inuestimentis faciendis, ideo Alexander venditor conuenit, & promisit Hieronymo emptori quotiescumque inuestimenta essent facienda, illa inuestigare, & inuenire, & D. Hieronymo, & suis hæredibus offerre, aliàs voluit teneri ad omnia damna, expensas, & interesse, & quia cum effectu hodie reinuestimentum nõ reperitur factum, dubitatum fuit, an Ceuli hæredes Hieronymi, seu eorum creditores, teneantur ad damna, & interesse, quod negatiuè fuit resolutum.

Quia emptor, neque eius hæredes, aut creditores possunt dici in mora constituti ante effectum inuestigationis, & oblationis locorum montium pro inuestimento iuxta conuentionem, cùm possint se iuridicè exceptione tueri. *l. si quis solutionem. ff. de vsur. l. quod te. ff. si cert. pet* vbi Ias. *nu. 8.* Menoch. *de arbitr. cas. 220. n. 46.* Surd. *decis. 179. n. 15.*

Iusta autem exceptio est causa non implementi oblationis, & inuestigationis locorum montium, ad quam tenebantur venditores, cùm sit litis finitæ exceptio, & impediat litis ingressum. Castrens. *in l. Julianus, §. offerri. ff. de action. empt.* Bec. *cons. 45. n. 12.* Surd. *dicta decis. 172. n. 26.* qui loquitur de iusta exceptione non implementi.

Cessante autem mora, cessat & interesse quod venit propter moram. Bart. *in l. stipulationes non diuiduntur in 5. quæst. ff. de verb. oblig.* Ruin. *cons. 48 in princ. vol. quinto.* cum aliis allegatis per Surd. *decis. 260. n. 18.* & Seraph. *decis. 1427. n. 2.*

Non obstat quòd in gratiis Apostolicis derogatoriis fideicommissi hoc onus inuestiendi sit reseruatum emptoribus, non autem venditoribus, quibus expresse fuit prohibitum quòd tales fructus ad eorum manus possent deuenire, vt ideo ab ea forma data

ma data non videbatur posse recedi etiam de consensu partis. Iason. *cons.* 191. *col.* 2. *vol.* 2. Surd. *decis.* 122. *num.* 3.

Quia responsum fuit quòd venditio casalis prædicti non continet pacta contraria, neque derogatoria reseruationi multiplici, & inuestimentis destinatis, sed potiùs fauent intentioni rescribentis, dum obligatio magis arcta fuit addita pro securitate inuestimenti absque eo quòd pecuniæ possent peruenire ad manus venditorum, sed quòd hæc cura inuestiendi magis deberet esse penes emptorem, quàm venditorem, nullum verbum in rescriptis, ideò citra iniuriam rescripti licuit super eo concordare.

Præterea in præsenti non agitur ad inualidandum contractum ob formam non seruatam, sed ad conuincendum emptorem de culpa ob non secutum inuestimentum, & propter culpam vt condemnetur ad damna & interesse, sed culpa non præcessit ob defectum implementi promissi ex parte venditorum de offerendo, & inuestigando loca montium. Ergo ea cessante, deficit fundamentum moræ, quæ est causa obligationis damnorum & interesse, vt suprà dictum est.

5 Non obstat, quòd emptor debuisset priùs certiorare venditorem quòd aderant fructus inuestiendi, vt exinde succederet obligatio inuestigandi, & offerendi, quia placuit Dominis responsio, quòd cùm scut. 6000. quæ pro multiplici fuerunt implicata in annuo censu, essent redditus scutorum 390. in singulis annis, & de hoc fructu venditores essent certi, alia certioratio non erat necessaria ad eum effectū. *l.* 1. *in fine. ff. de act. empt.* Tiraquel. *de retract. consang.* §. 36. *secunda, num.* 24. Surd. *decis.* 288. *n.* 4.

6 Demum non obstat quòd hæc promissio inuestigandi, & offerendi, loquatur tantùm de persona Alexand. venditoris, qui iam decessit de anno 1592. & hodie agatur de interesse post mortem Alexandri, ideo ad hæredes extendi non debeat. *l. tale pactum*, vbi gloss. *in verbo per exceptionem. ff. de pactis.* Bart. *in l. inter stipulantem*, §. 1. *num.* 3. *ff. de verb. oblig.* cum alias allegatis.

7 Quia si particulariter fuerit limitata obligatio ad contrahentes, bene procedit cōclusio prædicta; sed vbi agitur de simplici obligatione, vt in præsenti, tunc ad hæredes, & contra hæredes regulariter transit. *l. iuris gentium*, §. *pactum. ff. de pact.* & latissimè comprobant Cephal. *cons.* 630. *nu.* 4. Menoch. *præsumpt.* 47. *lib.* 1. *n.* 1.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Collen. hæreditatis. Veneris 26. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Filiatio, & legitimitas quomodo probetur, præsertim per testes: multa notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Filiatio, & legitimitas probatur per testes deponentes de eorum propria scientia, & commodo, num. 2. *Vbi etiam quòd probatur per communem reputationem, & n.* 4. *Vbi præsertim iunctis adminiculis.*

Quasi possessio filiationis, & legitimitatis transfert onus probandi contrarium in aduersarium, num. 2.

Testes in dubio præsumuntur contestes. n. 3.

Filiatio, & legitimitas per duos testes dicitur concludenter probata ibid.

Filiatio, & legimitas præsumitur ex actu dotandi. ibid. in fine.

DECISIO CCXXIII.

Marietta vti soror vtrinque coniuncta Petri Francisci petebat immissionem pro eius rata in bonis in vrbe existen. hæreditariis q. Marij tanquam communis patrui ab intestato defuncti per dictum Petrum Franciscum possessis, & duo contra illam opponebantur. Primò, eam non esse talem qualem se facit. Secundò, quòd tanquam nupta, & dotata, sit exclusa per dictum Petrum Frāciscum, stantibus statutis fœminarum exclusiuis, tam in Vrbe, vbi sita sunt bona, de quibus agitur, quàm in ciuitate collis, quæ est locus originis, domicilij & mortis eiusdem Marij. 1

Et quo ad primum DD. resoluerunt constare de legitimatione personæ Mariettæ: quia quòd tam ipsa, quàm Petrus Franciscus, necnon Attilius, Franciscus, & Portia, fuerint filij q. Ioannis, probatur ex duobus testibus, videlicet secundò Mariettæ super quinto, qui dicit de filiatione legitima, & naturali, & primò Petri Francisci, iuxta 9. qui rectè probant, cùm de propria eorum scientia deponant, vt in specie nostra Bald. *cons.* 437. *num.* 5. *vers. quid si dicat, vol.* 5. Felin. *in cap. per tuas, num.* 17. *vers. ex prædictis, de probat.* scientia enim intelligitur eo modo, quo sciri potest, videlicet per præsumptiones legis, vt dicunt in terminis nostris Bart. *in l. fin. num.* 3. *C. de peric. nominat. lib.* 11. Bald. & Felin. *vbi suprà.* Præsertim quia idem testis Mariettæ, iuxta 7. & super primo dicit se cognouisse Ioannem patrem Mariettæ in ciuitate Collen. & super eodem quinto deponit de parentum, & communi reputatione, de qua etiam licèt de auditu deponit idem testis Petri Francisci super eodem, ex qua inducitur quasi possessio filiationis, quæ transfert in aduersarium onus probandi contrarium; Bart. *in l. non nudis, vers. item quòd habitus. C. de probat. & in l.* 1. §. *quod SC. num.* 4. *ff. de liber. agnosc.* Alexand. *cons.* 51. *num.* 2. *vers. ad ostendendum autem vol.* 1. Dec. *cons.* 54. *num.* 2. *& cons.* 211. *num.* 1. Ruin. *cons.* 51. *num.* 17. *in fin. vol.* 5. Nec est necessaria copulatiua probatio eorum, quæ instruit. Bart. *in l. filium. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* sed sufficit alternatiua, Castrens. *cons.* 151. *versic. sed ad hoc respondeo, volum.* 1. Alexand. *dicto consil.* 51. *num.* 5. Dec. *dicto consil.* 54. *in fin.* Iason. *consil.* 114. *num.* 6. *versicul. & primò dico, volum.* 1. Puteus *decis.* 506. *num.* 4. *versic. sed ista duo, lib.* 2. *in nouissim.* 2

Et prædicti testes præsumuntur contestes, Castr. *cons.* 342. *propè fin. vers.* 4. *dicitur*, Alexand. *cons.* 47. *num.* 6. *vers. non omitto etiam lib.* 2. Aym. *cons.* 78. *n.* 9. Menoch. *præsumpt.* 23. *num.* 13. *lib.* 5. Et cùm sint duo, sufficiunt, & plenè & concludenter probant filiationem, vt in terminis Castrens. *in l. errore. num.* 5. *vers. & idem, C. de testam.* Dec. *cons.* 272. *in princip.* Card. Paleott. *de noth. & spur. cap.* 25. *num.* 9. Alb. *cons.* 83. *num.* 18. Maximè quia illorum depositiones verificantur, ex quo idem secundus Mariettæ simi- 3

liter super quinto dicit, tam de filiatione Mariettæ, ex dicto Ioanne, q. Petri Francisci, ac etiam Portiæ, quam fuisse neptem dicti Marij, fuit pro certo habitum à Rota in resolutione pro ea facta 25. Maij 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten. contra Flaminium filium Ioann. Baptistæ fratris dd. Marij, & Ioannis. Et etiam adminiculantur, tum ex fide libri Baptismalis Cathedralis Collen. extracta per Cancellarium dictæ Ecclesiæ, ex qua apparet Mariettam fuisse baptizatam ad instantiam Ioannis, qui est actus pertinens ad parentes, Natt. *cons.* 434. *num.* 11. Surd. *cons.* 1. *num.* 45. *vol.* 1. & fuit dictum in causa Romana, seu Interamnen. hæreditatis 10. Decembris 1605. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno. Tum etiam, quia Ioannes eam nupsit Gerardo de Tanis Aromatario Florentino, vt patet ex attestatione ciuitatis Collen. & ex depositione, licet de auditu eiusdem primi testis Petri Francisci, iuxta 9. necnon ex intimationibus factis in dicta ciuitate de mensibus Iulij, & Augusti 1593. ad instantiam Gerardi vti Mariti Mariettæ filiæ Ioannis quibusdam debitoribus, quatenus infra certum tempus sibi soluerent certam pecuniarum summam pro dote dictæ Mariettæ eius vxoris, qui pariter actus dotandi congruit officio paterno, *l. qui liberos,* & ibi gloss. *ff. de rit. nupt. l. fin. §. vtramque. C. de dot. promis.*

4 Depositiones autem prædictorum testium, & præsertim circa parentum, & aliorum reputationem iunctis maximè huiusmodi adminiculis plenè probant filiationem, etiam si agatur ad effectum succedendi, vt de communi testantur Dec. *dicto cons.* 54. *num.* 1. *in fin. vers. & in proposito, & num.* 3. *versic. non obstat quòd quasi possess.* & Aym. *cons.* 249. *num.* 2. *vers. reperio tamen*; & leuiores probationes sufficiunt, iuxta cons. Gemin. 27. quod esse à Rota sæpiùs approbatum, testatur Cardin. Seraph. *decis.* 1282. *num.* 6. Rota in causa Pampilonen. matrimonij 19. Nouembris 1607. coram R. P. D. meo Caualerio.

5 Quòd verò Ioannes pater Mariettæ fuerit frater Marij, de cuius successione agitur, vltra quòd non videtur controuerti ex parte Petri Francisci, de hoc etiam deponunt primus illius testis, iuxta octauum, qui etiam subdit, Petrum communem patrem dd. Marij, & Ioannis, eos pro filiis reputasse, & de auditu primus Mariettæ super secundo, & est etiam in confesso apud partes, quia hæreditas dicti Marij fuit adita per dictum Petrum Franciscum, & fratres vti filios dicti Ioannis fratris dicti Marij in ciuitate, & coram Potestate Collen. 20. Augusti 1601. vt *in extr. fol.* 39. *& seqq.*

Ex quibus satis visa fuit legitimata persona Mariettæ, videlicet eam esse neptem Marij ex Ioanne illius fratre.

Quò verò ad secundam partem DD. reseruarunt videre, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Licien. beneficij. Veneris 26. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Instrumentalis possessio alio non possidente sufficit ad manutentionem, & præsumitur continuata vsque ad litem motam Possessionisque instrumentum extractum ab eodem Notario rogato dicitur in forma probanti, etiam quòd lite pendente, & parte non citata extractum fuerit. In Regno autem Neapolitano nunquid possessio beneficiorum debeat capi de manu Nuntij Apostolici, & quando. Cætera vide in summariis.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per publicum instrumentum alio non possidente ad effectum manutentionis, n. 1.

Possessio præsumitur continuata vsque ad motam litem, ibid. in fine.

Instrumentum extractum lite pendente, & sine citatione partis, non dicitur in forma probanti: fallit si fuerit extractum ab eodem Notario rogato, n. 2.

Beneficiorum possessio in Regno Neapolitano nunquid capi possit ex alia manu, quàm Nuntij Apostolici, num. 3.

Decretum irritans, titulum, & possessionem inficit quando est iustificatum, aliter secus, ibid.

Beneficij possessor tuuari potest alterius tituli possibilitate, & interim manutenendus est donec videatur an alium titulum obtinuerit, n. 4.

Possessorium manutentionis non requirit titulum, nec admittit exceptiones oppositas contra titulum, n. 5.

DECISIO CCXXIV.

PEr obitum Bernardini Metulæ, cùm vacasset simplex beneficium Sancti Dometrij, quod prætenditur esse de iure patronatus, fuit à medietate patronorum Tucius Maremontius præsentatus, qui aliam etiam prouisionem obtinuit à Sanctissimo, cum derogatione pro dimidia parte iurispatronatus, necnon per executionem in litteris expressum, fuit immissus in beneficij possessionem. Verùm postea Franciscus Guerinus insurrexit vti pariter à Sede Apostolica de hoc beneficio prouisus, & dum instaret cum Vicario Licien. pro litterarum executione, & illi se Lucius opponeret, causa ad Rotam deuoluta, dictus Lucius mandatum petiit de manutenendo. Quod Rotæ visum fuit, dubio per me proposito, ei non esse denegandum; constat enim de ipsius possessione per publicum instrumentum, quod, alio non possidente, benè probat ad effectum manutentionis possessionem Put. *decis.* 350. *num.* 4. *& 5. lib.* 1. secundùm nouam impressionem. Rota *decis.* 363. *part.* 1. *diuers.* & fuit dictum in Placentina Capellæ 21. Maij 1601. coram R. P. D. meo Pamphilio. Et talis possessio vsque ad motam litem per Lucium continuata præsumitur. Cardin. Seraphin. *decis.* 983. *num.* 1. *& decis.* 1047. *numer.* 8. & sic illi competit manutentio. *§. retinendæ. Instit. de interd.* Bart. *in l.* 1. *§. fin. num.* 14. *ff. vti possid.* Alexand. *cons.* 92. *num.* 3. *lib.* 1. Ripa *in l. naturaliter. §. nihil commune, num.* 156. *ff. de acquir. possess.* Roland. *cons.* 9. *num.* 18. *lib.* 3.

Non obstat possessionis instrumentum, tanquam lite pendente, & sine citatione partis extractum, non esse in forma probanti; quia fuit illud extractum à Notario de eodem rogato, quo casu dicitur originale, nec alia partis citatio requirebatur. Rota *decis.* 2

decis.1. de fide instrument. in nou. & fuit dictum in causa Mediolanen. iurispatronatus 29. Ianuarij 1589. coram Comitulo, & in Veneta fœderis matrimonij 28. Iunij 1598. coram Pegna.

3 Non obstat in regno Neapolitano beneficiorum possessionem de manu Nuntij Apostolici esse capiendam. Aliàs nullius eam roboris esse, vel momenti, vt per constitutionem Pij IV. 29. in ordine, quæ habet decretum irritans titulum, & possessionem inficiens, vt per Paris. *de resignat. lib.*10. *quæst.*6. *num.*34. Nam hîc dictæ constitutioni locus esse non videtur, tanquam ei specialiter delogatum, cùm particularis litterarum Apostolicarum datus fuerit executor. *l. in toto. ff. de reg. iur. l. cùm de lanionis. §. cui fundum. & §. sequenti. de fund. instruct. l. seruus urbanus. §. si alij. ff. de legat.*3. dicitur præterea decretum irritans, licèt titulum, & possessionem inficiat. Cassad. *decis.*11. *n.*5. *super reg.* Gabriel. *de claus. conclus.*3. Hoc tamen procedere quando est iustificatum, aliàs illud detentionem, vel existentiam facti non tollere, vt fuit resolutum in causa Parmen. Prioratus 16. Ianuarij, & 16. Februarij 1598. coram Orano, & in alia Cusentina Capellaniæ 26. Octobris 1601. coram Illustrissimo Mellino.

4 In præsenti autem casu dictum decretum non est iustificatum, quia beneficij possessor iuuari potest alterius tituli possibilitate. Crescen. *decis.* 21. *num.* 4. *de probat.* & fuit resolutum in Cæsaraugustana parochialis de Macella 8. Nouembris 1599. & in Romana parochialis 21. Ianuarij 1600. coram Card. Pamphilio. Et interim possessor donec videatur an alium titulum obtinuerit, est manutenendus. *cap.* 1. vbi Abb. *num.* 4. *de restit. spoliat.* & fuit dictum in causa Barchinonen. beneficij 29. Iunij 1600. coram eodem Cardinali Pamphilio.

5 Nec releuant obiecta contra Lucij titulum, quia respiciunt petitorium. Et in hoc summariissimo possessorio, vbi titulus non requiritur, discutienda non veniunt. Card. Seraph. *decis.* 617. prout pariter fuit responsum ad ea, quæ de iustificatione gratiæ *si neutri*, per Guerrinum obtentæ dicebantur, quòd videlicet ad præsentem disputationem illa non pertineant.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Anagnina hæreditatis. Lunæ 29. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Promissio dotis facta sub conditione, deficiente conditione non suffragatur, & mulier exclusa à statuto ex successione fratris, si fuerit dotata, dotari debet secundùm eius qualitatem, & loci consuetudinem.

SVMMARIVM.

Dos promissa sub conditione, deficiente conditione dari non debet, n.1.

Fratris successio spectat ad fratrem masculum, & sororem fœmininam, ibid. in fine.

Qualitas à statuto requisita, si non probetur, statuti dispositio locum non habet, n.2.

Mulier exclusa à statuto propter masculos, si fuerit non dotata, dotari debet secundùm eius qualitatem, & loci consuetudinem, n.3.

DECISIO CCXXV.

Erminia per plures annos post mortem patris fuit à matre, & vitrico de bonis etiam paternis sub hac conditione dotata, quòd si Iosephus frater dotis constitutioni consentire noluerit, tunc ipsa Erminia possit concurrere cum dicto Iosepho ad eius portionem omnium bonorum, iurium, & actionum hæreditatis paternæ; ideo cùm Erminia peteret dotem, & successionem paternam, Iosephus verò neutrum dare prætenderet, supradicta die proposito per me dubio, an constet de bono iure Erminiæ. Domini dixerunt Iosephum teneri stare supradictæ constitutioni dotis, vel admittere Erminiam ad successionem hæreditatis paternæ; quia cùm fuerit data sub illa conditione, si Iosephus nolit consentire ex defectu conditionis, perinde haberi debet, ac si non esset dotata. *l. qui hæredi. §. P. autius*, & ibi Bart. *ff. de cond. & demonstr.* Roland. *cons.* 58. *n.*15. *lib.*3. & consequenter de iure communi admitti debet ad successionem simul cum fratre. *l. maximum vitium. C. de lib. prateri*t. 1

Non obstat statutum Ananiæ, disponens quòd filia dotata à patre vel matre stantibus masculis nõ possit vltra dotem ipsam aliquid in bonis paternis, vel maternis petere, quia non constat quòd Erminia fuerit à patre aliquo modo dotata, & minus potest dici quòd fuerit sibi dos constituta à matre, si Iosephus nolit illi stare, ideoque cùm non probetur qualitas statuti, prout probari debet, Gozad. *cons.* 35. *num.*16. Natt. *cons.* 474. *num.* 38. non potest dici quòd Erminia sub illius dispositione comprehendatur, Roman. *cons.* 179. *num.* 11. *in fin.* Dec. *cons.* 261. *num.*2. Brun. *de stat. quod stantibus masculis art.* 6. *n.* 228. sed potiùs quoad successionem paternam sit admittenda simul cum fratre, iuxta dispositionem iuris communis, & prout fuit aliàs ad eam admissa, quo ad mobilia quæ inter ipsos insimul diuisa fuerunt, nulla habita ratione statuti supradicti, ad text. *in cap. quod semel. de reg. iuris in* 6. 2

Minus obstare quoad effectum exclusionis sufficiat, quòd frater sit paratus dotare sororem, iuxta dispositionem statuti Vrbis *lib.*1. *cap* 145. quia placuit responsio, quòd si est paratus illam dotare, non debet recusare stare doti iam à matre constitutæ, quam non constat fuisse excessiuam: licèt enim statutum excludat etiam fœminas non dotatas, dummodo frater sit paratus cum effectu dotare sororem de paragio; id tamen intelligitur vt possit nubere secundùm eius qualitatem ac loci consuetudinem. Gammatic. *decis.*101. *num.*63. *& seq.* & fuit dictum in causa Roman. dotis de Boncompagnis 28. Aprilis 1614. coram R. P. D. meo Caualerio, & ita decisum. 2

REVERNDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana dotis. Lunæ 29. Februarij 1616.

ARGVMENTVM.

Dos filiæ à patre constituta, mortuo viro nunquid repeti debeat ab ipso patre, non autem à filia.

SVMMARIVM.

Dos per patrem filiæ data, patri restituenda est, & non filio, n.1.
Ordo iuris attendendus est, & non ordo litteræ, n.2.
Clausula executiuè præcedente in dispositione non immutat, n.3.
Vxor mortuo marito potest dotem repetere ab eius hæredibus in casu in quo pater esset negligens in illa repetenda, num 4.
Dos data filiæ à patre an transmissibilis sit ad hæredes filiæ stante statuto exclusiuo fœminarum propter masculos, n.5. Declara vt dicto, n.5.
Dos data à patre filiæ non succedit loco legitimæ, quando tempore restitutionis pater viuit, n.6.
Dos data à patre filiæ, ad patrem non reuertitur, quando soluto matrimonio filij ex filia supersunt. Declara vt n.7. & 8. Vbi etiam quid vigore statuti vrbis.
Dote semel à patre filiæ constituta remanet patrimonium filiæ stante statuto exclusiuo fœminarum propter masculos, n.9. & 10.
Decoctus habetur pro mortuo, n.11.

DECISIO CCXXVI.

1 PEr decisionem coram me sub die 8. Martij 1613. firmatum fuit, Vincentiam Buriam pro dotis residuo non habere super bonis Antonij patris hypothecam. Verùm hac muliere denuo super eisdem audita, Rotæ placuit, vt strictè videretur, an viro mortuo dos illi, vel patri esset restituenda. Et proposita per me causa, fuit resolutum patri faciendam esse restitutionem, cùm ipse fuerit stipulatus Vincentiæ illius hæredibus, ac successoribus quibuscunque, vel cui de iure, dotem restitui. In vim autem dictæ clausulæ, *& cui de iure*, dos reuerti debet ad patrem. Paul de Castr. *cons.* 11. *sub n.* 2. *vers. sed dicet aliquis, lib.*1. Ruin. *cons.* 186. *n.*6. *&* 10. incipit *de duobus, lib.*2. Gabr. *cons.* 58. *n.*15. 16. *&* 48. *li.*1. Imol. *in l. post dotem n.* 6 *ff. sol. matr.* Bart. *in l. vxorem* 39. §. *testamento il* 2. *n.*1. *ff. de leg.*3. Claud. Seisel. *in d. l. post dotem num.*21.

2 Non obstante, quòd in stipulatione fuerit Vincentiæ nomen priùs appositum, cùm non litteræ, sed iuris ordo veniat attendendus, iuxta quem in dicta restitutione pater filiæ præferetur. Castr. *d. cons.* 11. *num.*2. *lib.*1. Gabr. *cons.*18. *num.*16. *lib.*1. Barbos. *in l. Caius* 46. *num.* 26 *ff. solut. matr.* Card. Mantic. *de tacit. lib.*12. *tit.*8. *num.* 25.

3 Nec obstat pactum de capienda possessione bonorum mariti propria authoritate ad Vincentiæ solum fauorem emanasse, quasi per hoc dos illi tantùm sit restituenda; cùm enim huiusmodi pactum in clausulis executiuis appositum reperiatur, præcedentem dispositionem non immutat. *Clem.* 1. *de præb.* vbi scribentes Olasch. *in decis.* 174. *nu.* 2. Dec. *cons.*193. *n.*3. *circa finem.* Couarr. *in rubr. testamenti, p.*2. *num.* 13. Caputaq. *decis.* 83. *n.*3 *part.*1.

4 Nec valet dicere saltem hanc stipulationem patri, & filiæ dici communem, quando vterque, vt in casu nostro, superuiuit. Ripa *in l.*2. §. *quod si in patris num.*5. *circa fin. ff. solut. matr.* Nam id locum habet ad effectum, vt vxor à marito, vel eius hæredibus possit dotem recuperare, vel stante patris negligentia, cùm aliàs ipse tantùm eam petere & redimere valeat, vt per eundem text. *in l.*2. tradit Castr. *d. cons.* 11. *sub num.* 1. *vers. sed extra dictos casus lib.* 1. Imol. *in d. l. post dotem. ff. solut. matrim.* Gabr. *d. cons.* 58. *sub num.*16.

5 Non obstat per Vrbis statutum vti fœminarum propter masculos exclusiuum dotem filiæ datam, videri liberam, & ad illius hæredes transmissibilem, & per consequens ipsi restituendam. Brun. *de stat. stant. masc. art.*10. *num.*91. *& art.*11. *num* 49. quia Bruni opinio procedit vbi dos legitimæ loco succedit, secus è contra, vt in casu nostro. Butr. *cons.*9. *n.*2. *cum seqq.* Castr. *in l. qui superstitis, in fin. ff. de acquir. hæred.* Dec. *cons* 106. *n.*1. *& seqq.* Capic. *decis.*176. *n.*11. *vers. at pro contraria parte.* Card. Seraph. *decis.*815. *n.*5.

Quòd autem hîc non succedat loco legitimæ, 6 satis patet, cùm restitutionis tempore pater viueret, quo casu filia nullum in legitima ius habuit. *l.*1. §. *impuberi*, ibi, *præmatura est enim*, &c. *ff. de collat. bon.* vbi Bart. *n.*2. Bald. *in l. si qua pœna n.* 1. vbi etiam Alber. *n.*3. *ff. de ijs, qui sunt sui, vel alieni.* idem Bart. *in auth. si qua mulier. n.*22. *C. de pactis.* Fabian. *in auth. nouissima n.*79. *&* 261. *C. de inoff. testam.* Brun. *cons.*149. *n.* 13. *lib.*3. Rol. *cons.*47. *n.*4. *&* 5. *lib.*2.

Nec releuat dotem ad patrem non reuerti, quando soluto matrimonio filij ex filia supersunt. 7 Bald. *in l. dos à patre n.*1. *C. solut. matr.* Butr. *in tract. de dote num.* 34. Dicta enim conclusio locum habet, vbi matrimonium per mortem filiæ dissoluitur, quo casu patri ex consuetudine repetitio non datur, sed ad hæredes filiæ dos transit, vt declarat Bald. *vbi supra*, & in his terminis loquitur Butr. Secus autem filia coniuge superuiuente, quia tunc ad patrem dos reuertitur. Castr. *d. cons.*11. *lib.*1. Thesaur. 138. *num.* 2.

Non obstat Vrbis statutum *in cap.*85. *&* 133. *lib.* 1. 8 in quibus fit mentio de dote vxori restituenda. Nam dictum statutum non emanauit ad effectum decidendi, cui dos restitui deberet, cùm *in c.* 85. loquatur solùm de instrumentorum dotalium executione; *in cap.* verò 133. præfiniat tempus, intra quod sit facienda restitutio, in quo cùm interpretationem recipiat à iure communi, debet intelligi dotem patri esse restituendam, ex alleg.

Nec valet dicere dotem semel à patre filiæ con- 9 stitutam, illius patrimonium remanere, stante præsertim statuto fœminarum exclusiuo. Rot. *decis.*156. *n.*2. *p.*2. *diuers.* Id enim procedit in terminis *auth. sed quamuis. C. de rei vxor. act.* ad effectum videlicet, vt filiæ secundo nubenti eadem dos debeatur: secus autem si non nubat, cùm penes patrem tunc remaneat. Castr. *d. cons.*11. *num.*2. *lib.*1. Bald. *in l. fi. C. commun. vtriusque iud. n.*1. Card. Seraph. *decis.*815. *n.*5.

Non obstat lex *si socer*, §. *Lucius ff. solut. matr.* vbi 10 cauetur matrimonio dissoluto antequam dies solutionis adueniat, actionem pro dote ad mariti hæredes transire, qui eam cedere tenentur vxori, vt illa dotem consequi valeat. Nam illius legis dispositio militat, quando stipulatio fuit solùm facta pro filia, & restitutionis tempore pater non superuiuit; secus verò in casu nostro, in quo pater superuixit, & ad illius fauorem fuit concepta stipulatio; vnde locum non habet dictæ legis dispositio. Paul. de Castr. *d. cons.*11. *sub n.*1. *vers. hoc autem quod dos l. i.* Gabr. *cons.* 58. *lib.*1. Salicet. *in l. vnica.* §. *videamus, n.*37. *vers. sed ista non attingunt. C. de rei vxor. act.* Barb. *in l.*2. §. *quod in patris, n.*8. *ff. solut. matr.*

Nec valet obiectum, quòd restitutionis tempore 11 Vincentiæ pater vti decoctus pro mortuo haberetur, per consequens respectu restitutionis dotis ille fuerit habendus naturaliter mortuus, non enim

enim in facto id iustificatur, cùm discussionis libellus ad vnius tantùm creditoris instantiam emanauerit.

Ex quibus Rotæ visum fuit aliam decisionem contra Vincentiam subsistere, &c.

R.P.D. VEROSPIO.

Romana legitimæ. Lunæ 8. Februarij 1616.

DECISIO CCXXVII.

Impressa est post Merlin. de legitima decis. 54.

R.P.D. VEROSPIO.

Nouarien. Bonorum. 4. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Instrumentum sumptum, & publicatum ab eodemmet Notario, qui de eo rogatus fuit, plenam facit fidem, & quid si fuerit publicatum ab alio, & de Notariatu, & Notarij manus recognitione multa notanda, de quibus in decisione quid & quantum comparatio litterarum probet in antiquis.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum vt fidem faciat multa requirit, de quibus remissiuè, num. 1.

Instrumenti copia extracta, & publicata ab ipsomet Notario qui de instrumento rogatus fuit, dicitur authentica, & fidem facit perinde, ac si matrix, & primum originale produceretur, ibid.

Notarium quem esse probatur per matriculam Notariorum, numero 2. vbi & idem ex legalitate collegij Notariorum.

Recognitio manus Notarij facta per comparationem literarum sufficit vbi agitur de scriptura 60. annorum, numer. 3.

Comparatio literarum probat scripturam antiquam, ibi.

Scriptura dicitur benè recognita ex coniecturis, & adminiculis, num. 4. 5. & 9.

Instrumentum publicatum à Notario deputato ad publicanda instrumenta plenam facit fidem, num. 5.

Productio scripturæ facta in vno iudicio probat in alio contra producentem, num. 6.

Obseruantia transactionis, & instrumenti facit vt eidem instrumento credatur etiam informi, num. 7.

Statutum laicorum non est attendendum in causis Ecclesiasticis, num. 8.

DECISIO CCXXVIII.

1 PEr decisionem coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto sub die 9. Iunij 1610. firmatum fuit, dominium bonorum Villæ nouæ per Marchionem de Carauaggio possessorum, circumscripto deuolutionis effectu ad Abbatiam Sancti Bartholomæi, & consequenter ad Illustrissimum Cardinalem Franciscum Commendatarium pertinere, quæ decisio potissimum nitebatur instrumento transactionis inter Cardinalem de Sancto Seuerino Commendatarium, & Ioannem Iacobum Triuultium de anno 1502. celebrato. Verùm Dominus Marchio cùm prætenderet, hoc instrumentum fidem non mereri; dubio per me proposito, fuit resolutum, illud esse in forma probanti. Ex eius enim lectura constat, omnia requisita ad publicum instrumentum interuenisse, & per consequens non videtur posse controuerti, quòd fidem mereatur. Specul. *de instrument. edit. §. breuiter num. 1.* Castr. *consi. 111. num. 1. lib. 1.* Roland. *consi. 44. num. 43. lib. 1.* Cardinalis Seraphin. *decis. 1236. num. 1.* & fuit dictum in Oriolen. confidentiæ 2. Martij 1592. coram Cardinali Pamphilio. Et cùm sit extractum ab ipsomet Notario, qui de illo fuerat rogatus, dicitur authenticum, & fidem facit; perinde, ac si matrix ipsa & primum originale exhiberetur. Bart. *in l. si quis ex argentarijs, §. Prætor ait, num. 1. ff. de edendo, & in auth. si quis in aliquo num. 3.* vbi Decius *num. 15* & cæteri scribentes, *Cod. eodem.* Felin. *in cap. finali num. 7. de fide instrument.* & fuit resolutum in causa Carthaginen. iurisdictionis 2. Decembris 1611. coram R. P. D. meo Pamphilio.

Notariatus Francisci de Badagio de tali instrumento rogati probatur, tum ex matricula Notariorum ciuitatis Mediolani, vbi descriptus ipse reperitur, vt per Bald. & alios *in l. scriniarios. Cod. de testament. militari.* Rom. *in l. in illa num. 19 ff. de verb. oblig.* Ias. *in l. Barbarius num. 56 ff. de officio Prætoris.* tum ex legalitate Collegij Notariorum eiusdem ciuitatis. Bald. *in l. comparationes. C. de fid. instrument.* & fuit dictum in causa Farfen. territorij 12. Iunij 1606. coram Penia. 2

Istius verò Notarij manus recognita probatur ex comparatione coram iudice compulsoriali facta, quæ recognitio admittitur, vbi agitur, vt in casu nostro, de scriptura sexaginta annorum spatium excedente. Aym. *de antiq. temp. part. 1. §. viso, num. 5.* Decian. *consi. 33. numero 110.* Put. *decis. 430. numero 3. lib. 2.* 3

Nec potest in dubium reuocari certitudo scripturæ, & signi, cum quibus facta fuit comparatio. Illa enim sufficienter iustificantur ex libro matriculæ Notariorum ciuitatis Mediolani, vbi Franciscus propria manu, & signo descriptus apparet, ex alleg. Quæ tanto magis hîc veniunt admittenda, cùm plura concurrant adminicula, quæ vbi agitur de antiqua scriptura, benè deseruiunt pro recognitione. Ant. August. *in epit. tit. coram, de fid. instrument. numero 16.* Caputaq. *decis. 5. part. 3.* Card. Seraphin. *decis. 928. part. 1. & decis. 1481. numero 2. part. 2.* & fuit dictum in Bononien. de Cataneis 11. Iunij præteriti coram R.P.D. meo Pirouano. 4

In primis autem Petrus Cella Notarius deputatus ad instrumenta publicanda per dictum Franciscum rogata, simile transactionis instrumentum dedit, quod non solùm pro adminiculo deseruit, verùm etiam illud publicum, & authenticum dicitur, perinde ac si ab ipsomet Notario rogato fuisset extractum. Iason *in authentic. si quis in aliquo, numero 5. in fin. in 10. fallent.* & Dec. *num. 26. C. de edendo.* Alex. *cons. 106. num. 9. lib 5.* Guido Pap. *decis. 2. num. in fine.* Menoch. *cons. 7. nu. 6. lib. 1.* 5

Vlteriùs ista transactio fuit in alio iudicio per Marchionis agentes producta, qui per illam etiam obtinuerunt, vnde magnum resultat adminiculum veritatis huius instrumenti. Crauett. *cons. 101 nu. 4.* Rota in dicta Bononien. de Cataneis coram R.P.D. meo Pirouano. 6

7 Accedit effectuatio, & obseruantia transactionis iuxta formam instrumenti, quæ operatur, vt scripturæ etiam informi fides adhibeatur. Bald. *cons.* 400. *numer.* 5. *lib.* 4. Aymon. *cons.* 101. *numero* 4. *& consil.* 58. *numero* 1. Rota *decis.* 113. *numero* 11. *&* 375. *numer.* 4. *part.* 1. *diuersor.* & fuit dictum in Bononien. S. Peregrini 18. Junij 1574. coram Robusterio.

8 Non obstat, qualitatem Notariatus dicti Badagij vigore statuti Mediolanen. per tres libros esse iustificandam. Eodem enim statuto eximuntur instrumenta inter clericos, vel pro rebus, & bonis Ecclesiasticis conficienda, & in omnem euentum illud vti laicorum ob defectum iurisdictionis in causis Ecclesiasticis attendendum non esset. *cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, de constit. cap. final. de reb. Eccles. non alienand.* Crot. *consi.* 75. *numero* 13. *lib.* 1. Verall. *decis.* 144. *part* 3.

9 Nec releuant exceptiones contra adminicula pro recognitione ponderata. Nam vltra quòd Rotæ visæ fuerunt admodum leues, non potest controuerti, quòd huiusmodi simul iunctis adminiculis res indubitata reddatur, iuxta notata per gloss. *in l.* 2. *in verbo legitimis. ff. de excusat. tutor.* gloss. *in cap. cùm causa, in verbo adminicula. de probat.* cum allegat. per Gabrielem *tit. de probat. conclus.* 1. *numero* 1.

R. P. D. PIROVANO.

Romana repetitionis pecuniarum. 4. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario.

SVMMARIVM.

Relationi tertij periti standum est, etiam si admissa sit per iudicem cum clausula, citra præiudicium ambarum partium, & quatenus de iure, *num.* 1.

Expensæ conculcantur, non quæ vtiliter fierent, sed quæ verè facta sunt, num. 2. *vide num.* 3.

Euidentia facti est cæteris maior probatio, ibid.

Periti dicuntur iudices, numero 4.

DECISIO CCXXIX.

Coactus fuit Ioannes Baptista Ianuarius mortuo bo. me. Cardinali Lanfranco, vti illius Magister domus, reddere rationem suæ villicationis, & tam criminaliter, quàm ciuiliter conuentus primò tanquam reus de laceratione & occultatione librorum administrationis fuit condemnatus per iudices deputatos in pœnam pecuniariam, & exilij, deinde respectu administrationis vti debitorem scut. 1991. ad eandem summam restituendam condemnarunt; sed prædicta sententia in gradu appellationis fuit reuocata, & quo ad criminalitatem vlteriùs non fuit processum stante renunciatione hæredum dicti Cardinalis.

Causa verò super repetitione pecuniarum ad Rotam deuoluta, in primis per peritum de consensu electum fuerunt positi calculi prætensorum creditorum vtriusque partis, & exinde dubitaui super credito Ianuarij, nempe

An partitæ relationis factæ in Rota super scut. 1552. & super 822. sint iustificatæ, & omissa secunda in alia disputatione discutienda, quoad primum affirmatiuè responderunt.

Quia iustificatur ex relatione tertij periti, qui instante Ianuario suam relationem dedit in actis die 20 Iunij 1614. præcedente iudicis decreto, & die 31. Iulij iudex mandauit aperiri; & quamuis addita fuerit clausula, *& citra præiudicium iurium ambarum partium, & quatenus de iure,* ita vt admissa videatur nisi in quantum de iure illi standum sit.

Regulariter tamen de iure relationi tertij periti standum est. *l. item si vnus, in fine. ff. de arbitr.* vbi glos. *in verbo pareat.* & eam sequuntur Bart. *ibidem num.* 3. Bald. *in fine. in* §. *principaliter. versic. Item quærit num.* 15. & idem Bald. *in l. vnica, post principium, numero* 5. *versic. Item est text. singularis. C. de ijs quæ pœn. nomin.* Socin. *consil.* 54. *numero* 2. *volum.* 1. & tenuit Rota in causa Saluiani interdicti 11. Ianuarij 1161. coram R. P. D. Manzanedo; & coram me in Vibeuetana statuæ 16. Decembris 1611.

Non obstat quòd iste peritus calculauerit totam fabricam, ac si tota fuisset confecta mediante persona ipsius Ioannis Baptistæ, & de omnibus cæmentis ab eo emptis, & tamen constare videatur ex testibus pro hæredibus examinatis quòd ante eius administrationem erat cœpta fabrica, & eadem administratione dimissa, fuit continuata.

Quia peritus benè distinguit in sua relatione, dicendo, *Visto, & considerato tutto quello che ha fatto fare il detto D. Giou. Battista.* Ideo cùm in ipsa relatione affirmatiuè ponantur partes æstimatæ tanquam fabricatæ ab ipso Ioan. Baptista, aliunde error est probandus, cùm simul esse possit quòd pars ædificij ab eo non fuerit fabricata, & eadem in calculo non fuerit posita.

Non obstat quòd ex alio appareat erronea relatio dum posuerit lapides & cæmenta in creditum ipsi Ianuario, & tamen eadem excauata fuerint in proprio viridario, & recollecta ex ruinis templi pacis, quia & de iis relatio dat causam dum hæc materia æstimatur, habito respectu ad operas excauationum, non autem ad verum valorem.

Non obstat quòd relatio adhuc Ianuario non suffragetur ad perfectam suæ administrationis probationem, cùm bo. me. Cardinalis neque eius hæredes teneantur pro eo quòd vtiliter impensum est, sed ad id quod verè impensum est, quòd per relationem non iustificatur prout necessarium est. Achil. *decis.* 1. *de probationibus.*

Quia cùm Ioannes Baptista coactus fuerit reddere rationem aliter quàm per librorum administrationis exhibitionem, nempe per euidentiam facti, quæ dicitur cæteris maior probatio. Afflict. *decis.* 107. *numero* 6. & per æstimationem rerum existentium iudicio peritorum, & Dominus Cardinalis consenserit huic modo redditionis computorum, & primam sententiam reportauerit liquidatoriam ad sui fauorem in summa scutorum 1991.

Non videtur hodie posse eundem modum improbare si contrario periti iudicio debitor fuerit declaratus, quia in hac parte periti iudices dicuntur. Riminal. iun. post Bart. & alios *cons.* 212. *num.* 16. *vol.* 2. & iudicium redditur in inuitum.

Et ita, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Ciuitatis Castelli supplementi legitimæ. Veneris 11. Martij 1616.

DECI-

DECISIO CCXXX.

Impressa est post Merlin. de legitima, decis. 31.

R. P. D. VBALDO.

Romana domorum. Veneris 11. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Læsio rescindens transactionem probanda est per eum, qui dicit se læsum, & qualis esse debeat. Transactio autem nullo dato, vel promisso, quando valida sit, & quid si facta fuerit super rebus super quibus nulla aderat lis.

SVMMARIVM.

Læsio rescindens transactionem probari debet ab eo, qui dicit se læsum, & qualis esse debeat ista læsio, numero 1.

Transactio, vt valida sit, requiritur vt aliquid detur, vel recipiatur. declara vt numer. 2.

Transactio non sustinetur facta super rebus, super quibus lis non aderat. declara vt num. 3.

Præsumitur de præterito ad præsens, quando hoc verum sit, num. 4.

Transactio iurata, & temporis spatio obseruata, habet præsumptionem pro se, ibid. vbi propterea quòd pro ea iudicandum est.

DECISIO CCXXXI.

1 Domini permanserunt in decisis 10. Iunij præteriti, ex rationibus in decisione adductis, & præcipuè ex eo quòd transactio de qua agitur, non fuit restricta ad solam prætensionem domorum, quæ fuerant à D. Marcello in transactione cessæ D. Cinthiæ, sed etiam fuit facta pro creditis Ioannis Baptistæ, & Marci de Magdalenis tanquam hæredum patris cum Marcello vti hærede Marci Antonij patris sui, & aliàs quomodolibet, & de omnibus aliis rebus, & prætensionibus sibi & fratri & matri etiam vigore gratiæ eis à Sanctissimo D. N. Papa concessæ, & alia quauis occasione, & causa cogitata & incogitata, vt in decisione, & ideo D. Marcello asserenti quòd de tempore transactionis Domini de Magdalenis non haberent iura, vel prætensiones super dd. domibus, nec ratione dictorum creditorum, ita vt fuerit læsus, & læsio fuerit qualis requiritur ad effectum rescindendæ transactionis, incumbit onus probandi, & quidem plenè & concludenter, Seraphin. *decis.* 638. *numero* 4. *&* 5. *& decis.* 1462. *numero* 1. Et firmatur in decisione, & læsio metienda est ex toto contractu, & prætensionibus in eo contentis, non autem ex defectu vnius, vel alterius, Doctor. *in l. si ex falsis. Cod. de transactionib.* Surd. *consi.* 217. *numer.* 6. *lib.* 2. & fuit dictum in vna Firmana laudi 4. huius mensis & anni coram me.

2 Non obstat exhibitio processus olim facti in Camera inter dictas partes coram Saluiato ad ostendendum, quòd lis non fuerat nisi super dictis domibus à Camera cessis ad fauorem Cinthiæ, non autem super aliis prætensionibus, quia fuit responsum contrarium apparere ex ipsa causæ commissione, in qua petitur à Cinthia & filiis committi in Camera non solùm executionem donationis ipsius Cameræ, sed etiam immissionis aliorum bonorum in donatione non comprehensorum, & à DD. de Lenis occupatorum, præsertim cùm appareat Cinthiam habuisse prætensionem super nonnullis bonis, quæ, vt constat ex testibus, fuerant alienata à Marco Antonio patre Marcelli, bona magni momenti, & sic intrare videbatur deuolutio ad fauorem fratris Thomæ, iuxta conuentionem inter ipsum, & Marcum Antonium initam de anno 1550. & consequenter ipsius Cameræ, cuius iura Cinthia per cessionem acquisiuerat, & sic cessat etiam illud quod dicebatur nihil fuisse datum Marcello in hac transactione, vt requiritur ad validitatem transactionis. *l. transactio nullo dato.* vbi Doctor. *C. de transact.* cum aliis adductis, quia sat est quòd fuit dimissa prætensio, quam habebat Cinthia super dictis bonis alienatis, & sufficit ad hunc effectum potuisse adesse timorem litis. *l.* 2 *C. de transactionib.* Ruin. *consil.* 126. *numer.* 16. *lib.* 3. Aym. *consil.* 707. *numero* 29. *lib.* 4.

Nec visum est obstare, quòd ex inspectione dicti processus non appareat de aliis creditis in transactione renunciatis, quòd essent in lite, sine qua transactio non sustinetur, ex allegatis, quia respondebatur ex hoc non esse probatam hanc negatiuam per necesse, videlicet non fuisse super reliquis creditis aliam litem, de qua potest constare ex aliis actis, Bald. *in l. final. numero* 5. & ibi Salyc. *num.* 2. *versic. nota igitur. C. de reb. credit.* Ruin. *consil.* 35. *num.* 19. *lib.* 1. Seraphin. *decis.* 889. *numer.* 5. *&* 6. & in omnem euentum cùm hæc transactio sit facta verbis amplissimis, sustineretur in vim transactionis quoad ea de quibus erat lis; quoad alia verò in vim pacti. Alexand. *consi.* 11. *numero* 8. *lib.* 2. Surd. *consi.* 267. *numer.* 6. *& seqq.* vbi loquitur in his terminis quando renunciatio erat facta cum illa clausula, *& quauis alia causa cogitata, vel incogitata,* & idem Surd. *decis.* 176. *numer.* 3. *& seqq.* Seraphin. *decis.* 737. *in fine part.* 1. præsertim cum iuramento & obligatione Camerali. Osasch. *decis. Pedemont.* 91. *numero* 24. vbi de communi. Et ita respondetur ad cons. Decij 351. & decis. in causa Camerinen. transactionis coram bo. mem. Iusto, quia non loquuntur in transactione concepta cum verbis ita amplis, & prægnantibus, nec examinant articulum, an sustineatur in vim pacti, prout examinat, & resoluit Surd. *vbi suprà,* & Seraphin. *d. decis.* 737. 3

Demum nec obstat instrumentum anni 1563. de nouo productum, quia licèt contineat solutionem residui dotis Cinthiæ, & nonnullorum censuum, non tamen ex eo necessariò infertur, quin post 20. annos, & sic tempore transactionis potuerint superuenire alia credita, quorum respectu potuerint prætensiones Cinthiæ & filiorum verificari, cùm hoc casu non bene de præterito arguatur ad præsens. Decian. *in cap. in præsentia num.* 168. *de probat.* & hoc tanto magis, quia in dicto instrumento non fit quitantia generalis, sed tantùm quoad causas ibi expressas, immò in eo soluuntur fructus pro censu, seu parapherno, & tamen non soluitur ipsum paraphernum, seu non restituitur capitale census, & ita adhuc remansit huiusmodi creditum, vltra quòd Cinthia reseruauit sibi ius consequendi fructus dotales à die mortis viri decursos, vt legitur in instrumento, quæ omnia iudicarunt 4

Domini esse eius momenti, vt saltem in dubio pro transactione iurata, & tanto temporis spatio obseruata sit respondendum. Aym. *cons.151.nu.33.* Surd. *cons.451.num.19. lib.3.*

Ex quibus Domini permanserunt in decisis, &c.

R.P.D. VBALDO.

Anconitana hereditatis. Veneris. 11. Martij 1616.

DECISIO CCXXXII.

Impressa est post Posth. tract. de manut. decis.5.

R. P. D. VBALDO.

Placentina salarij. Lunæ 14. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Correspectiui contractus dicuntur quando vnus fit propter alium, & vno cessante propter defectum causæ finalis, cessat & alius.

SVMMARIVM.

Correspectiui dicuntur contractus quando vnus fit propter alium, etiam diuerso tempore, nu.1.& 2.

Accessorio corruente, non corruit principale, declara vt numero 3.

Correspectiuitas contractuum operatur vt vno deficiente propter defectum causæ finalis, alius etiam deficiat, num. 3.

Procurator nunquid reuocari possit ab eo qui procuratorem reuocare non promisit, ibid. ad fin.

DECISIO CCXXXIII.

1 Domini censuerunt non esse recedendum à decisis in hac causa facta 24. Maij 1610. coram bo.me. Penia, & sic contractum inter Capitulum Placentin. & Doctorem Caxam gestum die 21. Nouembris 1605. ita esse correspectiuum ad mandatum procuræ eidem datum, vt corruente dicto mandato ob reuocationem à Capitulo factam, corruerit etiam ipse contractus: & mouebantur, quia contractus fuit factus in executionem præcedentis decreti in Capitulo Placentino obtenti, vt apparet ex verbis instrumenti, ibi, *in conformitate contentorum in dicto actu Capitulari*, & rursus ibi, *obligant, & obligarunt Dominos Decanum, & Capitulum, ac Mensam Capitularem quòd facient, & adimplebunt omnia contenta in dicto decreto*, &c. In dicto autem decreto continetur deliberatio de transmittendo D. Caxam ad vrbem pro negotiis Capituli cum assignatione certi salarij, & aliis pactis, & conditionibus, & in specie exprimendo quòd ei dabitur mandatum procuræ cum omnibus clausulis necessariis ad dicta negotia sollicitanda; ex quibus patet intentionem Capituli non aliam fuisse quàm constituere procuratorem ad sua negotia, & lites in vrbe tractandas; & proinde contractum verè fuisse correspectiuum ad mandatum. Surd. *decis.298. num. 11.& 12.* Verall. *decis.235. num.1. part.1.* Rota *decis.491. num.3. part.1. diuers.*

Neque obstat quòd fuerint facti diuerso tempore, quia diuersitas temporis non tollit correspectiuitatem duorum actuum, si aliàs vnus sit factus intuitu, & contemplatione alterius. Anchar. *consi.434. numero 3. vers. praeterea.* Aim. *consi.153. numer.8. versic. Idem si non incontinenti, & consi.156. num. 17. versic. Non obstat tertium.* Seraphin. *decis.619. num.7. part.1.* & fuit consideratum in hac causa 5. Iunij 1609. coram bo.me. Penia.

Nec videbatur applicari quòd corruente accessorio non corruat principale, ad Signorol. *consi.114. num.4.* cum allegatis; quia immò mandatum fuit causa principalis contractus, qui est potiùs quid consequutiuum ad mandatum, quàm è contra, cùm propter procurationem conueniatur de salario, & mercede, non autem propter contractum conueniatur de mandato, & ideo procuratio, seu mandatum dici potest principale, & sine quo contractus, tanquam ex defectu causæ finalis corruat necesse est, dato etiam quòd fuerit contractus nominatus, & vltro citróque obligatorius. *l. cùm te. C. de pact. int. empt. & vend.* Socin. *cons.26. numero 3. in fin. num. 4. lib.3.* Aim. *cons.142. num.9. & consi.192. numer.21. & consi.299. numer.1.* Bec. *consi.45. num.29. & seq.* Surd. *consi.68. numero 21. & consi.164. num.31.* & ideo nec applicatur *l. qui operas ff. locat.* cum simil. Quia esto quòd ista fuerit conductio operarum D. Caxæ; tamen quia fuit correspectiua, vel consecutiua ad mandatum, ex iam dictis, cessante mandato, & ipsa conductio cessare debet, non obstante quacunque promissione de non reuocando, cùm hoc sit speciale in mandato propter confidentiam quam procurator habere debet cum mandato. *cap. fin. de procur. in 6.* & latè ponit Seraphin. *de priuil. iuram. priuil.75. num.9. versi. praeterea dico*, & fuit dictum in ista causa 7. Maij 1607. & 5. Iunij 1609. coram Penia.

Et ita fuit decisum.

R.P.D. MARTINO ANDREA.

Nullius, seu Squillacen. iurisdictionis. Veneris 4. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

De quasi possessione iurisdictionis tam in temporalibus, quàm in spiritualibus ex pluribus concessionibus & priuilegiis & antiquissima obseruantia in præiudicium Episcopi præscripta, multa notanda, de quibus in summario: est magistralis decisio, & in ea exactissimè tractatur materia.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum non datur aduersus sententiam sine læsione, quæ cessat data iustitia sententiæ, nu.1.

Iurisdictionis quasi possessio tam in spiritualibus, quàm in temporalibus in præiudicium Episcopi probatur ex concessionibus, & priuilegiis à Sede Apostolica confirmatis, de quibus nu.1. versi. ex donationibus.

Ecclesia potest in vna diœcesi permanere, & tamen non esse de illa diœcesi, nu.2. vbi etiam quòd Ecclesia potest stare in vna prouincia, & tamē esse de alia diœcesi.

Prouinciæ nomen est generale, plures diœceses comprehendens, ibid. ad finem.

Sententia contra Episcopum probat etiam contra successorem quando Episcopus, ad quem spectabat defensio Ecclesiæ, permisit Archidiaconum agere, nu.5.

Sententia contra vnum lata, facit contra alios vehementissimam præsumptionem boni iuris concurrentem, præsertim illius antiquitate, & obseruantia, ibid. vers. & in omnem casum.

Dismembratio iurisdictionis ab vno loco, & ab aliquibus personis facta, & in alia loca aliásque personas translata, operatur vt dicta loca, & personæ, à quibus abdicata est iurisdictio, dicantur de territorio, & subditi illius in quem iurisdictio translata est, nu.6.

Verba in dubio accipienda sunt vt stent potius demonstratiuè, quàm taxatiuè, & limitatiuè, nu.8.

Enunciatiua verba non probant quando principaliter agitur de veritate enunciati, ibid. vers. vel non probant, & num. 9. vbi præsertim non concurrente aliquo adminiculo.

Territorium quando dicatur esse nullius diœcesis, nu.9. ad finem.

Enunciatiuæ plures à diuersis personis emanatæ & antiquissimæ plenè probant, etiam contra tertium, numer.10.

Sententia de antiquo vltra centum annos probat sine actis, ibid. in fine.

Dictio scilicet *quando stet restrictiuè, & quando ampliatiuè, & alia de natura huius distinctionis, n.13.*

Pertinentiarum appellatione veniunt omnia existentia in loco concreto, quamuis penitus separata, nu. 14. & 15. vbi alia ad materiam verbi pertinere.

Scientia, & consensus præsumuntur ex lapsu longi temporis, & ex multiplicitate actuum, num.16. & 18. vbi idem ex obseruantia.

Obseruantia declarat donationes & priuilegia, nu.17.

Apostolica confirmatio, & authoritas supplet requisitas à iure solemnitates, num.18.

Dispensationes matrimoniales, & excommunicationes pro reuelationibus in forma significauit, *per solam Sedem Apostolicam solis Episcopis deliguntur, numero 20.*

Episcopi contra exemptos in sua iurisdictione vigore Concilij Tridentini in quibusdam casibus iurisdictionem exercent, non vt Ordinarij, sed vt delegati Sedis Apostolicæ, ibid. in fine.

Seminarij contributio facienda est etiam ab Ecclesiasticis qui sunt nullius diœcesis, num.21.

Obseruantia præscripta tempore litis motæ non interrumpitur per contrariam obseruantiam, num.22. vbi quòd nec etiam interrumpitur quando sententia fertur pro possessore.

Priuilegia dicuntur realia, & non personalia, quando conceduntur locis, & bonis, non autem personis, n.24.

Priuilegia realia suffragantur personis ad quas bona, & loca priuilegiata deuenerunt, num.23. ad finem. & n. 24. vbi de eadem materia.

Priuilegia concessa personis habitantibus in loco, an extendantur ad futuras habitantes, num.24.

DECISIO CCXXXIV.

Lata sententia per Illustrissimum D. Card. Farnesium vigore commissionis cum clausula *appellatione remota*, in qua de voto DD. meorum Manzanedi & Pamphilij pronunciatum fuit omnimodam ordinariam iurisdictionem in spiritualibus, & temporalibus, quam habebant Episcopi Squillacen. antè, & de tempore donationis Theodori, Ioannis, & Donati in parochos & parochianos casalium Serræ, Spatulæ, Biungi, Montauri, & Gasparinæ spectasse, & spectare ad Priorem, & Monasterium sancti Stephani de Nemore venerabilis Congregationis Carthusien. eosdémque in eorum possessione, seu quasi iurisdictionis præfatæ fore, & esse manutenendum, illísque ex Apostolicis indultis licuisse, & licere consecrationes, chrisma, cæterásque Episcopalis officij indigentias, à quo voluerint Episcopo consequi, vt latiùs in sententiæ summario *num.* 9. Cùm aduersùs eam Episcopus non acquiescens causas restitutionis in integrum prout de iure, Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto de voto Rotæ committi obtinuisset pro eodem voto habendo, fuit dubitatum coram me, an constaret de iustis causis restitutionis in integrum. Et Domini vtraque parte informante non constare censuerunt, nisi obstet excessus quoad loca, de quo videatur. Nam ex donationibus tam Comitis Rhogerij, quàm Theodori, Ioannis, & Donati, Episcoporum Squillacen. à Sede Apostolica confirmatis, necnon ex priuilegiis eiusdem Sedis monasterio sancti Stephani concessis, vnà cum obseruantia subsequuta apparet manifestè de iustitia dictæ sententiæ, vnde cessat læsio, sine qua non datur restitutio. Rot. *decis.1. de restit. in integr. in nouiss.* Seraphin. *decis.*1238. *num.* 1. & fuit dictum in Cæsaraugustana fructuum 26. Iunij 1602. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & in Marsilien. pecuniaria 26. Iunij 1609. coram Reuerendissimo Bononien. & aliàs sæpe.

2 Nec pro læsione probanda suffragatur in sententia, loca de quibus agitur, enunciari Prouinciæ Rheginen. cuius contrarium, immò quòd sint in diœcesi Squillacen. patere dicebatur ex nonnullis ex dictis iuribus. Vnde licèt præfatæ donationes, ac priuilegia, & confirmationes Apostolicæ continerent exemptionem quantumuis amplissimam, ita quòd dicta loca vti exempta non essent amplius de diœcesi, attamen in diœcesi permanebant. *cap. cùm Episcopus*, & ibi Geminian. *num.* 3. Franc. *num.2. de offic. ordin. in* 6. cum aliis adductis in Constantien. iurisdictionis 18. Maij 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten. & sic per informantes, quia simul stare possunt quòd dicta loca sint in prouincia Rheginen. & nihilominus sint in diœcesi Squillacen. ex quo prouinciæ nomen est generale, plures comprehendens sub se diœceses. *cap.* 2. 6. *quæst.* 3. Bart. *in Extrauag. qui sint rebelles.* §. *Lombardia num.*7. Ruin. *cons.22. num.4. & 5. lib.*1. & habetur in prouinciali omnium Ecclesiarum, in quo Squillacen. Episcopus est descriptus inter alios suffraganeos Archiepiscopi Rheginen.

3 Præterea dicta casalia non fuerunt simpliciter exempta à iurisdictione Episcopi Squillacen. verùm etiam cum omnibus suis hominibus tam de Clero, quàm de populo subiecta monasterio sancti Stephani, & illius Priori, quibus per Episcopos Squillacen. fuit concessum omne ius, omnísque iurisdictio, & correctio quæ in dictis casalibus ipsis competebat, adeò quòd Episcopi nullum ius sibi retinuerint in eis, etiam quoad consecrationes, ordinationes, cæterásque Episcopalis officij indigentias, quas à quocunque voluerint Episcopo recipiendi eis tribuerunt facultatem, vt in donationibus præfatorum Theodori, Ioannis, & Donati, ac confirmationibus Apostolicis Vrbani II.

& Honorij III. aliorũ nque Pontificum, *summ. numer.2. & 3.*

4 Quod etiam patet ex antiquissima sententia lata de anno 1283. per Cantorem Caracen. delegatum Apostolicum *eod. summario num.4.* In qua narratis, ac visis donationibus, & confirmationibus supradictis, necnon examinatis testibus, declaratur Syndicum dicti monasterij liquidè, & plenariè suam intentionem probasse, videlicet, quòd spiritualia præfatorum casalium pleno iure spectabant ad monasterium, & à longis retro temporibus vsque tunc ab eo pacificè tenebantur, & possidebantur.

5 Quæ sententia etsi lata fuerit inter Priorem monasterij, & Archidiaconum Squillacen. & sic inter alios: attamen plenè probat contra modernum D. Episcopum, ex quo illius Prædecessor, ad quem primo loco spectabat defensio, permisit Archidiaconum agere. *cap.penult.de re iudic. l. sæpe ff. eodem.* & quia dicta sententia fuit lata in causa status. *l. ingenuum ff. de stat. homin.* Alexand. *in d.l.sæpe, numero 56.* Achil. *decis. 5. de sentent. & re iudicat.* Seraphin. *decis. 1421. numer. 8.* & in omnem casum facit vehementissimam præsumptionem boni iuris, vt ait Seraphin. *vbi supra, in versic. Verum.* Put. *decis. 133. in fine lib.1.* Concurrente maximè illius antiquitate, & obseruantia circa exercitium omnimodæ iurisdictionis in casalibus præfatis quæ obseruantia, & antiqua possessio monasterij optimè probatur tam ex testibus pro illius parte formiter examinatis, *summario nu. 6. 7. & 8* quàm ex authenticis scripturis in processu *à fol 209. vsque ad 240.*

6 Vnde sequitur, quòd cùm omnis iurisdictio, quæ Episcopo in dictis locis competebat, fuerit ab eo totaliter abdicata, & in Priorem ac monasterium translata, dicta loca & casalia fuerunt effecta proprium territorium ipsius monasterij, & non sunt ampliùs neque de diœcesi, neque in diœcesi Squillacen. gloss. *in Clem.1. § volumus, in verbo diœcesanis*, & ibi Cardin. *numero 2. in 4. quæst.* Abb. *numero 15.* Imol. *numero 28.* Vital. *numero 4. de fo. competen.* Ancharan. *in cap. postulasti numero 45. versic. licet rationes, eod. tit.* Franc. *in cap. 2. §. statuto numero 10. ad finem versic. Sed si per priuilegium, de constit. in 6.* Rot. *decis. 207. in fine part. 2. diuersorum*, & fuit resolutum in nullius iurisdictionis 19. Martij 1586. coram Bubalo, & in Vrbinaten. iurisdictionis 4 Maij 1594. coram Gipsio, & in Burgen. iurisdictionis 16. Decembris 1594. & 18 Aprilis 1595. coram Orano. & in nullius, seu Lucen. iurisdictionis 12. Februarij 1596. coram Mantica, & in Constantien. iurisdictionis 16. Nouembr. 1607 coram Reuerendissimo Attrebaten. & nouissimè in Adrien. seu nullius iurisdictionis 8 Maij 1612. & 21. Martij 1613. coram R P D. meo Vbaldo.

7 Hinc patet responsio ad aliam decisionem Reuerendissimi Attrebaten. in causa Constantien. iurisdictionis 8 Maij 1611. quia dicta decisio fuit facta cum præsupposito quòd parochiales, de quibus ibi agebatur, essent in diœcesi Constantien. & priuilegia, quibus Abbas sancti Galli nitebatur, solùm continebant simplicem exemptionem, & eam restrictam ad monasteria, & eorum membra, non autem ad loca, ad castra, siue populum; & denique ibi non fuerat abdicatum omne ius Episcopale, & translatum in Abbatem, prout hæc omnia in contrarium se habent in casu nostro.

8 Illa igitur enunciatio in prima donatione Comitis Rhogerij, & aliæ in confirmationibus Vrbani, & Honorij, ac in dicta sententia delegati quatenus dicta casalia enunciantur diœcesis Squillacen. referri potest ad tempus antequam essent nullius diœcesis, vel dicta verba stant demonstratiuè, vt in dubio accipienda sunt non taxatiuè, nec limitatiuè. Bart. *in l. cùm pater. §. mensæ numero 8. ff de legat.2.* Decian. *consil. 183 numero 1. vers. Et ad hoc facit, & consil. 468. numero 3.* Crauett. *consil. 301. numero 5.* Cephal. *consil. 157. numero 37.* Vel non probant quando, prout in hoc casu, principaliter agitur de veritate enunciati. Put. *decis. 381. in fine, lib. 1.* Verall. *decis. 19. numero 4. part. 2.* & in specie fuit dictum in Lucen. seu nullius iurisdictionis 4. Maij 1598. coram Seraphino inter impressas *decis. 1278. numero 2.* & in dicta Adrien. seu nullius, coram D. Vbaldo.

Stante maximè quòd non concurrit aliquod adminiculum longæuæ possessionis pro Episcopo, sed pro Priore & monasterio, vt esse necessarium dixit Rota in dicta Adrien. Et in omnem euentum postquam monasterium retinet territorium distinctum per vnam Leucam, in quo extant dicta loca vnà cum iurisdictione quasi Episcopali in homines tam de clero, quàm de populo, vt in trina donatione Comitis Rhogerij *summario numero 1.* & in dictis concessionibus Episcoporum Squillacen. Apostolica authoritate vallatis, sequitur manifestè dictum monasterium & dicta loca & casalia esse verè & realiter nullius, etiamsi dictum territorium sit circundatum limitibus Episcopatus Squillacen. vt in puncto fuit dictum in Calaguritan. seu nullius iurisdictionis 7. Februarij 1607. coram Reuerendissimo Attrebaten. per gloss. *in dicta clementina 1. §. volumus, in verbo diœcesanis*, cum aliis ibi allegatis.

Non obstat quòd sententia declaret, ad monasterium spectare omnimodam iurisdictionem quam habebant Theodorus, Ioannes, & Donatus Episcopi Squillacen. & tamen de priuilegio Theodori non constet, nec constare possit, quia fratres loca de quibus agitur, in tempore Theodori nondum acquisiuerant: priuilegium autem Ioannis loquatur tantummodo de loco Arsafiæ: tertium verò priuilegium Donati videatur restrictum ad eundem locum Arsafiæ, scilicet Montaurum, Liuianum, & Aruncum, non autem ad castra Gasparinæ, & aliorum locorum, de quibus in sententia. Nam quoad priuilegium Theodori, satis illud probatur ex narratiua Episcoporum Ioannis & Donati, necnon ex confirmatione Honorij III. & narratiua sententiæ dicti iudicis Apostolici de anno 1283. quæ quidem enunciatiuæ cùm sint plures, & à diuersis personis emanatæ, & antiquissimæ, plenè probant etiam contra tertium. Bald. *in l. cùm aliquis, num. 4. versic. Item quod dicit*, Salicet. *numer. 3. versic. si tamen plura* Castren. *num.7.* Ias. *num.4. Cod. de iur. delib.* Aretin. *in cap. cùm causam, num.23. de probationib.* Crauett. *de antiq. 1. part. §. ampliatur numer.14.* Mantic. *de tacit. & amb. g. lib 2 tit.6. numer. 21.* Put. *decis 209. numer. 1. & decis. 359. in fine lib.2.* Verall. *decis. 337. numero 6. & decis 344. numero 2. part. 3.* Rota *decis. 684. numero 1. part.1. diuersorum*, & præsertim, quia in dicta sententia non solùm enunciantur donationes omnium supradictorum Episcoporum, sed etiam affirmatiuè dicitur de illis per instrumentum eorundem Episcoporum euidenter ipsi iudici constitisse, & cùm dicta sententia sit de antiquo non solùm vltra centum, verùm

verùm etiam 300. annos, probat etiam sine actis. Bald.*in l. emancipatione*, *num.36.de fid.instr umento*. Alexand.*cons.30.num.7.lib.5*.Dec.*cons.375.num.3*. Gabr. *de sentent.conclus.4.num.34*. Cassad.*decis.3.sub num.2. de procurat*.Put.*decis.338.lib.2*. Ant. Augustin.*decisio.145.lib.3*.& fuit sæpissimè resolutum.

11 Quo verò ad priuilegia Ioannis, & Donati, quòd scilicet verè comprehendant dicta loca & casalia, prout illa cõprehendebat etiam priuilegium Theodori, patet ex eo, quia dicta tria priuilegia confirmant donationem à Comite Rhogerio factam Beato Brunoni de monasterio, & loco Arsafiæ cùm omnibus pertinentiis suis in spatium vnius leucæ pro dote dicti monasterij, qui locus *Arsafiæ* licèt non exprimatur in prima donatione, tamen exprimitur in secunda, & in vtraque designatur, & nominatim circumscribitur situs dicti loci, videlicet inter locum Arenæ,& oppidum Styli super territorio dicti loci Styli, prout etiam exprimitur in tertia donatione. Dicta autem prima donatio fuit confirmata per Vrbanum II. & Episcopum Theodorum, vt in ea dicitur, & successiuè tam prima, quàm reliquæ per dictum Vrbanum, per Ioannem,& Donatum Episcopos, ac demum per Honorium III. *summario num.1.& 2*. Ita quòd sumus certi quòd dictum monasterium & dictus locus Arsafiæ existit inter Arenam, & oppidum Styli, & in territorio dicti oppidi Styli.

12 Vnde cùm Episcopus in sua septima positione,& testes super ea inducti *summario num.10*. concludentissimè probent quòd dictum monasterium,& casalia terræ Spatulæ & Brungi sint intra territorium eiusdem oppidi Styli, & quòd Montaurum, & Gasparinam habeamus donationem tertiam Rhogerij confirmatam, in qua specificè dicta casalia nominantur. Vtique necesse est fateamur, quòd omnia dicta loca fuerunt comprehensa in dictis priuilegiis Episcoporum Squillacen. & confirmationibus Apostolicis, ac propterea dicta sententia D. Cardinalis in aliquo non grauauit.

13 Vlteriùs, etsi in priuilegio Donati fiat mentio de loco Arsafiæ, scilicet, Montauro, Leuiano,& Aruneo, tamen per illam dictionem *scilicet*, non restringitur concessio, sed potiùs ampliatur, prout est de natura illius dictionis, quæ regulatur secundùm subiectam materiam, vt dicit Fulgos.*cons.147.nu.2*. & propterea cùm subiecta materia in casu nostro non admittat quòd ista dictio *videlicet* stet restrictiuè, quia non concordaret cum præcedentibus donationibus ibidem confirmatis. Ideo potiùs dicendum est quòd stet declaratiuè, & quòd propterea non excludat alia casalia, vt in puncto declarat Dec.*cons.47.num.2.vers.sed prædictis*, vbi dicit quòd in istis terminis illa dictio *videlicet* debet intelligi declaratiuè, ita vt non excludat alia loca sita in territorio & contenta in dispositione, ad quam fuit habita relatio.

14 Et tanto magis, quia in dicto priuilegio Donati post expressionem loci Arsafiæ, Montauri, Liuiani, & Arunci sequuntur alia verba generalia, *cum omnibus pertinẽtiis suis*,&c. prout in alio priuilegio Ioannis,& in donatione Comitis Rhogerij, ad quam se referunt dicta verba, & similia reperiuntur expressa, quarum pertinentiarum appellatione veniunt omnia ibi existentia, quamuis sint penitus separata, *l. si quando la 1.Cod.de bon.vacan.lib.10*. Bald.*in cap.1.num.2.de capit.qui cur.vend*. Mandell.*cons.322. numero 34*. & quicquid concedens ibi habebat. Alexand.*cons.105.numer.2. lib.6*.

Immò licèt de eo tempore nondum existerent omnia dicta casalia, sed aliqua postmodum fuissent fabricata, vt de casali Serræ deponit Ioannes Baptista Spatea Notarius super 81. interrogatorio; nihilominus in dictis priuilegiis, & donationibus adhuc essent comprehensa. *l.verbum illud pertinere, in fine. ff. de verb. signif*. Paris.*cons.58.num.43.lib.3*. Decian.*cons.123.num.18.eod.lib.3*. Præsertim quia in priuilegiis dictorum Ioannis,& Donati leguntur hæc verba, *cum omnibus pertinentijs, & cum omnibus hominibus tam de Clero, quàm de populo, quos ad præsens præfatum monasterium habet, vel in posterum habiturum est. De extraneis quoque omnibus, qui in potestate ipsius monasterij habitant, vel habitaturi sunt*. 15

Omnis denique cessat difficultas ex antiquissima obseruantia subsequuta, & vsque de præsenti continuata, ex qua apparet monasterium semper, & continuè omnimodam iurisdictionem spiritualem & temporalem in dictis casalibus exercuisse, & exercere, vt in dicta sententia delegata de anno 1285. & depositionibus testium pro parte monasterij examinatorum, quorum aliqui non solùm deponunt de scientia & patientia Episcoporum, sed etiam de actibus positiuis. Vltra quòd dicta scientia præsumitur ex lapsu longi temporis. Rot.*decis.28.num.7. & decis.147.num.3.part.1.diuers*. vbi quòd in pluribus causis ita fuit resolutum, *& decis.166. num.2. vers.secundò ex lapsu temporis, ead.part.1*. & fuit dictum in Hispalen. legitimitatis 11. Maij 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo, quemadmodum præsumitur ex actuum multiplicitate. Abb.*in cap.cum Ecclesia, num.25. de caus. possess. & propriet*. Aym.*de antiquit. tempor. part.4.§.materia, num.62*. Put.*decis.217.in fin. & decis.264. num. 2. versic. Concurrebat etiam lib.1*. Rot.*d.decis.166 nu.4.part.1*. Seraph.*decis.306.num.7*. & fuit resolutum in Calaguritana iurisdictionis de Ognaten 7. Maij 1610. coram Illustrissimo Lancellotto. 16

Quæ obseruantia declarat quid in præfatis donationibus & priuilegijs fuit actum, & verbis comprehensum. *l. sed & Julianus. §. proinde ff. ad Macedon*. Castr.*cons.347.num.4.lib.1*. Crauett.*consil.101.num.3.& cons.11.num.8*. Gabr.*cons.66.nu.24.lib.2*. Rot.*diuers.decis.571.num.3.part.1*. Seraph.*decis.600.num.3*. & in terminis de interpretatione verbi pertinentiarum, ex obseruantia post concessionem tradit Mandell.*cons.538.num.9*. 17

Vnde etiam tollitur aliud obiectum de defectu consensus Capituli in priuilegijs Ioannis & Donati, in quibus neque etiam fuit enunciatus, aut reseruatus. Nam vltra quòd interuenisse narratur in litteris Honorij III. & in dicta sententia, & omisso quòd Apostolica authoritas, de qua in confirmationibus Vrbani II.& dicti Honorij III. supplet istam, & alias solemnitates. Abb.*cons.41.num.3.lib.1*. sæpiùs canonizato, & in specie de hoc defectu consensus Capituli tradit Capyc.*decis.16. num.1. in fine & seq*. Rebuff.*in comp.alien.rer.Eccles.num.15.versic. Fallit quando Papa, & num.95.in fine*. Seraph.*decis.338.nu.2. & 3*. Ex dicta temporis antiquitate vnà cùm longissima & antiquissima obseruantia, dictus consensus interuenisse præsumitur, etiam quòd in dictis priuilegiis enunciatus, aut reseruatus non appareat. Alexand.*cons.79. num.3. in fine & seq.lib.1. & cons.99.num.34.lib.2*.Gozad.*cons.73.num.29*.Cephal.*cons.47.num.10.& seq.& cons.90.in fine*. Surd.*consil.28.num.116*. & hanc sententiam esse communem, & 18

veram, ait Felin. *in cap. Albericus num. 4. in fine versic. si autem in instrumento. de testibus.* idem *in cap. sicut nu. 33. versic. septimò & vltimò, de re iudic.* Redoan. *de reb. Eccles. non alienan. quæst. 39. num. 3. & 29. in fine,* quam etiam perpetuò sequuta est Rota, attestante Seraphino *decis.* 142. *num.* 3. & constat ex Put. *decis.* 355. *nu.* 2. *lib.* 1. & *decis.* 365. *nu.* 7. *lib.* 2. & ex aliis antiquis & modernis decisionibus, vt in Conchen. fructuum 10. Februarij 1586. coram Gipsio. Tarraconen. Sacristiæ 9. Iunij 1600. coram Iusto, Papien. bonorum 10. Maij 1602. coram bo. me. Cardinali Pamphilio, Calaguritana de Alberite 16. Iunij 1608. coram Reuerendissimo Attrebaten. & in Papien. dotis & legatorum 20. Decembris 1610. & 16. Iunij 1611. coram R. P. D. meo Pamphilio, in quibus & aliæ referuntur.

19 Defectus autem consensus Apostolici gratis allegatur, cùm ne dum fuerit enunciatus in prima donatione Comitis Rhogerij, sed etiam expresè adsint confirmationes Vrbani II. & Honorij III. *summario num.* 3. In quibus tam præfatæ donationes Rhogerij, quàm priuilegia & concessiones Ioannis, & Donati confirmantur, & nihilominus ille præsumeretur ex diuturnitate temporis quingentorum annorum, iuncta obseruantia perpetua & inconcussa, etiam quòd reseruatus non fuisset, ex prædictis.

20 Non obstat prætensa inobseruantia, quia non probatur. nam quoad ordinum collationes, Ecclesiarum consecrationes, & alias Episcopalis officij indigentias, potest monasterium ex indultis Apostolicis ea à quocumque maluerit Episcopo petere & exercere facere. Quo verò ad dispensationes matrimoniales, & excommunicationes pro reuelationibus in forma significauit, ea per Sedem Apostolicam solis Episcopis diriguntur, & propterea ipsi D. Episcopo suffragari non possunt, vt in simili fuit dictum in illa Adrien. seu nullius iurisdictionis 28. Maij 1612. & 18. Martij 1613. coram R. P. D. meo Vbaldo. Quòd autem D. Episcopus in multis casibus hodie vigore Concilij possit exercere suam iurisdictionem in exemptos, & qui sunt nullius, hoc in sententia non fuit ademptum, & ideo non grauauit, cùm Episcopi in dictis casibus non procedant vti Ordinarij, sed tanquam Delegati Sedis Apostolicæ, vt fuit in specie consideratum in eadem causa.

21 Nec subsistit in facto quòd aliqua lis vnquam fuerit ab anno 1566. inter Priorem, & Episcopum super iurisdictione ista, nisi ab anno 1597. citrà, vt in litteris Cardinalis Alexandrini summario Episcopi *num.* 9. quæ magis videtur fuisse extraiudicialis, & de facto quousque de anno 1606. hæc causa fuit commissa, & actus ex aduerso allegati *summario num.* 8. sunt super contributione seminarij, quæ nihil commune habet cum iurisdictione, cùm ad contributionem seminarij teneantur etiam qui sunt nullius diœcesis, si aliter non sint exempti, vt ex decreto sacri Concilij *sess.* 23. *cap.* 18. *circa med.* firmauit Rota in dicta causa Adrien. seu nullius iurisdictionis 28. Maij 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo.

22 Et quicquid sit de initio istius litis, & omisso quòd illa obseruantia iam fuerat præscripta de tempore litis motæ; vnde non potuit interrumpi. Card. *cons.* 131. *num.* 4. Abb. *in cap. auditis nu.* 10. *de præscriptionib.* Felin. *in c. illud, n.* 13 *eod. tit.* Cùm appareat manifestè de antiquissima Prioris & monasterii quasi possessione iurisdictionis præfatæ, quã etiam post litem iure medio continuarunt, ac demum fauorabilem sententiam obtinuerunt, huiusmodi lis ad interrumpendam eorum quasi possessionem obesse non potuit, quia interruptio non inducitur per litem quando sententia fertur pro possessore. Felin. *in d. c. illud nu.* 17. *in* 14. *conclus.* Balb. *de præscriptionib.* 6. *part. princip.* 3. *part. qu.* 4. *num.* 37. Rota *decis.* 534. *nu.* 6. *part.* 1. *diuers.* Card. Seraph. *decis.* 1027. *num.* 14. *&* *decis.* 1273. *num.* 3.

Postremo non obstat quòd per mutationem Monachorum Carthusiensium, & inductionem Cisterciensium in dicto monasterio fuerint extincta priuilegia ipsis Carthusiensibus, vt suprà, concessa, & licèt deinde suppresso ordine Cisterciensium post annos 300. superuenerit priuilegium Leonis X. de nouo concedentis domum sancti Stephani dictis Carthusiensibus: attamen hoc fuit cum solis priuilegiis quæ ipsi habebant in aliis eorum domibus, inter quæ non probatur adesse priuilegia Episcopalia. Nam vltra quòd dicta concessio Leonis de præfata domo facta fuit cum omnibus & singulis eius mobilibus, & immobilibus, bonis, iuribus, & pertinentiis suis, vt in ea legitur expresè, cùm dicta priuilegia, vt constat ex præfatis donationibus, & concessionibus Episcoporum Squillacen. ac confirmationibus Apostolicis, fuerint concessa ipsi monasterio, necnon locis, ac bonis eidem donatis, & sic rebus, & non personis; ideo fuerunt realia & perpetua, & consequenter illa suffragantur Priori, è Monachis sancti Stephani de Nemore, ad quos monasterium, & loca, bonaque præfata deuenerunt. *l. autem. §. fin. l. formam, §. quamquam ff. de censib.* Rot. *decis.* 4. *de priuileg. in antiq.* Dyn. *in reg. priuilegium num.* 7. & ibi Ioan. Andr. *num.* 1. *in* 4. *cas.* Franc. *num.* 3. *in fine vers. aliquando, &* 4. *de reg. iur. in* 6. Bart. *in l.* 1. *num.* 2. *ad finem versic. si verò priuilegium conceditur rei, & seq. ff. de constit. Princ.* Anchar. *cons.* 327. *num.* 2. *versic. primò namque.* Natt. *cons.* 727. *num.* 12. *& seq.* Idem *cons.* 649. *num.* 16. *&* 17. Menoch. *cons.* 276. *num.* 8. *& præsumpt.* 103. *num.* 24. *lib.* 3. Surd. *consil.* 525. *num.* 16. vbi alios cumulat. Schrader. *cons.* 25. *num.* 62. *versic. Deinde quoque, lib.* 2.

Et tanto magis, quia dictum monasterium & dicta loca & bona fuerunt donata, & confirmata Beato Brunoni, illiusque sociis, & successoribus, ac cum omnibus hominibus tam de Clero, quàm de populo, quos tunc prædictum monasterium habebat, vel in posterum esset de extraneis quoque tunc habitantibus & habitaturis. Vnde sine dubio illa priuilegia competunt Carthusianis ibi hodie degentibus, & in homines tam de Clero, quàm de populo, & extraneos omnes ibi nunc habitantes. Bald. *cons.* 159. *num* 4. *vers. Primò namque lib.* 3. Crauett. *cons.* 404. *num.* 5. latè Schrader. *vbi suprà num.* 62. *versic. Et hoc potissimum, & versic. Idem est.* Menoch. *dicta præsumpt.* 103. *num.* 44. *versic. nonò sumitur, lib.* 3. Etiam quòd dicti Carthusienses òlim exinde recesserint, attento quòd postea ad eundem locum fuerunt per Leonem X. reintegrati, & dicta priuilegia, ordinem, & personam Monachorum non respiciunt, sed fuerunt concessa monasterio, seu loco, & ipsius bonis. Innoc. *in cap. Abbate in fine.* Butr. *nu.* 22. Abb. *nu.* 16. *ad fin. de verb. signif.* Franc. in istis terminis *in cap. cùm personæ. §. fin. nu.* 4. *versic. sed si ipsa Ecclesia. & versic. si verò Papa, de priuileg. in* 6. Prob. ad Monach. *in cap. cùm de beneficio num.* 47. *& sequen. de præben. eod. lib.*

Quinimmò dicta priuilegia realiter nunquam fuerunt

fuerunt extincta, cùm etiam Monachi Cistercienses dum in monasterio permanserunt, dictis priuilegiis ex cessione Honorij II. & aliorum prædecessorum gauisi fuerunt, vt in dicta confirmatione Honorij III. *summario num.3.* Ex quibus ita decisum vnanimiter, non constare de causis restitutionis in integrum. Et licèt ex prædictis non videretur adesse aliquis excessus in sententia, quoad omnia quinque loca, & casalia, de quibus in ea; Domini tamen pro sua prudentia, & maturitate reseruarunt, vt de hoc particulariter videretur.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana legitimæ. Veneris 18. *Martij* 1616.

ARGVMENTVM.

Alienata per filium post mortem patris imputantur in eius legitimam, si bona fide alienata fuerunt, & quando dicantur bona fide alienata, & plura alia notabilia in materia legitimæ filio assignandæ.

SVMMARIVM.

Legitima detrahenda est ex singulis corporibus hæreditarijs, num.1. vbi declaratur quomodo procedat hæc conclusio, nempe quòd potest detrahi in vno, vel pluribus corporibus hæreditarijs, ne vniuersi patrimonij substantia dilacerari contingat, legitimæ imputatur id totum quod filius bona fide alienauit, num.2. & 3. vbi quòd hoc habet locum etiam fideicommissario contradicente.

Filius alienare dicitur bona hæreditaria patris bona fide pro sua legitima, quando alienat bona minus pretiosa, & minus vtilia, num.4. & 11. vbi de eadem materia.

Feudalia bona dicuntur pretiosiora aliorum bonorum hæreditariorum, num.4. & 10.

Bona hæreditaria quænam dicantur pretiosiora, meliora, & vtiliora aliorum bonorum, num.4. & seqq.

Prohibita alienari non possunt per filium alienari ad computum legitimæ, num.8.

Domus paterna ob æs alienum patris alienari non potest, quando adsunt alia bona, nu.9.

Feudum emptum per patrem nomine filij imputatur in eius legitimam. declara vt num.13. & nu.15.

Legitimam filius recipere non cogitur in pecunia, n.13.

Legitima filio solui non debet in vita patris, nu.14.

Nepos consequitur legitimam in bonis aui ex propria persona, num.14. vers. & dux.

Legitimæ imputari an debeat pecunia soluta per patrem pro pœna filij delinquentis, num.17.

DECISIO CCXXXV.

1 Firmata sub die octaua Februarij præteriti quantitate bonorum hæreditariorum Cardinalis ab Altaemps, & per consequens legitimæ ad fauorem Excellentissimi Ducis Ioannis Angeli detrahendæ, dubitaui an castrum Montis Compatrum, & alia bona comprehensa in instrumento venditionis Illustrissimo Cardinali Burghesio factæ, veniant in eiusdem Ducis legitimam imputanda. Et Rotæ visum fuit affirmatiuè respondendum. nam licèt in singulis hæreditariis corporibus legitima debeatur, vt post Odofredum Bald. *in l. filius quem, nu.*28. Fulgos. *num.*4. Salicet. *num.*11. *C. famil. ercisc.* Ne tamen vniuersi patrimonij substantiam dilacerari contingat, eadem in vno, vel pluribus corporibus hæreditariis venit assignanda. Bald. *in d. l. filius quem, num.* 28. *vers. tenendo ergo.* Fulgos. *nu.*4. *vers. aut ergo quæro.* Salicet. *nu.*11. *vers. sed ex æquitate. C. famil. ercisc.* Picus *in l. in quartam num.*131. *&* 134. *ff. ad leg. falcid.* Couar. *in cap. Raynaldus* §. 1. *num.*5. *de testam.* Old. ad. *cons.*113 *num.*2. Paul. de Castr. *inter cons. vlt. volunt. cons.*82. *nu.*12. Peregrin. *de fideicommiss. art.*36. *num.*54. Put. *decis.*420. *lib.*1.

Immò si filius bona fide aliquid hæreditatis alienauit, id totum debet in legitimam imputari, *leg. Marcellus* §. *res quæ*, vbi Bart. Alexand. & omnes, *ff. ad Trebell.* Bald. *in l. iubemus num.*10. *C. eod.* Aretin. *cons.*18. *num.*5. Paris. 44. *nu.* 46. *lib.*2. Guidopap. *decis.* 606. *in princ.* Cephal. *cons.*189. *nu.*19. Ripa *in l. in quartam nu.*120. & ibi Ang. *sub num.*3. *vers. Adde.* Imol. *num.*5. Picus *num.* 112. *ff. ad l. falcid.* Crass. *de legit. qu.* 17. *num.*4. *&* 6. Peregrin. *art.*39. *num* 2 Gabr. *tit de legit. conclus.*4. *num.*49. Menoch. *cons.*431. *nu.*45. *& seq. lib.*3. Grammat. *decis.*93. *num.*9. Cuccus *de legit. rubr. quibus in rebus constitui possit legit.* §. *vnum quia dictum est num.*98. & de communi testantur Angel. *in dicta l. in quartam num.*3. Idem *in d.* §. *res quæ num.* 2. Socin. *cons.*36. *num.*2. *lib.*3. Aretin. *eodem cons.*18 *num.*5. Picus *dicta l. in* 4. *num.*112. Rub. Alex. *cons.*157. *num.*1. Paris. *consil.*17. *num.*33 *cons.*52. *num.*29. *lib.*2. *cons.*18. *nu.*110. *& cons.*93. *num.*58. *lib.*3. Socin. iun. *cons.*136. *num.*14. *lib.*1. Riminald. sen. *cons.*160. *num.*6. *vers. & ita in indiuiduo lib.*1. Gabr. *de legit. conclus.*4 *num.*9. Crass. §. *legitima qu.*17. *num.* 4.

Quod etiam, fideicommissario contradicente, locum habet. Bart. *in dicta l. Marcellus* §. *res quæ nu.*2. vbi Paul. de Castr. *num.*3. *versic. in legitimam verò debitam.* Alberic. *in fine versic. Secus credo.* Imol. *num.*10. *vers. & adde*, Ias. *num.*12. *vers. in legitimam.* Socin. *nu.* 13. *vers. ex quibus.* Cynus *in auth. res quæ num.*7. *vers. sed pone. C. com. de leg.* Bald. *in d. l. filius quem num.*28. Imol. *in dicta l. in quartam num.*5. *&* 6. Ripa *num.*120. Ruin. *num.*22. Fabian. *in auth. nouissima nu.*139. *& seq. C. de inoffic. testam.* Bald *cons.*217. *vers. sed si res non est integra, lib.*1. *& consil.*367. *num.*2. *lib.*4. Alexand. *consil.* 184. *num.*6. *vers. in legitimam lib* 2. *& cons.*3. *num.*6. *in fine lib.*3. Cuman. *consil.*133. *num.*3. Bertrand. *consil.*23. *num.*2. *lib.*2. Capra *consil.*46. *num.*13. *& cons.*92 *nu.*12. *vers. vnde talia bona.* Cuccus *de legitima, tit. vtrùm legitima sit deducenda num.* 48. Surd. *decis.*316. *num.*2. *&* 18. 3

Hîc autem fuisse bona fide factam alienationem patet, cùm in Cardinalis hæreditate bona magis pretiosa, & vtilia remanserint, videlicet, Gallesij Ducatus, & Marchionatus Suriani, necnon Tussignani, Codronghi, & Beluederi status, qui ob iurisdictionem, amplitudinem, redditus, & vasallorum numerum, bonis alienatis meliores, & vtiliores existimantur, & sic bona fides arguitur. Angel. *in dicta l. Marcellus.* §. *res quæ in fine. ff. ad Trebell.* Ripa *in dicta l. in quartam nu.*98. *ff. ad leg. falcid.* Roland. *cons.* 78. *nu.*17. *lib.*1. Gabr. *tit. de legit. conclus.*4. *nu.*3. Peregr. *de fideicom. art.*39. *num.*11. 4

Et insuper bona vendita non esse aliis hæreditariis meliora, nec vtiliora, satis patet, cùm hæc nullum habeant annexum dignitatis titulum, ac modici sint redditus, tanquam ad duo pro centenario non ascendentia, & vlteriùs in villa Tusculana pro Palatij reparatione, custodia, & aliis rebus ad eius- 5

dem villæ conseruationem necessariis magna quotidie impensa requiratur, ex quibus alienatio bene iustificatur, & propterea venit confirmanda. Bart. *in d.l. Marcellus §. res quæ num.2. vers. sed est æquum,* vbi Ang.*nu.2.in fine vers. quod consilium limito.* Imol. *num.10.vers. saluo nisi in fraudem.* Cuman.*nu.25.versic. sed si alienasset.* Angel.*in d.l.in quartam nu.3. versic. si autem grauatus,* vbi Alex.*nu.13.* Ripa *n.98.* Bald. *in d.l. filius quem num.28.vers. quia iudex.C. famil. ercisc.* Cuccus *de legit.dicto tit. vtrùm legitima sit deducenda num.48.* Aretin.*cons.18.nu.5.vers.intelligo.* Tanto magis cùm pro legitima filius de vilioribus eligere non teneatur. Bertrand.*cons.59 incipit, Viso processu,num.6. vers. & si opponitur lib.3.* Roland.*cons.78. n.16.lib.1.* Gabr.*d.concl.4.de legit.in fine.*

6 Sed valeat etiam de bonis iurisdictionalibus,& melioribus partem detrahere, dummodo eiusdem qualitatis alia pro fideicommissariis remaneant. Riminald.sen. *cons.160.nu.10.& 11.* Rub.Alexand.*cons. 157.num.2.* quæ inspectio iudicis arbitrio relinquitur. Dec.qui de magis communi testatur, *consil.81. n.7.* Rub.Alexand.*dicto cons.157.nu.2.* Roland.*d.consil.78.n.15.& 16.lib.1.*

7 Præterea bona fides colligitur, ex quo pretium bonorum alienatorum legitimæ quotam non excedit. Bald.*in l.magis puto.§ non passim, in fine, vers. Item nota. ff. de rebus eorum, qui sub tutela,* quem sequitur Suarez *in repetit. l.quoniam in prioribus, ampliat.11. num.14. C. de inoffic.testam.*

8 Nec poterat Vrbis Palatium vendi, cùm plurimum conferat ad tuendum familiæ decorem, vnde Cardinalis ita singulariter illud adamauit, & carum habuit, vt non solùm vendi, sed vsque ad certam Ducis ætatem etiam locari prohibuerit, quo casu tanto minus erat alienandum, aliis extantibus bonis, tali prohibitioni non subiectis. Castr.*consil. 247.sub nu.4.vers. sed ad hoc faciliter respondetur, & consil.77.nu 4. part.1.* Grat.*consil.17.nu.23.& seq.lib.1.* Grammat.*decis.93 n.5. versi. quibus respondetur.* Gabr. *dicta conclus.4.num.5.* Cuccus *in rubr. super alleg. sub num.82.vers. quocirca, & in palatio.* Rota *decis.113.n.4. part.2.diuers.*

9 Sicut pariter si pupilli domus paterna ob æs alienum patris distrahatur, ipsum pupillum videmus aduersus huiusmodi alienationem restitui. *l.lex quæ tutores.vers. nec domum,* vbi Salicet.*vers.item noto.C.de administr.tutor.* Alexand.*cons.67.n.4.lib.5.* Socin.iun. *cons.45.nu.8.lib.4.*

10 Nec alia bona iurisdictionalia superiùs enumerata ita vtiliter alienationi subijciebantur, tum quia sunt, vt dixi, pretiosiora. Angel.*in d.l.Marcellus.§.res quæ, in fine, ff. ad Trebell.* Ripa *in l.in quartam nu.98 ff.ad l.falcid.* Roland.*cons.78.num.17.lib.1.* Gabr.*tit.de legit.conclus.4. nu.3.* & per illa dignitatis titulus & splendor in familia conseruatur. Tiraqu. *de nobilit.cap.7.num.1. & 2.* per totum, præcipuè in fine. Tum quia status quilibet de per se ad legitimę quantitatem non ascendebat, vnde ex illis duo saltem erant distrahendi, ex quo magnum primogenituræ damnum inferebatur. Mobilia pariter domus alienanda non erant, cùm hæc vsui, & decori primogenituræ deseruiant. Bart.*in l.1.§.nec castrense nu. 9.vers. dic, aut loquimur. ff. de collat.bonorum.* Bald.*in l.omnimodo.§.imputari sub nu.4. vers. nisi sunt vestes. C.de inoffic.testam.* Vasq.*in repetit.d.§.imputari sub nu. 266 vers. fallit secundùm Bart.*

11 Non obstat ante venditionem bonorum, de quibus agitur, legitimam per alias alienationes fuisse consumptam. Bart.*in l. in quartam nu.9. ff. ad l.falcid.* Crass.*in §.in legitimam quæst.17.num.4.* Quia pretium rerum priùs alienatarum, vnà cum bonis nuper venditis, legitimæ quantitatem non excedit. Fuit enim per D.Ducem vendita Illustrissimo Cardinali Aldobrandino quædam aqua pro scutis nouem millibus. Et licèt pro parte filiorum Ducis prætendatur, huiusmodi venditionem ex capite enormissimæ læsionis posse rescindi; interim tamen hæc summa debet attendi. Fuit insuper in Illustrissimum Cardinalem S. Eusebij translata pars terræ valoris scutorum duorum millium, & sexcentorum, necnon alteri venditum eiusdem hæreditatis prædium pro scutis tribus millibus, & quingentis: hæc autem tria summam constituunt scutorum quindecim millium, & centum, ex quibus detracta pro legitima tertia parte, remanent solùm imputanda scuta decem millia & sexaginta sex, additis verò scutis tercentis millibus pro pretio bonorum, de quibus agitur, nec legitimæ quantitas adæquatur, quam in vltima decisione firmatum fuit ad summam ascendere scutorum trecentorum vnius, & triginta millium quadringentorum octuaginta.

Præterea etiamsi bona vendita Ducis legitimam excederent, adhuc tamen alienatio sustineretur, dummodo pecunia supra legitimam in aliis bonis pro fideicommisso conuerteretur, vt in iudicio familiæ erciscundæ dicitur *§.quædam actiones.vers.in quibus tribus,* vbi Aretin.*nu.4.* Ias *nu.10.Instit.de act.* & in legitimæ detractione tradit Bolognet.*in d.l.in quartam nu.234. ff. ad l.falcid.*

Non obstat pretium feudi Neapolitani Mesuracæ de pecuniis Cardinalis ad Ruberti fauorem empti, tanquam filij peculium profectitium in eius legitimam fuisse imputatum. *l.omnimodo. §.imputari. C.de inoff. test.* & per consequens D.Ducem Roberti hæredem aduersus huiusmodi legitimæ electionem venire non potuisse. Nam vltra quòd necessariò non infertur, dictum pretium Ruberto fuisse in legitimam assignatum, cùm eam ipse in pecunia recipere non tenetur. *l. scimus §.repletionem,* vbi Bald.*n. 10.* Paul.de Castr.*nu.10.C.de inoffic. testam.* Bart.*in l. suus num 9.vers. quæro si filio. ff. de hæred.instit.* Franc. Aret *in l.non amplius, §.fin.col. penult. vers. vnde alibi dicit Bald. de leg.1.* Picus *in d.l. in quartam num.151.* Crass.*de communi dicto § legitima quæst.15.nu.2.* Cuccus *de leg.tit.quibus in reb.nu.6.& 7.* Paris.*cons.16 nu. 70.lib 2.* Cephal.*cons.42 nu.8. lib 1.*

Ex quo tamen Rubertus Cardinali prædecessit, legitima non fuit illi debita, cùm in ea viuente patre, nullum ius habuerit. *l.1.§. si impuberi,* ibi, *prematura est enim,&c. ff. de collat.bonorum,* vbi Bart.*n.2.* Bald.*in l. si qua pœna, nu.2.* vbi Alberic.*num.3. ff. de his, qui sunt sui, vel alien.* Bart. *in auth. si qua mulier num.22.C.de sacros.Eccles.* Cagnol.*in l. fin.nu.286.C. de pact.* Fabian.*in d.auth.nouissima nu.79 & 271.* Ruin. *cons.149.num.13.lib.3.* & D.Dux vti patris locum ingressus ex persona propria legitimam consequi debet. Salicet.*in auth.nouissima nu.5.C.de inoff.testam.* & ibidem Ias.*nu.51.* Ferdinand.*in repetit. l. in quartam num.8. ff. ad leg. falcid.* Alex.*cons.4.nu.13.lib.4.* Riminald.iun.*cons.50 nu.70.& 76.lib 1.* Menoch.*cons.681. nu.19.20.* Petrus *de fideicom.qu.15.nu.14.* Peregr.*de fideicom.art.36.nu 39.* Cuccus *de legit.in princ. sub nu.2. vers. debetur autem.* Nec tenetur eam in pecunia recipere, ex allegatis.

Nec releuat, istud pretium ad instar militiæ pro filio 11

filio emptæ censeri D. Duci in legitimam assignatum, per *d.l.omnimodo.§.imputari.C.de inoff. test.* Hoc enim locum haberet, si eiusdem lucro illud cederet, vt ex eodem §.imputari expresse colligitur, ibi, *posse lucrare eas, manifestum est*, &c. & notat Bald. *ibid. sub num.3.* ibi, *ideò hæc littera dicit prout non cedere constat*, ex quo Cardinalis voluit, ipsum in feudi emptionem conferri, quòd perpetuo fideicommisso subiaceret, & ideò non debet hoc peritum, vti vinculatum, in dictam legitimam imputari. *l.quoniam in prioribus.C.de inoffic.testam.* vbi communiter DD. Paul.de Castr.*num.1.* Ias.*cons.131.nu.4.lib.1.* Gabr.*de legit.conclus.1.nu.1.*

16 Et ex his tollitur obiectum, quòd videlicet D. Dux tanquam Ruberti patris hæres primogenituræ debitor existat in summa pro feudo soluta. Quia eam semper Cardinalis in suo dominio retinuerit, necnon de illa disposuerit, vt dixi, nunquam Rubertus fuit huius summæ debitor, & per consequens, nec dux illius hæres.

17 Non obstat, in legitimam esse computanda scuta quindecim millia, quæ pro compositione pro Ruberto facta Cameræ Apostolicæ Cardinalis erogauit. Peregr. *de fideicomm.art.36.num 137.* Ista enim conclusio non procedit vbi pro filio pater fisco sponte, & ex pietate soluit, vt in casu nostro. Bart. *in l.Stichus sub num.2.ff. de pecul. leg.* Bald. *in l.omnimodo §.imputari nu.5.ff. de inoff. testam. & in l. filiæ n.19.C. famil.ercisc.* Alex.*in l. in quartam nu.23. ff. ad l. Falcid.* vbi Bolognett.*num.335.* Rom.*in auth.ex testamento num.19.vers. aut soluit ex voluntate. C.de collat.* Gabr.*cons.109.num.10.vers. quia quamuis lib.1.* Surd. *decis.167.num.11.* Peregr.*de fideicomm.art.36.num.137. vers. si verò.*

18 Circa fructus autem de tempore obitus Cardinalis in hæreditate repertos, vltra quòd non apparet eos extitisse, fuit in calculo habita ratio de exactis. Ex quibus clarè constat, bona in venditionis instrumento comprehensa in D. Ducis legitimam esse imputanda, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana rescißionis instrumenti. Veneris 18. Martij 1616.

DECISIO CCXXXVI.

Impressa est post Cenc. de censibus decis. 183. & apud Duard.eod.tract.decis.183. vbi erroneè ponitur anno 1610.

R.P.D. VBALDO.

Neapolitana beneficij. Veneris 13. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Obligatus ad dimittendum beneficium, & reficiendum fructus vigore Breuis Apostolici non tenetur etiam reficere expensas litis, sed satis est quòd dimiserit etiam mediante mandato, & quòd composuerit super fructibus.

SVMMARIVM.

Breui Apostolico mandanti dimitti possessionem beneficij paritum est sufficienter, si possessio etiam mediante Procuratore habente speciale mandatum dimittatur, num.1.

Dimissio beneficij facta cum clausula præseruatiua iurium, non dicitur dimissio conditionalis, quia simpliciter id quod est de iure præseruat nu.2.

Clausula præseruatiua iurium adiecta cuicumque actui non facit actum illum conditionalem, nu.2.

Fructus beneficij in regno Neapolitano iuxta constitutionem Sixti V. à die vacationis beneficij per obitum vsque ad diem captæ possessionis per prouisum spectant ad Cameram, num.3.

Compositio facta cum Camera, etiam cum dilatione ad soluendum, habet vim actualis solutionis, nu.4.

Expensæ litis non veniunt per consequentiam reficiendæ vigore Breuis Apostolici mandantis refici fructus beneficij, & dimitti possessionem, quia Breue non extenditur.

DECISIO CCXXXVII.

Domini censuerunt fuisse sufficienter paritum Breui; nam respectu possessionis sufficit illius dimissio, & patientia. Mohed.*decis.9. de sent. & re iud.* & fuit dictum in Burgen. iurisdictionis 10. Decembris 1597. coram Peregrino, & aliis allegatis in vna Reatina terrarum 14. Maij 1614. coram R.P.D. meo Buratto, & hæc dimissio fuit facta in Curia à procuratore habente speciale mandatum. 1

Nec obstat clausula præseruatiua iurium, nec facit dimissionem conditionalem, cùm simpliciter id quod est de iure præseruet. Oldrad.*cons.237.nu.9.* & Ioan. Baptista non tenebatur renunciare iuribus suis, præsertim pendente causa appellationis. 2

Quo verò ad fructus, Breue mandat fructus consignari, iuxta constitutionem fel. recor. Sixti V. quæ decernit fructus à die obitus, & vacationis beneficij vsque ad diem possessionis captæ per prouisum Apostolicum spectare ad Cameram. 3

Vnde cùm Ioan. Baptista ostendat instrumenta compositionis factæ cum Reuerendissimo Nuntio Neapolitano in 80. ducatis cum dilatione, & obligatione de soluendo; Domini putabant fuisse paritum, etiam quoad fructus, cùm in iis Gaspar non habeat interesse, & illa compositio habeat vim solutionis. *l. solutionis. ff. de verb. signif. l.1. ff. qui satisd.cog.* Cagnol.*in l. plus cautionis nu.4. ff.de reg. iur.* Surd.*cons.162.nu.40.* 4

Quoad expensas litis non est agendum, cùm Breue adstringat solùm ad refectionem fructuum, & dimissionem possessionis, vt fuit dictum in Pampilonen.beneficij 28. Ianuarij 1577. coram bo.me.Cardinali Blanchetto. 5

Impedimenta allegata pro Gaspare, vt non potuerit percipere fructus post adeptam possessionem, non videbantur iustificari in facto, sed quatenus adessent, Domini censebant consideratione digna. Interim ex prædictis resoluerunt pro sufficienti paritione, &c. 6

R. P. D. MANZANEDO.

Aquen.legati.Veneris 18.Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario num.1.

SVMMARIVM.

Gratia ex defectu intentionis Principis concedentis est nulla, num.1.

Subreptio resultat si in rescripto non fuerit facta mentio litis pendentiæ, & ea huiusmodi subreptione rescriptum remanet nullum, nu.2.

Repudiasse non dicitur qui non acceptauit legatum annuæ prouisionis relictum arbitrio hæredis, cùm taxa per hæredem facta sit nimis exigua, & possit petere reuisionem, & augmentum, nu.3.

DECISIO CCXXXVIII.

DOmini censuerunt confirmationem non tenere cùm sit subreptitia, & obreptitia. Fuit enim præsuppositum Sanctissimo fratres sancti Augustini, quorum monasterio fuerat relictum legatum annuæ prouisionis perpetuæ & congruentis arbitrio hæredis ad manutentionem trium fratrum sacerdotum vltra numerum solitum, recusasse acceptare taxam dictæ prouisionis factam à dictis hæredibus, quod non ita se habet, cùm de tali recusatione nullibi constet, sed dicti fratres tantùm dixerunt dictam taxam non esse congruam, & propterea recursum habuerint pro eius reuisione ad Episcopum Aquen. cui per particulare Breue Sanctissimi commissi obtinuerunt causam dictæ reuisionis & congruę assignationis.

1 Vnde apparet Pontificem fuisse deceptum, & sic gratiam laborare defectu intentionis illius. Socin. sen. *cons.* 120. *nu.* 5. *lib.* 3. Menoch. *cons.* 108. *num.* 24. Ias. *cons.* 233. *nu.* 35. *lib.* 2. Seraph. *decis.* 398. *num.* 1. *& seq. &* 351. *num.* 26. Quia si perfectè cognouisset rei veritatem, difficiliùs vel nullo modo concessisset, cùm eius intentionis non fuerit præiudicare fratribus sancti Augustini, quibus fuerat relicta dicta annua prouisio, sed solùm concordiam initam inter hæredes, & fratres sancti Bernardi super eadem annua prouisione confirmari super commutatione voluntatis testatricis, supposita congrua taxatione & repudiatione fratrum sancti Augustini.

2 Præterea subreptio etiam resultat ex eo, quòd nulla fuit facta mentio litis pendentis super dicta congrua assignatione coram Episcopo Aquen. quod si narratum fuisset summo Pontifici, non ita de facili concessisset secundum Breue directum Episcopo Asten. super confirmatione dictæ concordiæ, quæ erat adeò præiudicialis fratribus sancti Augustini & liti pendenti, qua subreptione stante, remanet nullum secundum rescriptum, & confirmatio illius vigore emanata. Oldr. ad. *cons.* 299. *nu.* 5. Rota *decis.* 12. *nu.* 1. *de re iudic. in nouis.* Felin. *in cap. ad audientiam il* 2. *nu.* 17. *vers. fallit quintò, de rescript.*

3 Nec obstat quòd fratres sancti Augustini sæpiùs requisiti ab hæredibus ad acceptandum taxam factam, nihil declarauerint. Tum quia de huiusmodi requisitionibus non constat in actis: tum etiam quia non acceptando taxam factam per hæredes vti nimis exiguam, non videntur repudiasse legatum, cùm possent petere dictæ taxæ reuisionem, & augmentum, prout fecerunt coram Episcopo Aquen. vt suprà dictum est, &c.

R.P.D. BVRATTO.

Placentina decimarum personalium de Trugillo. Veneris 18. *Martij* 1616.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de nullitate examinis testium in vim remissoriæ ex pluribus capitibus, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Remissoria petita à Procuratore non habente legitimum mandatum producit nullitatem examinis testium, num.1.

Episcopus, & non Capitulum habet iuris existentiam in decimis, vbi parochiæ diœcesis non sunt distinctæ, n.2.

Remissoria concessa parte non citata, nulla, & inualida est, num.3.

Testes examinati sine citatione ad videndum produci, & admitti articulos, & ad dicendum contra illos non probant, ibid.

Decimæ personales prætensæ à mercenarijs ex eorum mercedibus, non soluuntur ex publico marsupio, sed singulorum, nu.4.

Iudex remissorialis non potest decernere citationem pro examinandis testibus coram aliis iudicibus quàm coram se, nu.5.

Citatio nimis generalis, & vaga non continens certam diem & horam, nulla & enualida est, ibid.

Remissoria in qua non fuit præfixus aliquis terminus probationis, non valet, ibid.

Citatio facta coram pluribus iudicibus existentibus in diuersis locis, nulla, & inualida est, ibid.

Testium examinis nullitas non sanatur à Rota habente arbitrium, nisi fuerint examinati cum interrogatorijs datis à parte, nu.6.

Testes examinati à iudice laico in causa decimarum, nulliter examinati dicuntur, & non probant, nu.7.

DECISIO CXXXIX.

NVllitas examinis testium, de quibus agitur, satis patens Dominis visa fuit. Primò quia non constat de legitimo mandato tam Gonzalez, à quo fuit petita, & obtenta remissoria nomine Episcopi, & Capituli, quàm Guttierez, qui induxit testes, & obtinuit illos examinari, ad not. *in l. licet. C. de procurat. & in c. in nostra, eod. tit.* Vant. *de mod. & ordin. vid. process. num.* 5. *& de nullit. ex defect. mand. num.* 59. & in terminis pro nullitate examinis Rot. *decis.* 410. *in princ. part.* 1. *diuers.* & aliàs passim.

Nec visum fuit huiusmodi defectum esse sublatum ex eo quòd sufficeret Gonzalez fuisse procuratorem Capituli, & ideo propter litis consortium non esset necessarium mandatum Episcopi; quia imò illud in hoc casu requirebatur, cùm non Capitulum, sed Episcopus habeat iuris assistentiam in decimis vbi parochiæ diœcesis non sunt distinctæ, vt per *can. omnes Basilicæ* 16. *qu.* 7. Rebuff. *de decim. qu.* 7. *nu.* 9. Azor. *Inst. moral. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 36. *quæst.* 9. *vers. tertiò quando.* & fuit dictum in Ciuitaten. decimarum 18 Maij 1596. coram bon. mem. Gipsio.

Secundò ex defectu citationis, qui non solùm resultat ex defectu dicti mandati. Vant. *vbi suprà n.* 61. sed etiam, quia coram Vicario Placentino verè pars non

non fuit citata, nec præsens ad videndum produci & admitti articulos. Butr. *in c.2.de testib. num.11.& 16.* Imol.*n.10.* Dec *nu.9.*& Felin.*n.32.* Socin.*de dilation.art.7.num.66.vers. vigesimus casus*, de communi Grauat.ad Vestr.*lib.5.c.1.nu.5.* Guidobon. *decis.71.in manuscript.* Neque ad dicendum contra illos, vt tenuit Rota in Leodien. salarij 14. Nouembris 1603. coram bon.me. Litta.Gonzal. *ad regulam octauam in adnot.contr.nullit.& attent.in caus.benef.num.107.* Nec quando per dictum Vicarium Placentinum fuit decreta remissoria Vicario Foraneo, & Curatis districtus de Trugillo, prout requirebatur, iuxta decis. Caputaq 272.*part.3.* & hodiernum stilum, de quo ex pluribus testantur Farinac.*de opposit.contra.test.quæst.77. num.115. & pluribus seqq.* & Scauia *de iudic.caus. ciuil.& crimin.lib.2.c.8.quæst.7.n.857.pag.mihi 286.*

4 Nec sufficit fuisse citatos duos Procuratores ciuitatis de Trugillo. Nam vltra quòd vnus ex eis protestatus fuit se à multis diebus non esse ampliùs procuratorem; citatio ista fuit nulla, tum propter omissam illius formam, *l.1.§.Ofilius*, & ibi Bald. *num.5.ff. ne quis eum qui in ius voc.*&c. Idem Bald.*in l.non sunt liberi, num.2.ff.de stat.hom.* Aym. *cons.182.num.11.* Socin. *de dilat.art.20.num 4.* Tum etiam quia agitur de decimis personalibus prætensis à mercenariis ex eorum mercedibus, quæ non soluuntur ex publico marsupio, sed singulorum, & sic non tractatur de interesse ciuitatis, sed particularium, iuxta not. in simili per Bald. *in cap.tertio loco n.4.de probat.* Iacob. *in l.nullus nu.8.ff.de testib.* Couar. *pract.quæst. cap.18. num.4. vers. qua ratione.* & iuxta dicta in Siguina Quartorum 4. Martij 1611.coram R. P. D. meo Cauallerio. Et ideo necessariò citandi erant omnes interessati,& quibus poterat præiudicari. *l.de vnoquoque.ff.de re iudic.* latè Socin.*de dilation.art.5.* Rota in Calaguritan. de Maestris 27. Octobris 1603. coram Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto relata per Gonzal.*vbi suprà num.49.*

5 Citatio verò Vicarij de Trugillo ad videndum iurare testes coram se,& curatis, videtur nulla,tum ex defectu iurisdictionis, Card. Seraph. *decis.1018. num.5.* quia ipse non poterat decernere citationem pro examinandis testibus coram dictis Curatis delegatis à Vicario Placentino, sed solùm coram se, *c. cùm causa.* vbi Abb.& alij,*de offic.deleg.* Socin.*de dilat.art.18.num.3.* Vant. *de nullit.ex defect. citat.nu.27.* Tum quia fuit nimis generalis, & vaga, cùm non contineat certam diem, & horam. Bart.*in l.aut qui aliter.§.1.ff.quod vi,aut clam.* Caputaq.*decis.274.nu.1. part.3.* cum aliis in Calaguritana iuris visitandi 28. Ianuarij 1611. coram R.P.D.meo.Pirouano. Nec in remissoria præfixus fuerit vllus terminus probatorius. Caputaq.*d.decis.274.& dec.289.ead.part.3.* Mohed.*decis.4.n.3.de testib.* Rot.*dec.151.n.1.par.2.diuers.* & in Compostellana iurispatronatus 20. Octobris 1578. coram bon.me.Card.Lancellotto seniori. Tanto magis,quia citatio fuit ad videndum iurare testes coram dictis Curatis,qui erant plusquam viginti,& in diuersis locis, & sic etiam incertum, & dubium erat vbi,& coram quibus priùs esset comparendum, & erat impossibile coram tot eodem tempore comparere, vnde in hoc casu necessaria quoque erat intimatio recessus Receptoris, seu Commissarij ab ipsa ciuitate, vt pars illum sequi posset, qua omissa examen redditur nullum, vt tenet Rota in Burgen. Iurispatronatus 18. Decembris 1595. coram bon. mem. Gipsio, & in aliis relatis per Gonzal. *vbi suprà num.57.*

6 Prædicti autem defectus eo magis visi fuerunt Dominis releuantes, quia nulla fuerunt data interrogatoria, & sic pars non potuit vti suis defensionibus tam contra personas, quàm cõtra dicta testium, quo tantùm casu Rota solet exercere arbitrium pro sanatione examinis nulliter facti. Put.*decis.300.lib.3. in nouiss.*& fuit dictum in Carthaginen.Canonicatus 17.Decembr.1610.coram Illustriss. D. Card.Lancellotto & in Meliten Conseruæ 10.Iunij præteriti coram me, & in aliis passim.

7 Quo verò ad alios testes examinatos vigore prouisionis Regiæ, vltra quod ipsi etiam sunt nulliter examinati coram iudice laico, qui est incompetens in hac materia decimarum. Rebuff. *de decim.qu.10. num.35.cum tribus seqq.* Azor.*instit.moral.in suprà allegato c.36.q.8.vers.meo iudicio.* & fuit dictum in Patauina decimarum 4. Martij 1603.coram Reuerendiss. D.meo Decano, pars expresse dicit se illis non vti, nec vti intendere.

Et ideo fuit vt suprà vtraque parte informante decisum.

REVERENDISSIMO P.D. PIROVANO.

Calaguritana iuris visitandi de Aquilaz 18. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Super validitate examinis vigore remissoriæ est tota in facto.

SVMMARIVM.

Probationes recipi possunt post conclusum in causa, quando non contrariantur effectui conclusionis, num.1.

Iudicis recusatio propter suspicionem cum causæ expressione operatur suspensionem processus, sed debet esse effectualis recusatio, num.2.

Notarij recusatio debet esse antè examen testium,& cum causæ expressione, aliàs non valet, num.3.

DECISIO CCXL.

PRætenditur pro parte Archipresbyteri de Aquilaz, & illius Cleri, quòd Episcopus teneatur illos personaliter visitare, & ad probandam quasi possessionem fuit decreta remissoria, & hodie dubitatum de validitate processus, nempe an testes vigore remissoriæ pro parte Archipresbyteri sint nulliter examinati.

Et esse validè examinatos fuit responsum, quia de iurisdictione subdelegantis non est dubitandum, & subdelegatus formam sibi traditam in litteris remissorialibus obseruauit, & cætera quæ ad iuris solemnitatem requirebantur, adimpleuit. Nullitates autem oppositæ visæ sunt non obstare.

Ad primum enim quod Episcopus non fuit legitimè citatus ad videndum iurare testes, dum fuit citatus Ferdinandus Ruyz vti Procurator fiscalis, qui talis non probatur, neque quòd haberet sufficiens mandatum.

Fuit responsum respectu mandati cessare obiectum, quia ex forma data in litteris remissorialibus Procurator fiscalis erat citandus, qui cùm fuerit citatus, & talis esset, vt ex fide Notarij illius audientiæ quæ datur, satisfactum est formæ citandi absque

alia probatione specialis mandati, & Domino Episcopo non est sublata facultas probandi carentiam mandati in Ferdinando.

1 Neque videbatur releuans exceptio circunductionis citationis prædictæ ex decretis postea factis de interpretando articulos, & de eorundem copiam dando Episcopo cum intimatione decretorum, quia hæc omnia vti compatibilia cum termino citationis ad videndum iurare testes, non circunducunt terminum, Rota *decis. 2. de testibus in nouiss.* In qua firmatur quòd post conclusum in causa possunt recipi probationes quando non contrariantur effectui conclusionis; & quamuis decreta prædicta fuerint intimata Episcopo in stratis, attenta tamen contumacia promotoris fiscalis, personaliter citati, & non comparentis in loco victoriæ, vbi interpretatio fieri debebat, id videtur licuisse ad instar iudicij contradictarum. Rota *decis. duodecima, de dolo & contumacia, in antiquis, & in nouiss. decis. 6. eodem tit.*

Ad aliam oppositionem ex defectu iurisdictionis, quia exequutor erat suspectus Episcopo, cùm haberet similem litem cum eodem Episcopo super iure corrigendi Canonicos in prædicta Ecclesia collegiata de Victoria, vt ideo accelerauerit examen, timens recusationem si Episcopus præsciuisset eius deputationem, prout postea fuit à legitimo procuratore recusatus.

2 Dicebatur iure cautum non reperiri, quòd timor recusationis suspendat processum, sed bene requiritur effectualis recusatio, & causæ expressio. *c. cum speciali, & cap. secundò requiris. §. de appellat.* Andr. Gayl. *lib. 1. obseruat. 33. num. 14.* Maximè cùm intercesserint sex dies à tempore citationis ad videndum iurare testes, ex quibus licuisset Episcopo iudicem in tempore recusare, sed extra tempus, vt factum fuit, non causat nullitatem, quia processus ad vlteriora non fuit impeditus.

Similiter dicebatur non obstare defectum mandati procuræ vtriusque partis, quia respectu Episcopi aderat Procurator fiscalis, qui fuit citatus, & pro Archipresbytero constat de mandato procuræ in personam Petri Martini Hinarte, qui semper comparuit pro Archipresbytero, & fuit constitutus non solùm contra Mansum tunc Episcopum, sed etiam contra Episcopum, & dignitatem Episcopalem vsque ad finem causæ, & coram quibuscumque iudicibus, ita vt per obitum Episcopi Mansi non expirauerit mandatum, ex quo remanebat dignitas quæ nunquam moritur.

Asserebatur pariter non obstare, quòd remissoria fuerit decreta tempore Episcopi præcessoris, & quod modernus Episcopus non fuit citatus ad concordandum de iudice, quando eo in possessione Episcopatus existente fuit relaxata prout necessarium erat, cùm Episcopus præcessor iam esset mortuus.

Quia ex facto obiectum cessabat, cùm Petrus Porres Procurator Episcopi præcessoris, promiserit quod successor ratificasset actus prædictos, prout postea ratificauit gesta per eundem Petrum in mandato eidem Petro transmisso sub die 4. Iunij 1614. nec dicatur quòd ratificatio fuit de gestis tantùm ipsius moderni Episcopi nomine, non autem præcessoris, quia acta per antecessorem tanquam reproducta nomine moderni Episcopi cadunt sub approbatione actorum nomine eiusdem gestorum. Et quamuis approbatio legatur facta die 4. Iunij 1614. promissio autem de ratificando emanauerit die 27. eiusdem mensis, quæ accommodari non posse dicebatur ad actum præsentem, cùm de illius natura sit subsequi, non autem præcedere actum ratificãdum; nihil tamen referre visum fuit, quia Petrus duo promisit, vel quòd constabit de suæ procurationis mandato sufficienti ad hanc causam, vel quòd gesta per eum ratificabuntur per modernum Episcopum; vtrumque igitur bene conueniet, nempe gesta ante mandatum in vim approbationis valebunt, gesta verò pòst in vim mandati, de quo apparet.

Demum visum est non obstare quòd Episcopus non fuerit citatus ad videndum aperiri Rotulum remissoriæ, quia huiusmodi citatio non videbatur necessaria, cùm remissoria expedita fuerit aperta cum insertione articulorum; & non etiam in litteris remissorialibus fuerit data hæc forma, prout de citatione promotoris fiscalis fuit expressum.

Et quæ dicebantur de recusatione Notarij causæ, non fuerunt recepta, cùm fuerit facta post examen testium, & terminum remissoriæ, nec per iudicem admissa tanquam facta sine causæ expressione, prout de iure necessarium est, sicuti in iudice dictum fuit. *cap. cùm speciali, cap. 2. requiris. de appellat.* nec dissentit Alex. *cons. 104. lib. 5. num. 4.*

Et ita, &c.

R. P. D. ANDREA.

Senogallien. prædij. Veneris 18. *Martij* 1616.

ARGVMENTVM.

Valor bonorum fideicommisso subiectorum iudicatur secundùm tempus mortis; non postea, & qui fideicommissum allegat, concludenter probare debet. Cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Valor bonorum fideicommissi æstimatorum secundùm tempus mortis testatoris, non autem secundùm tempus post illius mortem, num. 2. vers. primò enim.

Dictio circa *licèt regulariter ad modicum referatur, aliquando tamen refertur ad id quod est satis, siue plus, siue minus, num. 3.*

Pretium, & valor rerum potest augeri beneficio temporis, num. 4.

Partem facere, & non admitti ad partem non est inconueniens, num. 6.

Dotes nunquid detrahendæ sint de legitima filiorum, n. 7.

Fideicommisso bona à testatore fuisse supposita non præsumitur, nisi id expressè dixerit, & alleganti fideicommissum incumbit onus probandi, num. 9.

DECISIO CCXLI.

Domini steterunt in decisis sub die 18. Martij anni præteriti coram me. Cùm enim fidelis agat ad rescissionem contractus iurati, cum obligatione Camerali, sub eo pretexto, quod fideicõmissum excedat summam in instrumento venditionis expressam, hoc probare debet plenè, & concludenter, cùm in eo se fundet, *l. 2. ff. de probat. l. actor. C. eod.* Seraph. *decis. 940. n. 1.* quod factum ab eo non videtur.

Primò enim ad cognitionem valoris bonorum fideicommissi tempus mortis ipsius testatoris, non autem

autem sequens attendi debet, cùm ex industria hæredis, vel aliàs ex re ipsa, vel propter eam multa possint accedere dictis bonis, quæ non augeant illorum valorem, sed penès hæredem grauatum sint remansura, *l.*3.vbi not.Bart.& omnes.*ff.ad l.falcid.l. debitor.§.fin.l.in fideicommissariam.§.quoties.ff.ad Trebell.*idem Bart.& Doct.*in l.si hæres pecuniam, in princ. ff.eod.*Ruin.*cons.*97. *num.*13.*lib.*3.& pro regula tradit Peregrin.*de fideicommiss.art.*6.*nu.*39.qui latiùs per distinctionem casuum hoc declarat *art.*10. *n.vsque* 26. Et ideo cùm mors testatoris euenerit de anno 1588. valor bonorum ipsius de dicto tempore probandus erat,non autem de anno 1609. quo tempore venditio fuit facta fideli, cùm medio tempore plura augmenta contigerint ex rebus ipsis, quæ cedere non debent lucro fideicommissarij, sed hæredis, & proinde calculus factus de tempore venditionis non probat verum valorem fideicommissi, prout illum tenetur probare fidelis, ex supradictis.

3 Secundò animaduertendum est, quòd in d. instrumento venditionis fuit narratum prædium esse liberum, excepto fideicommisso scut.2000.in circa, quæ dictio *in circa*, etsi regulariter ad modicum referatur,gloss.*in cap.fin.vers.circiter, de despons.impub.* cum aliis per Modern. *de clausul.* 1. *part. clausul.*59. *num.*2. Tamen aliquando refertur ad id, quod est satis, siue plus, siue minus, Ang. *cons.* 94. *num.* 4. *in fine.* & ideo verificatur in 4. parte plus minus, Corn. *cons.* 59. *num.* 5. *&* 6. *lib.* 4. & fuit dictum in vna Romana locationis vineæ 20.Decembris 1602. coram Illustriss. Ludouisio, quod multo magis videtur admittendum in hoc casu ad excludendam malam fidem venditoris, & sustinendum contractum, pro quo omnis interpretatio fieri debet, *l. quoties la* 11.*ff.de reb. dub.* Crauett. *consil* 52.*num.* 2. *&* *cons.*284.*num.*5. Gabr. *cons.*50. *num.* 7. *lib.* 1. Surd. *decis.*11.*num.*12.

4 Quibus sic præmissis, non obstat, quòd tanti valeant salmæ 37.obuentæ hæredibus Marcelli,quanti valeant salmæ 43. obuentæ Horatio, & salmæ 50. obuentæ Bernarbeo, quia placuit responsio; quòd dd.hæredibus, & Horatio fuerit datum supplementum in aliis bonis, de quibus in antiquo summario, *num.* 5. & in præsenti *num.* 2. & sic partes fuerunt adæquatæ cum aliis bonis, quæ non erant testatoris, sed propria ipsorum hæredum. Et licèt instetur, quod salmæ obuentæ hæredibus Marcelli, & Horatio, erant longè meliores, quàm quæ obuenerant Bernabeo, non videtur hoc probari ex fide,quæ datur *num.*1. Tum quia lite pendente,& quia non percutit tempus diuisionis, & multo minus obitum testatoris. Tum quia de qualitate terrarum nihil ibi dicitur,sed de valore,qui potuit augeri, prout regulariter euenit beneficio temporis ad text. *in l. pretia rerum.§.fin.ff.ad l.falcid.* Cæs.de Grass. *decis.*3.*num.*3. *de test.* & quia non datur fides valoris etiam terrarum existentium in territorio di Beluedere, in quo adest prædium Passarini,qui similiter potuit crescere beneficio temporis, vt fit maximè verisimile, qui si informantes pro fideli ad exaggerandum qualitatem terrarum Horatij considerant earum situm vulgo nuncupatum *il Giardino*, considerare etiam debent situm Passarini,qui est in territorio di Beluedere,vt in instrumento diuisionis. Vltra quòd d.fides suffragari forsan posset in liquidatione fructuum, vel in alia materia, in qua admittuntur leuiores probationes; secus verò in ista, in qua,vt supra dixi, requiritur plena, & concludens probatio,

cùm exinde arguatur mala fides vendentis,& rescissio contractus.

Similiter nec resistit quòd partita illa creditorum communium in summa scut. 8479. non sit intelligenda de bonis acquisitis post mortem patris, sed ponenda ad creditum hæreditatis; quia semper viget responsio discretiuæ loquutionis appositæ in rubricellis, vt in decisione: confessio autem per quam partes in instrumento condito sub die 29. Nouembris 1595. de quo in summario Capitanei *nu.* 2. vocant omnia dicta credita hæreditaria inter eos communia, habet relationem ad instrumentum diuisionis,in quo legitur dicta discretiua loquutio, itaut non plus debeat esse in referente, quàm in relato, vulg.*l.asse toto.ff.de hæred.instituend.* 5

Non etiam releuat, ex summa æris alieni testatoris esse detrahenda scuta 2200. soluta ab hæredibus pro dote Camillæ filiæ testatoris, quæ non vti æs alienum,sed vti legitima venit deducenda ex corpore legitimæ omnium filiorum, cùm ipsa faciat partem, & ad illam admittatur, ex alleg. Quia de iure non est inconueniens, quod quis faciat partem, & non admittatur ad partem, vt ex text. *in l. huiusmodi.§.si Titio.ff.de leg.*1.& tradit in istis terminis Thesaur.*decis.*159.*nu.*13 *circa med.vers.neque enim absurdum est.* Vnde stante exclusione fœminarum per statutum Montis Bodij propter masculos, ipsa filia testatoris auget numerum filiorum,itaut faciat transire legitimam de triente in semissem, & quod ab ea per statutum aufertur, accrescit masculis eorum legitimam impinguando, vt articulo bene discusso firmauit Rota in causa Romana de Lante coram fel. record. Clemente VIII. inter impress. diuersor. *decis.* 266. *part.* 1. quam postea fuit sequuta in Anconitan. legitimæ 28. Iunij 1606. coram bon. mem.Pegna. 6

Sed quia in contrarium adest decisio in causa Perusina de Alphanis 15. Iunij 1612. coram Illustriss. Ludouisio, Domini pro nunc, omisso isto articlo,in quo nihil certi statuere voluerunt, satis putarunt ad effectum excludendi malam fidem in Bernabeo, qui putabat dictam dotem Camillæ non esse de legitima filiorum detrahendam, hoc sufficere, quòd nedum habeat pro se Doctores graues,quorum opinio causat bonam fidem.Anchar.*in Clem.ne Romani, in princip. de elect.* Ias. *in l.properandum.§. sin autem alterutra, num.* 8.*in* 1. *&* 2. *conclus. C. de iud.* sed decisiones Rotales, quarum etiam conflictus satis indicat hunc articulum versari in iure admodum dubio, Cassad. *decis.* 11. *num.* 8. *in fin. super regul.* Rota *decis.*132. *ante num.* 7.*part.*2. *diuers.* cuius error æquiparatur errori facti, Aym. *cons.*279.*nu.*2.Gabr. *cons.*90. *num.*25.*lib.*2. Capic. *decis.*10. *num.*20. Rota *dicta decis.*132.*num.*7.& sic Bernabeus omnino venit excusandus. 7

Quoad partitam verò scutorum 1000. pro censu, cum quodam Vincentio Cassino, quæ dicitur esse detrahenda ex ære alieno testatoris, quia licèt verè sit debitum ipsius, tamen fuit positum in alia partita scutorum 6396. vt in dicto instrumento del 1595. aliàs hæc partita bis detraheretur. Non constat de tali geminata detractione, quia licèt in instrumento diuisionis dicta partita scutorum 1000. per errorem fuerit apposita inter credita communia,nõ tamen propterea sequitur,eam bis detrahi,si numeretur inter alia debita testatoris, quia semel tantùm detrahitur, vt debitum ipsius. Et quòd per errorem fuerit apposita, inter credita communia, 8

quæ non erant hæreditaria, hoc non est detrahere ex hæreditate, sed non computare in hæreditate, adeò quod etiam si constaret integra illa scut. 8497. non esse credita communia, si tamen non probaretur, prout non fuit hactenus probatum, illa esse hæreditaria, non possent talia reputari, & sic neque fideicommissum augere.

9 Dotes quoque vxorum testatoris similiter sunt detrahendæ de corpore hæreditatis, non obstante quòd dicatur, testatorem illas expresè supposuisse fideicommisso, de quo agitur; nam licèt testator illas mandauerit incorporari in bonis, & hæreditate ipsius; vt in summario Capitanei *num*.4. Ex lectura tamen testamenti apparet id fecisse ad effectum, vt fieret inter filios coæqualis diuisio, non autem ad effectum eas supponendi fideicommisso, quia id expresè non dixit, & alleganti incumbit onus illud concludenter probandi, *l.cohæredi. §. cum filiæ. ff. de vulg*. Crass. *in §.fideicommissum, quæst*.4.*n*.9. Surd. *cons*. 554.*n*.4. Peregr. *de fideicommiss. art*.1.*sub num*.26. & in dubio pro non fideicommisso pronunciandum est. Crass. *vbi suprà num*.7.*in fin*. Surd. *dicto cons*. 554.*num*. 6. Menoch. *præsumpt*.67 *in princ. & nu*.26.*lib*.4. Molin. *de Hispan. primog. lib*.1.*cap*.4 *num*.8.

10 Item mobilia, quæ non probantur hodie extare, funeris impensa, & melioramenta facta post patris obitum & diuisionem inter ipsos fratres, & sata, fructus pendentes, legataque annua, de quibus in decisione, sunt pariter detrahenda, prout etiam legitima, & Trebellianica, vt latiùs ibi fuit firmatum, adeò quod habita ratione omnium prædictorum, & facto calculo, non appareat fideicommissum excedere summam expressam in instrumento venditionis.

Et sic Domini perstiterunt in decisis.

ILLVSTR. ET R. D. CARD. LVDOVISIO.

Romana hæreditatis de Cecchis. Veneris 14. Aprilis 1606.

DECISIO CCXLII.

Est inter eius impress. decis. 248.

R.P.D. COCCINO.

Montis Falisci fideicommissi de Bisentiis. Veneris 15. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Statuti copia quando probet in iudicio, si eiusdem statuti originale fuit deperditũ, aut propter antiquitatem laceratum, seu etiam non intelligibile effectum.

SVMMARIVM.

*Lex canonica, vel ciuilis de eius essentia non requirit scripturam, num.*1.

Instrumenti copia extracta à publico Officiali probat, sub num. 1. *vbi præsertim, si super ea aliàs fuisset iudicatum.*

*Instrumenti copia probat quando constat per testes originale fuisse laceratum, num.*2.

*Statuti copia quando probet si antiquum originale non reperiatur, aut fuerit laceratum, num.*1.*&* 2.

*Probatio quæ fortior est vincit minus fortem, num.*4.

DECISIO CCXLIII.

CErtum est quòd lex canonica, vel ciuilis de eius essentia non requirit scripturam, Rot. *decis*.1. *de constit*. Sueraz *de legib. lib*.3.*cap*.15.*nu*.6. vbi alios allgat, *& lib*.4.*cap*.14.*n*.2. Dominus meus Ludou. Carbo *de legib lib*.3.*disput*.2. Sebast. Medic. *de legib. & stat. part*.3. *qu*. 3. & idem est in statutis, Rota, Carbo, & Medic. *locis prædictis*, licèt contrarium sentiat Suarez *d.lib*.4.*cap*.14.*num*.2.*vers.inferiorum autem statuta*. sed in casu de quo agitur propriè non est opus ingredi hanc quæstionem, quia cùm dubitatur, an constet de existentia statuti ad effectum de quo agitur, effectus dubij est, vt videatur, an sit standum copiæ statuti, quæ exhibetur, cùm non reperiatur originale, vnde in substantia quæritur, an in ciuitate Montis Falisci, adsit statutum exclusiuum fœminarum, & Rota censuit quod sic. nam primò adest copia extracta ex originali de anno 1574. per publicum Cancellarium ciuitatis Montis Falisci, quæ cùm sit extracta à publico Officiali, probat, vt fuit resolutum in causa Mediolanen. Sancti Donati 23. Ianuarij 1612. coram R.P.D. meo Pirouano, & quòd extrahẽs fuerit Cancellarius, probatur ex eius subscriptione, Verall. *dec*. 245.*par*.2. & cum ista copia concurrit aliud transumptum factum de anno 1594. per Octauium Iustum, quod pluries fuit productum, vnde si probaretur iuxta illud fuisse iudicatum, vtique de per se absque alio adminiculo probaret. Paris. *cons*.104.*nu*.54.*lib*.1. quare saltem negari non potest, quin ista copia aliis probationibus præbeat maximum adminiculũ, cùm, si probaretur iuxta illud fuisse iudicatum, de per se probaret, & meritò, quia obseruantia scripturæ informidat robur. Cyn. inter cons. Bald. 400. *lib*.4.

Accedit etiam quod testes examinati coram bo. me. Lauretano deponunt de isto statuto, dicunt enim quod statutum antiquum erat valde laceratum, & quod propterea recurrebatur ad copiam, quæ erat penes Solatium, & quòd pluries dicta copia fuit delata coram iudicibus, qui testes negari non potest, quin faciant aliquem gradum probationis, cùm, si essent examinati in ista causa, plenè probarent stante laceratione antiqui statuti. Caputaquen. *decis*.49. *num*.3.*p*.3. & facit Bart. *in authentic. si quis in aliquo, n*. 28.*C. de edend. & in l. admonendi, num*.31. & ibi Ial. *in* 2.*lectura num*.115.*ff. de iureiur*. & quòd semiplenè probent, dicit Bart. *in d.l. admonendi, nu*.45.*ff. de iureiur*. Caputaq. *d.decis*. 49. *num*.3. *part*.3. & fuit resolutum in causa Mediolanen. decimarum 23. Ianuarij 1612. coram R. P. D. meo Pamphilio, quod maximè procedit in casu isto, quia coram eodem Cantuccio attentis istis probationibus fuit resolutum constare de existentia dicti statuti, vt reperitur adnotatum in diariis bon. mem. Cardinalis Seraphini sub die 28. Februarij 1586. & hoc statutum fuit semper præsuppositum in decisionibus factis coram Cantuccio, vt *in decis*.726.*nu*.2.*&* 775.*& decis*.780. *& decis*.790. *num*.2.*part*.1.

Et prædicta non modicum recipiunt adminiculum ex ordinatione facta in consilio Montis Falisci 9. Septembris anni 1584. in quo fuit determinatum quòd attenderetur in successione statutum antiquum, quod est illud de quo agitur, scilicet vt extantibus masculis fœminæ non succedant: non autem

autem aliud prætensum statutum nouum, & dicitur in prædicta ordinatione quòd dictum statutum antiquum ab immemorabili tempore fuit in dicta ciuitate obseruatum.

Non obstat attestatio modernorum Priorum, quòd scilicet in successionibus attenditur ius commune, non autem statutum, quia in concursu magis est standũ aliis probationibus, quàm isti attestationi, cùm dictæ probationes præualeant, ex quo sunt fortiores. Natta *cons.372. in fine*. Grat. *cons.6. num.23. lib.2. & cons.81. n.60. & seqq. & cons.86. num.10. lib.2.*

Et ita conclusum constare de existentia statuti, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Bononian. manutentionis. Veneris 15. April. 1616.

ARGVMENTVM.

De laudi impugnatione, seu etiam acceptatione, nonnulla notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Actum quem quis impugnat pro se allegare non potest, num.2.

Possessio conditionalis, non purificata conditione, non suffragatur, ibid.

Clausulæ in fine positæ regulariter referuntur ad omnia præcedentia. declara vt num.3.

Numerus singularis ad quæ referatur, an ad ea quæ sunt de præsenti, vel de futuro, ibid.

Conditio significatur per ablatiuum absolutum, num.4.

Possessio transfertur etiam ex innutili contractu. declara vt num.5.

Rector collegij non potest acceptare sine speciali mandato laudum latum contra collegium, num.6.

DECISIO CCXLIV.

1 Domini permanserunt in decisis in hac causa 27. Iunij 1612. ex rationibus tunc adductis. Non enim controuerti potest anterior possessio collegij, cùm de illa constet tam ex instrumento locationis cum perceptione, quàm ex confessione Ioannis aduersarij, vt latiùs in decisione, & tunc accedunt testes ab eodem Ioanne examinati, & dati in summario Collegij, deponentes de eiusdem Collegij possessione.

2 Non obstat prætensa possessio capta per Ioannem vigore compromissi & laudi, quia vltra responsionem decisionis, quæ placuit Dominis, quòd cùm Ioannes impugnet laudum, non potest ex eo iuuari, *cap. ex eo. de reg. iur. in 6.* cum aliis tunc allegatis, respondebatur etiam quòd licentia data in laudo capiendi possessionem erat conditionalis quatenus accederet beneplacitum Apostolicum intra certum tempus: quæ conditio cùm non fuerit purificata dicta possessio non suffragatur. *l. si quis ita stipulatus. de verbor. oblig.* Put. *decis.32. lib.1.* & fuit dictum in causa Netitonen. Massariæ 13. Martij 1603. coram bon. me. R. P. D. Litta.

3 Nec visum fuit subsistere, quòd dicta clausula, quatenus tamen ad illud accedat Pontificis beneplacitum, referatur tantùm ad ea, quæ in futurum erant effectuanda, de quibus proximè dictum fuerat, non autem adeptionem possessionis, quæ statim poterat effectum sortiri, tum quia huiusmodi clausulæ in fine positæ regulariter referantur ad omnia præcedentia, quando non potest dari ratio diuersitatis, cur ad vnum potiùs quàm ad aliud referantur. Gabr. *de clausul. conclus.9. in princip.* Hîc autem militat in omnibus eadem ratio validitatis laudi, pro qua dictum beneplacitum Apostolicum erat necessarium. Caputaq. *decis.165. p.1.* tum quia ratio recti sermonis id non patitur stante dictione ad illud in numero singulari, quæ non videtur posse referri nisi ad totum laudum, non autem ad ea, quæ erant exequenda, siue de præsenti, siue de futuro, de quibus arbiter locutus fuerat in numero plurali. Gabr. *d. conclus.9. in 22. limitatione num.31.* cum aliis per Cephal. *cons.599. num.10. lib.4.*

Rursus aderat etiam alia conditio significata per illum ablatiuum absolutum, facta tamen priùs vera & reali æstimatione bonorum Sancti Andreæ, quæ cum non fuerit facta, habeat locum suprà allegata. Et licèt prædicta æstimatio deberet fieri respectu partis dismembrandæ ab Ecclesia Sancti Andreæ, cuius redditus ascenderet ad scuta 30. annua; tamen ista conditio influit etiam respectu aliorum bonorum, quorum vsusfructus assignatur Ioanni eius vita durante, cùm esset necessaria distinctio, & separatio bonorum, quæ sine æstimatione fieri non poterant, & consequenter possessio bonorum capta per Ioannem pendente dicta conditione æstimationis fuit nulla. 4

Nec obstat quod ex inutili etiam contractu transferatur possessio. *l.1. §. si vir. ff. de acquir. possess.* quia respondebatur id procedere vel quando à possidente traditur possessio, licèt per actum nullum, vt tradunt communiter Doctor. *in d. §. si vir*, quod in proposito non iustificatur, vel quando persona contrahens est talis quæ potest alienare, & transferre possessionem, aliàs secus. *l. iubemus, in fine. C. de sacr. Eccles.* Bart. *in d. §. si vir, num.3. vers. vel aliter.* & ibi sequuntur Alex. *num.4.* Ias. *num.26. & seqq.* hîc autem contrahentes non erant habiles ad alienandum, & transigendum sine beneplacito Apostolico, ex proximè adductis. 5

Nec vis fieri posse videtur in acceptatione laudi, quia fuit solum acceptatum à Rectore, qui sine consensu Collegij non poterat, vt per Redoan. *de reb. Eccles. non alien. in 1. rubr. in princ. num.18. & 19.* & tanto magis, cùm in vim propriarum constitutionum dicatur interdicta Rectori facultas agendi Collegio, vnde Collegium ipsum videtur manutenandum, vt per Seraphinum *decis.1407. num.3. part.2.* 6

Ex quibus Domini permanserunt in decisis, &c.

R. P. D. CAVALERIO.

Pistorien. Canonicatus. Veneris 15. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Beneficij collatio si spectat ad Capitulum insimul cum Episcopo, non cadit in ea alternatiua, & an eiusdem beneficij collatio talis sit, attenditur vltimus status, cui præscribitur per possessionem 40. annorum.

SVMMARIVM.

Beneficij collatio vbi spectat ad Capitulum, & Episcopum simul, non cadit in eo alternatiua, num.2.
Beneficiorum collatio de iure spectat ad Episcopum vnà cum Capitulo, num.2. in princ.
Obseruantia in collatione beneficiorum factorum ab Episcopo cum interuentu Capituli attendenda est, ibid.
Quasi possessio conferendi beneficia per Capitulum sine Episcopo, quomodo probetur in præiudicium Episcopi, ibid.
Status vltimus beneficij censetur mutatus per contrariam quasi possessionem 40. annorum, num.3.
Vltimus beneficij status attendendus est ad effectum sustinendi Apostolicam prouisionem, num.4.
Restitutionis in integrum commissio obtenta post exequutionem iam consummatam operabitur tantùm in petitorio, num.5.

DECISIO CCXLV.

1 Postquam die 17. Iunij præteriti resolutum fuit D. Æneæ Prouiso Apostolico dandum esse mandatum de manutenendo, dubitaui in petitorio, an canonicatus sit adiudicandus Bartholomæo, & Domini negatiuè responderunt. Tota autem difficultas reducebatur ad illud, an scilicet hic Canonicatus esset simultaneæ collationis cum Capitulo, vel potiùs liberæ collationis solius Episcopi, quia si est simultaneæ collationis, certum erat non cadere in eo alternatiuam, vt apparet ex verbis regulæ 8. *si ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem*, &c. & ibi modern. Glossatores *gloss.45. in princ. num.1. & seq.* & consequenter erat nulla prouisio Episcopi, qui solus contulerat Bartholomæo; si verò non aderat simultanea, intrabat prouisio ab Ordinario solo tanquam facta in mense Octobris, qui per alternatiuæ acceptationem effectus erat Ordinarius.

2 Quòd autem hic Canonicatus esset simultaneæ collationis Episcopi, & Capituli vltra præsumptionem iuris, de qua per gloss. magnam *in cap. cùm Ecclesia Vulterana, de elect.* & per Cassad. *decis. 22. de præbend.* cum aliis in decisione aliàs facta allegatis, apparebat insuper obseruantia ex pluribus collationibus antiquis factis ab Episcopo cum interuentu, & consensu Capituli, videlicet de anno 1478. 1479. 1497. & 1523. ex quibus duarum effectuario iustificatur ex perceptione fructuum à prouisis, annotata per Cancellarium Capitularem; aliarum verò duarum ex instrumentis adeptæ possessionis, licèt neque talis effectuationis probatio esset necessaria, cùm ad præiudicandum Episcopo in libera collatione satis sit ostendere ipsum admisisse consensum Capituli, iuxta doctrinam Ripæ *in cap. cum Eccles. Sutrin. sub num.93. de caus. possess. & propriet.* quam secuta est Rota in Tirasonen. Canonicatus 4. Februarij 1608. coram bon. me. Sotto. Hæc autem quasi possessio præsumitur continuata donec contrarium probetur, per regulam *l. siue possiditis*, vbi Bart. Bald. Castr. & alij, *C. de probat.*

3 Nec Domini putauerunt obstare duas collationes ab Episcopo solo factas de huiusmodi Canonicatibus Cathedralis, vnam de anno 1563. alteram verò de anno 1574. cum possessione subsecuta, vnde arguebatur etiam prescriptio quadraginta annorum necessaria ad mutandum statum, vt per Rot. *decis. 2. de præbend. in nou.* & communiter per Doct. *in cap. cùm de beneficio, eod. tit. in 6.* quia responsum fuit post eas non dari alias prouisiones, nisi vnam Apostolicam de anno 1605. quæ non mutat statum, Achill. *decis. 13. de iur. patr.* & de anno 1608. dari vltimam collationem simultaneæ factam ab Episcopo, & Capitulo, quæ fuit canonizata per eiusdem Episcopi sententiam; nam Episcopus videtur amisisse suam possessionem stante actu positiuo d. collationis, cum declaratione subsecuta, cùm possessio solo animo amittatur, *l. 3. §. in amittenda. ff. de acquirend. possess.*

4 Hinc concludebant standum esse huic vltimæ possessioni, & huic vltimo statui, & eum esse attendendum ad effectum sustinendi prouisionem Apostolicam Æneæ factam, & intrare reseruationem ob cessationem alternatiuæ, quæ non intrat in beneficio simultaneæ collationis, vt suprà dictum est.

5 Nec visa fuit obstare commissio restitutionis in integrum obtenta à mensa Episcopali, quia fuit impetrata post executionem iam consummatam d. collationis simultaneæ factæ cum Capitulo, & sententiæ desuper latæ, & in omnem euentum posset operari, vt non præiudicaret Ecclesiæ in proprietate, quatenus haberet statum legitimè præscriptum, sed ad effectum sustinendi prouisionem Apostolicam sufficit vltimus status, & quasi possessio acquisita per Capitulum in d. collatione facta de anno 1608. iuxta cons. Calder. *de præbend.* & propterea conclusum fuit pro Prouiso Apostolico, videlicet Canonicatum non esse adiudicandum Bartholomæo.

R.P.D. ANDREA.

Nullius, seu Caputaquen. pensionis. Luna 18. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Religiosi Societatis IESV licèt emiserint tria vota, non tamen prohibentur retinere pensiones, beneficia, & bona ante emissam professionem.

SVMMARIVM.

Iesuitæ secundùm statuta religionis à Papa confirmata possunt ante professionem retinere beneficia, numero 2. & 4.
Pensiones veniunt appellatione beneficiorum in materia fauorabili, num.2.
Pensio extinguitur si pensionarius in Religione emittat professionem, ibid.
Iesuitæ etiam quòd emiserint tria vota simplicia, possunt tamen ante professionem retinere ius, & dominium suorum bonorum ad effectum ea distribuendi in pios vsus, num.3. & 4.
Bonorum appellatione veniunt etiam pensiones, vbi viget eadem ratio, num.3.
Iesuitas ante emissam professionem potest eorum generalis ad sui libitum, & nutum dimittere cum causa etiam absque illorum culpa, num.4.
Ratio legis dicitur communis lex ad omnes casus, n.5.
Ratio vbi est eadem, non est curandum de diuersitate casuum, ibid.
Extensio fit de vno ad alium casum diuersum vbi adest eadem ratio, ibid.

Obser-

Obseruantia subsequuta suffragatur etiam in retentione beneficiorum, & pensionum facienda à Religiosis, num.8.

Regulares possunt de licentia sui Prælati habere administrationem temporalem, & vsum quorundam bonorum, non tamen possunt habere dominium, & proprietatem, num.10. ad med.

Abbas non potest dispensare cum Monacho, vt teneat peculium vt proprium, sed tantum quoad administrationem, ibid. ante finem. vbi idem in pensione.

Papa ex causa potest dispensare cum Monacho super voto paupertatis, etiam Monacho remanente in monasterio, num.11. & 12.

Extensio ab identitate, vel maioritate rationis non valet in dispensationibus. declara, vt num.13.

DECISIO CCXLVI.

1 RES non noua, sed à Doctoribus non tacta, & in hoc Sacro Auditorio nunquam proposita, dedit causam disputationi coram me in specie huiusmodi; ex facto enim inciderat, quòd aliâ authoritate Apostolica fuerat reseruata annua pensio ducat. 100. monetę Neapol. super fructibus Abbatiæ S. Angeli ad Fossanellam nullius dœces. Prouinciæ Salernitan. ad fauorem D. Francisci Neri Presbyteri, qui cùm post plurium annorum exactionem Venerab. Religionem Societatis IESV ingressus fuisset, ac elapso biennio probationis, in ea tria vota simplicia emisisset, hinc Abbas prætendebat fuisse extinctam pensionem, quod negabat D. Franciscus: ideóque causa commissa in Rota, dubitaui an per emissionem trium votorum simplicium post biennium probationis esset extincta pensio; & Domini vnanimiter negatiuè respondendum putarunt.

2 Quamuis enim adscripti huic societati postquam emiserunt tria vota simplicia, verè, & propriè sint Religiosi, vt diffiniuit sanct. mem. Gregor. XIII. in sua constitutione incipiente, *Quanto fructuosius*, sub dat. Romæ Kal. Februarij anno 1582. & in alia incipiente, *Ascendente Domino*, sub dat. 8. Kal. Iunij 1584. & tradunt Nauarr. *de regul. comment. 19. num.* 1. Mandos. *consil.* 13. *num.* 3. *& seq.* Eman. Roderic. *quæst. regular. tom.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. Carol. Tapi. *in auth. ingressi, verbo Monasteria. cap.* 10. *num.* 6. *Cod. de sacros. Eccles.* Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disputat.* 25. *numer.* 15. Garz. *de benef. quæst.* 7. *cap.* 10. *num.* 53. *vers. & clarius patet*, nihilominus secundùm statuta d. religionis authoritate Apostolica confirmata ante solemnem professionem possunt retinere beneficia, quæ ante ingressum habebant, appellatione autem beneficij in hac materia larga, & fauorabili, vt mox dicetur, venit pensio, Abb. *in c. ad audientiam, il* 2. *in* 1. *not.* & ibi Felin. *in princip. de rescript.* Gig. *de pension. quæst.* 28. *n.* 1. & 18. idem *quæst.* 57. *num.* 5. *in fin. & seq.* vbi propterea concludit quòd sicut per professionem vacat beneficium, ita etiam extinguitur pensio; & idem tradit Gabr. *consil.* 187. *num.* 11. *lib.* 2. Nauarr. *consil.* 111. *nu.* 2. *de tempor. ordin.* Garz. *vbi suprà part.* 1. *cap.* 5. *num.* 14. Ergo si à pari procedunt vacare beneficium, & extingui pensionem vbi sumus in casu vacationis beneficij, quando è contrà non vacat beneficium, vt in casu nostro per emissionem trium simplicium votorum, nec dici poterit extingui pensio, quia quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito, *l. & si contra. ff. de vulg. l. vlt. §. fin. ff. de legat.* 3. & vtrobique Bart. & Doct.

3 Præterea in vtraque constitutione Gregorij scilicet in prima, *in vers. quod verò ad paupertatem*, & in secunda *in vers. & licet*, expresè conceditur, vt qui emiserunt dicta tria vota simplicia, possint retinere ius, & dominium bonorum suorum, ad effectum ea distribuendi in pios vsus: appellatio autem bonorum latissimè patet, vt etiam comprehendat pensiones, saltem vbi viget eadem ratio, vt fuit dictum in Conchen. pensionis 6. Martij 1598. coram Peregrino, vbi quòd Rota aliàs hoc habuit pro absoluto, & vbi, prout hîc concurrit fauor materiæ, ex infrà dicendis *in vers. minus etiam.*

Vlteriùs hæc emissio trium votorum simplicium, 4 quicquid sit quoad ipsos emittentes; qui quantùm in eis est remanent perpetuò obligati, non fit irreuocabiliter quoad ipsam societatem, cuius superior generalis potest eos semper dimittere cum causa, etiam absque illorum culpa; iuxta statuta d. Religionis, & præfatas constitutiones, & confirmationes Apostolicas. Vnde, vt maiorem societas haberet libertatem, illos si opus esset cum minori offensione dimittendi sapienter fuit prouisum; vt eis liceret retinere bona sua, & beneficia, ne postea dimissi eis priuati remanerent, vt *in constit. d. societatis part.* 4. *littera E in fin. & part.* 6. *cap.* 2. *littera H*, *& in examin. general. cap.* 4. *vers. interrogetur. & numer.* 5. *& in* 1. *congregat. general. tit.* 6. *decret.* 61. quæ ratio expresè legitur in d. constitut. Gregoriana incipiente *Ascendente Domino, ante med. vers. & licet qui ad gradus professorum*; & est eadem, quo motus Bonifacius VIII. *in cap. beneficium. de regul. in* 6. decreuit beneficium ingressi Religionem intra annum probationis non vacare, vt in specie animaduertit Ribadeneir. *in tract. de rat. institut. societ. cap.* 18. *ante med. vers. y por ista misma causa*, & ideo Archid. *ibid. num. fin. vers. ad hoc dicas*, post Tancred. & Bartholom. Brixien. tenet quòd beneficiatus interim facit fructus suos, quia potest ad seculum reuerti, sequitur Tiraquel. *de retract. lignag. §.* 1. *gloss.* 8. *n.* 34. *in fin.* Syluest. *in verb. religio, il* 2. *n.* 8. *ad med. vers. reliquum verò*, Eman. Roderic. *vbi suprà tom.* 1. *quæst.* 37. *art.* 1. *vers.* 3. *nota*; quæ ratio militat etiam in pensione.

Et licèt ille text. *in d. cap. beneficium.* loquatur de 5 ingresso qui nondum emisit professionem, attamen eius ratio attendenda est, quia scilicet ille potest ad seculum redire, quæ ratio æquè militat in eo, qui emisit dicta tria vota simplicia, atque ita idem ius debet procedere, ad text. *in l. illud. ff. ad l. Aquil. & c. in causis, de re iudic.* Ratio enim dicitur communis lex ad omnes casus, Calder. *cons.* 1. *ad med. vers. nec obstat, de regular.* Aym. *consil.* 190. *num.* 2. Riminald. iun. *consil.* 67. *num.* 17. *& consil.* 510. *numer.* 30. ideò non est curandum de casuum diuersitate, vbi adest eadem ratio; quia tunc non dicitur fieri extensio, sed comprehensio, gloss. *in cap.* 1. *verbo Italiæ, de temp. ordin. in* 6. Calderin. *consil.* 1. *in princ. vt lit. pend.* Crauet. *consil.* 193. *numer.* 3. *& d. consil.* 190. *num.* 2. Rimin. iun. *d. consil.* 67. *num.* 17. *& seq.* Put. *decis.* 55. *num.* 3. *vers. Et hoc sine difficultate, lib.* 3. & ita in proposito rationem illius text. applicat Ribaden. *vbi suprà.*

Vni etiam ex DD. placebat quòd text. *in d. c. beneficium*, quem extendunt Doct. ad vacationem pen- 6 sionis, post emissam professionem minimè applicetur casui nostro, quia loquitur de professione expressa, vel per susceptionem habitus professorum scienter, vt habetur *in dicto text.* quem intelligunt Doctor. quando ex ipsa susceptione habitus inducitur professio tacita, aliàs secus, Ioann. Andr. *in di-*

& cap.beneficium,in verbo professorum, Franc. *numer.1. versic 3 nota.* Eman. Roderic. *quæst.regular.tom.1.qu. 37.art. .ante med.versic.circa quam constitutionem*, quę professio, siue expressa, siue tacita, non conuenit huic emissioni trium simplicium votorum, & ideo bene arguere licet ab eo, quod nullibi cautum reperitur, quòd per eam vacet beneficium, & per cõsequens, nec dici possit extincta pensio, prout in simili arguit Archid. *in dict.cap.beneficium, ad fin.super verbo portione, vers.tu qui tenes contra*, & post eum Ioan. Andr. *nu.3.post med vers.dicit autem*, Anchar. *n.1.ad fin.vers.idem*, Archidiaconus, & ibi etiam Dominic. *num.7.circa med.in gloss fin.* & Franc. *num. 6. in princip.* & hanc differentiam inter professionem expressam, & hanc simplicem emissionem votorum, ad istum effectum agnoscit Ludouic. Mirand. *in manual prælator.regular quæst.10 artic.3.ad fin.vers. quòd si Innocentius*, & Ribadeneyr. *dict.cap.18.ad fin. versic.y repugna.*

7 Quibus optimè conuenit, quòd illi qui emiserunt dicta simplicia vota in hac Societate, donec expresſè in ea professi fuerint, semper dicuntur esse in probatione, vt *in examin.general.cap.4. num. 17. & in constit.part.4.cap.4. in declaratione sub littera E. in fin.& part.5.cap.2.& part.10. num.7.vers.non enim alij,& in dicta confirmatione Iulij III.ad fin.vers. hac sunt.*

8 Vltimò pro hac parte facit obseruantia subsequuta, & vniuersalis, atque inconcussus vsus d. Societatis, in qua tam Nouitij, quàm illi qui emiserunt dicta simplicia vota, retinent ius, & dominium bonorum suorum, non solùm temporalium, sed etiam in specie retinent beneficia, & pensiones, quæ obseruantia est optima legum, & constitutionum interpres, *l.si de interpretatione cum seq. ff. de leg.* Surd. *consil.362.n.10.* Put. *decis.12.lib.3.* de cuius viribus non potest dubitari, cùm nedum non repugnet dd. constitutionibus Apostolicis, verùm etiam illis sit maximè conformis.

9 Hinc facilè patet responsio ad omnia ex aduerso deducta pro Abbate: nam quòd ex emissione trium votorum simplicium dd. Patres Societatis IESV constituantur veri Regulares, non secus, ac alij quorumuis Ordinum Regularium professi, iuxta d. constitutionem Gregorij XIII. non impedit quin interim possint retinere ius, & dominium bonorum suorum, donec Superior aliter mandauerit, vt cauetur expresſè in dicta constitutione, & aliis suprà relatis, in quo isti Regulares non sortiuntur naturam aliorum Regularium, sed penitus diuersam, ita quòd non liceat ab aliis Regularibus ad istos arguere, cùm ex diuersis non fiat illatio, *l.Papinianus exuli ff.de minor.cap.dilectus, de offic. ordin.* cum aliis per Euerard. *in loco à separatis, num. 1. & 2.* Et quòd his temporibus, & in hac Religione hoc speciale sit, ac diuersum ab aliis Religionibus, in puncto tradunt Vasq. *in 1.2 tom.2.disput.165 num 104. in fin.* Eman. Roderic. *vbi suprà dicto art.4.post princip. vers.differt tamen.* Less. *de iust. & iur.lib.2. cap. 4. dubit.5.num.27.* Molin. *de iust.tract.2.disput.139.colum.1. vers.illi qui finito*, Ludouic. Mirand. *in manual. prælat.regul.quæst.10. in conclusione, & responsione ad primum*, Ribaden. *dicto cap.18.* Garz. *de benefic. part.7. cap.10.num 62.*

10 Nec obstat quòd cùm dicta facultas retinendi bona sua limitetur ad tempus iudicio Generalis, nec illis possint vti sine Superioris licentia, id non destruit præcedens votum paupertatis, quin operetur suos effectus, prout idem est de iure communi, quo inspecto similis concessio à Prælato facta non repugnat voto paupertatis, Abb. *in cap.2.num.4. in 3.notab.de stat.monach.* Syluest. *in verbo religio 6.num. 7.vers.si autem prælatus*, Rot. *decis.772. num.2. & seq. part.1.& decis.216.num.12. & 13. part.2.diuersor.* & in hac Societate Gabr. *consil.28.num.3. vers.neque verò, lib.1.* Vnde aut istud indultum concessum Societati retinendi bona propria, est conforme iuri communi, & sicuti illi attento nihilominus pensio extinguitur; ita etiam in hoc casu non obstante indulto propter passiuam interpretationem à iure communi: aut continet priuilegium contra ius, & tanquam exorbitans, cùm loquatur de bonis, quæ propriè sunt temporalia, & patrimonialia, non debet extendi ad beneficia, & pensiones, quæ sunt Ecclesiastica, & spiritualia. Quia respondetur, quòd licèt alij Regulares possint de licentia Prælati habere administrationem temporalem, & vsum quorundam bonorum, non tamen possunt habere dominium, & proprietatem, *cap.cùm ad monasterium, in fin.ibi*, nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, *de stat. monach.cap.non dicatis*, vbi Præpos. *num.12. in 1. conclus. 12.quæst.1.* Calderin. *consil.2. in princ. vers.& ratio.de regular.* Carol. Tap. *vbi suprà, in verbo ipso ingressu cap.3.num.35.* Iacob. de Graff. *decis.aur.part.2. lib.3. c. 18 num.23.* & ideo *in cap.2.de stat.monach.* Butr. *num. 10.* Abb. *num. 4.* & communiter Doctores notant, quòd Abbas non potest dispensare cum Monacho, vt teneat peculium, vt proprium, sed quoad administrationem, & idem in pensione tradunt Panormit. *in cap nisi essent, numer.12.de præbend.* Carol. Tap. *vbi suprà n.43.* Iacob de Graff. *dicto cap.18.num.47.* & in specie in hoc differre istos Regulares Societatis ab aliis Regularibus, quòd isti qui emiserunt tria vota, possunt ad tempus, arbitrio Superioris retinere dominium bonorum, sed sine vsu, & administratione; cæteri verò possunt tenere administrationem, & vsum, non tamen Dominium, tradit Eman. Roderic. *vbi suprà d quæst.1. artic.4. post princ. vers.differt tamen.*

11 Negari igitur non potest quin illa facultas retinendi ius, & dominium bonorum suorum in persona Regulari attento iure communi, quodam modo afficiat, & limitet votum paupertatis, etiam si de illis non possit ad libitum disponere, & sic etiam parata arbitrio superioris illud dominium à se abdicare. Less. *vbi suprà. cap.41. dubit.9. numer.70 ad med. vers.nihilominus, & num.71.versic. secunda est.* Vnde necessaria fuit authoritas Romani Pontificis, qui ex causa potest super huiusmodi voto paupertatis cum Monacho dispensare, vt post Innocent. *in dicto cap. cùm ad monasterium, numer.2.* est communis opinio Canonistarum *ibi, & in dicto cap.non dicatis*, vbi Præposit. *num.12. in prima conclus. & numer. 13.* dicit communem, prout Nauarr. *ibidem in comment. 2. de regular.numero 17.* fatetur communem, licèt ab ea discedat Couarr. *in cap 2.num.10 & seq. de testament.* Gregor. Lopez *in l.2. verbo, non puede, tit.6. part.1.* Garz. *de benefic.part 7. cap. 10. num 60. & 91.* Eman. Roderic. *vbi suprà in vers. cui obiectioni*, qui omnes ita respondent, text. *in d.cap. cùm ad monasterium in fin.* vbi dicitur quòd abdicatio proprietatis, sicuti & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, vt scilicet intelligatur sine causa, non autem cum causa, prout in casu nostro.

Et

12 Et ratio est, quia voto paupertatis, & illius substantiæ non tam repugnat dominium, quàm vsus, & sola Ecclesiæ constitutione Monachus est incapax dominij, quo fit, vt Papa qui est supra ius, & Ecclesiæ constitutionem, rectè possit illum facere habilem, & capacem dominij etiam manentem Monachum, modò quoad vsum Religiosam paupertatem seruet, & sit paratus arbitrio Superioris quandocunque dimittere, vt in puncto declarat Vasquez *in 1.2.tom.2.disp.165.cap.6.per totum*, Less. *de iustit. & iur. lib.2.cap.4 dubitat.5.nu.27. vers. vbi notandum*. Ludouic. Mirand. *in manual. prælat. regular. qu.10. artic.3. in conclus. & respons. ad primam*. Ribadeneir. latissimè, *d.cap.18*. Couarr. *d.cap.nu. 12*. Garz. qui alios refert, *vbi supra n.64.& 87*.

13 Minus etiam obstat, quòd constitutiones societatis non loquuntur de pensionibus, sed de bonis temporalibus, & de beneficiis. Vnde non sunt extendēdę ad pensiones, quia in dispensationibus non valet argumentum ab identitate, vel maioritate rationis, hoc enim procedit in dispensationibus particularibus, & odiosis; secus verò in generalibus, & fauorabilibus, vt in casu nostro, in quo agitur de fauore Religionis, & per viam legis proceditur, Barbos. *in l.1.part.1.num.19.& 20. ff. solut. matrim*. Sanchez *de matrim. lib.8. disputat 1.nu.8. 33.& 36*. Eman. Roderic. *quæst. regular. tom.1. quæst.11. artic. 9. ad fin. versic nec his obstat*. Vnde cùm simus in materia larga, & fauorabili, appellatione beneficij venit pensio ex suprà deductis in principio, & etiam comprehenditur appellatione bonorum, vti quid temporale, & profanum ab ipso beneficio Ecclesiastico diuersum, Gig. *de pension. quæst. 11. num. 1*. Cæsar de Grass. *decis.3.num. 8. de præbend*. Rot. *decis.45. num.2. part.1. diuersor*. & obiectum similiter non procedit, quando dispensatio habet expressam causam, vel rationem, quæ militat etiam in casu non expresso, tunc enim bene admittitur extensio, Abb. *in cap. at si clerici.§. de adulteriis, numer 8. vers. posset tamen, de iud*. Rip. *in cap. ad aures num.41. limit.1. de rescript*. Sanch. *dicta disp.1. numer.34*. cum adductis suprà *in vers. & licet*. ratio autem expressa in dicta constitutione Gregorij XIII. est vt maiorem societas habeat libertatem, eos, qui emiserunt huiusmodi tria vota, cum minori offensione dimittendi, quæ ratio tam militat in pensionibus, quàm in beneficiis, & bonis temporalibus.

Et ita conclusum pensionem non esse extinctam.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Mediolanen. iurispatronatus, 18. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Ius patronatus origine gentilitium potest fieri hæreditarium, & factum hæreditarium remanet mixtum, si adhuc præsentant ex agnatione.

SVMMARIVM.

Ius patronatus donari potest, & transit in donatarium, ita vt efficiatur hæreditarium, num.1.

Ius patronatus gentilitium potest mutare qualitatem, ita vt efficiatur hæreditarium, etiam in præiudicium compatroni per lapsum maximè longi temporis, n.2.

Vicarius Episcopi non potest præstare authoritatem donationi iurispatronatus de laico in laicum, sed requiritur authoritas Episcopi, quia sunt de his, quæ non veniunt in generali mandato Vicarij, num.3. declara vt num.4.

Tempus longum decursum facit præsumi mandatum, cum qualitate necessaria, quod aliàs non præsumitur, maximè subsequuta obseruantia, ibid.

Ius patronatus origine gentilitium ex post factum hæreditarium, non dicitur simpliciter hæreditarium, si adhuc præsentant descendentes ex agnatione, sed mixtum, & hæc mixtura sufficit ad exclusionem extranei, num.5.

Enunciatiua in præsentatione, quòd præsentans sit vnicus patronus iurispatronatus, non præiudicat remotioribus qui proximiore amoto habent gradum proximitatis, num.6.

Vnicus potest intelligi de tempore quo fit actus, ita vt non concludat exclusionem in tertij præiudicium, numero 7.

DECISIO CCXLVII.

IN discussione cuius qualitatis esset patronatus de qua agitur, fuit primò firmatum patronatum esse gentilitium vsque ad annum 1510. hodie verò propositum fuit cuius naturæ sit ab anno 1520. vsque ad præsens. 1

Domini responderunt statum iurispatronatus ab anno 1520. citra, pro medietate fuisse hæreditarium: non tamen præiudicasse illis de familia si adsunt, nisi obstet præscriptio, quam intendunt particulariter examinare; quo verò ad aliam medietatem fuisse gentilitium vsque ad annum 1589. 2

Fundamentum primæ partis deducebatur ex eo quòd Iacobus Cortesella filius Benedicti vsque de anno 1510. præsentando enunciat se solum ex descendentibus fundatoris ab Ordinario admissus, & vti talis de anno 1520. eiusdem patronatus medietatem donauit Iacobo Sellanouæ pro se, suis hæredibus, & successoribus & extraneis quibuscunque, quæ donatio cùm effectum habuerit in occurrentibus vacationibus ab anno 1533. vsque ad annum 1589. in quibus donatarij semper admissi fuerunt ad præsentandum, cùm hæredibus donatoris, nulli dubium quin tam ex voluntate, & potestate donantis transire potuerit ius patronatus pro illa parte cum qualitate hæreditaria, Abb. *in cap.1. de iurepatr*. Dec. *cons. 149.n.1*. Federic. de Sen. *consil.111. col. penult. vers. Item quæritur*. Couarr. *var. resolut. lib.2. cap.18 num.6. vers. duodecimò non incongruè*. Serap. *decis.364.& 378*. quàm etiam iuris dispositione. 3

Cùm tanto tempore qualitas gentilitia declarari & mutari potuerit in præiudicium compatroni volentis præsentare. Cittadin. *de iurepatr. part.6. art.3. q. 17*. Lambertin. *lib.1. part.2. art. 11.1. part. principalis art.5. n.1*. & firmauit Rota *decis. 229 nu.1 part.1. diuersor*. & coram bo.me. Pegna in Senen. iurispatronatus 9. Ianuarij 1598. 4

In præiudicium autem non volentis agere, hoc est, de quo particulariter fuit reseruatum videre, quia vti remotioribus fortè de eo tempore non pertinebat ad eos, viuente proximiore, quod idem conueniebat aliis successoribus non natis, quibus non videbatur posse inferri præiudicium. 5

Non obstat quòd in dicta donatione non interuenit auctoritas Episcopi, sed Vicarij, quæ non suffi- 6

cit, cùm approbare donationem iurispatronatus factam per laicum alteri laico respiciat gratiosam facultatem, *cap. illud cap praeterea. de iurepatronatus*, quæ non transit in generalitate mandati vicarij. *cap fin. de offic. vicar. in 6.* Ferret. *consil.* 344. *num.* 1. *lib.* 2. Calder. *consil.* 1. *eod. tit. de offic. vicar.* & firmauit Rota in Pientina iurispatronatus 22. Aprilis 1611. coram Pegna.

4 Quia ex decursu tanti temporis præsumitur sufficiens mandatum, vel ratificatio Ordinarij, qui aliàs non permisisset patronum præsentare, prout fecit in occurrentibus vacationibus. Lambertin. *de iurepatronatus part.* 2. *lib.* 1. *in* 8. *art.* 1. *p.* 9. *princip.* Mohedan. *decis.* 22. *num.* 3. *de prabend.* Rot. *decis.* 598. *num* 4. *part.* 1. *diuersor.* Et in hac causa fuit dictum in decis. 15. Maij 1615. & si dicatur quòd occurrentes præsentationes fuerunt admissæ per eosdemmet Vicarios, ita vt non possit intrare præsumptio consensus Episcopi ad inducendum tacitum mandatum vel ratificationem, patet responsio, cùm appareat de iuribus huius patronatus actum fuisse à sacra Consulta ex litteris quæ dantur vsque de anno 1563. & tunc fuisse responsum admittendas præsentationes factas per nobiles illos de Sellanoua, itaut de cursu temporis & scientia Ordinarij non videatur dubitandum.

5 Secundæ partis resolutio in eo consistebat, quia ab anno 1520. vsque ad annum 1589. in parte non donata continuarunt Hieronymus, & Iohannes Petrus, filij Iacobi de Cortesella, & illis mortuis successerunt in ea parte Bernardinus & Benedictus filij Hieronymi, ac demum Cecilia filia Benedicti decessit, cui fuerat substitutus Iacobus de Sellanoua per Benedictum in vniuersa eius hæreditate & bonis, & ideò cùm ex fundatione, & origine ab anno 1036. per tot sæcula vsque ad annum 1520. iuspatronatus trahat secum qualitatem gentilitiam, visum est, ex sequentibus præsentationibus, in quibus enunciatur quòd præsentans per tempora tanquam hæres & vnicus patronus ex descendentibus fundatoris actus præsentationis fecerat sufficienter, non fuisse obscuratam originem qualitatis gentilitiæ, vt inde censendum sit simplex hæreditarium, quia certum est quòd ipsi præsentantes erant de agnatione de Cortesella, & qualitas hæreditaria non aduersatur iuri gentilitio, & familiari, quin simul possint esse hæredes maiorum, & ex prouidentia fundatoris recognoscere patronatum, & sufficit ista mixtura vt extraneus excludatur, vt declarant de emphyteusi & feudo quæ fraternizant, secundùm Card. *in Clem. plures col. fin. de iurepatronatus.* Clar. *in* § *feudum, quæst.* 9. Surd. *consil.* 63. *num.* 11. *&* 12.

6 Et per affirmare quòd præsentans esset vnicus patronus ex descendentibus fundatoris, non inde videtur præiudicatum remotioribus, qui proximiore remoto ad illum proximioritatis gradum ascendere potuissent, vel non natis, qui similiter illum gradum assequi possent, vt per Franc. *in cap.* 1. *num* 4. *vers. quod intelligit, de iurepatronatus.* Molin. *de primog. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 31. Ferret. *cons.* 134. *num.* 12.

7 Et potest intelligi de vnico patrono de tempore præsentationis habente ius præsentandi, quod sufficeret ne concludat exclusionem in tertij præiudicium. *cap. in præsentia, de probat. l. non hoc. Cod. vnde legitim.*

Et ita, &c.

R. P. D. VBALDO.

Florentina bonorum. Lunæ 18. *Aprilis* 1616.

ARGVMENTVM.

Cessio à cedente abdicat omne ius, illúdque transfert in cessionarium, qui propterea litem à cedente inceptam continuare potest, & quando res integra non dicatur.

SVMMARIVM.

Cessio à cedente abdicat omne ius, illúdque in cessionarium transfert, num. 1.

Cessionarius potest continuare litem inceptam à cedente, ibid.

Litis expensæ præsumuntur factæ ab eo, ad quem negotium pertinet, ibid.

Res integra non dicitur quando fuit deuentum ad aliquos actus, etiam circa præparatoria iudicij, ibid. in fine.

Monitio, citatio, seu interpellatio non requiritur vbi quis se monitum, citatum, seu interpellatum haberi vult, num. 3.

DECISIO CCXLVIII.

Placuit Dominis decisio in hac causa facta die 1. Februarij 1613. coram me, quia Eques Petrus Medices habet intentionem fundatam in stabilimentis Religionis Hierosolymitanæ, quibus permittitur quicunque militi eiusdem Religionis bona à laicis possessa, monitis tamen Commendatariis recuperare, & in cessione sibi facta à Commendatario Guccio, ex qua bene colligitur eius animus quòd nollet ipse recuperare bona suæ Commendæ aliàs per eius antecessores in emphyteusim concessa, prout latiùs in dicta decisione, cui non obstare dixerunt quòd lis, iam ab ipso Equite Guccio inchoata ab eodem, vel eius nomine fuerit etiam post cessionem prosecuta, non autem à Petro, & sic succedente in Commenda Equite Lomellino, ei videatur hoc ius recuperandi quod residebat in Equite Guccio superuenire re integra, adeò vt sit præferendus Petro cessionario, ad dec. Rot. 19. *num.* 11. *vers. in primis p.* 2. *diuers.* cum allegatis pro Lomellino; quia fuit responsum stante cessione approbata, ius fuisse abdicatum ab ipso cedente. Rot. *decis.* 2. *de renunc. in antiq* Cassad. *dec.* 2. *nu.* 3. *eod. tit.* Caputaq. *dec.* 81. *p.* 3. & ius omne translatũ in cessionarium. *l. emptor.* vbi Bald. *C. de hæred. vel act vend.* Alex. *consil.* 122. *numer.* 10. *lib.* 7. Surd. *consil.* 22. *num.* 16. *lib.* 1. Tiraq. *de retract. lignag.* §. 1. *gloss.* 7. *num.* 12. & fuit dictum in Romana participationis 23. Ianuarij præteriti coram me, & nihilominus posuisse, & debuisse litem continuari à cessionario nomine cedentis. Abb. *in cap.* 2. *num.* 5. & ibi communiter alij *de alien ind. mut. caus fact.* Afflict. *decis.* 354. *n.* 22. præsertim cùm constet cessionarium fecisse omnes expensas litis, vt in declaratione Equitis Guccij in actis producta; vltrà quòd de iure præsumitur expensas ab eo fuisse factas ad quem negotium pertinet. Neuiz. *cons.* 19. *num.* 9. Menoch. *cons.* 122. *nu.* 42. *lib.* 2. & sic cessat quod dicebatur rem fuisse integram, cùm non dicatur res integra quando fuit deuentum ad aliquos actus. Bald. *in l.* 1. *n.* 9. *Cod.*

Cod.qua nd.lic.ab empt. disced. quod procedit etiam quando est aliquid factum circa præparatoria iudicij. Ceph. *consil.* 91. *numero* 38. Rot. *decisione* 251. *numer.*3.*p.*2. *diuers.* & firmatur in decisione de qua agitur.

2 Nec obstat quòd causa prædictæ cessionis fuerit, quia Guccius ob grauem ætatem non posset recuperationi bonorum incumbere, quæ causa cessabat superueniente nouo Commendatario, qui poterat per se prosequi litem, & ideo cessare debebat etiam cessio, quia sufficit ius fuisse abdicatum ad effectum, vt etiam cessante causa ius à cessionario auelli non possit. Tiraq. *in tract.caus.cess.limit.* 4. *& limit.*11.

3 Nec releuare videbantur adducta pro subreptione confirmationis cessionis, quia quidquid esset de hoc dicendum, sat est ad effectum, vt stabilimenta Religionis Petro in hoc suffragentur quòd constet de voluntate Guccij, prout constat ex dicta cessione quòd noluerit recuperare bona; prout ob hanc rationem, nec requirebatur alia monitio ipsi Guccio facienda, cùm satis se dederit pro marito, & interpellato cedendo ius recuperandi ipsi Petro. *l. amplius non peti.ff. rem rat.hab.* per quem text. fuit in similibus teminis resolutum in vna Firmana dotis 1. Iunij 1605. coram R.D. Damasceno, & tangitur in dicta decisione huius causæ, à qua Domini ex præteritis non putarunt esse recedendum.

Et ita fuit decisum.

R.P.D. DAMASCENO.

Anconitana, seu Auximana florum. Lunæ 18. *Aprilis* 1616.

ARGVMENTVM.

Manutentio non datur, nisi probata quasi possessione tempore motæ litis, & quasi possessio quod vnum non suffragatur quoad alium. Plura de testium fide, & probatione quasi possessionis, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

*Manutentio non datur, nisi probata possessione de tempore motæ litis, num.*1.

*Quasi possessio contra vnum non suffragatur contra alium, num.*2.

*Testes contra producentem plenè probant, n.*3.*in fine.*

*Testis dicitur deponere de facto proprio, quando deponit factum proprium quod est sibi commune cum alio, num.*4.

Testis de facto proprio plusquam semiplenè probat, ibid.

Possessio amittitur per decennium, ibid.

Testes de auditu nihil probant, ibid. in fin.

*Communitas non obligatur, nisi per Concilij Congregationem, num.*5.

DECISIO CCXLIX.

1 TEnuerunt Domini, sententiam de partibus, quę concedit manutentionem Communitati Anconæ, contra Communitatem terræ Offaneæ, ad portandum flores ad ciuitatem Anconæ in festo Sanctissimi Corporis Christi, esse infirmandam; quandoquidem, ex deductis non apparet de quasi possessione dictæ Communitatis Anconæ de tempore motæ litis, quod est præcipuum requisitum, ad obtinendum manutentionem, §.*retinendæ. Instit de interdict.* Couarr. *pract.quæst. cap.*17.*num.*3.*versic.quo ad interdictum*, Alexand. *cons.*90.*num.*4. *lib.*4. Neuis. *cons.*80.*num.* 2. Caputaq. *decis.*198.*part.*2. Seraph. *decis.*1295.

Nec suffragaretur quasi possessio contra alias Communitates, nisi probetur in indiuiduo contra Communitatem Offaneæ, etenim quasi possessio contra vnum non suffragatur quo ad alium, Crauett. *cons.*317.*in fin.* Paris. *consil.* 37. *num.* 17. *lib* 3. Menoch. *cons.*331.*n.*113. & eo minus, quia terr. Offaneæ non est de diœcesi Anconitana. Vnde quidquid fecerint castra diœcesis in honorem Sanctissimi Corporis Christi, & sic ad cultum spiritualem, non inferret ad castra, quæ non sunt de diœcesi Anconitana, & quæ tenerentur exhibere cultum spiritualem suæ cathedrali, aliàs posset euenire, quòd terra Offaneæ pro eodem cultu posset grauari duplici onere, nempe, & in ciuitate Domina temporali, & in ciuitate Domina spirituali, contra not. *in cap. non debet, de reg.iur.in* 6. cum concordantibus, & sic stante diuersitatis ratione, non bene arguitur de castris subiectis Anconæ in temporalibus, & spiritualibus, ad castra subiecta in temporalibus tantùm, ad not. *in l. illud. ad l. Aquil.* cum similibus. 2

Non obstant testes inducti pro parte Communitatis Anconæ, quia visum fuit, illos non concludere quasi possessionem de tempore litis motę, quin potiùs aliqui ex illis contrarium deponunt. Primus testis licèt dicat se tulisse intimationes Communitati Offaneæ ad portandos flores, attamen expressè declarat, se nescire, an dicti flores fuerint asportati, vel non. Tertius testis iuxta quartum expressè dicit se non esse informatum, an Communitas Offaneæ portauerit, aut miserit flores, vel non, & idem repetit iuxta quintum, & iuxta sextum. Quartus testis satis clarè deponit contra Communitatem, dicit enim se esse officialem Communitatis Anconæ, & fuisse suam incumbentiam recipere dictos flores, & exercuisse dictum officium spatio 18. annorum in circa, & quòd durante suo officio, nunquam vidit Communitatem Offaneæ portasse istos flores, & ponderarunt Domini quòd iste testis ex duplici capite est maximè attendendus. Primò, quia inductus ab ipsa Communitate Anconæ, contra quam deponit, ad not. per Bald. *in l. data opera, numer.*47. *C. qui accusare non poss.* Bart. *consil.*92.*numer.*6.*lib.*1. Bero. *consil.*96.*num.*11.*lib.*3. Boër. *decis.*245.*num.*3. *in fin.* Surd. *consil.*217.*num.*21. Grammat. *decis.*34 *nu.*10. *cum tribus seqq.* 3

Secundò, quia deponit de facto proprio; dicitur enim factum proprium, quod est sibi commune cum alio, *Clement.*1.& ibi Imol. *numer.*9. *vers. tertio casu, de probat.* Rota in Elnen. beneficij 17. Februarij 1606. coram Reuerendiss. Bononien. & in Asculana iurispatronatus 18. Martij 1616. coram me; testis autem in facto proprio, plusquam semiplenè probat, Paul. de Castr. *in l.quicumque in fin. C. de seru. fugit.* Alexand. *consil.*192.*sub num.*14. *vol.*6. Cabr. *conclus.*1. *num.*20. *& 22. de testib.* Quintus testis, & ipse concordat cum isto quarto, ibi, *sono alcuni, che la detta Communità d'Offagna non porta, nè manda li Fiori in Ancona*, & licèt subiungat esse verum, *che* 25. *ò* 30. *anni fà era solita detta Communità mandare in Ancona detti Fiori per detta Festa*, & se vidisse illos portare, attamen si talis depositio concluderet quasi posses- 4

sionem de tempore ante 20. annos, non suffragaretur modernis temporibus, & sic de tempore motæ litis; quia possessio, quæ per decennium non habet adminaculum facti, amittitur. Ioan. de Imol *in cons.* 111. *sub num* 2. Castr. *consil* 54. *num.* 1. *lib* 1. Gabr. qui multos congerit, *de restit. spoliat. concl.* 5. *num.* 22. Sextus testis, & ipse percutit tempus ante 30. annos, erat enim tempore examinis annorum 45. suæ ætatis, & deponit de his, quæ vidit, vel fecit, dum erat annorum 14. in circa. Septimus testis licèt dicat, se scire, *che sono stati portati li Fiori dalle communità per honorare la Festa del Santissimo Sacramento*; attamen dicit, *che Castello fusse, io non me lo ricordo.* Dicebant etiam adesse alios testes de auditu, qui non probant, ad *l. testium. C. de testib.* Natt. *consil.* 245. *numer.* 1. Gemin. *consil.* 142. *num.* 5 *vers. Bertinus.* Alex. *consil.* 72. *num.* 8. *in fin. lib.* 1. Roland. à Vall. *consil.* 51. *num.* 23. & *seq. lib.* 1.

5 Et vlteriùs fuit ponderatum, quòd testes, qui deponunt de antiquis temporibus, adhuc nihil concludunt de illo tempore, quia non deponunt, fuisse asportatos de ordine Communitatis Offaneæ, congregato Concil. vt requirebatur ad obligandam Communitatem, aliàs quidquid fecissent particulares homines, non possent præiudicare ipsi Communitati, *cap. non debet de reg. iur. in* 6. Aliud est enim factum singulorum de vniuersitate, aliud verò factum ipsius vniuersitatis, *l. sicut. ff. quod cuiusque vniuers. nom.* Federic. de Sen. *consil.* 15. *in principio vers. præterea aliud,* Gabr. *conclus. vnic. num.* 6. & *seq. quod cuiusque vniuers. nom.*

R. P. D. VEROSPIO.

Hieracen. iurispatronatus. Lunæ 18. *Aprilis* 1616.

ARGVMENTVM.

De probatione immemorabilis præscriptionis in quasi possessione præsentandi in iurepatronatus, & plura de testium fide, & probatione publicæ vocis, & famæ in eadem immemorabili probanda.

SVMMARIVM.

Iurispatronatus quasi possessio per immemorabilem præsentandi præscriptionem, vt probata censeatur quæ requirantur, num 1. & 2.

Iuspatronatus maximè probatur ex attestatione Ordinarij, nu. 2. *in fine.*

Vasalli sunt idonei testes pro suo dominio, præsertim in materia quæ non ita de facili ab aliis probari potest, & quando concurrunt adminicula, num. 3.

Testis deponens de possessione alicuius per dictionem semper, *censetur deponere de possessione ante motam litem, num.* 4.

Dictio semper, *est temporis continuatiua, ibid.*

Fama censetur probata etiam quòd testes non dicant, à quibus, vel ob quam causam originem habuerit, nu. 5. *vbi etiam quòd non est necesse quòd à maiori parte populi audiuerit, sed sufficit dicere se publicè aliquid audiuisse.*

DECISIO CCL.

Firmato coram me sub die 27. Iunij 1614. de iurepatronatus Principis Hieracensis, in beneficiis de quibus agitur, non constare, prætendens deinde Princeps immemorabilem quasi possessionem præsentandi, remissoriam obtinuit, & pluribus examinatis testibus, dubium super hac immemorabili proposui, quam fuit responsum, probari, cùm super ea quintus, & vndecimus testis deponant, iuxta requisita glossæ *in cap.* 1. *de præscript. in* 6. nimirum de visu ante motam litem per annos quadraginta, de auditu à maioribus, quòd ipsi non viderint aliquid in contrarium, & de fama per verbum *fuit,* & *est,* ex quibus immemorabilis probatio resultat. Gabr. *de præscript. conclus.* 1. *num* 47. Rebuff. *de decim. quæst.* 13. *num.* 94. Caputaq. *decis.* 71. *part.* 2. Put. *decis.* 348. *lib.* 2. Mohed. *decis.* 3. *num.* 1. *de iurepatr.* Couar. *in reg. possess. p.* 2. § 3. *sub num* 3. Alex. *consil.* 177. *num.* 7. *lib.* 6. & *consil.* 16. *num.* 16. *lib.* 5.

Quæ corroboratur etiam ex aliis testibus, necnon ex præsentationibus ab anno 1531. quæ multum conferunt ad inducendam iurispatronatus immemorabilem, cùm probatæ fuerint per scripturas, Achill. *decis.* 4. *num.* 9. *de iurepatr.* Put. *decis.* 205. *lib.* 1. *in nouis.* & id etiam locum habet respectu personæ, in qua cadit vsurpationis suspicio. Rota *decis.* 545. *part.* 1. *diuers.* Seraph. *decis.* 1141. *num.* 9. & 10. Et vlteriùs eadem immemorabilis adminiculatur ex ipsius Episcopi declaratione de anno 1478. quòd videlicet hæc beneficia sint de iurepatronatus Marchionum Hieracensium, cui assertioni plurimum in huiusmodi materia solet Rota deferre. Put. *decis.* 43. *in fine, lib.* 2. Rota *decis.* 11. *de iurepatronatus in nouis,* Cardin. Seraph *dicta decis.* 1141. *num.* 8.

Nec valet exceptio contra testes examinatos, quòd sint Principis vasalli, & per consequens non idonei. Nam etiam vasalli pro domino probant, Bald. *in l. eos, num.* 2. Paul. de Castr. *n.* 2. & cæteri. *C. de testib.* Afflict. *decis.* 304. *n.* 14. Alex *consil.* 88 *n.* 16. *lib.* 5. Felin. *in cap. cum in litteris. n.* 3. *de testib.* Gabr. *eod. tit. conclus.* 10 *num.* 16. & 21. Quando præsertim sumus in materia, quæ non ita de facili potest ab aliis probari, *cap. veniens, el* 2. vbi Felin. *num.* 30. *de testib.* Marsil. *singul.* 23. Grat. *consil.* 59. *numer.* 2. *lib.* 2. & alij per Gabr. *de testibus. conclus.* 7. & quando concurrunt, vt hìc, adminicula, Alex. *in l. sæpe num.* 70. *vers. plus dicit. ff. de re iudic.* Aymon. *consil.* 6. *nu.* 66. & *consil.* 78. *num.* 10.

Non obstat, quintum testem de proprio auditu ante motam litem de fama non deponere, quia sufficit, illum deponere per dictionem *semper,* quæ temporis est continuatiua, Bald. *in cap. ex tenore, nu.* 2. *de testibus.* Claud. Seisel *in l. Celsus, numer.* 11. *de vsucap.*

Nec releuat, eundem testem ignorasse à quibus, vel ob quam causam fama originem habuerit, cùm secundùm Rotæ opinionem id non sit opus exprimere, Caputaq. *decis.* 7. & *decis.* 208. *num* 7. *p.* 2. & 289. *p.* 3. Cassad. *decis.* 3. *n.* 9. *de prob.* Prout nec etiam requiritur, testem deponere quòd à maiori populi parte publicè dici audierit, iuxta Bart. theoricam *in l. de minore.* §. *plurimum. ff. de quæst.* Sed illum sufficit dicere, se publicè aliquid audiuisse, Bald. *in cap. per tuas, de probat.* Cassad. *decis.* 3. *n.* 4. *eod. tit.* Verall. *decis.* 295. *lib.* 1. *in manuscript.*

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Bononien. dotis. Lunæ 18. *Aprilis* 1616.

AR-

ARGVMENTVM.

Clausula *precarij* generaliter super omnibus bonis ratione incertitudinis non operatur translationem possessionis in aliqua parte, pro qua debeat dari manutentio.

SVMMARIVM.

Precarij pactum transfert naturalem possessionem, ita vt ille, cuius fauore appositum est, possit eam propria sua authoritate capere, num.1. Limita si fuerit appositum in genere, quia ratione incertitudinis non operatur translationem possessionis manutenibilis in aliqua parte, n 2.

Possessio fundi probatur ex locatione cum perceptione fructuum, n.3. Intellige si locatio facta vti à domino, & possessore; secus si pro quocumque iure, & interesse. n.4.

Manutentio non datur non existenti in possessione, vel quasi de tempore motæ litis, n.5.

DECISIO CCLI.

1 CVm Hercules Ceruia vti creditor Francisci Pasqualini executus esset mandatum Rotale alias à me relaxatum super possessione Bagnetti, D. Cornelia dicti Francisci vxor prætendens se esse in quasi possessione dicti prædij, & non fuisse citatam, & sic non amisisse suam possessionem, instabat manuteneri; ideo dedi dubium, an ei esset dandum mandatum de manutenendo? Et Domini negatiuè resoluerunt.

Nec putauerunt obstare duo fundamenta quibus informantes pro D. Cornelia innitebantur. Quorũ primum erat quòd in instrumento dotis partim solutæ, partim promissæ Francisco & Hieronymo eius patri adesset generalis obligatio omnium bonorum Francisci cum pacto precarij in omnem casum restitutionis dotis, quod instrumentum erat celebratum de anno 1571. per quod precarium censetur, in Corneliam translata naturalis possessio. *l. & habet. §.penult. ff. de precar.* ita vt eam potuisset apprehendere propria authoritate, ex latè deductis in Bononien. de Zaualeis 13. Iunij 1611. & 4. Iulij 1612. coram R.P.D. meo Vbaldo.

2 Nam responsum fuit talem clausulam precarij fuisse appositam in genere super omnibus bonis ad effectum consequendi dotem in casu restitutionis, & ideo ratione incertitudinis non operari translationem possessionis manutenibilis in aliqua parte, *l.3. §. incertam,* vbi Bart. & alij. *ff. de acquir. poss.* Tiraq. *de iure constit. limit. 19. n.1.* textus autem *in d. l. & habet. §. penult.* procedit in re precariò concessa, quæ sit certa ratione quotæ & loci, vt ibi dicitur.

3 Alterum erat fundamentum D. Corneliæ, quia de ann. 1606. Franciscus maritus, & ipsa simul dicebant locasse quædam bona, & nominatim dictum prædium Bagnetti, & recepisse anticipatè partem pensionis, ex qua locatione cum perceptione fructuum, dicebant etiam satis probari possessionem. *l. quamuis. §. si conductor. ff. de acquir. poss.* Roman. *cons. 70. n 11.* Alex. *cons. 10. n.3. lib.4.* Etiam si agatur contra tertium possessorem. Soc. *cons. 106. n.2. lib.3.* cum adductis per Gabr. *de locationibus, conclus. 4.*

4 Verùm & ad hoc respondebatur talem locationem fuisse factam à solo Francisco, & D. Corneliã in dicto instrumento interuenisse non vti possidentem fundum locatum, sed pro quocumque suo iure & interesse, vt ibi exprimitur, & si ipsa exegit fructus, non exegit, vti possidens, sed vti creditrix mariti ipso vergente ad inopiam pro fructibus dotalibus, iuxta *l. vbi adhuc. C. de iur. dot. & l. si constante, ff. solut. matrim.* super quo fuit lata sententia, & quòd taliter exegerit pro fructibus dotalibus clarè apparebat ex quitantiis ipsius Corneliæ factis conductori.

Et licèt pro eadem Cornelia allegaretur ipsam optasse dotem partim in mobilibus pro concurrenti quantitate, & residuum in medietate domus, & dicta possessione Baguetti, quæ optio fuit confirmata per dictam sententiam; tamen placebat responsio non constare de actuali apprehensione possessionis, quæ erat necessaria præuia liquidatione quotæ, iuxta formam sententiæ.

Quare cùm non constaret de quasi possessione Corneliæ de tempore motæ litis, *§. retinendæ, & §. hodie. Instit. de interdict.* consequenter conclusum fuit ei non esse dandum mandatum de manutenendo.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Bononien. assecurationis dotis. Veneris 22. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Hæres possidens bona defuncti alteri obligata potest super dictis bonis hypothecatis ab eiusdem defuncti creditoribus molestari, & quid si dicti creditores non contra hæredem, sed contra tertios possessores, & emptores bonorum hæreditariorum agere cœperunt.

SVMMARIVM.

Hypothecata bona non possunt in alios transire, nisi cum suo onere, n.1.

Hæres censetur ad debita defuncti, & ipsius bona hypothecata possidens potest à creditoribus conueniri super dictis bonis hypothecatis, n.2. & 5.

Creditor hæreditarius sponte agens contra emptorem hæreditatis, nunquid videatur liberasse hæredem, ita vt eum amplius conuenire non possit, n.6.

DECISIO CCLII.

1 DE anno 1575. Alexander, & Cæsar fratres de Bouiis collocarunt in matrimonium Comiti Iulio Pepulo Elisabetham ipsorum neptem, & in instrumento dotali se obligarunt eis soluere scuta 400. annua, retrahendi ex fructibus annui census in regno Neapolitano, & in casum redemptionis dicti census, vel reductionis ad minorem summam, facere reinuestimentum, ex quo talis summa perciperetur, & quatenus minus perciperetur, teneri voluerunt ad supplementum cum promissione pro se, hæredibus, & descendentibus in infinitũ, cui obligationi mortuis dicto Alexandro & Cęsare de anno 1588. accesserunt etiam D. Virginia vxor

dicti quondam Alexandri, & Andreas eius filius cum relatione ad primum instrumentum citra nouationem, & iura iuribus addendo. Cùm autem mortua etiam Virginia dicti coniuges conuenissent D. Carolum Bouium vti Alexandri hæredem ad soluendum hanc annuam præstationem, fuit dubitatum, an D. Carolus teneatur? & Domini affirmatiuè responderunt.

2 Cùm enim omnia bona Alexandri, & Virginiæ, qui se principaliter obligauerant, essent hypothecata pro dicta præstatione, non poterant transire in alios, nisi cum dicta hypotheca, & consequenter D. Carolus, ad quem peruenerant vti hæredem obligatorum, tenebatur eam soluere, not. *in l. si cum autem, §. transgrediantur. ff. solut. matrim.* Afflict. *decis. 332. num. 2.* Bald. *in l. 2.* vbi gloss. *in verb. placuit. C. de hæred. act. l. 1. C. quod cum eo,* vel saltem bona possessa dimittere, *l. vltim. in fine,* & ibi Bald. *etiam in fine. C. si vnus ex pluribus.* Couarr. *var. resolut. lib. 3. cap. 7. num. 6.*

3 Quòd autem bona obligatorum ad D. Carolum peruenissent, Domini satis constare putabant. nam quoad bona Alexandri constabat ex aditione facta per eius matrem vti tutricem, & ex inuentario tutelari. *l. vlt. C. arbitr. tut.* Bald. *cons. 407. numer. 6. lib. 1.* Afflict. *decis. 13. num. 1.* & etiam ex transactione aliàs facta inter ipsum, & Andream eius fratrem, in qua adest expressa præseruatio iuris, & declaratio quòd per eam non censeatur renunciatum, nec factum præiudicium aliquod portioni bonorum hæreditatis paternæ indiuisè debitæ D. Carolo.

4 Nec putabant obstare, quòd Carolus non possideret, nec haberet ex dicta hæreditate bona paterna, nisi scuta 12. menstrua tantùm, iuxta formam dictæ transactionis. nam respondebatur. Primò non per hoc ipsum fuisse liberatum ab annua præstatione, de qua agitur, neque conuentiones initas inter ipsum, & Andream cohæredem posse alterare obligationem, qua tenebatur dictis côiugibus tanquam hæres Alexandri. *l. licèt. C. famil. hercisc.* Rimin. iun. *cons. 577. n. 18. lib. 5.* Secundò respondebatur transactionem fuisse super alimentis cum dicta præseruatione iurium, super portione hæreditatis paternæ indiuisè inter ipsos transigentes, & debitæ D. Carolo, vt dictum est.

5 Quo verò ad bona Virginiæ matris, licèt pro parte D. Caroli allegaretur ipsum ea possidere vti hæredem matris, vt per tres decisiones Rotales aliàs resolutum fuit coram Reuer. D. meo Archiepiscopo Damasceno, & apparet ex responsione facta per ipsum positionibus, & quòd hæc bona fuerant donata Virginiæ ab Alexandro viuente cum pacto, vt de iis disponere non posset, nisi ad fauorem filiorum, excepto Andrea, qui erat diues, & habebat amplissimum patrimonium ex primogenitura. Tamen Domini considerabant huiusmodi bona tanquam reperta in hæreditate Alexandri, vt apparebat ex inuentario, fuisse antea obligata, & hypothecata pro dote, & annua præstatione in fauorem horum coniugum, vnde non potuerunt transire in Virginiam donatariam, nec in D. Carolum ipsius hæredem, nisi cum dicto onere. Couar. *d. cap. 7. n. 6.* & sic D. Carolus ratione possessionis rerum obligatarum conueniri poterat in solidum actione pignoratitia, quidquid dicendum esset in actione personali, iuxta text. expressum *in d. l. vlt. C. si vnus ex pluribus.*

6 Nec visum fuit suffragari D. Carolo quòd ipse allegabat dictos coniuges nunquam hactenus petiisse ab ipso hanc annuam præstationem, sed ab Andrea, vnde prætendebat se fuisse tacitè liberatum per *l. 2. C. de pactis,* vbi creditor hæreditarius, qui sponte egit contra emptorem hæreditatis, videtur liberasse hæredem, ita ut eum ampliùs conuenire non possit. nam respondebatur quòd hoc fortasse procederet si ageretur contra D. Carolum, vti debitorem; sed cùm agatur contra ipsum vti possessorem bonorum obligatorum, quicquid dicendum sit de illa quæstione, an per electionem vnius debitoris sit liberatus alter, Domini ex antedictis dicebant ius pignoris, quod habent dicti coniuges in bonis sibi hypothecatis, & per dictum Carolum possessis, non fuisse amissum: & intrare dispositionem d. l. vlt. ad tradita per Couar. *in loco citato.*

Ex quibus conclusum fuit D. Carolum teneri.

R. P. D. PIROVANO.

Leodien. fideicommissi. 22. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

De feudo disponi potest inter vocatos sine licentia domini. Donatarius consentiens dispositioni in testamento de re donata, mutat titulum possessionis.

SVMMARIVM.

Feudum reputari non potest in non vocatum sine licentia domini, quia huiusmodi refutatio feudalis est mera alienatio, num. 1.

Feudi alienatio facta in comprehensos in inuestitura non infert præiudicium domino directo in hoc circumspecto quoad eum cessat prohibitio sua, & sic non est necessaria illius licentia, n. 2.

Insinuatio requiritur per necesse in consensu, per quem inducitur renunciatio proprij iuris, ex quo prouenit donatio, illius robur, & hoc etiam in donatione tacita vel præsumpta, n. 3. Declara vt n. 4.

Feudum renunciare, & illud refutare, vel dispositioni consentire non est donare, & ideo insinuatio non est necessaria, n. 4.

Insinuatio non habet locum in materia feudorum, n. 5.

Donationis natura est dare, & transferre, n. 5.

Possessio, quæ vno titulo habetur, superueniente alio titulo continuatur, & sustinetur transfusio titulorum absque eo quòd concurrat actus retrosimilis, n. 7.

Donatarius possidens titulo donationis, si consentiat dispositioni de re sibi donata in testamento, sibi præiudicat, & fit transfusio tituli possessionis etiam sine concursu actus retrosimilis, ibid.

Consensus sequitur naturam contractus, super quo interponitur, vnde si consentio vendenti, vel testanti quamuis agatur de renunciatione mei iuris, non ideo tamen transit in donationem, ac propterea non requiritur insinuatio. n. 8.

Consensus à Titio præstitutus super dispositione Maeuij facit vt dispositio Maeuij censeatur dispositio Titij, & ideo potest reuocari, n. 9 Declara vt n. 10.

Consensu ad testandum præstitus re integra potest quidem reuocari, sed mortuo testatore factus est reuocabilis per eius mortem, & acquisitum est ius tertio, ibid.

Fideicommissum an inducatur per verba, si decedat sine prole, bona redeant ad latus vnde processerunt, an verò censeatur conseruatum ius legitimæ successionis, n. 11.

Præsum

Præsumptiones omnes recipiuntur ad euitandam renunciationem iuris proprij,n.12.

DECISIO CCLIII.

FVit resolutum standum esse in decisis, quia fundamenta decisionis posita in consensu Renati, & carentia præiudicij domini directi adhuc subsistunt,& oppositiones non releuant.

Nam dum primò dicebatur consensum Renati non constituere testamentum Ioannis in statu validitatis,ex quo bona fuerunt Ioannis, & per eum allata in matrimonium cum Elisabetha, qua mortua altero coniuge superstite, & cum filiis, nempe Renato, Federico & Guglielmo remanserit eidem Ioanni tantummodo vsusfructus ex consuetudine patriæ admissa in libello actoris, & probata ex testibus datis pro D.Comite.

1 Vt ideo sicuti expressè Renatus non poterat refutare feudum non vasallo,vt de eo disponere posset absque domini consensu, vt per Rosenthall. *de feud.cap.9.conclus.79 num.3.& 12.& conclus. 52. num. 21.* ita nec tacitè per consensum præstitum disponenti per vltimam voluntatem.

Omissa disquisitione veritatis huius consuetudinis, & quòd ista bona liberè potuerunt transire in matrimonium,ac etiam quòd per eandem rationem nedum testamentum, sed & donatio in qua se fundat Comes,esset subuertenda,dum cum ipso Renato ad successionem concurrebant Federicus & Guglielmus fratres.

2 Responsum fuit sensum, & rationes huius argumenti respicere secundum præiudicium Domini directi, & quòd eo concurrente omnino sit necessaria licentia pro validitate dispositionis, sed iam firmatum est in alia decisione quòd per dispositionem factam in comprehensos in inuestitura domino non inferatur considerabile præiudicium,& eo circumscripto cessat prohibitio dispositionis quoad dominum, & quoad Renatum non intrat præiudicium, attento illius consensu. Surd.*cons.305. num. 50. vol.3.* Ita declarans,& distinguens præiudicium domini,à præiudicio vasalli, & Rota idem firmauit in Papien. & Placentina feudi prima Iulij 1596. coram bon. mem Litta.

3 Neque visum est pro sustinendo huiusmodi consensu ex pòst necessariam fuisse insinuationem,quasi per consensum inducatur renunciatio proprij iuris, quæ omnino de necessitate videatur requirere insinuationem.Bald.*in l.si liqueat vers. secundò noto. ff.de inoffic. donat.* qui loquitur de consentiente, à quo prouenit robur donationis. Tiraquell. *in l.si vnquam, in verbo donatione largitus num.349.C.de reuocan.donat.* Aretin.*cons.128 num.7.* & idem dicebatur in quacumque donatione tacita, vel præsumpta. Clar.*in §.donatio.quæst.16.* Gabr.*de donat. conclus. 1. num.12.* asserentes doctrinam Bart.*in l.1.n.2.ff.de don.* esse communiter approbatam.

4 Fuerunt enim datæ duæ responsiones, & primò quòd huiusmodi consensus non importat donationem,quia ex natura feudi renunciare,vel disponenti consentire non est donare,sed refutare, & pro refutatione non est necessaria insinuatio, aliàs sequeretur, quòd nec etiam in manibus Domini, vasallus posset renunciare, nisi interueniret insinuatio, quod ridiculum putauit Bald. in propriis terminis *cons.300. num.1. vers. Ista est potius. Nam feudi.vol.2.*

Vbi vlteriùs aduertit quòd in vsibus feudorum nusquam inuenitur facta mentio de insinuatione, vt *in cap.1.§.præterea,quib.mod.feud.amittant.*& similes renunciationes,non donationes, sed refutationes,intelligit etiam Rosenthall. *de feud. cap.9. concl. 79.n.3.& 12.* 5

Sed ab effectu etiam defuit titulus donationis, cuius natura est dare & transferre: in præsenti autem Renatus neque dedit, neque transtulit bona feudalia in patrem disponentem per actum vltimæ voluntatis, sed quod priùs retinebat, & possidebat vigore donationis,accumulando alium titulum ex testamento ex pòst possedit,& retinuit. 6

Vel veriùs per transfusionem titulorum, quod priùs possidebat titulo donationis, incepit possidere ex testamento paterno, quæ tranfusio sustinetur absque eo quòd concurrat actus retrosimilis, cùm obstet semper exceptio donatario petenti, vt in his terminis declarat Dec.*cons.254.num.3.* Paris. *cons.2. num.20. & cons. 33. num. 80. & seqq. lib. 3.* Menoch. *1095. num.24.* 7

Secundò dicebatur quòd consentire disponenti de re propria ipsius consentientis posset fortè importare donationem, quando consensus legitur in contractu donationis, vel in alio voluntario actu, puta solutionis indebiti, vel confessionis de recepto, vt præsupponunt Bart. & Bald. suprà allegati, cùm ille presumatur donare vel principaliter,vel in consequentiam; secus verò quando quis consentit vendenti, vel testanti, quia consensus non potest mutare naturam actus,super quo interponitur, sed illum sequi debet, & per consequens præsumatur vel vendere, vel mandatum ad testandum dedisse, vt declarat Calderin. *in cons.2.de empt. & vendit.* dicens præterea similes actus de sui natura non requirere insinuationem. 8

Neque vim faciebat quòd si dispositio Ioannis sit censenda dispositio Renati, propter illius consensum,& dominium rei dispositæ tāquam ex mandato Renati. Bart.*in l.cùm quis decedens 35. num. 4. & 5.de legat. 3.& cons.211.in 1.dub.lib.1.* Iason. *in l. si fundum per fideicommissum num 8.ff. de legat. 1.* quod ideo potuit recedere sicut recessit per nouam dispositionem in filios Guglielmi. 9

Quia vltra quòd in casu,de quo agitur, mandatum non poterat deseruire ex quo Renatus non potuisset seipsum instituere,prout fuit institutus. Rosenthall.*de feud.cap.9.conclus.47.* adhuc potuisset re integra mandatum reuocare, sed mortuo Ioanne testatore,consensus est factus irreuocabilis,quia per mortem testamentum est confirmatum. *cap. cùm Matthæi, extrà de celebrat.miss.* & ius tertio est quæsitum,vt bene probat in his terminis Peregrin.*de fideicommiss.art. 44.n.36.* 10

Et prædicta eo faciliùs videbantur procedere, quia non est certum quòd prædictus consensus importet præsumptam donationem, cùm etiam possit referri ad agnitionem pacti recursiui in donatione appositi, quòd si matrimonium dissolueretur sine prole,bona redeant ad latus & ad latera vnde processerunt.

Nam Doctores, & præsertim illarum partium, controuertunt, an illa verba importent fideicōmissum,vel ius legitimæ successionis ab intestato conseruatum,vt videre licet ex Leonino *in cons.32. numer. 8.* qui pro fideicommisso partem sustinet, & pro eius opinione inclinabat Rota *in decis. diei 15. Iunij 1612.* in hac causa facta, ac etiam ipsemet Re- 11

natus dum est falsus testamentum conforme cum ipsa donatione. Petrus autem Peck aliam partem defendit *in tract. de testib. coniug. part. 6. num. 2.* secundùm nouam impressionem, & si importarent fideicommissum, iam non esset noua iurium remissio, per consensum acquirens insinuationem, sed vinculum in ipsa donatione appositum à sola purificatione conditionis dependens.

12 Ideo in ista materia confusa, in qua DD. variant, magis deseruire debent pro interpretatione, & declaratione verioris opinionis pro fideicommisso, quàm pro renunciatione proprij iuris, pro qua vitanda solent recipi omnes præsumptiones. *l. qui reprobus ff. de pignorat. action. l. Campanus ff. de oper. libert. l. cum indebito ff. de probat.* Tiraquell. *in l. si vnquam num. 207. in verbo donatione largitus. C. de reuoc. donat.*

Vltimò oponebatur de consuetudine Comitatus Lossen, pro qua vasalli illius Comitatus non possunt testari de feudis, etiam ad fauorem comprehensorum, sine expressa, & in scriptis habita licentia à domino, quæ licentia cùm non legatur in paternis tabulis, omnia disposita ad fauorem comprehensorum corruere dicebantur.

Verùm Dominis visum est probationes, quæ super hac consuetudine afferebantur, non releuare.

Nam si dicta testium examinentur, verùm non probant consuetudinem in terminis casus de quo agitur, & concurrentibus eisdem qualitatibus prout necessarium est, firmatum fuit in alia decisione, quia pro maiori parte admittunt non esse necessariam licentiam domini in dispositione ad fauorem venientium ab intestato. Cæteri verò non distinguunt, quando pater vult disponere inter comprehensos secundùm iura patria, & cum consensu illius, de cuius interesse agitur, sed tantummodo quando agitur de alteranda successione, vel imponendo grauamine contra tenorem inuestituræ, vel patriæ consuetudinis, & hoc bene procedit, vt nec etiam cum consensu illius, qui obtinet feudum, talia possint expediri, atque ita semper non potest alterari inuestitura quoad ius succedendi, quo casu requiritur licentia propter interesse eorum, qui excluduntur. Circumscripto autem interesse comprehensorum, & illius à quo feudum, vel aliqua ex iuribus feudi auferuntur, nullus est qui hoc casu concludat consuetudinem obtinendi licentiam, & sine ratione formaretur talis consuetudo, quia verè nemini fit iniuria, dum à principio respectu comprehensorum conuenit voluntas domini directi, & quo ad Renatum præstatur illius consensus.

Si verò licentiæ quæ plures sunt & dantur, attendi debent, illæ pariter casum de quo agitur non concludunt, quia omnes præsupponunt alterationem successionis in petente licentiam, vel impositionem oneris, quæ secundùm iura inuestiturarum & patria imponi non possunt, ideo non mirum si de licentia, & facultate supplicatur domino directo, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Rauennaten. bonorum. Veneris 22. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

De interdicto *quorum bonorum*, quando illius vigore concedatur immissio, & quando etiam denegetur, plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Interdictum, quorum bonorum, *datur venientibus ab intestato contra possidentes pro hærede, vel pro possessore, etiam vigore specialis statuti, n. 1.*

Interdictum, quorum bonorum *non datur ei, qui semel immissus possessionem amisit per iudicis sententiam, n. 2.*

Remedium semel competens non consummatur per actum nullum. Declara vt n. 3.

Possessorium semel effectum appellabile, semper durat appellabile, n. 4.

Appellare licet à possessorio habente mixturam petitorij, ibid.

Interdictum, quorum bonorum, *& illius vigore immissio impeditur si aduersus illud allegentur detractiones, n. 5.*

DECISIO CCLIV.

POstquam Leonardus, & litis consortes de Zambellettis tanquam proximiores agnati q. Lucretiæ de Zambellettis, reportarunt duas decisiones rotales ad suum fauorem, vti vocati ad eius successionem ex statuto Rauennaten. *lib. 3. rubr. 11.* exclusa Iacoba sorore germana eiusdem Lucretiæ, petierunt immitti in possessionem Lucretiæ bonorum detentorum à Iacoba ex interdicto, *quorum bonorum*, quod datur venientibus ab intestato. *l. 2. C. quorum bonorum.* Dec. *cons. 424.* & contra possidentes pro hærede, vel pro possessore. *l. 1. ff. quor. bonor. dicta l. 2. C. eod. tit.* Roland. *cons. 1. num. 8. lib. 1.* etiamsi veniat ad successionem de iure ciuili; tunc enim intrat vtile interdictum *quorum bonorum.* Menoch. *de adipis. rem. 1. num. 33.* vbi de communi, & proinde etiamsi veniant ex statuto, quod in ciuitate in qua viget, dicitur ius ciuile. *l. omnes populi,* vbi Bart. & alij *ff. de iust. & iur.* & in terminis statuti, de quo agitur, dicitur fuisse resolutum in vna Rauennaten. hæreditatis 14. Aprilis 1606. coram R. P. D. meo Pamphilio.

Quibus tamen non obstantibus dato super hoc particulari dubio, Domini censuerunt in hoc casu Leonardo non esse dandam immissionem; & moti sunt in primis, quia cùm Leonardus, & litis consortes fuerint semel immissi in possessionem istorum bonorum vigore dicti statuti, licèt postea eam amiserint facto iudicis primam sententiam reuocantis, & reintegrantis Iacobam, non possunt nouam petere immissionem, sed ad alia iuris remedia recurrere debent, iuxta §. *sequens, vers. itaque si quis adeptus. Instit. de interd.* Iason. *in l. eius qui in prouincia. §. fin. num. 11. in fin. ff. si cert. petat.* Marant. *de ordin. iudic. part. 4. distinct. 7. num. 5.* Menoch. *de adipisc. in prælud. num. 10. & rem. 1. num. 29.* Roland. *cons. 75. num. 20. lib. 2.* Peregrin. *de fideicom. art. 46. num. 7. & 8.*

Nec obstat quòd Leonardus possederit ex sententia nulla, & remedium semel competens non con-

sumauit

sumatur per actum nullum: *l. quid tamen. ff. de arbitr. l. non videtur. ff. de acquir. poss.* cum allegatis; quia placuit responsio, quòd hæc regula non procedat in actu de iure speciali alicui competenti. Tiraquell. *in l. boues, §. hoc sermone, limit. 1. num. 50. ff. de verb. sign.* hæc autem immissio, vt dixi, data est vigore statuti Rauennaten. & sic de iure speciali.

4 Præterea cùm dicta prima sententia in possessorio fuerit reuocata per secundam reintegratoriam Iacobæ; sequitur vt hoc possessorium semel factum appellabile, semper duret appellabile. Lancellot. *de attent. 2. part. cap. 4. in præfat. num. 572.* Rot. *decis. 132. num. 1. part. 2. diuers.* & fuit latè deductum in causa Anconitana assecurationis prima Iulij 1602. coram R. P. D. meo nunc Decano, & tanto magis cum dicta secunda sententia habeat mixturam petitorij, quia declarat non esse locum dicto statuto. Contar. *de mom. poss. in verb. ratione mixturæ. §. 2. num. 1. cum seqq.* Rota *decis. 34. n. 21. part. 2.*

Vltimò videbantur obstare allegatæ detractiones, quarum exceptio impedit immissionem. Castr. *in l. fin. num. 13. C. de edict. diu. Adr. toll. & cons. 77. num. 1. part. 2.* Surd. *cons. 265. num. 34. lib. 2.* & idem Surd. *decis. 333. num. 16. & cons. 7. num. 23. lib. 1.* cum aliis adductis in Romana de Capizeuchis 10. Aprilis 1606. coram Illustrissimo Lacellotto.

Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. COCCINO.

Aretina præceptoriæ, seu commendæ. Veneris 22. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Constare quando dicatur de vacatione beneficij, & quando beneficij collatio dicatur effectuata.

SVMMARIVM.

Beneficij vacatio non dicitur constare, nec suffragatur ex eo quòd beneficiatus obierit, nisi etiam constet quòd beneficium vacauit per obitum defuncti, n. 1.

Fama sola non probat vacationem beneficij, nisi etiam iustificetur titulus defuncti antecessoris, vel nisi concurrat aliqua alia semiplena probatio. Declara vt ibid.

Beneficij vacatio non censetur probata, si ille per cuius obitum dicitur vacare beneficium, vicit, ibid.

Probatio plena absorbet semiplenam. ibid. in fine.

Beneficij collatio dicitur effectuata, ex quo vnus per obitum alterius fuit prouisus. Declara vt n. 2. & 3.

DECISIO CCLV.

1 FVit pluries dubitatum, an constaret de bono iure fratris Aloysij Regij circa Commendam de qua agitur, & tandem 9. Decembris superioris anni fuit dictum, vt videretur, an constaret de tali vacatione, quæ suffragaretur D. Aloysio, & Rota hodie vna tantùm parte informante censuit negatiuè respondendum. nam licèt dictus Aloysius fuerit prouisus sub die 15. Iulij 1610. à magno Magistro per obitum Fausti Bulgarini, attamen non constat quòd ista Commenda vacauerit per illius obitum, quod est probandum. Ægid. *decis. 349. num. 1.* quia, etsi quando agitur ad effectum probandi obitum non in certo tempore ad effectum reseruationis, neque quando quis tenetur iustificare titulum antecessoris, sufficiat sola fama, vel alia semiplena probatio, cùm non agitur de magno præiudicio, quia si ille per cuius obitum dicitur vacare beneficium, viuit, collatio erit nulla, & ipse suum retinebit beneficium, Put. *decis. 181. in nou. lib. 2.* Mohed. *decis. 1. de probat.* Cæs. de Grass. *decis. 14. num. 2. de probat.* Guid. *decis. 145.* Thom. de Tanis *decis. 75.* Felin. *in cap. quoniam frequenter. §. fin. num. 23. post med. vt lit. non contest.* attamen probatio quæ affertur in casu isto, satis eliditur ex probatione contraria magis concludente, ita vt illi sit standum, non autem isti probationi, Gemin. *cons. 27. in princ. numer. 11.* vbi quòd plena probatio absorbet semiplenam, Socin. sen. *cons. 270. num. 3. lib. 2.* Natt. *cons. 372. in fine.*

Prætenditur enim, quòd à magno Magistro per obitum Claudij Saraceni 12. Ianuarij 1593. fuerit prouisus Gonzaluus Benuoglientus, & per obitum dicti Benuoglienti, vel per renunciationem Claudij Beccarini, de anno 1599. fuerit prouisus Faustus Bulgarinus, & vt dictum est de anno 1610. per obitum Bulgarini Aloysius Regius, quem propterea prætendabatur iustificasse vacationem per obitum dicti Fausti Bulgarini, cùm illæ prouisiones habuerint effectum, ex quo vnus per obitum alterius fuit prouisus. Oldrad. *cons. 229. numer. 2.* 2 Nihilominus fuit dictum quòd Claudius de Saracenis, per cuius obitum hæc commenda fuit primo loco prouisa, vt patet ex serie facti suprà deducta 3. Kal. Octobris, de anno 1551. illam resignauit in manibus Papæ, & de ea fuit prouisus Sinulphus de Saracenis, per cuius obitum Commenda vacauit de anno 1610. per cuius obitum S. D. N. prouidit Petrum Mariam de Saracenis.

3 Quòd autem dicta resignatio ad fauorem Sinulphi habuerit effectum, satis patet ex quo defuncto Claudio ipse Sinulphus soluit Religioni mediante concordia, vacans, & mortuarium, quod etiam debet solui a resignatario, vt habetur in stabilimentis Religionis. Vnde bene intrat in hoc casu dictum consilium Oldradi, quòd licèt regulariter non habeat locum in resignatione ad fauorem, quia resignans potest resignare ius quod habet, vt fuit resolutum in causa Taruisina plebis de Medula 26. Februarij 1586. coram Orano; tamen sicuti hæc conclusio limitatur, vt non habeat locum quando resignans possedit beneficium per aliquod tempus, quia non censetur resignasse tantùm ius quod habeat, vt fuit resolutum in causa Reatina prædij 2. Maij 1603. coram me, ita non debet habere locum in casu isto, in quo manifestissimè constat quòd resignatarius fecit actus possessorios etiam post obitum resignantis.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Bononien. tutelæ. Veneris 29. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Defenditur in hac decisione tutor, seu administrator, qui in inuentario non descripsit quasdam capsas clausas in bonis administratis repertas, & è con-

tra qui descripsit in libro administrationis quasdam partitas ad creditum in inuentario non repertas, & quòd semel absolutus ampliùs molestari non debeat.

SVMMARIVM.

Tutor, seu administrator si non descripsit in inuentario capsas clausas in hæreditate repertas, in dubio capsæ præsumuntur fuisse vacuæ, & in nihilo tenetur, n.2.

Tutor, seu administrator nunquid teneatur si descripsit in libro administrationis aliquas partitas ad creditum, quæ in inuentario adnotatæ non reperiuntur, num.3.

Tutor, seu administrator semel absolutus, & liberatus, non debet ampliùs molestari, n.4.

DECISIO CCLVI.

1 HÆredes Pauli Bondini olim tutoris Fabij Benzoni, plures ad ipsorum fauorem decisiones reportarunt, videlicet super legitima inuentarij confectione per dictum tutorem facta, necnon sufficienti redditione rationis mercium Bononiæ, & capitalis apothecæ Pisauri, bonorumque in eodem loco existentium, & super aliis quæ in decisionibus coram bon. mem. Pegna, & coram me factis cõtinentur. Verùm cùm nihilominus Fabius ad expeditionem causæ deueniri non posse contenderet, dubio per me proposito Domini causam esse expediendam censuerunt.

2 Nec obstat tutorem non reddidisse rationem de contentis in quibusdam capsis clausis in hæreditate repertis. Non enim probatur fuisse in illis bona recondita, nec aliquid horum in inuentario descriptum reperitur. Quo stante dicendum est, illas vacuas extitisse. Castrens. *cons.* 212. *num.* 2. *lib.* 1. Rota *decis.* 449. *num.* 2. *part.* 1. *diuers.* & tanto magis id confirmatur, cùm Fabij proximiores, ad quos duæ ex tribus partibus huius hæreditatis pertinebant, nullam de dictis capsis rationem habuerunt, quod verisimiliter non contigisset, nisi re vera illæ fuissent vacuæ.

3 Non obstat eundem tutorem nonnullas partitas ad Fabij creditum apposuisse, quæ in inuentario descriptæ non reperiuntur. Nam se tutor fideliter gessit in libro tutelari exacta describendo, postquam de illis ante confectum inuentarium notitiam non habuerat. ad *l. tutor qui repertorium*, vbi gloss. Doctor. *in verbo repertorium ff. de administrat. tutor.*

4 Non obstat partitam librarum 238. Syluestro Britio solutam non fuisse pro re ad Fabia pertinente, quia verba illa pro Fabio soluta, declarant satis negotium ad Fabium spectare, cùm præsertim agatur de solutione rei emptæ viuo Fabij patre, vnde manifestè probatur, debitum hæreditarium fuisse, & sic apparet sufficienter partitas, de quibus agitur, iustificari. Vltrà quòd reddita semel ratione per tutorem, qui fuit etiam à Fabio per instrumentum absolutus, eidemque scripturas omnes consignauit, denuo grauandus non videtur ad dictas iustificationes exhibendas, cùm ratio semel reddita, non debeat amplius reddi. *l. semel. C. de apoch. public. lib.* 10. *cap. vnico in fin.* vbi Doctor. *de cleric. ægrot. in* 6. Rota Ianuen. *decis.* 165. *num.* 9. & fuit dictum in causa Meliten. redditionis computorum 30. Octobris 1595. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, &c.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Fulginaten. administrationis. Veneris 29. Aprilis 1616.

ARGVMENTVM.

Administrator qui semel administrationis suæ reddidit rationem, & quitantiam reportauit, non potest ampliùs cogi de administratis rationem reddere, & mandatum procuratoris ad exigendum quando extendatur ad remittendum, & donandum.

SVMMARIVM.

Administrator qui semel reddidit rationem, & quitantiam generalem reportauit, non potest ampliùs cogi ad reddendum rationem eiusdem administrationis, num. 2.

Administrator non solùm tenetur reddere rationem suæ administrationis, sed etiam reliqua restituere, ibid.

Mandatum Procuratoris ad exigendum, an, & quando extendatur ad remittendum, & donandum, n. 4.

Minor 25. annorum si sit maior 20. potest à statuto reputari pro maiore, num. 6.

DECISIO CCLVII.

SEntentia de qua agitur habet duo capita, in quorum primo condemnantur hæredes Pisenti ad reddendum Roncallis rationem de omnibus quæ dicebantur peruenisse ad manus ipsius: in secundo autem fuerunt absoluti iidem hæredes ab impetitis, videlicet à scutis 11000. quæ Roncalli prætendebant.

Quoad primum caput reddendæ rationis, Domini censuerunt sententiam esse infirmandam stante duplici quitantia generali, & generalissima, quam Pisentus reportauit, primò à Mario, deinde à Hieronymo de Roncallis in forma amplissima de omnibus exactis, perceptis, & rebus & bonis Ioannis Martini ad eius manus paruentis cum receptione per Hieronymum scutorum 500. pro residuo, per hæc verba, *per saldo di quanto potiamo pretendere da detto Gio Paolo per conto dell' Administratione fatta de nostri beni.* ex quibus apparet ipsum sufficienter reddidisse rationem cum restitutione reliquatus, iuxta text. *in l. cùm seruus ff. de condit. & demonstrat.* cùm præsertim dicti Marcus & Hieronymus haberent ab aliis fratribus mandatum amplissimum ad quitandum, & alia faciendum, vnde intrabat regula quòd ratio semel reddita ampliùs reddi non debet, vt per Ioan. Andr. Archidiaconum *in cap. vnica, de cleric. ægrot. in* 6. cum aliis adductis per Rolan. *cons.* 49. *n.* 39. *lib.* 1. Motnan. *de tut. tutel. cap.* 38. *num.* 118. *& seqq.* stante præsertim liberatione & absolutione in tam ampla forma, vt per Montan. *ibid. num.* 123.

Nec Domini putauerunt posse fieri vim in constituto criminali ipsius Pisenti, quando fuit examinatus, ex quo prætendebant Roncalli Pisentum confessum

confeſſum fuiſſe ſe debitorem in longè maiori ſumma, quia ex dicto conſtituto hoc non colligebatur, cùm ex ſumma, ad quam Piſentus fatebatur aſcendere bona ſua, eſſent detrahenda bona propria ſibi obuenta ex diuiſione cum fratribus facta. Item ſalarium ſuum & lucra, vnde non concludebatur totam dictam ſummam conſtare ex bonis Roncallorum, præſertim cùm poſtea ſecuta fuerit inter partes concordia, & excarceratio Piſenti de conſenſu Hieronymi, qui querelam porrexerat, & erat de tota cauſa informatus, nec veriſimiliter concordaſſet, aut conſenſiſſet excarcerationi ſi ſciuiſſet Piſentum fuiſſe debitoré in maiori ſumma, præterquam quòd etiam dubitari poſſet, an confeſſio in cauſa criminali probet in cauſa ciuili; ſed ſtante dicta concordia, non videtur ampliùs talis confeſſio attendenda.

4 Ex iiſdem rationibus Domini putabant ſententiam in alio capite, in quo Piſenti abſoluebantur, eſſe confirmandam, ſtantibus dictis quitantiis ampliſſimis. Quibus non obſtare dixerunt defectum mandati ad donandum, quia cùm Piſentus faſſus eſſet ſe debitorem in ſcutis 7000. fuit quitatus pro 6000. vnde fuerunt ei remiſſa, & ſic donata ſcuta mille. Nam reſpondebatur quoad primum mandatum in perſonam Marci continere ampliſſimas facultates incidendi, & remittendi, ſed quatenus fuiſſet aliqua difficultas in eo.

5 Aderat ſecundum mandatum in perſonam Hieronymi ſub die 4. Iulij 1605. cum expreſſa facultate remittendi Piſento debitum in totum, vel in parte, etiam per vim donationis irreuocabilis inter viuos, ſed ceſſare videbatur omnis difficultas, quia idem Hieronymus tam nomine proprio, quàm vti Procurator fratrum ratificauit expreſsè apocham quitationis factam inter Piſentum & Marcum de anno 1605. cum omnibus & ſingulis in ea contentis, & ſic quoad remiſſionem dictorum ſcutorum mille.

6 Supererat difficultas in mandato prædicti Marci & perſona Rodulphi vnius ex fratribus conſtituentibus, quem dicebant eſſe minorem, & ideo non potuiſſe facere mandatum ſine ſolemnitatibus ſaltem ad donandum; ſed hoc tollebatur ex facto. Nam mandatum fuit factum die prima Septembris 1604. & Rodulphus fuerat baptizatus die 12. Maij 1587. & ſic de tempore facti mandati erat maior 20. & ex diſpoſitione ſtatuti Fulginaten. habebatur pro maiore 25. annis, vnde nullæ requirebantur ſolemnitates, vt in Farfen. ſpolij 11. Februarij 1605. coram R. P. D. meo Pamphilio.

7 Aliud verò mandatum Hieronymi fuit factum à Marco, vigore facultatum ſubſtituendi quam habebat, ideo in eo ceſſat conſideratio minoris ætatis. In quibus concluſum fuit ſententiam quoad caput reddendæ rationis eſſe infirmandam, quoad reliqua eſſe confirmandam.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana de Incoronatis. Veneris 29. Aprilis 1616.

DECISIO CCLVIII.

Impreſſa eſt apud Poſthium de manuſ. deciſ. 299.

R. P. D. PIROVANO.

Vlixbonen. matrimonij 2. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Totum habetur in ſummario num. 1.

SVMMARIVM.

Matrimonium probatur per depoſitionem parochi, & teſtes, quòd cõtrahentes dederint ſibi manus ad inuicem, & dixerint verba quæ contrahentes de præſenti ſolent dicere, licèt non tam clarè & perfectè, prout ſolent quando parochus illos recipit, ſed parochus exiſtimat etiam per ſigna eſſe ſufficientia, n. 1.

Matrimonium de præſenti, contrahitur per verba, Accipio te, *ad inuicem prolata, & ſunt diſpoſitiua & expreſſiua ſimultanei conſenſus, n. 2.*

Conſenſus in matrimonio per quæcumque verba probatus ſufficit, nec vis facienda eſt in formalitate verborum, n. 3.

Verba, Accipio te, *ſi non addatur,* pro mea vxore, *remanent æquiuoca, nec ſignant practicum conſenſum, qui neceſſarius eſt ad matrimonia in potente loqui, num. 4. vide num. 5.*

Teſtis deponens cum additione, ſaluo meliori iudicio, *non reddit depoſitionem dubiam, quàm ſecundùm ſuum intellectum affirmauit eſſe veram, ſed tantummodo qualificat dictum ſuum, dum illud ponit ſub aliorum cenſura, ſed quoad ſe decidit quæſtionem, n. 5.*

Conſanguineus ſtupratæ non eſt idoneus teſtis ad probandum matrimonium pro ipſa, n. 6.

Teſtis vilis vnà cum parocho non eſt ſufficiens ad plenam probationem matrimonij, n. 7. vide n. 8.

Teſtium numerus & alia adminicula ſupplent defectum qualitatis vnius teſtis, ibid.

DECISIO CCLIX.

FVit reſolutum conſtare de matrimonio per verba de præſenti, reſeruando particulariter videre de exceptione metus.

Fundamentum deciſionis poſitum fuit in depoſitione parochi & teſtium, qui pro Agnete fuerunt examinati; affirmat enim parochus, quòd Chriſtophorus & Agnes, ſe ad inuicem manus dederunt, & in eo actu protulerunt verba, quæ ſolent dicere cõtrahentes matrimonium de præſenti. Et licèt ambo ea non dixerint tam clarè, & perfectè, prout dicuntur quando Rector ipſe contrahentes recipit; ſecundùm tamen ipſius deponentis intellectum fuerunt ſufficientia dicta verba, ſigna, & oſtenſiones quæ, & quas dederunt, vt remanerent recepti, & ſecundùm ſuam recordationem recenſuit ea fuiſſe. *Ego Chriſtophorus de Figueredo accipio te Agnetem Pimentel*, & continuauit dicere alia plura verba, quæ ipſe parochus intellexit eſſe ſufficientia ad matrimonium efficiendum, & Agnes poſtquam Chriſtophorus finem dicendi fecit, eadem verba proferre incepit. 1

Secundus teſtis Blaſius Fleire, de manibus ad inuicem datis deponit, & quòd dixerunt verba matrimonij, nimirum, *Accipio te*, &c. & alia. Idem confirmant Catharina Ribera, Rodericus Cotinus, & Didacus Mugnez.

Ideo cùm verba, *Accipio te*, ad inuicem prolata 2

dispositiua sint, & expressiua simultanei consensus de præsenti, & deliberatè pronunciant, ita coram parocho inde matrimonium contractum, & perfectum remanet. Abb. & alij *in c. ex litteris il 1. de sponsal.* Ferret.*cons.*86.*n.*1.Dec.*cons.*163.*n.*23. Seraph. *decis.*270.*num.*1.

3 Asserentes sufficere consensum quibuscumque verbis prolatum, nec vim esse constituendam in formalitate verborum, quod multum in præsenti confert, si dictum testium esset etiam restringendum ad illa verba generalia, scilicet quæ solent contrahentes dicere, quando matrimonium de præsenti contrahunt.

4 Non obstat quòd parochus in primo examine, postquam dixerit sufficientia esse dicta verba, signa, & ostensiones, addiderit, *saluo meliori iudicio.* In secundo verò examine dum declarauit se, & addidit verba, *pro mea vxore*, subiecit de illis esse dubium; vnde dicebatur per conseruationem sanioris deliberationis nihil deposuisse, & per dubium, & perplexitatem quòd prima depositio contineret voces, *pro mea vxore*; adhuc prima verba, *Accipio te*, remanere æquiuoca, nec practicum consensum signare, prout necessarium est in potenti loqui. Sanchez post alios *de matrimonio, lib.*2.*c.*31.*nu.*2.*&* 3.

5 Quia fuit responsum, quòd verba, *saluo meliori iudicio*, non reddant dispositionem dubiam, quam priùs affirmauit secundùm suum intellectum esse veram, sed arguunt maiorem peritiam in respondente, qualificando dictum suum sub censura aliorum, & donec contrarium appareat, decidit quæstionem quoad se, & hodie meliùs iudicium conuenit cum iudicio parochi quòd verba, *Accipio te*, adinuicem prolata coram parocho, firmant matrimonium, vt iam dictum est. Et per prædicta tollitur secunda difficultas circa subsistentiam verborum, *in meam vxorem*, quia vltra quòd non legitur clarè quòd parochus reuocauerit in dubium se dixisse illa verba, & sic bene explicita remaneat depositio, quia dixerit, *Accipio te, in meam vxorem*, conuenit & alia responsio, quòd matrimonium non pendet à formalitate verborum, sed à consensu.

6 Non obstat, quòd si matrimonium posset probari per illa verba, non tamen remanet probatum ex sufficienti numero testium secundùm decreta sacri Concilij, ex quo depositio Catharinæ Riberæ non sit attendenda vti recepta in iudicio criminali, & seipsam retractauerit, asserendo se falsum dixisse. Cotinus verò & Mugnez tanquam consanguinei Agnetis, non sunt idonei testes pro stuprata. Natt. *cons.*537.*num.*57. Rota in Toletana matrimonij 26. Aprilis 1596. coram bon. mem. Litta.

7 Blasius verò vilis est, & famulus in salinis, qui non sufficit cum parocho ad implendam probationem, quæ requiritur concludens quando de fœdere illius agitur. Dec.*cons.*131.*n.*2. Paris *cons.*55.*n.*18.*lib.*4. & firmatum fuit in supradicta Toletana.

8 Quia ex numero testium, ex libello eiusdem Christophori dicentis fraudulenter accersitum fuisse parochum, ex qualitate temporis quo matrimonium fuit contractum, nempe de nocte, visum est probationem impleri, si quæ deficiat. Dec.*cons.*163.*num.*26.*&* 28. Natt.*cons.*166.*nu.*10. Crauett.*cons.*914.*n.*9 Ferret.*cons.*86.*n.*11.

R. P. D. PIROVANO.

Romana census, & fructuum. 2. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Census impositus super fundo alienato, si per Principem fuerit translatus de fundo in pretium, censetur resulotus, & fructus debentur vsque ad diem intimationis translationis, non vltrà.

SVMMARIVM.

*Census imponi, vel transferri non potest super re non fructifera, & impositus non sustinetur nec fructus debentur propter suspicionem vsurarum, n.*1.

*Fructus census debentur vsque ad diem, quo fuit data notitia creditori, quòd census erat resolutus, & non vltrà, quia per ipsum stetit quo minus pretium reciperet, n.*2.

*Census super fundo alienato sustinetur in præiudicium debitoris, licèt per chirographum Principis omnia onera de fundo sint translata in pretium illius, si per debitorem non steterit, quominus pretium reciperet, num.*3.

DECISIO CCLX.

Vendita tenuta nuncupata *de lago* per D. Ciniam Vestriam Excellentissimo Principi Burghesio, Sanctissimus eandem venditionem speciali chirographo confirmauit, & motu proprio ex certa scientia & de plenitudine potestatis liberauit eandem tenutam in omnibus & per omnia à quibuscumque obligationibus, oneribus, & hypothecis, & transtulit prædicta omnia, subrogando pretium loco eiusdem tenutæ, perinde ac si ab initio super eodem fuisset imposita.

D. Catharina Suiga tanquam domina census impositi super eadem tenuta egit pro fructibus census contra D. Equitem Vestrium fideiussorem in contractu venditionis, sed eo excipiente de peremptione census ex motu proprio Sanctissimi, & eo perempto fructus non deberi. Dubitaui,

An D. Vestrius teneatur ad solutionem fructuum, de quibus agitur, vel potiùs ad interesse, & ad quam summam.

Et deberi fructus vsque ad diem intimationis fuit resolutum, & non vltrà, quia clara sunt verba Motus proprij, dum de plenitudine potestatis abdicantur omnia onera & hypothecæ ab ipso fundo, & imponuntur super pretio.

1 Vnde cùm non possit stare quòd fundus sit liberatus à quocumque onere & hypotheca, & quòd fundus adhuc sit obnoxius censui, inde sequitur peremptio, quia translatio super pretio tanquam super re non fructifera, non sustinet censum, neque fructum reddere potest propter suspicionem vsurarij criminis, vt expresè cauetur in Bulla Pij V. & confirmant Lauren. de Rodulph. *in cap. consuluit. 2. part. quæstion. 12. de vsurar.* Couar. *lib. 3. variar. resolut. c.*7.*num.*5. Surd. *cons.*162. *numer.* 17. *vol.*2.

2 Et successiuè cùm in dicto Motu proprio data sit facultas iudicibus deputatis, & deputandis, cogendi creditores ad recipiendum pretium, vel inuestimentum, & eis recusantibus declarandi fructus ampliùs non currere, neque data fuerit notitia eidem Catharinæ de resolutione census per Motum

proprium,

proprium, nisi die 26. Februarij 1614. Ideo vsque in eum diem fructus deberi fuit dictum, & non vltrà, cùm exinde videatur per Catharinam stetisse vt pretium non reciperet.

3 Non obstat, quòd intentio Summi Pontificis fuerit, per liberationem tenutæ & subrogationem pretij non inferre præiudicium creditoribus, sed solùm reddere emptorem securum, vt ideo saltem ad præiudicium debitoris super illa tenuta, tanquam super re aliena census sustineri debeat. *l. si quis alienam. ff. de act. empt.* Alexand. *cons. 69. in princip. lib.* 4. cum aliis allegatis. Quia sequendo etiam mentem Sanctissimi, & non verba, apparet voluisse creditoribus præiudicare vt fructus non currerent, quando per eos stetisset vt pretium non reciperent.

Et ita, &c.

R.P.D. VBALDO.

Romana vineæ. Lunæ 2. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Plura adducuntur pro excludenda probatione primi extremi in spolio quę debet esse plena, & concludens, ac pro excludenda actione spolij.

SVMMARIVM.

Extremum primum in spolio plenam requirit probationem, num.1. & 8.

Spolium cessat in eo qui facto proprio cecedit à possessione, n.2.

Dominium, & possessio inter se differunt, ibid.

Executio debet esse conformis petitioni, & sententiæ, n.3.

Factum, non autem quod fieri debet, est attendendum, num.4.

Possessionis vera signa sunt onerum solutio, & fructuum collectio, n.5.

Spolij actio non competit ei qui possessionem spoliantis approbauit, ibid.

Possessio capta alio existente in possessione nulla est, n.6.

Venditor vbi est necessarius defensor debet habere mandatum ab emptore, n.7.

DECISIO CCLXI.

1 Licet in hac causa coram Reuerendissimo Lugdunensi sub die 10. Ianuarij 1611. fuerit recessum à duabus decisionibus coram eodem antea factis sub die 22. Iunij 1607. & 23. Iunij 1608 in quibus fuerat resolutum, Fabros non esse reintegrandos ad possessionem vineæ de qua agitur; tamen coram R. P. D. Pirouano in locum Reuerendissimi Lugdunen. subrogato die 29. Martij 1612. Domini recesserunt ab vltima decisione, & perstiterunt in primo loco bis resolutis ex rationibus copiosè, & doctè in sua decisione deductis per Dominum meum Pirouanum, à quo etiam emanauit sententia absolutoria illorum de Francionibus contra Fabros. Et demum causa mihi commissa, & proposito dubio, an sententia Rotalis esset confirmanda, Domini pro confirmatione responderunt; fundamentum fuit illud vnicum, de quo in aliis decisionibus, videlicet defectus probationis primi extremi ex parte illorum de Fabris actorum in spolio; quod tamen requirit plenam, & concludentem probationem. gloss. *in l. 1. C. quor. bonor.* Sarnen. *in reg. de infirm. resig. q. 36.* Pontan. *de spol. lib. 1. num. 81.* Rota *decis. 357. in princip. part. 2. diuers.* & fuit sæpè decisum, & signanter in causa Virdunen. Abbatiæ 21. Nouembr. præteriti coram R.P.D. meo Buratto.

Nam ista probatio pro Fabris semper fuit deducta principaliter ex duobus. Primò ex ipso instrumento venditionis celebrato die 16. Decembr. 1577. cum reseruatione dominij penes venditorem, donec integrum pretium solueretur, & interim quòd venditor participaret de fructibus vineæ pro rata pretij non soluti, quam ratam locauit emptoribus, vt latiùs in dicto instrumento continetur. Secundò ex pressione capta per Dionysium Procuratorem Fabrorum vigore mandati Rotalis.

Sed quoad primum, videbatur Dominis indubitatum non probari primum extremum, immò è contra apparere Fabros abdicasse à se omnem possessionem quam habebant, & sic facto suo per dictam venditionem cecidisse à possessione, & consequenter cessare spolium. Innoc. & alij *in cap. sæpe,* vbi Ripa de communi *num. 27. de restit. spoliat.* Alex. *cons. 6 num. 11. lib. 3.* Roland. *cons. 50. num. 15. lib. 2.* cùm ceciderit ex iusta causa, qualis est venditio. Alex. *cons. 92. num. 5. lib. 1.* cum aliis per Gabr. *de restit. spoliat. conclus. 5. num. 26.* Surd. *d. cons. 28. num. 12.* Nec in instrumento legitur reseruatio possessionis in casu pretij non soluti, sed dominij, quæ longè inter se differunt. *l. naturaliter, §. nihil commune. ff. de acquir. possess.* Nec quòd emptores remanserint conductores, nec aliqua conditio suspensiua, vt ex aduerso prætenditur, immò constat de intentione transferendi incontinenti possessionem, tum ex clausula constituti in instrumento apposita; tum ex promissione affictuum recompensatiuorum, ibi, *nemini licet possidere alicuius prædij rem, & pretium,* &c. Tum demum ex pacto, vt in casu non solutionis pretij lapso decennio liceat venditori regredi ad suam vineam, & illius possessionem accipere, cuius pacti verba innuunt in emptores possessionē fuisse translatam, quæ omnia adeò exactè ponderantur in 2. decisione Reuerendissimi Lugdunen. die 23. Iunij 1608. vt nihil addi posse videatur; neque circa hoc caput fuit in 3. decisione recessum à prioribus decisionibus, licèt fuerit recessum quoad aliud, vt patet ex eius lectura.

Circa secundum igitur caput pariter tenuerunt Domini, primum extremum non probari per instrumentum adeptæ possessionis à Dionysio 21. Augusti 1591. Quia tam ex præcedentibus, quàm ex subsequentibus apparet, dictam possessionem fuisse captam ad vtilitatem emptorum vineæ, ex præcedentibus, quia re vera emptores qui nacti fuerant possessionem vineæ, vt dictum est, fuerant spoliati per sententiam A. C. & eorum nomine petebatur reintegratio, & ita fuit pronunciatum, per sententiam Reuerendissimi Perusini, videlicet super spolio attentato, illiusque purgatione, & reintegratione ad possessionem vineæ, vt colligitur ex verbis tam narratiuis, & procemialibus, quàm dispositiuis dictæ sententiæ, vt ex relaxatione mandati de restituendo, & reintegrando, vbi expresè etiam sunt nominanti P. Matthæus, & alij respectiuè, & prædicti de Fabris nominantur in dicta sententia, vti auctores, & necessarij defensores Petri Matthæi, & aliorum emptorum. Mandatum verò bon. mem Cardinalis Pamphilij est expresè fundatum in dicta

sententia, & iuxta tenorem, & formam illius fuit decretum, & exequutor fuit requisitus à Dionysio tanquam Procuratore aliorum de Fabris, qui eum immisit iuxta dicti mandati formam, & tenorem, & in vim supradicti mandati, nec aliter facere potuisset, & sic possessio non debet censeri acquisita Fabris, qui in illo iudicio non petierunt reintegrationem, & fuerunt solùm nudi defensores, sed emptoribus spoliatis, vt executio sit conformis petitioni, & sententiæ. Specul. *de restit. spoliat.* §. 2. *vers. & nota quòd quidam iudices*, &c. Crescent. *decis.* 6. *de sent. & re iud.* & optimè firmatur in dictis tribus decisionibus.

Nec dicta possessio potest nomine Fabrorum adaptari ad causam resolutionis contractus venditionis, quam ipsi prætendebant ob solutionem pretij in tempore non factam ab emptoribus. Nam illius occasione, non erat illis debita reintegratio, nec iudicium spolij fuit ex dicta causa ab ipsis intentatum, vt fuit consideratum in 2. decisione Reuerendissimi Lugdunen. *vers. & quomodo*, &c. vltra quòd dicta causa videbatur inualida, cùm ex alia conuentione facta de anno 1585. Fabri à dicto pacto resolutiuo recesserint, vt fuit decisum in prima decisione coram eodem Lugdunen. à qua circa hunc articulum non fuit recessum in 3. eiusdem decisione. Et accedit etiam quòd cùm ante decennium fuerint illatæ molestiæ emptoribus, non currebat tempus faciendæ solutionis, vt in 2. decisione. *vers. deinde dici posset*, &c.

4 Non obstat quòd ex verbis instrumenti captæ possessionis per Dionysium, appareat possessionem fuisse captam nomine illorum de Fabris, & non emptorum, & quòd sit attendendum factum, & non quod fieri debuit, ex latè congestis per Surd. *cons.* 93. *n.* 11. *&* 12. cum aliis allegatis in tertia decisione 10. Ianuarij 1611. *vers. fuit enim responsum*, &c. Quia hæc consideratio tollitur ex aliis decisionibus supra relatis, videlicet prima Reuerendissimi Lugdunen. *in vers. non suffragatur*; & secunda eiusdem, *vers. non possunt etiam*, & in decisione R. P. D. mei Pirouani, in qua optimè dicitur, adeptionem possessionis rereferendam esse ad causam necessariam, vt latiùs *in verb. vnde cùm duæ causæ*, &c. stantibus præsertim declarationibus subsequutis per Dionysium, de quibus mox.

5 Ex subsequentibus enim dictam adeptionem possessionis colligitur eam fuisse ad vtilitatem emptorum; nam Dionysius 1. Octobr. 1591. protestatus est creditoribus emptorum, & ab iis causam habentibus de soluendo annuum censum DD. de Maximis, quo erat grauata, & de custodiendo fructus vineæ, & colligendo suo tempore, quæ omnia sunt signa veræ possessionis. *l. Titia. ff. de solut.* Rota diuers. *dec.* 952. *lib.* 3. *part.* 3 & indicant possessionem in creditores emptorum fuisse translatam, vt bene firmatur in decisione R. P. D. mei Pirouani; ex qua intimatione colligitur etiam approbatio possessionis creditorũ per ipsos Fabros; adeò vt illis vlteriùs non videatur competere actio spolij Rot. diuers. *decis.* 507. *part.* 3. *lib.* 3. & vlteriùs quòd possessio vineæ fuerit penes creditores post apprehensam possessionem à Dionysio, apertè videtur constare ex testibus datis in summario illorum de Francionibus deponentibus de spolio Benedicti vsque ad annum 1591. vt deponunt 2. & 5. super 4. articulo. item quòd de dicto anno fuerunt à creditoribus appositi custodes, & facta vindemia in dicta vinea, vt deponit idem 2. testis super 5. & 3. super 4 & 6. super 5 & 6. 7. super 5. vt in dicto summario *num.* 11. Quod etiam verificatur ex venditione vini dictæ vineæ facta 21. Octobris eiusdem anni 1591. & ex quitantia receptionis pretij dicti vini, & ex solutione canonum facta DD. de Maximis de dicto anno, vt in dicto summario *num.* 4. 5. *&* 6.

Non obstat locatio facta Angeletto; quia præter responsiones datas in duabus decisionibus Reuerendissimi Lugdunen. placuit etiam responsio quòd hæc secunda prætensa possessio Fabrorum existentibus creditoribus in possessione ex supradictis, nulla sit, & ideo non attendenda. Surd. *decis.* 51. *num.* 19. cum aliis allegatis in decisione D. mei Pirouani. *vers. fuit enim responsum*.

Minus obstat quòd non constet de mandato emptorum in persona Dionysij, & ideo non potuerit iis acquirere possessionem; quia satis est quòd habuerit mandatum à Fabris venditoribus, & qui venerunt ad causam vti necessarij defensores, & per consequens dicebantur Procuratores emptorum. Bart. *cons.* 219. *num.* 1. *lib.* 1. & facit Castrens. *in l.* 1. *n.* 5. *C. vbi in rem act.*

Ex quibus, & aliis plenè deductis in dictis decisionibus prioribus Reuerendissimi Lugdunen. & vltima R. P. D. Pirouani, in quibus omnia nunc deducta pro Fabris videntur sublata, Domini censuerunt sententiam Rotalem esse confirmandam, cùm saltem negari non possit possessionem illorum de Fabris esse turbidam, & obscuram, ex supradictis; & tamen ad effectum spolij requiritur plena, & dilucida probatio primi extremi, quod est possessio ex parte spoliari, ex suprà allegatis in principio decisionis.

Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Bonon. pecuniaria. Lunæ 2. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Fideiussor ad quem pecuniæ peruenerunt, censetur effectus principalis debitor, adhibere obligati fideiussores reputantur. Declara vt in hac decisione.

SVMMARIVM.

Sententia vt valida dicatur, remissiuè ponuntur requisita, num. 1.

Fideiussor ad quem pecuniæ peruenerunt, censetur effectus principalis debitor, adhibere obligati fideiussores reputantur, num. 2. *Declara vt num.* 4.

Debitor non præsumitur velle soluere ante tempus debitas pecunias, n. 3.

DECISIO CCLXII.

Dixerunt Domini sententiam Rotalem esse cõfirmandam, quia eius validitas non impugnabatur, & apparebat ex actis concurrere omnia requisita ad sententiæ validitatem, de quibus Captaq. *decis.* 260. *part.* 2. Quo verò ad iustitiam, de illa visum est constare ex deductis in decisione huius causæ 4. Decembris præteriti coram R. P. D. meo Pamphilio.

Non

2 Non obstat motiuum de nouo excitatum, quòd cùm pecuniæ de quibus agitur peruenerint ad Lauaianam, ipse fuerit effectus principalis debitor illorum de Barutis; Caspius, & Bocchius remanserint fideiussores, quibus soluentibus sit facienda cessio, iuxta doctr. Socin. *in l. qui vsumfructum n.* 19. *ff. de verbor. obligat.* Bursat. *cons.* 39. *num.* 11. & consequenter cesset fundamentum decisionis quòd Caspij, & Bochij soluant debitum proprium, & ideo cessio esset inutilis. *l. nulla*, cum ibi not. *C. de solut.* cum allegatis, quia fuit responsum non probari, quòd dictæ pecuniæ peruenerint ad Lauaianam; sed bene constat quòd pecuniæ fuerunt solutæ per illos de Barutis Caspio, & Bocchio pro remissione ad vrbem, & sic contractus fuit inter ipsos dantes, & accipientes, quæ attendenda est, ad *l. si filiusfamilias* 78. *ff. de verb. obligat.* vnde etiam iuremerito ipsi in chirographo celebrato Bononiæ 17. Decembris 1614. se obligarunt Baruti ad restitutionem dd. scut. 1500. seu illa de nouo remittere promiserunt Illustrissimo D. Cardinali Montalto post dies quindecim, immò præstiterunt fideiussores, quibus etiam promiserunt indemnitatem.

3 Nec quicquam faciunt litteræ de nouo exhibitæ, & scriptæ à Lauaiana Bocchiis, & Caspiis, quia quoad datas die 10. Ianuarij anni præteriti, in quibus continetur Lauaianam pro illis soluisse scut. 1500. sibi tracta; respondebatur præter id quod non est verisimile, Lauaianam ante tempus pecunias, de quibus agitur, soluisse. Ang. *cons.* 127. *in fin.* iis autem soluendis adhuc supererant Lauaianæ aliquot dies, cessare etiam difficultatem ex protestatione facta à computista Illustrissimi Cardinalis die 7. Februarij eiusdem anni quòd sibi dictæ pecuniæ non fuerant solutæ, ideo necessariò prætensæ litteræ Lauaianæ sunt intelligendæ de aliis pecuniis sibi transmissis ab eisdem mercatoribus, & non de istis, prout aliæ etiam litteræ continent diuersas partitas pecuniarum per dictos mercatores Bononienses eidem Lauaianæ ad fauorem aliarum personarum transmissas, & sic nihil faciunt ad præsentem casum.

4 Vnde nec obstant Socinus & Bursat. suprà allegati, quia Socinus loquitur de campsore, qui non erat debitor, sed promisit pro alio debitore, & sic tanquàm fideiussor; Bursatus verò loquitur in mercatore soluente, vt vulgo dicunt, *sotto protesta*, qui etiam dicitur soluere tanquam fideiussor; in casu verò nostro non constat de solutione facta per Lauaianam, & licèt acceptauerit litteras; tamen donec de solutione non doceatur, mercatores remanserunt principales debitores, cùm non sit facta per dictam acceptationem nouatio, vel delegatio. *l. si litterarum*, vbi Bald. *Cod. de solution.* Gabr. de communi, *in tit. de nouat. conclus.* 1. *sub numer.* 19. *& seq.* cum aliis per Rotam in dicta decisione huius causæ coram Domino meo Pamphilio.

5 Quæ dicebantur de deposito facto ad impediendum cursum vsurarum, videbantur non suffragari, tum quia non fuit factum ad fauorem illorum de Barutis: sed fideiussorum per mercatores datorum, tum quia allegata procederent, quando per creditores stetisset quominus pecuniam sibi debitam reciperent, *l.* 2. vbi Bart. & Salicet. *C. de vsur.* cum aliis per Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 9. *gloss.* 3. *num.* 5. Sed in proposito Baruti fuerunt semper parati pecunias recipere, vel saltem de contrario non docetur.

Ex quibus fuit conclusum sententiam esse confirmandam.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Gerunden. vini Mercurij 4. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Administrationes solitæ dari in titulum collatiuum, vt dicantur erectæ in titulum perpetui beneficij, quid probari debeat, & plura adducuntur signa ad probandum quòd administratio non fuerit erecta in titulum perpetui beneficij, & quæ requirantur pro mutatione status beneficij.

SVMMARIVM.

Beneficium, seu Præpositura quæ in præteritum temporalem tantùm administrationem habuit, solita dari in titulum collatiuum, de præsenti illam tantùm habere præsumitur, nisi probetur erectio in titulum perpetui beneficij, vel quòd ita spatio 40. annorum collata fuerit ab eo qui potestatem habuerit, & voluerit illius statum mutare, n. 1.

Beneficium vt præsumatur erectum in titulum perpetui beneficij requiritur quòd habeat annexum aliquid spiritualitatis, & habeat aliquam dotem, n. 2.

Beneficium datur propter diuinum officium, ibid.

Beneficium cuius bonorum dominium non est penes beneficiatum, sed nuda administratio, non dicitur erectum in titulum perpetui beneficij, ibid.

Probatio æquiuoca non releuat, n. 3.

Dictio seu *potest stare expositiuè pro* id est, *ibid.*

Beneficia Ecclesiastica diminutionẽ non recipiunt, ibid.

Beneficia Ecclesiastica aliquo præcedente pacto conferri non possunt, ibid.

Beneficij status vt dicatur mutatus, debet probari scientia & patientia eius de cuius interesse agitur, numero 4.

Collatio beneficij facta per Papam non mutat statum beneficij, nisi probetur per Papam fuisse factam animo antiquum statum mutandi & nouum inducendi, num. 5.

DECISIO CCLXIII.

1 SVb die 5. Iunij præteriti resolutum fuerat, Præposito mensis Iulij, dotem deberi, ea ratione, quia Præposituræ istius Ecclesiæ titulum perpetui beneficij Ecclesiastici cõferri censueuerint; verùm, causa postmodum super eisdem pluries proposita, & maturè consideratis his quæ pro parte Capituli de nouo deducta fuerunt, supradicta die Domini censuerunt recedendum à decisis, quia non constat, quòd ab initio aliqua ex dictis Præposituris in huiusmodi titulum perpetui beneficij Ecclesiastici erecta fuerit, sed potiùs ex deductis apparet quòd ab antiquo Præpositi consueuerunt à Capitulo administrationem temporalem bonorum ipsius recipere, & quoad alia ipsum in dominum recognosce-

re, vt fuit etiam ponderatum sub die 5. Maij 1599. coram bon.mem. Pegna, & 18. Iunij 1601. coram Reuerendissimo D.meo Damasceno ideoque etiam hodie Præpositura, de qua agitur, temporalem administrationem habere præsumitur, nisi probetur eius erectio in titulum perpetui beneficij, vel quòd ita spatio 40 annorum collata fuerit ab eo qui super ea potestatem habuerit, & voluerit illius statum mutare, iuxta text. *in c.cùm de beneficio*, & ibi Gemin.*num.9.* & alij *de prebend.in 6.* Felin. *in cap. in nostra,num.41.vers.secundò nota, de præscript.* Silu. *de benefic.part.3.quæst.11.num.* 124. & fuit dictum in causa Perusina Sancti Beueniatis 13. Maij 1588. & 17. Martij 1589. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio,& aliàs sæpè.

2 Quod tamen non probatur, immò contrarium ex pluribus suadetur; nam vltra quòd non constat, quòd istæ Præpositurae habeant annexum aliquid spiritualitatis, prout requiritur ad istum effectum, cùm propter diuinum officium, detur beneficium, *c.cùm secundum, de preb.* Bellam. *in c. super hoc, sub n.17.vers.3.principaliter de renunciat. & in d.c.in nostra, nu.*10. & ibi Felin.*sub n.9.vers.de tertio,de rescr.* Abb.*cons.47.sub n.1.vers.3. consideratur, lib.2.* Gig.*de pensio.quæst 86.num.7. vers. Quartum requisitum*, nec quòd aliquam dotem habeant, prout verisimiliter haberent, si erectæ fuissent in titulum beneficij Ecclesiastici, iuxt.text. *in c.nemo,de consecrat.dist.1. & decis.* Put.374.*in fin.lib.1.* cum aliis in decisione allegatis; fuerunt etiam ponderata statuta, & alia deducta, ex quibus patet Capitulum consueuisse quoque disponere de bonis, & fructibus, dismembran. scilicet bona ab vna,& illa applican.necnon augen. & minuen.onera,prout temporum qualitas, & ipsius Capituli necessitas exigebat, ex quo colligitur, quòd dominium bonorum est penes ipsum Capitulum, & quòd Præpositi habent tantùm illorum administrationem, vt fuit etiam dictum coram bon. mem.Pegna, sub dicta die 5.Maij 1599.

3 Non obstant collationes, quæ dantur pro parte Præpositi, quia aliquæ faciunt simpliciter mentionem de Præposituris, quæ propterea ad istum effectum non releuant, cùm possint etiam intelligi de officiis, aliæ verò de beneficiis, seu officiis, quæ minus releuant, vti æquiuocæ, *cap.in præsentia, de probatio.* & maximè quia illa dictio *seu*, stare potest etiam expositiuè pro (id est) Aretin. *in rubr. Instit.de except.num.1.vers. Quinimo addas*, Rom. *cons.* 179. & ibi adden. *num.7.vers. Regulariter*, ibi, *& ideirco*, adeò vt non beneficia, sed officia dici debeant, quod etiam suadetur; quia in collatione Præpositurae mensis Nouembris facta de anno 1580. is qui illam recepit, promisit facere benè, & complere seruitium dictæ Præpositurae,& facit,quia ex dispositione statutorum eiusdem Ecclesiæ, quilibet Præpositus, infra octauam Paschatis, præstare debet idoneos fideiussores, qui insolidũ cum ipsis teneantur, tam pro integro seruitio ab antiquo consueto, quàm de nouo imposito, ac pro illius augmento, quod fieri non posset, si Præpositurae essent beneficia Ecclesiastica, quæ diminutionem non recipiunt, *cap.1. & tot. tit. vt Eccles. benef. sine dimin.confer.* nec aliquo præcedente pacto conferri possunt, Bellam. *in d.cap.in nostra,num.*10. & ibi Felin. *num.9 vers. de 4.de rescript.* Abb.*d.cons.47.sub num 1.vers. Quartum consideratur, lib. 2.* Vltra quòd in aliis collationibus, quæ dantur pro parte Capituli, istæ Præpositurae expressè dicuntur conferri tanquam officia simplicia.

Non obstat, quòd aliquæ ex supradictis collationibus fuerint factæ ex causa permutationis cum beneficiis Ecclesiasticis, quod fieri non potuisset, si Præpositurae non essent similiter beneficia Ecclesiastica, quia fuit responsum quòd cùm constet Præpositos ab antiquo fuisse tantùm administratores bonorum Capituli, nec appareat eos habuisse aliquam dotem, si præter daretur ab huiusmodi primæuo statu per supradictas collationes fuisse recessum, & propterea Capitulum teneri ad assignandam dotem, esset vlteriùs probandum, permutationes huiusmodi fuisse factas,& habuisse effectum sciente & patiente Capitulo, de cuius interesse agitur, ad non per Rip.*in cap.cùm Ecclesia Sutrina,num.64.de caus. possess.& propr.* cum aliis allegatis.

Minùs refragatur, quòd ex hinc inde deductis appareat saltem huiusmodi Præposituras consueuisse conferri in titulum perpetuum, quia quicquid sit de administratione, an illa facta fuerit collatiua, de quo fuit dictum in aliis decisionibus in hac causa factis quæ dantur, non sequitur propterea, quòd Præpositurae sint beneficia Ecclesiastica, ad quem effectum plura alia requiruntur, vt dictum est, & tanto minus, quia, collationes supradictæ non leguntur factæ de beneficiis, sed loquuntur de beneficio, seu officio, & aliæ simpliciter de officio, vt suprà dictum est, vltra quòd, licèt istæ Præpositurae probarentur aliquando per Papam collatæ vti beneficia Ecclesiastica, adhuc esset probandum, id per eum factum fuisse animo antiquum illarum statum mutandi, & nouum inducendi ex supradictis.

Et ita decisum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana fideicommissi de Briscaliјs 4. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Est in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Substitutio facta de proximiore, vt primum ad eum peruenit fideicommissum, extinguitur quoad alios, nec datur extensio de persona ad personam, ad inducendum perpetuum grauamen restituendi aliis proximioribus, n.1. Declara vt n.2.

Testator si voluit bona conseruari in familia, hæc voluntas trahit secum implicitum statum futuri temporis, & tunc quilibet censetur grauatus de restituendo alteri, & fit extensio de casu ad casum, & de persona ad personam, licèt de ea persona non fuerit in individuo cogitatum, n.3. vide n.4.

Familia & vt bona in ea conseruentur, si non fuerit contemplatum à testatore, tunc vbi factus fuerit locus substitutioni in primum casum, substitutio spirat quoad alios, & substitutus non censetur grauatus, n.4.

Alienationis prohibitio facta à testatore, operatur effectum suum respectiuè ad personas cõprehensas tantùm, & non extendit dispositionem vltra voluntatem testatoris,

testatoris, nisi sit adiecta ratio vt bona conseruentur in familia, num. 5.

Testatoris voluntas in scriptis declarata, illa attenditur etiam contra dispositionem testium, & quæ non probatur transisse in dispositionem, num. 6.

Fideicommissum videtur agnitum per possessionem bonorum, num. 7.

Possessionis causa mutata præsumitur, etiam sine alia declaratione, superueniente nouo titulo, n. 8.

DECISIO CCLXIV.

IAm fuit resolutum coram Reuerendissimo Archiepiscopo Bononien. Peregrinam sororem germanam testatoris esse comprehensam in fideicommisso, & coram me causam euenisse, quia Peregrinæ proximiori vocatæ prædecessit Hercules Cruceus institutus, & Bartholomæus Bassanus alter hæres nunquam rediit ad Vrbem adimplendo conditionem sub qua erat institutus.

Verùm cùm Andreas & Ioannes de Briscaliis Consobrini testatoris vti de familia prætenderent, quòd vocato proximiore, & admissa Peregrina vti tali, nihilominus ea mortua fideicommissum transeat ad vlteriores proximiores, nec in primo expiret, iuxta *consil.* Ancharani 27. ac etiam quòd Peregrina viuens fideicommissum agnouerit, & per consequens ad hæredes non transmiserit; ideo super prædictis vti reseruatis in decisione Reuerendissimi Bononien. 29. Martij 1610. proposita disputatione censuerunt Domini non obstare intentioni hæredum Peregrinæ.

1 Quia vera est conclusio quòd substitutio de proximiori facta vt primum fideicommissum ad eum peruenit, extinguitur quad alios, nec datur extensio de persona ad personam, ad inducendum perpetuum grauamen per reciprocum onus restituendi aliis successiuè proximioribus. *l. si quis ita. §. penult. ff. de testam. tutel.* Bart. *in l. Gallus, n. 9 ff de liber. & posthum* Gabr *consil.* 111. *nu.* 13 *lib.* 1. Card. Mantic. *de coniect. lib.* 3. *tit.* 19 *n.* 8. Petr *de fideic. quæst.* 5. *n.* 182 *vers. & iterum opinio.*

2 Et quamuis in multis casibus ad alios successiuè proximiores fideicommissum transire multi tenuerint, id semper contigit quando testator vsus est verbis habentibus implicitum statum futuri temporis, per quem arguitur testatorem verisimiliter etiam de vlterioribus cogitasse, vt post Cuman. *in l. cum ita §. fideicomm ff. de legat.* 2. firmarunt Ruin. *consil.* 89. *num.* 5. *lib.* 2. Cephal. *consil.* 88. *num.* 34. Mantic. *de coniect. lib.* 8. *cap.* 12. *num.* 11. & Rota sequuta est in pluribus causis, vt coram Seraphin. *decis.* 812. *num.* 1. in Bononien. de Paolinis 10. Decemb. 1610. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunen. & in Viterbien. fideicommissi coram R.P.D. Manzanedo 10. Maij 1612.

3 Et ex prædictis satis declaratur opinio Anchar. *consil.* 27. Roman. *consil.* 438. *num.* 14. & aliorum qui illum sequuntur, cùm præsupponant habitam fuisse rationem conseruandæ agnationis, quæ ratio trahit secum implicitum statum futuri temporis, quia non possunt bona conseruari in familia, nisi vnus sit grauatus de restituendo alteri, & quando necesse est implere voluntatem testatoris, tunc per qualitatem inhærentem fit extensio de casu ad casum, & de persona ad personam, licèt de ea persona nō fuerit in indiuiduo cogitatum. Aretin. *in l. Gallus. §. & quid si tantum, numer.* 18. *vers. secundo fallit. ff. de liber. & posthum.* Card. Mantic. *de coniect. lib.* 3. *tit.* 19. *num.* 8.

4 Secundò est aduertendum quòd idem dicendum non est in præsenti, vbi familia de Briscaliis non est contemplata, vt ponderat Crauett. *cons.* 161. *numer.* 9. Grass. *in §. fideicommissum quæst.* 16. *n.* 7. *in fin.*

5 Non obstat prohibitio alienationis, quia solùm operatur effectum suum respectiuè ad personas comprehensas, non tamen extendit dispositionem vltra voluntatem testatoris. Ruin. *cons.* 127. *numero* 9. *vers. præterea est aduertendum, lib.* 1. Petr. *de fideicommiss. quæst.* 2. *num.* 26. declarantes non fieri extensionem nisi sit adiecta ratio, vt bona conseruentur in familia.

6 Non obstant testes adducti ad probandum voluntatem testatoris fuisse vt bona conseruarentur in proximiores masculos, quia omisso an probent suppositum, & sufficiant, cùm sit minor numerus in codicillis requisitus, vbi superuenit voluntas in scriptis declarata, illa attenditur, non autem ea quæ non probatur transiisse in dispositionem. Bald. *in l. quidam cùm filiumfamil. in princ. vers.* 3. *nota. ff. de hæred. instit.*

7 An autem Peregrina viuens agnouerit fideicommissum, visum est decennali possessione horum bonorum iustificari agnitionem. *l. si filiusfamilias. C. de petit. hæred.* Ias. *cons.* 3. *num.* 5. *lib.* 1. Natta *cons.* 448. *num.* 17.

8 Nec obstat quòd Peregrina alio titulo, nempe vsusfructus sibi à testatore relicti possideret, vt ideo agnitio non habeat causam differentem ex possessione non relatiua ad fideicommissum, quia satis est quòd fuerit in possessione tempore purificati fideicommissi, vt ex superueniente fideicommisso potuerit sibi mutare causam possessionis, prout præsumitur absque alia declaratione, secundùm opinionem quam seruat Rota. Put. *decis.* 446. *lib.* 2. Achil. *decis.* 4. *de caus. & propriet.* Rota in Maceraten. hæreditatis 11. Maij 1587. coram bo. me. Card. Pamphilio, & in Asculana domus 3. Iunij 1602. coram Reuerendissimo D. Decano. Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. fideicommissi de Cattaneis. 4. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Emphyteusis Ecclesiastica recepta pro se, & descendentibus hæredibus, an superueniente licentia domini sit alienabilis in extraneos in præiudicium vocatorum.

SVMMARIVM.

Inuestitura emphyteutica recepta pro se, & suis hæredibus ex se legitimè descendentibus, partim est ex pacto & prouidentia, partim hæreditaria, & succedere prætendentes debent habere vtramque qualitatem, nempe quòd sint descendentes legitimi, & hæredes legitimi hæredes hæreditatis, non tantùm sanguinis, numer. 1. vide n. 2.

Emphyteusis recepta pro se & hæredibus, non transit in hæredes extraneos, sed ad ipsos tantùm hæredes legitimos, num. 2.

Emphyteusis si fuerit per patrem, vel auum alienata, hæres legitimus vocatus in inuestitura confecto inuentario non tenetur stare facto patris, vel aui qui alienauerunt, num.3.

Emphyteusis recepta pro se, & hæredibus legitimis, superueniente licentia domini directi de alienando in quoscumque, efficitur merè hæreditaria & transitoria ad quoscumque, & in præiudicium vocatorum, nu.4. declara vt num.5.

Contradictio, repugnantia & correctio in contractu euitanda sunt, & sumitur interpretatio, per quam excludantur, num.6.

Substitutio reciproca ad fauorem descendentium in contractu emphyteotico operatur, vt cuilibet ex vocatis censeatur ius quæsitum ex prouidentia concedentis, num.7.

Ius quæsitum alteri ex prouidentia concedentis in emphyteotico contractu, non tollitur per superuenientem libertatem alienandi, n.8.

Fideicommissum & libertas alienandi non contrariantur inuicem, quia potest fideicommissum constitui sub conditione si descendentes non alienauerint, n.9.

Superfluitas in quacumque dispositione vitanda est, & ea sumitur semper interpretatio, vt nihil superfluè censeatur appositum, num.10. vide num.11.

Emphyteusis Ecclesiastica de sui natura non est transitoria ad extraneos hæredes, num.11.

Emphyteusis renouatio, est noua acquisitio quoad ipsum, in quem renouatur, & sic potest comprehensis in primis inuestituris preiudicare, nu.12. vide contrarium quando fit vigore pactorum primæ inuestituræ, quia prima est attendenda. num.13.

DECISIO CCLXV.

IN disputatione diei 14. Decembris 1615. fuit resolutum non obstare exceptionem *l. vindicantem. ff. de euict. & l. cùm à matre. C. de rei vend.* nisi in hæreditate sint computanda bona Bubani. Hodie verò posita hac parte reseruata, absolutè Domini responderunt ll. prædictas non obstare.

1 Quia eadem bona Bubani vsque de anno 1506. fuerunt data in emphyteusim per Abbatem sanctæ Mariæ in regula ad sexaginta nouem annos Francisco de Cattaneis recipienti pro se, & suis hæredibus ex eo legitimè descendentibus, necnon vice, & nomine Andreæ Antonij, & Sixti eius fratrum, & cuiuslibet ipsorum hæredum, ex eis legitimè decendentium, & deinde in anno 1575. renouata fuit in Curtium nepotem Andreæ mortuis iam cæteris fratribus inuestitis, ac demum eodem Curtio mortuo de anno 1585. sequuta fuit refirma in Isottam, & Ludouicam dicti Curtij filias, ideo cùm emphyteusis fuerit recepta ab Ecclesia pro se, & suis hæredibus ex eis legitimè descendentibus, non est dubitandum quin sit partim ex pacto, & prouidentia, & partim hæreditaria, in qua succedere prætendentes debent quidem habere vtramque qualitatem, nempe quòd sint descendentes legitimi, & hæredes legitimi, & hæredes hæreditaris, non autem sanguinis tantùm, secundùm veriorem opinionem, de qua per Alex. *consil.19. numer.3. lib.5.* Crauet. *consil.197. num.5.* Couarr. *variar. resolut. lib.2. cap.18. num.3. vers. Idem omninò.* Velasch. *de iur. emphyt. quæst.44. num.11.* Clar. *in §. feudum quæst. 40. vers. sed quia.*

2 Sed nihilominus in reliquis retinet naturam emphyteusis Ecclesiæ, & prouidentiæ, ne in quemlibet hæredem extraneum, sed ad ipsos tantùm descendentes legitimos transire possit, vt declarat Socin. iun. *consil. 112. num. 10. volum. 2.* Cephal. *consil. 381. num. 138.* Bec. *consil. 88. num. 8.* Phanut. *de inuent. part. 6. num 17.* Clar. *in § feudum quæst. 9.* Surd. *consil. 63. numer. 11. & 12.*

Et consequenter cùm istæ mulieres sint descendentes legitimæ ab Andrea mediante persona Curtij earum patris, & Cæsaris aui, & hæredes, non tenentur confecto inuentario probare factum patris, vel aui. Bald. *consil. 452. in fine lib. 5.* Decius *consil. 185. numer. 5.* Clarus *in §. feudum quæst. 40. vers. sed quia.* Phanút. *de inuentario part. 6. num. 17.* vbi latissimè comprobat.

Non obstat quòd hæc emphyteusis sit iudicanda absolutè hereditaria, & transitoria ad quoscumque hæredes propter licentiam conductoribus datam alienandi bona emphyteutica in quoscumque, dummodo sint ipsis minores, vel æquales, per quam dicebatur bona remanere merè hæreditaria, etiam in præiudicium vocatorum. Anchar. *consil. 125. num. 4.* & Ruin. *consil. 213. num 5. & consil. 165 num. 7. volum. 1.* Laderch. *consil. 1. num. 15.* quod etiam dicitur resolutum in Imolen. bonorum 13. Nouembris 1592. coram bo. me. Cardinali Pamphilio, & in Nonantulana bonorum 4. Iunij 1610. coram Archiepiscopo Damasceno.

Fuit enim responsum conclusionem fortè posse procedere in præiudicium Ecclesiæ; secus verò in præiudicium vocatorum in ipsa inuestitura, quibus ius est quæsitum per stipulationem, quia quoad eos licentia alienandi non immutat naturam emphyteusis, vt apertè senserunt Bald. *consil. 452. numer. 5. lib. 5.* Alex. *consil. 106. num. 2. lib. 4.* Dec. *consil. 395. num. 2.* Ruin. *consil. 37. num. 18. lib. 2.* Rub. Alexandr. *consil. 110. num. 10.* Menoch *cons. 61. n. 10. & 24. & cons. 545. num. 5.* Caldas *de iure emphyteot. lib. 4. cap. 20. num. 33.* Corbul. *de caus. priuat. ob mort. ciuil. numer 51.* Bertaz. *cons. 73. numero 15. & 16.* & quamuis non desint qui contrariam opinionem tueantur, & vrgentissimis rationibus eam defendant, nempe Gozad. Anch. Ruin Paris. relati per Laderch. *in suo cons. 1.* & ipsemet hanc opinionem sequens, ea ratione, quia ab initio transeat ius emphyteusis cum hac qualitate, vt bona alienari possint, itaut præiudicium sit generatum descendentibus antequam ad eos transiret emphyteusis; tamen in casu de quo agitur, magis placuit DD. prior opinio, quam etiam Rota approbauit in causa Camerinen. domus 4. Iulij 1593. coram bo. me. Gipsio.

In qua ponderatur ratio euitandi repugnantiam & correctionem, ne statim per licentiam recedatur à prouisione pro descendentibus facta, quod multum conuenit in præsenti, & stringit, dum emphyteusis non est recepta simpliciter pro se & suis hæredibus ex eis legitimè descendentibus.

Sed vlteriùs processum fuit addendo explicitam substitutionem reciprocam ad fauorem descendentium per quam cuilibet ex vocatis dicitur ius quæsitum ex prouidentia concedentis. Gabr. *cons. 88. nu. 6. lib. 1.*

Quod non tollitur per subsequentem, vel superuenientem libertatem alienandi secundùm opinionem Castren. *in cons. 253. n. 3. vol. 2.* quam probarunt Dec. *cons. 386.* Paris. *cons. 31. nu. 34. & 39. vol. 2.* Olasch. *cons. 40.* & veriorem dixit Peregrin. *de fideicommiss. art. 40. num. 63. & 65.*

Præterea ex facto aduertebatur quòd bona, de quibus

quibus agitur, non sunt alienata, ideo tanto magis cessare videbatur hæsitatio; quia ad inuicem non contrariantur fideicommissum & libertas alienandi, dum videtur conceptum fideicommissum sub conditione, si descendentes non alienauerint, vt in simili dispositione testatoris voluerunt Socin. sen. *consil.223.num.4.volum.3.* Menoch. *consil. 151. num. 49.* Surd. *96. num. 26. & consil. 357. numer. 27. & consil. 390. num. 1.*

10 Non obstat quòd si licentia alienandi non esset intelligenda etiam ad præiudicium vocatorum, fuisset omnino superfluè apposita contra regulam, *l. si quando ff. de leg. 1. & cap. si Papa, de priuileg. in 6.* dum interesse vocatorum semper se opponeret alienationi fiendæ, vel iam factam reuocaret.

11 Quia fuit considerata vtilis in pluribus casibus, nempe si non superesset aliquis ex vocatis in inuestitura, vel si omnes vocati consentirent alienationi, quia tunc licentia esset necessaria, cùm agatur de emphyteosi Ecclesiastica, quæ de sui natura non est transitoria ad extraneos hæredes, Clar. *in §. emphyteosis, quæst. 13.* & hic casus ponderatur etiam per Rub. Alexand. *consil. 110. n. 11.* Idem etiam dicitur si hæreditas alienantis fuisset adita sine beneficio legis, & inuentarij, tunc non possent bona emphyteotica vendicari, & in hac parte licentia sustineret alienationem, & aditio probaret factum, vt considerat Bald. *consil 452. in fin. vol. 5.*

12 Non obstat renouatio in Curtium facta, quę cùm fuerit noua acquisitio eiusdem emphyteusis quoad eum, vti primus acquirens, potuit aliis vocatis præiudicare. Clar. *in §. emphyteusis quæst. 16. vers. sed quid,* cum aliis allegatis.

13 Quia neque ista fuit noua acquisitio, sed vigore pactorum antiquæ inuestituræ renouatio, ad quam poterat Ecclesia compelli; ideo cùm non contineat pacta contraria antiquæ, illa antiqua erit attendenda. Castren. *consil. 142. num. 3 part. 2.* quem retento themate quòd pacta non contrarientur, sequuta est Rota in causa Imolen. bonorum 8. Martij 1596. coram bo. me. Cardinali Pamphilio.

Et ita, &c.

R. P. D. VBALDO.

Vlixbonen. beneficij. Mercurij 4. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

De iustificatione gratiæ obtentæ in vim subrogationis in ius defuncti quoad possessionem beneficij, quoad litem, quoad obitum, quoad clericatum, & quoad originem impetrantis, plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Beneficij possessio probatur ex confessione partis facta in illius impetratione, num. 2.

Lis probatur ex commissione in actis præsentata, & decisionibus factis, in causa, ibid.

Obitus, & mors illius, cuius impetratum est beneficium, quando probetur per testes deponentes de auditu à pluribus personis num. 3.

Epistola probat contra scribentem, ibid.

Clericatus probatur per matriculam ordinum generalium celebratorum ab ordinario num. 4.

Beneficium in dubio præsumitur simplex, & quòd fuerit simplex probatur etiam testibus & confessione partis num. 6.

DECISIO CCLXVI.

Domini dixerunt gratiam Michaelis esse iustificatam; in ea enim in effectu fuit narratum quòd lite, & causa super beneficio de quo agitur inter Laurentium, & Antonium in Rota introducta, illaque indecisa pendente, idem Laurentius reportatis pro se fauorabilibus resolutionibus, de mense Martij vita functus est, adeò vt dictum beneficium adhuc per obitum D. Emanuelis, qui illud antea obtinuerat, seu eiusdem Laurentij vacet ad præsens. 1

Quòd autem Emanuel dum viueret, obtineret hoc beneficium, & in eius possessione obierit, iustificatur ex propria confessione Antonij in sua gratia. *l. cùm precum. C. de lib. caus.* Ægid. *decis. 268.* Seraph. *decis. 1296. num. 6. part. 2.* Et accedunt duo testes dati in summario *num. 2.* lis autem iustificatur ex commissione in Rota præsentata, & resolutio ad fauorem Laurentij ex decisione in hac causa facta 20. Iunij 1614. coram me, vt fuit dictum in Hispalen. beneficij de Xeres 27. Iunij 1605. coram bo. me. Litta. 2

Obitus verò Laurentij licèt non sufficienter probetur per testes de certa scientia, tamen quia non agitur de probando obitu ad effectum reseruationis, sed iustificationis tantùm, videbatur probari per testes deponentes audiuisse à pluribus personis, eo quòd communiter dicebatur inter Curiales Lusitanos hîc Romæ. Oldrad. *cons. 304. nu. 7.* Mohed. *decis. 1. de probat.* Crescen. *decis. 4. nu. 8. & 9 de except.* Put. *decis. 520. lib. 2.* Rota *decis. 46. n. 1. & 2. part. 2. diuers.* & accedunt litteræ ad Curiam transmissæ, de quibus deponunt testes, & confessio ipsius Antonij in epistola producta, & recognita, quæ contra eum probat. *l. publica. §. fin. ff. depos.* Rota Ianuen. *decis. 2. num. 9. & decis. 31. num. 7.* Seraph. *decis. 996. num. 1.* & fuit dictum in Panormitana cambiorum 17. Februarij 1612. coram me, agitur enim de re parui præiudicij respectu colligitantis, cùm si ille per cuius obitum dicitur vacare beneficium, viuat, poterit cùm venerit beneficium recipere, vt considerat Mohed. *dicta decis. 1. de probat. & decis. 46. part. 2.* cum aliis proximè allegatis. 3

Clericatus Michaëlis probatur ex matricula ordinum generalium celebratorum per Ordinarium Vlixbonen. cum sigillo eius Secretarij legitimè recognito, vt in simili fuit dictum in vna Firmana iurispatronatus 23. Martij 1609. coram R. P. D. meo Caualerio, & accedit testis de hoc deponens. 4

Quòd Michaël sit oriundus ex ciuitate Vlixbonen. probatur ex testibus de hoc deponentibus, vt fuit dictum in Hidruntina beneficij 6. April. 1615. coram me. 5

Quòd beneficium sit simplex, licèt non sit iustificandum, cùm tale præsumatur. Ægid. *decis. 675.* tamen probatur ex testibus, & ex confessione ipsius Antonij in sua gratia, sicut etiam probatur valor beneficij centum ducatorum per non excessum, videlicet ex testibus. & gratia Antonij, & testes partim deponunt de auditu, & partim de publica voce, & fama, quòd sufficit quando gratia, prout hîc, non est fundata super narratiua valoris Ægid. *decis.* 6

674. Put.*decis.29. lib.*1. Caputaq. *decis.* 277. *num.* 7. *part.*1. & fuit dictum in dicta Hidruntina beneficij coram me.

Et ita fuit decisum, Michaele tantùm informante, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romanæ restitutionis dotis 9. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Ratihabitio inducitur per factum, non minus quàm per verba, & confessio priuata de dote recepta, præcedente promissione dotis, probat veram numerationem.

SVMMARIVM.

*Scriptura de cuius fide non dubitatur, probat omnes actus in ea commemoratos, num.*1.

*Ratificatio gestorum per alium nomine ratificantis operatur, vt illa ab ipsomet ratificante gesta dicantur, num.*2.

*Ratificatio probatur per factum subsecutum, non minus valida, quàm si fieret verbis, num.*3.

*Ratificatio scripturæ inducitur, si quis ex ea agit, n.*4.

Confessio receptionis dotis, etiam per apocham subscriptam & recognitam, quamuis in ea non renuncietur præsentialis numeratio, probat veram numerationem fauore mulieris in præiudicium hæredum tertij, & etiam fisci, dummodo confessionem præcesserit promissio dotis, num. 5.

*Apocha non recognita, non meretur fidem, neque executionem, num*6.

*Apocha recognitio fit sufficienter per testes affirmantes esse manum Titij, & eius manum bene cognoscere, num*7.

DECISIO CCLXVII.

Soluto matrimonio per mortem Bartholomæi Capranicæ D. Dionora Celsa eius vxor egit pro recuperatione dotis solutæ, & dato dubio, an constet de constitutione dotis, & illius solutione.

Censuerunt Domini constare de constitutione dotis vsque ad summam scutorum decem millium, & de solutione ad summam scutorum sex millium.

Constitutio in eam summam satis iustificatur ex apocha; & capitulis matrimonialibus subscriptis à D. Hortensio patre D. Dionoræ, qui eam summam pro dote promisit, & à D. Isabella Celsa matre Bartholomæi mariti, quæ pro eo matrimonium stipulauit.

1 Per scripturam enim, de cuius fide non dubitatur, regulariter probantur omnes actus in ea commemorati. *l.*1 *C. de contrabend. & committen. stipul.* §. *si scriptum. Instit. de inutil. stipulat.* Socin. *cons.* 267. *num.*1. *vol.*2. Surd. *decis.*115. *num.* 4.

2 Et quamuis non appareat quòd in ea scriptura interuenerit Bartholomæus, sufficit tamen quòd rata habuerit gesta per matrem eius nomine, vt exinde ab ipsomet ratificante gesta dicantur. *l. si pupilli.* §. *item quæritur. ff. de negot. gest.* Tiraquell. *de retract. consang.* §.1. *gloss.*10. *num.*64. Surd. *decis.*231. *num.*11. & 159. *num.* 12.

Et de ratificatione dubitandum non videbatur quia per matrimonium sequutum & consummatum facto probatur ratificatio non minus valida quàm verbis. *l. Paulus, ff. rem ratam haberi. l. si ponas* §.1. *ff. de inoffic. testam. l. sed Iulianus.* §. *fin. ff. ad Macedon. l. quo enim*, vbi Bart. *ff. rem ratam haberi.* & iuxta tenorem eiusdem scripturæ matrimonialis subsequutum esse probant dispensationes obtentæ per eundem Bartholomæum supplicantem tam respectu gradus consanguinitatis, quàm derogationis statutorum super limitatione dotium, quæ in vim conditionis appositæ reperiuntur in capitulis matrimonialibus.

Vnde non videtur hæsitandum quin ex eadem scriptura egerit & agendo ratum habuerit. Bald. *cons.*34. *num.*1. *vol.*2. Dec. *consil.* 297. *num.*2. Surd. post alios *decis.* 229. *num.*5. vltra quòd dantur etiam testes de constitutione eiusdem dotis, & approbatione Bartholomæi, ex quibus plenè huic probationi remanet satisfactum.

Solutio pariter in eandem summam scutor 6000. videtur probata ex apocha manu Bartholomæi subscripta, & recognita, in qua fatetur se recepisse eam summam à D. Hortensio; & quamuis in ea non enuncietur præsentialis numeratio, præcedente tamen promissione dotis probat fauore mulieris veram numerationem in præiudicium nedum hæredum, sed alterius tertij, & etiam fisci. *l. in contractibus.* §.1. *C. de non numer. pecun.* Castren. *cons.* 383. *num.*1. *vers. secundus casus vol.*2. Surd. post alios *decis.* 116. *n.* 1. Seraphin. *decis.* 278. *num.* 10.

Non obstant quæ dicuntur de illegitima recognitione prædictæ apochæ, & ea circumscripta non mereri fidem, neque exequutionem. Oldrad. *consil.*1. *n.*3. Rot. *decis.*156. *n.*1. *lib.*3. *diuers.* & in Perusina pecuniaria 28. Nouembris 1612. coràm R. P. D. Manzanedo.

Quia visa est sufficienter probata recognitio per tres testes, qui dantur, qui formiter cum interrogatoriis partis illam recognouerunt, dicentes subscriptionem esse eiusdem Bartholomæi, & manum eiusdem optimè cognoscere. Couar. *pract. quæst. cap.*21. *in* 1. Menoch. *de arbitrar. cas.* 114. *numero* 25. Seraphin. *decis.*522. Id affirmans etiam si testes deponant de credulitate, & idem dicitur in Tiburtina, seu Romana castrorum 4. Iulij 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen. & si etiam requirantur adminicula pro coadiuuanda probatione recognitionis, & veritate scripturæ, non tamen deficerent, quia datur littera remissiua Bartholomæi ad eius Procuratorem, cum insertione computorum, per quæ apparet de eadem summa ferè satisfactus, & Liberculus particularis eiusdem Bartholomæi, in quo continentur eadem summæ, & se conformant cum partitis in epistola enunciatis, ac etiam concurrit depositio testium, qui asserunt Bartholomæum habuisse diuersas pecuniarum summas, & aliqui de præcisa summa scutorum 6000. & de auditu ab ipso Bartholomæo in causam dotis, quæ omnia visa sunt sufficere pro adminiculo ad eum effectum.

Non obstat quòd subscriptio nominis Bartholomæi sit abbreuiata præter stylum subscribentis quia de stylo contrario non probatur, & probatus non releuaret aduersùs probationes D. Dionoræ.

Et ita, &c.

R. P. D.

R. P. D. SACRATO.

Malacitana iuris votandi. Luna 9. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

De quasi possessione actuum particularium quòd per eam acquiratur vniuersalis quasi possessio tituli, seu causæ, propter quam fiunt dicti actus, quomodo eadem quasi possessio amittatur, & quòd Procuratoris confessio possit à domino reuocari etiam sine speciali mandato.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio aliquorum actuum particularium arguit possessionem vniuersitatis tituli, seu causæ, propter quam illi actus particulares fiunt, num. 1.*

Statutorum speciale ius præualere debet iuri communi, ibid. in fine.

2 *Procurator non potest declarare animum sui principalis speciali mandato, num. 2.*

Procuratoris confessio reuocari potest per principalem, etiam non docto de errore, ibid.

Ratificatio non inducitur sine speciali, & indiuidua scientia præiudicij, quod infertur ipsi ratificanti actum quem ratificat, ibid. ante fin.

3 *Quasi possessio iurium incorporalium non omittitur sine scientia, & patientia illorum actuum, quorum quasi possessio amitti prætenditur, num. 3.*

DECISIO CCLXVIII.

1 Resolutum fuit dandum esse mandatum de manutenendo Portionariis integris, atque dimidiis in quasi possessione votandi in Capitulo quo ad tangentia mensam Capitularem, & contenta in statutis Ecclesiæ Malacitanæ, loquentibus de Portionariis, integris, atque dimidiis, quorum statutorum copia fuit data in summario Portionarium, *nu.* 1. 2. & 3. etenim ex deductis in eodem summario visum fuit apparere prædictos Portionarios integros, atque dimidios, tam antiquis, quàm modernis temporibus votum dedisse in pluribus actibus comprehensis in prædictis statutis, & etiam non negabant informantes pro Capitulo, admittentes prædictos Portionarios consueuisse dare votum, quando quis petit eleemosynam à Capitulo, aut gratiam de bonis Mensæ Capitularis, licet negarent quo ad alios actus: ex hac autem indubitata quasi possessione aliquorum actuum dicebant Domini resultare quasi possessionem quo ad omnes actus in statutis comprehensos, quia non attenditur particularitas actus, sed vniuersalitas tituli, seu causæ, propter quam fit ille actus, iuxta Doct. Bald. *in l. 1. numero* 24. *vers. indic. de emancip. liber.* Felin. *in cap auditis, numer.* 19. *de præscript.* Abb. *in cap.* 1. *numer.* 3 *de relig. domibus.* Oldrad. *consil.* 170. *numero* 4. Gabr. *conclus.* 2. *num.* 18 *de præscript.* Rot. *diuersor. decis.* 17. *num* 4. *& per totam, part.* 2. Seraph. *decis.* 1295. *num.* 6. & fuit in specie decisum in causa Tirasonen. iuris votandi 4. Februarij 1614. coram R. P. D. Manzanedo. Et licèt Capitulum quo ad actus factos sine interuentu Portionariorum, posset & ipse dici habere suum titulum vniuersalem, hoc est, dispositionem iuris communis, attamen visum fuit Dominis, quòd in concursu ius speciale prædictorum statutorum, debet præualere iuri communi, & generali, ex tradit. per Bald. *consil.* 59. *numer.* 4. *libro* 1. Roman. *consil.* 195 *numero* 1. Ias. *consil.* 23. *num.* 2. *volum.* 2. Abb. *consil.* 77. *in penult. col. circa princip. lib.* 2. & in similibus terminis Rot. in causa Burgen. iuris residendi in choro 28. Maij 1612. coram R. P. D. Pamphilio.

2 Hæc autem quasi possessio non videbatur amissa ex eo, quòd Procurator Portionariorum petiisset suos principales reintegrari. nam præter quòd in Rota fuit aliàs controuersum, an talis petitio tanquam dubia, & æquiuoca possit intelligi de restitutione naturalis tantùm possessionis, cessare visa fuit omnis difficultas, quia retentio, vel dimissio possessionis ciuilis, cuius respectu competit manutentio, consistit in animo principalis, quem animum non potest declarare Procurator, sine speciali mandato, vt aliàs fuit in specie decisum in causa Barchinonen. confinium 19. Decembris 1605. coram me. Et prædicta talis qualis confessio dicti Procuratoris, fuit reuocata per dictos Portionarios, quod potuit fieri etiam non docto de errore, Menoch. *consil.* 191. *n.* 59. *&* 60. Rota *decis.* 19. *de procurat. in nou.* Caputaq. *decis.* 198. *lib.* 1. Rota in Beneuentana census 16. Decembris 1594. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, Romana pecuniaria 26. Iunij 1606. coram Reuerendissimo Bononien. & in Lunen. Sarzanen. 1. Martij 1602. coram me, quibus dictum fuit non obstare, quòd Portionarij prosequendo litem iam cœptam per dictum suum Procuratorem videantur ratificasse gesta per illum, quia in præiudicialibus, qualis est ista dimissio possessionis ciuilis, requiritur specialis, & indiuidua scientia præiudicij, aliàs ad ea non extenditur prætensa ratificatio, gl. communiter approbata, *in cap. concertationi, verbo sciuerit. de appellat. in* 6. Alex. *cons.* 124. *n.* 4. *vers. accedit, lib.* 1. Natt. *cons.* 636. *n.* 92. Rota in Neapolitana pecuniaria 20. Martij 1600. coram bon. mem. Litta, Bononien. bonorum 21. Iunij 1605. coram R. P. D. Pamphilio, & in Romana pecuniaria de Columna 11. Decembris 1615. coram me.

3 Non obstat, quòd Canonici fecerint plurimos ex actibus contentis in statutis absque interuentu Portionariorum, quia non per hoc amissa fuit quasi possessio dd. Portionariorum. Primò, quia non apparet quòd Portionarij sciuerint illos actus, & cessante scientia, cessat patientia, sine qua non amittitur quasi possessio iurium incorporalium, *l.* 2. & ibi gloss. *verb. sciente*, & Bart. *numer.* 8. *&* 9. Bald. *n.* 17. *Cod. de seruit. & aqua.* Ruin. *consil.* 163. *numer.* 5. *&* 6. *lib.* 5. Aym. *consil.* 134. *num.* 14. Afflict. *decis.* 282. *num.* 2. Cæs. de Grass. *decis.* 7. *num.* 9. *de test.* Rot. *diuersor. decis.* 157. *numer.* 2. *&* 5. *part.* 2. Marsicana iurisdictionis 11. Martij 1591. coram R. P. D. Comitulo, & in Calaguritana iuris obtinendi 30. Aprilis 1593. coram bon. mem. Gipsio. Quæ scientia, & patientia videbatur non posse elici ex eo quòd Portionarij post votum datum super aliquibus ad nutum Præsidentis exiuerint de Capitulo, quia cùm certum sit Capitulum potuisse tractare alia plura de non contentis in statutis, & super quibus Portionarij non debebant dare votum, potuerunt, Portionarij credere, quòd de illis solùm esset tractandum. Secundò, etiam data scientia, & patientia in Portionariis, quòd Canonici fecerint aliquos actus

12 sine ipsis,non propterea fuisset illis præiudicatum, nisi doceatur quòd Canonici fecerint animo priuandi Portionarios eorum quasi possessione, & ipsi Portionarij sciuerint hunc eorum animum, aliàs faciens actum sibi communem cum alio, tantum abest, vt acquirat aliquem statum priuatiuum,quo ad illum, quòd immò potius dicitur conseruare illius quasi possessionem,Compostell.*in cap. quæsitum,nu. 2.vers.at vbi,de elect.* Put.*decis.*298. *num.*3. *lib.*1. Verall.*decis.*366.*p.*2. Rot.*diuers. decis.*391. & *decis.* 713. *num.*6.& 7.*part.*1.Seraph.*decis.*1021.*num.*5. Denique dato, & non concesso, quòd per illos actus fuisset amissa quasi possessio Portionariorum,adhuc recuperata ex actibus factis, cum interuentu Portionariorum ab anno 1599. citrà, de quibus in summario Portionariorum *num* 12. & signanter ex arrendamento facto de anno 1602. de quo in dicto summario Portionariorum *eod. num.* qui actus tanquam proximiores tempore litis, sunt magis attendendi ad effectum manutentionis, §.*retinendæ, Instit. de interd.*cum concordantibus.

R.P.D. PAMPHILIO.

Rhegien. vnionis. Lunæ 9. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Possessio legitimè adepta tempore vacationis,est manutenibilis,& litis pendentia non inducitur sine citatione,qua pars in ius vocatur, & intimatio nisi constet quòd facta fuerit per nuncium publicum,non afficit.

SVMMARIVM.

*Manutentio conceditur,quotiescunque constat de possessionis adeptione,etiam mediante Procuratore,n.*1.

*Possessio manutenibilis est quoties constat quòd de tempore illius adeptionis erat vacans, & nullus in ea existebat,num.*2.

*Possessio capta lite pendente tanquam attentata, non est manutenibilis, num.*3.

Citatio requiritur ad inducendam litis pendentiam,numero 4.

*Protestatio & preseruatiua iurium non inducit litis pendentiam, sed indicat mentem reseruandi sibi ius agendi in futurum, num.*5.

*Intimatio non dicitur facta saltem legitimè, nisi constet factam fuisse per aliquem ex nunciis publicis, & iuratis & ad similia facienda deputatis, quorum relationi sit standum num.*6.

DECISIO CCLXIX.

1 FVit resolutum Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ Corrigij dandum esse mandatum de manutenendo, quia de eius possessione constat ex instrumento ipsius adeptionis factæ per eius œconomum ac Syndicum etiam Procuratorem ad id specialiter constitutum,iuxta doctrinam gloss.*in cap. si tibi absenti,verbo habuerit.* & ibi Gemin.*n.*14.*ad fin.de præbend lib.*6 Rot.*decis.*21.*de procuratorib.in nou.*

2 Quod quidem instrumentum probat possessionem manutenibilem stante quòd per mortem vltimi possessoris, possessio tunc erat vacans, & nullus alius in ea existebat.Rot.*decis.*201.*num.*3. *part.*1.inter impress.diuersorum,& fuit sæpissimè decisum & signanter in Mediolanen. Canonicatus 6. Iunij 1607.coram me.

Nec obstat quòd pro parte Reuerendissimi Episcopi Rhegien. dicebatur huiusmodi possessionem fuisse captam lite pendente super validitate vnionis, ideóque vti attentatam non esse manutenibilem.*l.improbat.C.de acq.poss.*cum aliis allegatis,quia fuit responsum non constare de aliqua lite coram ipso Episcopo introducta.

Nam illa quæ deducebatur ex comparitione facta per Procuratorem Capituli specialiter constitutum ad comparendum coram Episcopo, vel eius Vicario, & coram eis præsentandum, ac exhibendum litteras Apostolicas vnionis, atque instandum pro illorum acceptatione, & admissione, necnon petendum earum exequutionem. Visum fuit Dominis cessare ex eo quòd dictus Procurator comparuit coram Episcopo,litteras præfatas simpliciter ei exhibendo ad effectum ne de vnione vllam prætendere possit ignorantiam, & petendo super bonis vnitis per eum nihil innouari, nec fuit citatus Procurator fiscalis,nec per Episcopum factum aliquod decretum de illo citando.

Vnde cessat omnis litis pendentia, & per consequens attentatum, cùm ad hoc citatio omnino requiratur. *Clementina* 2. ibi, *quo ad hoc vbi omnes.vt lit.penden.* cum aliis per Lancellot. *de attentatis cap.* 4.*in præfatione,nu.*29. & *seq.*& fuit dictum in Legionen.iurisdictionis die 23.Martij 1592. coram Cardinali Pamphilio.

Ea verò quæ deducebatur ex comparitione postea facta per Procuratorem fiscalem coram Episcopo, opponendo de obreptione & subreptione dictarum litterarum,& petendo id notificari Capitulo,seu eius Procuratori, prout Episcopus intimari mandauit, & fuit facta intimatio, in primis cessare videbatur ex eo quòd dictus Procurator fiscalis in prædicta comparitione nihil contra Capitulum petiit,sed solùm dixit litteras præfatas esse obreptitias, & subreptitias,ac ex aliis causis per eum adductis esse nullas,& hoc ad effectum ne viderentur approbatæ per Episcopum,nec appareret de aliqua ipsius Procuratoris fiscalis acquiescentia; protestando sibi & Episcopatui ac Episcopis pro tempore existentibus perpetuò fore saluum ius agendi contra Canonicos, & Capitulum pro vendicandis Ecclesiis illorum mensæ Capitulari vnitis. Ex his enim apparet ipsum tunc temporis nec egisse, nec habuisse animum agendi contra Capitulum, sed solùm sibi præseruasse ius agendi in futurum, ideóque cessante actione ex sola protestatione, quantumuis Capitulo vel eius Procuratori legitimè intimata non potuit resultare aliqua litis pendentia, neque aliquod attentatum, cùm ad huiusmodi effectum requiratur partis citatio,qua ad iudicium euocetur. *Clem.*2.*vt lit.pend.l.libertus la* 2. *ff.de in ius vocan.*& vtrobique not.

Præterea dictum fuit non cõstare de intimatione dictæ comparitionis & protestationis Procuratoris fiscalis,cùm non probetur illos,qui eam fecisse dicuntur, fuisse ex nuntiis publicis,& iuratis,& ad similia facienda deputatis; & propterea illorum relationi standum non sit. gloss. *in cap cum parati. verbo suus nuntius.*& ibi Doct. *de appellat.* cum aliis per Tiraq.*de retract.lignag.*§.8.*gloss.*9.*num.*11.cessante autem intimatione supradictæ comparitionis & prote-

protestationis, ex ea nulla potuit induci litis pendentia, neque causari aliquod attentatum. *d. clem. 2. & ibi gloss. verbo ad partem in fine*, & Doctores omnes, *vt lit. pend.* Felin. *in cap. super litteris, num. 13. de rescript.* Lancellot. *de attentat. cap. 4. nu. 9.* aliàs 103. & Vant. *de nullit. ex defectu citationis, num.* 145.

R. P. D. VBALDO.

Conchen. decimarum de Belmonte. Lunæ 9. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

De transactione super decimis facta cum Capitulo vt valida sit quæ requirantur.

SVMMARIVM.

Depositio qualibet intelligitur de actu valido, non autem de actu inualido, & nullo, num. 1. vbi ampliatur hæc conclusio etiam quòd in dispositione adsit vniuersalis dictio quicumque.

Vniuersalis dictio quicumque, *non extenditur ad actum nullum, & inualidum, ibid.*

Verba in suo robore remanente, *quid importent, ibid. ad fin.*

Transactio facta cum Capitulo super decimis reputatur nulla, & inualida, quando non interuenerunt omnes de Capitulo, num. 2.

Vniuersitatis factum in actibus voluntariis non præiudicat omnibus, nisi omnium consensus interuenerit, ibid. vbi etiam quid in actibus necessariis.

Transactio super decimis facta cum Capitulo nunquid requirat consensum Episcopi, & quomodo, num. 3.

Negatiua actus probatur ex inspectione instrumenti, num. 4.

Apostolicum beneplacitum ex cursu temporis minore 30. annorum non præsumitur, num. 5.

Transactio super decimis cum Capitulo nunquid requirat Apostolicum beneplacitum, ibid.

Sententia, & consensus non inducitur ex scientia actus in genere, nisi etiam sciantur omnes qualitates eiusdem actus, num. 6.

Transactio facta ab Ecclesia etiam super re quam non possidet, requirit solemnitates quæ requiruntur in alienatione rerum Ecclesiæ, num. 7.

Reseruatio iurium nihil de nouo disponit, num. 8.

DECISIO CCLXX.

1 PRoposui dubium, reseruatum in decisione huius causæ 5. Iunij præteriti, an obstet concordia, quod fuit negatiuè resolutum, & in primis fuit firmatum Breue fel. record. Leonis XI. quod præseruat quascunque concordias, & transactiones inter partes initas, quas voluit in suo robore remanere, intelligi de concordiis validis; tum quia quælibet dispositio intelligitur de actu valido, ex regula *l. 4. §. condemnatum. ff. de re iud.* cum aliis congestis per Surdum *cons. 3. num. 16. & seq.* non obstante illa dictione vniuersali *quicumque*, quia nihilominus intelligitur de actu valido. Nat. *cons. 402. num. 55. & 56.* vbi plura similia congerit; & sequitur Surd. *vbi suprà, num. 14. & seq.* tum quia idipsum ostendunt verba Breuis, in suo robore remanente, quæ præsupponunt concordias aliàs habere robur, vt probat text. *in l. cum anterioribus*, ibi, *in suo robore*, & ibi Angel. *C. de tempor. appell.* & idem Angel. per illum text. *in l. omnes, sub num. 2. C. de præscript. trig. vel quadr. ann.* Felin. *in cap. inter monasterium, sub num 3. vers. adde. de sent. & re iud.* quod autem concordia de qua agitur fuerit nulla, deducebatur ex duplici capite.

2 Primò ex defectu consensus Capituli, quia constat præbendatos Collegiatæ Ecclesiæ de Belmonte esse decem & octo, ex attestatione Notarij, & Secretarij ipsius Capituli, qui etiam attestatur omnes esse participes in tertiis fructibus, & decimis ad mensam Capitularem spectantibus, ex quibus quinque tantùm interuenerunt; & tamen cùm simus in actu voluntario, requirebatur omnium consensus. Innoc. *in cap. humilis, sub num. 2. vers. & maximè, de maior. & obed.* Felin. *in cap. cùm omnes, num. 17. in prima fallen. de constit.* Barbat. *cons. 7. num. 13. vers. præterea facit, lib. 1.* Barbat. *cons. 159. num. 8. lib. 2.* Seraph. *decis. 708. num. 3. part. 1.* & fuit dictum in causa Mediolanen. pensionis 1. Iulij præteriti coram me, immò nec maior pars interuenit, nec vocata fuit, sed tantùm illi quinque, & præterea vnus, qui noluit interuenire, & tamen etiam in actu necessario omnes vocari debuissent. Bart. *in l. nulli, in fine. ff. quod cuiusque vniuers. nom.* Felin. *in dicto cap. cum omnes, sub num. 21. vers. in eadem gloss.* Calder. *cons. 3. de constit.*

3 Secundò adducebatur nullitas ex defectu consensus Episcopi, sine quo, & illius authoritate non potest fieri transactio super decimis, quæ saltem sit perpetua, & afficiat successores, vt est text. & ibi Doct. *in cap. 2. de transact. cap. veniens, eod. tit.* & ibi gloss. & Doctor. Butr. *in cap. ex multiplici, in fin. extr. de decim.* & fuit firmatum in dicta Mediolanen pensionis coram me, & quidquid sit, an illius decretum sit necessarium, requiritur saltem causæ cognitio. Innoc. *in dicto cap. 2.* & ibi Butr. *num. 5.* Abb *num. 3.* vbi quod debet examinare, an talis transactio expediat Ecclesiæ. Imol. *num. 4.* Card. *col. 2. in 4. quæst.* Ioan. de Anan. *nu. 2.*

4 Quòd autem talis authoritas non interuenerit apparet; tum ex lectura ipsius instrumenti, in quo nõ legitur, ex quo resultat probatio negatiuæ, iuxta tradita per Surd. *cons. 28. num. 114. & seq. lib. 1.* tum quia in eodem instrumento partes supplicant Sanctissimo, seu alteri personæ, seu Prælato, qui par sit, vt dignetur confirmare dictam concordiam. Et nihilominus volunt quòd sine dicta confirmatione habeat completum effectum, ex quibus patet, partes non adhibuisse, nec voluisse adhibere dictam auctoritatem Episcopi, vel alterius superioris.

5 Nec intrare potest præsumptio beneplaciti Apostolici ex cursu temporis, quod fuisse etiam necessarium Domini inclinabant, cùm concordia contineat concessionem decimarum factam Collegio, quæ de iure pertinebant ad Ecclesiam Collegiatam, & parochialem, vt fuit firmatum in decisione de qua suprà, & sic videatur continere alienationem rei Ecclesiasticæ, in qua necessariò requiratur authoritas Sedis Apostolicæ, per *extrauag. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* Abb. *in cap. contingit, sub num. 3. vers. verum lib. 1.* cùm non sint lapsi 30. anni à die dictæ concordiæ, qui sunt necessarij ad præsumendum huiusmodi solemnitates Felin. *in cap. illud, num. 6. de præsumpt.* Cephal. *consil. 47. num. 13. lib. 1.* Gabr. *consil. 36. numer. 52. lib. 1.* Rota *decis. 179. & 193. num. 5. p. 2. diuersor.* Seraphin. *decis. 671. num. 1. & 8. part. 1.*

6 Non obstant testes super obseruantia dictæ transactionis, ex quibus Collegium vult deducere tacitum consensum Episcopi; quia præterquam quòd pro parte Collegiatæ opponebatur de nullitate examinis ex defectu citationis ad videndum iurare testes. *cap.2.de testib.* quos etiam supponitur fuisse examinatos absque interrogatoriis, non constat de scientia eiusdem Episcopi, vel successoris contentorum in concordia, & eius qualitatem; ideoque non videtur posse elici ipsius consensus. *cap. concertationi,* vbi gloss. *in verb. sciuerit, de appell. in 6.* Caputaq. *dec. 33. num.7. part.1.* Rota in causa Romana de Arroniis 10. Nouembris 1614. coram me.

7 Nec obstare videbatur quòd Collegiata nihil dimiserit, cùm nec antea decimas exigeret propter priuilegia societatis, quia contrarium videbatur verius, ex quo demisit ius sibi competens de iure communi super dictis decimis, & facultatem excipiendi contra priuilegium Collegij, necnon petendi illius reuocationem, seu reductionem, iuxta *cap. suggestum, de decim.* vltra quod ex verbis primi Capituli respicientibus futurum tempus, videlicet quod Collegij bona in posterum debeant esse libera, potiùs dignoscitur quod de tempore concordiæ decimæ soluebantur. Et in omnem casum veriùs videtur quod in transactione, quam facit Ecclesia, etiam super re quam non possidet, requirantur solemnitates. Bart. & Ias. *in l. nulli, sub num.2. ff. de transact.* Tiraquell. *de retract. lign. §.1. gloss.14. sub n.67.* Caputaq. *decis.106. part.1. & decis.318. part.3.*

8 Demum non obstat quod per Breue ipsum Leonis XI. videantur confirmatæ præteritæ concordiæ, quia Breue tantùm præseruat concordias, & eas vult in suo robore remanere; qui autem præseruat, nihil de nouo disponit, ex traditis per Felin. *in dicto cap. inter monasterium sub num. 3. de sent. & re iud.* post Aug. *in d. l. cum anterioribus. C. de temp. appell. & in l. omnes. C. de praescript. trig. vel quadr. annor.* Aym. *cons. 70. sub num.5.*

Ex quibus fuit conclusum concordiam non obstare, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Corduben. decimarum. 13. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Priuilegium concessum militiæ, & eius hospitalibus, non extenditur ad hospitalia separata, & sine militia.

SVMMARIVM.

Priuilegium concessum vni militiæ, & eius hospitalibus, non suffragatur alteri hospitali non dependenti à dicta militia, & militiæ qualitate non probata, nu.1.

Proœmij verba in priuilegio arguunt mentem disponentis, & denotant causam finalem, num.2.

Priuilegium concessum militiæ, & hospitali, non videtur concessum hospitali soli sine militia, num.3.

Legatum factum Medicis, & Doctoribus, non requirit concursum vtriusque qualitatis, num.4.

Vltima voluntas latam recipit interpretationem, num.5.

Decimarum exemptio est materia odiosa, & strictè intelligenda, num.6.

Priuilegium concessum intuitu alicuius personæ ex verisimili mente concedentis non comprehendit separata, num.7. in fin.

DECISIO CCLXXI.

FVit per Dominos resolutum priuilegium Clementis VIII. non suffragari hospitali fratrum S. Ioannis de Deo. Cùm enim illud fuerit concessum militiæ SS. Lazari, & Mauritij, & in illius hospitalibus, non potest d. Hospitale quòd non dependet à dicta militia, sed est regulare, & subiectum Ordinario, prætendere exemptionem decimarum vigore dicti priuilegij, quod non habet locum qualitate militiæ non probata. Socin. *cons.55. num.1. lib.1.* Natt. *cons.388. num.1.* Paris. *cons.62. num.38. vol.4.* Cephal. *cons.256. in fine.* 1

Quòd autem dictum priuilegium emanauerit ad fauorem dictæ militiæ, & hospitalium ab ea dependentium, probatur tam ex verbis proœmij, quæ arguunt mentem disponentis. *l. fin. ff. de hæredib. instit. l.1. ff. ad Maced.* & denotant causam finalem. Aym. *cons.301. num. 2.* decis. Pedemont. 51. *num. 10. & seq.* quàm ex narratiua & dispositione eiusdem priuilegij. 2

In proœmio enim dicitur decere Summum Pontificem quòd pro militiarum & hospitalium quorumlibet, nec non personarum illis sub salutifero Crucis signo abscriptarum felici directione profectibus & commoditatibus conferat diligenter prospicere, prout militiarum, & hospitalium huiusmodi qualitatibus Catholicorum atque Principum illi præfectorum insignibus erga Ecclesiam conspicit salubriter expedire.

In narratiua autem habetur hospitalitatem Sancti Lazari priscis temporibus florentem, & non parum imminutam, illiúsque militam magnum Magistrum & Conuentum ac loca fuisse per Pium IV. sub B. Petri & Sedis protectione suscepta, ac omnia illius priuilegia, & exempriones confirmata, ac alia de nouo concessa militibus, Presbyteris & Capellanis hospitalis & militiæ huiusmodi, retinendi scilicet pensiones, etiam quòd matrimonium iuxta hospitalis & militiæ instituta contraxissent; & subiungitur Pium V. reuocasse omnia, & singula dicta priuilegia hospitalibus, militiis, eorumque militibus concessa.

Postea verò sequitur pars dispositiua, in qua Clemens dicit se velle fauore prosequi, tam magnum Magistrum, quàm eiusdem militiæ milites, & statim subdit se confirmare omnes exemptiones hospitalis Sancti Lazari eiusque militiæ magno Magistro & Conuentui concessas.

Ex quibus clarè apparet priuilegium fuisse concessum hospitali & militiæ simul, & hospitali ratione militiæ, & illius intuitu, adeò vt non videantur posse separari ista duo militia & hospitale, & non sufficiat hospitalitas absque militia. 3

Quibus non obstat quod hospitalitas videatur distincta à militia, quæ fuit longè postea introducta, & ideo vnum sine alio stare possit, sicut dicitur de legato facto Doctoribus & Medicis, in quo non debet verificari concursus vtriusque qualitatis. Felin. *in cap.2. sub num.38. vers. fallit 6. de rescript.* quia quidquid sit circa hoc, sufficit quòd Papa in priuilegium de quo agitur, fuerit contemplatus vtrumque simul, immò militiam magis principaliter, vt patet ex supradictis. 4

Et

5 Et ideo non valet applicari simile delegato, cùm ibi non appareat fuisse per testatorem contemplatam vtramque qualitatem, immò adsit facta vltimæ voluntatis, in qua fit lata interpretatio.

6 Qui fauor hîc cessat, cùm versemur in exemptione à decimis, quæ non solet concedi nisi cum maxima difficultate, vt fuit dictum in vna Valentina decimarum 28. Nouembris 1603. coram illustrissimo Lancelloto, & sic est materia odiosa, & strictè intelligenda, quo casu non intrat dictum Felin. vt ipsemet ibidem se declarat.

7 Minus obstat quòd priuilegium, de quo agitur, renouauerit omnes exemptiones, & immunitates antea concessas, & præsertim à Pio IV. qui specialiter concesserat exemptionem à decimis hospitali S. Lazari, ac illius Prioratibus, domibus hospitalibus, necnon magno Magistro.

Quia vltra quòd priuilegium Pij IV. emanauit etiam fauore militiæ, & hospitalium ab ea dependentium, vt patet ex proœmio, & dispositiua illius, & dixit Rota in hac causa coram Reuerendissimo Attrebaten. 10. Maij 1604. dicebatur dictum priuilegium fuisse per Pium V. reuocatum, & Clemens illud non renouauit, nisi tantùm in vtilitatem hospitalium dependentium à militia, vt suprà probatum fuit, cùm non sit verisimile Clementem in dicto priuilegio concesso intuitu magni Magistri & militum voluisse comprehendere hospitalia leprosorum separata, nec sub dicta militia & eius magno Magistro existentia.

Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Maceraten. hæreditatis. Veneris 13. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Nullitas sententiæ ob defectum citationis insanabilis est, nec intrat Rotæ arbitrium, & quid si aliqui fuerint citati, & aliqui non, & quid si nō citato notorium erat nullam competere defensionem.

SVMMARIVM.

Citationis ad sententiam defectus insanabilis est, nec arbitrium Rotæ intrat, num. 1.

Nullitas sententiæ defectu citationis insanabilis est, etiam quòd aliqui fuerint citati, & aliqui non, num. 3.

Sententia contra mortuum est nulla, defectu citationis, num. 4. in fine. declara vt num. 5.

Citari ad sententiam non debet is, quando constat illi nullam competere defensionem. declara vt num. 6.

DECISIO CCLXXII.

1 Commissa fuit mihi causa appellationis à sententiis vltimo loco latis, cum clausula, *constito quòd sit locus Ægidianæ*, superuenit alia commissio cum clausula, *reiectis nullitatibus, & attentatis arbitrio Rotæ*, vnde dubitaui, an intret arbitrium? Et negatiuè resolutum fuit, quia DD. videbatur adesse defectus citationis ad sententiam tam clarus vt Domini non putarent posse arbitrio aliquo vti ad sanationem tantæ nullitatis prorsus insanabilis, tanquam tollentis defensionem de iure naturali & diuino competentem. Bart. *in extrauag. ad reprimendum, in verb. & figura, num. 6.* gloss. *in Clem. sæpe, in verbo defensiones, de verb. signific.* & in his terminis resolutum fuit in Romana subhastationis 10. Iunij 1609. coram Reuerend. Bononien. in Mantuana bonorum 16. Decembris 1611. & 19. Maij 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo, & in Famoren. pecuniaria 20. Martij 1609. coram me.

Talis autem defectus apparebat ex eo, quia in hac 2
causa concurrebant plures personæ, quarum licèt aliquæ, non tamen omnes, fuerunt citati. Nam in primis non fuerunt citati Ceccolini, qui erant in causa tanquam nominati in commissione originaria coram bo. me. Cardinale Pamphilio, quod etiam iustificabatur ex pluribus citationibus coram bon. me. Iusto, aliàs exequuti ad instantiam Ascanij Vici auctoris Francisci, qui nouissimè sententias Rotales reportauit contra Ioan. Baptistam filium Corneliæ, & Ceccolinum de Ceccolinis. Insuper ostendebatur citatio ad dicendum contra iura, &c. ad instantiam Ludouici Ceccolini exequuta contra Procuratorem Francisci coram R. P. D. meo Manzanedo sub ea ipsa die 7. Iulij 1614. sub qua fuit sententiatum. Præterea non apparebat D. Ceccolinum de Ceccolinis vti Procuratorem, & legitimum administratorem Ioannis Baptistæ, & aliorum filiorum, ex se & Cornelia q. Amici de Ricciis vxore sua natorum cepisse possessionem cuiusdam domus de hæreditate Capitanei Francisci Vici, super qua hæreditate litigatur, vnde erant omnino hi Ceccolini.

Nec visum fuit posse sustineri sententiam, saltem 3
quoad citatos, cùm omnes prætendant venire ex eodem fideicommisso, eadem est omnibus causa defensionis *l. in hoc iudicio*, vbi gloss. & Doctor. *ff. famil. herciscund.* & fuit in his terminis & in eadem causa resolutum die 10. Decembris 1604. & die 1. Iulij 1605. coram bon. mem. Iusto, vbi fuit annullata sententia reintegratiua, lata per bon. me. Pegnam ad fauorem Ascanij, ex eo quia non fuerant citati Ferreti qui erant in causa, licèt essent citati alij litis consortes.

Altera allegabatur nullitas ex defectu mandati: 4
nam fuerat citatus ad sententiam D. Petrus Venetus Ferrus tanquam Procurator hæredum q. Capitanei Francisci, qui erant quatuor, videlicet Philippa, Margarita, Ioanna, & Amicus Riccius, qui nominantur in commissione, & tamen D. Ferrus non erat Procurator, nisi Philippæ & Margaritæ, quæ solæ constituerant Procuratorem Cittadanum, à quo D. Ferrus vigore facultatis substituendi fuerat substitutus Procurator, vnde eius citatio non potest intelligi, nisi pro Philippa & Margarita, quarum tamen erat Procurator, non autem Ioannæ, quæ licèt esset in causa, & expressa in commissione, non tamen fuerat citata, neque aliquis eius Procurator, immò dicitur quòd de tempore sententiæ Ioanna erat mortua, vnde resultaret alia nullitas, etiam ex defectu iurisdictionis, quia sententia fuit lata contra mortuum. *l. in summa. §. vlt. ff. de re iudic.* & in mortuos nemo potest iurisdictionem exercere, cùm nullus viuens in eos habeat iurisdictionem. Surd. *cons. 99. num. 14. & 46.* Vant. *tit. de nullit. ex defectu iurisd. num. 107.*

Nec visum fuit posse applicari decisionem Put. 5
182. *lib. 2.* quia ibi firmat in beneficialibus sententiam latam pro mortuo, vel contra mortuum, non valere: in profanis autem licèt dicat opinionem

Butr. *in c. quia scilicet, circa finem col. 2. de iudic.* posse saluari in sententia lata pro mortuo; tamen in casu proposito cessare videtur omnis difficultas, cùm simus in sententia lata non pro mortuo, sed contra mortuum.

Tandem dum dicebatur esse notorium quod Ioannæ non citatæ nulla potuisset competere defensio stante notorio non iure ipsius ex tot decisionibus, fuit responsum non constare de tali notorietate, quia resultat non ex decisionibus, sed ex confessione partis, vel re iudicata, præsertim cùm executio iam sit facta, & sic agatur de confouendo in spolio possidentem vigore sententiæ nullitatis vitio subiacentis, quo casu arbitrium denegari solet, vt dictum fuit in dicta Romana subhastationis 10. Iunij 1609. coram Reuerend. Bononien. & aliàs sæpe.

6 Quare stantibus dictis nullitatibus citationis respectu illorum de Ceccolinis, & mandato respectu Ioannæ de Ricciis, quæ erant in causa, & nominata in commissione, vt dictum est, Dominis videbatur non intrare arbitrium, cùm hæ sint nullitates prorsus insanabiles de iure, ad tradita per Vant. suprà citatum *num. 6.* & per Sarnen. *in compendio signaturæ iustitiæ num. 72. & seq.* arbitrium enim à iure regulatur. Bart. *in extrauag. ad reprimendum, in verbo videbitur, cum vulgarib.*

Et ita conclusum.

R. P. D. VBALDO.

Romana legitimæ, & statuarum. Veneris 13. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Quando possit fieri executio contra tertium possessorem, in quem fuit alienatum lite pendente.

SVMMARIVM.

Scientia litis regulariter non præsumitur, & debet ab allegante probari, num. 1.

Inclusio vnius, est exclusio alterius, ibid. in fin.

Executio contra tertium possessorem, in quem facta est alienatio, pendente lite fieri non potest, si scientia litis in tertio non sit probata de tempore alienationis, vel scientia inopiæ alienantis, itaut non haberet in bonis nisi rem alienatam, nu. 2. & quomodo in hoc casu actio sit intentanda, num. 3.

Legitima pro consequenda non competit, nisi condictio ex lege, vel actio ex testamento contra solum hæredem, non contra tertios possessores, nisi bona possessa sint de melioribus, nec competit hypothecaria, num. 4.

DECISIO CCLXXIII.

1 FVerat resolutum in hac causa 5. Decembris 1614. executionem ad instantiam Francisci del Nero intentatam pro legitima consequenda contra Theophilum tertium possessorem, fieri posse super statuis annexis in domo per eum empta lite pedente, ex rationibus tunc adductis, sed cum reseruatione, vt videretur, an dicta executio fieri posset super domo; quod dubium pluries propositum, hodie fuit negatiuè resolutum. Fundamentum fuit in ipsa decisione tactum in fine; quia quoad domum non constat quòd Theophilus haberet scientiam litis, immò videtur in eo fuisse probabilis ignorantia; tum quia illa regulariter præsumitur. *l. verius. ff. de probat. c. ignorantia. de reg. iur. in 6.* & scientia debet ab allegante probari. Surd. *consil. 73. num. 42. & seq.* tum quia in instrumento venditionis nulla fuit facta mentio litis super domo, sed super statuis, & vnius inclusio, est alterius exclusio. *l. cum prætor. ff. de iud. cap. nonne, de præsumption.*

Quòd autem, vt possit fieri executio contra tertium possessorem, in quem facta est alienatio pendente lite, requiratur probari scientiam litis in illo tertio de tempore alienationis, tradit Castr. *in l. Diuo Pio. §. si super rebus, sub num. 8. vers. debet tamen. ff. de re iud.* & ibi Vincent. de Herculan. *num. 46. vers. & dicit.* Rip. *in l. 1. §. si hæres, sub num. 22. vers. & est de mente, ff. ad Treb.* Capic. *decis. 128. numer. 11.* Couar. *pract. quæst. cap. 15. num. 7. vers. immò ex hac,* vel scientiam inopiæ alienantis, itaut debitor non haberet in bonis nisi rem alienatam. Castr. & Herculan. *locis citatis.* Surd. *cons. 405. num. 10. vers. tamen caret lib. 3.* & fuit vtrumque firmatum in causa Veneta donationis 15. Aprilis præteriti, coram R. P. D. meo Buratto.

3 Quorum neutrum est probatum in hoc casu, & ideo non videtur posse agi contra tertium possessorem recta via, sed agendum est reuocatoria ad remissionem contractus, secundùm doctrinam Bart. *in l. creditores, num. 23. vers. videamus ergo. C. de pign. & in l. si quis missum. §. iudex, num. 3. vers. quæro quid si ante. ff. de damn. infect.* Socin. *cons. 13. in princ. lib. 4.* vbi dicit, hoc esse inconuincibile fundamentum; & cum hac opinione transire communiter Doct. testatur Ruin. *cons. 87. in princ. vol. 4.* Rol. *cons. 5. num. 10. lib. 2.* & de communi decis. Pedem. *65. num. 5.* Surd. *decis. 256. num. 7. & 306. num. 16.* Honded. *cons. 20. num. 42. lib. 1.* qui omnes loquuntur quando actum est actione personali contra debitorem, quidquid esset dicendum, si lis esset super dominio, vel res alienata esset effecta litigiosa. Bart. *in d. l. creditores.* Neuiz. *cons. 20. nu. 13. vers. primus, & vers. secundus.* Menoch. *de adipisc. remed. 5. num. 133.* Hond. *d. cons. 20. num. 30. 31. & 42.*

4 Sed in hoc casu actum est actione personali pro consequenda legitima aliàs relicta Francisco, vt suprà dixi, pro qua non competit, nisi condictio ex lege, & actio ex testamento, quæ sunt personales. *§. appellantur. Instit. de act.* & competunt contra solum hæredem, non autem contra tertios possessores, nisi bona possessa sint de melioribus. Aym. *cons. 312. num. 4. vers. sed præmissis,* vbi dicit competere etiam petitionem hæreditatis, sed eius dictum non esse tutum, ostendit Peregr. *de fideic. art. 36. num 152. vers. hoc tamen dictum;* sicuti, nec competere hypothecariam concludit post Socin. Rip. & alios, dicens esse receptiorem. idem Peregr. *vbi suprà, num. 149. & 154. vers. volo.* Laurent. decis. Auenion. 52. vbi de communi, in fin. Et ita fuit decisum.

R. P. D. PAMPHILIO.

Vrbinaten. decimarum. Veneris 13. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Decimæ Rectoribus soluendæ de iure communi non possunt excedere vigesimam partem

partem fructuum. Quid in hoc possit contraria consuetudo, & quanto tempore inducatur.

SVMMARIVM.

Decimæ soluendæ Rectoribus de iure communi, non debent excedere vigesimam partem fructuum, num.1.

Consuetudo iuri communi contraria, & Ecclesiæ onerosa, non inducitur, nisi per tempus immemorabile, ibid.

Consuetudo habens causam discontinuam, vt inducta dicatur requirit tempus immemorabile, num.2.

Immemorabilis præscriptio, seu consuetudo, vt probata dicatur per testes, quomodo super ea testes deponere debeant, ibid.

Consuetudo per quam reuertimur ad ius commune spatio decem annorum. declara, vt num.3.

Decima nunquid minui possit per consuetudinem, nu.4.

DECISIO CCLXXIV.

1 Domini de Bartholis vigore consuetudinis recedere prætendunt à composito seu compositione super solutione decimarum cum Rectore parochialis Ecclesiæ Sanctorum Cosmi, & Damiani iam longè antea facta, illásque in futurum dicto Rectori ad rationem vnius tantùm pro 20. soluere; verùm cùm pro parte Rectoris huiusmodi consuetudo controuertatur, semel atque iterum proposui particulare dubium, an scilicet de ea constet? Et Domini supradicta die negatiuè responderunt, ea ratione, quia cùm illius vigore prætendant laici se posse à composito recedere, contra text. *in cap. 1. de pact. c.1. eod. tit. in 6.* & Rectoribus vigesimam tantùm partem fructuum soluere, non autem integram decimam de iure debitam, iuxta text. *in cap. commissum, cap. peruenit, cap. non est, & cap. tua nobis, de decim.* huiusmodi consuetudo esset iuri communi contraria, & Ecclesiæ multum onerosa, quo casu ad eam inducendam requiritur tempus immemorabile. Archid. *in cap. generali, sub num. 4. vers. consuetudine ego, de elect. in 6.* quem sequitur Rom. *sing. 102. numer. 2.* & tradit Bald. *in cap. 1. num. 8. vers. quæro quanto tempore, de his qui feud. dar. poss.* Dec. *in cap. 1. num. 5. de consuetud.*

2 Quod eo faciliùs procedit in casu isto, quia huiusmodi consuetudo respectu facultatis recedendi à composito habet causam discontinuatiuam, quo casu similiter ad eam inducendam tempus immemorabile requiritur. Innoc. *in cap. cùm dilectus, num. 6. vers. alioquin, de consuetud.* Alex. *cons. 136. nu. 17. lib. 2. & cons. 173. in princip. lib. 6.* Testes autem qui dantur pro Dominis de Bartholis talem immemorabilem non probant; quia non deponunt de frequentia actuum, nec de publica voce & fama, & minus de visu per quadraginta annos continuos, quod est potissimum requisitum, ad immemorabilem probandam, iuxta not. per gloss. *in cap. 1. verbo memoria, de præscript. in 6.* vbi Aucharan. Gemin. Franch. *num. 16.* & alij latè, Couarr. *in reg. possessor. part. 2. §. 3. num. 7.* Puteus *decis. 348. lib. 2.* Primus enim dicit solum se esse informatum à tanto tempore, cuius contrarij memoria non extat, idque audiuisse à diuersis personis: non autem dicit quòd ita audiuerit à maioribus; & quòd nunquam viderit vel audiuerit contrarium, prout requiritur, iuxta gloss. *in dicto cap. 1. de præscript. in 6.* cum aliis allegatis in causa Sorana iurispatronatus 28. Aprilis 1603. coram bon. me. Cardinali Pamphilio. Secundus & tertius deponunt de auditu simpliciter, non autem quòd ita audiuerint à maioribus; nec vnquam viderint, vel audiuerint contrarium, prout requiritur ex supradictis. Quartus restringit eius memoriam ad tempus 24. vel 26. annorum, nec est ætatis 54. annorum, quæ requiritur, vt possit deponere de visu per quadraginta annos ante motam litem. Gemin. *in d. cap. 1. sub nu. 16.* & alij, *de præscript. in 6.* Paris. *cons. 27. num. 97. in fine. lib. 1.* Couar. *in d. reg. possessor. part. 2. §. 3. sub num. 7.* & seruat Rota vt fuit dictum in supradicta causa Sorana iurispatronatus 28. Aprilis 1603.

Nec obstare quod immò in hoc casu sufficiet præscriptio decennalis, cùm ex recessu à composito reuertatur ad ius commune, secundùm quod satisfaciendum est Rectoribus pro quantitate fructuum, *cap. 1. de decim.* cum simil. Quia id procederet quatenus huiusmodi consuetudo non claudicaret in præiudicium Ecclesiæ, sed liceret etiam Rectoribus illius vigore à composito recedere, & hoc etiam casu post recessum non solueretur solùm vigesima, sed integra decima, secundùm iuris communis dispositionem, de qua supradictum est. 3

Minus obstare quod post recessum à composito soluatur solùm vigesima vigore consuetudinis, cui ius in hac materia plurimum defert, & per quam decima minui potest; quia, vt dictum est, non agitur solùm de consuetudine minuendi quotam decimarum, sed de consuetudine qualificata, hoc est, recedendi à composito, & eo casu soluendi solùm vigesimam, quæ tanquam iuri contraria, & Ecclesiæ onerosa requirit immemorabilem, ex supra alleg. Et ita decisum, &c. 4

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana tutelæ de Boncompagnis. Mercurij 18. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Tutor quando remoueri possit vt suspectus ob solam culpam, vel negligentiam, & quando talis remotio infamiam irroget.

SVMMARIVM.

Tutrix mater si ad secundas nuptias transierit, ipso iure tutelam amittit, num.1.

Tutor remouetur vt suspectus si fuerit in culpa leui: leuissima autem non sufficit; sed tunc remotio non irrogat infamiam, ibid.

Tutor non tenetur de culpa nouissima, ibid.

Tutor remoueri potest vt suspectus, si inuentarium non conficit, vel non omnia in eo descripsit, num.2.

Tutoris sola negligentia sufficit ad illius remotionem, num.3.

Exceptio administrationis tutelæ nunquid impediat restitutionem dotis, num.4.

Tutor remouetur vt suspectus arbitrio iudicis, num.6.

Tutores testamentarij possunt etiam remoueri vt suspecti ex sola culpa & negligentia, num.7.

Tutores etiam coniuncti propter fraudem, & dolum possunt remoueri, vt suspecti, & tunc remotio infamat: sola autem culpa, vel negligentia non sufficit, num.8.

Iuris ignorantia regulariter non excusat, num.9.

DECISIO CCLXXV.

1 EX tribus tutoribus in testamento relictis, à q. Gregorio Boncompagno filiis suis, D. Lisa Gregorij vxor, ad alias nuptias transierat, & proinde ipso iure tutelam amiserat, *auth. sacramentum. C. quando mulier tut. offic. fung. poss.* Surd. *decis.* 106. *num.* 1. alij verò duo tanquam suspecti nomine filiorum insimulabantur, propterea dato, & proposito dubio, an constaret de causis suspicionum ad effectum eos remouendi, censuerunt Domini esse locum remotioni. Et in primis firmarunt, quòd ad dictum effectum non requiritur in tutore dolus, vel lata culpa, sed sufficit culpa, si non leuissima, saltem leuis, licèt tunc remotio non irroget infamiam, vt colligitur ex *l.* 3. *§. fin. ff. de suspect. tut.* gloss. *in §. suspectus autem. Instit. eod. tit.* & ibi Aret. & Fab. licèt teneant contra gloss. quoad leuissimam, quia regulariter tutor non tenetur de culpa leuissima, *l. quidquid.* & ibi gloss. & Doct. *C. arbitr. tutel.* Bart. *in l. si tutor. num.* 2. *ff. de suspect. tut.* Corn. *cons.* 175. *nu.* 6. *lib.* 3. Afflict. *decis.* 207. *num.* 3. Maluas. *cons.* 113. *nu.* 3. Gutier. *de tutel. part.* 2. *cap.* 18. *num.* 19. *& seq.*

2 In proposito autem tutores prædicti non videntur posse excusari saltem à culpa leui, vel negligētia. Et licèt multa adducerentur per informantes, tamen Domini mouebantur potissimum ex tribus. Primò, quia non descripserunt in inuentario Massariam pecudum mille, quam certum est remansisse in hæreditate Gregorij, & ad effectum remouendi tutorem tanquam suspectum, paria sunt inuentarium non conficere, vel non omnia in eo descripsisse, Bart. *in l. tutor qui repertorium, num.* 21. *ff. de administ. tut.* Roland. *cons.* 73. *num.* 28. *lib.* 2. Corn. *cons.* 198. *num.* 2. *lib.* 1. Osasc. *decis. Pedem.* 58. *num.* 22. facit Menoch. *cons.* 471. *num.* 19 *lib.* 5. & cumulata per Surd. *cons.* 3. *num.* 12. *& seqq.* Et licèt dicta Massaria pecudum fuerit postea vendita per D. Iulium ex contutoribus, & pretium tanquam rei pertinentis ad pupillos fuerit depositum in Bancho D. Roberti primi; tamen hoc potest excusare tutores à dolo, vel suspicione subtractionis, sed non à negligentia, vel culpa leui, cùm tempore debito non descripserint in inuentario, nec pecudes, nec earum pretium, Maluas. *dicto cons.* 113. *n.* 17. quæ culpa sufficit ad effectum remotionis, ex supradictis. Vltra quòd dicebatur, eos non descripsisse in inuentario, nec in libro tutelari fructus dictæ Massariæ per menses 17. qui intercesserunt à morte Gregorij ad venditionem pecudum, nec constituisse debitorem dictorum fructuum, eum qui Massariam administrabat.

3 Secundò, quia constat nonnulla bona mobilia fuisse asportata post mortem Gregorij ad domum tertij viri D. Lisæ præsentibus dictis tutoribus, qui non curarunt de iis fieri vllum inuentarium, vel descriptionem, vel vllam scripturam consignationis, vt sciri posset, quæ bona, & cuius valoris existerent. Ex quo arguitur non modica tutorum negligentia, in administratione rerum pupillarium, quæ sola sufficit ad remotionem, vt per Corn. *d. cons.* 175. *num.* 4. *in fin. lib.* 3. cum aliis suprà allegatis.

4 Tertiò, quia tutores restituerunt D. Lisæ dotem scutorum sex millium, non reddita prius per ipsam ratione administrationis, quam gessit bonorum pupillarium per plures menses, & licèt sit controuersum, an exceptio administrationis tutelæ impediat restitutionem dotis, vel intret præsumptio satisfactionis, vt apparet ex traditis per Soc. *cons.* 180. *lib.* 2. vbi latè defendit opinionem affirmatiuam; quam tamen reprobat Negusant. *de pignor.* 1. *membr.* 5. *part. principalis, num.* 36. *& seq.* & licèt Put. *decis.* 146. aliàs 141. *in fin. lib.* 1. dicat nihil circa hoc caput fuisse tunc in Rota resolutum, & postea Rota secuta sit opinionem negatiuam Negus. vt *in decis.* 1055. *& in* 1739. *p.* 3. *diuers.* & fuit dictum in Romana dotis de Cinciis 24. Nouembris 1600. coram Illustriss. Card. Melino, & in Romana tutelæ 17. Februarij 1603. coram Seraph. quæ est *decis.* 1555. *nu.* 1. *part.* 2. vbi testatur de communi contra Socin. Tamen omnes concordant, quod quando constat ad manus mulieris peruenisse maiorem, vel æqualem quantitatem, ex qua potuerit satisfieri de sua dote, tunc competit retentio, vel compensatio, vt colligitur ex *d. decis.* Seraph. 2455. *nu.* 4. *&* 5. vbi ita fuit declarata decisio in causa Romana hæreditatis de Beuilaquis 15. Maij 1591. coram Orano, & in Romana administrationis tutelæ 2. Aprilis 1590. coram Pegna, & expressè fuit tentum in causa Romana Saluiani interdicti de Columna 19. Nouembris 1590. coram Illustrissim. Cardin. Lancellotto, quæ est *decis.* 13. *num* 4. *in tract. modern. de Saluian.*

In proposito autem constat ex libris tutelaribus per Dominam Lisam productis, de pecuniis pupillaribus ad eius manus peruenisse scuta 16000. & vltrà, vt in summario hæredum *num.* 15. constat etiam eam fuisse debitricem iocalium in summa scutorum 3000. ab ipsa æstimatarum, quæ sibi dicebat furto fuisse subtracta: cùm tamen furtum non fuerit probatum, vt in decisione in hac causa facta firmatum fuit; & in omnem euentum negari non potest, quin tutores fuerint maximè negligentes in perquirendo, vt debebant, an verè D. Lisa potuisset sibi satisfacere de sua dote, & debebant cum ipsa solidare computa, non autem debuerunt tam facile prosilire ad restituendam dotem, præsertim stante protestatione in contrarium pro parte hæredum; & cùm ageretur ad interesse D. Lisæ sororis, & coniunctæ personæ in tali restitutione, eo magis augetur suspicio, Honded. *cons.* 23. *num.* 51. *lib.* 2.

Et denique cùm sit in arbitrio iudicis, quibus ex causis tutor veniat remouendus, hic videbatur Dominis attenta serie, & circunstantiis facti intrare arbitrium pro remotione, iuxta *l.* 3. *§. si tutor inimicus. ff. de susp. tut.* Gozad. *cons.* 17. *nu.* 2. Corn. *cons.* 175. *n.* 4. *lib.* 3. Alb. *cons.* 580 *num.* 3.

Non obstat quòd sumus in tutoribus testamentariis. nam & illi remoueri possunt vti suspecti, *l.* 1. *§. ostendimus. ff. de susp. tut.* §. 1. *Instit. eod. tit.* Gozad. *d. cons.* 17. *num.* 4. Alb *d. cons.* 580. *num.* 2. Maluas. *d. cons.* 113. *num.* 4. Gutier. *de tutel. part.* 2. *cap.* 18. *num.* 23. vbi quòd tales tutores remoueri possunt ex solo culpa, & negligentia, & idem tenet Maluas. *d. consil.* 113. *numer.* 32.

Non obstat quòd simus in tutoribus coniunctis, qui regulariter non remouentur, sed eis datur curator adiunctus, *l. si tutor. ff. de susp. tut.* Quia ille textus procedit quando tutores remouentur ob fraudem, vel dolum, quo casu incurrunt infamiam, secus si ex culpa, vel negligentia, quo casu tutoris infamia non resultat. *§. suspectus autem. Instit. de susp. tut.* ita *gloss. fin. in d. l. si tutor. vers. vel* 3. & sequitur ibi Dyn. & Bart. Gozad. *d. cons.* 17 *sub num.* 13. Corn. *d. cons.* 175. *num.* 6. *lib.* 3.

Quæ dicebantur de ignorantia tutorum circa Massariam pecudum, & circa id, quòd D. Lisa teneretur

retur ad restitutionem iocalium, non videbantur Dominis releuare, nec verisimilia, cùm tenerentur ex officio inquirere, & ponere in inuentario dictam Massariam, Grat.*cons.25.num.6.lib.2.* & circa iocalia fuit ignorantia iuris, quæ regulariter non excusat. *l.iuris ignorantiam*, cum ibi not. *C.qui admitt.*

Et ita fuit decisum.

R.P.D. BVRATTO.

Aretina Capellaniæ Mercurij 18. *Maij* 1616.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus an,& quando probatum censeatur per præsentationes, per enunciatiuas, per testes de fama cum quadragenaria, & per sententias Ordinariorum. est magistralis,& notabilis decisio,& in contingenti casu ad eam semper recurras.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus censetur probatum per præsentationes continuatas, & effectum sortitas per centum annos, quando hoc verum sit, num.1.3.& seqq.

Iuspatronatus nunquid censeatur probatum per enunciatiuas antiquissimas habentes vim famæ, nu.1.& 8.

Iuspatronatus nunquid censeatur probatum per testes deponentes de fama cum quadragenaria, nu.1.9.& 10.

Iuspatronatus quando probatum censeatur per sententias declaratorias Episcoporum, nu.1.in fin.& num.11.

Gratia beneficij cum clausula, verificato quòd beneficium sit de iurepatronatus ex dotatione, vel fundatione, iustificanda est per veras, & concludentes probationes, num.2.

Præscriptio in incorporalibus interrumpitur quando ille, contra quem præscribitur, impedit præscribentem in seruitute, nu.3.

Apostolica prouisio quando sustineatur in præiudicium iurispatronatus, nu.4.

Antiquum vt dicatur tempus, ex eo deduci semper debet tempus litis, num.5.

Lis non dicitur finita, nisi exequuta sententia, nu.6.

Iuspatronatus non probatur ex præsentationibus, nisi excedant centum annos, num.7.

Fama non censetur probata per testes simpliciter deponentes de auditu, & non ante motam litem, nec per verba, si diceua, & passaua la voce, *nu.9.*

DECISIO CCLXXVI.

1 AD docendum de iurepatronatus laicorum Capellaniæ controuersæ SS. Matthæi & Cathalinæ de Floriano pro Marcello adducebantur. Primò præsentationes (vt supponebatur) continuatæ centum, & vltrà annorum effectum sortitæ. Secundò, enunciatiuæ similiter (vt supponebatur) antiquissimæ habentes vim famæ,& testes de fama,cum quadragenaria. Tertiò, duæ declaratoriæ d.iurispatronatus, videlicet, vna Ordinarij Aretini; altera verò Episcopi Fesulani Delegati Apostolici, mediante sententia diffinitiua, quæ (vt dicebatur) transiuerat in iudicatum.

2 Quibus tamen non obstantibus censuerunt DD. non constare de iurepatronatus, non enim videbatur satisfactum Concil.Trident. minusque clausulæ appositæ in gratia Apostolica Marcelli, videlicet, verificato priùs quòd dicta Capella esset de iurepatronatus ex dotatione, vel fundatione, quæ requirit veras, & concludentes probationes, vt tenuit Rota in Salarnitana Rectoriæ 22.Maij 1591.coram bo.me. Card.Pamphilio, quæ vera fundationis, vel dotationis probatio non adest.

Nam quantum ad primum, centenaria illa excluditur, quia subducenda sunt duo tempora. Primum, videlicet, prouisionis Apostolicæ Pauli III. del 1535. vti de libera ex causa resignationis in eius manibus ad fauorem Venturini, qui superuixit vsque ad annum 1554. & sic Capellania fuit possessa in statu libertatis per annos 19. consequenter dictum tempus de medio deducitur, sicut aliàs in corporalibus interrumpitur præscriptio, quando ille contra quem præscribitur, impedit præscribentem vti seruitute, *l.sequitur.§.si via.ff.de vsucap.* Bart.*in l.naturaliter,in fin.vers.quæro.ff.eod.* Butr.& Abb. *in cap.illud, col.fin.de præscript.* Bald.*in tract.de præscript.q.4.n.40, & seq.* Et quòd deducatur tempus prouisionis Apostolicæ, tenuit Rota in Vrbinaten.Parochialis 1.Ianuarij 1553. coram Augustino, quæ est decis.1.de præscript.aliàs 25.inter manuscript. Guidob.& in Bracaren.monasterij 19.Decembr 1597.coram bo.me.Pegna,& in Neapolitana Rectoriæ 19.Decembr.1608. coram Reuer. Attrebaten.relatis etiam per Gratian. *discept.310.n.93.*& in Tirasonen.iuris præsentandi 21. Octobris 1594 coram bo.me.Litta. 3

Nec visum fuit applicari dilemma, quod aut patroni habuerunt notitiam d.resignationis,& prouisionis Apostolicæ. & censentur illam ratam habuisse, imò expressa videtur inducta ratificatio ex præsentatione per eos facta per mortem d.prouisi Apostolici de anno 1601. vt tenuit Rot. in decis.coram Fabio.& Tano, relatis per Paris.*de resignat.lib.7.q.4. nu.28.vers.limita 2.* Aut non habuerunt notitiam, & non censetur illis illatum præiudicium; quia hæc procederent supposito iurepatronatus de d.tempore prouisionis Apostolicæ, tunc enim intrat disputatio, an resignatio, & prouisio etiam Apostolica sustineatur, spretis patronis, de quibus latè per Paris. *d. q.4. per tot.& præsertim.num.16.& seq.* Hîc autem dubitatur de iurepatronatus,& agitur de illius probatione, & an tempus d. prouisionis Apostolicæ sit subducendum, vel computandum. Et ex sumpto Bullæ d. prouisionis exhibito cessat difficultas, quia Capellania fuit resignata, & prouisa tanquam libera sine aliqua mentione consensus patronorum, de quo facta fuisset mentio, prout facta fuit in prouisione Iulij II. vel consensus fuisset præseruatus, aut illi derogatum, prout fit de stylo, vt per Paris.*d.q.4.n.31. & nu.59.* & cùm præsentatio non sit enunciatiua in litteris Papæ, eam alleganti incumbit onus probandi, quòd facta fuerit, Rebuff.*in praxi part.3.signat.§. necnon iurepatronatus, num.15.* 4

Aliud verò tempus subducendum est litis super statu d.Capellaniæ, quæ orta est de anno 1601.de tempore obitus Gammurrini instituti, ad præsentationem del 1554.Indubitatum est enim tempus litis esse deducendum tam in testibus, quàm in instrumentis cùm ambigitur, an sint de antiquo, iuxta Rot.obseruantiam, de qua Seraphin.*dec.76.n.2.* sic tempus litis esse deducend.ex decennali fuisse decisum coram Bubalo, testatur Modern.*de resig.benef.lib 3.q.6.n.60.* & facit Bart.*in l.nec bona.C.de long.temp.præscrip.* cum cumulatis per Rimin.iun.*cons.86.nu.6.lib.1.cons.205. num.22.& 23 lib.2.& cons.242.num.165.lib.3.* 5

6 Non obstat quòd lis dicatur terminata per sententiam Episcopi Fesulani del 1604. quæ (vt supponitur) transiuit in iudicatum ob non interpositam, vel prosequutam appellationem, tum quia d. sententia non solùm non iustificatur ex actis, sed hodie detegitur iniusta: tum etiam, quia lis non potest dici finita non executa sententia, nec subsequuta possessione ad fauorem Marcelli, Sarnen. *reg. de annal. quæst.* 44. Puteus *decis.* 30. *lib.* 2. Lancellot. *de attentat. cap.* 4. *in præfat. num.* 230. Rota in Salamentina Capellaniæ del voto 2. Aprilis, & 5. Iulij del 1593. coram Cardinali Pamphilio. Et ipsemet Marcellus præuia narratiua d. litis cœptæ del 1601. obtinuit se subrogari ad eiusdem litis, & causæ prosequutionem, & nunc venit vti subrogatus cum clausula, *Constito*, &c. quæ proinde ad tempus d. litis refertur.

7 Cùm itaque non exhibeantur præsentationes continuatæ per spatium centum annorum, non potest dici constare de iurepatronatus, quod non probatur ex præsentationibus, nisi excedant centum annos, Archid. *in cap. vnico, num.* 10. *post med. vers. vnde quamuis aliquis, de iurepatron. in* 6. vbi Gemin. *num.* 6. & Franc. *num.* 5. Cassad. *decis.* 2. *num.* 3. *post med. vers. ita ius patron. de probat.* Mohed. *dec.* 3. *de iurepatr.* Rota coram Orano in Firmana iurispatr. 8. Martij 1591. & coram Gypsio in Barchinonen. vnionis 5. Decembris eiusdem anni, & in Neapolitana Capellaniæ coram Cardinali Lancelloto seniori 29. Ianuarij 171. & in eadem coram Reuerendiss. Attrebaten. 19. Decembris 1608. Nec applicatur decis. in Florentina Canonicatus 11. Decembris præteriti coram me, in qua deficiebant tantùm nouem menses, & tot alia concurrebant, vt in ea.

8 Minus visum fuit subsistere secundum fundamentum super fama ex enunciatiuis antiquis, & testibus cum quadragenaria, quoad enunciatiuas, quia illæ debent esse supra centum annos. Rot. *decis.* 288. *ante num.* 1. *vers* 2. *quia*, & apud Cardin. Seraph. *decis.* 507. *nu.* 1. & in Sutrina Sancti Angeli 13. Martij 1588. coram Cardinali Platto, & subducto dicto tempore litis non adest cursus centum annorum. Secundò, enunciatiua Iulij II. est vnica, quæ non releuat, Aretin. *in cap. causa, num.* 22. *in fin. vers. debet etiam, de probat.* Rot. *decis.* 175. *nu.* 4. *&* 2. *part.* 1. *diuers.* etiam si sit Papæ, Rot. *decis.* 388. *num.* 1. *&* 2. *part.* 1. *& decis.* 989. *num.* 1. *part.* 2. *diuers.* vbi Rot. ita intelligit *decis.* Achil. 7. *de iurepatron.* quæ est in terminis nostris. Nec sunt attendendæ enunciatiuæ, videlicet, vna de dicto anno 1508. 18. Aprilis consensus præstiti prouisioni Apostolicæ, & reseruationi pensionis. quia vltra quòd in dicto consensu non enunciatur iuspatronatus, huiusmodi enunciatiua processit à personis prætendentibus interesse, quæ ideo non suffragatur, Loffred. *consil.* 44. *num.* 6. Achil. *decis.* 5. *de iurepatronat.* Cardin. Seraphin. *decis.* 1189. *num.* 3. & fuit dictum in Sutrina beneficij 10. Decembris 1587. coram Cardin. Pamphilio, & in Sabinen. iurispatron. 6. Martij 1595. coram bon. mem. Pegna. Alia verò Vicarij Aretini executoris Apostolici dictarum litterarum Iulij II. non affirmat, imò non obstan. affirmatiua Iulij II. reuocat in dubium iuspatronatus, quia dicit accedente consensu Nicolai, &c. asserentis se patronum d. Capellaniæ, nec sunt supra centum annos deducto tempore litis, vt dictum est.

9 Quoad testes de fama, quia primus deponit de simplici auditu, & sic non facit in terminis nostris, Cassad. *decis.* 3. *num.* 1. *vers. non enim dicit. de probat.* Verall. *decis.* 128. *num.* 2. *p.* 2. nec deponit ante motam litem, Verall. *d. decis.* 128. *num.* 3. Secundus explicitè non deponit de fama, solùm iuxta 20. interrogatorium implicitè, sed per verba, *si diceua, & passaua la voce*, non autem per verba *fuit*, & *est*. Tertius verò non nisi per verba præsentis temporis, Card. Seraph. *decis.* 1075. *n.* 2. *&* 1231. *nu.* 1. Rot. in nullius Archipresbyteratus 2. Maij 1588. coram Card. Pamphilio, & aliàs passim, & sic ad peius non remaneret, nisi quartus, qui tanquam vnicus nihil faceret.

Quoad quadragenariam quasi possessionem præsentandi, quia vnica adest præsentatio, de anno 1554. vnus ex DD. dicebat non sufficere, etiam admissa probatione famæ, motus auctoritate Moder. Hispan. *d. benef. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 97. 10

Non obstat tertium, & vltimum, de duabus declaratoriis. nam prima Ordinarij Aretini del 1508. de qua suprà dictum est, non meretur allegari, cùm Vicarius nihil affirmauerit, sed dubitatiuè enunciauerit iuspatronatus: sententia verò Episcopi Fesulani, de qua suprà, detegitur notoriè iniusta, nec nocet Ecclesiæ, nec successori, Verall. *decis.* 128. *num.* 4. *par.* 2. Rot. in Romana parochialis 30. Ianuarij 1600. coram Corduba, & in Pampilonen. beneficij 4. Iunij 1614. coram R. P. D. meo Remboldo, maximè quia non constat illam fuisse latam adhibita causæ cognitione, & iuxta formam à Concilio præscriptam, nec citato Procuratore mensæ Episcopalis, Card. Seraph. *decis.* 1395. *num.* 7. & in d. Romana coram Corduba; & denique est lata in lite, de qua agitur inter defunctum, & Marcellum, nunc in illius ius subrogatum. 11

Et ita, &c.

R. P. D. VBALDO.

Tusculana syluarum. Mercurij 18. *Maij* 1616.

DECISIO CCLXXVII.

Impressa est penes Posthium, tract. de manut. decis. 40.

R. P. D. ANDREA.

Bononien. de Capocellis. Mercurij 18. *Maij* 1616.

ARGVMENTVM.

Actorum transportatio integra vigore Concilij Tridentini non habet locum in causis profanis & fori secularis, nec etiam quando causa est diuersa, & quando causa dicatur diuersa.

SVMMARIVM.

Actorum transportatio integra facienda est, tam ex dispositione S. Concilij, quàm de iure communi, n. 2.
Actorum transportatio non est facienda si acta non respiciant merita illius causæ, de qua agitur, nu 3.
Actorum transportatio non est facienda quando causa est diuersa, & quando causa dicatur diuersa, nu. 4.
Causæ dicuntur diuersæ quando concurrit diuersitas personarum, rei, & actoris, ibid. in fin. num. 5.
Appellatio vnica potest continere duas appellationes, & sic diuersas instantias, num. 5.

DECI-

DECISIO CCLXXVIII.

1 PArtes non concordabant in informando. Nam illi qui informabant pro D. Iulia, se restringebant ad ea, quæ fuerant aliàs decisa 27. Nouembris 1615. coram me. Altera verò pars informabat super exceptionibus identitatis bonorum, & detractionum aliàs reseruatis in dicta decisione. Verùm Domini omissis pro nunc exceptionibus, & aliis capitibus dictæ decis. quoad transportationem actorum, ab eadem recedere noluerunt.

2 Quamuis enim ex dispositione sacri Concilij, & iuris communis acta omnia sint integrè transportanda, prout Domini hanc conclusionem iterum firmarunt: attamen placuerunt etiam duæ limitationes. Prima erat quòd dispositio Concilij non habet locum in causis profanis, & fori sæcularis, qualis est ista, sed solùm in causis fori Ecclesiastici, iuxta declarationem Sacræ Congregationis, quam Rota sequuta fuit in causa Romana lignorum 20. Iunij 1603. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, & aliis allegatis.

3 Secunda, quod acta transportanda influere debent in causam, aliàs si non respiciant merita illius, ita quod iudex non possit ex eis instrui de iustitia, vel iniustitia sententiæ, non est necessaria illorum transportatio, vt per Castren *cons.119.in princ.lib.1.* Rota in dicta causa Romana lignorum.

4 Applicando igitur in proposito visum fuit quòd acta facta côtra Rangonos aliquo modo non faciant ad causam immissionis declaratæ pro Hieronymo, neque in eam influant aliquatenus; in petitione enim, seu libello pro parte Siluij & Hippolytæ porrecto summario Iuliæ *num.2.* legitur quod post mortem Claudiæ fuit transactum inter Siluium, & Hippolytam coniuges ex vna, & Iuliam & Franciscum Mariam Buschettam ex altera; quodque stante fine lineæ masculinæ Hieronymæ per mortem Ioan. Baptistæ senioris & Tanarini in personam Hieronymi iunioris, cui non solùm facienda est restitutio bonorum per fideicommissum Claudio relictorum, sed etiam aliorum bonorum, quæ per Siluium & Hippolytam in transactione fuerunt dimissa Iuliæ, & demum in conclusione petitur de opportuno remedio prouideri tam coniunctim, quàm diuisim, & omni meliori modo: vnde cùm Martinellus pronunciauerit Hieronymum esse primogenitum vocatum; & ab ea sententia fuerit appellatum, nempe pro parte Hieronymi filij à denegata iustitia super aliàs petitis, & Iulia obtinuerit committi D. Rangono; Siluius verò in curia, & inde emanauerit sententia Rotalis super immissione, satis clarè patet quòd ius Hieronymi principaliter deductum ex testamentis Baptistæ, & Tanarini iura transportanda nihil commune habere quòd influeret, vel aliquid emolumenti deriuaret in causam immissionis, super qua fuit lata sententia propter ius primogenituræ competens Hieronymo, non autem propter transactionem, aut illius exequutionem, quia iura transportanda respiciebant tantummodo iustificationem transactionis, cùm essent relationes peritorum super quantitate fructuum, & valore bonorum, vt exinde transactio de læsione argui non possit. Igitur aut voluit attendere personas quæ interuenerunt in causa transactionis, & Hieronymus non est idem cum Hippolyta, nec ipse transigit cum Domina Iulia, nec eius nomine transactum fuit: aut volumus inspicere iura & actiones, & illa sunt diuersa, cùm Hieronymus agat ex fideicommisso, & illius vigore petat immissionem: Hippolyta autem agat contra Iuliam ex transactione, & in vim illius petat restitutionem bonorum, & Iulia ex aduerso excipiat de læsione in transactione. Cùm igitur concurrat diuersitas personarum rei, & actoris, proculdubio causæ sunt diuersæ, ad *l. cùm quæritur, cum duabus sequentibus. ff. de exceptione rei iudic.* & in specie tradit Rota Ianuen. *decis.179.num.6.* Lancellot. *de attentat.2.part.cap.12.limitat.2.num.10.*

5 Non obstat quòd in eodem rescripto vtraque causa commissa fuerit, quodque idem Notarius vtramque habuerit, & iidem Procuratores vtramque similiter tractauerint, quia non propterea tollitur earum diuersitas, cùm diuersæ causæ non solùm censeantur quæ super diuersis rebus inter diuersas personas, & coram diuersis iudicibus agunt; verùm etiamsi inter easdem personas coram eodem iudice, super diuersis tamen causis, seu capitibus tractantur. Lancellot. *vbi suprà numer.11. ad fin. vers. & propterea numer.13.* optimè ad propositum ait quòd vna appellatio in effectu potest continere duas appellationes, & sic diuersas instantias, ita quod vna deserta, non censeatur altera deserta, & ideo in vna Placentina Canonicatus & beneficiorum 4. Februarij 1609. coram Illustrissimo Ludouisio plenè discusso articulo firmatum fuit, tot censere commissiones diuersas & separatas, quot iura in eadem deducta, & quòd annullato vno iure & vna commissione non censeretur per hoc aliud ius annullatum, & alia commissio.

Ex quibus & aliis hîc deductis per informantes pro Hieronymo visum fuit persistere in decisis quoad transportationem actorum.

R.P.D. VBALDO.

Romana emphyteusis. Veneris 20. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Dominus emphyteusis potest apponere lapides cum inscriptione quòd ipse est dominus proprietatis super ædificio emphyteotico.

SVMMARIVM.

Dominus emphyteusis potest apponere lapides cum inscriptione quòd ipse est dominus proprietatis super ædificio emphyteotico, nu.1. quia quilibet potest in re sua ponere nomen & signa.

Regula, quod mihi prodest & alteri non nocet, faciendum est, num.2.

Emphyteota tenetur recognoscere dominum toties quoties fuerit requisitus, maximè quando subest timor ne tractu temporis dominium controuertatur, num.3. & sic tenetur renouare inuestituram.

Signa, seu insignia non possunt apponi in re aliena, vel ab alio possessa, num.4. declara vt ibi, & num.5. & 6.

Emphyteusis respectu domini directi, quoad proprietatem non potest dici res aliena, neque quoad ciuilem possessionem ab alio possessa, licet possessio naturalis sit penes emphyteotam, num.4.

Emphyteota non tenetur subire, nisi onera conuenta, intellige quando eius conditio fieret deterior, num.7.

DECISIO CCLXXIX.

1 DOmini responderunt pro informante, videlicet licere Dominis de Sorbellonibus apponere lapides designantes illorum proprietatem super domibus, & ædificiis, de quibus agitur, cum præsupposito tamen quod de dicta eorum proprietate, & dominio constet, & mouebantur ex doctrina Bart. *in l. stigmata. C. de fabricens. lib.* 11. vbi permittitur apponere signa in animalibus, & seruis ad eos recognoscendos, & ibi Andr. & Cuiac. & ante eos latè tradit Luc. de Penn. & facit communis conclusio quod quilibet in re sua potest apponere nomen, & signa. Alex. *in l.* 1. *num.* 2. *C. vt nem. priuat. titul.* Canonistæ communiter *in cap. dilectæ, de excess. prælat.* Bart. *in tract. de insign. & arm. sub num.* 4. Viu. *com. opin.* 140. *num.* 14. vbi de communi.

2 Cùm id nihil noceat emphyteutis, & prosit dominis directis pro faciliori probatione sui dominij, ideo intrat regula quòd illud quod mihi prodest, & alteri non nocet, faciendum est. *l. si creditor. ff. de euiction.*

3 Et propter eandem æquitatem videmus emphytextam teneri recognoscere dominum toties, quoties fuerit requisitus. Guidopap. *quæst.* 417. quod maximè procedit, quando subest timor, ne tractu temporis dominium controuertatur; tunc enim receptum est, emphyteutam teneri renouare instrumentum inuestituræ. Cassan. *super consuetud. Burgund. titul. de censib. rubr.* 11. §. 6. *num.* 20. & alia similia fuerunt cumulata per informantes.

4 Nec obstare visum fuit quod in re ab alio possessa, vel aliena, regulariter non possint apponi signa, vt in rubro, & nigro, præsertim *in l.* 2. *C. vt nem. lit. sign. reb. alien. impon.* Bart. *in dicto tract. de insign. & arm. num.* 4. Quia respondebatur quoad proprietatem non posse dici rem alienam, sed domini directi, neque etiam ab alio possessam quoad ciuilem possionem, licèt naturalis sit penes emphyteutam. Menoch. *de retinen. remed.* 3. *num.* 84.

5 Secundò dicebatur, illum text. procedere quando lis pendet super dominio, antequam sit iudicatum, vt ibi per Azon. Odofr. Castren. Alex. & Ias. hîc autem nulla lis pendet super dominio.

6 Et demum addebatur tertiò quod illa dispositio procedit quando quis vult imponere insignia propria authoritate, & sine iudice, vt sonant verba rubricæ, & declarant ibidem Butrig. Alb. Bart. Salicet. Castren. & Ias. hîc autem tractatur de apponendis insignibus authoritate iudicis.

7 Non obstat quod emphyteuta teneatur subire tantùm onera conuenta; quia id procedit vbi aliàs eius conditio efficeretur deterior. Rosenthal *de feud. cap.* 8. *conclus.* 32. *num.* 10. quod hîc non concurrit ex prædictis.

Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana Saluiani 20. *Maij* 1616.

DECISIO CCLXXX.

Impressa est post Pacific. de Saluiano, decis. 227.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Ferrarien. decimarum. Merc. 25. *Maij* 1616.

ARGVMENTVM.

Est in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Euictio si in contractu emptionis specificè stipulata est, siue emptor sciat, siue ignoret, rem venditam esse alienam, vel vendi non posse, &c. actio ex stipulatu emptori datur ad consequendum interesse intrinsecum, n. 1.

Pacta in contractu apposita seruanda sunt, etiamsi repugnent rei in contractum deductæ, num. 2.

Euictio quando sequitur ex natura rei, quia feudalis, inalienabilis, &c. si emptor scit qualitatem rei, non sufficit quælibet euictionis promissio, sed requiritur specificè in casum illius rei, num. 3. *vide num.* 6.

Ignorantia iuris non excusat mulierem tutricem in emendo, num. 4.

Decimæ Ecclesiasticæ alienari non possunt in laicos, sed bene possunt esse in commercio, vel propter præscriptiones cum fama priuilegij, vel propter ius laicorum ante Concilium Lateranense radicatum, num. 5.

Euictionis indiuidua promissio, vt suprà num. 3. *est necessaria, quando agitur ad pœnam euictionis, id est, ad duplum pro consequendo integrè interesse conuento, non quando simpliciter agitur ad præstationem interesse intrinseci, quod à pari procedit cum restitutione pretij, num.* 6.

Euictio etiam stipulata non suffragatur emptori si ius resistit contractui, nu. 7. *declara vt nu.* 8. *scilicet in sciente emente, & ad effectum agendi ad duplum.*

DECISIO CCLXXXI.

IN præterita resolutione diei 26. Iunij 1615. fuit reseruatum videre, an Serenissimus in hoc iudicio euictionis teneretur etiam ad decimas decursas, ad damma, & interesse, & hodie hac parte proposita affirmatiuè fuit decisum.

Fundamentum decisionis fuit, quia in præsenti partes sibi cauerunt de euictione, & damnis, ideo siue emptor ignoret, siue sciat rem esse alienam, vel vendi non posse, actio ex stipulatu non denegatur pro consequendo quod emptori interest non habere rem sibi venditam. *l. si fratres C. commun. vtriusque iudic. l. si fundum sciens. C. de euictionib. l. apud. Celsum. §. idem habet. ff. de dol. except.* Alex. *cons* 67. *in fin. lib.* 2. Roman. *consil.* 396. *num.* 3. Bec. *consil.* 106 *num.* 18. Asserentes.

Pactis standum esse etiamsi aduersentur naturæ rei in contractu deductæ. Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 12. *gloss.* 1. *num.* 8. Surd. *decis.* 208. *num.* 11. & 14. qui multos recenset, & hanc opinionem recepit Rota in causa Romana Saluiani interdicti impress. inter decisiones bon. mem. Cardinalis Seraphini 787. per totam.

Non obstat quando euictio sequitur ex natura rei, quia feudalis fideicommissaria, vel emphyteotica, vel inalienabilis, vt tunc emptori scienti qualitatem rei non sufficiat quælibet promissio de euictione, sed requiratur specifica in casu illius rei, vt distinguatur ab euictione quæ habet originem ex de-

ex defectu iuris auctoris, vt adnotarunt Cyn. Barr. & Angel. *in l. si familiæ in vlt. gloss. C. famil. ercisc und.* Tiraquell. *de retract. lign.* §. 1. *gloss.* 9. *nu.* 56. & alij referuntur *in decis.* 152. *num.* 4. *part.* 2. *diuersorum.*

4 Quia in præsenti non est absolutum, quod tutrix sciret has decimas non posse alienari, sed potiùs contraria coniectura sumitur quòd essent in commercio propter vsum constitutionis Bonifacianæ, & statuta ciuitatis Ferrariæ, & ex effectu subsequuto dum istæ decimæ transierunt titulo venditionis à Cardinali in Ducem, nec releuat quod ista sit ignorantia iuris quæ non excusat mulierem tutricem in emendo. Put. *decis.* 118. *lib.* 2.

5 Quia non dubitatur, an simpliciter decimæ possint alienari, hoc bene respicit iuris depositum, sed an sint in commercio quod respicit factum, vt exinde cadere possit ignorantia probabilis contrahendi super eis propter præscriptiones cum fama priuilegij, quæ possent concurrere in vendente, & sustinere ius laicorum ante Concilium Lateranense radicatum.

6 Præterea illa indiuidualis expressio videtur desiderata vbi agitur de consequendo integro interesse conuento, nempe ad duplum, id est, pœnam euictionis; secus vbi requiritur præstatio interesse intrinseci, quod à pari procedit cum restitutione pretij. Afflict. post Isern. *de prohibit. feud. alien. per Federic. in notab.* 13. & firmatur *in decis.* Seraph. 787. *num.* 5. & aliàdi potest quod est de mente eiusdem gloss. *in d. l. si familiæ*, vt ea ratione de indiuidua promissione Doctores illi intellexerint, quia ibi agebatur de diuisione, de qua vterque suscipit euentum rei, & potest probabiliter dubitari de qua euictione partes senserint; secus verò in emptore, qui solus sustinet euentum rei, nec habet euentualem compensationem, ideo cauendo sibi de euictione ad omnia in quibus casib interesse videtur promissio intelligenda.

7 Non obstat quando ius resistit, vt in præsenti, non etiam stipulatam euictionem suffragari. Tiraquell. *de retract. lignag. tit. fin. num.* 46. Surd. *decis.* 290. *num.* 16.

8 Quia omnes loquuntur in scienter emente, & ad effectum agendi ad duplum, id est, pœnam euictionis. Menoch. *cons.* 118. *num.* 15. *& seqq.* qui ita declarat multos hanc conclusionem firmantes, quæ non verificantur in casu de quo agitur, vbi deficiebat scientia propter commercium, & prætenditur interesse intrinsecum, quod non differt pretio, vt suprà dictum fuit.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana domorum. Mercurij 25. *Maij* 1616.

ARGVMENTVM.

In emphyteusi concessa ad tertiam generationem non comprehenditur persona primi acquirentis, & argumentum à consuetudine contrahentium quomodo procedat.

SVMMARIVM.

Generationis computatio in concessione emphyteusis ad tertiam generationem, non incipit à primo acquirente, sed ab eius filiis, & terminatur in pronepotibus, nu. 1.

Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus, num. 2.

Verbum ita quòd, *est restrictiuum, & limitat præcedentia, num.* 3.

Contrahentes, qui consueuerunt restringere contractus, si extet vnus contractus non restrictus, sumitur argumentum quòd illum non voluerint restringere, num. 4.

Relatio in contractu non censetur facta quoad ea, quæ sunt expressè disposita, num. 5.

DECISIO CCLXXXII.

Licet Dominus Antonius Franciscus Segnius habuisset duas decisiones fauorabiles, alteram coram bo. mem. Cardinale Seraphino 24. Maij 1600. quæ est decisio 1362. in eius impressis *part.* 2. alteram coram Reuerendissimo Domino Bononien. 14 Martij 1611. in quibus fuit decisum, D. Antonium Franciscum fuisse comprehensum in concessione olim facta Antonio eius proauo ad tertiam generationem masculinam ipsius; tamen venerabilis Archiconfraternitas Confalonis aduersaria obtinuit tertio super eisdem coram me audiri, & Rota vtraque parte informante censuit standum esse in decisis; verissima enim est iuris conclusio in vtraque decisione firmata, nec ab informantibus pro confraternitate vnquam impugnata, quod vbicumque concessio est alicui facta ad tertiam ipsius generationem, vt hîc, persona primi acquirentis non comprehenditur, cùm nemo generet se ipsum, sed prima generatio incipit ab eius filiis, & tertia extenditur ad eius pronepotes, iuxta doctrinam Bald. *in auth. si quas ruinas num.* 3. *C. de sacros. Eccl.* quam esse communem testatur Clar. *in* §. *emphyteusis quæst.* 34. cum aliis adductis per Gabriel. *in tit. de iur. emphyt. conclus.* 4. *nu.* 4. *in prima limit.* & per Card. Mantic. *de tacit. lib.* 22. *tit.* 25. *nu.* 16. & vltra allegatos in decisionibus, idem confirmat Menoch. *cons.* 1066. *lib.* 11. referendo 29. Doctor. huius sententiæ, & confutando contrarium tenentes, & præter decisiones allegatas, fuit etiam idem tentum in vna Romana bonorum 18. Martij 1611. coram R. P. D. meo nunc Decano, vbi in specie allegantur dictæ duæ decisiones in hac causa factæ coram Seraphino, & Reuerendissimo Bononien. 1

Quod confirmatur ex quo inuestitura, de qua agitur, est expressè relata ad inuestituram salæ dirutæ eodem anno factam ad tertiam ipsius Antonij generationem, & sic in ea fuit comprehensus pronepos ex supradictis, meritò censeri etiam debet comprehensus in ista, cùm relatum sit in referente cum omnibus qualitatibus. *l. asse toto. ff. de hæred. instit.* Aim. *cons.* 45. *num.* 4. cum aliis relatis in decisione Reuerendissimi Bononien. 2

Nec obstat quòd in inuestitura, de qua agitur, narrentur inuestituræ præcedentes, etiam factæ ad secundam generationem, in quibus videtur comprehendi persona primi acquirentis, & sic pari modo in hac concessa ad tertiam debeat comprehendi primus acquirens pro prima generatione; quia dato quòd hoc sit verum, videlicet quòd in concessionibus ad secundam generationem contineatur persona Antonij primi acquirentis; de quo tamen dubitabant nonnulli ex Dominis, adhuc respondebatur tribus modis. 3

Primò quòd ibi non adest dictio *ipsius*, prout in 4

conceſſione ad tertiam generationem, de qua agitur. Secundò quòd etiamſi adeſſet, tamen ex verbis ſequentibus reciperet declarationem, & limitationem, quæ verba ſunt iſta; *ita quòd d. Antonius habeat pro ſe, & vno alio quem nominauerit, vel pro filiis ſuis maſculis, ſi illos habuerit*, &c. Illa enim verba *ita quod*, &c. reſtringant, & limitant præcedentia. *l. huius. §. quod habebat ff. ad Trebell. l. Gallus. §. idem credendum, in fin. ff. de liber. & poſthum.* Socin. *conſ. 49. num. 2. & ſeq. lib. 1.* Rota *deciſ. 243. num. 6. par. 2. diuerſ.* cum aliis per Surd. *conſ. 315. num. 28. lib. 3.* Quæ cùm non legantur in conceſſione, de qua agitur, non poteſt ab illis argui ad iſtam, vt fuit etiam conſideratum in deciſione Reuerendiſſimi Bononien.

4 Immò addebant Domini, quod vbi contrahentes, præſertim confraternitas, voluerunt reſtringere conceſſionem, expreſsè id fecerunt, vt in prima 25. Iunij, & in alia 12. Iulij 1495. ad vitam Antonij dumtaxat, & in alia 28. Iunij eiuſdem anni ad vitam ipſius Antonij, & vnius alterius hæredis per eum nominandi, ſic in duabus ad ſecundam generationem, vna die 2. Septembris 1495. altera 8. Nouembris eiuſdem anni fit conceſſio Antonio pro ſe, & filiis, & in defectum filiorum pro ſe, & vno alio quem nominauerit, vnde poteſt vel ſumi argumentum, quòd ſi contrahentes voluiſſent etiam reſtringere conceſſionem, de qua agitur, illud expreſſiſſent, *l. vn. §. ſin autem ad deficientis. C. de caduc. tollen.* vel argumentum à ſolito patrisfamilias, quo vtuntur informantes pro confraternitate contra ipſos retorqueri, cùm in hac conceſſione nulla fuerit facta reſtrictiua, quæ tamen fieri à contrahentibus ſolebat ex prædictis.

Tertiò fuit reſponſum quòd licèt fuerit facta inueſtitura ſub commemoratione aliarum conceſſionum; tamen partes expreſsè ſe retulerũt ad modum, & formam conceſſionis ſalæ dirutæ, quæ expreſsè legitur facta ad tertiam ipſius Antonij generationem ſine vlla reſtrictiua, vt bene deducitur in eadem deciſione Reuerendiſſimi Bononien. & ita etiam tollitur fundamentum quod ex aduerſo fit in petitione Antonij, quia dicta etiam petitio expreſsè refertur ad dictam conceſſionem ſalæ dirutæ, vt patet, ibi, *prout, & quemadmodum de dicta parte ſalæ dirutæ conceſſum fuit*, &c.

Neque facit quòd hæc vltima conceſſio ad tertiam generationem veniat per modum additamenti ad ſecundam generationem antea conceſſam, quia fuit additum verbum *ipſius*, & fuit habita relatio ad conceſſionem ſalæ dirutæ, vt ſuprà dictum eſt.

5 Neque refragantur illa verba, *cum pactis, & conuentionibus & præcedentibus inueſtituris comprehenſis*; quia intelliguntur, non de comprehenſione perſonarum nunc controuerſa, ſed de aliis præter expreſſa in conceſſione de qua agitur, vt etiam ſignificat illa particula *quoad alia*, de qua in inſtrumento, & aliàs relatio non intelligitur facta quoad ea quæ ſunt expreſsè diſpoſita. Pariſ. *conſ. 39. num. 18. lib. 1.*

Ad ea quæ dicuntur de verbo prorogationis, quo vſi ſunt contrahentes, & ad ſtilum Notarij, ſatis ſuperque fuit reſponſum in deciſionibus à quibus Domini non putarunt eſſe recedendum.

Et ita fuit deciſum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. ORTEMBERGO.

Meliten. habitus. Mercurij 25. Maij 1616.

CCLXXXIII.

ARGVMENTVM.

De probatione nobilitatis nonnulla non iniucunda notabilia, de quibus in ſummario.

SVMMARIVM.

Nobilitas dicitur probata per teſtes deponentes de communi reputatione, & aliàs, vt num. 1.

Nobilitas probatur inſtrumentis, in quibus quis nobilis nuncupatur, num. 2. & num. 4. in fin.

Teſtibus deponentibus de ignobilitate perſonæ, nunquid plus credatur, quàm deponentibus de nobilitate, nu. 3.

Nobilitas nunquid cenſeatur probata, vel potius ignobilitas ex eo, quòd quis in inſtrumento nuncupetur Magiſter, num. 4.

DECISIO CCLXXXIII.

Reſolutum fuit ſententiam Magni Magiſtri in ea parte, quæ reſpicit probationes factas pro parte familiæ de Pirrho, à qua D. Marcus per lineam maternam deſcendit, eſſe confirmandam. Quod enim dicta familia nobilitate gaudeat, bene probant plures teſtes, qui non ſolùm deponunt in genere, quòd vniuerſa familia de Pirrho ſit nobilis, ſed concludunt in ſpecie nobilitatem Angelæ, ex qua Marcus deſcendit, & Antonini, ac Thomæ patris, & aui reſpectiuè dictæ Angelæ, idque optimis rationibus, quia ſcilicet fuerunt communiter ab omnibus reputati, ac habiti nobiles, & vti tales ad omnes honores ſolis nobilibus concedi ſolitos admiſſi. Nam ex his circumſtantiis, & præſertim ex communi reputatione probatur nobilitas cùm aliter probari vix poſſit. Socin. *conſ. 247. num. 3. lib. 2.* Tiraquell. *in tract. de nobilitate cap. 10. per tot.* Bonaccurſ. *eod. tract. in 6. part.* & fuit in alia Meliten. habitus 10. Iunij 1609. coram R. P. D. meo Caualerio reſolutum.

Et cum dictis teſtibus concurrunt quoque inſtrumenta antiquiſſima, in quibus progenitores D. Marci honorabiles, nobiles, & magnifici denominantur, quod non leue eſt nobilitatis ſignum, & multum confert ad eam probandam, iuxta deducta per bonmem. Card. Seraphin. *deciſ. 207. nu. 4.*

Non obſtant teſtes in contrarium adducti, quia licèt deponant ipſos cognouiſſe homines, qui vtebantur cognomine familiæ de Pirrho, illoſque fuiſſe populares, & non nobiles, non tamen coarctant negatiuam, quòd ſcilicet non potuerint eſſe alij eiuſdem cognominis nobiles ab ipſis non noti, & quia nouum non eſt, quod ſæpe inter eos qui eodem vtuntur cognomine, alij nobiles ſint, alij verò populares, dictum illorum intelligendum erit de aliis potiùs, quàm iis, à quibus Marcus deſcendit vt in puncto Soc. *d. conſ. 246. ſub num. 3. lib. 2.* cùm præſertim etiam dicti teſtes non percutiant tempus aſcendentium Marci, nec minus poterant percutere ex quo linea Antonini vſque de anno 1532. remanſerat extincta.

Minus obſtat inſtrumentum, in quo Thomæus Antonini pater Magiſter denominari dicitur, quia cùm ſæpe etiam hoc nomine vocentur ſcientiarum Profeſſores, nec propterea ſemper ignobilitatis ſignum ſit, nulla inde deſumi poteſt concludens probatio. *cap. in præſentia, de probat. & cap. 1. de except. in 6.* cum ſimil. Quinimò quòd dictum Magiſtri nomen

men in ea potiùs significatione, quę vero etiam nobili congruit, accipi debeat, colligitur, non tamen ex supradictis, sed ex eo etiam quòd idemmet Thomæus in eius testamento nobilis vocatur quod nomen huiusmod populari non conuenit.

Ex quibus ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Signina pœnarum. 23. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Bannimenta quando legitimè publicata dicantur.

SVMMARIVM.

Præconis relationi quòd fecerit bannimenta publicè, &c fides adhibenda est tanquam de re spectante ad suum officium, num. 1.

Bannimenta dicuntur legitimè publicata ad effectum vt omnes afficiant, & illorum ignorantia allegari non potest, si constat relatione præconis fuisse publicè publicata alta & intelligibili voce, &c. num. 2.

Testis deponens de immemorabili, & nunquam audiuisse, nec adesse hominum memoriam in contrarium, si constet de actibus contrariis, etiam post completam immemorabilem, licèt non interrumpatur immemorabilis, tamen conuincitur de mendacio, & redditur suspectus, num. 3.

Scriptura dicitur esse in forma probanti si sit subscripta à superioribus, & publicata, & compulsata parte citata. num. 4.

DECISIO CCLXXXIV.

FVit firmatum in hac causa coram me 21. Maij 1611. & 3. Aprilis 1613. nonnullos testes communitatis probare ad illius fauorem immemorabilem in dicto circa exactionem pœnarum, de quibus agitur, & esse ætatis legitimæ, illísque non obstare absentia.

Cæterùm quia pro parte Excellentissimi D. Ducis, ad conquassandam dictam immemorabilem, & conuincendum testes de mendacio, dum dicunt nunquam se vidisse contrarium, proponebantur multi actus contrarij, & inter cætera bannimenta facta per eius antecessores, ac illorum officiales, cum comminatione pœnarum applicandarum Cameræ Ducali.

Ideo proposui hodie dubium, an vltra decisiones factas super excessionibus tunc discussis suffragentur D. Duci actus contrarij per ipsum adducti, & aliæ exceptiones personales ex illis resultantes.

Et Domini pro nunc tantummodo resoluerunt constare de publicatione dictorum bannimentorum, & quòd de exactione pœnarum videatur.

1 Cùm enim dicta bannimenta fuerint lecta publicè & palàm, alta, & intelligibili voce in platea ciuitatis Signinæ per præconem talia facere consuetum, vt constat ex illius relatione, cui tanquam de re spectante ad suum officium est fides adhibenda. *l quædam. §. numularios. ff. de edend.* Mandell. *consil.* 175. *numero* 14. *& consil.* 453. *num.* 4. Ruin. *cons.* 53. *num.* 9. *lib.* 4. Caputaq. *decis.* 160. *part.* 2. Seraphin. *decis.* 1390. *num.* 2.

Dicuntur legitimè publicata ad effectum vt omnes afficiant, & illorum ignorantiam allegari non possit. Federic. de Sen. *cons.* 211. *num.* 4. Abb. *in cap.* 1. *in fine, de constit.* & ibi Imol. *num.* 16. Felin. *in cap. exceptionem num.* 48. *vers. per quem text. de exceptionib.* Roland. *cons.* 8. *n.* 23. *& seq. lib.* 3. ex quibus remanet probata dictorum bannimentorum publicatio, & applicatio pœnarum in illis contenta. 2

Nec bannimenta fuisse facta ab anno 1593. & sic post completam immemorabilem, & ideo non esse attendenda. Quia vltra quòd multa ex illis sunt ab anno 1582. dicebatur quòd licèt ob casú dicta bannimenta non possent deseruire ad interrumpendam immemorabilem; tamen operantur vt testes qui nimis animosè, & absolutè deponunt nunquam audiuisse, nec adesse hominum memoriam in contrarium, conuincantur de mendacio, & reddantur suspecti, dum ex eisdem bannimentis, licèt recentibus, constat de contrario. 3

Minus facit quod dicitur dicta bannimenta non esse in forma probanti; quia veritas est in contrarium, cùm fuerint subscripta à superioribus, & publicata ac compulsata parte citata. 4

Et ex his sic fuit resolutum cum reseruatione videndi circa exactionem pœnarum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Reatina Saluiani interdicti. Mercurij 25. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

De Saluiano interdicto nonnulla notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Instrumenti productio non suffragatur, n[illegible] rte citata, num. 1.

Terminorum substantialium reiteratio in[illegible] m Innocentianæ non habet locum extra Rotam, num. 2.

Salitianum interdictum non habet locum cessante hypotheca, num. 5.

Prohibitio alienandi, & obligandi includit prohibitionem hypothecæ, num. 4.

DECISIO CCLXXXV.

FActa fuit resolutio pro informante, videlicet, sententiam esse infirmandam ex capite iniustitiæ; cùm enim fuerit actum iudicio vtilis Saluiani interdicti, & super eodem pronunciatum, vt apparet ex monitorio, & sententia, vtique debebat iustificari creditum, cum hypotheca actoris, & quòd bona super quibus petebatur, & concessa fuit immissio, fuerint possessa à reo tempore obligationis, vel postea, Menoch. qui plurimos cumulat, *de adipiscend. remed.* 3. *num.* 161. 1

At in casu proposito non fuit productum in actis instrumentum prætensæ societatis officij, in quo actor fundabat suum creditum, & licèt diceretur esse rogatum in actis eiusdem Notarij, nihilominus necessaria erat reproductio, vel repetitio ante sententiam, Osasch. *decis.* 1. *num.* 50. Marsil. *singul.* 170. *num.* 1. quia agebatur contra tertium possessorem, vnde non poterat dici de actis, Bart. *in extrauag. ad repri-*

mend. in verb de plano, Roman. *consil.* 119. *num.* 3. *cum alleg.* Minùs fuerunt probata alia extrema necessaria, & ideo visum fuit, sententiam vti iniustam esse infirmandam.

Domini steterunt in decisis sub die 15. Maij 1616. videlicet, pro infirmatione sententiæ latæ in Saluiano, non iustificato credit, & hypotheca actoris.

Neque putauerunt sufficere fidem Notarij exhibitam, qualiter instrumentum societatis, in quo fundabatur creditum actoris, fuerat reproductum die 4. Iulij 1615. quia responsum fuit in ea deficere citationem partis, ad dicen. contra, vnde tale instrumentum non probat tanquam non existēs de actis, Felin. *in cap. quoniam contrà, numer.* 40. *de probat.* Rot. *decis.* 1. *num.* 3. *de fid. instrum. in nou.* Caputaq. *decis.* 99. *num.* 1. *part.* 2. *& decis.* 117. *num* 5. *part.* 3. Cæs. de Gras. *decis.* 16. *num.* 4. *de probat.*

2 Et licèt replicaretur fuisse factam productionem in terminis substitutionis, inter quos continetur etiam ter. ad dicendum contrà, &c. tamen respondebatur terminum illum cadere pro secunda die, in qua non fuit seruatus, neque etiam visa fuit sufficere reiteratio terminorum inculcatorum in vim Innocentianæ, quia dicta constitutio non habet locum extra Rotam, vt in Romana Saluiani 6. Nouembris 1598. coram bo. me. Orano.

3 Addebatur insuper non probari Angelum, contra quem data fuit immissio, possedisse tenutam de qua agitur de tempore obligationis. nam Angelus, vt dicitur, fideiusserat pro Ioanne Baptista fratris filio in contractu census scut. 600. sortis principalis, & Ioan. Baptistam pro eius securitate, & idemnitate ei assignauerat prædium censuatum ad effectum soluendi fructus census ex redditibus, & de eo quod supererat extinguendi sortem saltem pro scut. 200. qualibet vice, vnde non poterat dici in Angelum translata possessio fundi, itaut posset illum hypothecare, cùm potiùs fuisset constitutus procurator, vel negotiorum gestor à fratris filio, ad colligend. fructus fui di ad supradictos effectus.

4 Tandem dicebatur eundem fundum fuisse ab ipsorum patre arctissimo fideicommisso suppositū, cum prohibitione expressa alienandi, & obligandi, vnde neque super eo poterat cadere hypotheca, vt post Castrens. & alios, *in l. vlt. §. vlt. ff. de leg.* 2. tenuit Rota apud Cardin. Seraphin. *decis.* 757. *num.* 2. *&* 3. nec alia bona sic obnoxia, & affecta veniunt in generali obligatione bonorum, Bart. *in l. codicillis.* §. *instituto, num.* 5 *ff. de leg* 2. & fuit dictum in Romana Saluiani 8. Februarij 1600. coram Reuerendiss. D. meo Decano, & in alia Romana Saluiani 10. Ianuarij 1611. coram R. P. D. meo Vbaldo.

Cessante autem hypotheca, cessit Saluianum, Nat. *consil.* 474. *num.* 34. & fuit dictum in Romana Saluiani 2. Decembris 1601. coram Reuerendissimo Decano, & in Imolen. Saluiani 5. Decembris eiusdem anni coram Illustrissimo D. meo Cardinali Lancellotto: & consequenter resultabat iniustitia sententiæ.

REVERENDISSIMO P. D. DECANO.

Plocen. Canonicatus. Mercurij 25. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Immemorabili præscriptioni, seu consuetudini conferendi beneficia reseruata, non censetur derogatum per quæcumque verba, quamuis vniuersalia, nisi fuerit expressè dictum.

SVMMARIVM.

Beneficiorum reseruatorum collatio non spectat ad Papam, quando in contrarium adest immemorabilis consuetudo, cui per regulam secundam, quæ reseruat beneficia, non censetur derogatum.

Immemorabili consuetudini non censetur derogatum, nisi de ea fiat expressa mentio, ibid.

Pontifex potest ignorare speciales locorum consuetudines quæ consistunt in facto, ibid. in fine.

Quæcumque collatio per verbum vniuersale, non extenditur ad immemorabilem præscriptionem, aut consuetudinem, num. 2.

Quæcumque persona comprehendit etiam Reges Franciæ, & Angliæ, num. 2.

DECISIO CCLXXXVI.

DOmini perstiterunt in resolutis dandam esse remissoriam, cùm articuletur quòd post translationem ante adeptionem possessionis secundi Episcopi Plocen. ab immemorabili tempore sunt soliti conferre beneficia, quæ vacant. nam articulus iste est releuans, quia hoc probato non obstaret regula secunda, quæ reseruat ista beneficia, ex quo non derogat immemorabili consuetudini, quæ non censetur sublata, nisi de ea fiat specialis mentio, Felin. *in rubr. de præscr. nu.* 18. *in fin.* Rip. *in l. nemo potest, num.* 110. *de leg.* 1. Couarr. *var. resolut. cap.* 13. *lib.* 3. *nu.* 5. Gabr. *de præscript. conclus.* 1. *num.* 30. eòque magis cùm articuletur specialis consuetudo Ecclesiæ Plocen. *cap.* 1 *de constit. in* 6. vbi redditur ratio, quia cùm huiusmodi consuetudines speciales aliquorum locorum consistant in facto, probabiliter Pontifex potest illas ignorare: & per dictum text. ita tenuit Calder. *in consil.* 3. *num* 1. *de consuet.* vbi notat quòd si talis specialis consuetudo immemorabilis præcessit constitutionem, per illam non tollitur absque expressa derogatione.

Neque obstat quòd regula habeat verba (quomodolibet pertinentia) quæ sunt apta comprehendere collationem spectantem de iure communi, vel iure speciali, vel præscripione, aut consuetudine, & cum priuilegio, ad notat Modern. *super reg.* 8. *gloss.* 29. Nam fuit responsum quòd nihilominus non sunt apta comprehendere immemorabilem, quæ eget speciali mentione, vt suprà dictum est, nec comprehenditur sub verbis vniuersalibus, Felin. Rip. & alij suprà alleg. quibus non resistit text. *in cap.* 2. *de præb. in* 6. (ibi, quæcumque super hoc sit authoritate munitus) quali sub his verbis comprehendantur Reges Franciæ, & Angliæ, etiam quòd haberent immemorabilem, vbi hoc not. Auchar. Menoch. & Franc. quia est aduertent. quòd ille text. loquitur in laicis qui sunt incapaces conferendi beneficia, nisi ex concessione Apostolica, vnde data dicta incapacitate non intrat immemorabilis, cùm laicis incapacitas resistat ab initio, Felin. *in cap. accedentes, n.* 6. *vers. fallit* 2. *de præscr.* & in eodem casu resistentiæ præscriptionis loquitur Bellon. *in consil.* 8.

Non obstat votum Oradini, & dec. diuers. in manus allegata, quia cùm Domini habuerint præmissa pro verissimis, dixerunt quòd aut votum, & decis. nituntur

nituntur maiori ratione, aut minori, & vtroque casu non sunt alleganda pro decisione huius causæ, eóque magis, quia quando Papa voluit derogare immemorabili, hoc expressit, prout legitur expressè in regula 8. & quamuis diceretur quòd priuilegium Apostolicum, & immemorabilis pari passu ambulent, cùm habens immemorabilem, possit allegare priuilegium, quia non è contra, qui habet priuilegium, potest allegare immemorabilem, quæ est maioris virtutis, cùm ex illa possit quis allegare meliorem titulum de mundo.

4 Non obstat indultum Leonis X. & Clem. VII. circa concordata, in quo conceditur Episcopis regni Poloniæ collatio beneficiorum in mensibus alternatis, non obstan. generalibus reseruationibus ad fauorem quarumcumque aliarum personarum concessis, dummodo tamen alia beneficia Sedi Apostolicæ generaliter reseruata non sint; nam fuit responsum quòd iste Canonicatus vacauit in mense Ordinarij, vnde ante translationem nulla aderat reseruatio Apostolica, & Episcopus liberè iuxta concordata poterat prouidere: translatio autem causat reseruationem, ex reg. secunda, sed cùm dicta regula non deroget immemorabili consuetudini, admissa immemorabili circa collationem post trãslationem ante adeptionẽ secundi, non intrat reseruatio regulæ secundæ, & propterea indultum & concordata non contrariantur huic remissoriæ, cùm præseruent generales reseruationes Apostolicas, quæ si cessant probata immemorabili, sequitur quòd non comprehendatur sub indulto.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Florentina Canonicatus. Mercurij 25. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus quando, & ex quibus præsumatur, seu probetur hæreditarium, seu potiùs merè gentilitium, aut mixtum, est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Iuspatronatus de sui natura præsumitur hæreditarium. declara vt num. 1.

Iurispatronatus qualitas probatur per confessiones in præiudicium confitentis, ibid. vers. in hoc tamen.

Iuspatronatus non potest dici hæreditarium, quando in eo vnus tantum patronus remansit, numer. 2. vers. secunda.

Confessio testatoris nocet legatario in re legata. n. 3.

Producens præsentationes, & illis vtendo censetur approbare producta, ibid. vers. Quod sine difficultate.

Acceptans legatum intelligitur illud acceptare cum omnibus suis qualitatibus, num. 4.

Confessiones successiuæ, & multiplicatæ magis operantur quam vnica, & simplex confessio, & ad probandum errorem earum requiritur concludentissima probatio, num. 5.

Iuspatronatus quòd non sit hæreditarium, sed vel familiare, vel mixtum, aut gentilitium, cognoscitur ex pluribus, de quibus num. 6. & seq.

Iuspatronatus pro descendentibus simpliciter reseruatum finita transcendentia transit ad hæredes extraneos. declara vt num. 11.

DECISIO CCLXXXVII.

Resolutum fuit gratiam Octauij non esse iustificatam, quia non verificauit habere consensum medietatis patronorum in ea narratum. Quamuis enim iuspatronatus secundùm ordinariam sui naturam sit hæreditarium. *Clem. plures, de iurepatr.* Cald. *consil. 4. eod. tit.* quam esse indubitatam conclusionem dicit Peregr. *consil. 27. num. 1. vol. 2.* & ad fœminas transitorium. Abb. *in cap. .. num. 3. de iurepatr.* Paris. *consil. 48. num. 5. lib. 4.* & fuit dictum in Lucana iurispatronatus 1. Iulij 1615. coram R. P. D. meo Manzanedo. In hoc tamen casu apparet illud non esse tale ex confessionibus tam Roberti authoris Octauiæ, quę præsentauit Carduccium, quàm ipsius Octauiæ, & Carduccij præsentati, quæ superant omnes alias probationes, ex vulgaribus & cùm sufficiant ad probandum iuspatronatus [illegible] in præiudicium ipsius confitentis, & sic subiectum. Cassador. *decis. 7. numer. 7. & 8. de iurepatr.* Put. *decis. 316. lib. 2. & decis. 36. lib. 3.* secundùm nouam impressionem. Modern. Hispan. *de benef. part. 11. cap. 2. num. 276.* multo magis qualitatem quæ faciliùs probatur, quàm subiectum. Alex. *in l. si certis annis n. 7. vers. in gl. 2. C. de pact.* Natt. *consil. 111. num. 3.*

Confessiones verò Roberti authoris Octauiæ, quæ præsentauit Carduccium, sunt duæ. Prima dum ipse, & Ascanius eius frater de anno 1570. vacante Canonicatu per obitum Antonij, vti duo ex patronis, & Robertus Io. Pauli tanquam vnus, & sic in capita præsentantia Alexandrum subsecuta institutione ordinarij Florentini, & approbatione dictæ præsentationis per diffinitiuam, cùm vbi iuspatronatus fuisset hæreditarium, dicti Robertus, & Ascanius tanquam patroni pro vna voce, & sic in stirpes, non autem vti duo præsentassent. *d. Clem. plures.* Secunda, quia idem Robertus in legato iurispatronatus facto ad fauorem dictæ Octauiæ expressè asseruit iurispatronatus vnicum patronum remansisse, quod esse non potuisset si iuspatronatus fuisset hæreditarium, quia vnicitas excludit aliorum compatronorum concursum, vt de pluribus hæredibus post alios, quos refert latè Surd. *consil. 375. num. 6. & seqq.* & fuit dictum in causa Bononien. de Capacellis 17. Februarij 1614. coram R. P. D. meo Pamphilio, & tamen vt confitetur Carduccius in responsione ad positiones, tunc superuiuebant Sibylla & Lucretia filiæ, & hæredes Roberti Ioannis Pauli vnius ex patronis, qui de anno 1570. vnà cum dicto Roberto testatore præsentauit. 2

Quæ confessio super dicto iurepatronatus, & sic re legata cum noceat Octauiæ legatariæ. Surd. *consil. 151. nu. 40. & consil. 237. num. 27.* & quæ solùm vigore dicti legati præsentauit ad ea quæ de confessione authoris dicit Rot. *decis. 90 part. 1. diuers.* consequenter præiudicat Carduccio, sicuti confessio cedentis ante cessionem factam nocet cessionario. Bart. *in l. facta § si hæres num 5. ff. ad Trebell.* Aym *consil. 507. nu. 4 5. 6. & 33. in 3.* & confessio collatoris prouiso. Verall. *decis. 93. num. 3. in fine part. 1.* Quod sine vlla difficultate procedit, quia Carduccius nedum tacitè, sed expressè illam approbauit, acceptando præsentationem, & ea vtendo, & producendo. Verall. *decis. 188. part. 1.* & omne ius suum ab illa deriuando. Cephal. 3

*consil.*386.*num* 19. Peregr.*de fideicomm.art.*44. *nu.*20. *vers. item assertio*,& fuit coram me dictum in Virdunen. Abbatiæ 20. Februarij 1615.& in causa Auriacen. iuris nominandi 8. Februarij præteriti.

Confessio verò Carduccij præsentati est indubitata, resultans tam ex acceptatione præsentationis factæ virtute dicti legati, quæ intelligitur cum omnibus qualitatibus in illa appositis. Put.*decis.*200 *n.* 2.Ias.*in l.contra iuris § fin ff.de pact.* quàm ex illorum vsu,& productione in iudicio. Verall. *dict. decis.*188. *part.*1.& quia prædictis consonare videtur eius narratiua in litteris suæ prouisionis,& in consensu præstito reseruationi pensionis, quæ contra ipsum plenè probat.vulg.*l.cum precium, C.de liber.caus.* & fuit in allegata Virdunen. Abbatiæ coram me firmatum, quòd videlicet Canonicatus existit de iurepatronatus nonnullorum familiæ de Puccis, quæ verba excludunt quòd illud sit merè hæreditarium.

5 Huiusmodi autem confessiones successiuè, & multiplicatè magis operantur. Bart. *in l.cùm scimus, in fin. C.de agric & censit.lib.*11.Felin.*in c.si cautio nu.* 39.*de fid.instrum.*Decian.*cons.*14.*nu.*44.& 45.*lib.*5.& contra eas requiritur concludentissima erroris probatio, vt post scribentes *in c.vlt. de confess. in l. non fatetur ff. eodem, & in l si per errorem ff. de iurisd.om. iud.*Siluan.*cons.*57.*nu.*27.& 28.& Decian.*d.consil.* 14. *num.*35.adeò vt ibi etiam verba fundationis,si de ea constaret,essent dubia,reciperent declarationem ab illis.Dec.*consil.*193.*nu.*6.*vers.& hoc multum confirmatur.*Menoch.*cons.*191.*n.*48.*lib.*2.& dixit Rota in causa Romana mensæ Numulariæ 30.Iulij 1614. coram R.P.D. Decano; sed quinimo quia non constat de fundatione contraria, videtur impossibilis huiusmodi erroris probatio. Ruin. *consil.*128.*num.*8 & 9. *lib.*2.

6 Et quamuis prædicta sufficerent ad excludendum iuspatronatus esse merè hæreditarium,ex abundanti tamen ostenditur illud esse vel familiare, vel mixtum ex pluribus. Primò,quia quatuor præsentationes, & consensus respectiuè continuatè de annis 1536.1537.1548.& 1570. quæ fuerunt effectum sortitæ, vt fuit in hac eadem causa sub die 11. Decembris præteriti coram me resolutum, omnes fuerunt in capita factæ,ideòque nedum repugnant naturæ iurispatronatus hæreditarij, sed quinimo ostendunt illud gentilitium.Bald. *in l.*2.*num.*4. *C. de suis & legitim.*cum aliis in Florentina iurispatronatus de Ricasulis 10.Martij 1603.coram Illustrissimo D.Cardinali Lancellotto.

7 Secundò,quia de anno 1536.& 1537.bis concurrerunt pater, & filius ad consentiendum prouisionibus Apostolicis ad fauorem Laurentij de Puccis,& Leonardi de Nasis, & quia de anno 1548. præstiterunt insimul consensum patruus, & nepos ad fauorem Antonij Petrei, ex quibus omnino excluditur qualitas hæreditaria, cùm patre viuente filius hæres eis esse non possit, nec aliquod ius sibi competat in beneficio iurispatronatus. Card. *in Clem.*2. *q.* 8.*de iurepatr.*Feder.de Sen. *consil.*111. *vers. sed contra.* Calder.*consil.*19.*in fin.*Verall.*decis.*363.*p.*2.& fuit dictum in allegata Florentin. sub die 10. Martij 1603. in qua etiam Rota resoluit ad istum effectum sufficere quòd ita semel fuerit obseruatum.

8 Nec est necesse quòd constet in effectuatione dictarum prouisionum habitam fuisse rationem consensus per filium præstiti, quia sufficit sola admissio filijfamilias ad præsentandum, & quia effectuatio subsequens non potest magis vnius, quàm alterius consensui attribui,sed ad omnes æqualiter est referenda, sicuti minus in admissione filiorum requiritur contradictio, quia attenditur sola obseruantia ex simplici vsu,& nudo facto collecta, prout dicere quòd filius tanquam hęres alicuius ex compatronis præsentauerit,est diuinare, prout in istis terminis fuit latissimè deductum in sæpe allegata Florentina 11.Febr.1604. *in vers. quibus sic stantibus, in vers.non obstant in contrarium adducta, & in vers.non obstat secundum.*

Allegata confessio in contrarium nihil obstat, quia desumitur ex quadam positione per Procuratorem non habentem speciale mandatum producta,quæ continet descendentes,& hæredes antecessores Antonij de Puccis præsentasse, ex qua non resultat quod iurispatronatus fuerit merè hæreditarium, sed mixtum, quia ponitur vtraque qualitas descendentiæ, & hæreditatis, vel saltem tanquam dubia,& æquiuoca nihil concludit.

Tertiò quia accedunt duæ assertiones Summi Pontificis de annis 1536.& 1537. in quibus dicitur Canonicatum esse de iurepatronatus descendentium Antonij de Puccis,& familiæ de Puccis,quæ quamuis non antiquæ,faciunt nihilominus qualem qualem probationem. Gabr.*de prob. conclus.*2. *num.*53.& non modicum coadiuuant supradictas probationes ad exclusionem qualitatis hæreditariæ, ex deductis in causa Mediolanen.Sacristiæ 26.Iunij 1602.coram Illustriss.bo.me.Card.Pamph.

Nec repugnat cons. Anchar. 81. ex aduerso allegatum.nam quamuis iuspatronatus pro descendentibus simpliciter reseruatum transeat finita descentia ad hæredes extraneos,& ita videatur esse hæreditarium:attamen ea durante nihil impedit, quin per omnia pro merè gentilitio reputari debeat.Cardin. Seraph.*decis.*364.& fuit latè deductum in dicta Florentina 10.Martij 1603.

Quartò, quia in supradictis quatuor prouisionibus semper habita fuit mentio familiæ, & descendentiæ,nunquam verò hæreditariæ qualitatis, adeò vt præsumendum sit quòd expresso, & proprio nomine,non autem hæreditario, quod in dubio non præsumitur, factæ fuerint, vt in his terminis considerauit Rota in dicta Florentina sub die 10. Martij, & 11. Februarij.

Quintò, quia ex statu centenario huius Canonicatus in alia decisione firmato apparet quòd nullus extraneus ab Antonio, aut fœmina consensit, nec præsentauit,quod arguit patronatum non fuisse hæreditarium, quia valdè inuerisimile videtur quòd spatio tanti temporis aliquis extraneus,aut fœmina in hæreditate aliquorum ex illis non successerit in familia, præsertim vt supponunt informantes pro Carduccio,numerosa.

Non obstat consensus vt prætenditur in stirpes præstitus resignationi ad fauorem Petri de Nasis de anno 1585. per assertum Procuratorem Laurentij, Roberti, Alexandri, Æmilij,& Ascanij de Puccis. Primò, quia non constat de aliquo mandato procuræ,& præsertim ad variandum modum præsentandi seruatum in præcedentibus vacationibus.Secundò, quia neque Procurator voluit consensum restringere potiùs in stirpes, quàm in capita, dum pro omni vero iure patronis competenti præstitit consensum, adeò vt potiùs præsumendum sit quòd voluerit modum præcedentem præsentandi per principaliter seruatum continuare, & ab illo non recedere, vel saltem per hunc actum æquiuocum, & dubium non

non potest elidi probatio clara status familiaritas latè suprà firmata, ex vulgaribus.

15 Vnde siue iuspatronatus sit merè gentilitium, siue mixtum, quia requirat vtramque qualitatem sanguinis, & hæreditatis, Octauia tanquam extranea non est capax, & consequenter gratia Carduccij non est iustificata. Et ita fuit vtraque parte informante conclusum, &c.

R.P.D. MANZANEDO.

Casalen. Canonicatus. 27. *Maij* 1616.

ARGVMENTVM.

Constitutio super incompatibilitate beneficiorum non comprehendit beneficium de iurepatronatus; & in hoc casu quæ probatio iurispatronatus requiratur.

SVMMARIVM.

*Constitutio generaliter loquens de beneficiis, non comprehendit beneficia de iurepatronatus laicorum, & hoc in materia incompatibilitatis, num.*1.

*Iurispatronatus probatio quando fit non contra ordinarium, & ab eo prouisum; sed ad excludendam subreptionem prætensam, non est ita exactè facienda iuxta formam Concilij Tridentini, sed sufficiunt minores probationes, maximè si probandum est incidenter, nu.*2.

*Beneficij vltimus status attenditur, maximè si prouisio facta fuerit per obitum, num.*3.

*Iuspatronatus probatur per enunciatiuam geminatam in statuto antiquo de fundatione facta, quia ex enunciatiua probatur fundatio, & ex fundatione infertur ad iuspatronatus. num.*4. *& 6.*

*Iuspatronatus acquiritur per solam fundationem, etiam si fundans illud expressè sibi non reseruauerit, nu.*4.

*Beneficij vltimus status probat solùm possessionem, non autem titulum, num.*5.

Iuspatronatus eo ipso præsumitur potius ex dotatione & fundatione, quam ex alia causa, maximè si de eo incidenter agitur.

DECISIO CCLXXXVIII.

1 Dvbitaui 4.Martij præteriti, an gratia Bonifacij esset subreptitia, ex eo quòd non fecerat mentionem constitutionis Iulij II. inducentis incompatibilitatem Canonicatuum cum Capellaniis Ecclesiæ Casalen. & quia dicta die informantes pro Antonio ad euitandam huiusmodi subreptionem replicabant, Capellaniam sanctæ Catharinæ, quam obtinebat Bonifacius, esse de iurepatronatus laicorum, & proinde non includi sub dicta constitutione.

Cùm enim loquatur generaliter de Capellaniis, non est intelligenda de ista iuspatronatus laicorum. gloss. *in verbo collatio in c.*2. *de præben. in* 6. Roch. de Curt. *de iurepatr. verbo honorificum, num.*19. Simonett. *de reseruat. q.*9. *per tot.* & addent. *ibi.* Rot. *decis.*304. *num.*1. *part.*2. Gabr. *de clausul. concl.*2. *n.*32. Mandos. *in reg.*1. *Cancell. q.*10. *à nu.*1. Ideo Domini dixerunt vt videretur, an constet istam Capellaniam esse de iurepatronatus laicorum ad effectum videndi, an comprehenderetur nec ne sub dicta constitutione, super quo dubio hodie proposito fuit affirmatiuè responsum.

Quia cùm non agatur de iurepatronatus contra ordinarium, nec prouisum ab eo, sed contra Sebastianum prouisum Apostolicum ad excludendum subreptionem ab eo prætensam, non requiritur illa exacta probatio à Concilio Tridentino desiderata, sed sufficiunt longè minores probationes. Cassador. *decis.*1. *num.*1. *de probat.* Caputaq. *decis.* 137. *num.*1. *&* 2. *part.*1. Gonzal. *super reg.*8. *gloss.*18. *num.*59. maximè quia agitur de illo probando incidenter. Rot. *decis.* 803. *num.*1 *part.*1. cum aliis relatis per Gonzales *vbi suprà num.*60.

In casu verò nostro adest vltimus status resultans ex quatuor præsentationibus & institutionibus ab anno 1561. de quarum effectuatione constat tum ex possessione subsecuta, tum etiam, quia fuerunt factæ per obitum alterius præsentati, iuxta consil. Oldrad.229. qui vltimus status semper in beneficialibus attenditur. Rot. *decis.*14. *de iurepatronatus in antiquis, & decis.*2. *nu.*2. *de præbendis in nouis.* Cæsar de Grass. *decis.*4. *de probationibus.* Seraphin. *decis.* 1120. *numer.* 2. 3

Iuncta præsertim geminata enunciatiua fundationis facta in statuto antiquo Ecclesiæ Casalen. ex qua infertur ad iuspatronatus; cùm ex fundatione acquiratur iuspatronatus, etiam quòd quis sibi expressè illud non reseruauerit. Roch. *de iurepatronatus, verbo Ecclesiam fundauit, num.* 12. Lambertin. *eod. tract. lib.*1. *part.*1. *artic.*4. *quæst.*2. *principalis num.* 12. Rot. *decis.* 5. *de iurepatronat. in antiq.* & d. Rot. *decis.*167. *num.*4. *part.*2. *diuersorum*, & fuit dictum in vna Triuertina monasterij 17. Decembris 1612. coram me. 4

Quibus non obstat quòd ad hoc vt possit dici dictam Capellaniam sub dicta constitutione non comprehendi, debent esse de iurepatronatus ex fundatione, vel dotatione, quod in casu nostro non probatur, cùm vltimus status solùm probet possessionem, non autem titulum ex dotatione & fundatione. 5

Quia vltra quòd titulus fundationis præsumitur ex dicta enunciatiua, iuxta superiùs adducta. Dicebatur sat esse ex dicto vltimo statu probari iuspatronatus, quia eo ipso præsumitur potiùs ex dotatione, & fundatione, quàm ex alia causa, *cap. querelam. de electione,* & ibi Abb. *num* 4. *circa finem, & in cons.*76. *ante numerum primum.* Cassad. *decis.*7. *num.*6. *&* 7. *de iurepatronatus.* Achil. *decis.* 7. *num.* 1. *eod. tit.* Rot. *decis.*792. *in fin. part.*1. Roch. *de iurepatronatus, verbo & construxit, in fin.* Put. *decis.*404. *lib.*2. Maximè quando de illo incidenter agitur, & non inter præsentatos, nec cum ordinario assistente pro libertate beneficij, ex superiùs adductis. Sed etiam admisso quòd constat de dicto iurepatronatus laicorum, aliqui ex Dominis dubitabant de effectu dubij, nempe an veniat comprehensum sub dicta constitutione Iulij II. ideo super isto effectu erunt iterum Domini mei consulendi, &c. 6

R. P. D. PIROVANO.

Romana repetitionis pecuniarum. Veneris 27. *Maij* 1616.

ARGVMENTVM.

Tertij periti electi relationi standum est, nisi doceatur de errore, qui concludenter per allegantem probari debet.

SVMMARIVM.

Euidentia facti eſt probatio de iure probata, & quæ nulla virtute poteſt excludi, neque per diſſenſum partis, num.1.

Diſſenſus non probatur per ſolam proteſtationem Procuratoris in contrarium, num.2.

Perito aſſerenti ſe ad inſtantiam partis electum creditur de mandato vti arbitro, donec aliud appareat, nu.3.

Peritus qui ſe refert ad menſuram aliorum, ſi ex menſura aliorum conuincitur quòd errauerit, ſtandum eſt menſuris relatis contra referentem, num.4.

Errorem qui allegat, imputat iudici & parti imperitiam, vel culpam, & ideo concludenter illum probare tenetur, num.5.

DECISIO CCLXXXIX.

CVm in reſolutione die 4. Martij præteriti, fuiſſet in creditum Io. Baptiſtæ firmata partita ſcutorum 1552. tanquam iuſtificata ex relatione tertij periti, adhuc contra relationem excipiebatur de inualiditate vti non ritè, & ſolemniter factam, de exceſſu contra peritum, tam in iudicando quantitatem operis, quæ ad eum non ſpectabat, quàm reſpectu menſuræ eiuſdem, & de errore quantitatis cæmentorum atque pretij eorumdem, & cauſa de nouo propoſita, fuit reſolutum ſtandum eſſe in deciſis.

Validitas enim videbatur ſufficienter iuſtificari, dum præceſſerant aliæ duæ æſtimationes, ſcilicet Bonacinæ pro parte hæredum bon. me. Cardinalis, & Iulij Peloſi, pro parte Ianuarij inter ſe diſcordes & exinde fuit in tertium peritum per iudicis decretum electus Io. Baptiſta Geroſa, ad æſtimandum materias in viridario exiſtentes, nempe pietre, calce, maſſiccio; tauolozze, pozzolana, & aliarum rerum, quæ in fabricam eiuſdem viridarij interuenerunt, qui peritus etiam ex ordine & reſcripto ſignaturæ iuſſus eſt ſuper vniuerſo opere referre, & ſuam relationem dedit in actis die 20. Iunij 1614. præcedente iudicis decreto, & die 31. Iulij idem iudex mandauit aperiri, vt in alia deciſione dictum fuit.

Non releuant reſponſiones datæ ad probandum quòd Cardinalis non conſenſit huic modo reddendi rationem, impugnando relationem Franciſconi tanquam extra fines ſuæ facultatis datæ per Procuratorem Cardinalis pro æſtimanda calce tantùm, neque vſus fuerit ea relatione.

1 Quia diſſenſus Cardinalis quatenus adeſſet non poteſt impedire probationem per euidentiam facti, tanquam de iure approbatam, & nulla vnquam virtute excluſam, vt ſcribit Azo. *in ſumma. C. ad l. Aquil.* quem refert Bald. *in l. contra negantem, in fine. eod. tit.* & latiſſimè confirmat Tiraq. *de retract. lignag.* §. 4. *gloſſ.1. num.37.*

2 Sed nihilominus diſſenſus etiam non probatur ex ſola proteſtatione Procuratoris, quæ non legitur cum taxatiua tantùm.

3 Et Franciſconus in proœmio ſuæ relationis aſſerit ſe electum pro parte Cardinalis, propter differentias della calce pozzolana & maſſiccij vertentes cum Ianuario, cui alio non apparente creditur, vti arbitro de mandato ſibi per Cardinalem dato. Bart. *in l. ne arbitris. C. eod. tit. & in l. ſi ſocietatem. §. arbitrorum. ff. pro ſocio.* Ruin. *conſ. 65. num. 7. verſ. ſecundò quia, vol. 5.*

Exceſſus pariter in iudicando quantitatem operis, ex ipſamet relatione ceſſare videbatur, quia tertius iſte peritus in principio ſuæ relationis non dicit ſimpliciter ſe vidiſſe quicquid mandante Ianuario factum fuit, quaſi velit ex ſuo capite determinare partitas operarum, ſed priùs ſe vidiſſe relationes peritorum ab vtraque parte electorum, & ſignanter Io. Baptiſtæ Bonacinæ electi per D. Octauium, & Iulij Piloſi electi per Ianuarium, & originales menſuras factas ſuper quantitate operis, vſque ſub die 9. Decembris 1610. & 13. Ianuarij 1611. in quibus diſtinctæ ſunt partitæ huius operis, & deinde ſubditur, itaut perpenſo omne id quod Ianuarius facere curauit, prout infrà dico, &c. Ideo cùm hodie extent menſuræ prædictæ, non poteſt imputari aliquis exceſſus reſpectu quantitatis operarum alio non probato per D. Octauium, dum ad relatas menſuras poteſt recurri pro habenda veritate, & quæ menſuræ fuerunt approbatæ per Franciſconum electum ab ipſomet Cardinali viuente in demetienda quantitate calcis, itaut ſi ſupponuntur cannæ murorum pro compenſanda quantitate calcis, qua ratione in eadem canna haberi non debet ratio petræ & maſſiccij & puteolanæ, cùm certum ſit abſque concurſu huius materiæ muros perfici non poſſe.

4 De ſecundo exceſſu reſpectu numeri cannarum operis, non videtur habenda ratio, quia etſi Franciſconus in ſua relatione dicat cannas eſſe 1259. alij verò duo periti Bonacina & Piloſus, & ex poſt tertius peritus, concordant in cannis 1525. & vlteriùs, quicquid dixerit Franciſconus, id omne per relationem ad menſuras Bonacinæ & Piloſi dixit, & tamen ex eis conuincitur numerus 1525. quibus ſtandum eſt contra referentem. Berett. *conſil. 130. num.5.*

De errore etiam in iudicando quantitatem cæmentorum non videbatur conſtare, quia tertius retulit pro ſuo iudicio & peritia, & in multis, nempe in quantitate petræ, maſſiccij, & tabulotiæ, quæ ſolent conſumi pro qualibet canna parietis, ſe conformat cum aliis peritis, nec fides architectorum & muratorum exhibitæ per D. Octauium, in quibus de minori quantitate concluditur, videntur probare errorem in tertio perito, quia vltrà quòd de ſe non probant tanquam extraiudiciales atteſtationes, poſſunt nihilominus conuenire cum præſenti relatione, in qua peritus reddit rationem, quare reſpectu calcis arbitratus fuerit pro qualibet canna, nempe quia parietes pro vna parte facti ſunt ad ſuſtinendum decurſum aquæ, pro quibus neceſſariò adhibenda erat huiuſmodi conſideratio, & etiam quia fabri cæmentarij præter laborem nihil de ſuo poſuerunt in opere conficiendo, quo caſu ſolent minus diligenter curare quod ad fabricæ dominum pertinet; ideo poſſibile eſt quòd in atteſtationibus dicitur vt in minori quantitate cæmentorum opus perficiatur, quando prædicta non concurrunt; ſed in illis terminis nos non verſamur.

Supereſt exceptio reſpectu erroris pretij eorundem cæmentorum, nempe quoad puteolanam, tabulotiam, petram, & maſſiccij, quorum ſingula pretia impugnantur.

5 Sed in primis eſt aduertendum quòd peritus aſſerit ſe retuliſſe pretia currentia, & communia, & qui excipit de errore, imputat iudici imperitiam & culpam, ideo error concludenter probandus eſt. Bart. *in l. ſi quis ex argentariis §. prætor. ff. de edend.* Surd. *conſ.*

conſ.39.nu.9.lib.1.& de hac concludenti probatione non videbatur Dominis conſtare.

Nam contra pretium puteolanæ bol.28.pro quolibet curru datur ſolummodo dictum cuiuſdam carretterij,aſſerentis omnem quantitatem per currus conductos ipſum eam vendidiſſe ad rationem bol.27.verùm eſt vnicus teſtis,& ſimul modica eſt ſumma illa decreſcens, quæ non videntur ſufficere ad tollendum iudicium periti in communi curſu fundatum; ſi verò deducatur ad conueniendum quantum re vera fuit per Ianuarium expenſum, & neque eo caſu concludit, quia non tota quantitas per currus fuit conducta,ſed per ſimarellos maior pars,quæ reducta ad quantitatem curruum excedebat bol.28. atque ita vtraque computata exceſſus non probatur,ſed conuenit, & ſe compatitur.

Error pariter in pretio tabulotiæ non probatur, quia, etſi ad minuendum pretium à perito arbitratum in bol. 25. pro qualibet, cùm detur depoſitio eiuſdem carrettarij aſſerentis ſe tanquam principalem carrettariũ conduxiſſe tres currus eius materiæ,& alios 30.vel 40.currus effoſſos ex templo pacis, & reliquam partem in ipſo viridario fuiſſe excauatam, & idem deponat alter teſtis; tamen nec coarctant negatiuam, remonendo ſenſum ab actu, quòd alia quantitas conduci non potuerit, quia ipſi ſciuiſſent, vel conduxiſſent, nec aſſerunt quod ſumptus in excauando potuerit eſſe minor bol.25. pro quolibet curru,prout neceſſarium erat concludere, cùm peritus habuerit rationem ad materiam in loco operis excauatam,aliàs arbitraſſet in rationem bol.39.aut 40.

Eadem probatio deficit, quoad petram, quia teſtes dati ſub *nu*.19.nihil concludunt,dum quantitatem in ipſo viridario exceſſam ignorant.

Demum quoad maſſiccia reſpectu pretij excauationis non eſt quæſtio,vel ſaltem minima,quia Piloſus qui antè retulerat pro Ianuario,præſupponit expenſum fuiſſe in excauatione bol.8.pro quolibet curru,& pro parte D.Octauij datur inſtrumentum conuentionis cum excauatoribus ſub die 1.Ianuarij 1610.qui ſe obligant pro vno caroleno,vnde difficultas reducitur ad expenſam in conducendo materiam excauatam ad viridarium, quam idem Piloſus determinat in quinque bol.pro quolibet curru, ſequutus aſſertionem eiuſdem Ianuarij, quòd tantum expenderit,& 3.peritus videtur amplexus eandem taxam. Pro parte autem hæredum Cardinalis prætenditur nullam habendam eſſe rationem,quia excauatores in eodem inſtrumento ſe obligant ad eximendum Cardinalem ab onere conducendi hanc materiam pro eodem pretio vnius caroleni, & vlteriùs ex teſtibus datis in ſummario *n*.20. probatur maſſiccia fuiſſe conducta cum curru, & equis D.Cardinalis,ſed non pro toto numero currum, & in hac parte DD.exiſtimarunt quidem relationem non eſſe erroneam, aut iniuſtam in determinatione pretij ſcut.5.pro conductione cuiuſlibet currus, ex quo non conſtabat perito, tempore ſuæ relationis de conuentione prædicta,ſed videndum de releuantia conuentionis, & cui incumbat onus probandi illius effectuationem,ex quo multa opponebantur,quę non fuerunt data in ſummariis. Et ita,&c.

R. P. D. MANZANEDO.

Fauentina Canonicatus.27. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Iuriſpatronatus qualitas ex tenore fundationis attenditur,& ſi eſt reſeruatus fauore agnationis,non admittitur hæres non agnatus.

SVMMARIVM.

Iuriſpatronatus qualitas potiſſimum ex tenore fundationis attendi ſolet.num.1.

Iuſpatronatus fauore agnationis conſtitutum à fundatore, non tranſit ad hæredes bonorum, quibus deeſt qualitas agnationis à fundatore requiſita,n.2.

Verba in diſpoſitione poſita, debent omninò ſeruari, & dant modum & formam rei, ita vt fruſtratoriè non ſint appoſita,nu.3.

Fiſcus vltimo loco, & in ſubſidium ſuccedit decedenti ſine hærede, & ſic nullus decedit ſine hærede, nu.4.

Hæres ſi addatur maſculus,non intelligitur de quocumque hærede,ſed de hærede ſanguinis tantùm, non de hærede bonorum,nu.5.

Maſculinitatis qualitas adiecta verbo hæres,*facit intelligi de hærede ſanguinis,non de hærede bonorum ibid.*

Hæredis appellatione propriè venit ſucceſſor ſanguinis, n.6.

Teſtamenti vna pars declarat aliam,& debet interpretari,itavt teſtator non videatur ſibi contrarius fuiſſe,nu.7.

Teſtator non præſumitur mutare voluntatem factam in alia diſpoſitione per generalem inſtitutionem hæredis,in qua de priore diſpoſitione mentionem non fecit,nu.8.

DECISIO CCXC.

DOmini in contumaciam alterius partis ſæpiùs citatæ, & renuentis informare, reſoluetunt juſpatronatus,de quo agitur,ſpectare ad agnatos & hæredes ſanguinis, non autem ad hæredes bonorum ex teſtamento.Et mouebantur ex tenore fundationis,qui potiſſimum in hac materia attendi ſolet.Bald.*in l.2.in princ.C.de in ius voc.* Lambertin.*de iurepatr.in 2.part.1.lib.2.art.2. quæſt.principalis n.*2.Barbat.*conſ.*33.*n.*8.*lib.*2. Peregrin.*conſ.*33.*num.*12. *lib.*1. 1

Fundator enim declarauit expreſsè ſe conſtituere hoc iuſpatronatus perpetuum ſuæ agnationis, vnde illud non poteſt hæredibus bonorum competere,cùm illis deſit qualitas agnationis requiſita à fundatore,ſine qua non poſſunt eſſe patroni. Lambertin. *vbi ſuprà* 8.*art.*2.*quæſt principalis nu.*1.Roch. *eod.tract.verbo ipſo num.*73. Gabr. *conſil.*196. *num.*4. *lib.*2. 2

Quod clariùs patet ex verbis ſubſequentibus,ibi, *hoc modo.videlicet quòd duo de recuperatis ſeniores,& in eorum defectum feminæ ſeniores de recuperatis,& in eorum defectum communitas Brixigheliæ præſentationem faciant,*&c.ex quibus verbis ſimul cum præcedentibus ſuprà relatis, non ſolùm elicitur qualitas agnationis deſiderata à fundatore,ſed etiam modus ab eo datus,& forma præſentandi aſſignata inter illos de agnatione ad text.*in l.hoc modo.ff.de condit.& demonſtr.l.etiam hoc modo.de legat.*1. *l.videlicet ff.de pact.l.videlibet,ex quib.cauſ.maior.* Dec.*conſ.*47.*nu.*2. Cephal.*conſ.*637.*n.*4.Surd.*dec.*161.*n.*8.nempè vt prius 3

veniant masculi, & deinde feminæ, & demum illis deficientibus communitas, quæ vltima vocatio fuisset frustratoria, si suprà essent vocati hæredes bonorum, & communitas in eorum defectum.

4 Talis enim casus nunquam euenire potuisset, cùm nemo decedat sine herede, quia saltem vltimo loco, & in subsidium succedit fiscus. *l.1. C. vnde vir, & vxor.* Lambertin. *vbi suprà 1. art. 2. quæst. principal. nu. 8.*

5 Quæ confirmantur ex litteris Apostolicis fel. record. Clementis VIII. & sententia executoris illarum, in quibus intuitu dotationis fundatori istius jurispatronatus, & aliis personis fuit reseruatum juspatronatus super diuersis Canonicatibus respectiuè, & post illorum mortem suis hæredibus & successoribus masculis, & deinde feminis, & illis deficientibus duobus maioribus natu de familia & parentela cuiusque eorum. Per quæ verba videtur Summum Pontificem sensisse de hæredibus sanguinis, non autem bonorum, præsertim ob qualitatem masculinitatis in illis desideratam. Alex. *cons. 105. num. 2. libro 1.* Ruin. *consil. 122. numero 2. & 5. vers. Nec obstat lib. 1.* Paris. *cons. 55. n. 1. vol. 1.* Dec. *in cap. in præsentiam n. 49. de probat.* Gabr. *de verb. signific. concl. 3. n. 1.* Mantic. *de conject. vltimar. volunt. lib. 8. tit. 14. nu. 15.* Peregr. *de fideicommiss. art. 32. n. 45.*

6 Quibus non obstant verba in principio fundationis apposita, ibi, *pro Canonico ab ipso siue hæredibus præsentando &c.* Nam vltra quòd prædicta verba vel repugnant hæredi, vel successori sanguinis, qui propriè etiam venit appellatione hæredis. *l. ex facto §. fin. ff. ad Trebell.* Socin. *cons. 249. num. 13. lib. 2.* Mantic. *vbi suprà n. 1.*

7 Dicebatur quòd cùm paulò pòst fundator declarauerit dd. præsentationes fieri debere ab hæredibus sanguinis, de illis censetur intellexisse in prædictis verbis, non autem de hæredibus bonorum, ne videatur statim & in paucis verbis eiusdem fundationis sibi contrarius, vna enim pars testamenti aliam declarat, vt in terminis notant Socin. *d. cons. 249. num. 14.* & Gabr. *de verbor. signif. conclus. 2. num. 17.*

8 Minus obstat quòd idem fundator postea fecerit testamentum, in quo hæredem vniuersalem instituit hospitale, & sic videatur mutasse voluntatem, & hoc juspatronatus illi reliquisse, quod tanquam fundator facere potuit. Quia aliis omissis respondebatur quòd cùm in dicto testamento nullam fecerit mentionem de tali jurepatronatus, non est verisimile voluisse in generali institutione illud includere, & præiudicare agnatis, quos priùs in fundatione à Papa confirmata vocauerat, ad trad. per Natt. *cons. 554. num. 1. & seq.* Siluan. *cons. 14. per totum.* Cephal. *cons. 715. num. 21.* Surd. *cons. 395. nu. 16. & seq.*

Et ita conclusum. &c.

R. P. D. VBALDO.

Bergomē. jurispatronatus. Veneris 27. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio præsentandi in jurepatronatus acquiritur per binas præsentationes: ille autem præsentatus instituendus est, qui à maiori parte Procuratorum præsentatus reperitur, & data paritate præsentantium præfertur qui magis qualificatus est, vtputa de patronorum familia.

SVMMARIVM.

Quasi possessio præsentandi probat iuspatronatus, nu. 1. & 2. vbi etiam quòd sufficiunt duæ præsentationes effectuatæ.

Præsentatio maioris partis patronorum præferenda est præsentationi minoris partis eorum, nu. 1.

Patronus beneficij potest etiam præsentare se ipsum, & facit numerum, n. 2.

Patronorum præsentantium numerus quando hinc inde æqualis est, præferendus est præsentatus ille, qui magis qualificatus sit, vtputa de familia patronorum, n. 4.

DECISIO CCXCI.

Fuit tentum pro Ludouico informante, videlicet ipsum esse instituendum ad beneficium de quo agitur, tanquam præsentatum à maiori parte patronorum existentium in quasi possessione præsentandi, quæ quasi possessio attenditur. *c. consultationibus, c. ex litteris, de iurepatronat. cap. querelam, de electione.* cum aliis per Menoch. *cons. 90. n. 118. & seqq. lib. 1.* sicut etiam præsentatio maioris partis est attendenda. *c. si cui, de elect. in 6. l. quod maior. ff. ad municip. c. quoniam.* vbi Doct. *de iurepatronatus.* Rota *decis. 117. n. 1. part. 2. diuersorum.*

Quod autem Ludouicus fuerit præsentatus à maiori parte, deducitur, quia ex 17. patronis existentibus in quasi possessione præsentandi, vt probatur ex duabus præcedentibus præsentationibus effectum sortitis, & fuit firmatum in decisione in hac causa facta 26. Iunij præteriti, constat decem, vel ad summum vndecim præsentasse in hac vltima vacatione, de qua agitur, ex quibus quinque præsentarunt Ludouicum, qui & ipse erat vnus ex patronis existens in quasi possessione, & accedendo præsentationi de se factæ potuit augere numerum, iuxta doctr. Abb. *in l. cùm in iure sub nu. 5. de electio. & cons. 25. nu. 3. part. 2.* cum aliis allegatis in dicta decisione, quibus addi potest Berous *cons. 5. sub nu. 30. versic. 2. respondeo, lib. 1.* Nauarr. *cons. 6. sub nu. 5. de electio.* vbi dicit doctr. Abb. communiter approbari, & alij etiam adduntur per informantes. Vnde admisso etiam, quòd Paulus haberet quinque voces ex dictis vndecim, tamen Ludouicus esset præferendus, ex supradictis.

Verùm dubitari etiam potest ne Paulus habeat plures quàm quatuor, cùm Alexander qui fuit vnus ex præsentantibus Paulum, non sit certum quòd fuerit in quasi possessione præsentandi: nam licèt Ioannes eius patruus aliàs præsentauerit nomine suo, & nepotis, tamen cùm haberet etiam alios nepotes, non constat quem constituerit in quasi possessione præsentandi. *l. duo sunt Titij. de test. tut.* & fuit consideratum in prædicta decisione.

Vltimò considerabatur quòd etiam stante paritate vocum Ludouicus esset præferendus in institutione tanquam magis qualificatus, cùm ipse sit de familia patronorum, non autem Paulus. Lambert. *de iurepatr. 1. part. 2. lib. 7. q. princip. art. vlt. nu. 15.* Ferrett. *cons. 131. n. 4.* & fuit dictum in causa Foroliuien. sancti Mercurialis 10. Iunij 1587. coram Bubalo, & ætate senior & sacerdos, quæ qualitates suffragantur

gantur vt sit locus gratificationi Rolan. *consf.47.nu.70.& 74.libro 2.* Ferret. *consf.211.num.8.versic.ex alio etiam,& seqq.* Rota in dicta Foroliuien.coram Bubalo.

Et ita fuit decisum,&c.

R. P. D. SACRATO.

Romana computorum. Veneris 27. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

De Procuratore generaliter ad exigendum constituto, quòd non possit exigere indebitum, seu aliquid aliud agere, quod faciat incidere constituentem in delictum, & in dubio Procurator numquid actum gerere præsumatur potius procuratorio nomine, quàm proprio, & quòd qui dicit indebitè quid solutum fuisse, debet probare, & solutionem, & illam indebitè factam fuisse.

SVMMARIVM.

Indebitè solutum qui dicit probare tenetur, & solutionem, & quod solutio fuerit indebita, n.1.

Creditor exigens indebitum, tenetur crimine stellionatus, n.2.

Mandatum generale non extenditur ad facultatem delinquendi, n.2. & 5.

Publica vox, & fama, non prodest quando materia est recens. n.4.

Procuratorem constituens non tenetur de gestis à suo Procuratore, nisi in quantum petiit procuratorio nomine, n.3.

Contractus simpliciter factus à Procuratore præsumitur factus vigore præcedentis mandati, declara, vt num.4.

Procurator nunquid censetur facere actum potius procuratorio nomine, quàm proprio, ibid. & seq.

DECISIO CCXCII.

1 Dubitaui an vltra summas confessatas per mercatores constaret ipsos ex fructibus beneficiorum D. Innici habuisse aliam summam, & quam, in casu, & ad effectum de quo agitur? Et Domini negatiuè responderunt; præmittendo quòd effectus dubij erat, vt dictus D. Innicus prædictam summam iam confessatam tanquam plus debito exactam posset recuperare à mercatoribus, ex quo duo resultant.

Primum quòd D. Innicus tanquam habens contra præsumptionem, de qua *in l. cùm indebito ff. de probat.* tenetur plenè & concludenter prædictam exactionem probare. Alexand. *consf.83. in princ. lib.1. consf.94. ante n.4.* Optimè Rota Ianuen. *decis.5. nu.5.* & tenuit Rota in Romana lignorum 8. Martij, & 1. Decembris 1602. coram Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto.

2 Secundum est quòd cùm prædicta exactio indebiti includat crimen stellionatus. Bart. *in l. si fideiussor. §. in omnibus nu.1 ff. mandati,* non sufficit probare quòd quidam Io. Garzia Procurator mercatorum exegerit fructus beneficiorum D. Innici vltra summam debitã mercatoribus, nisi probetur, vel quòd mercatores in specie dederint mandatum ad exigendum vltra summam debitam, vel quòd illud quod fuit exactum vltra summam debitam, fuit cõsignatum eisdem mercatoribus. Mandatum enim generale ad exigendum non includit exactionem indebiti, cùm hoc sonet in delictum, iuxt. Bart. suprà allegatum: & in generali mandato non venit facultas delinquendi. Bald. *consf.98. n.8. versf. illud est certum lib.1. & in consf.383. n.5. versic. illud est certum li.5.* Horum autem neutrum, nempe vel quòd mercatores dederint Io. Garziæ mandatum ad exigendum vltra debitum, vel quòd ipsi ab eo receperint summam vltra debitum exactum non probatur in facto.

3 Vlteriùs dum Io. Garzias exegit fructus beneficij D. Innici post annum 1593. qui fructus sunt illi qui modò repetuntur à mercatoribus tanquam indebiti, non probatur quòd hoc fecerit nomine mercatorum: testes enim super hoc dati pro parte D. Innici, deponunt tantùm de publica voce & fama, quæ non prodest quando materia est recens. Cassad. *dec. 1. num.2. de probat.* cum aliis relatis per Viuium *opin. 274. n.1.* & per Mascard. *conclus.753. à n.1. vsque ad 7.* Confessio autem ipsiusmet Ioan. Garziæ loquitur de anno 1593. de quo non controuertitur mercatores exegisse, sed hoc fuit computatum in summam debitam, ex prædictis, quod non appareat Ioan. Garziam exegisse post annum 1593. nomine mercatorum, sequitur ipsos non teneri, quia Dominus non tenetur de gestis à suo Procuratore, nisi in quantum fecit procuratorio nomine. Ancharan. *consil.28. num.5. versic. Ita.* Socin. senior. *consil.154. lib.2.*

Non obstat quòd contractus etiam simpliciter factus præsumatur factus vigore mandati præcedentis, ex cumulatis per Menoch. *lib.3. præsumpt.94. num.1. cum plurib. seqq.* quia dupliciter fuit responsum. Primò hoc procedere respectu ipsius mandantis, cui non potest mandatarius negare se condixisse procuratorio nomine, quia esset allegare propriam turpitudinem, hoc est, fallentiam fidei, vt post Bald. & alios considerat Menoch. *vbi suprà vers. & huius sententiæ ratio est:* Secus quoad alios, qui non dederunt mandatum. Menoch. *vbi suprà nu.16. cum pluribus seqq.* 4

5 Secundò cessat difficultas ex suprà firmatis, quòd scilicet mandatum mercatorum non extenderetur ad summas exactas per Ioannem Garziam post annum 1593. tanquam indebitas ipsis mandantibus. Cessante verò mandato, cessat quod summæ simpliciter exactæ per Ioannem Garziam possint dici vigore mandati præcedentis, & applicantur dicta per Menoch. *vbi suprà nu.38.* quòd actus simpliciter factus per Procuratorem, non censetur factus procuratorio nomine, quando ex hoc Dominus videretur in delictum.

6 Et prædicta eo faciliùs visa fuerunt admittenda, quia ex deductis pro parte mercatorum apparet post annum 1593. fuisse ad instantiam creditorum D. Innici ab A.C. deputatum exactorem fructuum beneficiorum D. Innici quendam Garziam de la Mota, cuius nomine, & auctoritate potest esse quòd exegerit dictus Ioannes Garzias, quod etiam satis explicitè deponit septimus testis quoad nonnullos annos. Vnde quòd talis exactio fuerit facta ad vtilitatem mercatorum vndequaque redditur dubium, & æquiuocum, & proinde prodest D. Innico, qui debet clare probare ex suprà allegatis.

maximè contra mercatores communiter tentos pro bonis & legalibus.

R. P. D. VBALDO.

Romana pecuniaria. Lunæ 30. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Agens ex contractu conditionali quid probare debeat.

SVMMARIVM.

Conditio debet probari adimpleta, vt quis agere possit ex contractu conditionali, nu. 1.

Implementi exceptio impedit executionem obligationis Cameralis, ibid.

Verba in euento che, & in tal caso, *sunt conditionalia, nu.* 2.

Conditio donec impleatur, impedit ortum obligationis, ibid.

Actio est filia obligationis, ibid.

DECISIO CCXCIII.

1 VErba instrumenti quòd D. Dux promisit soluere D. Tiberio Carretto scuta 1511. visa sunt Dominis adeò clara vt proposito dubio, an esset contra D. Ducem relaxandum mandatum vigore dicti instrumenti. provt à Carretto prætendebatur, vnanimes tenuerint negatiuam sententiam; verba enim hæc sũt, *Il Signor Duca promette pagare subito*, &c. *ogni volta che riceua tal vtile, ò cõmodo dal d. Carretto nella causa Veneta donationis contra Antonio de Domo, che non habbia detto Antonio la confirmatione del mandato ottenuto.* Et deinceps adijcitur, *Et questo con ragioni trouate dal Signor Tiberio, non de dette fin qui, ò non citate nelle Decisioni à difesa di detta Donna Maria*, &c. vnde cùm obligatio D. Ducis siue sit modalis, siue conditionalis, sit sine dubio correspectiua ad subministrationem iurium per Carrettum promissam cum illa qualitate, vt sint noua, nec antea deducta per Agentes D. Mariæ, & vt illis mediantibus, mandatum in eadem causa relaxatum nõ confirmetur, debet Carrettus docere, se hæc adimpleuisse ex parte sua, vt possit agere ex tali contractu. *l. Iulianus, §. offerri, ff. de act. empt.* Aym. *cons.* 151. *n.* 10. & stante huiusmodi exceptione non implementi, impeditur executio etiam obligationis Cameralis, vt fuit dictum in causa Romana pretij vineę 27. Iunij 1600. coram Reu. Lugdunen. & aliàs sæpè.

2 Quòd autem Carrettus non impleuerit, deducebatur, tum quia fuit factum decretum de exequendo mandato aliàs relaxato pro summa scut. 1800. dimissa tantùm in suspenso summa scutor. 1000. citra præiudicium iurium partium; tum quia fuit obtenta alia resolutio pro Antonio de exequendo contra loca Montis fidei detenta per Dominam Lucretiam matrem D. Mariæ; vltra quod controuertebatur in facto, quòd motiua excitata per Carrettum essent noua, nec ante adducta, immò contrarium apparet ex nonnullis testibus, & actis datis pro parte D. Ducis; & demum videbantur tollere difficultatem alia verba dicti instrumenti ibi; *Et in euento che il detto Carretti ritardi l'essecutione di dette decisioni, & in tutto le facci riuocare, in tal caso vuol' esser obligato come s'obliga in forma Camera*, &c. quæ verba, *in euento che*, &c. & *in tal caso*, absque dubio videntur conditionalia, & sunt etiam adiecta substantiæ obligationis D. Ducis, ibi, *vuol' esser obligato, & s'obliga*, &c. ideoque impediunt ortum obligationis, & consequenter actionis, quę est filia obligationis. *l. licet. §. ea obligatio. ff. de procur.* & not. *in l. item quia §. fin. ff. de pact.*

Et adhuc clariùs idem ostendunt verba illa, *Non volendo che in caso che non s'ottenesse la riuocatione di dette decisioni che le cose narrate qui prediachino ad alcuno, mà che siano conosciute, & vedute tutte da confidenti*; & ideo non videtur factus locus obligationi D. Ducis, siue præteritæ conditiones defecerint, siue pendeant.

Non obstat quòd Carrettus sit creditor eiusdem summæ ratione salarij; quia quidquid sit de hoc, id est extra dubium, in quo strictè agitur de obligatione D. Dncis; prætensio autem salarij est contra D. Mariam eius vxorem, tanquam patris hæredem, super qua pendet causa in Rota coram R. P. D. meo Dunozet.

Et ita fuit decisum.

R. P. D. VBALDO.

Neapolitana census. Mercurij 1. Iunij 1616.

DECISIO CCXCIV.

Impressa est apud Cenc. de censib. decis. 225. *& penes Duard. eod. tract. decis.* 225.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. fideicommissi de Cattaneis. 1. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Emphyteusis ad certam lineam alienari non potest, etiam de licentia Domini directi in præiudicium vocatorum, & mortuo alienante, vocati recuperabunt bona, n. 1. *vide n.* 2. *&* 3.

Inuestitura emphyteutica, aut est pro se, & suis hæredibus legitimè descendentibus, cum facultate alienandi negatiuè concepta: aut est pro se, & quibus dederit, hoc modo comprehendit extraneos in stipulatione: priori modo non comprehendit, & licentia domini recipit interpretationem, vt ibi nu. 3.

Emphyteusis etiam Ecclesiastica venit in generali obligatione de euictione, & sic remanet obligata, & hypothecata, n. 4. *declara vt nu.* 5.

DECISIO CCXCV.

IN præcedenti resolutione diei 4. Martij præsentis anni, magis placebat Dominis in terminis de quibus agitur opinio Baldi *in cons.* 452. *lib.* 5. *num.* 5. & Alexand. *cons.* 176. *nu.* 2. *lib.* 4. & aliorum qui Bald. & Alex. sequuti sunt, quam Ruin. *in cons.* 165. *num.* 10. *& cons.* 213. *nu.* 7. *vol.* 1. & Anchar. *cons.* 125. *num.* 4. Laderch. *lib.* 2. *cons.* 1. *nu.* 15. & aliorum, qui pro ea parte afferebantur.

Hodie causa reproposita in eadem sententia Domini

mini permanserunt, & quia pro parte eorum de Leonibus multæ rationes & Doctorum auctoritates cumulatæ fuerunt, ad ostendendum, quòd attenta licentia alienandi in eademmet inuestitura de voluntate domini apposita bona emphyteutica poterant validè alienari durante linea, etiam in præiudicium vocatorum.

Aduerterunt in primis ad singulos auctores, quia non omnes quæstionem in his terminis attingunt, sed tantùm Gozadin. *cons.25.num.19.* Tob. Non. *cons.6.num.3.* Ruin. *cons.165.num.10.& cons.213.nu.7.lib.2.* Peregr. *cons.31.num.1 lib.1.* Cæteri verò, vt videre licet ex informationibus datis, examinant alias quæstiones, nempe quando non obstante licentia alienandi data in inuestitura teneatur emphyteuta, nihilominus in alienatione requirere licentiam domini, qui casus non pertinet ad terminos nostros, quia ex pacto tenentur inuestiti petere licentiam, vel quando inuestituræ fuerunt concessæ cum clausula, & quibus dederit, vel æquipollentibus dictæ clausulæ, provt est clausula, ad habendum, &c. vel, pro quibuscumque hæredibus; vel pro quibuscunque masculis, & similes clausulæ in inuestitura non leguntur, vel demum quando finita linea contenditur inter Ecclesiam & successores vniuersales, vel singulares, an bona sint deuoluta, qui casus nondum euenit, cùm hodie agatur inter comprehensos & singulares successores.

3 Et si dicatur cum Laderchio *cons.1.num.15.* nihil interesse quòd licentia data sit vno, vel alio modo, cùm semper id expresse actum sit inter partes, vt Ecclesia requisita alienare possit, multum tamen referre visum est si recipiatur inuestitura pro se, & suis hæredibus ex eo legitimè descendentibus, nec non nomine, & vice fratrum suorum, adiecta deinde facultate alienandi modo negatiuò concepta, vt non liceat alienare, nisi certa forma seruata, aut recipiatur pro se, & quibus dederit, vel cum clausulis æquipollentibus, in hoc enim posteriori casu non videtur posse glossari à iure, quin extranei sint comprehensi in stipulatione, vt animaduertit Aldobrad. *cons.35.num.33.* ex sententia Calcan. *cons.51.nu.8. vers. non obstat dictum Angeli.* In primo verò casu verba clausulæ non includunt per stipulationem illum, in quem fit alienatio, ideo licentia recipit interpretationem vel à iure, quod admittit vt mortuo alienante, alij ad quos ea res reditura erat, possint illam vendicare. *cap.1.de feud. Marchiæ cap.1.de grad. success. in feud. c.1. de alienand. feud. patern.* Alex. *in alleg. cons.106.num.1.lib.4.* vel dubia remanet propter effectus in alia decisione enumeratos, ad quos potest referri, & alter redditur vt finita linea, alienatio sustineatur in præiudicium domini, aliàs bona deuoluerentur ad Ecclesiam etiam interpellatam si emere voluerit propter ius datoris, quod extinguitur cum ipsa linea. *l. lex vectigalis. ff. de pignor. l. peto. §. prædium. ff. de leg.2.* gloss. *in cap.1. de alienat. feud. patron.* & eo casu dicit Alexand. *in d. cons.106. num.2.* quòd licentia non fortificat ius alienantium plus quàm si non esset adposita, quia satis est vt operetur aliquem effectum, absque eo quòd deroget pacto claro in fauorem comprehensorum firmato.

Secundò principaliter fuit ponderata ratio ab eisdem posita, vt scilicet ex licentia alienandi non inducatur, neque incontinenti correctio, neque repugnantia eo modo quo possunt concurrere fideicommissum & facultas alienandi, & eo casu ex vi permissæ alienationis in contractu descendentes sunt vocati sub tacita conditione, si non sequatur alienatio, quæ ratio vltra quòd præsupponit licentiam omnino præiudicialem vocatis, & in præsenti dubitatur in quem casum debeat referri ad omnes, & consequenter etiam ad præiudicium vocatorum, vel ad alios, omisso eorum præiudicio, nihilominus conuenit casui de quo agitur, quia bona non fuerunt alienata, provt etiam in alia decisione fuit consideratum inhærendo opinioni Baldi, & Alexandri.

Nec obstat quòd etsi bona non sint alienata, fuerunt tamen obligata, & hypothecata pro euictione ex generali obligatione, quæ legitur in inuestitura, in qua venit etiam emphyteusis Ecclesiastica. Rot. *decis.426. num.6. part.1. diuers.* Card. Seraphin. *decis.1290. num.4.* & potuisse obligari ex eadem facultate alienandi dicebatur ea resolutione in Romana domus de Crescentiis 4. Februarij 1605. coram R.P.D. Litta. 4

Quia fuit responsum, quo ad obligationem tenere quidem in præiudicium obligantis, & iure illius durante, & eorum qui tenentur seruare factum illius; secus verò eo mortuo quoad præiudicium vocatorum. *l. lex vectigalis. ff. de pignorib.* & latissimè comprobat Aldobrand. *cons.35. nu.22. & seqq.* Quo verò ad facultatem obligandi, eam non contineri in inuestitura, sed bene prohibitionem expressam, & vltimus si in facultate vendendi comprehenderetur licentia obligandi & hypothecandi, non etiam constat quòd illa fuerit petita & obtenta, provt necessarium est pro obseruatione pacti. 5

Et ex prædictis patet rationes vel non concludere, vel conuenire cum casu de quo agitur, & authoritates non præponderare aduersùs Bald. & Alexandr. & alios pro contraria opinione allegatos, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana vineæ, seu Saluiani interdicti.
1. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Confessio dotis receptæ facta à viro, probat veram numerationem, & præiudicat tertio, si præcessit promissio dotis.

SVMMARIVM.

Probatio per instrumentum publicum dicitur veritas apparens & probatio probata, nu.1.

Libri officialis publici ratione publici officij plenam fidem merentur, quia & vili nuncio creditur in pertinentibus ad suum officium, multo magis huiusmodi libris, n.2.

Confessio de dote recepta facta à marito, etiam in testamento probat in præiudicium tertij, stante promissione antecedenti dotis, & redditur verisimilis, & probat veram numerationem, num.3. & 4. declara de promissione facta ipsi viro, non alteri, vel & vxori, num.6.

Quantitate promissa viro, etiamsi soluenda sit non mobilibus pro acconcio, seu alij æstimandis, quia per æstimationem transeunt in dominium, viri in euen-

tum restitutionis, debet restitui quantitas, n.4.& 5.

Pretium confessatum præsumitur esse iustum & condignum vero valori, licet de æstimatione non constet, n.5.

Donatio inter virum, & vxorem constante matrimonio iure improbatur, & ideo confessio viri de recepto sonat in dationem, si est non præcedente obligatione ad sui fauorem, n.6.

DECISIO CCXCVI.

VIsum est Dominis constare de constitutione dotis Olympię, & solutione, & esse præfigendum terminum hæredibus Petri ad liquidandum melioramenta, reseruando in alia disputatione, determinationem super effectu dubij.

Ex instrumento enim quod datur sub die 3. Decembris 1578. legitur fuisse conuentum inter prædictam Olympiam & Bartholomæum de matrimonio contrahendo, & per Vincentiam Olympiæ matrem fuisse promissam eidem Bartholomæo dotem in summa scutorum 1000. computatis scutis ducentis in tot bonis pro acconcio, & vltra prædicta eadem Vincentia promisit donare Olympiæ filiæ suæ post sequutum matrimonium, & in tempore sibi bene viso scuta 300. in tot jocalibus, & pro assecuratione dotis idem Bartholomæus obligauit & hypothecauit omnia bona, & in specie vineam tunc ab eo possessam, & cum obligatione Camerali.

1 Quæ omnia non indigent alia discussione, aut disceptatione, cùm pendeant ab instrumento, quæ veritas dici solet apparens, & probatio probata, *cap. cùm Ioannes. vers. ad hoc autem. de fid. instrum.* & latè firmauit Tiraq. *de retract. lignag. §.1. gloss. 1. n. 20.*

2 De solutione etiam visum est constare, quia respectu scutorum 800. apparent soluti in quinque locis montium fidei, vt ex partita librorum montis quæ datur extracta per Secretarium, quibus libris vti de publico tentis & confectis ab officiali ratione publici officij solet dari plena fides. Bartol. *in l. quædam. §. numularios, in fine. ff. de edend.* Crauett. *de antiq. temp. in sect. quartò limitatur, nu. 62. & 65.* dicit, si creditur vlli nuncio in pertinentibus ad eius officium, multo magis credi debet libro talis officialis. Bec. qui loquitur in libris magistratus Thesaurarij, & aliorum *in cons. 5. nu. 2. & 3.*

3 Et vlteriùs iustificatur ex confessione eiusdem Bartholomæi in testamento, cum quo decessit, quæ in præiudicium tertij benè probat, attenta promissione dotis antecedenti, & in iisdem quinque locis montis prædicti, per quam confessio redditur verisimilis, & tertio nocet tanquam probans veram numerationem. Socin. senior *in l. 1. num. 78. & 95. solut. matrim.* Didac. *variar. resolut. libro 1. cap. 7. numero 6.* Osasch. *decis. 172. num. 11.* Bec. *cons. 51. num. 10.* Surd. *decis. 55. n. 5. & 6.* & hoc ipsum fuit firmatum in causa Vrbeuetana dotis 7. Iunij 1600. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Bononien.

4 Similiter dicebatur constare de solutione scutorum 200. pro residuo dotis promissæ ex simili confessione eiusdem Bartholomæi in testamento emanata, quia ante fuerunt in dotali instrumento promissa in tot mobilibus pro acconcio. Nec refert quòd data sint mobilia, quæ vsu consumuntur & verisimiliter consumpta videantur ab anno 1578. vsque ad annum 1615. de quo tempore decessit Bartholomæus, quia promissio incipit à quantitate scutorum 200. pro acconcio, quamuis in solutione detur aliud pro alio ex conuentione, nempe mobilia æstimanda per peritum, quod licere videtur, & per æstimationem transeunt in dominium mariti, cuius periculo consumantur. Bald. *in l. ex conuentione, numero 1. versic. 3. Cod. de pact.* Afflict. *decis. 270. numero 2.* Seraph. *decis. 207.* Bec. *consil. 42. num. 9. & 10.*

Et verè pretium debetur, quia vera dos in ea parte est in pretio, non autem in mobilibus, vt dicit Bald. *in l. quoties. num. 9. Cod. de jure dotium.* & licet de æstimatione mobilium verè non constet, tamen quia in præsenti præcessit promissio scutorum 200. pro residuo dotis in tot bonis mobilibus pro acconcio, & Bartholomæus fassus est in testamento scuta 200. de mobilibus, non autem mobilia, inde præsumitur pretium confessatum iustum & condignum vero valori. Bald. *in dict. l. ex conuentione, de pactis.* & fuit in his terminis firmatum in causa Romana dotis 9. Decembris 1613. coram R.P.D. Vbaldo.

Quo verò ad alia scuta 300. promissa pro iocalibus, visum est non constare de solutione, quia sola mariti confessio in præiudicium creditorum non sufficit ad probationem veræ numerationis, non præcedente aliqua promissione, vt suprà dictum est, quæ promissio hîc non legitur facta Bartholomæo, sed Olympiæ filiæ; ideo talis confessio constante matrimonio magis videtur inferre ad donationem, quàm ad veritatem numerationis; quæ donatio regulariter inter coniuges, stante matrimonio improbatur. Bart. *in l. 2. §. creditum, numero 5. ff. si cert. pet.* & latè fuit firmatum in causa Ferrarien. dotis 4. Martij 1615. coram R.P.D. Buratto, & ita fuit resolutum.

R. P. D. VBALDO.

Romana censui. Mercurij 1. Iunij 1616.

DECISIO CCXCVII.

Impressa est post Cenc. de censib. decis. 35. & post Duard. eod. tract. decis. 35.

R. P. D. VEROSPIO.

Terracinen. paludum. Mercurij 1. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Plures insimul obligati in contractu locationis, an, & quando censeantur obligati in solidum, an pro rata, & de nouatione quando censeatur inducta per decretum, & sententiam judicis.

SVMMARIVM.

Obligati in solidum non censentur obligati pro rata, nu. 1.

Nouatio in dubio non censetur facta per sententiam, n. 2. & 3. vbi vide.

Nouatio non censetur facta per actum compatibilem num. 3.

Obligatio plurium personarum in dubio intellitur pro rata, & non in solidum, n. 4.

Socij plures obligati nunquid in solidum obligati censeantur, n. 5.

Clau-

Clausula in solidum, quando inducat obligationem in solidum quoad omnes obligatos, n.6.
Verba impropria interpretanda sunt ad euitandum contrarietatem, & correctionem in continenti, ibid.

DECISIO CCXCVIII.

1 DVbitaui, an mandatum contra Bonificatores paludum pontinarum relaxatum sit contra eos in solidum, vel pro rata vniuscuiusque mandandum executioni? Et Rota censuit, in solidum executionem esse faciendam contra Ioannem, & Annibalem de Liliis, vel eorum hæredes Gasparem Garzonium, & Marcum Antonium incasatum in locatione tenutarum Plani, & Cartariæ nominatos. Constat enim ex instrumentis productis, illos pro contentorum in eis obseruatione, se in solidum obligasse, quæ dictio *in solidum*, non potest intelligi pro rata solummodo portionum, pro quibus ipsi fuerunt in socios assumpti, vt fuit dictum in Romana mutui 16. Nouembris 1601. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Romana casalis Palazetti 16. Decembris 1587. coram Robusterio.

2 Non obstat horum obligationem fuisse nouatam per sententiam bon. me. Cardinalis Plati. nam vltra quòd in dubio nouatio facta non censetur, *l. fin.* vbi DD. *Cod. de nouat. §. præterea. Instit. quibus mod. toll. oblig.* Gabr. *tit. de nouat. conclus. 1. n. 1.* Cùm tamen in sententia declararetur, Bonificatores pro tenuta Plani à locatione recedere potuisse, non autem pro tenuta Carrariæ, pro qua illi fuerunt ad solutionem condemnati, respectu huius tenutæ nullo modo fuit aliquid innouatum.

3 Nec valet dicere, nouationem saltem inductam esse per iudicis liquidationem, & mandatum, citatis omnibus Bonificatoribus relaxatum, quia cùm liquidatio, & generalis citatio solùm emanauerit, vt omnes debitores afficeret, dici non potest à priori obligatione in solidum facta recessum, cùm hæc inuicem sint compatibilia. Menoch. *cons. 331. num. 31.* Alexan. *cons. 139. num. 3. lib. 6.* Surd. *decis. 71. & cons. 202.*

4 Quo verò ad non nominatos in locatione, Domini voluerunt eos pro ipsorum tantùm rata posse conueniri, cùm regulariter plures obligati pro sua tantùm rata obligati censeantur. *l. reos. §. cùm in tabulis. ff. de duobus reis. & l. 1. Cod. si plures vna sentent.* cum aliis per Surd. *cons. 150. num. 34. & seq.* Rota Ianuen. *decis. 14. n. 67.*

5 Non obstat, Ascanium principalem conductorem pro se, & sociis cum obligatione in solidum fuisse stipulatum, & socios omnia per illum promissa ratificasse, vnde omnes tanquam socij videantur in solidum posse conueniri, ex allegat. in Lauretana grani 21. Iunij 1610. coram R.P.D. meo Pirouano. Omissa enim disputatione, an simus in terminis societatis, vel potiùs locationis, respondetur ex ratificationũ instrumentis satis apertè cõstare, Bonificatores pro suis tantũmodo ratis obligari voluisse, & sic dato etiam quòd in terminis societatis versaremur, non tamen in solidũ illi conueniri possent, cùm à conuentione contractus legem accipiant, *l. contractus. ff. de reg. iur. l. 1. §. si conuenerit. ff. depos.*

6 Nec releuat, dictos Bonificatores in vim clausulæ *in solidum*, in instrumento ratificationis positę, censeri etiam in solidum obligatos, quia cùm appareat, ipsos pro sua tantùm rata teneri voluisse, clausula *in solidum*, pro ipsorum ratis debet intelligi. *l. ad ea. §. in contractu. ff. de regul. iur.* Specul. *de empt. & vend. §. 1. num. 18. vers. item nota.* Alciat. *de verb. signific. lib. 4. in fine.* & licèt hæc impropria videatur interpretatio, ad euitandam nihilominus contrarietatem, & ne in continenti correctio inducatur, venit admittenda gloss. *in l. si idem. § fin. ff. de iurisdict. omnium iud.* Bald. *cons. 357. in princip. lib. 4.* Alex. *cons. 48. num. 6. & seq. vers. item illud.* Aymon. *cons. 79. sub nu. 3. & 5.*

R.P.D. VEROSPIO.

Leodien. pactorum matrimonialium. Mercurij 1. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Nouationis plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Pacta, & conuentiones seruanda sunt, n. 1. in fin.
Nouatio primæ conuentionis non censetur inducta ex eo quòd minus scriptum sit, quàm conuentum, n. 2.
Nouationem non esse inductam, coniecturis probari potest, n. 3. in fin.
Contractus censetur perfectus per dationem manus inuicem contrahentium, n. 4.
Confessio probat contra confitentem, ibid.
Obligatio quando continet duo, & vnum tantùm in solutione explicatur, electio spectat ad debitorem, non autem ad creditorem. declara, vt num. 5.

DECISIO. CCXCIX.

ARnoldus Hocht volens filiam suam nuptui tradere, quædam induit pacta matrimonialia cum Ioanne Selis patre sponsi, quibus inter alia Ioannes in matrimonij subsidium promisit soluere florenos nouem millia monetæ Brabantiæ, & donec bona pro illis inuestiendis inuenirentur, pollicitus fuit quolibet anno sexcentos eiusdem monetæ florenos erogare, celebrato in vim harum conuentionum inter dictas partes instrumento publico, cùm postea fuissent inuenta bona pro florenorum nouem millium inuestimento. Arnoldus pater sponte Ioannem appellauit ad eos persoluendos, & cùm in vim instrumenti solùm prætenderet ad florenos annuos sexcentos teneri, orta inter ipsos controuersia, fuit per officialem Leodiensem Ioannes condemnatus ad solutionem iuxta pacta matrimonialia florenorum nouem millium, sed causa per viam appellationis in Rota coram me introducta, dubitaui an dicta sententia confirmanda esset, vel infirmanda, quam Domini confirmandam esse censuerunt, constat enim Ioannem promisisse florenos nouem millia. & donec illis possent inuestiri, florenos sexcentos annuos, vnde secuto matrimonio cùm fuerint inuenta bona pro dicto inuestimento, bene fuit Ioannes condemnatus ad florenos nouem millia. *l. 1.* vbi Bart. & Bald. *& l. iuris gentium §. prætor ait. ff. de pact. l. 1. ff. de constit. pecun.* Dec. *cons. 638. n. 1.* 1

Non obstat in instrumento postea celebrato non legi promissos florenos nouem millia, sed annuos tantùm sexcentos. quia non ideo recessum videtur à conuentione de dictis florenis nouem millibus 2

persoluendis, nam vltra quòd recessus non præsumitur. *l. fin. vbi Doct. C. de nouat.* cessat in casu nostro difficultas, cùm in instrumento nihil contrarium appareat conuentionibus inter partes antea confirmatis, vnde de illis dici non potest recessum, nec in aliquo eis derogatum, sed plus conuentum, minus autem scriptum in instrumento. Aym. *cons.* 374. *nu.* 2. *lib.* 3. Rom. *cons.* 91. *n.* 9.

3 Idem comprobatur ex litteris ipsius Ioannis post instrumentum transmissis, in quibus fit mentio de dicto debito florenorum nouem millium, & de aliorum sexcentorum solutione, donec primi inuestirentur, quod etiam confirmatur ex testibus pro parte Arnoldi examinatis, ex quibus clarum per instrumentum à prima conuentione recessum non fuisse, tanto magis cùm id etiam colligi possit ex coniecturis, vt per Surd. *decis.* 70. *num.* 9. *& seq. & cons.* 202. *n.* 24.

4 Nec valet dicere in conuentionibus ante instrumentum solum habitum fuisse tractatum, nihil verò conclusum; ex testium enim depositionibus contrarium apparet; post dictas videlicet conuentiones, partes inuicem sibi manus dedisse, quod contractus perfectionem denotat. gloss. *in l.* 1. *in verb. pactum, in fin. ff. de pact. & in l.* 1. *in verbo percussit. ff. de censibus.* Hanc etiam contractus perfectionem fassus fuit Ioannes in responsionibus ad petitiones, quæ confessio bene contra ipsum confitentem probat. *l. cum te, la* 2. *C. de transact. l. generaliter. C. de non num. pecun.*

5 Non obstat hîc duo esse in obligatione, vnum tamen in solutione ad debitoris, non autem creditoris electionem, ex *l. si duo, in fin. ff. de verb. obligat.* vnde per solutionem sexcentorum florenorum, liberationem in nouem millibus contingere. nam hîc duo non fuerunt alternatiuè, sed copulatiuè in obligatione posita, & sic prædicta non militant. *l. si quis ita,* vbi Bart. Bald. Doct. *ff. de verb. oblig.*

Sicut pariter allegata obseruantia quòd floreni sexcenti per plures annos fuerint soluti, non releuat, quia respectu implicationis supradictæ non versamur in conditione de futuro, in qua locum habere nequit obseruantia. Aym. *cons.* 680. *n.* 5 *& in tract. de antiq. temp. parte* 2. *n.* 28.

R. P. D. VEROSPIO.

Tusculana syluarum. Lunæ 6. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Lignandi, & pascendi quasi possessio nomine vniuersitatis censetur etiam probata per testes deponentes sic vidisse lignare, & pascere à singulis eiusdem vniuersitatis hominibus.

SVMMARIVM.

Lignandi, & pascendi quasi possessio nomine vniuersitatis censetur etiam probata per testes deponentes sic vidisse lignare, & pascere à singulis eiusdem vniuersitatis hominibus, n. 2. *& seqq.*

Possideri potest à pluribus personis vna, & eadem res, diuersis tamen respectibus, n. 6.

Vniuersitati praeiudicare non possunt actus gesti à particularibus personis eiusdem vniuersitatis, n. 7.

Possessio probata in vna sylua, non censetur probata in alia, n. 8.

Præsumptio possessionis clandestinæ, & turbatiuæ tollitur per testes deponentes de antiquissima possessione, n. 9.

Testium dicta non sunt cauillanda, sed coadiuuanda, & ad concordiam reducenda, n. 10.

Exceptio dominij non admittitur in summariissimo manutentionis iudicio, n. 11.

DECISIO CCC.

Firmato coram me sub die 18. Maij præteriti quòd vniuersitati, & hominibus terræ Rochæ 1
Papæ dandum esset mandatum de manutenendo pro lignorum incisione, necnon confectione carbonum in syluis in eo territorio existentibus, ex quo pro parte Excellentissimi D. Comestabilis informatum non fuerat, denuo causa ipso audito per me proposita visum Dominis fuit standum in decisis, non obstantibus in contrario adductis.

Ex primò non releuat communitatis possessionem ex possessione singulorum non probari, cùm 2
aliud sit ipsa communitas, aliud singuli de communitate, cessat enim obiectum ex testium depositionibus, ex quibus probatur singulos tanquam in sylua communitatis incidisse ligna, nec non de scientia, & patientia eiusdem communitatis apparet ex continuata syluarum incisione per longissimum tempus, & ex aliis actibus conuocato Concilio pro ipsius syluæ defensione factis, ex quibus per singulos benè dicitur acquisita & conseruata communitatis possessio, vt per Cepoll. *de seruit. rustic. prad. tit. de seru. iuris pascen. c.* 9. *n.* 26. *& seq.* Paris. *cons.* 111. *n.* 72. *lib.* 1. Surd. *cons.* 28. *num.* 32. *& seq.* Afflict. *decis.* 376. *num.* 6.

Et licèt isti particulares possessionis vtilitatem 3
in vsum proprium conuerterint, non tamen implicat ius esse vniuersitatis, vtilitatem verò singulorum. gloss. *in l. sicut, in verbo, non debetur, in fine. ff. quod cuiusque vniuersitatis nom.* Paul. de Castr. *in d. l. sicut, §. si quid vni, nu.* 6.

Non obstat, ab antiquissimo tempore DD. Co- 4
lumnenses locasse syluaticum, & pretium recepisse, quia possessioni dictorum hominum id non repugnat, cùm solutio facta fuerit pro gabella respectu iurisdictionis in extractione, vt ex testibus etiam colligitur, qui deponunt solutioni dumtaxat locum fuisse, vbi carbones, & ligna de territorio extrahebantur, non autem quando pro vsu dictorum hominum inseruiebant.

Non obstat pariter eosdem homines de satis, vi- 5
neis, & arundinetis D. Comestabili certam portionem respondere: nam inde ad possessionem, de qua agitur, inferri non valet, sicut etiam non releuat absque licentia DD. Columnensium dd. syluas ad culturam redigi non posse, hæc enim ad præsentem casum non influunt, cùm hodie solùm de lignis incidendis, & conficiendis carbonibus agatur.

Non obstat Comestabilem esse in possessione 6
glandiendi, vendendi pascua, nec nō custodes apponen. quia talis possessio non præjudicat possessioni communitatis respectu iuris incidendi arbores, cùm vna, & eadem res diuersis respectibus valeat à pluribus possideri, Bart. *in l. si duo, nu.* 4. *ff. vti possid.* Alex. *consil.* 99. *num.* 25. *lib.* 5. Rim. sen. *cons.* 219. *numero* 11. Oldrad. *consil.* 227. Rota *decis.* 363. *num.* 3. *part.* 1. *diuers.*

Quod excipitur nonnullos, de vniuersitate pe- 7
tiisse licentiam incidendi ligna pro domibus reparandis,

randis, non officit, cùm d. licentia ab aliquibus petita, vniuersis de communitate præiudicare nõ potuerit. Ruin. *cons.*107.*n.*4.*lib.*5. Surd. *cons.*323.*n.*10.*& seq.lib.*3. Et licèt ex aduerso prætendatur huiusmodi licentiam fuisse concessam vniuersitati, & sic eius possessionem esse facultatiuam, fuit tamen responsum, illam pro domorum reparatione tantùm emanasse pro scandalis conficiendis, quæ vt testes deponunt fiunt solùm de arboribus glandiferis, quorum incisio per D. Comestabilem impeditur ob interesse iuris glandiandi quod habet, vnde non mirum si dicta incisio ab eo veniat approbanda; de licentia verò carbonum non apparet, nec quòd illa fuerit effectuata, immò ex quadam copia pro parte D. Comestabilis producta colligitur illam solùm emanasse ad effectum extractionis, quæ possessioni, de qua agitur, non præiudicat, & in omnem euentum ex multiplicatis actibus per antiquissimum tempus facultatiuę possessionis præsumptio tolleretur. Rip. *in cap. cum Ecclesia Sutrina, n.*55. *de caus. possess. & propr.* Seraph. *dec.*212.*n.*2.*& dec.*323.*nu.*4.

8 Non obstat DD. Columnenses per publica bannimenta lignorum incisionem in sylua nuncupata *Communis* prohibuisse, non enim constat de prohibitione effectum sortita, quamuis in sylua particulari ipsius Domini prohibitio verificetur, de vna autem sylua ad aliam inferri non potest. Din. *cons.* 11. *in fine.* Socin. jun. *cons.*79. *nu.*71. *lib.*3.

9 Nec valet dicere communitatis possessionem vti clandestinam, vel turbatiuam non releuare, quia probatur ex testibus, illam antiquissimam, & continuatam extitisse, vnde præsumptio clandestinæ & turbatiuæ possessionis tollitur. Bald. *cons.* 161. *nu.* 2. *vers. item non dicitur illa clandestina lib.*3. Alex. *cons.* 110. *in princ. lib.*1.

10 Circa prætensas contrarietates, quę testibus communitatis objiciuntur, benè videntur illæ tolli per informantes, vltra quòd cauillanda non sunt dicta testium, sed potiùs coadiuuan. veniunt, & ad concordiam reducenda. Alex. *cons.*186. *num.*4. *l.b.*7. Dec. *cons.*250.*n.*8 Cattad. *dec.*3.*n.*5.*de probat.* Caput. *decis.* 270.*n.*7.*part.*3.

11 Cætera verò in contrarium adducta, vel compatibilia sunt cum possessione cædendi ligna, & carbones conficiendi, vel concernunt dominium, de quo discutien. non est in hoc summariissimo possessorio, sed ad petitorium illud venit reijcien. Bart. *in l. naturaliter §. nihil commune num.*2. *ff. de acquir. poss.* Natt. *cons.*419.*n.*5 *lib.*2. Capic. *dec.*121.*n.*30. Menoch. *de retin. remed.*3.*n.*675.

R. P. D. BVRATTO.

Turritana bonorum. Lunæ 6. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Remissoria non conceditur post didicita testificata, & propter irreleuantiam probandorum, & priuilegium concessum minori, vel Ecclesiæ super probationibus, non competit si sint hęredes maioris, quo viuente lis mota, & prosequuta sit.

SVMMARIVM.

Remissoria non conceditur post didicita testificata, quia non admittitur nouum examen, numero 1.

*Remissoria petita in vltimis audientiis Tribunalis inducit non modicam suspicionem calumniæ, n.*2.

Consuetudo nunquam antea aliàs allegata, cùm ad eam probandam petitur remissoria, præsumi facit quòd calumniosè petatur, ibid.

*Pacta, & conuentiones in contractibus rumpunt quamcunque legem, & consuetudinem, n.*3.

*Remissoria deneganda est propter irreleuantiam probandorum, n.*4.

*Minores, Ecclesia, & loca pia habent restitutionem ad effectum probandi super directo contrariis, etiam post publicatas attestationes, nu.*5. *declara nisi locus pius, vel Ecclesia sit hæres, & lis mota, & prosequuta, viuente testatore, n.*6.*&* 7.

*Restitutio in integrum conceditur minori, Ecclesiæ, & locis piis, ad effectum probandi super directo contrariis, & post didicita testificata, num.*5. *limita nisi lis mota, & prosequuta sit viuente testatore, cui successit Ecclesia, vel locus pius. n.*6.*&* 7.

*Restitutio in integrum ob probationes non factas quæ denegatur maiori, non competit minori, vel Ecclesiæ hæredi maioris, licèt aliàs per se competeret, n.*7.

DECISIO CCCI.

CEnsuerunt Domini denegandam esse remissoriam, præcipuè quia videbant fuisse didicita testificata, non solùm per exhibitionem summarij testium, sed etiam processus ipsius remissorialis originalis, vt constat ex fide Notarij; quo casu licèt Rota ex stilo confidat de probitate Procuratorum Romanæ Curiæ, ideóque permittat eis videre dictos processus; tamen non ita facile admittit nouum examen, contra *cap. fraternitatis, de testib.* & fuit in similibus terminis dictum in Ianuen. pecuniaria 5. Iunij 1613. coram me, vbi aliæ decisiones allegantur, & in specie in causa Placentina bonorum 8. Februarij 1585. coram Cardinale Seraphino, quæ est *decis.*688. *in impress.* vbi dicitur, talem stilum Rotæ tanquam exorbitantem à iure communi esse coarctandum, & non extendendum. 1

Præsertim provt in hoc casu, accedente non modica suspicione calumniæ; tum quia petitur remissoria in vltimis audientiis. Seraphin *decis.*1450. & fuit dictum in dicta Ianuen. tum quia nunquam antehac, nec in partibus vbi fuit diu litigatum, neque in Curia fuit allegata ista prætensa consuetudo, modò articulata, sed solùm dispositio iuris communis, secundùm quam pater succedit in bonis filij ab intestato vndecunque quæsitis, quam rationem considerat Rota apud Verall. *decis*63. *nu.* 1. *part.*3. Vestr. *in prax. libro* 6. *cap. vlt. sub num.*3. *vers. idem si.* 2

Et cessare videbatur difficultas ex pacto, quod fuit, articulatum fuisse appositum in instrumento dotali, & quòd pro maximè releuanti habuit Rota pro remissoria concedenda D. Archiepiscopo in decisione in hac causa facta sub die 23. Februarij anni præteriti quod pactum continet, vt moriente Antonia sine filiis, vel cum filiis, qui & ipsi decederent quandocunque sine filiis legitimis, & naturalibus, dos reuerteretur ad ipsum Archiepiscopum, quo pacto probato, provt fuisse probatum prætenditur pro parte Archiepiscopi, materia ex aduerso articulata de consuetudine, & aliis esset omnino irreleuans, cùm pacta, & conuentiones rumpant quamcunque legem, & consuetudinem. *l.*1. *C. de pact.* & in terminis restituendæ dotis est decisio Seraph. 815. *n.*3. 3

4 Et saltem ex prædictis videtur inferendum, vt debeat prius discuti prædicta probatio pacti, & interim sit deneganda remissoria, cùm certum sit propter irreleuantiam denegari. Cassad. *dec.3.n.1.de dilat.* Verall. *dec.66.n.68.part.* & fuit millies decisum; vltrà quòd hîc adest amplissima renunciatio omnibus legibus, juribus, vsibus, capitulis, priuilegiis, statutis, constitutionibus, & consuetudinibus, vt legitur in instrumento.

5 Nec obstare visum fuit, quòd minores, quibus Ecclesia, & loca pia æquiparantur, habeant restitutionem ad effectum probandi super directo contrariis etiam post publicatas attestationes. Abb. *in cap. auditis n.16.* & ibi etiam Imol. *de restit. in integr.* Afflict. *decis.216.n.2.* Osasch. *decis. Pedemont.87.n.3.* cum aliis cumulatis per Gabr. *de testib. conclus.21.n.47.* & per Farinac. *de testib. conclus.75.n.465.*

6 Quia cùm lis mota, & prosecuta fuerit viuente Michaële, non videbatur competere hæredibus, quamuis locis piis denegetur restitutio ob probationes non factas, ex doctrina Bart. *in l. cùm filius §. in hac, num.3. ff. de verb. oblig.* Afflict. *decis.212.* vbi in puncto quòd denegatur restitutio ob probationes non factas minori hæredi maioris, cui non competebat talis restitutio, & notatur *in l. Æmilius ff. de minor. & in l.2.C. si aduers. vend. pignor.*

Ex quibus omnibus saltem simul junctis fuit conclusum non esse dandam remissoriam.

R. P. D. DAMASCENO.

Bononien. bonorum. Lunæ 6. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Remedium l. fin. *Cod. de edicto D. Adrian. tollend.* numquid detur hæredi instituto in re certa, & interdict. Salu. quando competat pro legatis; quid etiam filius amittat non conficiendo inuentarium bonorum hæreditatis paternæ. Cætera habes in summario.

SVMMARIVM.

Hæredi instituto in re certa non datur remedium l. fin. C. de edicto D. Adrian tollen. *dato hærede vniuersali, qui adiuerit, vel non adiuerit hæreditatem, numero 1.*

Filius alienans bona hæreditaria paterna, censetur ea accepisse in legitimam. declara, vt n.2.

Dotes debent extrahi de corpore hæreditatis tanquam æs alienum, num.3.

Dotis legatum non debetur nisi purificata conditione nuptiarum, ibid.

Hypotheca nunquid retrotrahatur in fideicommisso conditionato, conditione adimpleta, ibid. in fin.

Filius hæres vniuersalis nunquid possit agere de separatione legitimæ, n.4.

Inuentarium non conficiens filius, tenetur soluere legata integra, etiamsi grauetur in legitima, nu.5. & seqq. vbi de materia filij non conficientis inuentarium quantum sibi præjudicet in legitima.

DECISIO CCCII.

1 QVondam Ioannes Bonasonus hærede instituto Galatio filio suo, legauit dotes quatuor filiabus suis, cùm nupserint in seculo; mortuo testatore Galeatius alienauit nonnulla bona hæreditatis in Flaminiam Ghisellam: filiæ testatoris legatariæ effectæ nubiles egerunt pro dotibus sibi legatis contra hanc Flaminiam Ghisellam, & cùm prætenderent immissionem super bonis hęreditatis per dictam Flaminiam detentis, dubitaui, an tale remedium illis competeret? Et Rota restrinxit difficultatem, vt videretur, an dos in hoc casu succederet loco legitimæ; etenim legatum pro legitima habet multa priuilegia, quæ non habent alia legata; cæterùm quia visum fuit informantibus pro sororibus tali dubio liberalissimè cedere; ideo cùm præsupposito, quòd dos in hoc casu minimè succedat loco legitimæ, iterum proposui dubium, an sororibus esset danda immissio? & pro negatiua fuit tentum; quia extra materiam legitimæ instituto in re certa, & dato hæredi vniuersali, qui adiuerit hæreditatem, minimè datur remedium. *l. fin. Cod. de edict. D. Arian. toll.* taliter enim institutus habetur legatarij loco, cui non competit tale remedium, ita Menoch. *de recup. possess. remed.4. num.132. cum pluribus seqq.* vbi *sub nu.145.* ex eadem magis communi opinione ampliat, etiamsi hæres vniuersalis adhuc minimè adiuisset, dummodo non repudiasset, & perinde cùm in proposito casu, istæ sorores fuerint hæredes institutæ in re certa, imò in quantitate, & pater hæres vniuersalis adiuerit, non est agendum de remedio dictæ l. fin.

Quo verò ad Saluianum, quod iuxta opinionem Rotæ solet dari pro legatis, Gabr. *cons.44. nu.2. lib.2.* & fuit latè dictum in Romana legatorum de Columna 27. Ianuarij 1614. coram me, fuit dictum neque hoc remedium competere, quia bona contra quæ agunt sorores, fuerunt alienata per Galeatium filium testatoris, vnde censetur per illum electa pro sua legitima. *l. Marcellus si res quæ,* vbi Castr. *nu.3. ff. ad Trebel.* Bald. *in l. iubemus, sub num.3. C. eod. tit.* Paris. *cons.44. num.46. lib.2.* innumeros congerit Gabr. *de legitima concl.4. num.8.* & fuit dictum in Viterbien. bonorum 10. Iunij 1602. coram me. quæ quidem legitima minimè potuit grauari. *vulg. l. quoniam in prioribus. C. de inoff. testam.* & licèt Doctores suprà allegati loquantur de primò alienatis; attamen cùm pro parte sororum minimè ostendatur, quòd Galeatius ante hæc alia bona alienauit, præsumitur, quòd hæc sint de primò alienatis, quia alia alienatio est quid facti, quæ non præsumitur. *vulg. l. in bello. §. factæ. ff. de cap. & postlim. reuer. cum concord.*

Non obstat quòd dotes debeant tanquam æs alienum extrahi de corpore hæreditatis. Decian. *resp.46. num 37. lib.3.* quia duæ sunt quæstiones separatæ in hac materia. Prima, an, & quando sint computandæ dotes in statuenda quantitate legitimæ masculorum, nempe si illæ sint extrahendæ tantùm de legitima debita ipsis masculis, vel potiùs de vniuersa hæreditate, & hanc tangit Decian. *vbi suprà* & non est casus de quo agitur. Secunda quæstio est, an filius masculus illam partem legitimæ, quæ detractis dotibus sibi debetur, possit statim secuta morte patris alienare, vel potiùs dotes sint præferendæ, ita si filius alienauit, possint filio adueniente tempore nuptiarum auocare bona alienata à tertiis possessoribus, & iste est casus de quo agitur, notatus à Decian. in quo visum fuit Dominis resoluendum pro tertio possessore, quia legitima debetur stante mortuo patre. *l. scimus, in princip. & in §. cùm autem. Cod. de inoff. testam.* dos autem non nisi purifi-

purificata conditione nuptiarum. *l. sancimus, C. de nuptiis.* Aym. *cons. 15. in fin. & n. 3.* vnde videtur quòd quatenus filius minimè alienauerit plusquam importet legitima, sua filia nihil possit petere super bonis alienatis, quia non tenebatur masculus expectare euentum conditionis nuptiarum, antequam detraheret suam legitimam sibi debitam, vt in puncto Card. *cons. 151. in fin.* facit quòd in legato saltem quantitatis hypotheca non renouabitur vsque ab initio in præiudicium eorum, qui medio tempore quæsiuerunt. Castr. *cons. 446. nu. 1. lib. 2.* vbi assignat bonam rationem ad id. Negus. *de pign. 3. p. principali. primo memb. n. 2.* cui motiuo non obstat quòd fideicommissa sint conditionalia, & nihilominus impleta conditione retrotrahatur hypotheca, & detur Saluianum, vt quotidie practicatur in Rota, quia hoc ideò adest, quia in fideicommissis resolutio fit ipso iure. Peregr. qui multos congerit; *de fideicom. art. 4. n. 3.* non sic reperitur cautum in legato quantitatis, seu potiùs contrarium, vt ex suprà allegatis.

4 Non obstat quòd filius, qui est hæres vniuersalis, minimè possit agere de separatione legitimæ, ex Crass. *§. legitimam quæst. 1. num. 5.* cum allegat. quia illa conclusio procedit quando filius vellet retenta legitima titulo institutionis repudiare reliquam hæreditatem, quia non potest hoc facere, vt dicunt illi Doctores; in hoc autem casu minimè prætendit filius repudiare hæreditatem, sed tertius possessor ab illo causam habens retinere bona primo loco alienata pro legitima, qui termini sunt valde diuersi.

5 Denique non obstat quòd filius, qui non confecit inuentarium, in pœnam non confecti inuentarij teneatur soluere legata integra, etiamsi grauetur in legitima. Bart. *in auth. sed cùm testator. C. ad l. falcid.* cum aliis per Surd. *decis. 316. n. 16.* Peregr. *de fideicom. art. 36. num. 141.* Proinde cùm non doceatur Galeatium confecisse inuentarium, infertur non obstare exceptionem legitimæ, quia fuit responsum quòd DD. tenentes illam opinionem admittunt, quòd non ideo filius perdat ius legitimæ, quam opinionem latè tuetur Roland. *de inuent. confect. par. 5. §. oritur dubitatio, nu. 19. cum pluribus seqq.* & tenuit Rota in causa Romana legitimæ 11. Decembris 1609 coram R.P.D. Manzanedo. Ex hoc fiunt plures illationes quæ faciunt conclusionem non obstare in casu proposito.

6 Prima est quòd si filius non amittat legitimam, onus legati non cadat præcisè super portione debita pro legitima, & consequenter poterit filius illam liberè alienare, & acquirentes erunt securi remanente filio obligato personaliter soluere legata, etiam supra vires hæreditarias, ad text. *in auth. de hæred. & falcid. §. hinc nobis. vers. si verò non fecerit inuentarium.* Phanuc. *de confect. inuentarij part. 7. nu. 15.* Corn. *cons. 10. nu. 9. lib. 4.* Couar. *in cap. si hæres, num. 9. tit. de testam.*

7 Secunda illatio est quòd filius ratione prædictæ legitimæ minuet tertiam partem legatorum, & residuum tamen tenebitur præstare legatariis supra vires hæreditarias. Baro. *d. auth. sed cùm testator, nu. 11. vers. dicens.* Phanuc. *vbi suprà*, & hinc sequitur quòd defectus confectionis inuentarij minimè possit suffragari sororibus ad effectum consequendi duas tertias, vel forsan semissem, quatenus ipsæ quatuor exclusæ statuto faciant partem ad impinguandam legitimam masculi, juxta decisiones in causa Romana de Lante coram fel. record. Clem. VIII. quæ est 266. *part. 1. diuers.* Anconitana legitimæ 26. Iunij 449. 1606. coram bo. me. Pegna. & ciuitatis Castelli 23. Martij 1604. coram Illustr. D. Card. Lancellotto. Cùm igitur petant totum, debent rei conuenti absolui, juxta not. per Fed. de Sen. *cons. 165. in fin. vers. item non obstat.*

Tertiò infertur quòd cùm legata, de quibus agitur, sint in quantitate, non autem in bonis, legitima autem, quæ secundùm præmissa non fuisset amissa, debeatur in bonis. *l. scimus. §. repletionem. Cod. de inoff. testam.* eo faciliùs potuisse filium detrahere suam legitimam, ex supradicta à legatis, & eam in Flaminiam ream conuentam ante motam per legatarias litem alienare. Quartò & multo fortiùs in legato conditionali per ea quæ dicta sunt suprà ex cons. Castr. 446. *in princ.* cum aliis allegatis. 8

Et ita fuit resolutum.

R.P.D. PIROVANO.

Ciuitatis Castelli bonorum. 10. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Creditor anterior in hypotheca præfertur in Saluiano.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum non datur, si non constet de læsione, & læsio non probatur deficiente iustitia, nu. 1.
Hypotheca anterior allegari potest non solùm agendo, sed excipiendo, & replicando, n. 2.
Creditor anterior, sicut præfertur in hypotheca, sic præfertur in Saluiano, n. 3.
Hæres tenetur ad solutionem debiti, & adimplementum facti defuncti, nu. 4.

DECISIO CCCIII.

Fvit resolutum primo loco non constare de causis restitutionis in integrum, solo Comite Prospero informante, & causa iterum proposita Domini in decisis steterunt. 1

Fundamentum decisionis positum fuit in anteriori hypotheca Comitis Prosperi Bentiuolij filij & hæredis Virginiæ, quæ fuit filia & hæres Comitis Prosperi Oliuæ, & iste in partem habuit Comitem Carolum Oliuam debitorem Cleriæ eius vxoris pro restitutione dotis ab eadem soluta in summa scutorum 5000. publico apparente instrumento ann. 1543. 29. Octobris. 2

Vnde cùm mortuo Carolo esset facta cessio per Cleriam eidem Virginiæ de prædio controuerso, quod instante eadem Cleria contra Virginiam filiam, & hæredem Caroli subhastatum, & deliberatum fuerat Vincentio cum aliis bonis de hæreditate Caroli sui mariti pro restitutione dotis, & exinde ab eodem Vincentio cessum fuerat eidem Cleriæ pro eodem pretio, satis conuincitur Comitem Prosperum Bentiuolium esse anteriorem creditorem. ex quo Iulius & Octauius de Bufalinis ex juribus Abbatis eorum patrui docent de origine eorum crediti solummodo ex decennio pòst, nempe de anno 1553. & per consequens nec Buffalini ex Saluiano potuerunt immitti in possessionem, istius prædij, stante hypotheca anteriori possidentis, neque ad subhastationem procedendum erat. def- 3

ciente iustitia immissionis, sine qua non intrat læsio, quæ est præcipua causa obtinendi restitutionem in integrum Rot. *dec.1. de restit. in integr. in nou.* & sæpe fuit resolutum.

4 Non obstat quòd de prædicta deliberatione & pretij solutione non constet, neque de cessionibus Vincentij & Cleriæ, nec de diuisione, quia hæc omnia ex particulari processu in actis producto fuerunt iustificata, & in omnem casum Virginiæ, & eius hæredibus pro iuribus dotalibus Cleriæ eiusdem Virginiæ matris, quæ ex publico instrumento iustificantur, semper competit retentio ratione anterioritatis hypothecæ, quæ prodest nedum agendo, sed excipiendo, & replicando. *l. creditor, in princip. ff. qui potior. in pignor. hab.* Negus. *de pignoribus. 2. membr. quinta partis, nu. 2.*

5 Et regulare est, ac sæpe resolutum, vt sicuti anterior creditor in hypotheca præfertur; ita etiam præferendus sit in Saluiano, vt in Senogallien. prędij 17. Iunij 1558. coram Bubalo, & coram bo. mem. Card. Mantica in Placentina Saluiani interdicti 16. Iunij 1589.

6 Non obstat si Comes Prosper Bentiuolus velit experiri de iuribus dotalibus Cleriæ, quæ anteriora sunt, nihilominus tanquam hæres Caroli Oliui primi debitoris ex personis antecessorum suorum, non possit impedire subhastationem ex quo hæres est, & ad solutionem huius debiti tenetur adimplendo factum defuncti. *l. cùm à matre. C. de rei vendicatione. l. ex qua persona. ff. de reg. iur.*

Quia Domini animaduerterunt rescriptum de subhastando, & deliberando bona controuersa emanasse in exequutionem validitatis iudicij immissionis ex Saluiano, cui cùm locus esse non possit, vel quia bona, de quibus agitur, non erant possessa per Carolum debitorem fratrum de Buffalinis de tempore obligationis propter anteriorem subhastationem, & deliberationem instante Cleria factam, vel quia detur retentio ex anteriori hypotheca, semper iudicio subhastationis obstabit inualiditas iudicij præcedentis, in quo fundatur causa rescripti.

Cessante autem iudicio Saluiani, vel impedito propter retentionem ex anteriori credito, & hypotheca, sententia Rotalis bene iustificatur, & exinde cessat læsio, quæ sine iniustitia non datur.

Et quamuis Dominis de Buffalinis, non tollatur actio personalis contra hæredes Caroli debitoris, erit tamen in alio iudicio discutienda vnà cum iuiuribus inuentarij, de quibus excipitur per Comitem Prosperum Bentiuolum ad conseruandum bona propria, ne confundantur cum obligationibus hæreditariis. Et ita, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana pecuniaria. Lunæ 13. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Cambia licita, quæ sint, & quæ requirantur, ad hoc vt debitor ea soluere debeat, & de solutione debiti, quòd facta præsumatur in causam antiquiorem, & quæ isto casu dicatur antiquior causa. Breuis, sed magistralis est decisio.

SVMMARIVM.

Cambij requisita vigore constitutionis Pij Papæ V. remissiuè, n. 1.

Cambia, vt debeantur, necesse est exhiberi literas transmissas ad nundinas, & quæ vulgo dell'andata *appellantur, declara vt num. 2.*

Cambia fieri non possunt pro pluribus nundinis, declara, vt n. 3.

Cambia, vt debeantur ob moram debitoris, seu aliàs an sit facienda intimatio ipsi debitori, n. 4.

Solutio præsumiter facta in debitum antiquius, & quale dicatur antiquius debitum, nu. 5.

DECISIO CCCIV.

Conclusum fuit debitum, & cambia ascendere ad summam declaratam per D. Pirrhum Albericum tertium peritū, & quoad debitum visum fuit Dominis nullam posse adesse difficultatem, cùm de eo constat ex apocha subscripta à Guicciardino, & à pluribus testibus; quo verò ad cambia, dictum fuit constare de illorum iustitia, ex quo in eis interuenerunt omnia requisita, tam de iure, quàm ex forma constitutionis Pij V. 148. inter impress. vt in istis terminis in præterita Rota decisum fuit in alia Romana pecuniaria, seu cambiorum, coram Reuerendissimo D. meo Archiepiscopo Damasceno.

Neque obstare, quòd pro parte DD. de Sacchettis, & Altouitis, non exhibeantur litteræ transmissæ ad nundinas, quæ vulgo *dell' an data* appellantur, & quæ pro iustitia, & validitate cambiorum ex forma dictæ constitutionis sunt necessariæ, vt tenuit Rota in illa Mediolanen. pecuniaria 27. Maij 1602. coram Litta, & in aliis causis, quia, vt fuit consideratum in supradicta Romana pecuniaria, cùm huiusmodi literæ non remaneant penes cambiantem, sed ad correspondalem transmittantur, impossibile est, quòd illas exhibeant, vt per Molin. *de iust. & iur. disp. 409. nu. 5.* vnde satis est, quòd exhibuerint illarum regestrum, ex eo enim probatur transmissio dictarum litterarum, vt fuit tentum in Romana, seu Florentina cambiorum 12. Ianuarij 1615. coram R. P. D. meo Dunozetto, & in eadem Romana pecuniaria; præsertim, quòd cum illo concurrit exhibitio litterarum originalium, quæ *del ritorno* nuncupantur, quod solum sufficere ad probandum transmissionem litterarum, censuit Rota coram Tholom. *decis. 951. in fin. lib. 3. part. 3. inter impress. diuersor.* & in supradicta decisione Reuerendissimi Domini mei Damasceni.

Neque etiam obstare, quòd cambia non potuerint fieri pro pluribus nundinis propter supradictam constitutionem Pij V. id fieri prohibentem, quia propter id, quod videtur procedere, quando quis pro secundis nundinis vellet plus percipere, quàm pro primis, secundùm Nauarr. *in manual. c. 17. num. 301. q. 3.* & alios relatos in dicta Romana pecuniaria: Domini, sequendo aliam responsionem, quæ huic objectiui ibidem datur, constituerunt duos casus. Primum quando quis dat ad cambium eo pacto, vt accipiens non posit accipere cambium in primis nundinis, & tunc dicuntur fieri pro pluribus nundinis, & intrat dicta constitutio, sed hoc in præsenti casu factum non fuit. Secundum vbi, provt in casu isto, datur facultas cambiandi, casu quo debitum non soluatur finito primo cambio, & tunc

& tunc non dicuntur cambia fieri pro pluribus nundinis, ex quo debitor non cogitur tenere debitum sub vsuris, quod secus est in primo casu; vnde non intrat constitutio, vt fuit dictum in sæpe citata Romana pecuniaria.

4 Minus obstare, quòd non fuerit intimatum DD. de Guicciardinis, quòd pecuniæ tenebatur sub cambiis, prout videbatur necessarium, vt ea deberentur iuxta decis. Littæ in supradicta citata Mediolanen. pecuniaria, & alias ibidem allegatas. Quia fuit dictum DD. de Sacchettis, & Altouitis non prætendere cambia tanquam creditores per moram Dominorum de Guicciardinis in non soluendo debitum, quo casu requiritur intimatio, & ita loquuntur, & procedunt decisiones in contrarium allegatæ, seu vigore mādati, seu ordinis sibi ab ipsis DD. de Guicciardinis dati pro accipiendis pecuniis ad cambia, & recambia, vsque ad integralem satisfactionem, quę propterea absque alia intimatione, & protestatione debentur, vt fuit resolutū in Bononien. Quadernæ 22. Iunij 1611. coram Illustr. D. Card. Lancellotto, & 23. Martij coram R.P.D. meo Manzanedo, & supradicta Romana, seu Florentina 19. Iunij 1614. coram R.P.D. meo Dunozetto.

5 Postremò pariter non obstare dixerunt, quod dicebatur partitam scutorum 1124. non potuisse poni in extinctionem scutorum 2000. sed fuisse ponendum in extinctionem scutorum 3000. tum quia id fuit approbatum per D. Philippum, dum in responsione ad positiones se remisit ad declarationem factam per dictum Altouitum, qui declarauerat dictam partitam cedere in solutionem scutorum 2000. tum quia debitum scutorum 3000. non potest dici antiquius debito dictorum scutorum 2000. licèt fuerit priùs creatum, ex quo vtrumque eadem die soluendo erat. Nam ad effectum, vt vnum debitum dicatur altero antiquius, non attenditur dies creationis, sed dies solutionis. Menoch. *cons.* 121. *num.* 56. Rot. *decis.* 176. *num.* 2. *part.* 2. *in impress.* tum, & tertiò, quia debitum scutorum 2000. erat durius, cùm in eo plures essent obligati, ad *l. & magis, in fin. ff. de solut.* Corn. *cons.* 295. *nu.* 1. *lib.* 3. Surd. *cons.* 82. *num.* 27. *lib.* 1. Rot. *decis.* 113. *num.* 1. *part.* 1. *diuers.* & ideò in illius causa erat ponenda partita. prædicta *l.* 1. *cum pluribus seqq. ff. de solut. & l.* 1. *C. eod. tit.* & vtrobique Doctor. omnes, Paris. *cons.* 122. *num.* 9. *& seqq. lib.* 4 Menoch. *dicto cons.* 121. *num.* 39. Rota *dicta decis.* 113. *num.* 3.

Et ita fuit decisum.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. pensionis. Lunæ 13. *Iunij* 1616.

ARGVMENTVM.

Articuli impertinentes non sunt admittendi.

SVMMARIVM.

Remissoria non datur, quando materia est irreleuans, nec admittitur ad probandum, quod probatum non releuat, n. 1.

Probatio per testes admitti non debet, si de probando constat per instrumentum publicum, n. 2.

Expensæ probantur per libros computorum administrationis, non per testes, n. 3.

Articuli admitti non debent si veniunt contra instrumentum, n. 4.

DECISIO CCCV.

Regulare est, quando materia est irreleuans, non dari remissoriam, ne concedatur dilatio ad petendum id quod probatum non releuaret, *l. ad probationem. C. de probat.* Cassad. *decis.* 2. *de dilat.* Caputaq. *decis.* 54. *&* 66. *part.* 3. ideo cùm articuli pro parte DD. Canonicorum dati visi fuerint DD. irreleuantes, resolutum fuit remissoriam non esse dandam. 1

Primus enim non videbatur pertinere, etsi contineat quòd ante transactionem anni 1585. per Canonicos fabricatæ fuerint aliquæ habitationes pro officialibus valoris scutorum 6000. & eis officiales semper gauisi fuerint. Quia dicebatur id factum videri ex decretis S. Caroli, de cuius potestate non dubitatur, & antequam expirarent applicationes pensionis de qua agitur, non autem in vim transactionis quæ subsequuta est, quæ propterea non debebant pertinere ad Canonicos in proprietate. Sed quia hæc responsio non remouebat patientiam dum applicatio per S. Carolum facta respiciebat tantummodo fabricam domorum Canonicalium, etsi in alium vsum, nempe duorum officialium, quàm in fabricam destinatam pecuniæ fuerint conuersæ, nulli dubium quòd interert Canonicis reintegrari pro eadem summa, ideo secundo loco fuit responsum, quòd in transactione eiusdem anni 1585. non legitur quòd fuerit controuersia super prætensione ex parte Canonicorum respectu dictarum habitationum: quòd si domus fabricatæ & scuta quingenta pro quindennio remanserint officialibus, nihil pertinebat ad iustitiam transactionis sustinendam, quia super prædictis non fuit transactum, neque habita ratio pro retentione pensionis.

Secundus verò articulus eadem ratione remouetur quoad scuta quingēta & domos fabricatas; quòd verò bona Besati & fructus beneficiatis remanserint vigore transactionis, non videbatur necessaria remissoria stante eodem instrumento transactionis de prædictis mentionem faciente. Ægid. *decis.* 9. *&* 384. Rot. *decis.* 46. *de testib. in antiq. & decis.* 6. *de probationibus in nouis.* 2

Tertius articulus, quòd in vim secundæ transactionis anni 1591. beneficiatis soluta fuerint annua scuta 300. de pecuniis dictæ pensionis; eodem modo remouetur propter facilem probationem per quitantias, sine quibus releuantes summæ non exbursantur.

Quartus articulus eadem ratione tollitur, quia officiales non impugnant quòd vigore transactionis anni 1602. non retineant domunculas nuncupatas *del Hospitio*, quia extat instrumentum transactionis, in quo prædicta narrantur.

Quintus articulus non videbatur pertinere ad causam immissionis, quia etsi Canonici prætendant probare quòd habitationes officialium fabricatæ post transactionem anni 1585. de pecuniis eiusdem pensionis sint valoris scutorum trium millium; tamen ex quo officiales in transactionibus non conuenerunt quòd tenerentur ad valorem futuræ fabricæ, sed tantummodo ad id quod doceretur impensum per Canonicos fabricerios pro ipsis beneficiatis, vel cum eorum interuentu.

3 Ideo frustrà quæritur de valore ad impediendam immissionem, cùm de expensis tantùm sint expectanda computa, quæ aliter quàm per testes ab administratoriis fabriceriis sunt reddenda. Iason. *cons.* 100. *nu.* 6. *lib.* 4. Magon. *decis. Florentin.* 42. Viu. *decis.* 153. *n.* 2. *part.* 1. dicentes rationem non reddi nisi per traditionem libri rationum.

4 Sextus articulus videbatur reiiciendus cùm tendat ad probandum contrarium eius quod est conuentum in transactione anni 1585. nempe quòd pensio semper fuerit exacta à Thesaurario per Archiepiscopum deputato, vel eius Vicario, & fabrica fuerit prosequuta per fabricerios ab eodem Archiepiscopo deputatos; & tamen totum contrarium legitur in dictis instrumentis, in quibus immediatè datur facultas Capitulo, & ab eo particulariter deputandis.

Septimus & octauus articuli non etiam videntur releuare, quia officiales non insistunt super inualiditate, sed super læsione, de qua nullum verbum in eorum contextu. Nihilominus super ea fundantur rationes decisionum R.P.D. Vbaldi.

Nonus & vltimus articulus pariter videbantur non pertinere, quin magis iustificaret læsionem contractus, si probata indigentia scutorum bis millium pro fabrica Canonicorum perficienda, ad eam tenerentur officiales.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Aurien. parochialis. Lunæ 13. *Iunij* 1616.

ARGVMENTVM.

Testes examinati in alio loco, vel coram alio iudice nominato in remissoria, & sine citatione partis ad videndum illos iurare, nihil probant, & dicuntur nulliter examinati.

SVMMARIVM.

Mandatum Procuratoris morte mandantis expirat, num. 1.

Testes examinati extra locum deputatum in remissoria, num. 2.

Remissoria vbi continet vnum locum examinis testium, & testes examinantur in alio loco, examen est nullum, ibid.

Remissoria si continet iudicem, coram quo sunt examinandi testes, examen faciendum est coram iudice in remissoria nominato, & non coram alio, n. 3.

Testes examinati sine citatione ad videndum illos iurare, non probant, & nulliter examinati dicuntur, num. 4. *Vbi amplius quòd non sufficit citatio ad videndum fieri probationem.*

Testes licèt iurauerint in termino probatorio sine partis citatione, non probant, si iudex in decreto mandauit in examine testium citari partem ad videndum illos iurare.

DECISIO CCCVI.

1 CVm fuisset resolutum in hac causa die 15. Iunij anni præteriti, gratiam *si neutri*, nouissimè pro Petro productam, illi non suffragari, causa postea super eisdem proposita, placuit Dominis ordinare vltimo loco, vt informaretur strictè super validitate examinis testium de morte Antonij deponentium, totum enim fundamentum Petri ad probandum nō ius Domini Lupi àduersarij, cōsistebat in hoc quòd Antonius cuius Procurator Lupum præsentauerat ad parochialem, de qua agitur, esset mortuus tempore præsentationis, & sic mandatum expirasset, §. *rectè. Instit. de mandat.* Et licèt plures testes fuerint in partibus examinati super dicta morte; tamen informantes pro Petro agnoscebant nullitatem examinis, quoad alios, quibus vtebantur tantùm pro adminiculo, sed se restringebant ad examen Gregorij de Puga recepti in ciuitate Aurien. qui deponit de morte Antonij de visu. Domini tamen responderunt pro nullitate totius examinis facti pro ista parte, & consequenter censuerunt standum in decisis quòd Gratia *si neutri*, tanquam non iustificata Petro non suffragaretur.

Et mouebantur in primis, quia remissoria fuit data ad examinandos testes in diœcesi, & Archiepiscopatu Compostellano, vt apparet ex lectura commissionis; & tamen prædictus Gregorius fuit examinatus in ciuitate Aurien. in qua nullam habebat authoritatem, sed aderat Prouisor, & iudex causæ, & sic examen tanquam factum extra locum deputatum fuit nullum. *l. fin. ff. de iurisdict. omn. iud.* Put. *decis.* 37. *de iudic. & decis.* 162. *lib.* 1. *& decis.* 300. *num.* 12. *lib* 2. & facit Caputaq. *decis.* 335. *part.* 2. & fuit dictum in vna Aurien. parochialis de Pao 6. Nouembris 1598. coram Illustriss. Cardin. Lancellotto.

Et confirmatur, quia deputatio facit mentionem de testibus coram Receptore præsentandis, & examinandis, secundùm articulos illi consignatos, & tamen si commissio intelligeretur etiam in loco iudicij, testes non fuissent præsentandi coram Receptore, sed coram iudice. Goffred. *in summ. titul. de testibus, num.* 5. nec articuli fuissent consignandi Receptori, cùm essent in actis. Præterea, nec fuit intimatus parti reditus Receptoris ad dictam citationem, & profectio examinis extra ciuitatem, & sic pars tanquam incerta ratione temporis & loci, non potuit parare defensiones. Rot. *decis.* 416. *in fin. part.* 1. *diuers.*

Concurrit etiam alia nullitas ex defectu citationis ad videndum iurare testes, quam plusquam certum est vitiare examen. *cap.* 2. *de testib. l. si quando. C. eodem tit.* Rot. *decis.* 116. *part.* 1. Nec prædicta nullitas tolli videbatur ex citatione ad videndum fieri probationes; quia aliud est citatio ad videndum fieri probationem, aliud ad videndum iurare testes, & ex diuersis non fit illatio. *l. Papinianus exuli. ff. de minorib.* 4

Nec releuat quòd dicta citatio ad videndum fieri probationes, referatur ad petitionem antea factam, quia nec in dicta petitione fit mentio quòd testes iurent.

Non obstat, quòd iudex in assignatione termini probatorij mandauerit citari ad videndum iurare; quia talis citatio non fuit subsecuta, & ideo eo magis examen est nullum, cùm non fuerit seruata forma decreti, etiamsi testes iurauerint in termino probatorio, vt fuit resolutum in Conchen. decimarum 2. Iunij 1599 coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & dicta citatio ad videndum fieri probationes non refertur ad d. decretum, sed ad petitionem, vt dixi.

Ex qui-

Ex quibus, & aliis adductis per informantes Domini steterunt in decisis, &c.

R. D. ARCHIEPISCOPO
DAMASCENO.

Colimbrien. Canonicatus. Lunæ 13. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

De interpretatione constitutionis Clementis VIII. prohibentis descendentes ab Hebræis non admitti ad Ecclesiastica beneficia, multa notanda, de quibus in summario, & quòd Pontifex potest aduersùs eos dispensare. Est magistralis decisio. Vide in alia decisione coram R. P. D. Verospio in eadem causa 5. Decembris 1616.

SVMMARIVM.

Christianus quilibet de iure communi est capax beneficij Ecclesiastici, n. 1.
Hæresis ascendentium non nocet descendentibus, quando illi ascendentes fuerunt Ecclesiæ incorporati, n. 2.
Hæresis auiæ paternæ nunquid nocet nepoti ad effectum consequendi beneficia Ecclesiastica, n. 3.
Filij inquisitorum de hæresi non sunt inhabiles ad beneficia, sed tantùm filij conuictorũ & pertinacium, n. 4.
Constitutio Clementis VIII. prohibentis descendentes ex genere, seu stirpe Hebræorum non admitti ad Ecclesiastica beneficia, non habet locum stante dispensatione Papæ, n. 5.
Iudaizantes sunt peiores, quàm hæretici, n. 6.
Inquisitus de hæresi non dicitur hæreticus, ibid. in fine.
Hæreticus pœnitens, & Ecclesiæ incorporatus, perinde est ac si nunquam hæreticus fuisset, n. 7.
Constitutio Clementis VIII. inhabilitans filios Iudæorum ad beneficia Ecclesiastica non comprehendit filios Iudaizantium, ibid.
Iudaizantes non possunt propriè dici Iudæi, n. 7.
Statutum, seu constitutio strictè intelligendum, & pœnale interpretari secundùm proprietatem verborũ, ibid.
Extensio in materia stricta, & pœnali non est facienda de casu ad casum ex identitate rationis, ibid. in fine.
Statutum, seu constitutio quòd vnus teneatur pro delicto alterius, est odiosum, & strictè interpretandum, n. 8.
Statutum, seu constitutio vbi non disponit, non dispositum remanet in dispositione iuris communis, n. 9.
Clericatus probatur ex litteris patentib. Ordinarij, n. 11.
Narratiua Papæ non est iustificanda, n. 12.

DECISIO CCCVII.

1 Resolutum fuit D. Franciscum Cardoso de Oliur. fuisse sufficienter dispensatum, pro quo fuit præmissum, quòd etiamsi dictus Franciscus descendat ab Hebræis, non per hoc in terminis iuris communis eget dispensatione ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum, cùm hoc nullo iure caueatur, quin potiùs regula sit, quòd quilibet Christianus sit capax beneficij Ecclesiastici. *c. cùm te. &* ibi gl. *de rescript. c. ad decorem, de instit.* Rota in Seguntina admissionis ad Capitul. quinta Iunij 1587. coram bon. mem. Gipsio.

Vlteriùs etiamsi probaretur illud quod è contrario obiicitur, auiam scilicet paternã Francisci fuisse tanquam Christianam Iudaizantem pœnitentiatam, adhuc non noceret hoc Francisco, cùm hæresis ascendentium non noceat descendentibus, quandocumque illi ascendentes fuerunt Ecclesiæ reincorporati, iuxt. text. cum ibi notat. per scribentes *in cap. statutum il 2. de hæres. lib. 6.* Nec facit dist. inter sponte confessum & condemnatum, de qua per Caputaq. *decis. 69. num. 6. part. 2.* & Rota *diuers. decis. 109. part. 3. lib. 2.* quia illæ decisiones loquuntur in terminis statuti Ecclesiæ Hispalen. inhabilitantes nepotes reconciliatorum. Et concludunt statutum esse intelligendum strictè, & sic de nepotibus tantùm illorum qui fuerunt reconciliati post condemnationem, & sic illæ decisiones coarctant statutum Hispalense emanatum contra descendentes reconciliatorum, non autem ampliant pœnas iuris communis contra eosdem. 2

Verùm, etiamsi dicta auia paterna Francisci minimè fuisset reconciliata Ecclesiæ, adhuc posset dubitari, an illius hæresis deberet nocere nepoti, iuxta intellectum gloss. ibi, *in verbo inane. versic. Item si mulier aliqua est hæretica, & habeat filios.* Gomez *var. resolut. tom. 3. cap. 2. num. 4. versic. Item si mater est hæretica.* vbi de communi. Pen. *in director. part. 3. quæst. 115. comment. 164. quantum ad primam, post med. versic. Item si mater est hæretica fol. mihi* 642. Moder. Roman. *tractatu de hæresi. quæst. 192. § 2. num. 51.* vbi principales citat. 3

Multo autem minus nocet Francisco prætensum obiectum quòd eius pater & mater fuerint inquisiti de Iudaismo, cùm Inquisitio minimè probet delictum. Roman. *cons. 110. num. 2. versic. Caterùm.* Signorol. *cons. 239. num. 6.* & nullo iure caueatur quòd filij inquisitorum sint incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum, quin potiùs contrarium colligitur ex *d. cap. statutum,* vbi inhabilitantur tantùm filij conuictorum, vlteriùs pertinacium in hæresi. 4

Hoc stante, quòd de iure communi Franciscus non egeret dispensatione, difficultas reducebatur, an esset satisfactum constitutioni Clementis Papæ VIII. aliàs editæ super descendentibus ab Hebræis? Et pro affirmatiua fuit tentum, quandoquidem illa constitutio prohibet tantùm conferri Canonicatus, & beneficia Ecclesiastica, aliquibus personis de genere, seu stirpe Hebræorum ex paterna, & materna, vel eorum alterum vsque ad septimum gradum inclusiuè, à tempore conuersionis eorum computando, originem trahentium, Franciscus autem in sua dispensatione narrauit se trahere originem ab Hebræis infra septimum gradum, vnde satis expressit suum defectum, & licèt narrauerit etiam se descendere ab Hebræis vltra secundum gradum; attamen hoc etiam visum fuit esse iustificatum ex articulis & testibus examinatis pro parte Capituli, vbi habetur parentes & auos Francisci fuisse Christianos, & sic conuincitur Hebraismum incipere vltra secundum gradum. 5

Non obstat, quòd vt suprà tactum est, prætendatur probari quoad auia paterna Francisci Iudaizauerit, & tanquam talis fuerit pœnitentiata, & etiam parentes ipsius Francisci fuerint de Iudaismo inquisiti, vnde infertur quòd Franciscus infra secundum gradum dicatur ortus ex Iudæis, stante quòd isti Iudaizantes sunt peiores quàm ipsimet Iudæi. *cap. si refugientes, de pœnit. distinct. 4.* cum aliis allegatis; 6

quia in primis istud obiectum non conuenit parentibus Francisci, qui non fuerunt conuicti de Iudaismo, sed tantùm inquisiti & vigore generalis indulti liberati, vnde non probatur eorum delictum, ex alleg. suprà.

Quantum verò ad auiam paternam, in primis posset dubitari, an testes concludant in dicto. Verùm etiamsi concludant, adhuc visum fuit eorum dictum non obstare ex pluribus. Primò, quia non allegatur dictam auiam decessisse in Iudaismo, sed fuisse ad Ecclesiam reincorporatam, vnde ad effectum, de quo agitur, perinde est ac si nunquam apostatasset, per text. in d. cap. *statutum el 2. de hær. lib. 6.* & est simile de illo, qui fuit apud hostes, qui iure postliminij habetur, perinde ac si nunquam decessisset. *l. postliminij.* ibi, *Nam si eodem bello. ff. de captiuis & postliminio reuersis.*

Secundò videbatur quòd constitutio inhabilitans filios Iudæorum non debeat habere locum in filiis Iudaizantium, cum tales iudaizantes non possint propriè dici Iudæi ex quo per Baptismum, qui est character indelebilis, Sacr. Conc. Trident. *sess. 7. de sacr. can. 9* irreuocabiliter effecti sunt Christiani: in materia autem stricta & pœnali, vt est constitutio inhabilitans venientes ab Hebræis non receditur à proprietate verborum, ad *l. non aliter. ff. de legat. 3. cap. ad audientiam, de decim.* Calderin. *cons. 5. n. 1. de hæretic.* Federic. de Sen. *cons. 72. n. 2.* & per totum. Neque fit extensio de casu ad casum ex identitate rationis. *cap. in pœnis, & ibi gl. ff. de regul. iuris lib. 6.* Gemin. *cons. 176. in princ.*

8 Neque videbatur dubitandum, quin constitutio contra descendentes ab Hebræis potest dici stricta & pœnalis; tum ex eo quòd aufert prædictis descendentibus habilitatem, quæ aliàs sibi competeret de iure communi. *d. cap. ad decorem. de inst.* Rot. in d. Seguntina admissionis ad Capit. 26. Iunij 1587 coram bo. me. Gypsio, tum multo magis, quia ista pœna illis infligitur propter delictum alterius gl. *in d. cap. statutum, verbo ad primam.* ibi, *ex causis quod filius punitur propter delictum patris.* Est autem exorbitans in iure, quòd vnus puniatur propter delictum alterius *c. non debet*, & ibi gloss. *verbo non debet. de reg. iur. lib. 6.* cum concordantibus, & propterea non applicantur iura loquentia de pœna infligenda ipsismet delinquentibus, cùm sit diuersitatis ratio, vt ex prædictis.

9 Minus obstare visum fuit quòd saltem ex prædictis fuisset facienda mentio in dispensatione, cũ potuissent reddere Pontificem difficiliorem ad concedendam dispensationem, quia si loquimur de iure communi, talis taciturnitas non vitiat rescriptũ, cùm lapsus ipsius qui fuit reconciliatus, & multo minus simplex inquisitio, non habeatur in consideratione, vt supra firmatum fuit; si verò loquimur in terminis constitutionis, constitutio nihil loquitur de reconciliatis, & multo minus de inquisitis, vnde res remanet in dispositione iuris communis, ad *l. commodissimè ff. de liber. & posth. m.* cum sua materia. Neque facit quòd constitutio mandet quòd in huiusmodi dispensationibus fiat mentio impuritatis sanguinis, stirpis, generis, quia hoc debet intelligi quoad ipsam effectualem descendentiam ab Hebræis, & gradus illius: sed non ideo sequitur quòd debeat fieri mentio de aliis circunstantiis, de quibus de iure minimè facienda erat, voluit enim Pontifex prouidere ne sub inuolucro verborum isti descendentes ab Hebræis infra septimum gradum impetrarent beneficia.

Alia quę dicebantur de Iudaismo transuersalium visa fuerunt, neque esse probata, neque facere ad propositum, cùm neque de iure communi, neque per prædictas constitutiones reperiatur cautum quòd delictum transuersalis debeat nocere alteri transuersali.

Clericatus narratus pro parte Francisci probatur ex litteris patentibus Ordinarij.

Quòd Dominus Episcopus Colimbrien. supplicauerit pro Francisco, visum fuit non esse necessarium probare, cùm sit narratiua Papæ. *Clementina 1. de probationib.* Lap. *allegat. 7. num. 2.* vbi ad Crescen. *decis. 2. de renunciat.* Rota in Oxomen. Cantoriæ 28. Octobris 1601. coram bo. mem. Pegna, & in Eluen. beneficij 17. Februarij 1606. coram Reuerendissimo Bononien. quod etiam mouit Dominos ad credendum quòd Franciscus sit dignus gratia super hoc obtenta à Papa, vt etiam præ se fert illius bona indoles, & morum honestas, &c.

R. P. D. VBALDO.

Toletana Capellæ, & sepulturæ. Lunæ 27. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Patronus Ecclesiæ non potest impedire quo minus alius possit ædificare in ea sine eius consensu, nec habet sepulturam priuatiuè ad alios, imò nec sepulturam, nisi eam sibi reseruauerit in limine iurispatronatus.

SVMMARIVM.

Testes deponentes de facto proprio magis probant, n. 1.

Sepultura cuicumque potest concedi ab habente ius in Ecclesia, & sic ille cui concessa est stante huiusmodi concessione, & licentia, potest illam construere, n. 2.

Patronus Ecclesiæ non potest impedire, quo minus alius possit ædificare in dicta Ecclesia sine eius consensu, n. 3.

Patronus Ecclesiæ non habet in ea ius sepeliendi priuatiuè quoad alios, neque habet ius sepulturæ, quia diuersum est à iurepatronatus, nisi sit expressè reseruatum in limine fundationis, n. 4.

Damnum minimum non est in consideratione, n. 5.

Ecclesiæ ædificata solum cedit ædificio, non ædificium solo, n. 6.

DECISIO CCCVIII.

Postquam Rota censuit, mandatum de manutenendo in partibus cócessum D. Martino de Corduba, esse reuocandum, ex rationibus, de quibus in decisionibus sub die 4. Nouembris 1613. & 21. Februarij 1614. coram me, fuit adita signatura Sanctissimi, & emanauit commissio, vt procederem in possessorio, & petitorio, vnica sententia terminando, omni, & quacumque appellatione remota; vnde dato dubio, an constet D. Martinum construxisse Capellam, & sepulturam de qua agitur; & an ei licuerit construere? Rota respondit pro D. Martino informante ad vtramque dubij partem affirmatiuè; nam quòd D. Martinus construxerit Capellam, & sepulturam, visum fuit sufficienter constare ex quatuor testibus firmiter examinatis, qui cùm deponant

deponant de facto proprio, nempe quòd ipsi dictam Capellam ad instantiam, & impensis D. Martini construxerunt, eò magis probant. *l. quæro, in fin. ff. de ædil. edict.* Bart. *in l.1. §. fin. num.3. ff. de bon. poss. secundum tabul.* Bald. *in l. si vnus num. 4. ff. de testam.* Castr. *cons.*186. *col.* 3. *lib.* 1. Afflict. *decis.* 369. *num.*7.

Quod eo magis comprobatur ex relatione peritorum electorum pro parte D. Francisci, in qua vocant Capellam, seu oratorium D. Martini, & ex visitatione Vicarij facta in præsentia D. Francisci, de qua in summario *num.*14. in qua fit descriptio dictæ Capellæ, sepulturæ, & ornamentorum tanquam dicti Martini, & per eum constructæ, Francisco præsente, & nihil contradicente, qui etiam dum se opponit, & contendit non licuisse Martino ædificare dictam Capellam, & sepulturam, & etiam in huiusmodi ædificatione fuisse aliquid occupatum de illius horto, vtique videtur fateri constructionem, de qua hodie dubitari posse non videtur, licèt in prædictis decisionibus fuerit hoc in dubium reuocatum.

2 Quòd verò D. Martinus potuerit dictam Capellam, & sepulturam construere, pariter visum fuit Dominis satis clarum, stante licentia quam habuit à Capitulo Prouinciali confirmata à Generali Ministro totius Ordinis fratrum Discalceatorum, & à Papa, quæ licentia videtur sufficere ad hunc effectum, cùm vnusquisque possit in propria Ecclesia recipere ad sepulturam quem velit. Innoc. *in cap.* 1. & ibi Abb. *in cap. certificari, de sepultur. Clem. dudum § huiusmodi, eod. tit.* Natt. *cons.*432 *n.*8. fuit dictum in Hispalen. iuris sepeliendi 24. Maij 1589. coram Cardinali Pamphilio, & sic quoad fratres videtur indubitatum licuisse Martino construere stante huiusmodi licentia, & clausula, *non obstantibus quibuscumque*, de qua in confirmatione Papæ, per quam censetur derogatum cuicumque constitutioni, vel statuto Ordinis sancti Francisci in contrarium fortè facienti. Ias. *cons.*110. *num.*12. *vers.*3. *lib.*4. Bero. *cons.* 147. *nu.* 28. *vers. & licet lib.*3. Roland. *cons.*67. *num.*62. *lib.*3. vltra quòd constat ex testibus in summario datis *num.*9. quòd fratres possint concedere huiusmodi licentias etiam derogando constitutionibus, qui etiam deponunt de pluribus similibus licentiis datis, & denegatis ex causa.

3 Quo verò ad D. Franciscum idem Dominis videbatur, quia etiam admisso sine veri præiudicio, quòd ipse sit monasterij & Ecclesiæ patronus; tamen non inde infertur quòd non potuerit in Ecclesia, vel monasterio ædificari, sine ipsius consensu. Roch. *de iurepatronat. in verb. construxit numer.* 11. Lambertin. *eod. tract. part.*1. *primi lib.* 3. *quæst. princip. art.*17. & in casu de quo agitur deponunt iidem testes dicto summario *num.*9. non esse necessariam licentiam asserti patroni sepeliendi deuotos in Campo sancto, cum licentia Prouincialis, & deponunt de duobus sepultis.

4 Sicut nec etiam inde infertur quòd D. Franciscus habeat in dicta Ecclesia, & monasterio ius sepeliendi priuatiuè quoad alios, cùm patrono quædam tantùm de iure competant, de quibus *in cap. nobis, de iurepatr.* & referuntur per Host. *in sum. eod. tit. §. quid competat.* Gemin. *cons.*45. *in princ.* quibus receptis nihil aliud in Ecclesia prætendere possit. Ægid. *cons.*10. *n.*13. *vers. quintò principaliter*, nec etiam ius sepulturæ, cùm illud nihil commune habeat cum iurepatronatus. Lambert. *de iurepatr. part.*1. *libri primi* 11. *quæst. princ. art.*13. Fuit dictum in Toletana iurispatronatus 12. Iunij 1595. coram bon. mem. Cardinale Blanchetto, nisi fuerit expressè reseruatum in limine fundationis, prout requiritur. gloss. *in cap. cùm dilectus, in verb. constitutum, de consuetud.* Archid. *in cap.*1. *de pact. in* 6. Vitalin. *in Clem. dudum. §. huiusmodi, de sepult.* Prax. Archiep. Neap. *cap.*61. *n.*7.

Idque eo magis videtur procedere, quia non agitur de constructione Capellæ, & sepulturæ in Ecclesia, seu monasterio, vbi D. Franciscus prætendit iuspatronatus, sed in cæmeterio fratrum, quod cùm fuerit destinatum pro illorum sepultura, non cadit sub reseruatione iuris sepeliendi, quatenus de iure competeret Francisco, vel illud sibi reseruasset: sed potuerunt fratres illud liberè concedere absque vlla patroni licentia ex supradictis prout etiam docuit obseruantia subsecuta, cùm plures extranei de licentia Capituli Prouincialis fuerint ibi sepulti, vt in dicto summario *num.*9. Aym. *cons.*101. *num.*3. Rota *diuers. decis.*503. *n.*2. *part.*1.

Non obstat, quòd constructio Capellæ occupauerit aliquam partem horti D. Francisci, quia dicta occupatio nullum, vel minimum damnum affert Francisco, vt patet ex relatione Vicarij, & de minimis non curat Prætor. *l. scio. ff. de in integr. rest.* in his terminis Surd. *decis.*168. *num.* 7. *vers. & in alieno, & num.*8 maximè cùm agatur de fauore Ecclesiæ pro constructione, & ampliatione Capellæ, & Oratorij. Cæpoll. *de seruit. vrb. præd. cap.* 82. *de sepulcr.* Gramm. *decis.*75. *per tot.* Surd. *cons.* 62. *num.* 8. cum aliis allegatis. 5

Et in omnem casum tenetur D. Franciscus dictam partem horti dimittere, soluto sibi iusto pretio. *l. is qui intulit*, & ibi gloss. *ff. de relig. & sump. fun.* cùm in Ecclesia ædificata solum cedat ædificio, non è conuerso. Calder. *cons.*421. aliàs 5. *de relig. dom.* & ita decisum Domino Martino tantùm informante in maxima agentium pro D. Francisco contumacia, qui post plurimas citationes informare noluerunt, &c. 6

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. primitiarum. Veneris 17. *Iunij* 1616.

DECISIO CCCIX.

*Impressa est post Posthium de manut. decis.*29.

R.P.D. VBALDO.

Terdonen. pensionis. Veneris 17. *Iunij* 1616.

ARGVMENTVM.

Pensionis vnica exactio facit acquiri quasi possessionem exigendi, quæ manutenibilis est, etiam contra successorem in beneficio. & hæc quasi possessio probatur per instrumentum quitantiæ per pensionarium factæ.

SVMMARIVM.

Pensionis exactio, vel vnica, facit vt acquiratur possessio;

vel quasi possessio exigendi illam quæ est manutenibilis, num. 1. & non solùm contra rectorem beneficij, qui illam soluit, sed etiam contra eius successorem, num. 2.

Possessio, vel quasi possessio exigendi pensionem, probata per vnicam exactionem, suffragatur non solùm contra rectorem beneficij, qui soluit illam, sed etiam contra eius successorem, ibid.

Pensionis exactio probatur per instrumentum quitantiæ per pensionarium facta, quod sufficit ad effectum manutentionis, n. 3.

Instrumentum quitantiæ per pensionarium factæ probat quasi possessionem exigendi pensionem, & hoc sufficit ad effectum manutentionis, ibid.

Numeratio vera, & realis probatur per verba, in præsentia mei Notarij & testium, *&c. posita in instrumento, num. 4. & concludunt per necesse de solutione tempore instrumenti.*

Verba, in præsentia mei Notarij & testium, *&c. probant veram numerationem, ibid. & de necessitate concludunt de solutione tempore instrumenti, n. 5.*

Relatio debet fieri ad proxima in instrumento, n. 6.

Notarij rogati, & testis instrumentarij fides adminiculat instrumentum, & in eo contenta, ibid. in fine.

Petitorium respicientia non sunt discutienda in iudicio summariissimo possessorio, n. 7.

DECISIO CCCX.

1 DOmini dixerunt Ioannem Baptistam esse manutenendum in quasi possessione exigendi pensionem, quia constat de illius exactione, per quam acquiritur quasi possessio manutenibilis, etiam quòd exactio semel facta doceatur. *cap. cùm Ecclesia Sutrina,* vbi Abb. *num. 23.* Rip. *num. 52. de caus. possess. & prop.* Dec. *cons. 117. num. 1. & 124. num. 1* Roman. *cons. 311. num. 7.* Alexand. *cons. 74. n. 16. lib. 4.*

2 Et quidem huiusmodi quasi possessio non solùm suffragatur contra Rectorem qui soluit pensionem, sed etiam contra illius successorem. Guidopap. *dec. 619.* Put. *decis. 151. lib. 3.* Gig. *de pension. quæst. 47. n. 10.* Fuit tentum in Burgen pensionis 19. Februarij 1596. coram Blanchetto, & in Campanien. pensionis 20. Iunij 1611. coram me, & aliàs sæpe.

3 De exactione autem pensionis constat ex instrumento quitantiæ per pensionarium factæ in terra Salarum die 31. Martij 1612. quod instrumentum bene probat huiusmodi quasi possessionem ad effectum manutentionis. Menoch. *de retinen. remed. 3. n. 57* & fuit sæpissimè decisum.

4 Nec visum fuit obstare quòd instrumentum contineat simplicem confessionem de recepto. Nam illa verba, *in præsentia mei Notarij & testium,* & præsertim posita post alia verba, *habuisse, & recepisse,* probant veram numerationem. Bart. *in l. singularia, num. 22.* Alex. *num. 33* Iason. *num 48.* Dec. *num. 33. ff. si cert. pet.* Bart *in l. si ex cautione, num. 1. & 8.* Bald. *num. 14. C. de non num. pecun.* Socin. sen. *cons. 143. sub num. 2. vol. 1.* Alex. *cons. 179. num. 6. lib. 2.* Fuit dictum in Bononien. census 24. Aprilis 1600. coram Cardinali Pamphilio, & in Romana dotis 9. Decembris 1613. coram me.

5 Non obstat quòd confessio videatur facta de solutione in vrbe, stantibus illis verbis instrumenti, ibi, *habuisse, & recepisse ducatos 70. aut de Camera Apostolica, & iuxta illorum cursum in alma vrbe ibidem actualiter numeratos;* quia fuit responsum, illam dictionem, *ibidem,* non referri ad verba, *in alma vrbe Roma,* sed ad locum loci, nempe in terra Salano, de quo in principio instrumenti, quod euidenter colligitur ex verbis sequentibus, ibi, *Actualiter numeratos, datos, & traditos in tanta bona moneta aurea, & argentea æquiualente, in præsentia mei Notarij, & testium infrascriptorum,* quæ de necessitate concludunt numerationem de tempore instrumenti, vt declarat Bart. *in dicta l. si ex cautione, num. 1. vers. Tu aduerte,* ibi, *si ergo Notarius dicit,* cùm aliis superiùs allegatis.

6 Nec dicatur illa verba, *in præsentia mei Notarij, & testium,* &c. referenda esse ad confessionem, quasi in præsentia Notarij, & testium pensionarius fuerit confessus se recepisse dictas pecunias; tum quia immediatè procedunt verba, *habuisse,* & *recepisse,* & illa, *ibidem actualiter numeratos, datos, & traditos,* &c. & relatio debet fieri ad proxima, *l. si idem cum eodem. ff. de iur. omn. iud.* Tum quia, & hoc videtur tollere omnem difficultatem, quia in principio instrumenti, in quo de confessione fit sermo, leguntur eadem verba, *in præsentia mei Notarij, & testium, sponte, & ex certa scientia fuit confessus, & confitetur,* &c. quæ ineptè repeterentur infrà, nisi essent referenda ad veram numerationem.

Et prædictis adminiculatur fides Notarij rogati, & vnius testis instrumentarij, qui testantur verè fuisse numeratam pecuniam tempore instrumenti.

7 Quæ dicebantur de nullitate pensionis, videbantur respicere petitorium, nec discutienda in hoc summariissimo iudicio. Achill. *decis. 15. de restit. spol.* Put. *decis. 108. lib. 3.*

Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Leodien. fideicommissi 17. *Iunij* 1616.

ARGVMENTVM.

Feudum sine licentia domini directi potest alienari in comprehensos in inuestitura, & cum licentia domini potest alienari in alios extraneos, etiam in præiudicium vocatorum, stante consuetudine.

SVMMARIVM.

Feudum donari potest, & aliàs quomodocumque alienari de licentia domini directi, etiam in præiudicium vocatorum, attenta consuetudine, n. 1.

Consensus qui necessarius est ad validitatem actus, non requiritur per necesse quòd in ipso actu interueniat, sed sufficit si antè, si pòst, si incontinenti, si ex interuallo, & tacitus etiam, & etiam non contradicendo interponatur, n. 2.

Ius quæsitum si non sit in actu, allegari non potest per tertium. n. 3.

Testamentum paternum si fuerit per filios impugnatum, ad illud postea rediri non potest pro obseruatione fideicommissi, n. 4. Declara vt n. 5.

Consensus non obligat præstantem illum, si actus super quo præstitus fuit, habet falsam causam, n. 6.

Clausula, omni meliori modo, *in testamento apposita, operatur vt testator non se restringat ad validandam suam intentionem ad vnum speciale in testamento expressum; sed comprehendit omnem modum & facultatem*

tatem testatori competentem,nu.7. & facit vt actus valeat eo modo quo valere potest.

Domini directi licentia non est necessaria in alienatione feudi, quæ fit inter comprehensos in inuestitura, num.8.

Actus semper præsumitur fieri voluisse per agentem, se conformando cum consuetudine patriæ & loci vbi agitur,n.9. Declara vt n.10.

Bonorum appellatione non veniunt bona subiecta vinculo restitutionis, & sic testator in generali dispositione non præsumitur de illis disposuisse, num.11. Nisi sint coniecturæ in contrarium,n.12.

DECISIO CCCXI.

CVm causa esset grauis, non denegarunt Domini tertio loco D. Comitem Renatum audire, & hodie causa super eisdem proposita & acerrimè discussa,

Censuerunt standum esse in decisis, quia rationes & fundamenta non releuant aduersùs primo & secundo loco firmata.

1 Est enim certum quòd Ioannes in pactis antenuptialibus donauit feuda, de quibus agitur, Renato eius filio,non obstante existentia Federici,Guglielmi,& aliorum filiorum, & donare potuit in eorum præiudicium, attenta licentia priùs obtenta taliter disponendi à domino directo, qui potuit eam dare. Paris.*cons.*13.*num.* 25.*lib.*1. Dec. *cons.*586. *num.*4.& *seqq.* Surd.*cons.*305. *in princip.* Rosenthal.*de feud.cap.* 7.& *cap.*9. *conclus.*58.*num* 43 & sufficiens est validare quamcumque dispositionem in præiudicium cuiuscumque,propter consuetudinem patriæ, admittentem dominum directum posse præiudicare comprehensis in inuestituris,vt remotiores,ac etiam extranei præferantur primò vocatis ex tenore inuestiturarum, quæ consuetudo ab eodem Comite præsupponitur,& allegatur.

Vnde si Ioannes ex pòst fecit testamentum ordinando successiones, existimans vel id sibi absolutè licere vigore pacti reuersiui, in donatione appositi, vel agnoscendo imperfectam facultatem taliter disponendi, adhibere voluit consensum Renati, ad quem dominia & feuda priùs ex donatione transierunt, semper dicendum erit testamentum esse in statu validitatis, quia si donatio non sustinetur, durat licentia pro actu vltimæ voluntatis in præiudicium succedere debentium.Si verò donatio sustinetur, testamentum capit vires ex consensu eius, de cuius præiudicio agitur, & præiudicium domini directi non intrat,quia dispositio legitur inter cōprehensos in inuestitura, vt aliàs dictum fuit, & his stantibus facile erit excitatis difficultatibus occurrere.

Et ad primum de inualiditate donationis & testamenti ex defectu consensus Federici, Guglielmi & aliorum filiorum, responsum fuit quoad validitatem donationis non fuisse necessarium consensum aliorum filiorum, attenta licentia à Principe domini directi obtenta, per quam potuit inferri præiudicium quibuscumque vocatis ex tenore inuestiturarum secundùm consuetudinem ab informantibus pro D.Comite allegatam, quòd si etiam licentia prædicta esset intelligenda respectu eius, qui interim dominus est feudorum, dum vtraque coniux superstes est. non autem altero mortuo,quo tempore dominium amittitur, solo vsufructu remanente; nihilominus hoc non concludit non ius Federici, cùm potuerit Ioannes aliis non contradicentibus donando disponere de feudo inter comprehensos in inuestitura, vt in aliis decisionibus fuit dictum.

Neque iure,aut consuetudine cautum reperitur, quòd iste consensus aliorum filiorum debeat interuenire in donatione pro solemnitate, vt ea omissa actus de se remaneat nullus, sed antè, & in ipso actu, & pòst incontinenti, vel etiam ex interuallo potest interuenire. *l.fin.ff.ad Macedon.l.*1.*§.prodest. ff. quorum leg. C. cùm de iurepatron.* & hoc esse de natura consensus firmarunt Iason. *in l. si quis mihi bona.§.visum num.*41.*ff. de acquir. possess.* Simoncel. *de decret.in præfat.num* 50. Ioseph.Ludou. *conclus.* 2. & vbicumque consensus requiritur, non minus tacitus, quàm expressus actum validat. Bart.*in l.cùm pater.§. libertis.ff.de legat.*2 Dec.*cons.*31.*num.*4.*vers. & præterea asserens sufficere non contradictionem.* 2

Ideo si D. Comes Renatus excipit de defectu consensus aliorum filiorum ad inualidandum actū donationis, tenetur concludenter probare, cùm non remaneat talis defectus ex oculari inspectione instrumenti donationis probatus, si & ante & pòst interuenire potuit. Vltra quòd talis probatio non etiam posset suffragari, quia fundatur super iure aliorum filiorum, qui non se declararunt.Et ante declarationem si actus aliàs de se non probatur nullus, oppositio non deseruit, quia ius non est quæsitum actu, & potentia, vt dicit Bald. *in auth. qui rem num.*8.*C.de sacros.Eccles.* & firmat Bart.*in l.*2.*vers. quandoque ius tertij.de except.rei iudic.* Thesaur.*decis.* 4. *num.*8. Surd.post alios *decis.*108.*n.*2.& *seqq.* 3

Quo verò ad validitatem testamenti, non etiam erat necessarius consensus aliorum filiorum, quia subsistente donatione, cessabat omne eorum præiudicium, & agebatur tantummodo de acquirendo eis commodo ex ordinatione successionis.

Non obstat, quòd ipsimet filij testamentum paternum impugnarunt,& ab eo recesserunt per concordiam anni 1577. in qua videntur declarasse bona eis obuenta habere velle vigore contractus & stipulatæ successionis ab intestato, quod dicebatur per necessarium antecedens importare renunciationem testamenti paterni, itaut ad illud denuo rediri non possit pro obseruatione fideicommissi, per ea quæ tradit Crauett.*cons.*24.*n.*4.& *seqq.* 4

Quia concordata bene se compatiuntur cum dispositis in testamento, dum ob defectum substantię paternæ singuli non valentes integrè obtinere quod sibi ex testamento paterno relictum fuerat,concordarunt de subeundis oneribus proportionabiliter, & ea ratione fuit in particulari decisione diei 12. Decembris 1611. firmatum per dictam transactionem fideicommisso non fuisse renunciatum. 5

Non obstat, quòd eo consensu non attento Renatus recesserit à paterna dispositione condendo testamentum de anno 1585. cum licentia Principis domini directi, & potuerit recedere, ex quo consensus ex falsa causa ab eo fuerat extortus per narratiuam quòd pater licentiam testandi à Principe obtinuerat, & ea vti intendebat in testamentaria dispositione, quæ licentia cùm verè non interuenerit, dicebatur Renatum non obligari ex suo consensu, ex Paris.*cons.*47.*num.*96. *lib.*1. Put. *decis.*397.*num.*12. *lib.*2. cum aliis allegatis.

Quia & huiusmodi obiectum facile tollitur, ex quo non apparet quòd Ioannes ad validitandam suam dispositionem se restrinxerit ad licentiam te-

standi, dum in testamento vsus est clausula, *omni meliori modo*, &c. quæ comprehendit omnem modum, & facultatem testatori competentem. Butr. *in cap. examinata num. 22. de iudic.* Natt. *cons.* 453. *num.* 3. Surd. *cons.* 305. *num.* 49. Neque similiter apparet quòd Renatus contemplatione licentiæ consenserit, quia dispositio testamentaria non pendebat ex licentia domini, sed ex proprio consensu tanquam domino ex donatione; ideo frustra ponderatur narratiua licentiæ domini, si non intererat Renato ad validitatem testamenti paterni.

Neque dicatur quòd immò intererat licentiam fuisse obtentam vt religarentur per eandem dispositionem alij filij, quibus pater non poterat præiudicare sine licentia domini, stante consuetudine patriæ deserente feuda æqualiter masculis & fœminis.

Quia si respectu feudorum, de quibus agitur, prætendatur relegatio, illa non erat necessaria cùm Renatus iam esset dominus ex titulo præcedentis donationis: si autem respectu aliorum quæ obuenerunt aliis filiis, interesse Renati deducatur, vt cum licentia Principis vinculati remaneant ad acquiescendum & ratificandum contenta in testamento, aliàs proprium consensum non præstitisset, & hoc casu non erat necessaria Principalis licentia, quia dispositio cadebat inter comprehensos in inuestitura, qui ex sola non contradictione non potuerunt validare testamentum in eorum præiudicium, prout validarunt, non obstante exceptione deducta ex concordia cui suprà fuit responsum.

8 Et ex prædictis etiam patet responsio ad præiudicium domini directi, quòd scilicet per eandem Ioannis dispositionem alteretur natura successionis feudorum, & adimatur facultas Principi concedendi licentias alienandi, & priuetur emolumentis Principi debitis ex concessione licentiarum, quia hæc omnia concurrente consensu vocatorum non concernunt præiudicium domini, vt in aliis decisionibus fuit firmatum. Et quamuis per indirectum non recurritur ad dominum pro licentia, inde cessant emolumenta. Non tamen à contrario erit arguendum; ergo vt dominus habeat emolumenta necessaria, erit petitio licentiæ vbi opus non est, quia iura non imponunt hanc necessitatem, & illæ adhibentur tantummodo vbi agitur de præiudicando domino, alterando pacta inuestituræ, vel alterando successionem in præiudicium vocatorum contra eorum voluntatem: circumscripto autem vtroque interesse iure cautum non reperitur quòd ad dominum pro licentia disponendi sit recurrendum, vt bene aduertit Surd. *cons.* 305. *nu.* 50. *& seqq. lib.* 3.

9 Demum non obstat etiam quòd consensus Renato præiudicet, & præiudicium domino non causet nullitatem dispositionis testamentariæ, nihilominus videtur ei licuisse recedere à prædicto consensu per nouam dispositionem, cum consensu domini, sequendo patriæ consuetudinem, præiudicandi vocatis cum licentia domini, cum qua præsumitur Renatus se voluisse conformare in præstando consensu. Curt. iun. *cons.* 171. *num.* 4. *vers. ex præmissis n.* 5. *& seq.*

10 Quia omissis aliis responsionibus, & præsertim quòd non versamur in dubia propositione facti, vt inde sit expectanda interpretatio à lege communi, vel particulari, sed in clara & distincta præstatione consensus patri disponenti quòd fratres succederent secundùm iura patriæ; videndum est in primis an licentia contineat specificam facultatem testandi de rebus quas consensit posse vinculari, quia si simplex est, prout præsupponitur, illa non potest importare aliam facultatem, quàm de bonis propriis Renati, quorum appellatione non veniunt subiecta vinculo restitutionis. *l. quintus.* §. *argento*, vbi Bart. & alij, *ff. de aur. & arg. leg.* Cephal. *cons.* 516. *n.* 17. Petra *de fideicomm. q.* 8. *n.* 269. & plures pro hac opinione cumulat Surd. *decis.* 93. *n.* 20. *& in cons.* 111. *n.* 8. *& cons.* 354. *n.* 30. *& seqq.*

Et hanc opinionem, nisi de contraria voluntate testatoris ex probabilibus coniecturis appareat, tenuit Rota in Bononien. vsusfructus coram me 27. Ianuarij 1612.

Ad *cap. si Titius, si de feudo defuncti*, fuit responsum esse extra terminos præsentis disputationis, in qua agitur de successione titulo vniuersali, non autem titulo singulari per alienationem in remotiorem, pretio mediante, prout disponitur in dicto textu, & vlteriùs mortuo Renato moram fuisse litem antequam laberetur tempus anni præscriptum in contextu illius cap. *si Titius.* Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Toletana confraternitatm. Lunæ 20. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Mandati defectus totalis est nullitas insanabilis, neque intrat arbitrium, neque est locus mandato præsumpto, quando adest mandatum expressum non sufficiens.

SVMMARIVM.

Arbitrium licèt soleat aliquid remittere de iuris rigore, non tamen dat facultatem ab illius dispositione recedendi, n. 1.

Mandati nullitas est defectus insanabilis de iure; & ideo si sanaretur, esset recedere à iure, ac propterea arbitrium non intrat, num. 2. *Declara vt n.* 3.

Citationis defectus est nullitas insanabilis, & per commissionem sanatoriam dicti defectus non remittitur, num. 2.

Mandati si non adsit totalis defectus, fit locus arbitrio, num. 3.

Mandatum expressum ad vnam causam, non potest ad alias non expressas extendi, n. 4.

Citatio si deficit pro illa die, qua fuit lata sententia, dicitur adesse totalis defectus citationis, ac proinde est insanabilis, etiam stante clausula, Arbitrio, *licèt adessent aliæ citationes pro aliis diebus, ibid.*

Clausulæ amplissimæ mandati specifici sunt accessoriæ, & non ampliant mandatum ad alias causas non specificatas, sed augent potestatem super illa causa speciali, n. 5.

Mandato præsumpto non est locus, quando adest expressum non sufficiens, quo procuratores sunt vsi, n. 6.

DECISIO CCCXII.

Post resolutionem factam in hac causa, sententias de partibus esse nullas ex defectu mandati Capi-

ti Capituli, vt in decisione 1. Iulij præteriti, fuit pro parte Capituli adita signatura Sanctissimi pro sanatione nullitatis, quæ rescripsit arbitrio Rotæ; vnde dato dubio super arbitrio, Rota censuit illud non intrare; quia licèt arbitrium soleat aliquid remittere de rigore iuris. Crescent. *decis.4.num.3. de testib.* Seraphin. *decis.1114. num.1.* non tamen dat facultatem recedendi à dispositione iuris, iuxta doctrinam Bart. sæpè canonizatam in Rota *in extrauag. ad reprimendum, in verb. videbitur, num.8.* Cæs. de Graff. *decis.7. num.7. & decis.8. num.2. & 4. de sent. & re iud.* Rota *decis.349 sub num.1. par.1. diuers.* & fuit dictum in Carthaginen. legitimitatis 9. Decembris 1611. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

2 Prout videretur recedi, si sanaretur nullitas ex defectu mandati, quæ est vna ex tribus, & de iure est insanabilis. *cap. in nostra*, & ibi omnes, *de procurat.* Sarnen. *in compend. vir. signat. fol. mihi 166. vers. & eodem modo*, neque signatura, cùm contineat etiam defectum citationis pariter insanabilem. Staphil. *super lit. iust. in tit. commiss. an det. super validit. process. num.6. vers. hinc est.* Vestr. *in sua praxi lib 5. cap. 13. num.3.* & ibi Grauat. *num.14.* Idem Grauat. ad eundem Vestr. *lib. 4. cap. 5. num. 26. & seq.* qui referunt quòd per commissionem sanatoriam dicti defectus non remittitur, prout in defectu citationis fuit in terminis decisum in Zamoren. pecuniaria 20. Martij 1609. coram R.P.D. meo Caualerio, & in Mantuana bonorum 16. Decembris 1611. & 14. Maij 1612. coram me.

3 Non obstat, quòd sit locus arbitrio, quando non adest totalis defectus mandati, vt fuit resolutum in Toletana decimarum de Capilla 6. Aprilis 1615. coram R.P.D. meo Andrea; quia fuit responsum mandatum in casu nostro fuisse limitatum ad certam, & specificatam causam, & propterea præter illam causam, omnino mandatum deficere, & sic non applicari decisionem in dicta causa Toletana decimarum.

4 Mandatum enim expressum ad vnum casum, non potest ad alios extendi non expressos. *cap. cùm in illis. §. cùm autem, & seq. cap. cui de non sacerdotali. de præbend. in 6.* Rota *decis.13. num.2. de procurat. in nou.* Caputaq. *decis.181. nu.1. & 2. part.2.* & facit simile quòd si citatio deficit pro illa die, qua fuit lata sententia, dicitur adesse totalis defectus citationis, & proinde est insanabilis, etiam stante clausula, *Arbitrio*, quamuis adessent citationes pro aliis diebus, vt fuit resolutum in dicta causa Mantuana bonorum 14. Maij 1612. coram me.

5 Nec obstant clausulæ amplissime in mandato appositæ, veluti *cum libera*, & similes; quia, vt fuit responsum in decisione in hac causa facta, huiusmodi clausulæ sunt accessoriæ, quæ non ampliant mandatum ad alias causas, sed augent potestatem super speciali causa in mandato expressa. Felin. *in cap. sedes num.3. propè fin. vers. & dict. de rescript.* Dec. *cons. 502. num 9* Natt. *cons.197. sub num.3 & seq. lib.1.* cum aliis in dicta decisione allegatis; vnde semper verum erit quòd in hac causa adfuit totalis defectus mandati, & sic intrant superiùs allegata.

6 Obiectum de præsumpto mandato fuit sublatum in dicta decisione facta prima Iulij, vbi quòd non est locus mandato præsumpto, quando adest expressum non sufficiens, quo Procuratores sunt vsi. *l. martius*, & ibi gl. *in verb. præscripserit*, Bart. & alij *C. de procur.* gloss. *in cap. constitutus in verb. sue*, & ibi Panorm. *n.5.* Imol. *n.6. eod. tit.* Et ita decisum, &c.

R.P.D. SACRATO.

Lauretana iurisdictionis. Lunæ 20. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

De Episcopo Lauretano, quòd habet iurisdictionem in Clerum, & cantores, custodes, & alios ministros S. Capellæ, quando delinquunt extra Capellam, & officium priuatiuè quoad protectorem, & inde multa notanda in erectione Ecclesiæ ad maiorem dignitatem, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Episcopus de iure communi habet fundatam intentionem quoad iurisdictionem spiritualem super omnibus personis suæ diœcesis, etiam si illæ personæ profiteantur se inseruire Capellæ exemptæ à iurisdictione Episcopi, n.2.

Manutentio iurisdictionis datur ex sola assistentia iuris communis, ibid.

Erectio Ecclesiæ in Cathedralem dicitur nouum corpus cum nouo Præsule qui est Episcopus, n.4.

Regula quod ex diuersis non infertur, n.5.

Corpus vnum quòd debeat habere duo capita monstruosum est, ibid.

Dispositio qualibet intelligitur rebus in eodem statu permanentibus, post n.5.

Ecclesia collegiata si fuerit effecta Cathedralis, priuilegia antiqua non possunt deseruire, ibid. in fin.

Ecclesia filialis quæ præcedebatur ab Ecclesia matrice, si erigatur in collegiatam, debet præcedere ipsam matricem, n.6.

Noua parochia si erigatur intra fines antiquæ, habebit decimas, quas alias antiqua parochia habebat, etiamsi hoc non caueretur in noua erectione, post n.6.

Archidiaconus habens monasterium sibi subiectum, si monasterium erigatur in cathedralem, efficitur illi monasterio subiectus, n.7.

Priuilegium quod expresè non adimit Episcopo, illi reseruare censetur, n.8.

Assistentiam iuris communis habens, pro se dicitur habere liquidissimam probationem, ibid. ante fin.

Liquidissima probatio non tollitur per probationem æquiuocam, ibid. in fin.

Connexorum eadem est natura, n.9. ante fin.

Limitata causa limitatum producit effectum, ibid. in fin.

Extensio non fit in materia correctoria, ibid. in fine.

Petitorium nihil habet commune cum possessorio, n.10.

DECISIO CCCXIII.

ORta controuersia inter Illustrissimos, & Reuerendissimos Dominos meos D. Cardinalem 1
Protectorem sanctæ Domus Lauretanæ ex vna, & D. Cardinalem Episcopum eiusdem ciuitatis ex altera, super multis capitibus iurisdictionis spiritualis exercendæ in dicta ciuitate, & Capella, & super illarum personis; causaque mihi in Rota commissa, dubitaui, cui esset dandum mandatum de manutenendo, & in quibus ad effectum de quo agitur, & quia materia euasit satis prolixa, & multa fuerunt proposita, quæ videbantur egere particulari inspe-

ctione; placuit Dominis pro hac prima vice firmare tantùm, quòd Illustrissimo D. Cardinali Episcopo sit dandum mandatum de manutenendo quoad exercitium iurisdictionis in Clerum, & Cantores, necnon etiam in custodes, & alios ministros sanctæ Capellæ, quando tamen delinquunt extra Capellam, & officium: reseruato, vt de aliis videretur.

2 Moti fuerunt Domini ad concedendum prædictum mandatum, quia Episcopus de iure communi habet fundatam intentionem, quoad iurisdictionem spiritualem super omnibus personis suæ diœcesis, *cap. conquerente, de offic. ordin. cap. cùm Episcopus, eod. tit. in 6.* Franc. *in cap. cùm persona. §. fin. de priuil. in 6.* Hostien. *in cap. cùm inferior. num. 13. de maior. & obed.* Caputaq. *decis. 306. num. 1. & 7. lib. 1. & decis. 203. lib. 3.* etiamsi illæ personæ profiteantur se inseruire Capellæ exemptæ à iurisdictione Episcopi, Rot. *decis. 726. num. 2. vers. & quatenus, part. 1. diuers.* Ratione autem solius assistentiæ iuris communis in materia iurisdictionali competit manutentio, *cap. cùm persona. §. fin. de priuil. in 6.* Caputaq. *decis. 306. num. 7. lib. 1. & 23. lib. 2.* Rot. *decis. 145. num. 5. in fin. cum seq. part. 1. diuers.* & in causis Bononien. Sancti Petronij 28. Aprilis 1593. coram Cardin. Mantica Veronen. iurisdictionis 18. Martij 1596. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Sipuntina iurisdictionis 24. Maij 1603. coram me.

3 Cæterùm, vltra iuris assistentiam quoad delicta extra officium, & Capellam, de quibus nunc agitur, adest clara quasi possessio D. Cardinalis Episcopi, de qua bene deponunt testes pro eius parte examinati, nempè primus iuxta 14. quartus iuxta 20. additionale, & quintus iuxta aliud additionale, qui testes deponunt de actibus particularibus, in quibus Episcopi pro tempore exercuerunt iurisdictionem, & concordant etiam testes D. Cardinalis Protectoris, nempè tertius iuxta 15. & quintus iuxta 16.

4 Non obstant amplissima priuilegia concessa per Iulium II. & alios antiquos Pontifices Protectoribus sanctæ Capellæ, quia fuit dictum, quòd priuilegia, quæ emanarunt antequam castrum Lauretanum erigeretur in Cathedralem, non possunt deseruire post dictam erectionem; etenim per huiusmodi erectionem formatur nouum corpus cum nouo Præsule, qui est Episcopus. Host. *in cap. cùm inferior. num. 12. vers. nam & erecta.* & ibidem Ioan. Andr. *in gloss. 3. ad fin.* Butr. *num. 12.* Card. *num. 1. opposit. 10.* Ægid. *num. 8. vers. in gloss. 3. de maior. & obed.*

5 Propterea malè infertur de illo corpore antiquo ad nouum, cùm sint diuersa: *vulg. l. illud. ff. ad l. Aquil. l. ille, aut ille. de leg. 3. cum concord.* Est enim monstruosum, quòd vnum corpus debeat habere duo capita. *cap. quoniam. vers. prohibemus.* vbi gloss. *de Parochiis. cap. in apibus. 17. q. 1.* Oldr. *cons. 67. num. 1.* & in istis terminis Rot. in causa Constantien. iurisdictionis. *vers. neque verò.* 18 Maij 1611. coram Reuerendissimo Attrebaten. & suffragatur trita conclusio, quòd quælibet dispositio intelligitur, rebus in eodem statu permanentibus. *l. quod Seruius.* vbi Iason. *num. 8. ff. de cond. caus. dat.* Anchar. *cons. 84. nu. 3.* Ruin. *cons. 137. num. 11. lib. 2.* latè Tiraquell. *in præfat. l. si vnquam, num. 167. C. de reuocand. donat.* Rot. *decis. 123. num. 16. part. 2. diuers.* & proinde cum Ecclesia Lauretana, quæ priùs erat simplex Collegiata, effecta fuerit Cathedralis; priuilegia antiqua non possunt deseruire.

Qua ratione videmus quòd Ecclesia filialis, quæ priùs præcedebatur à Matrice, si erigatur in Collegiatam, debet præcedere ipsam Matricem. Seraph. *decis. 1445. num. 2.* vbi *sub num. 7.* reddit bonam rationem, quia scilicet mutato statu, mutatur antiquum ius. Sic videmus, quòd erecta noua Parochia intra fines antiquæ noua Parochia habebit decimas, quæ aliàs competiissent antiquæ, etiamsi hoc in noua erectione minimè caueretur. Abb. qui de communi attestatur *in c. cùm contingat. sub n. 8. vers. sed remanet quartus casus, de decim.* & fuit dictum in Comen. decimarum 28. Iunij 1602. & 17. Nouembr. 1606. coram me.

Sic Archidiaconus, qui habet monasterium sibi subiectum, si illud monasterium erigatur in Cathedralem, de domino fit subiectus, nisi aliud in dicta erectione caueatur. Host. *in cap. cùm inferior. num. 13. de maior.* quæ magis de plano videbantur procedere in hoc casu, quo Papa in erectione nouæ Cathedralis vsus fuit verbis amplissimis, ibi, *qui iurisdictionem habeat, & exerceat in spiritualibus, cum honoribus, & priuilegiis, quibus alij Episcopi de iure vel consuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur,* &c. Certum est autem, quòd præcipuum ius, quo de iure, & de consuetudine vtuntur Episcopi, est ipsa spiritualis iurisdictio priuatiuè quoad omnes alios, per suprà allegata. Et hæc quoad priuilegia ante erectionem quæ possunt etiam deseruire, quoad quasi possessionem, in qua Protector Sanctæ Domus Lauretanæ esset ante erectionem in Cathedralem.

Post verò erectionem, non fuit pro parte D. Cardinalis Protectoris ostensa quasi possessio respectu iurisdictionis in Clerum, & ministros delinquentes extra Capellam, & officium; & licèt fuerint exhibita quædam prætensa Concordata inter Episcopos prædecessores, & D. Protectorem Sanctæ Capellæ; attamen visum fuit illa non obstare: nam (omisso quòd pro parte Domini Cardinalis moderni Episcopi fuit allegatum, illa non esse in forma probanti, neque confecta ex auctoritate, quæ possit ligare Episcopos successores, ac etiam dum de correctione loquuntur, intelligenda de correctione leui, quas inspectiones Domini seruarunt ad aliam propositionem) fuit responsum, quòd non poterant deseruire ad casum de quo nunc strictè agitur, quia non continent verbis expressis, & claris delicta officialium delinquentium extra eorum officium, vt esset necessarium ad prædictum effectum. Seraph. *decis. 1380. num. 2. vers. quia in illo, & num. 3. vers. neque verba priuilegij.* Rota in Constantien. iurisdictionis coram Attrebaten. *vers. & generaliter,* vbi dicit quòd omnia illa, quæ per priuilegium expresè non adimuntur Episcopo, illi censentur reseruata, & meritò, quia habens pro se iuris communis dispositionem, dicitur habere liquidissimam probationem. gloss. *in l. si tutor. in verb. ostenderis,* vbi Bald. *num. 2. C. de priuil. tut.* Rot. *decis. 4. in fine part. 2. diuers.* Hæc autem liquidissima probatio non debet tolli per æquiuocam. *cap. in præsentia,* vbi Abb. *num. 6.* Dec. *num. 12.* Butr. *num. 132. de probat.* Gemin. *in cap. si tibi, num. 14. de prebend. in 6.* Seraph. *decis. 619. num. 9.*

Quantum enim ad officiales Sacristiæ prætensa concordata sunt restricta ad delicta in officio, ibi, & *in eorum*

in eorum officio delinquentium correctio,&c. vnde quoad delicta extra officium, faciunt pro Episcopo, arguendo ex materia. *l. cùm prætor. ff. de iud.* Quantum verò ad Custodes Capellæ, licèt simpliciter dicant, illorum deputationem, & correctionem spectare ad Protectorem, non propterea exprimunt quòd hoc debeat intelligi etiam de delictis extra officium, & propterea cùm hoc expresè non dicant, iurisdictio remanet Episcopo, ex decisionibus Seraphini, & Attrebaten. suprà allegatis, & illa connexio deputationis, & correctionis satis denotant correctionem debere intelligi circa materiam in qua fit deputatio, arguendo à simili natura connexorum. Aym. Crauett. *cons.* 461. *num.* 50. Anchar. *cons.* 161. *num.* 4. & limitata causa, vt scilicet meliùs possit expediri officium deputationis, limitatum debet producere effectum. *l. in agris. ff. de acq. rer. domin.* & quia in materia correctoria stricta fit interpretatio. Alex. *cons.* 50. *num.* 13. *vers. denique lib.* 2. Roman. *cons.* 159. *n.* 4.

Præterea, etiam si prætensa concordata aliquid plus dicerent, non esset Episcopus turbandus in possessione in qua existit, quoad delicta extra officium, & Capellam, vt suprà firmatum est, cùm exceptio concordatorum respiciat petitorium, quod dicitur nihil habere commune cum possessione. *l. naturaliter. § nihil commune. ff. de acq. poss.* Potuerunt enim superuenire noua concordata, aut præscriptio adminiculata titulo iuris communis, de quibus erit in petitorio agendum.

Et ita conclusum.

R.P.D. REMBOLDO.

Ilcinen. iurispatronatus. Mercurij 22. Iunij 1616

ARGVMENTVM.

Castro legato censetur etiam legatum iuspatronatus, præsertim quando castrum fuit legatum cum omnibus suis pertinentiis, & ad iuspatronatus, in quo vocantur, qui sunt de familia dotantis, numquid censeantur vocati ij, qui sunt de familia aggregata.

SVMMARIVM.

Castro legato, censetur etiam legatum iuspatronatus, præsertim quando castrum fuit legatum cum omnibus suis pertinentiis, n. 1. *per tot.*

Confessio Procuratoris facta in iudicio nocet etiam principali, & post sententiam ampliùs reuocari non potest, num. 4.

Iuspatronatus factum in fauorem alicuius familiæ, numquid extendatur ad familiam aggregatam, n. 5.

DECISIO CCCXIV.

1 Domini steterunt in decisis sub die 18. Decembris 1615. Nam quòd sub legato castri Porronæ à Iacobo famil'æ Piccolomineæ facto contineatur quoque iuspatronatus de quo agitur, visum fuit controuerti non posse, tum quia dictum castrum legatum legitur cum omnibus suis iuribus, & pertinentiis, quo casu censetur etiam iuspatronatus Ecclesiæ in eodem castro existentis legatum, iuxt. text. *in cap. ex litteris, de iurepatronatus*, Bald. *cons.* 32. *num.* 3. *lib.* 1. Dec. *cons.* 49 *num.* 1. *vers. sed tamen his non obstan.* cum aliis in dicta decis. allegatis.

Tum quia Iacobus testator expresè disposuit, quòd legatarij tenerentur dictam Ecclesiam prouidere de omnibus necessariis, & opportunis pro illius reparatione, & fabrica, ex quo satis coniicitur ipsum voluisse ad eosdem dictum iuspatronatus spectare, vt bene fuit ab informantibus pro familia originaria ponderatum. 2

Ac propterea non obstant ea, quæ in contrarium ad docendum, quòd dictum iuspatronatus non esset de pertinentiis castri, deducebantur, quia vltra quòd non subsistunt, cùm præsertim constet Ecclesiam fuisse ex bonis in dicto castro, & eius territorio existentibus, & consequenter ex eiusdem castri bonis dotatam, ad not. per Menoch. *præsumpt.* 99. *num.* 10. *& præsumpt.* 101. *num.* 5. *lib.* 3. sufficit etiam quòd dictum iuspatronatus semper vti de pertinentiis dicti castri habitum, ac tentum fuerit, & quòd, vt in alia decis. ostensum fuit, ad dictam Ecclesiam perpetuò illi tantùm præsentarunt, qui pro tempore eiusdem castri domini erant, nulla aliorum habita ratione, iuxt. not. *in c. consultationibus, de iurepatr.* Rot. *decis.* 1. *eod. tit. in nou.* 3

Et in omnem euentum cessat difficultas ex eo quòd Procurator D. Comitis nedum in iudicio coram Ordinario Ilcinen. agitato sæpiùs fassus fuit d. iuspatronatus ad dominum castri spectare, sed etiam sub prætextu, quòd familiæ originariæ nullum ius in dicto castro competeret, aduersùs illam pronunciari, ac præsentatum ab eodem D. Comite, tanquam à legitimo castri possessore præsentatum institui obtinuit. Hæc enim confessio procuratoris facta in iudicio nocet etiam principali. Felin. *in cap.* 1. *num.* 15 *vt lit. non contest.* Osasch. *decis.* 39. *num.* 38. nec potest ampliùs, stante dicta sententia reuocari. Gram. *decis.* 103. *num.* 84. *& seq.* eoque magis, cùm dicta sententia fuerit à dicto D. Comite approbata, ad reg. quod semel placuit, cum simil. 4

Quòd autem ad prædictum legatum, & consequenter etiam ad iuspatronatus tota familia Piccolominea, atque ita tam originaria, quàm aggregata fuerit vocata, satis fuit ex rationibus in alia decis. deductis probatum, quæ etiam nunc Dominis placuerunt, & inter alias visæ sunt vrgentissimæ, quæ ex vsu loquendi testatoris in dicta decis. probato, & obseruantia postea subsecuta deducebantur, cùm præsertim actus, ex quibus dicta obseruantia elicitur, gesti fuerint præsentibus, & patientibus aggregatis, & etiam nunc dicta familia originaria possideat apothecas ab eodem testatore sub iisdem verbis, quibus castrum Portonæ reliquit, toti domui Piccolomineæ relictas, adeò quòd dictum castrum, & apothecæ tanquam sub eadem terminatione comprehensæ iuxta vulgares iuris regulas pariformiter quoque determinari debeant. *l. tam hoc iure. ff. de vulg. & pupill. l. quamuis. C. de impub. & aliis substit.* &c. 5

R.P.D. VBALDO.

Romana Saluiani. Mercurij 22. Iunij 1616.

DECISIO CCCXV.

Est decis. 300. *post Pacif. de Saluian. & apud Cenetum de censib. dec.* 300. *& penes Duard. eodem tract. dec.* 303.

R.P.D. VBALDO.

Romana domorum. Mercurij 22. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Manutentio non datur ei qui declarauit se spoliatum, quæ declaratio ex confessionibus elicitur: requiritur autem declaratio clara & aperta.

SVMMARIVM.

Manutentio non datur spoliato, de quo ex circumstantiis apparet quòd se habet pro spoliato, & deposuit animum possidendi etiam ciuiliter, n.1.

Possessionem animo dimissam probatur ex circumstantiis, & quæ sint circumstantiæ, n.2. & 3.

Confessio reuocari non potest, non docto de errore, n.4.

Possessionis amissio consistit in solo animo, & ex confessionibus elicitur, præsertim geminatis, ibid.

Manutentio non denegatur, non obstante quòd petita sit reintegratio, dummodo petitio reintegrationis sit simplex, turbita & obscura: secus si clarè, & apertè sit declaratum esse spoliatum, n.5.

Cessio iurium facta à principali venditore, qui reseruauit dominium rei venditæ vsque ad integram pretij solutionem ad fauorem tertij possessoris, operatur retentionem, licèt aliàs immissio fuisset nulla, & spoliatiua, num.6.

DECISIO CCCXVI.

1 Placuit Dominis decisio vltimo loco in hac causa facta die 23. Ianuarij præteriti, videbantur enim subsistere eius fundamenta; nam primum quòd Ioanni Francisco non possit dari manutentio, ex eo quòd se habuit pro spoliato, dicebant Domini subsistere in iure & in facto; in iure, quia Rota non admittit simpliciter decisionem Put. 409. *lib.2. in nouiss.* licet quando constat ex circumstantiis quòd asserens se spoliatum, deposuit animum possidendi etiam ciuiliter, vt in decisionibus allegatis in decisione de qua agitur; tunc enim spoliato non datur manutentio. Couarr. *pract. quæst. cap. 17. num.3.* Caputaq. *decis.43. lib.2. in manuscript.* Ferret. *cons. 18. num.10. vers.3. & vers.5. lib.1.* Menoch. *de retinen. remed. vlt. num.29.* & fuit dictum in causa Senogallien. beneficij 5. Aprilis 1593. coram bon. mem. Cardinale Arrigonio.

2 Ex circumstantiis autem videtur satis constare quòd Ioannes Franciscus habuerit se pro spoliato, tam ex prima eius commissione, in illis verbis, *Oratorémque spoliatum in eum, in quo erat ante præmissa statum, & possessionem restituendam, reponendam, & reintegrandam,* quàm ex secunda eiusdem commissione, ibi, *Orator causam reintegrationis super dictis bonis deliberatis instruxerit, & ibi contra d. aduersarium reum, & detentorem omnium bonorum, de quibus agitur*; quibus commissionibus apparet, Io. Franciscum fuisse vsum mediante illarum productione parte citata, & decretis obtentis de procedendo, iuxta illarum formam, & tenorem.

3 Et adminiculatur prædictis protestatio facta à Marco Antonio eius fratre, & Procuratore contra Pandulphinum, in qua eum interpellat ad tuendum pretium retractum ex venditione domus subhastatæ, & depositum penes sacrum Montem Pietatis, & quòd debeat stare pro euictione, ex quo actu videtur induci ratificatio dictæ venditionis, qua stante, non potest intrare prætensa manutentio super dicta domo.

Non obstat reuocatio dd. confessionum, quia de errore non docetur, nec doceri posse videtur, quòd ipse non habuerit animum habendi se pro spoliato, cùm amissio possessionis consistat in solo animo. *l. 3. §. in amittenda. ff. de acquir. possess.* qui ex dictis confessionibus bene elicitur, præsertim geminatis. arg. *l. Balista. ff. ad Treb.* ex quibus d. fundamentum subsistit etiam in facto.

Nec etiam obstat decisio in causa Mediolanen. Capellæ 20. Iunij 1594. coram bon. mem. Iusto ex aduerso allegata, quia procedit, quando petitio reintegrationis est simplex, turbida, & obscura, non autem vbi, prout in hoc casu, narratis priùs actibus positiuis venditionis domus, impetrans commissionem expresè dixit se spoliatum, & petiit committi vt ipse ad statum in quo erat, & possessionem restitueretur, & sic vbi sumus in clara, & aperta declaratione, vt dixit Rota, declarando dictam Mediolanen. in causa Vlixbonen. præeminentiarum 18. Aprilis 1603. coram eodem Iusto.

Aliud etiam fundamentum decisionis placuit Dominis quòd detur retentio D. Pandulphino pro pecuniis expensis pro Io. Francisco, saltem pro scutis 345. quæ D. Pandulphinus soluit Palmettæ, à qua Io. Franciscus domum emerat, cum reseruatione dominij, donec integrum pretium solueret; vnde cùm successerit in locū Palmettæ, à qua etiā habuit cessionem iurium, videtur saltem pro ista rata fecisse fructus suos, & datur retētio, licèt aliàs immissio fuisset nulla, & spoliatiua, per *l. si non sortem. §. si centum,* vbi gl. & Doct. *ff. de condict. indeb.* Surd. *decis. 46. num.7.* & tenuit Rota in Reatina spolij 4. Iulij 1614. coram R. P. D. meo Decano.

Ex quibus Domini perstiterunt in decisis.

R. P. D. ANDREA.

Romana legati. Mercurij 22. Iunij 1616.

ARGVMENTVM.

Testator quando possit in testamento se facere debitorem in summa declaranda per creditorem, & an tunc declarationi creditoris standum sit: captatoria voluntas quando dicatur, & quando valeat dispositio testatoris collata in arbitrium tertij.

SVMMARIVM.

Testator potest in testamento se facere debitorem in summa declaranda per creditorem, num. 2. & per tot. decis. in qua declaratur quando hæc conclusio vera sit.

Conscientia alicuius vbi quid committitur, non creditur sine iuramento, num.3. Vbi etiam, an tale iuramentum debeat à iudice deferri.

Dictio aliqua verificatur etiam in minima parte, n.4.

Conscientiæ alicuius quando quid remittitur, intelligi debet arbitrio boni viri. Declara vt n.5.

Iuramen-

Iuramento alicuius quando ſtatutum ſtari mandat, an tunc admittatur probatio in contrarium, ibid.

Captatoria voluntas non valet niſi concurrentibus adminiculis, & quando dicatur voluntas captatoria, num.6.& 7.

Teſtatoris diſpoſitio collata in alienum arbitrium, an, & quando valeat, num.6.& ſeqq.

DECISIO CCCXVII.

1 ANdreas Baccinus in ſuo cum quo deceſſit in ſcriptis teſtamento de anno 1614. inſtituta ſibi hærede vniuerſali Venerabili Eccleſia Beatæ Mariæ Montium fecit plura legata, & inter alia mandauit, quòd Ioan. Dominico Henrico eius familiari reſtitueretur omne id quod dixerit in eius conſcientia eſſe creditorem ipſius teſtatoris abſque aliqua diligentia. Quo mortuo Ioan. Dominicus conuenit Officiales d. Eccleſiæ coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Verallo iudice, & illius Protectore, ad ſoluendum ſcuta 488. ſibi debita à teſtatore, iuxta formam teſtamenti; & pro illorum iuſtificatione medio iuramento in actis declarauit ſe remanere creditorem d. teſtatoris in d. ſumma, cuius Illuſtriſſimi Cardinalis D. Locumtenens ex probationibus per dd. Officiales in cauſa factis, Eccleſiam in ſcutis 150. condemnauit, in reliquis verò abſoluit, à qua ſententia fuit hinc inde appellatum in parte, & partibus, & ab eodem Illuſtriſſimo in vim ſuarum facultatum deputatus in iudicem R. P. D. Celleſius, qui dictam ſententiam in melius reformando Eccleſiam ad ſolutionem dd. ſcutorum 488. integrè condemnauit; cùm autem appellationis cauſa ab hac ſecunda ſententia fuiſſet mihi commiſſa extra Rotam, dubitaui an d. ſententia R.P.D. Celleſij eſſet confirmanda, vel infirmanda, & pro confirmatione fuit capta vnanimis reſolutio.

2 Nam de validitate ſententiæ non controuertebatur, & iuſtitia patebat ex teſtamento, in quo teſtator mandauit reſtitui d. Ioan. Dominico omne id quod dixerit in eius conſcientia eſſe creditorem ipſius teſtatoris, quam poteſtatem habuit defunctus. *l. Theopompus. ff. de dot. præleg. l. fin.* & vtrobique Bart. *ff. de prætor. ſtip.* Alexand. *conſil. 54. num. 1. verſ. nam teſtator, & verſ. nam quòd talis poteſtas, lib. 2.* Vnde bene potuit Dominicus facere d. declarationem, & per conſequens ei ſtari debet. Alexand. *d. conſ. 54. num. 1.* & per tot. Crot. *in l. nemo poteſt, num. 60. verſ. teneo contrarium. ff. de legat. 1.* Peregr. *de fideicommiſſ. art. 3. num. 59.*

3 Nec videbatur obſtare quòd vbi aliquid conſcientiæ alicuius committitur, ſemper debeat illam ſuo iuramento firmare, *d. l. Theopompus. ff. de dot. præleg. l. de pupillo. §. qui opus.* vbi Angel. & poſt eum Caſtren. *num. 2. ff. de oper. nou. nunc.* Alex. *conſil. 218. num. 8. lib. 2.* & quamuis in caſu noſtro dictum iuramentum interuenerit, non fuit vt debebat eſſe à iudice delatum, *l. videamus. §. deferre. ff de in lit. iuran. d. l. de pupillo. §. qui opus,* & vtrobique Doctor. cum aliis alleg. Quia non verſabamur in diſpoſitione in qua fuit mandatum, vt ſtetur dicto alicuius de voluntate à teſtatore ſibi declarata, quo caſu debet iurare vt teſtis, & procedit contrarium; ſed eramus in caſu quo teſtator præcepit ſtandum eſſe declarationi de eo quod dicenti videbitur, quo caſu cenſetur iſte aſſumptus vt arbitrator, & nedum ipſi à iudice non eſt deferendum iuramentum, verùm etiam neque tenetur iurare, Bart. ſic diſtinguens *in d. l. Theopompus, num. 7.* Alex. *d. conſ. 54. nu. 1. lib. 2.* Crot. *de teſtib. 7. part. num. 242.* Couarr. *lib. 2. var. cap. 13. n. 3. verſ. concluſio.* Afflict. *deciſ. 371. n. 6.*

Et difficultas ceſſabat, quia teſtator non modò voluit ſtari Henrici declarationi, ſed vlteriùs procedendo prohibuit fieri aliquam diligentiam, quæ dictio *aliqua* verificatur etiam in minima parte, gloſſ. *in Clemen. 1. verbo aut earum parte, de for. compet.* Si autem eſſet præſtandum iuramentum, vel à iudice deferendum, in hoc caſu fieret diligentia, & ſic eſſet contra mentem, & verba teſtatoris. 4

Hinc non obſtabat illa communis opinio, quòd quando remittitur aliquid conſcientiæ alicuius, recipiat interpretationem ab arbitrio boni viri, gloſſ. *in Clem. 1. in verbo oneramus. de iurepatronat.* Alex. *d. conſil. 218. num. 5. verſ. item bene facit, lib. 2.* Iaſ. *in l. ſi ſic legatum, num. 12. ff. de legat. 1.* cum aliis per Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæſt. 8. num. 40.* & ſic eſſe recurrendum ad ſuperiorem, vt arbitratur Caſtr. *in l. 1. nu. 7. in fin. ff. de legat. 2.* Quia dicta concluſio procedit, quando remiſſio fit ſimpliciter conſcientiæ, vel arbitrio alicuius; ſecus autem ſi adiiciatur aliquod verbum quod importet plenum, & liberum arbitrium, vt in hoc caſu quo fuit prohibitum fieri aliquam diligentiam. Bart. *in l. 1 num. 50. C. de ſacroſ. Eccleſ. & in l. alto num. 10. ff. de alim. legat.* Ant. de Padill. *in d. l. 1. num. 14 ff. de leg. 2.* Vnde in propoſito dicunt Doctor. quòd ſi ſtatutum mandat quòd ſtetur iuramento alicuius, & vlteriùs procedat ſtatuendo non admitti probationem in contrarium, vel aliter conſtet de mente ſtatuentium, quòd noluerint eam admitti, tunc nihil poterit in contrarium probari. Bald. *in l. 1. num. 3. C. de reb. credit. & in cap. 1. nu. 4. verſ. & facit ad ſtatutum. ſi de inueſt. int. dom. & vaſal.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 4. gloſſ. 1. nu. 13.* Seraph. *de priuileg. iuram. priuileg. 102. nu. 19.* 5

Nec valebat dicere hanc diſpoſitionem eſſe captatoriam, quia fuit collata in ſecretum alienæ voluntatis, quæ ſicut in inſtitutionibus, ita in legatis non valet, niſi concurrentibus adminiculis, *l. captatorias. ff. de hæred. inſtit. l. captatoriæ. ff. de legat. 1.* cum concord. & in noſtris terminis quòd quando teſtator diſponit, vt ſtetur dicto tertij de eo quod alicui debetur, & illud quod dixerit ſoluatur, talis diſpoſitio ſit captatoria, & ideo non ſit ſtandum huic dicto tertij, niſi adminiculetur aliquibus coniecturis, tradit Bart. *in d. l. Theopompus, num. 4.* Caſtrenſ. Alex. & alij relati per Couarr. *in cap. cum tibi, in fin. de teſtam.* & hîc per informantes, quia reſponſio patebat ex ſequentibus. 6

Et primò, Domini conſiderabant hunc articulum diſpoſitionis captatoriæ apud veteres ſcriptores fuiſſe valde incertum & lubricum, in quo vix illi omnes offenſam euitare potuerunt, ſiquidem ipſi eam eſſe captatoriam voluntatem, falsò exiſtimabant, quæ erat collata in alienum arbitrium, vt inſtituo hæredem, vel lego illi quem Titius voluerit, gloſſ. & Doctor. *in l. captatorias. C. de teſtam. milit.* Bart. & ceteri *in l. 1. ff. de legat. 2.* Abb. *in d. cap. cum tibi, num. 2. in 2. oppoſit.* vbi alij Canoniſtæ, quæ tamen non eſt captatoria, ſed vitioſa, quia pendet ex alieno arbitrio, *l. illa inſtitutio. ff. de hæred. inſtit.* Et captatoria diſpoſitio propriè illa eſt, quæ fit ſub conditione alterius relicti ſibi vel alteri inuicem faciendi; captare enim eſt oblatis illecebris, & ſtructis technis aucupari, & venari aliena, vt multis iuribus, & auctoritatibus probat Alciat. *lib. 2. parerg. cap. 31.* Ant. Auguſt. *lib. 4. emendat. cap. 15. in princip.* 7

& ideo Constan. Harmenop. *lib.5.promptuar.iur.tit.8.nu.4.* eam appellat remunerationem, quia gratiam rependit. exempla sunt *in l.illæ autem. ff. de hæred.instit.& in l.1.in fin.ff.de iis quæ pro non script.* vt si Titius me hæredem instituet, vel qua ex parte me hæredem nominabit, ex ea mihi hæres esto, collatione scilicet facta in futurum, non in præteritum: vt *d.l. illæ autem*, quæ etiam subiicit exemplum institutionis captatoriæ in alium directæ, vt si Titius hæredem Mæuium scripserit, mihi hæres esto, & easdem formulas tradit Harmenop. *vbi suprà*, quæ seruari etiam poterunt in legatis; sic denique vltra prædictos hanc materiam explicarunt, gloss. in 3. exemplo communiter recepta, *in d.l. captatorias. C. de testam. milit.* Cuman. *in l.captatorias.ff.de hæred.instit. & in d.l.1.col.penult.ff.de leg.2.* Socin.iun. *in l.moribus, n.10. ff.de vulgar.* Ludouic. Lusitan. *in l.vtrum.§.cùm quidam.col.4.ff.de reb.dub.* Connan. *lib.10. commen.iur. cap.6.n.5.* Balduin. *in Instit.post tit.de adim.lega.* Cuiac. *in not.ad tit.Instit.de societ.& lib.16.obseru.cap.11.* Anton. Constan. *lib.1.quæst.cap.7.* Coras. *lib.5.miscel.iur. cap.13.* Couar. *in dicto cap cum tibi, nu.1.& 2.* Sarmien. *lib.2.select.cap.4.nu.1.& cap.6.in princ. & nu.35.in fin.* Spieget. Hotteman. Brisson. Prateius, & Schard. *in verbo captare, & verb. captatoria institutio*, Peregr. *de fideicommiss.art.33.nu.60.* Castill. *quotid.controuers. iur.lib.2.cap.6.à nu.1.vsque ad 7.* Card. Seraph. *decis. 350.num.11. & 12.part.1.* Surd. *decis.98.num.6.* & alij recentiores, quibus hisce nostris, & paulo antè actis temporibus annuente Deo lumen bonarum litterarum affulsit.

8 Secundò, Domini censebant non omnem dispositionem quæ fuit in alienum collata arbitrium esse nullam, sed dumtaxat quæ in arbitrium tertij, & hoc in institutionibus hæredum, *d. l. illa institutio*, vbi Bart. & cæteri *ff. de hæred.instit.* Peregr. *vbi suprà num.70.* in legatis autem est quæstio inter Doct. sed quidquid ipsi distinguant inter arbitrium, & liberam tertij voluntatem, prout distinguit gloss. *in l.1.* & ibi Bart. *num.4.ff.de leg.2.* Couar. *in dicto cap.cùm tibi, nu.6.* Peregr. *dicto art.33.num.68.* Castill. *vbi suprà nu.40.* Receptissima est, & sine distinctione sententia respectu legatarij, quòd siue eius arbitrio, siue in libera voluntate positum fuerit, legatum semper est validum, *l.si ita legatum.§.illi si volet.ff.de leg.1.l.si ita expressum.ff.de cond. & demonstr.* gloss. *in d.l.1.verbo conditio, ad fin.vers.vltimò nota*, quam Doctor. communiter sequuntur, Alex. *in puncto d.cons.54. num.3. lib.2.* Vbi remouet difficultatem, quæ oriebatur ex incertitudine ob non expressam certam quantitatem, dicens, quòd legatum ibi fuerat relictum sub conditione, si legatarius declarabit quæ veniebat certificanda per declarationem ipsius tutoris, prout fuit declaratum, qui propriè est casus noster, & alios referunt hanc conclusionem firmantes, Couart. *in dicto cap.cùm tibi, num.6.& 7.* Peregr. *d.art.33.nu.67.* Castill. *eod.cap.6.num.32.*

9 Tertiò, vni ex Dominis placebat hanc declarationem reperiri adminiculatam ex libro rationis, fuerat instante parte, è domo Ioannis Dominici ablatus à birruariis vigore mandati de perquirendo, ex quo libro apparet calculatis calculandis, Henricum remanere creditorem defuncti in dicta quantitate scut.488. Nec poterat oriri suspicio contra dictum librum, quia non fuerat productus ab eodem Ioanne Dominico. Adeò quòd dictum creditum Henrici videtur esse verisimile, vt considerat Alex. *dicto cons.54.num.4.vers.& tanto magis.*

Vltimò, nec obstabat dictum testis pro Ecclesia deponentis de confessione Ioannis Dominici, quòd eius creditum erat scut.150. quia erat vnicus, & minister, seu deputatus Ecclesiæ hæredis, & sollicitator causæ, nec deponebat de tempore obitus, & sic non releuabat eius dictum, ex allegatis hîc per informantes. Et ita fuit conclusum pro Ioanne Dominico sententiam esse confirmandam.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Amerina iurispatronatus. 1. Iulij 1616.

ARGVMENTVM.

Idoneitas ad beneficia simplicia satis probatur per litteras dimissoriales ad primam tonsuram. est singularis.

SVMMARIVM.

Dimissoria ad primam tonsuram probat notitiam litteraturæ pro legendo & scribendo iuxta formam Concilij Tridentini sess.13.cap.4. quæ sufficiunt ad primam tonsuram, num.1. vide num.2. & seq.

Beneficiatus etiam simplex debet scire linguam Latinam pro recitatione & intelligentia officij diuini, nu.2 vide nu.4. Contrarium intelligendum est vel parte opponente, vel Ordinario non admittente.

Beneficia curata vel canonicatus obtineri non possunt sine litteratura, cuius defectus operatur incapacitatem obtinentis, num.3.

Falsitas Notarij super rogitu decreti iudicis, debet concludenter probari per impossibilitatem interpositionis, quia præsumitur pro veritate decreti, num.5.

DECISIO CCCXVIII.

RESolutum fuit standum esse in decisis, non obstantibus de nouo per Annibalem ponderatis.

Non enim obstat quòd litteræ dimissoriales ad primam tonsuram non præbeant sufficientem notitiam in Ordinario ad effectum sustinendi præsentationem factam de absente, cùm per eas inferatur quidem ad notitiam litteræ pro simplici lectione, & pro scribendo, prout desiderat Concilium *sess.23.c.4.* quando quis initiatur ad primam tonsuram.

Secus verò pro intelligentia linguæ Latinæ, quæ non consequitur ex ipso actu dimissoriæ, & necessaria videtur in beneficiato pro intellectu verborum in recitatione horarum. *Clem.vnic.* vbi gloss. *in verb. reputamus. de conss.præb.* cum aliis per Gonzal. *ad regul.octauam gloss.quarta, num.37.* adductis.

Quia etsi in beneficiis curatis, & aliis, in quibus requiritur industria & Concilium, vt in Canonicatu Cathedrali desideratur, & omnino sit necessaria litteratura, ita vt ea cessante quis reddatur inhabilis ad beneficia. *cap.præcipimus*, vbi gloss. *distinct.34.* Innocent. & Ioan. Andr. *in cap.cum nostris. de concess. præbend.* Lambertin. *de iurepatron.lib.2 part.1.quæst.7. art.24.num.2.*

In beneficio tamen simplici, vt in præsenti, illa non requiritur. Rot. *in antiq.decis.13.in fine.de probat.& in 2.part.diuers.decis.16. num.4.* Staphil. *de litteris gratiæ in 9.forma expert.num.23.* Ideo sicuti sufficit quem esse initiatum ad primam tonsuram, vt beneficium simplex

simplex obtinere possit, ita ad notitiam idoneitatis sufficiunt litteræ dimissoriæ ad primam tonsuram, cùm per eas inferatur ad præambulam approbationem qualitatis requisitæ ad præsentationem, nec refert quòd Ordinario volente, vel aduersario opponente aliter quàm per litteras dimissoriales, constare debeat de idoneitate præsentati, cùm aduersarius fortè de non idoneitate possit facere clarescere, vt per Lambert. *de iurepatr.p.1.num.2.lib.11.quæst.princ. art.3. num.* 9. quia neque Vicarius hoc voluit, dum admisit præsentationem de absente per processum ad vlteriora, mandando doceri de dotatione & fundatione, & iure præsentantium, neque aduersarius talem oppositionem fecit.

Non obstat quòd ex illis verbis, *Visis supradictis præsentationibus*, impossibile videatur quòd possit constare de exhibitione præsentationum coram Ordinario, cùm prædicta à Notario non potuerit scribi inter acta probante absentiã Vicarij de eodem die summo manè, & non reddita nisi post quinque dies pòst, de quibus deponunt testes dati pro Annibale.

1 Quia pro veritate decreti videtur præsumendum, & maximè, quia adminiculatur ex vno teste affirmante Notarium coram Vicario legisse præsentationem factam in personam Hortensij, eundemque Vicarium decretum interposuisse, ideo alij testes de absentia Vicarij deponentes debent per necesse concludere impossibilitatem interpositionis decreti, cùm agatur de detegenda falsitate Notarij. Felin. *in cap.ex tenore, num.2.de testibus.* Rota Auenionen. *decis.91.in fine,* quam tamen non concludunt, quia etsi abfuerit, potuit ante discessum decretum fecisse, vel Notarium ad eum accessisse, cùm non longè abesset à ciuitate occasione visitationis, vel eadem die rediisse, & de sero præstitisse.

Et ita, &c.

R.P.D. VBALDO.

Mindonien. Archidiaconatus. Veneris 1. *Iulij* 1616.

ARGVMENTVM.

Error in persona, & illius nomine, non nocet, quando de certitudine personæ constat per plures demonstrationes, & quas.

SVMMARIVM.

Error nominis non nocet vbi persona redditur certa per duas, aut plures demonstrationes, num.1.& sequentibus, vbi ponuntur demonstrationes hanc certitudinem significantes.

DECISIO CCCXIX.

1 Fvit dictum errorem nominis & diœcesis, de quo in supplicatione, & litteris expeditis, non nocere Ferdinando, quia vbi persona redditur certa per alias demonstrationes, error nominis nocere non solet *l.si quis in fundi vocabulo,* vbi Bart. *num.2.ff.de leg.1.l.si in nomine.C.de testam.§.si quis in nomine.Instit. de legat.*Alex.*cons.*108.*num.*2.*lib.*7. Paris.*cons.15.nu.8. lib.*4. Seraph. *decis.701.nu.1.part.1.*& in specie quod per errorem nominis non vitietur rescriptum, & gratia, tradunt Canonistæ *in cap.significante,* vbi præ cæteris, Innoc. Bellam.*num.*8. Anchar *num.*2. Felin. *in princip.de rescript.* Alex. & Paris. *locis citatis.* Rota *decis.*16 *de rescr.in nou.& decis.54.nu.1.eod.tit.in antiq.* Cresc. *decis.14.num.4.eod.tit.* & fuit dictum in causa Hipporrigien. præpositurae 1. Februarij 1588. coram Bubalo, & aliàs sæpe.

In proposito autem plures concurrunt circunstantiæ, ex quibus constare videtur de persona Ferdinandi, licèt per errorem fuerit expressum nomen Francisci. Primò cognomen de Saniurio, & de monte negro, vt fuit ponderatum à Paris. *d.cons.15 num.8. vers. eo magis lib.* 4. Secundò ex qualitate personæ, videlicet quòd sit clericus Minorum Ordinum, & diœcesis Ouetten. quæ omnia scilicet, vtrumque cognomen, & qualitates prædictæ enunciantur in instrumento procuræ facto à Ioanne Pardo ad petendum Coadiutorem sub die 6. Decembris 1605. & eadem ad vnguem reperitur in alio instrumento procuræ facto ab eod. Ferdinando die 21. eiusdem mensis, & anni, ad effectum supplicandi pro eadem coadiutoria cum expressa relatione ad d. [illegible] datum Ioannis, cum expressione diei, & Notarij de illo rogati, & aliàs dicitur certum, tam per se, quàm per relationem ad aliud. *l.ait prætor.§.1.*& ibi D. *ff.de re iud.l. certum.ff.si cert.pet.* Rota *decis.5.n.6.part.2.diuers.* 2

Accedit præmissis, quòd idem Procurator fuit constitutus à Ioanne, & à Ferdinando, item accedit confessio Ioannis pluries repetita, qui constituerat Procuratorem ad petendum coadiutoriam pro Ferdinãdo, & recognitio eiusdem personæ in Coadiutorem suum, item verisimilitudo, cùm Ferdinandus esset eius nepos, & Ioannes in eius domo versaretur familiariter, & domesticè, & tandem quia in loco non erat alius Ferdinandus, nec Franciscus eiusdem nominis, & cognominis, & qui prætenderet coadiutoriam vigore dd. mandatorum, de quibus omnibus deponunt testes iurati coram executore, qui vel probant etiam nemine citato examinati, cùm res ageretur coram executore, & sic extraiudicialiter. Aym.*cons.198.in fin.* præsertim cùm nullus adesset legitimus contradictor, vel saltem præbent maximum adminiculum, ad supradicta R. in. *cons.46 nu. 10. lib.*4. cum aliis allegatis in causa Hispalen. legitimitatis 11. Maij 1612. coram me. 3

Concurrit etiam assertio Notariorum illarum partium scribendi abbreuiatè nomen Ferdinandi, prout in hoc casu scriptum reperitur, nec non attestatio Capituli Mindonien. quòd dictus Ferdinandus verus erat Coadiutor, de quo in litteris coadiutoriæ, & non alius, & pro tali fuerit à Ioanne dum viueret recognitus, admissus, & appellatus. 4

Ex quibus omnibus simul iunctis, Domini firmarunt errorem Procuratoris in consentiendo coadiutoriæ, & in supplicatione, & litteris vbi fuit appositum nomen Francisci, non nocere Ferdinando, cùm ex tot demonstrationibus constet de identitate personæ, & tamen duæ regulariter sufficiãt. Bart. *in l.demonstratio falsa.n.14.ff.de cond.& demonstr.* Castr. *in l.si in nomine,n.4.C.de testam.* Alex. *cons.108.n.3.lib.2.* 5

Et ita fuit decisum, &c.

R.P.D. PAMPHILIO.

Gerunden. vini. Veneris 1. *Iulij* 1616.

ARGVMENTVM.

Argumentum habes ex summario.

SVMMARIVM.

Beneficij status vt dicatur mutatus requiritur spatium 40. annorum, num. 1.

Beneficij status vt dicatur mutatus ex collationibus, requiritur in conferente scientia prioris status, & voluntas illum mutandi, & nouum imprimendi, ibid.

DECISIO CCCXX.

1 CVm agentes pro Præpositis instetissent audiri super decisione vltimo loco facta vt illis satisfacerem, licèt postea citati noluerint informare, proposui de nouo causam, & Domini in decisis persistendum censuerunt ex rationibus, & fundamentis in prædicta decisione deductis, & ad illud motiuum, super quo aliàs per informantes magnum fiebat fundamentum, nempe quòd aliquæ ex præposituris fuerant permutatæ cum beneficiis Ecclesiasticis, exinde inferentes ipsas quoque debere censeri fuisse beneficia Ecclesiastica, ex quo aliàs cum eis beneficia permutari non potuissent: vltra respósionem datam in dicta decisione, quæ Dominis placuit, fuit dictum per huiusmodi permutationes non fuisse mutatum antiquum statum præpositurarum, cùm non contineatur spatium 40. annorum, quod requiritur ad inducendum nouum statum antiquo contrarium, vt trad. omnes *in cap. cùm de benefic. de præbend. in 6.* Felin. *in cap. in nostra in 40. corollar. in 4. not. num. 43. de rescript.* Silu. *de benefic. part. 3. quæst. 11. num. 127.* Rebuff. *super concord. tit. de collat. §. volumus, verb. regularia col. 2. vers. quartò requiritur*, & fuit decisum in Perusina S. Beueniatis 13. Martij 1588. & 19. Martij 1589. coram bo. me. Card. Pamphilio, & in aliis causis, nec appareat Episcopos coram quibus factæ fuerunt dictæ permutationes, sciuisse præposituras esse nudas administrationes, licèt collatiuas, & non beneficia Ecclesiastica, & voluisse illarum statum mutare, constituendo scilicet illa beneficia Ecclesiastica, prout etiam requiritur ad effectum mutandi statum antiquum, & imprimendi nouum, vt post Lap. *in dicto cap. cùm de benefic.* & ibi præ cæteris Gemin. *num. 9. per tot.* Franch. etiam *num. 9. ante med. vers. non tamen posset*, & Prob. ad Monach. *num. 4. & 13.* Idem Gemin. *in addit. ad Calder. cons. 1. in fin. de consuetud.* Felin. *vbi suprà num. 41. post med. vers. 2. nota diligenter.* Silu. *d. quæst. 11. nu. 124. & seqq.* Rebuff. *dicto verb. regularia, col. 1. vers. 3. requiritur*, & fuit dictum in supradicta Perusina Sancti Beueniatis.

R. D. SACRATO.

Romana hæreditatis. Lunæ 29. Octobris 1616.

ARGVMENTVM.

Testamentum laceratum an, & quando probet, præsertim si factum fuerit ad pias causas, & quid etiam de testamento sine solemnitatibus celebrato, nunquid valeat si pia causa fuerit instituta.

SVMMARIVM.

Testamenti scriptura etiam lacerata probat quando est testamentum nuncupatiuum, sub nu. 1. vbi præsertim quando non probatur lacerationem fuisse factam à testatore, & quid si scriptura lacerata reperitur penes testatorem, & quid etiam, quando in testamento lacerato est instituta pia causa.

Iesuitarum Domus professa est incapax hæreditatis, ibid.

Priuilegiatus non vtitur priuilegio contra æqualiter priuilegiatum, ibid.

Præsumptio vna tollitur per aliam contrariam præsumptionem, ibid. ad fin.

Causa intestati cessat vbi adest testamentum, ibid. in fin.

Testamenta sine solemnitatibus, & imperfecta, nunquid valeant ad piam causam, num. 2.

Militia cælestis fauorabilior est, quàm humana, ibid.

Generalis dispositio non includit pias causas, ibid. ante fin.

DECISIO CCCXXI.

QVondam Franciscus Ciarpa fecit testamentum manu sua scriptum, & subscriptum, sine tamen Notario, & testibus ad fauorem Societatis Sanctissimæ Annunciatæ de Vrbe: postea fecit aliud testamentum solemne, clausum tamen, ad fauorem RR. PP. Domus Professæ Societatis Iesu, cum clausula *cassans*, &c. Mortuo d. Francisco fuit repertum in quadam eius capsa hoc secundum eius testamentum laceratum; orta fuit controuersia super successione dicti Francisci prætendentibus hæredibus ab intestato, quòd neque primum, neque secundum testamentum valeret; non primum, quia conditum sine solemnitatibus, tum etiam quia in omnem euentum esset reuocatum per secundum, non etiam valere secundum, quia de eo non constat nisi per scripturam laceratam, quæ nihil probat. E conuerso dicebant cessionarij RR. PP. Iesuitarum primum testamentum non valere quidem ex causis suprà expressis, sed non ideo esse locum successioni ab intestato, sed immò sustineri secundum testamentum, non obstante laceratione prædicta, primò quia agunt vigore testamenti nuncupatiui, quod patet ex eo, quòd in illo condendo minimè fuerunt seruata requisita, de quibus *in l. hac consultissima, la 2. de testam.* Cùm igitur agant vigore testamenti nuncupatiui, dicebant nihil esse, quòd scriptura sit lacerata, cùm possint probare testamentum per testes. Secundò etiam fortiùs lacerationem sibi non obesse, cùm non probetur facta à testatore, vnde potuit fieri ab alio, qui non habuit facultatem præiudicandi Patribus, & licèt quando scriptura lacerata reperitur penes testatorem, præsumatur ab ipso lacerata; attamen dicebatur hoc non procedere quando in scriptura lacerata reperitur instituta pia causa, vt est Societas Iesuitarum, per *l. proximè, circa fin. ff. de his, quæ in testament. delentur*, & per illam Bart. *in l. si vnus, num. 2. de testam.* Corset. *singul. 67. verb. cancellatio.* Couarr. *in rubr. de testam. part. 3. nu. 19. vers. huic sententia suffragatur.* Cardin. Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib. 12. tit. 1. n. 32.* Tertio loco vrgebat Societas Sanctissimæ Annunciatæ, contendebatque primum testamentum valere non obstante defectu solemnitatum, cùm illæ non requirantur in testamento ad piam causam, ex infrà allegandis; secundum verò testamentum sibi non obstare, tum quia in eo reperiatur instituta Domus professa RR. PP. Iesuitarum incapax, vt dicebatur, institutionis hæreditariæ, ex Mandos. *in tract. de priuileg. ad instar. gloss. 11. nu. 8. & seq.* Gabr. *consil. 28. num. 1. & seq. lib. 1.* Tum quia eo ipso quòd secundum testamentum reperitur cassum à testatore sine factione tertij, prætendebat reuiuiscere

primum,

primum ex *l.penult.§.planè.de bonor.possess.secund.tab.* Quod confirmabatur ex eo quòd testamenta recipiunt vires suas à die mortis testatoris, & proinde cùm de tempore mortis testatoris secundum testamentum reperiatur cassum, necesse est, quòd remaneat primum, cùm non habeat, quòd sibi obstet, ex quo secundum stante cassatione non est amplius in rerum natura. Neque obstare, quòd secundum tanquam conditum ad piam causam non præsumatur laceratum à testatore, ex suprà allegatis, quia dicebant hoc non procedere, quando agitur de suscitando primo condito ad piam causam, quasi quòd pia causa instituta in secundo testamento non vtatur suo priuilegio contra piam causam æqualiter priuilegiatam institutam in primo, & quòd præsumptio, quæ est pro pia causa instituta in secundo, elidatur, & conquassetur per æqualem præsumptionem, quæ est pro pia causa instituta in primo, iuxta vulgatas conclusiones, quòd priuilegiatus non vtitur priuilegio contra æqualiter priuilegiatum, & præsumptio tollitur per æqualem præsumptionem contrariam, & hoc stante, quòd valeat primum testamentum, remanebat exclusa causa intestati *l. quandiu.ff.de acquir.hæred.l.ex testamento.C.vnd.lib.l.antequam.C.communia de success.* Non tamen deerant replicationes hinc inde.

2 Quare cùm res vndequaque appareret inuoluta, placuit Dominis pro nunc firmare, quòd primum testamentum fuerit validum, non obstante defectu solemnitatum, cùm fuerit conditum ad piam causam; licèt enim plures tenuerint quòd talia testamenta sine solemnitatibus minimè sint valida, quam opinionem etiam communem dixerunt Socin. iun. *cons.189.num.74.vol.2.*Clar.*in §.testament.quæst 7.n.1.* Nihilominus contraria sententia semper visa fuit DD. de Rota æquior, verior, & communior. Rota *decis.74.num.12.p.2.diuers.*& in Mediolanen. bonorum de Casanis 1.Februarij.& 13.Martij 1600.coram bo.me. Iusto. Æquior, quia fauorabilis piæ causæ. Ias.*cons.61.num.6.& 7.lib.1.* Ruin.*cons.71.num.16.17.& 18.lib.3.* Rota *in d.decis.74.num.14. part. 2.diuers.* Verior, quia mos sic testandi valet inter liberos. *Auth.quod sine.C.de testam.* Bart.*in l si quis cùm testamentum.num.4.ff.de testam.*Alex.*in l.hac consultissima, §.ex imperfecto. num.2. C. eodem.* Idem Alex. *consil.4. num.10.lib.7.* Castr. *cons.25.in fin.vers. præterea si scriptura.lib.2.* Ias.*dicto cons.61.in fine lib.1.* Cephal. *cons. 99.nu.2.lib.1.*Barbat.*cons.58.n.16.lib.4.* Couar.*in cap. relatum, il.1.num.32.de testam.*Rub.Alex.*cons.107.n.1.* Hirman. Pistor.*in quæst.iur.lib.1.quæst.1.num.25.* Ergo idem esse debet quo ad piam causam, cùm ista duo æquiparentur. Ioann.de Imol. *in l.si is qui, nu.5.& 6.ff.de testam.* Corn. *cons.307. in fin. vol.3.* & alios congerit Tiraquell.*de pia causa priuileg.5.* Item simile priuilegium concessum est humanæ militiæ *l.Lucius Titius.ff. de milit. testam.* ergo idem concedi debet ad fauorem militiæ cælestis, cùm sit fauorabilior. Bart.*in repetitione l.1.num.37.vers.super tempore. ibi, homo qui est in hostili.C.de sacros.Eccles.*Ruin *cons. 71.num.18.lib.3.* Corn. *dicto cons.307.sub num.7.vol.3.* Item in institutione piæ causæ cessant fraudes, propter quas sunt ordinatæ huiusmodi solemnitates. Itemneque potuerunt seculares Imperatores, neque si potuissent, præsumuntur voluisse sub generali dispositione testamentorum includere pias causas. *cap.in generali.de reg. iur. in 6.* & faciunt tradita per Federic.de Sen *cons.125.num.2.*& Corn.*cons.89.num. 11. lib. 3.* Et proinde sufficere debet quo quo modo secundùm ordinarias iuris regulas probaretur voluntas testatoris erga piam causam, & propterea cùm de iure communi scriptura confecta manu testatoris probet ipsius voluntatem quo ad alia negotia, debet illam probare in vltima voluntate quo ad piam causam, cùm solemnitates iuris requisitæ in vltimis voluntatibus non loquantur de pia causa, vnde in hoc pia causa remanet sub communibus regulis.*l.commodissimè. ff.de lib. & posthu.* communior, quam tenuerunt Alex.*cons.105.nu.9.in fin lib.7.*Imol. & Aret.*in l.si quis.C.de testament.* Dec. *cons.426.num. 8.* Cephal. *cons.99.nu.2.& 3.lib.1.* Menoch. *cons.224. num.66.vol.3.* Lud.Iunt. *tract.pro vxor.num.49.* Vasquez *tract.de success.creat.lib.3.§.21. numer.47. & 48.* Couar. *in cap.relatum il 1.num.12.* Michaël.Crass.*in §.testament.quæst.11.num.2.* Cæual.*in tract de comm.& magis comm.quæst.136.* & dixit Rota *in præallegata decis.74.num.12. part. 2. diuers.* & in Mediolan. bonorum de Casanis 1. Februarij, & 13. Martij 1600. coram bo.me. Iusto.

R. D. SACRATO.

Romana retrouenditionis domus. Lunæ 7. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

De priuilegio inquilinatus, iuris redimendi cessione, & retractu, multa notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Soluens illi cum quo quis contraxit, rectè soluit, licèt alias ad illum non spectaret commodum contractus, nu.2.

Scientia indubitata, & vera requiritur, quando agitur de perdendo iure quæsito, nu.3.

Inducta ad vnum finem non debent operari contrarium effectum, nu.3.ante finem.

Emptio facta pro persona nominanda, non sequuta nominatione personæ, residet in ipso contrahente, & emente, num.4.amplia vt num.5.

Complementarius bancariæ rationis potest in totum disponere de rebus ad illam spectantibus, nu.7.in fine.

Minor ætas non attenditur in materia mercantili, n.8.

Cessio iuris redimendi strictè, & propriè non est venditio, num.9.

Extensio non fit ex identitate rationis in materia stricta, & exorbitanti, ibid. vbi multo minus fit extensio in materia correctoria.

Successorum nomine venit etiam successor singularis, & extraneus, & sic quilibet cessionarius, nu 10.in fine.

Rarò contingentia non sunt in consideratione, ibid.

Inquilinatus priuilegium non habet locum in donatione, num.11.& 12.

Mixtum non continetur sub simplici, num.11.

Donatio præsumitur inter coniunctos, ibid. in fine.

Retractui locus non est quando retrahere volens non potest præstare illud, quod præstat is à quo vult retrotrahere, num.12.

Retractus non habet locum in permutatione, ibid.

Prorogatus terminus non est nouus terminus, sed est idem cum primo, ibid.ante finem.

Melioramentorum exceptio non impedit exequutionem, quando de illis non constet saltem in genere, & isto casu sufficit offerre cautionem, præsertim quando melioramenta facta fuerunt lite pendente, num.13.

DECISIO CCCXXII.

1 QVoad Dominos de Emis Rota permansit in bis decisis in hac causa, quòd scilicet domus, de qua agitur, sit illis retrouendenda; & quidem si domus spectat ad D.Pirrhum, res procedit de plano, ex aliàs decisis, verùm etiam si spectaret ad rationem bancariam, tanquam emptam ab illa sub simulato nomine Pirrhi, vt modò prætendunt Domini de Donis, adhuc videbatur, prorogatione iuris redimen. factas, tam per d.Pirrhum, quàm per Donos suffragari Emis, & consequenter posse Emos vigore talium concessionum domum, de qua agitur, redimere.

2 Et quoad prorogationes factas per Pirrhum, fuit consideratum, quòd ipse Pirrhus fuit ille, qui contraxit cum Lipomanis, à quibus habent causam Emi; vnde quidquid occultè, & simulatè fuit actum inter Pirrhum & Donos, hoc non afficit ipsos Lipomanos, qui non tenebantur hoc diuinare, & proinde quoad interesse ipsorum de Lipomanis ius contractus resistebat super Pirrho, non autem super Donis, ad quod optimè faciunt tradita per Surd.*cons.19. num.8.in fin.& num.9.34.& 40.*& hinc est illa vulgaris conclusio, quòd rectè soluitur illi, cum quo fuit contractum, licèt aliàs ad illum non spectaret commodum contractus, latè Surd.plura exempla cumulans *cons.150.num.104.& seq.*

3 Et licèt dentur duæ litteræ eorundem de Lipomanis, ex quibus apparet ipsos tractasse cum Donis, tanquam emptoribus domus, non per hoc includitur vera, & indubitata scientia ipsorum de Lipomanis, vt requiritur ad istum effectum: Put. *decis. 6.de probat.* Mohedan. *decis.4. de probat.* Seraphin. *decis.* 972. Potuerunt enim Lipomani hoc tractare cum Donis, vel intuitu complicationis, quam habebat ratio bancaria cum Pirrho, de qua participabat, vel quod verisimilius est, intuitu cessionis, quam illi hinc ad decem, seu quindecim dies fecit Pirrhus ad fauorem illorum de Donis, licèt postea non habuerit effectum, vt infrà dicetur, quod bene comprobant literæ mercatorum de Guadagnis, datæ in summario Donorum *nu.15.*& sic non concluditur Lipomanos sciuisse, quòd ius contractus de illo tempore resideret in Donis. Et eodem modo respondebatur ad aliud obiectum, quòd Lipomani, siue Emi receperint prorogationes ab ipsis Donis, quia stante negotij implicatione, de qua suprà, potuerunt dubitare de aliquo iure ipsorum de Donis, & consequenter ad abundantiorem cautelam recipere prorogationes, etiam ab illis: solent enim prudentes homines recipere cautelas à quocunque dare volente, quæ diligentia non debet illis nocere, cùm abundans cautela non noceat, & inducta ad vnum finem contrarium non operentur, iuxta vulgatas iuris conclusiones. Et quòd Lipomani non haberent explicitam scientiam, ad quos pertinerent domus, satis apparet ex eo, quòd similem prorogationem obtinuerunt etiam à Pirrho.

4 Minus facit quòd Pirrhus emerit pro se, & persona nominanda, quia hoc non includit quòd Lipomani dicantur contraxisse cum Donis, nisi sequuta formali nominatione, donec enim fiant huiusmodi nominationes, ius contractus residet in ipso contrahente, Alex. *cons.232. num.3. & 4. lib. 6.* Gabriel. *de verb. oblig.conclus.2.num.1.* Surd. *decis.325. num.1.* Mant. *de tacit.& ambig.lib.44.tit.22.num.9.*

Et quamuis, vt suprà dictum est, Pirrhus fecerit quandam cessionem ad fauorem illorum de Donis, attamen illis cessio fuit illinc ad paucos menses reuocata, vnde non potest super illa fieri fundamentum. Amplius cùm interesset illorum de Lipomanis scire nominatum, ad effectum illum conuenien.pro retrouēditione, videtur, quòd non fuerit satis nominare, nisi talis nominatio fuisset facta per Notarium de prima venditione rogatum, vel aliter deducta ad notitiam ipsorum de Lipomanis per ea, quæ in simili tradunt Felin. *in cap.ex parte Decani, num.22.vers.3. reg de rescript.* Specul. *de procur.§.8 num.22.*

Et ex his, quòd ius contractus respectu ipsorum de Lipomanis totaliter resideret penes ipsum Pirrhum, apparet potuisse Lipomanos, & Emos ab illis causam habentes recipere prorogationes à Pirrho, cùm ipsum solum recognouerint in emptorem, quidquid secretò actum esset inter ipsum Pirrhum, & Donos.

Secundò principaliter admisso sine veri præiudicio, quòd ius contractus ab initio, & semper resedisset in ipsis Donis, etiam respectu illorum de Lipomanis; fuit dictum, prorogationes per ipsos Donos factas suffragari dd.Emis. Non obstat, quòd in illis non interuenerit D.Nicolaus Donus, quia hoc in primis non officeret respectu D. Octauij, qui fecit prorogationem cum promissione de rato, cum clausula obligationis Cameralis aliàs ad damn.& interesse; verùm etiam respectu D.Nicolai videbatur tenere contractus, cùm ipse Octauius esset complementarius rationis bancariæ, qui propterea potuit in totum disponere de rebus ad illam spectantibus, Rot.Ian. *decis.135.num.1.* cum aliis per Felician. *de societ.cap.30.num.5.* 5

Nec facit minor ætas Nicolai, qui illa non attenditur in materia mercantili, vt post Bart. Bald. & alios dixit Rota in Bononien. pecuniaria 18.Martij 1610. coram me, quod magis de plano procedit quando, vt in hoc casu, societas est cœpta cum auctore minoris, & ille auctor mandauit illam continuari, Alex. *cons.49.num.1.in fin.lib.1.* Bald. *in l.cùm oportet, sub num. 1. vers. si autem, C. de bonis quæ liber.* Menoch. *de præsumpt.lib.3.præs.56. num.15.* Et eo magis, cùm prorogationi accessisset auctoritas tutorum ipsius Nicolai, habentes à testatore amplam facultatem, ponderatam in alia decisione, in hac causa facta.

Quibus firmatis, visum fuit, non obstare ius inquilinatus, per quod prætendunt Doni se esse præferendos Emis, ex duplici capite, primò ex cessione facta per Lipomanos ipsi Emis: secundò quia, admisso, quòd Pirrhus verè fuerit dominus domus, concessiones per illum factæ important quandam alienationem ipsius domus. Nam quantum ad primum caput, Domini inclinabant, quòd prælatio ex iure inquilinatus non habebat locum in cessione iuris redimendi, quandoquidem decretum Camerale, in quo fundatur dictum ius inquilinatus, loquitur de venditione: cessio autem iuris redimendi strictè, & propriè loquendo, non est venditio ipsius domus, sed res multum diuersa, vt de se patet, & proinde cùm materia sit stricta, & exorbitans, non fit extensio de vna re ad aliam, neque etiam ex identitate rationis, per ea, quæ latè dicta fuerunt in causa Romana Portus Molæ die 15. Ianuarij, & die 1. Iulij 1616. coram me. Quæ decisiones licèt loquantur in casu diuerso, tamen quoad rationes, visæ fuerunt concludere etiam ad casum, de quo agitur. Et

10 Et quòd ista materia non sit extendibilis, latè prosequitur Tiraqu ll. *in præfat.tract.retract.lignag. num.62.cum plurib.seqq.* vbi dicit hanc opinionem teneri à Doctor.numero,ætate,& auctoritate superioribus illis qui contrariam sententiam tenuerunt, & fuit etiam considerata diuersitas rationis inter vnum casum, & alium, vnde eo minus in materia correctoria est facienda extensio, ex traditis per Alex.*consil.297.num.15.lib.6.* Cauet.*consil.67.num.6.*Hund.*consil.65.n.45.lib.2.* Diuersitas rationis est, quia in hac cessione, aut is, qui vult præferri, erat tempore primæ venditionis inquilinus, vel non: si erat inquilinus,habet quod sibi imputet, cùm tunc posset petere prælationem; si verò non erat inquilinus, minus habet, quòd doleat, cum reperiat domum affectam dicto pacto, cuius exercitium non videtur importare nouam alienationem, sed esse quoddam obueniens ex actu anteriori ipsi inquilinatu, vnde reputatur vna, & eadem res cum illo primo actu, Abb. *in cap pen.num.15.in fin.de caus.poss. & propr.* si verò, vt in proposito casu, venditio cum pacto de retrouendendo est facta ipsi inquilino, res procedit magis de plano,tum quia poterat inquilinus abstinere se à contractu,vitare huiusmodi difficultates, tum multo magis, quia videtur tali cessioni consensisse,quando, vt in proposito casu, permisit venditorem stipulari retrouenditionem pro se,hæredibus,& successoribus,quorum successorum nomine,non est dubium venire successorem singularem,& extraneum,& sic quemlibet cessionarium. Alex. *consil.139.colum.1.lib.2.* Dec. *consil 171. num.5. vers.vel pro success.*Menoch. *consil.191.num 10.* Et etiam pro ratione diuersitatis potest considerari, quòd hæc sunt de raro contingentibus,ad quæ non est inconueniens dicere, quòd non respexerit decretum Camerale, iuxta not. *in l. nam ad ea. ff. de legat.*

11 Cæterùm, quidquid dicendum foret in simplici venditione iuris redimendi, certum est, inquilinatum non habere locum in donatione, ex traditis per Castr. *in l.1.num.3.C.comm. vtriusque indic.* ergo neque in casu mixtæ donationis, & venditionis, quia in exorbitantibus mixtum non continetur sub simplici,Socin.sen.*consil.28.num.22.lib.4.*Natt.*cons.463.num.18.& 19.lib.2.*Surd. *decis.174.num 14.*Honded.*consil.8. num.17.lib.1.* quin tali casu concessio tota dicitur gratiosa, Rot.*decis diuers.452. numer.17. part.1.* Seraph.*decis.1395.num.6.* casus verò propositus,negari non potest, quòd fuerit mixtus donatione,tum quia in cessione dicitur,quòd illa fit propter amorem, quem gerit cedens erga cessionariũ suum nepotem:causa autem venditionis non est amor erga emptorem, sed consequutio pretij, tum multo magis, quia apparet Emos pro habenda cessione soluisse tantùm ducatos 1200. vel circa, seu illorum valorem; cùm tamen eodem tempore Doni essent parati soluere ducatos bis mille quingentos, & sic duplo pluris, vt patet ex litteris per eosdemmet Donos exhibitis, & cùm cessionarius esset nepos cedentis, donatio etiam redditur verisimilior, ex traditis per Mantic.*de tacit.& ambig.lib.13.tit.19. numer.1.& seq.*

12 Quò verò ad aliud caput,quòd si domus spectat ad Pirrhum,adhuc Doni sint præferendi in concessionibus factis per Pirrhum Emis, res videbatur procedere magis de plano,in primis, quia concessiones factæ per Pirrhum fuerunt gratuitæ, vnde quotquot illæ fuerint,non habet in iis locus ius inquilinatus,ex suprà deductis. Secundò, quia vbi volens retrahere,non potest præstare illud,quod præstat ille, à quo vult retrahere, non est locus retractui, vt fuit dictum in Romana domus,seu retractus 26 Febr.1590.coram bon.me.Pegna,qua ratione videmus retractum non habere locum in permutatione, propterea cùm inquilinus non habeat pactum de retrouendendo,quòd possit prorogari,non est cur prætendat prælationem in prorogatione. facit quòd terminus prorogatus est idem cum primo.Dec *caus.497.num.2.*Gabr.*de dilat.concl.2.num.21.*Rot.*decis.116.num.4.p.1.diuers.* Vnde non obstat, quòd Pirrhus etiam de nouo concesserit terminum ad redimendum,quia contrarium asseritur in instrumento, in quo narrantur prorogationes aliàs ore tenus factæ,& etiam si esset nouus terminus, nihil esset,tum quia gratis ex prædictis, tum quia videtur quædam remissio pacti caducitatis, quæ est quid diuersum ab actu primo, vnde possunt remittere istas caducitates,quia aliàs non possunt dare de nouo,Dec.*cons.138.num.7.*Roland.*cons.15.n.24. lib.1.* Gabr.*cons.66.num.5.lib.2.*

Et denique cessant istæ difficultates, sustinendo 13 prorogationes datas ab ipsis Donis, vt suprà dictum est. Quo verò ad retentionem ex capite expensarum & melioramentorum, vt dicitur, factarum in domo, fuit dictum, quòd hoc in primis non impedit retrouenditionem, sed executionem, & effectualem restitutionem. Secundò adhuc non constat de illis, nec in genere, vnde sufficit offerre cautionem: Rota *decis.659 num.1 part.1.diuers.* Put.*decis.471.num.1. & per tot. lib.2. & 3.* & multo magis cùm fuerint facta lite pendente, & post intimationes, vnde non debent retardare executionem, nisi appareret, quòd essent omnino necessaria. Seraphin.*decis.898.num.3. & 4.* & fuit dictum in Romana vineæ 1. Iunij 1615. coram R. P. D. Dunozet. & in alia Romana vineæ 13.Iunij 1616.coram R.P.D. Verospio,cum aliis per D.Beltraminum.

Et ita sentum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Ferrarien. affictus. Sabbati 26. Nouembris 1616.

DECISIO CCCXXIII.

Habetur impressa apud Stephanum Gratianum discept. Forensium cap.557. num 62.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Perusina hæreditatis. Lunæ 28. Nouembris 1616.

DECISIO CCCXXIV.

Impressa est per Addentes ad Mascardum conclus.814. & pariter per Galian.ad Statut.Perus.decis.55.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana nullitatis obligationis. Lunæ 28. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Obligatio alimentorum donec soluerit implicat rationem vsurarum, & non sustinetur, etiam adhibitis diligentiis pro consequenda sorte principali.

SVMMARIVM.

Obligatio correspectiua ad dilationem solutionis debiti tanquam illicita non sustinetur, siue nomine pœnæ, siue nomine alimentorum sit concepta, quia implicat vsuras ratione interesse rationis decurrendi, n.1.

Alimentorum promissio correspectiua ad dilationem solutionis debiti implicat promissionem vsurarum, & ideo non sustinetur, ibid.

Alimentorum promissio dicitur esse voluntaria si facta fuerit ante instrumentum alterius obligationis, nec dicitur esse correspectiua, & obligatio tenet, nu.2. declara vt n.3.

Diligentia possibilis adhibita in consequendo capitali, non est efficax ad sustinendum pactum vsurarum, sed ad obligandum debitorem ad præstationem damnorum & interesse ob retardatam solutionem.

DECISIO CCCXXV.

1 Resolutum fuit alimenta non deberi Catharinę Moniali post emissam professionem. Quia ex lectura promissionis D. Isabellæ apparet obligatio correspectiua ad dilationem.ibi, & donec soluerit, seu deposuerit dicta scuta quingenta, promisit eidem præstare alimenta, quæ tanquam illicita sustineri non potest, siue nomine pœnæ, siue sub blando verbo *Alimentorum* enuncietur, cùm semper implicet vsuram ratione interesse temporis decurrendi, Anchar.*consil*.150.*num* 5. Menoch.*consil*.441.*num*.26. Surd. post multos, quos allegat, *de aliment.tit*.1.*qu*.45.*num*.15.

2 Non obstat quòd promissio alimentorum non fuerit correspectiua ad legatum, cuius vigore nihil debebatur ante nuptias spirituales, sed voluntaria, ex quo se obligauit soluere huiusmodi alimenta etiam à die obitus fratris longè ante instrumentum promissionis, quo casu tenet obligatio, ex Bald. *in l*. 1 *quæst*.10. *ff. pro socio*. & Surd *de alimentis tit.octauo, priuileg*.29.*in fine*, in decisione in hac causa 18. Aprilis 1611. allegatis.

3 Quia non sufficit voluntaria promissio, vel quòd habuerit initium voluntarium, nisi simul concurrat impotentia alimentarij alterutrum exigendi capitale, scilicet, vel alimenta promissa, vt in eadem decisione fuit ponderatum respectu temporis ante professionem.

In præsenti autem cessat huiusmodi impotentia, quia statim sequuta professione, venit dies agendi ad legatum dotis promissæ, & intrat correspectiuitas in tempore dilato.

Non obstat, quòd non fuit in potestate Monialis remouere hanc impotentiam, cùm fecerit omnem possibilem diligentiam pro consequenda dote promissa, vt ex litis sustentatione & prosequutione satis constare potest, nec vnquam obtinere potuerit, ideo mora D. Isabellæ non debet nocere exequutioni obligationis in tempore licito contractæ, ne commodum consequatur ex delicto, & culpa propria contra iustitiam pacti.

4 Quia fuit responsum diligentiam non suffragari ad sustinendum pactum, sed ad obligandum D. Isabellam ad præstationem damnorum, & interesse, ob retardatam solutionem, quatenus ad eam pertineat onus soluendi dotem prædictam; dum tamen per Monialem probantur vel ratione damni emergentis, vel lucri cessantis requisita. Castrens. *in l*.3.*ff. de eo quod certo loco*, cum quo Domini transeunt in hac materia. Mohedan.*decis*.3. & 4. *de vsur*. & sæpissimè fuit resolutum. Et ita, &c.

R. P. D. VBALDO.

Rauennaten. fructuum. Luna 7. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

An ex sola promissione de consignando, dicatur translata possessio, seu dominium, ita vt fructus rei, quæ consignari promissa fuit, debeantur, vel ne.

SVMMARIVM.

Dominium non transfertur nudo pacto, sed requirit traditionem, num.1.

Possessio vt transferatur, requirit actum facti, nec contentatur conuentione, ibid.

Fructus non debentur vbi non adest dominium, vel possessio, ibid.

Promissio de faciendo longè differt à facto, ibid.

Mora non potest contrahi eodem tempore, quo oritur obligatio, sed requiritur interpellatio, num.2.

Solui aliud pro alio volente creditore potest, num.3.

Fructus, vt quis lucretur sufficit bona fides, imò satis est quòd absit mala fides, ibid.

Maritus dicitur dominus fructuum rei dotalis, ibid.

Obligatio ad interesse succedit in obligationibus facti, num 4.

Fructuum qui percipi verisimiliter potuerunt, condemnatio non fit nisi propter dolum & in spolio violenti, ibid.

DECISIO CCCXXVI.

Sententiam in partibus latam iniustam esse Domini censuerunt, in qua fuit condemnatus Franciscus ad restituendum Cæsari, & Franciscæ Iugalibus eius filio, & nurui respectiuè, omnes fructus ab ipso perceptos, & qui verisimiliter percipi potuerunt à mense Iunij 1596. vsque ad diem factæ restitutionis terrarum, de quibus in capitulis matrimonialibus, & instrumento super illis celebrato. Mouebantur autem Domini, primò quia per promissionem de consignando terras filio in euentum, in quem nollet, vel non posset habitare cum patre, non est vllo modo secuta translatio dominij, quod non nudis pactis, & conuentionibus, sed actuali traditione transfertur *l.traditionibus. C. de pact*. nec possessionis, quæ etiam requirit actum facti, non autem contentatur conuentione *l*.1.*l.cùm hæredes ff. de acquirend. possess*. & sine dominio, vel possessione fructus deberi non possunt. Alexand. *consil*.121 *num* 5. *lib*.4. Surdus *consil*.53. *numer*.3. *lib*.1. Rota *decis*.89. *num*.1. *part*.3.*diuersor*. & vtique aliud est promissio de con-

de consignando, alia consignatio per quam secuta esset dominij translatio, iuxta gloss. *in l. in bonæ fidei, ff. de eo quod certo loco*. Alexand. *dicto consil.* 121. *num.* 5. *lib.* 4. Tiraquell. *de retract. conuent.* §. *fin. nu.* 42. cum aliis per Thesaur. *decis.* 233. *num.* 5.

2 Mouebantur secundò, quia nec dicti fructus deberi possunt ratione moræ Francisci in consignando terras prædictas; quia eius promissio non fuit simplex, sed sub conditione præterita, quatenus Cæsar nollet, vel non posset stare cum patre, vnde quando Cæsar recessit à domo patris de anno 1596. licèt euenerit conditio, & sic orta sit obligatio, & actio ad consignationem terrarum; tamen non potuit eodem tempore Franciscus constitui in mora, cuius ratione teneatur ad fructus terrarum à dicto tempore, prout per sententiam fuit condemnatus, cùm certum sit non posse simul obligationem nasci, & contrahi moram, & ideo requirebatur interpellatio post conditionis euentum. Ruin. *consil.* 136. *num.* 7. *&* 8. *lib.* 5. Cæsar de Graff. *decis.* 1. *num.* 6. *de fideiuss.* Rota *decis.* 11. *num.* 6. *part.* 2. *diuers.* & in his ferè terminis Francus *decis.* 46. *num.* 2. *& seqq.*

3 Tertiò, quia cùm promissio Francisci de terris consignandis in supradictum euentum, ideo videatur facta, vt inseruirent pro filij sustentatione, hæc causa cessat, cùm ille habuerit alimenta à patre per peritos communi partium consensu electos, taxata ad viginti aureos annuos; vnde cùm aliud pro alio volente creditore solui possit, *l.* 2. §. 1. vbi Doctor. *ff. si cert. pet.* per receptionem alimentorum, non videtur posse Cæsar fructus terrarum prætendere. Ex quo etiam sequitur, vt Franciscus bona fide dictos fructus consumpserit, cùm ex dicta conuentione de soluendis alimentis in pecunia, potuerit credere se ad aliud non teneri; quæ bona fides sufficit ad lucrandum fructus, immò sufficit abesse malam fidem. *l. quæsitum, in fin. ff. de acq. rer. dom.* Surd. *consil.* 115. *num.* 4. Rota *decis.* 4. *de restitut. spoliat. in nou.* & apud Cassad. *decis.* 6. *num.* 9. *de præbend.* Rota *decis.* 577. *num.* 15. *part.* 1. *diuersor.* & fuit dictum in causa Romana fructuum porcarum 14. Octobris 1585. & in Salamantina fructuum 9. Martij 1587. coram Gipsio, & copiosè in vna Auximana spolij 3. Decembris 1610. coram R. P. D. meo Pirouano. Et hæc bona fides Francisci adiuuatur etiam ex remuneratione, quam fecit Cæsar patri suo dictæ obligationi de consignando terras in casu supradicto, quæ renunciatio licèt fortè non posset præiudicare vxori Cæsaris, cum qua videbatur initum pactum de consignando terras; tamen si dicta consignatio intelligebatur quoad vsumfructum tantùm, non autem quoad proprietatem, vt dicitur in instrumento renunciationis, bene potuit Cæsar illud pactum remittere, cùm ipse esset dominus fructuum rerum dotalium. *l. doce ancillam. C. de rei vend.* Surd. *consil.* 397 *n.* 20. *lib.* 3.

4 Postremò considerabant Domini iniustitiam sententiæ etiam ex aliis duobus; tum quia est facta condemnatio de restituendis fructibus dictis Iugalibus, & sic etiam vxori, & tamen obligatio erat contracta de consignandis terris Cæsari, licèt fuisset contracta cum ipsa vxore, & sic quatenus esset quæsita vxori actio; tamen non poterat agere, nisi vt terræ consignarentur Cæsari, vel ad damna, & interesse, ob non factam consignationem, cùm in obligationibus facti succedat obligatio ad interesse. *l. stipulationes non diuiduntur*, vbi Doctor *ff. de verbor. obligat.* tum quia est facta condemnatio ad fructus, qui verisimiliter percipi potuerunt; quæ non fit, nisi propter dolum, vel spolium violentum, vt *in decis. vlt. de restit. spoliat. in antiqu.* Put. *decis.* 383. *lib.* 1. Rota *decis.* 291. *num.* 2. *part.* 1. *diuersor.* & fuit in causa Bononiens. fideicommissi de Poetis 17. Iunij 1611. coram me.

Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana situs 7. *Nouembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Vt quis fundum proprium cogatur vendere, tria requiruntur, necessitas, modicum præiudicium, & contiguitas.

SVMMARIVM.

Vendere rem propriam inuitus cogi non potest, num. 1. *vide ibid.*

Necessitas vbi requiritur, non suppletur per maiorem commoditatem, num. 2.

Vendere fundum quis cogitur etiam inuitus, concurrentibus tribus requisitis, necessitate, modico præiudicio, & contiguitate, n. 2. 3. 4. & 5.

DECISIO CCCXXVII.

PRætendebant RR. PP. Congregationis Sanctæ Mariæ in Vallicella, sub prætextu constituendi plateam ante portam principalem templi aperire nouam viam, quæ ducat à via Pelegrini, ad dictam Ecclesiam, & cogere D. Antonium Certum ad sibi vendendum domum paruam, & partem sui viridarij, sine quibus prædictam viam aliter fieri non posse asserebant.

Verùm proposito dubio in Rota, an D. Certus ad dictam venditionem teneretur, Domini negatiuam partem sunt amplexi, siquidem regula est, vt nemo inuitus cogatur ad vendendum rem propriam. *l. nec emere. C. de iur. delib. l. inuitum, C. de contrahend. empt.* A qua regula in præsenti casu non videbatur recedendum vigore dispositionis text. *in l. si quis sepulcrum*, & ibi Doctor. cõmuniter, *ff. de relig. & sumpt. funer.* cùm non concurrant illa tria requisita per dictam legem desiderata, & in decisione Ianuen. domorum 15. Maij 1615. coram me sigillatim ponderata. 1

Primum enim, & præcipuum ex parte retrahere volentis, videlicet, necessitas omninò deficit; nam quamuis dicti patres egerent platea maiori ante Ecclesiam; tamen domus & situs, de quo agitur, non sunt in loco vbi venit amplianda platea, sed in loco vbi prætendunt aperire viam nouam, & rectam ad Pelegrinum, quæ via non est necessaria, cùm adsint plures aliæ ab vtroque latere tendentes commodè ad Pelegrinum.

Et licèt non sint ita rectæ, sicuti ista, quam de nouo aperire prætendunt; tamen talis rectitudo non causat aliquam necessitatem, sed potiùs maiorem commoditatem, quæ sola non sufficit ad hoc, vt intret dispositio text. *in d. l. si quis sepulchrum*, qui expressè loquitur, & procedit quando imminet necessitas, & ad sepulchrum aliunde accedi non potest, vt patet ex illis verbis, *& dominus sepulchri iter ad illud non habebat*, & dixit Rota in dicta Ianuen. domorũ. 2

Secundum verò requisitum ex parte eius qui cogitur vendere vt non afficiatur magno incommodo, vt in eodem textu habetur, ibi, *Ne vicinus magnum patiatur detrimentum*, & considerauit Rota in dicta Ianuen. & in Romana Palatij de Comitibus 16. Ianuarij 1612. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno, pariter deficere videtur, quia Dominus Cerrus priuaretur viridario, quod est non modicæ considerationis in domo sita in media Vrbe, & pro viro Aduocato insigni, qui ferè perpetuò domi manet, libris volutandis addictus, & etiam priuaretur alia domo parua, quam locat vnà cum apotheca pro scutis 90. quæ apotheca absque tali domo aliàs redderetur ferè inutilis. Et vlteriùs domus domini Cerri est subiecta prospectui vicinorum, & hoc potest euitare fabricando in situ proprio, de quo agitur, quem si cogeretur vendere, semper dicto prospectui eius domus subiaceret.

4 Tandem deficit tertium requisitum ex parte loci, nempe contiguitas, quia situs, de quo agitur, nullam habet contiguitatem cum Ecclesia, vel monasterio dd. Patrum, nec etiam cum eorum platea, sed solummodo cum quadam domo Ecclesiæ, inter quam, & ipsam Ecclesiam adsunt multæ domus intermediæ possessæ à diuersis particularibus: vnde cùm remedium *d. l. si quis sepulchrum*, concedatur non ratione contiguitatis ad domus ita valde separatas ab Ecclesia, quantumcumque de illius dominio, sed contiguitatis ad ipsam Ecclesiam, & in casu nostro non adsit talis contiguitas, cessat dispositio d. text. vt ibi habetur *in vers. impetretur*, ab eo qui fundum adiudicatum habeat, & fuit dictum in allegata Ianuen. domorum.

4 Quibus visum fuit non obstare decisio in causa Romana demolitionis domus 29. Februarij 1608. coram me. Quia ibi non agebatur de aperienda noua via cum demolitione plurium domorum inter medium existentium nondum emptarum per Ecclesiam, prout in præsenti: sed agebatur de demolienda parte cuiusdam domus pro amplianda via publica iam ab antiqua aperta, & tendenti ad Ecclesiam, & tanto sine præiudicio tertij, & absque domibus intermediis. Vltra quòd cùm vna domus tantùm intermedia esset, dixit eadem decisio prius illam emendam fuisse ab Ecclesia, quàm ad demolitionem partis alterius prætensæ deueniri posset, & sic requisitum contiguitatis concurreret, nec via media obstare videbatur in illo casu, stante doct. in. Padill. *in l. altius, numer. 19. vers. neque iuris. C. de seruit. & aquæd.* Vincent. de Franch. *decis.* 223. *num.* 4.

Et ita conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Burgen. præeminentiarum. Lunæ 7. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Transactio facta à maiori parte vniuersitatis, valet, non obstante contradictione minoris partis, si fuerit vtilis eidem vniuersitati, aliter secus; & nunquid beneficiatorum appellatione veniant portionarij dimidij.

SVMMARIVM.

Maior pars vniuersitatis transigendo præiudicat minori, quando transactio est vtilis, aliter secus, num. 1. & per tot.

Beneficiatorum appellatio est generalis, & in ea veniunt etiam portionarij dimidij, num. 2. in fine.

Relatum stat in referente cum omnibus suis claritatibus, num. 3.

Portionarij dimidij veniunt in oratione vniuersali aliarum personarum, ibid.

Beneficiatorum appellatione nunquid veniant portionarij dimidij, non participantes de mensa capitulari, num. 4.

Distributiones quotidianæ spectant ad Canonicos, & alios beneficiatos, ibid.

Ratificatio ex interuallo non nocet ei cui ius quæsitum est illo medio tempore, num. 5.

Obseruantia non nocet sine indiuidua scientia eorum cuius interest, num. 6.

Verba contractus qui dependet à voluntate duorum interpretari debent ex consuetudine amborum contrahentium, ibid.

DECISIO CCCXXVIII.

IN hac causa die 14. Ianuar. 1614. fuit firmatum, 1 quòd cùm ageretur de distributionibus, & emolumentis, quæ spectant iura Ecclesiæ, quòd si transactio erat vtilis, maior pars dimidiorum Portionariorum transigendo potuit præiudicare minori, & sic contradictio Petri de Zuniga non erat habenda in consideratione, vt per DD. *in cap. cùm omnes, de constit.* Ideo ad prædictum effectum, vt scilicet contradictio Petri obesset, vel non, die 3. Iunij 1615. dubitaui an constaret de læsione. Et licèt tunc Rota resoluerit negatiuè, attamen per binas decisiones, scilicet sub die 1. Decembris 1614. & 2. Decembris 1615. recessit ab illa decisione, firmando quòd constaret de læsione, itaut contradictio prædicta Petri de Zuniga suffragaretur. Nam ex constitutionibus Iulij II. & Leonis X. dimidij Portionarij debent participare de fructibus præbendarum suppressarum, modo & forma per Episcopum, & Capitulum præscribenda, super quibus fuit lata sententia per Episcopum Conchen. ad fauorem dd. dimidiorum, quare cum transactio pro dictis distributionibus assignet quid minimum dictis dimidiis Portionariis, vtique læsio est clara ad effectum prædictum, ex deductis in decisionibus.

Sed quia Capitulum Burgen. non acquieuerat 2 huic resolutioni, vt ei morem gererem, tertiò volui illud audire, & Domini steterunt in resolutis ex rationibus prædictis; clarum est enim, quòd suppressiones fuerunt factæ nedum pro Canonicis & Portionariis, sed etiam pro dimidiis. Nam fuit narratum Iulio II. per Episcopum & Capitulum quòd quasi omnes fructus consumebantur pro distributionibus interessentium Missis defunctorum, itaut modica pars eorundem fructuum, & redditum ex tam nobili, & insigni Ecclesia necessariis assignata, seu deputata esset, videlicet nedum pro Canonicis, Portionariis, & aliis beneficiatis in d. Ecclesia singulis diebus interessentibus Missis, & aliis diuinis offi-

officiis, sed etiam pro officialibus, computatoribus, distributoribus, adnotatoribus eorundem redditũum, administratoribus, & gubernatoribus bonorum spiritualium, & temporalium dictæ mensæ, ac Procuratoribus negotiorum eiusdem ianitoribus, nuntiis, Notariis, & aliis officialibus, & quòd cùm in dicta Ecclesia essent 77. Canonicatus, & præbendæ, & integræ portiones præbendæ nuncupatæ, quę per 77. Canonicos, & Portionarios & sex Archidiaconos, videlicet de Burgos, &c. obtinebantur, & sic Canonici, Portionarij, & Archidiaconi constituebant numerum 77. & quòd insuper etiam in dicta Ecclesia aderat Prior, & sex Abbates, & 20. alij Portionarij dimidij nuncupati, & 40. de numero, & alij Capellani, & propterea quòd Episcopus & Capitulum statuerant dictos 77. Canonicatus, & portiones ad numerum 70. tantùm reducere, & ex eis septem extinguendi quamprimùm vacarent, quorum fructus, redditus, & prouentus, interessentibus Missis, & diuinis officiis, & officialibus prædictis applicarentur, iuxta ordinationem eorundem Episcopi, & Capituli: vnde cùm in manibus Papæ fuisset facta resignatio scholasticæ & quatuor Canonicatuum, & duarum integrarum portionum, quæ idem Papa suppressit ad effectum præmissum dumtaxat, scilicet vt inseruirent pro Canonicis, Portionariis, & aliis beneficiatiis singulis diebus in Ecclesia interessentibus, & pro officialibus, computatoribus, &c. non potest dubitari quin & dimidij Portionarij debeant participare, cùm ex propria significatione veniant sub nomine beneficiatorum, quod est genericum, vt habetur *in cap. vnico, de cleric. non resid. in 6.* & ad hunc effectum fuerit facta suppressio. Aym. *cons.* 818. *num.* 4. qui benè ad propositum.

3 Et ita dicendum est de secundis litteris suppressionis duorum Canonicatuum, quia in istis secundis litteris inseruntur primæ litteræ, & dicitur quòd ad effectum prædictum, scilicet contentum in primis litteris duo Canonicatus supprimuntur; quare si suppressio in primis litteris fuit facta, etiam fauore dimidiorum Portionariorum, vt suprà probatum est; ita etiam suppressio istorum duorum Canonicatuum, cùm relatum sit in referente cum omnibus qualitatibus suis, ex allegatis per Dec. *in cap. quoniam contra, num.* 48. *de probat.* & ita dicendum est de suppressionibus factis per Leonem X. quia & in litteris istis inseruntur primæ litteræ Iulij II. & etiam in eis dicitur ad effectum prædictum, immò in secundis litteris Leo vtitur his verbis, & aliarum personarum, ibi debitas laudes Domino assiduè persoluendas, &c. quarum appellatione certum est comprehendi etiam Portionarios, cùm verba sint aptissima, & militet eadem ratio quoad illos, & quoad alios, qui debent participare. Bald. *consil.* 384. *num.* 4. *volum.* 5. cum allegatis in aliis decisionibus.

4 Neque obstat quòd verbum illud *beneficiatus* non possit intelligi de dimidiis portionariis, qui non participabant de mensa Capitulari, vt fuit resolutum in causa Valentina emolumentorum 5. Iulij 1597. coram Rubeo.

Nam fuit responsum, contrarium videri verius, cùm in Bulla dicatur quòd modica pars fructuum reperiebatur assignata pro Canonicis, Portionariis, & aliis beneficiatis; ergo & dimidij Portionarij participabant de dicta massa; cùm indubitatum sit participare beneficiatos, quorum appellatione, vt dictum est, veniunt dicti dimidij, & ista coadiuuantur ex præsumptione iuris, cùm distributiones spectent nedum ad Canonicos, sed etiam ad alios beneficiatos, vt *in dicto cap. vnico, de cleric. non residentibus, in 6.* & in omnem euentum quidquid sit de hoc, an scilicet participarent, certum est, quòd si dimidij portionarij non participabant, eo magis diminuebatur cultus diuinus propter non interessentiam in choro, quia eo magis retrahebantur, cùm nihil participarent, & propterea benè possunt comprehendi in dictis verbis, & etiam lucrari fructus, cùm eorum labores augerentur in canendo in choro, & in aliis seruitiis diuinis, ex suppressione Canonicatuum, & portionum, & quòd hoc sit verissimum, de facili suadetur, cùm & prædicti officiales participare deberent, quorum aliquos certum est non habuisse vllam partem in massa Capitulari, & propterea non obstat decisio in dicta causa Valentina, quia procedit simpliciter, non autem quando adest ratio euidentissima, prout in isto casu, vt patet ex prædictis, secundùm quam est iudicandum. Bald. *in consil.* 343. *in princip. lib.* 1 Fulgos. *consil.* 139. *in fine.*

Minus etiam facit, quòd dictus Petrus de Zuniga postmodum acquieuit acceptando fructus iuxta tenorem transactionis: nam fuit responsum, quòd cùm per eius contradictionem fuerit acquisitum ius corpori dimidiorum portionariorum, vt dicitur in decisione in hac causa facta 14. Ianuarij 1611. non potuit ex interuallo acquiescendo tolli ius quæsitum ex contradictione ipsiusmet Zunigæ. Alexand. *consil.* 27. *in fine lib.* 5. Vbi quòd exequutor qui alienauit cum pacto redimendi, non potest ex alio contractu tale ius auferre ab hærede, sequitur Tiraquell. *de retract. conuent. ad finem tituli numer.* 19. Vltra quòd cùm ista acquiescentia deducatur ex perceptione fructuum, parum facit, cùm Zuniga non posset aliter facere, cùm cogeretur viuere ex suis redditibus Ecclesiasticis. 5

Neque etiam facit obseruantia allegata in contrarium à die suppressionis vsque ad annum 1551. de quo fuit mota lis, quæ obseruantia potuit interpretari litteras Iulij, & Leonis. Nam vltra responsiones datas in aliis decisionibus, fuit iterum responsum, quòd cùm agatur de inducenda obseruantia pro interpretatione litterarum Apostolicarum in præiudicium tantùm dimidiorum Portionariorum, ista obseruantia non potest ipsis obesse, nisi ostendatur quòd habuerint indiuiduam scientiam suppressionum. Castrens. *in consilio* 364. *numero* 3. *vers. Ita contractus, libro* 1. vbi quòd contractus, qui dependet à voluntate duorum, debet interpretari ex consuetudine ambotum, & sic in hoc casu requiritur scientia dimidiorum Portionariorum, alias obseruantia eis nocere minimè debet, vt optimè dicit Curt. iun. *in consil.* 131. *num.* 11. quem sequitur Menoch. *consil.* 337. *numero* 37. *vers. respondet. primò libro* 4. 6

Non obstat quòd cesset læsio ex quo dimidij Portionarij alia habuerunt, quæ omnia insimul sunt consideranda ad excludendam læsionem. Nam fuit responsum quòd licèt conclusio sit vera, ad factum tamen non applicatur, quia vltra prædictam læsionem etiam sententia Episcopi Conchen. aduersùs quam fuit transactum, condemnabat ad respondendum dimidiis Portionariis secundùm formam ipsius sententiæ à die litis contestatæ, quæ ante annos 16. fuit contestata, de quibus nulla habetur 7

ratio in transactione, in qua licèt dentur scuta 100. omnibus beneficiatis in termino quatuor annorum; attamen quatenus dentur ex ista causa, adhuc remanet læsio, cùm longè excedat quantitas fructuum, qui pro 16. annis debebantur, & insuper sententia admittebat dimidios Portionarios ad participandum de lucrari solitis ex Confraternitatibus creationis, & sancti Sebastiani; concordia verò illos excludit, præterquam in duplicibus & diebus festis inuocationum dd. Confraternitatum.

8 Præterea vt ex omni parte cognoscatur læsio, aut quòd nihil fuit datum dimidiis, sententia manutenebat dimidios Portionarios in quasi possessione celebrandi Missas maiores, sententia verò nihil determinat, sed remittit ad statuta Ecclesiæ. Item sententia condemnabat Canonicos ad seruandum tempore obitus dimidiorum Portionariorum statutum loquens de sepultura; in concordia verò fuit suspensa obseruantia dicti statuti per sex menses. Item sententia præseruabat ius dimidiis essendi de Capitulo; transactio verò omnino illos excludit, præterquam in die cœnæ.

9 Neque obstat quòd in transactione fuerit concessa iubilatio dimidiis iuxta modum quem habent Canonici, quia fortè de iure posset sustentari, quòd si Iubilatio erat debita Canonicis, erat quoque debita dimidiis, sed vtcumque sit, ista Iubilatio non excludit alia capita læsionis, etiam ad illam habita ratione. Ex quibus conclusum contradictionem Zunigæ suffragari, cùm transactio fuerit læsiua: an autem constet de tali læsione, itaut competat restitutio in integrum aduersùs sententiam Rotalem, erit particulariter videndum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Legionen. Confirmationis electionis. Lunæ 7. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Abbas potest Priorem à Monachis electum non admittere, & confirmare, & admissum ad sui libitum remouere, & quis dicatur Prior Conuentualis, seu Claustralis.

SVMMARIVM.

Instrumentum dicitur probatio probata, & facit rem manifestam, sub num. 1.

Canonici sunt obedientiarij Abbatis ibid.

Abbas potest Priorem electum si voluerit, non solùm non confirmare, & eius electionem non admittere, sed etiam iam electum, & admissum ad sui nutum remouere, ibid.

Prior Conuentualis dicitur ille qui est loco Abbatis, & præest Conuentui, in quo non adest Abbas, numer. 1. in fine.

Admittere nouitios ad professionem illisque iuramentum perpetuæ obedientiæ deferre, spectat ad Abbatem, & superiorem monasterij, num. 3.

Testes debent reddere rationem suæ depositionis etiam non interrogati, quando deponunt de his, quæ sensu corporis non percipiuntur, ibid.

Obedientia versùs Abbatem est de substantia Monachorum, num. 4.

Prior monasterij est subordinatus Abbati, & consequenter dicitur Claustralis, num. 5. in fine.

DECISIO CCCXXIX.

1 Fvit resolutum standum esse in decisis, ex rationibus sub die 13. Februarij 1612. in decisione deductis, quæ Dominis placuerunt, & vlteriùs satis comprobari videbantur, ex fundatione & dotatione, quæ datur facta per Episcopum vnà cum Conuentu Legionen. de anno 1182. in qua cauetur quòd ij, qui ad Conuentum, de quo agitur, sub regula sancti Augustini se conferre voluerint, ante ingressum eidem Episcopo, & successoribus obedientiam promittant, & quòd monasterium semper sit sub opere, & tutela ipsius Episcopi, cuius loco cùm successerit Abbas, ipse Conuentus Priori superior censetur, quod etiam colligitur ex eo, quia in professione, quam supradicti Canonici in ingressu religionis emittunt, expressè dicto Abbati, & successoribus obedientiam promittunt, ac etiam quia modernus Abbas nedum fuit per fel. rec. Clementem VIII. de ista Abbatia prouisus cum omnimoda, & plenaria monasterij cura, regimine & administratione in spiritualibus, & temporalibus, vt ex litteris desuper expeditis apparet, sed etiam fuerunt illi concessæ litteræ obedientales supradicto monasterio & Canonicis directæ, quatenus Abbati vti patri, & Pastori debitam obedientiam ac reuerentiam exhibeant, necnon monita, & mandata illius salubria suscipiant, prout eos suscepisse, & obedientiam exhibuisse apparet in traditione possessionis ex publico instrumento, & illius adeptionis, quod dicitur probatio probata. Bald. *in l. interest. in vlt. not. Cod. de resolut.* & facit rem manifestam Bart. *in l. 1. num. 8.* & ibi Ias. *num. 10. ff. de oper. nou. nunciat.* Ideòque d. Abbas nullo modo videtur quòd possit cogi ad confirmandum Priorem per Conuentum & Canonicos electum, quia cùm dicti Canonici sint obedientiarij Abbatis, à mera & libera voluntate ipsius pendet, nedum Priorem per eos electum non confirmare, ac eius electionem non admittere. gloss *in cap. quàm sit. verb obtinere in fin. & verb. facultatem,* & Fran. h. *in cap. si religiosus, ad fin. vers. sed certè videtur quod. de elect. in 6.* Sed etiam iam electum & admissum ad sui nutum remouere, vt tenuit Rota in causa Aquilana Prioratus 26. Martij 1584. relata inter impress. *decisione 778. numer. 1. & seqq. part. 1. diuers.* cum aliis in decisione adductis, ex quibus satis etiam colligitur quòd Prior per Canonicos sic electus est Claustralis, non autem Conuentualis, qui propriè dicitur ille, qui est loco Abbatis, & præest Conuentui, in quo non adest Abbas, vt fuit in decisione deductum. & trad. Modern. *super reg. 8. gloss. 8. num. 113.*

Nec obstare testes pro Conuentu post decisionem nouiter examinati quia vltra plures exceptiones contrarietatis, quæ per informantes deducebantur, fuit dictum quòd primus, 2. 3. iuxta 9. deponunt potius pro Abbate, quàm contra eum, quòd scilicet ipse, si velit, potest non confirmare Priorem electum, & licèt deponant electionem fieri absente Abbate, qui postea Priorem electum ex ipsius & Canonicorum requisitione confirmat, ex hoc tamen non potest inferri quòd Abbas possit ad id cogi, cùm isti actus valde inter se differant. Bald. *consil. 8. num.*

num 8. circa med. & sunt duo actus *lib.* 4. cum aliis inibi adductis.

3 Neque refragari quatenus deponunt quòd Prior dat licentiam eundi extra Conuentum, corrigit Canonicos,& post confirmationem, & quoad regimen Conuentus non recognoscit Abbatem pro superiore, nec Abbas super Canonicis iurisdictionem habet, quia vltra quòd de contrario satis constare visum fuit ex supradictis litteris Apostolicis, instrumento fundationis & aliis suprà deductis, in quibus non solùm expresè dicitur quòd Conuentus est sub regimine, & administratione Abbatis, & quòd ipse est Canonicorum Pater, & Pastor, sed etiam ex eisdem apparet quòd Abbas in hoc Conuentu admittit Nouitios ad professionem, & defert eis iuramentum perpetuæ obedientiæ. quod facere non posset, nisi esset in eo Superior Regularis. Doctor. *in cap. porrectum*, vbi Abb. *in* 5. *notab. & infrà num* 11. *& seq. & in cap. ad Apostolicum, num.* 4. *de reg.* Præpos. *in cap. rursus sub num.* 15. *post med. & num.* 16. *& seq. qui Cler. vel vouent.* Fuit etiam responsum quoad actus corrigendi Canonicos, dandi licentiam eundem extra Conuentum, & similes quòd illi exerceri possunt etiam à Priore claustrali, qui est subordinatus Abbati, vt de correctione Monachorum est text. *in cap. cùm ad monasterium.* § *Prior*, & ibi Cardin. *de stat. Monach.* & trad. Rebuff. *in prax part.* 1. *sub rub. reg. de benef. multip. num.* 5. & de præeminentia circa pertinentia ad claustrum, tradit idem Card. *in Clem. & si principalis, in* 1. *oppos. sub num.* 2. *vers.* & habet curam personarum, vbi etiam Imol. *num.* 8. Vital. *sub numer.* 21. *vers. sic Prior claustralis, de rescript.* & propterea suprascripti testes non releuant ad probandum quòd iste Prior sit Conuentualis, cùm non reddant sufficientem rationem; quam tamen etiam non interrogati repetere debent, cùm id non cadat sub sensu corporis. Felin. *in cap. causam num.* 3. *in* 2. *fallent. de test.* Alexand. *cons.* 36. *num.* 5. *&* 10. *lib.* 1. & fuit dictum in causa Aretin. spolij 22 Iunij 1611. coram R.P.D. meo Decano, & tanto minus releuant, quia non dicunt quòd Prior supra dictos actus exercuerit priuatiuè ad Abbatem, prout requiritur, cùm aliàs esset in eius facultate eisdem actibus vti, & dato quòd illis non fuerit vsus; non tamen potest dici contra eum inducta aliqua consuetudo, quæ in istis meræ facultatis non inducitur, nisi cum prohibitione & acquiescentia, vt tenuit Rota *in d. decis. relat. inter impress.* 778. *in fin. par.* 1. *diuers.*

4 Et in omnem euentum fuit dictum quòd quamuis dicti probarentur actus facti, priuatiuè ad Abbatem, in hoc tamen non releuarent, quia repugnant obedientiæ quæ per Canonicos Abbati promittitur, & est de substantia regulæ. Abb. *in d. cap. cùm ad monasterium num.* 7. *de stat. Monach.* Calder. *cons.* 1. *post med. vers. Item obieras d. consuetud. de statu regular.*

5 Nec demum obstare scripturas pariter post decisionem pro Conuentu productas. Nam quoad eas in quibus fit solùm mentio Prioris & Conuentus, placuit responsio quòd licèt in eis non fiat mentio Abbatis, ad istum tamen effectum non releuant, quia ex aliis satis clarè colligitur quòd in hoc monasterio adest Abbas. qui est in eo superior, ac illi vti tali præstatur obedientia tam per Nouitios, quàm per alios Canonicos, vt suprà deductum est. Quo verò ad eos, quæ continent confirmationes Priorum per Abbates pro tempore factas, fuit dictum illas non concludere quòd Abbas inuitus possit ad illud cogi, maximè per Canonicos obedientiarios ex supradictis.

Ad declarationem Doctoris Neroni Visitatoris, quod Prior sit immediatum caput monaster.), & non sit claustralis, fuit responsum, quòd illa non iustificatur, & de contrario apparet ex scripturis, & aliis suprà deductis quibus etiam accedit depositio tertij & quarti testium similiter pro Conuentu examinatorum, qui iuxta 8 dicunt quòd Prior est subordinatus Abbati, & consequenter dicitur claustralis, vt per Modern. *super reg.* 8. *d. gloss.* 8. *nu.* 114. & faciunt alia superiùs deducta. 6

Ex quibus solo Abbate informante Domini dixerunt standum esse in decisis, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Romana mercedis. 7. *Nouembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum non datur, si non constat de læsione, quæ ad hunc effectum est necessaria, n. 1.

Tutor testamentar. non potest Procuratorem constituere, num. 2.

Tutor qui inuentarium non conficit, potest tanquam suspectus remoueri, sed interim potest administrare, & causas agere, &c. n. 3.

Executio potest committi pro summa non liquidata, dummodo liquidatio fiat ante exequutionem, num. 4 *&* 5.

DECISIO CCCXXX.

Non constare de causis restitutionis Domini dixerunt, cùm non doceatur de aliqua læsione ad hunc effectum necessaria. *l. quòd si minor.* §. 1. *ff. de minor.* Rot. *decis.* 1. *de restit. in integr. in nou.* Mohedan. *decis.* 2. *de appellat.* Seraph. *decis.* 1238 *num.* 1. & decretum Illustrissimi Cardinalis Ludouisij iustificetur ex decisionibus coram ipso, & Illustrissimo Lancellotto factis. 1

Quibus non obstat quòd ad dictum decretum non fuerint citati filij Ioannis Petri mortui lite pendente, quia de contrario constat, cùm fuerit citatus Ioannes Albertus tanquam principalis pro suo interesse, & tanquam tutor pupillorum, & fuit etiam citatus Frontonius, qui non solùm erat Procurator Ioannis Petri eo viuente, & dominus litis effectus, sed etiam fuerat de nouo constitutus à tutoribus testamentariis, quibus hoc facere permissum est. Seraphin. *decis.* 415. *num* 4. Put. *decis.* 123. *lib.* 2. dicens de iure Canonico sublatam esse differentiam inter Procuratorem, & actorem, de qua *in l. neque tutores, C. de procuratoribus.* 2

Nec facit quòd dicti tutores inuentarium non fecerint, quia omissio inuentarij, licèt operetur vt tutores possint remoueri tanquam suspecti, tamen interim bene potuerunt administrare, causam agere, & defendere, & Procuratorem constituere. Bart. *in l. tutor qui repertorium num.* 3. *ff. de administrat. tutor.* Dec. *in cap. ex parte il* 2. *num.* 5. *de* 3

appellat. Put. *decis.*287. *&* 318.*lib.*1. Seraphin. *decis.* 1004.*num.*5.

Minus obstat, quòd Illustrissimo Ludouisio fuerit commissa causa restitutionis in integrum aduersùs sententiam Illustrissimi Lancellotti, & ideo non potuerit relaxare mandatum in executionem dictæ sententiæ, priùs non cognito, an esset locus causis restitutionis in integrum. Quia restitutio fuit petita à Manzono in partibus, in quibus contra ipsum fuit iudicatum. Et ideo licèt commissio dictæ restitutionis fuerit effecta communis; tamen non poterat retardare executionem alterius partis separatæ & diuersæ, in qua ad fauorem Manzoni fuerit pronunciatum, & aderat commissio executorialis eidem Lancellotto directa, cuius vigore Ludouisius tanquam subrogatus Lancellotti, potuit quoad illam partem mandatum relaxare.

Nec obstat, quòd mandatum fuerit relaxatum nõ præcedente liquidatione, & sic nulliter, quia dictum mandatum habet relationem ad sententiam Illustrissimi Lancellotti, in qua quoad tres annos merces Manzoni fuit liquidata ad scuta 50. annua.

4 Quo verò ad alios duos priores annos illi conceduntur sex pro centenario de exactis ex summa scutorum 6000. quam summam exactam, licèt sententia non exprimat quanta sit; tamen satis est quòd ista liquidatio fiat ante executionem. Innoc. *in cap. conquerente, sub num.* 5. *vers. & nota, de offic. ordin.* Roman. *cons.*211.*num.*5. & aliis relatis. Rota diuersor. *decis.*100.*num.*16 *part.*1.

Cùm præsertim non fuerit ex aduerso petita. Rota *decis.*352.*num.*3.*part.*1. Vnde antequam procedatur ad executionem dicti mandati relaxati, poterit summa exacta liquidari, & interim cùm illi de Signoribus non doceant de aliqua læsione, non videtur constare de causis restitutionis.

Et ita conclusum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Hispalen. Thesaurariæ. Lunæ 14. *Nouembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Dignitas honoraria, an indicat incompatibilitatem in terminis cap. ordinarij. §. in conferendis. de offic. ordin. & quando dignitas dicatur incompatibilis, & an consensus Ordinarij requisitus in approbatione conditionum adiectarum fundationi iurispatronatus requiratur per modum authoritatis, vel modum simplicis consensus, & quæ cognitio per Ordinarium sit adhibenda, & quid iuris sit in conditionibus iurispatronatus erecti per Ordinarium ad sui fauorem.

SVMMARIVM.

*Collatio dignitatis facta habenti alias duas dignitates est nulla, n.*1. *limita vbi vna ex dictis dignitatibus est honoraria, eod. n.*1. *& n.*8.

*Patronus potest in limine fundationis apponere conditiones sibi bene visas, n.*2.

*Dignitates de iure requirunt residentiam, n.*3.

*Beneficium semel erectum non potest iterum erigi, n.*4.

*Ecclesia non potest erigi in collegiatam sola Ordinarij authoritate, n.*5.

Ordinarius non potest authorizare conditiones à se appositas in iurepatronatus à se in sui fauorem erecto, ibid.

*Consensus quando requiritur per modum simplicis consensus, potest interuenire non solùm antè & in ipso actu, sed post quandocumque, secus si requiritur per modum consensus authorizabilis, n.*6.

Consensus authorizabilis non fit ex concursu contemporaneo, sed ex discussione & cognitione, & si adhibitur post actum, id euenit per modum confirmationis conualidando actum de se inualidum, ibid.

*Consensus Ordinarij requisitus in approbatione conditionum adiectarum reseruationi iurispatronatus tunc consideratur per modum authorizabilem, quando conditiones sunt inhonesta, impossibiles, vel incompatibiles, ita vt Ordinarius illas reducere pro sua authoritate debeat, secus vbi licèt sint contra ius, tamen ab eo non possunt reijci, n.*7.

*Incompatibilitas non resultat ex titulo honorario, num.*8. *Vbi quod nec etiam ex lege fundationis potest talis incompatibilitas induci. Fallit vbi titulus honorarius habet iurisdictionem temporalem & spiritualem, ibid.*

Conditio adiecta fundationi iurispatronatus, si est incompatibilis, debet reijci, si autem difficilis, debet cognosci & authorizari per superiorem, ibid.

*Conditiones adiecta per patronum in fundatione iurispatronatus, debent exhiberi per patronum supplicantem, & à confirmante poni in fundatione, n.*9. *&* 11. *Vbi quòd debet exprimi tenor conditionum.*

*Confirmatio in forma communi non releuat vbi est contraria iuri communi, n.*10.

DECISIO CCCXXXI.

VAcante de mense Iunij Thesauraria Hispalensi, de ea fuit prouisus auctoritate ordinaria D. Iustinus Antonilez, cuius nunc cessionarius est D. Gaspar de Herera, & R.P.D. Leyua eandem dignitatem à Sede Apostolica obtinuit, lite inter eos suborta, & causa in hoc Sacro Tribunali introducta partes ipsæ conuenerunt, vt disputaretur dubium, cui Thesauraria esset adiudicanda, & eo proposito sub die 18. Maij præteriti, compertum fuit fundamentum D. Leyuæ positum fuisse *in cap. ordinarij.* §. *in conferendis, de offic. ordin. in* 6. vbi cauetur collationem dignitatis in personam alias duas habentem, esse nullam, & D. Iustinum priùs duas otinuisse dicebatur, nempè Decanatum in Metropolitan. Granat. *&* Abbatiam, quæ est principalis, & vnica dignitas in Collegiata Montis Sancti. Verùm quoad Abbatiam pro parte D. Iustini dicebatur esse titulum honorarium, nec causare incompatibilitatem, & consequenter cessare dispositionem §. *in conferendis.* Archiepiscopus enim Granaten. fundator illius Collegiatæ Montis Sancti particularem edidit constitutionem, in qua voluit quòd Ordinarium, ac portionem, & distributionem leuare non debeant Abbas, & Canonici, quos fundator nominabit, qui habuerint præbendam in Ecclesia Maiori Granaten. aut in alia Ecclesia residentiam requirente, quoniam illos intendit nominare ad illos honorandum, non obligando ad residentiam aliquam ad effectum, vt sint

vt sint compatibiles cum aliis. Vnde difficultas videbatur ab eo pendere, si Archiepiscopus potuit facere illam constitutionem, & à Papa sit confirmata. & cùm causa esset grauis & ardua, non fuit tunc capta resolutio, neque in die 22. Iunij sequentis, dum fuit reproposita. Hodie verò maturè discussa dictum fuit, constitutionem non suffragari.

2 Nam etsi vera sit iuris conclusio, licere patrono in limine fundationis apponere conditiones sibi bene visas, *cap. Eleutherius 18. quæst. 2. cap. nullus, de ser. non ordin.* Anchar. *in cap. quia contigit, in 9. notab. de relig. dom.* Lambertin. *de iurepatr. lib. 1. part. 1. q. 9. princ. art. 1. in princ.* quod etiam fuit firmatum in Romana iurispatronatus 13. Maij 1613. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, & in Fauentin. beneficiorum 29. Nouembris eiusdem anni coram R.P.D. Buratto. Vera tamen, & approbata est altera conclusio, reseruationes, conditiones, & pacta, quando iuri communi aduersantur, posse quidem in limine fundationis apponi, si consensus diœcesani accedat, *cap. cùm dilectus, iuncta gloss. in verb. constitutum, in fin. de consuetud.* & hanc opinionem sequitur Innoc. *in cap. in Lateranensi, ante fin. de præbend.* Cardin. *in cons. 11.* Calderin. *cons. vltim. de iurepatronat.* Abb. *in cap. significatum in 2. not. de præbend.* idem Lambertin. post prædictos, & alios quos allegat *ead. quæst. & art. num. 49.* & hoc ipsum admittunt prædictæ decisiones, Romana iurispatronatus, & Fauentina beneficiorum.

3 Huiusmodi autem constitutio, quamuis etiam esset in limine fundationis, visa est Dominis contra ius, & carere consensu, siue approbatione. Contra ius, quia dignitates de iure requirunt residentiam, *cap. quia nonnulli, de cler. non residen.* Abb. *in cap. de multa, num. 21. de præben.* Seraph. *decis. 1452. num. 2.* & ex forma Conc. Trid. *sess. 24. cap. 12.* Constitutio autem liberat à residentia nominatos à fundatore habentes præbendas de residentia in aliis Ecclesiis; ergo cum dispositione iuris, & Concilij conuenire non potest.

4 Consensus autem, & Superioris approbatio ex eo deficere videtur, quia si attendatur prima erectio in Collegiatam auctoritate Archiepiscopi fundatoris, firmata sub die 20. Ianuarij 1609. de ea non videtur habenda ratio, sed de Apostolica data eodem anno 12. Kalend. Decembris, dum in narratiua illius dicitur, *quòd cùm dictus Petrus Archiepiscopus plurimũ desideret fundationem, & erectionem huiusmodi, per nos, & Sedem Apostolicam de nouo fieri, ac supra, & infra dicta concedi*, & in dispositiua Summus Pontifex postmodum descendit ad erectionem, dicens, *dicta auctoritate tenore præsentium, sine alicuius præiudicio erigimus, & instituimus.* Vnde si antiquæ esset standum, implicaret contradictionem, quòd Papa erigat, & prior erectio valeat, cùm beneficium semel erectum, non possit iterum erigi, Aret. *cons. 7. in princ.*

Quatenus autem contenderetur ab ea non esse recessum per aliam erectionem, nihilominus videbatur adhuc sustineri non posse, quia vltra quòd absolutum non est Ecclesiam posse erigi in Collegiatam sola Ordinarij auctoritate, Rebuff. *de erect. in colleg. in princ.* ab alio videbatur consensus requirendus, quàm ab ipso Archiepiscopo Ordinario fundatore, de cuius fauore, & interesse agebatur, vt conditiones, pacta, & reseruationes in limine fundationis appositæ, approbarentur, tanquam honestæ, possibiles, & compatibiles, cum substantia iurispatronatus, & ideo sibi auctorari non potuerit; quia partis, & iudicis, & fundatoris in examinando iustitiam illarum sustinere non poterat, *Clemen. 2.* vbi gloss. *in verb. mensæ suæ, de reb. Eccles. non alienand.* Abb. *in cap. in veteri, num. 11. de elect.* Seraphin. *decis. 1027.* Lambertin. *de contract. mulier. gloss. 10. num. 3.*

Nec obstare videbatur, quòd consensus Ordinarij accedere debeat per modum simplicis consensus, non autem per modum consensus auctorizabilis, ex eo quòd talis consensus potest interuenire non solùm antè, & in ipso actu, sed pòst quandocunque. Calder. *cons. 6. de iurepatronat.* Roch. de Curt. *eod. tit. in verb. pro eo, quod. quæst. 4. num. 9.* Lambertin. *lib. 1. part. 2. quæst. art. 16* quod dicebatur non esse si de consensu authorizabili requiretur, quia deberet interuenire in ipso actu, vt per Abb. *in cap. cùm nos, num. 5. de ijs quæ fiunt à Prælat.* cum aliis allegatis. Quia concursus contemporaneus cum ipso actu, non est ille qui faciat consensum auctorizabilem, sed discussio, & cognitio circa conditiones requisitas, an licitæ sint, & approbatæ, vel à iure non improbatæ, quod pertinet ad iurisdictionem, & iustitiam, non autem ad voluntarium consensum respicientem proprium, vel nullius interesse, vt ponderant Bald. *in l. fin. §. necessitate. num. 26. C. de bonis quæ liber.* Alex. *cons. 106. num. 2. lib. 1.* Ideoque si incidat post actum, id euenit per modum confirmationis, conualidando actum de se inualidum, Felin. *in cap. edoceri, col. 6. num. 7. & 8. vers. sequi potest, de rescript.* Lambert. *dicta qu. 9. art. 1. n. 91. vers. adduco pro hoc*; propterea in eadem confirmatione discussio, & cognitio requiritur, prout requireretur, si ab initio fuisset præstitus consensus. 6

Et si dicatur consensum tunc per modum auctorizabilem considerari, quando conditiones sunt inhonestæ, impossibiles, vel incompatibiles, vt illas Ordinarius pro sua auctoritate cognoscendo, & discutiendo reducere debeat ad honestatem, possibilitatem, & compatibilitatem, vt videtur de mente eiusdem, Lambert. *dicto art. 1. num. 50. vers. tu aduerte.* Secus verò dicebatur, vbi conditiones, etsi contra ius sint, non tamen tales, vt ab Ordinario possint reiici, vt in præsenti, vbi sicut reseruatio iurispatronatus non auctorizatur per consensum Ordinarij, sed per *cap. nobis, de iurepatronat.* ita nec approbatio, cùm descendat ab eadem necessitate iuris. Facilis patebit responsio, quia Ordin. in hac parte semper assumit partes iudicis in cognoscendo qualitates conditionum, & quamuis super his, quæ sunt à iure approbatæ, nihil videatur decernere; tamen idem non videtur super his quæ descendunt à necessitate iuris, quia eas validat, vt dicit idem Lambert. *d. art. 1. num. 91.* quod pertinet ad auctoritatem, vt suprà dictum est. 7

Et stantibus prædictis, non videbatur Dominis necessarium examinare, an conditiones essent tales. Sed nihilominus dicebant non obstare, quòd obtinentes præbendas in alia Ecclesia residentiæ obnoxias non haberent Ordinarium, ac portionem, & distributionem, & remaneret illis solus titulus honorarius ex forma constitutionis, qui habilis non est ad causandam incompatibilitatem, Hoied. *de incompat. benef. part. 1. cap. 13. num. 10. & 53. & part. 2. cap. 6. num. 1. & sequen.* Rot. in Placentin. Canonic. 10. Februarij 1596. coram Orano, & in 8

Hispalen. beneficior. 10. Iunij 1611. coram R.P.D. Pamphilio, aut quòd ex lege fundationis talis compatibilitas possit induci, vt per Federic. de Sen. *in his terminis in cons. 110. num. 2. vers. item pone*, ac etiam declarauerit Sacra Congregatio, in copia quæ data fuit, nolens tollere contrarias fundationes, & in Romana iurispatronatus suprà allegata, bene comprobatur. Quia fuit responsum huiusmodi Abbatem tanquam caput Collegij de iure communi, & ex forma fundationis habere iurisd. temporalem, & spiritualem in Canonicos, ideo non residendo videtur pugnare contra substantiam tituli Abbatialis, & tunc vel conditio est reiicienda tanquam incompatibilis, vel tanquam difficilis cognoscenda, & auctorizanda per superiorem, vt per eundem Lambert. *d. art. 1. n. 50. vers. tu aduerte.*

Nec videtur posse saluari ex eo quòd constitutio non esset perpetuò duratura, sed viuente Episcopo fundatore, vt ideo absolutio à residentia non esset adeò odiosa, cùm adesset Episcopus, qui est in eadem Collegiata caput, propter reseruationem iurium spiritualium, & temporalium per quam regimen Ecclesiæ non destituebatur. Quia prædicta reseruatio legitur in erectione Apostolica, de qua nũc dicetur; non autem in erectione Ordinarij fundatoris, ideo de vna ad alteram non est inferendum, nisi quatenus in eadem erectione Apostolica esset dicta constitutio comprehensa.

9 Secundò, si attendatur altera erectio, nempè Apostolica 12. Kal. nd. Decembris eiusdem anni 1609. data, visum est Dominis huiusmodi constitutionem per Papam non fuisse comprehensam, neque confirmatam. De non comprehensione satis constat, cùm in tenore erectionis nulla mentiò habeatur de simili constitutione, & tamen de residentia per Abbatem, & Canonicos facienda in huiusmodi Ecclesia narratum, & dispositum fuerit. Confirmatio pariter non videbatur probari quia secundùm praxim, quam ponit Lambertin. & Roch. ab eo relatus *in d. art. 1. num.* 50. debent exhiberi conditiones per patronum supplicantem, & à confirmante poni in fundatione, seu erectione, quæ non leguntur datæ.

10 Non obstant verba erectionis, ibi, *qui capitulariter, & in claustro ipsius Ecclesiæ Collegiatæ viuere teneantur; & infrascriptas, & alias eis per ipsum Archiepiscopum tradendas constitutiones seruare, & custodire*, quæ in dispositiua per illa verba, *cum ēque supradictas constitutiones, & regulas obseruare, & illis se conformare teneantur*, videntur confirmatæ. Quia per illa verba, *& alias tradendas constitutiones*, esto quòd de iam tunc factis esset intelligendũ non probatur huiusmodi constitutionem narratam fuisse Pontifici, vt certus esset de tenore illius contra ius, prout necessarium erat, vt distingui possent difficiles, & inhonestæ conditiones ab honestis, & compatibilibus, ideo confirmatio remaneret generalis, & in forma communi, quæ non releuat vbi contraria est, vt in præsenti iuris, & sacrorum canonum dispositione *cap. venerab.* vbi gloss. *in verb. tenore, de confirm. vt. l. vel inut. & in cap. pastoralis. §. præterea in verb. ex certa scientia, de offic. deleg.* Gabr. *cons.* 200. *n.* 3. *lib.* 1. Seraphin. *decis.* 1598. *num.* 2. & prædicta videbantur eo magis procedere, quia in ipsa erectione Apostolica iniunctum erat onus residentiæ, quòd videbatur implicare contradictionem, vt tenerentur residere, & posset Abbas liberari à residentia per anteriorem constitutionem, vt ideo magis necessaria esset expressio qualitatum constitutionis prædictæ.

Nec releuans visa fuit ponderatio clausulæ, *dummodo sacr. Canon. & Tridentinis decretis non aduersetur*, quæ apposita est facultati concessæ Archiepiscopis interpretandi constitutiones dubias, neque consideratio illorum verborum, *à Roman. Pont. approbari debeant*, quæ leguntur apposita facultati datæ eisdem Archiepiscopis addendi, mutandi, & de nouo edendi constitutiones, quasi si interpretandæ, addendæ, mutandæ, & de nouo edendæ sint reseruatæ canonum, & Tridentini, & Romani Pontificis censuræ, cæteræ, & sic iam factæ, & tradendæ constitutiones remaneant approbatæ ex natura exceptionis, quæ solet firmare regulam in aliis non exceptuatis, & iuris necessitate approbatis. Quia semper videtur obstare eadem responsio, vt necessaria sit expressio tenoris conditionum, quando sunt difficiles, exorbitantes, & incompatibiles, ad hoc, vt validè confirmari possint per certam confirmantis scientiam, vt per Alexand. *cons.* 59. *num.* 8. *lib.* 1. qui per hanc rationem respondet prædictæ regulæ, & argumento de conditionibus firmatis in non exceptuatis.

Nec vrgere videbatur, quòd constitutio non esset perpetuò duratura, sed viuente tantummodo Episcopo fundatore, vt suprà dicebatur. Quia, si per Papam non censeatur confirmata, frustrà contenditur de compatibilitate, & iustitia illius. Quæ autem dicebantur de excusatione, Domini reseruarunt videre in particulari disputatione, an dicta constitutio vnà cum aliis possit deseruire ad effectum excusationis.

Et ita, &c.

R.P.D. REMBOLDO.

Algaren. dismembrationis. Lunæ 14. *Nouembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Transactio super rebus Ecclesiæ confirmata à Sede Apostolica valida est, quòd in ea non fuerint seruatæ solemnitates requisitæ in alienatione rerum Ecclesiæ, ligátque successorem. Potest tamen propter enormissimam læsionem rescindi; sed quomodo hæc læsio isto casu probanda sit, in hac decisione magistraliter explicatur.

SVMMARIVM.

Transactio super rebus Ecclesiæ confirmata consensu Apostolico valida est, etiam facta sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum Ecclesiasticarum, n. 1.

Transactio super rebus Ecclesiæ confirmata à Papa ligat etiam successorem, n. 2.

Transactio super rebus Ecclesiæ rescinditur propter enormissimam læsionem, etiam confirmata à Sede Apostolica, ibid. Vbi tamen quòd læsionis probatio debet esse multum concludens, & quòd de ea iudicari non potest, nisi merita causæ, & illius acta videantur, & n. 4.

Transactio dicitur res fauorabilis, quia ex ea finis litibus imponitur, n. 2.

Probatio

Probatio non dicitur concludens ex possibili veritate contraria, n.3. in fine.
Transactio in dubio præsumitur utilis, & sine læsione, num.4.

DECISIO CCCXXXII.

1 Domini tenuerunt concordiam obstare moderno Rectori, quia fuit à Sede Apostolica confirmata, hac enim confirmatione stante, non solùm est valida, cùm per Apostolicam confirmationẽ suppleantur omnes aliæ solemnitates in transactionibus super rebus Ecclesiæ requisitæ. Abb. *cons.* 41. *num.3. lib.1* Dec. *cons.* 341. *num.* 12. *vers. & quando concessit.* Roland. *cons.* 96. *num.* 21. *lib.*1. Card. Seraph. *decis.* 1080. *num.* 60. & præsumitur vtilis. Abb. *d. cons.* 41. *sub num.3. lib.1.* Dec. *d. cons.* 341. *num.*12. Paris. *cons.* 24. *num.5. lib.4.* Ias. *cons.* 54. *num.* 19. *lib.* 1. sed ligat etiam successores illius, cum quo facta fuit transactio. *cap. veniens*, & ibi gloss. & DD. *de transact.* Gemin. *cons.* 87. *num.* 1. *vers. in contrarium.* Ruin. *cons.* 156. *num.* 20. *lib.*1.

2 Et quamuis admittatur probatio in contrarium, quòd scilicet continet enormissimam læsionem, & tali læsione probata, concordia etiam à Sede Apostolica confirmata ex defectu causæ, quæ in similibus contractibus, copulatiuè, cum solemnitate, requiritur. DD. *in cap. sine exceptione.* 12. *quæst.*2. Couar. *var. resol. lib.* 2. *c.*17. *num.*2. remanet nulla. Rot. *decis.* 178. *num.* 2. *part.* 1. *diuers.* Tamen quia in proposito concordia facta apparet ex causa recessus à lite, ac propterea probatio dictæ læsionis non solùm deberet esse multum concludens, & clara, cùm aliàs concordia sit fauorabilis, ex quo finis litibus per eam imponitur. *l. fratris. C. de transact.* Seraph. *decis.* 638. *n.*5. *& decis.* 1462. *num.* 1. Sed etiam ad hoc vt sciri posset, an adsit læsio, consideranda essent merita causæ, de tempore factæ transactionis. *l. si voluntate. in fin. C. de rescin. vend.* Bald. *cons.* 475. *in fin. lib.* 1. Aym. *cons.* 151. *num* 7. Surd. *cons.* 451. *num.*33. *lib.*3. & æstimandus dubius litis euentus. Bart. *in l. si quis cum alter. num.*5 *ff. de verb. oblig.* Alex. *cons.* 222. *num.* 11. *lib.*2. *& cons.* 92. *num.*36. *lib.*6. Dec. *cons.* 60. *n.* 4. Aym. *d. cons.* 151. *nu.*27. & fuit latè deductum in vna Firmana laudi 7. Nouembris 1614. & in Romana domorum 10. Iunij 1615. coram R.P.D. meo Vbaldo. Non potest aliquo modo in proposito dici fuisse dictam lęsionem sufficienter probatam, cùm acta iudicij, quod tempore factæ transactionis pendebat, transportata non fuerint, sine quibus impossibile est finem dicti iudicij ęstimari, vt fuit dictum in vna Romana domus 3. Decembris 1601. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

3 Non obstat, quòd prætenditur probatam esse læsionem ex eo, quòd dismembratio, & vnio tempore quo fuit effectum sortita, erat, vt prætenditur, reuocata, quia vltra, quòd potest esse quòd dicta vnio fuerit facta ex causa necessaria, & quòd consequenter regulis reuocatoriis non subiaceat, vt fuit sæpè decisum, & præsertim coram bon. me. Card. Seraph. decis. inter impress. 982. In omnem etiam euentum, ex quo dicta vnio facta fuit, cùm primùm vacauerit per cessum, vel decessum, tunc beneficium obtinentis, ac propterea dato etiam quòd sufficienter probatum sit, quòd dictus obtinens de tempore fel. rec. Clem. VIII. quo, vt prætenditur, vnio reuocata erat, obierit, nihilominus possibile est, quòd prius beneficium cesserit; atque ita per dictam cessionem, vnio ante reuocationem, effectum sortita fuerit, non potest dici dicta læsio probata, cùm sola possibilitas sufficiat ad excludendam plenam probationem, *cap. in præsentiam, de probat.* Surd. *cons.* 505. *num.*6.

Non obstat instrumentum possessionis captæ per Capitulum, quia cùm illud non producatur per ipsummet Capitulum, & sit actus reiterabilis, non excludit, quin possit adesse alia præcedens possessio, antea per ipsum capta, quod ex inspectione actorum apparebit, & eadem responsione tolluntur omnia alia in contrarium adducta, quia scilicet de læsione constare non potest, nisi visis; ac diligenter inspectis omnib. actis, cùm verùm semper sit, quòd in eis aliqua scriptura reperiri posset, per quam vel vnio sustineatur, vel saltem ita dubia reddatur Rectoris prætensio, vt ei vtile fuerit à lite recedere, prout in dubio præsumitur, Surd. *cons.* 451. *n.*27. 4

Non obstat processus vltimo loco exhibitus, quia continet acta prioris instantiæ tantùm, non autem secundæ, sine quibus læsio, vt dictum est, considerari, non potest, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Salutiarum pensionis. Lunæ 14. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Restitutio in integrum aduersùs sententiam non datur, nisi constito de nullitate, seu iniustitia eiusdem sententiæ, & sic de læsione. cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum denegatur vbi non constat de læsione, de qua constare non dicitur, nisi constet de nullitate, vel iniustitia sententiæ, n.1. Vbi ampliatur hæc conclusio etiam in priuilegiatis, ibid.
Sententia dicitur iusta, vbi ex actis constat de iurisdictione, citatione, & mandato, n.2.
Nullitas defectu iurisdictionis, citationis, & mandati in sententia tantummodo attenditur à Rota, ibid.
Appellans si infra iuris terminum pro Apostolis à iudice dato non redierit sententia, transit in iudicatum, num.3.
Procuratoris negligentia nocet domino, ibid. in fine.

DECISIO CCCXXXIII.

In Abbatia Sanctæ Mariæ de Stafarda Salutiarum diœcesis, quam hodie retinet Illustrissimus Alexander Scalia, quamuis pro dimidia parte fructuum esset antiquitus pensio reseruata, nihilominus Abbas Roncasius, hoc non expresso, aliam à Sanctissimo pensionem aureorum mille super eiusdem Abbatiæ fructibus obtinuit, quam ob id Ordinarius Taurinensis nullam, & subreptitiam declarauit, vt pariter in secunda instantia præstitit Reuerendiss. Dominus meus Damascenus. Cuius sententia, cùm fecisset deinde transitum in iudicatũ, ex quo post interpositam appellationem infra iuris terminum, pro Apostolis reditum non fuisset, commissa mihi pro parte Abbatis 3

Roncasij causa restitutionis in integrum, & successiuè, dubio per me proposito, fuit resolutum, de causis dictæ restitutionis non constare, cùm nullitas, vel iniustitia sententiæ Rotalis non appareat, nec propterea constet de læsione, sine qua restitutio in integrum denegatur, Rot. *decis.* 1. *de restitut. in integr. in nou.* Abb. *in cap. ex litteris, numer.* 5. *in fin. eod. tit.* Benintend. *decis.* 85. *num.* 10. Cardin. Seraph. *decis.* 1238. *num.* 1. Quod etiam in priuilegiatis locum obtinet, *l. nam postea, §. si minus. ff. de iureiurand. l. si ex causa iudicati. ff. de minoribus.* Natt. *cons.* 548. *num.* 35. Decian. *cons.* 18. *num.* 241. *lib.* 1. Alciat. *de præsumpt. reg.* 1. *præsumpt.* 42. *num.* 6. cum aliis allegatis per Hond. *cons.* 34. *num.* 37. *lib.* 2. & fuit coram me dictum in causa Romana deuolutionis domus 17. Iunij 1615.

2 Hîc autem iustitia sententiæ clarè patet, ex decisione Reuerendissimi Domini mei Damasceni. Eius pariter validitas indubitata redditur ex actorum resolutione, in quibus de iurisdictione, citatione, & mandatis apparet, vt per Verall. *decis.* 262. *part.* 2. quorum solummodo defectus attenduntur; & ita Rota seruare consueuit, vt in Anconitana separationis tori 9. Iunij 1600. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, & in Vercellen. Optionis 14. Nouembris 1611. coram R. P. D. meo Pirouano.

3 Transitus verò in iudicatum ob non reditum infra iuris terminum pro Apostolis controuerti non potest, *Clem. quamuis, de appellat. cap. ab eo, de appellat. in* 6. *l. iudicibus. C. de appellat.* Rota *decis.* 44. *nu.* 1. *part.* 1. *diuers.* Adeò vt nec propter impedimentum superueniens in termino quis excusetur, Bald. *in l. eos. §. Apostoles, in princ. C. de appellat.* Boër. *cons.* 43. *num.* 9. & fuit resolutum in causa Foroliuien. fideicommissi 21 Aprilis 1581. coram Cantuccio. Nec ob Procuratoris negligentiam, cùm sibi quis debeat imputare, quod negligentem Procuratorem constituerit, *gloss. pen. in cap.* 2. *post princip. de in integr. restit.* Cassad. *decis.* 5. *num.* 1. *de appellat.* Crescent. *decis.* 7. *eod. tit.* Ægid. *decis.* 694. *num.* 4. Rota *decis.* 27. *eod. tit. decis.* 739. *num.* 2. *part.* 1. & 439. *num.* 3. *lib.* 3. *part.* 3. *diuers.* Lancell. *de attent. part.* 2. *cap.* 14. *num.* 2.

Et ita fuit, solùm Illustrissimo Abbate Scalia informante, decisum.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana dotis de Ballis. Lunæ 14. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Cui incumbat onus probandi bona assignata excedere, vel non excedere legitimam, & dotem esse legitimæ correspondentem.

SVMMARIVM.

Legitima reijcit onus restitutionis, & quodcunque aliud, num. 1.

Dotem excedere legitimam probatio incumbit allegan-ti, num. 2.

Dos in dubio præsumitur correspondere legitimæ, ibid.

Indebitum nemo soluere præsumitur, ibid.

Testes de negatiua deponentes debent asserere rem non posse se aliter habere, quia ipsi scirent, n. 3.

Allegans non adesse alia bona, debet id concludenter probare, ibid. Vbi etiam ad effectum petendi legitimam, vel eius supplementum.

Vita hominis sexagenarij ad quinquennium duratura præsumitur, n. 4.

DECISIO CCCXXXIV.

Domini resoluerunt pro infirmatione sententiæ in hac causa vltimo loco latæ, & fundamentum præcipuum fuit, quia pactum illud de restituenda domo Michaëli, & eius hæredibus in casu quo Iulia decederet sine liberis, in quo pacto fundantur resolutiones hucusque factæ; certum est quòd non potuit præiudicare Iuliæ quoad suam legitimam, à qua reiicitur onus restitutionis, & quodcunque aliud. *l. quoniam in prioribus. C. de inoff. testam.* cum vulg. & proinde nisi constet dotem Iuliæ datam excedere suam legitimam, bene potuit disponere, non obstante dicto pacto de domo sibi data in dotem legando, prout fecit illius vsumfructum Ludouico marito suo.

Quòd autem Iuliæ dos excedat suam legitimam, non videbatur satis probatum per Angelum, cuialioquin hoc onus videtur incumbere tanquam fundamentum intentionis suæ. *l. actor. C. de prob.* præsertim cùm pro Iulia vigeat præsumptio, quòd dos in dubio censetur correspondere legitimæ. Doct. communiter *in auth. nouissima,* vbi Iason. *in fin. C. de inoff. testam. & auth. res quæ,* vbi Iason. *in* 6. *not. C. cum de leg.* Alex. *cons.* 69. *num.* 2. *lib.* 1. Crauett. multis relatis *cons.* 236. *num.* 3. & qui dicit dotem excedere legitimam, id probare debet, cùm nemo præsumatur soluere, nisi debitum. Bart. *in l. si dubitetur. §. filiusfamilias, in fin. ff. de fideiuss.*

Accedit quòd ad calculandam legitimam necesse erat æstimare totam hæreditatem Michaëlis, quod non videtur sufficienter factum, & licèt in vltima decisione huius causæ, dicatur peritum electum æstimasse quinque domunculas Michaëlis vna cum scut. 300. Iuliæ in dotem datis in scut. 591. & ex testibus de paupertate eiusdem deponentibus verisimile videatur, eum nihil aliud in bonis reliquisse; tamen hæc probatio nō est visa sufficiens, cùm nec peritus, nec testes dicant, nec fuerit etiam articulatum non fuisse à Michaële relicta alia bona, nec remanere potuisse, quin ipsi scirent, iuxta trad. per Felin. *in c. in nostra sub num.* 8. & *in c. ex tenore, sub num.* 2. *vers. tu aduerte, de testibus.* Ruin. *cons.* 97. *n.* 8. *lib.* 4. Bald. *in l.* 1. *sub num.* 7. & ibi Paul. de Castren. *in fin.* & Dec. *num.* 8. *C. de bon. poss. sec. tab.* & tamen qui dicit non adesse alia bona, debet hoc concludenter probare Put. *decis.* 185. *num.* 2. *lib.* 1. secundùm nou. impress. & in istis terminis ad effectum petendi legitimam vel eius supplementum. Bart. *in cons.* 17. *lib.* 1. Natt. *cons.* 352. *in fin.* & præsumptio ex aduerso allegata eliditur ex alia, quòd nullo modo sit verisimile Michaëlem, quamuis pauperem, qui decessit, vxore, & septem filiis relictis, vt firmant decisiones in causa factæ, nulla reliquisse mobilia in dictis domunculis, quorum nulla est habita ratio in æstimatione.

Vltra quòd in decisionibus fuit præsuppositum, Iuliam habuisse in dotem scut. 300. vltra domum, & tamen scut. 200. habuit à matre ex propria ipsius promissione, quæ ideo censetur promisisse de suo, ex alle-

ex allegatis; & proinde dicta summa, non videtur computanda in legitimam Iuliæ debitam in bonis parentis; quibus addebatur etiam nullam fuisse habitam rationem quarti dotalis debiti viro ex forma statuti, & postremò quòd fuit semper hucusque præsuppositum fuisse à Iulia relictam domum Ludouico, & tamen fuit relictus solus eius vsusfructus viro sexagenario, cuius vita ad quinquennium duratura præsumitur, iuxta text. *in l. hæreditatum. ff. ad l. falcid.* Quæ omnia faciunt ad diminuendum prætensum legitimæ excessum. Ex quibus fuit resolutum pro infirmatione sententiæ, &c.

REVERNDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Maceraten. fideicommissi 14. *Nouemb.* 1616.

ARGVMENTVM.

Partitæ quando præsumantur duplicatæ.

SVMMARIVM.

Emptio facta de pecuniis dotalibus, censetur facta de pecuniis depositatis, si non constat quòd aliæ pecuniæ extarent, quàm quæ erant depositatæ, maximè si erant depositatæ ad effectum inuestiendi, & sic summæ correspondent, n.1.

Temporis vicinitas inter duos actus, facit illos præsumi correspectiuos, n.2.

Debitor non præsumitur velle solutionem debiti facere ante tempus sibi concessum ad soluendum, n.3.

DECISIO CCCXXXV.

PRætendente Dorothea tanquam vocata ad fideicommissum immissionem super prędio cum domo & Columbario, dedi dubium, an ipsi illa esset concedenda? In cuius propositione 30. Ianuarij prę-teriti informantes ex aduerso opponebant Siluagiam habuisse dictum prædium in solutionem dotis sibi promissæ per d. Equitem Ioannem fideicommittentem, & ideo illud non cadere sub fideicommisso, à quo in primis deduci debet æs alienum testatoris.

Et pro parte Dorotheæ replicabatur Siluagiam fuisse de dote aliunde satisfactam, quia dos ipsi promissa per Equitem fuit florenorum 6000. soluendorum pro medietate in vita in duabus paghis, & pro alia medietate post mortem.

Pro solutione florenorum 3000. in vita dicebatur Equitem in solutum dedisse quendam censum florenorum 1500. quem habebat cum Iuliano Rogerio, & alios florenos 1500. deposuisse parte citata in banco DD. de Cittadanis; pro reliquis verò florenis 3000. dicebatur assignasse alios duos census, vnum florenorum 800. alterum florenorum 300. necnon soluisse florenos 400. in contanti. Item alios florenos 2352. pro pretio quinque possessionum emptarum per Io. Baptistam maritum Siluagiæ à Firmana, ac vlteriùs alios florenos 648. prætendunt Io. Baptistam habuisse in multis fructibus, animalibus, & mobilibus; quæ ad eius manus deuenerunt de hæreditate Equitis Ioannis. Et pro iustificatione præmissorum allegabant decisionem factam in hac causa 28. Maij 1607. coram me.

Verùm quia informantes pro Siluagiæ hęredibus respondebant dictam decisionem non subsistere in facto, & à veritate supradicti calculi pendet resolutio dicti dubij, ideo Domini ordinarunt vt videretur an quantitas, super qua fuit adiudicata possessio Siluagiæ, sit aliunde soluta, super quo hodie proposito dubio Domini negatiuè responderunt.

Nam prima partita florenorum 1500. in censu cum Rogerio non est apponenda in calculo, quia dictus census fuit postea assignatus pro parte pretij possessionum emptarum à Io. Baptista marito Siluagiæ, vt patet ex ipso instrumento emptionis, & ex quintantia facta per Firmanam venditricem. Vnde si in calculo ponuntur dictæ possessiones, non videtur numerandum etiam pretium, ex quo fuerunt emptæ, ne idem bis numeretur.

1 Alia verò partita florenorum 1500. depositatorum, multo minus videtur ponenda in calculo, quia ex illis fuerunt soluti 400. in contanti Io. Baptistæ, & reliqui inuestiti in duobus censibus, vno florenorum 800. altero 300. de quibus in eodem calculo, vt dicunt ipsi testes instrumentarij in summario hæredum Siluagiæ *n. 2.* & patet etiam ex verbis instrumentorum, in quibus Eques declarat emere census ex pecuniis dotalibus, quas necessariò dicendum est fuisse istas depositatas, cùm tunc aliæ non extarent, ad tradita per Paris. *cons. 141. nu. 6. lib. 4.* præsertim cùm fuerint depositatæ ad effectum vt inuestirentur. Rota Ianuen. 91. *n. 4.* Menoch. *de arbitr. casu* 432. *n. 28.* Seraph. *decis.* 1093. *num. 7.* & dicti census vnà cum flor. 400. in contanti solutis correspondent summæ depositatæ. Bart. *in l. triticum n. 3.* & ibi Ias. *n. 8. de verb. obl.* Seraph. *d. decis.* 1092. *nu. 3.* & fuit dictum in Romana pecuniaria de Astallis 1. Februarij 1613. coram R.P.D. meo Decano.

2 Idem etiam colligitur ex vicinitate temporis, cùm post quatuor menses à die facti depositi, & in termino septem dierum, fuerunt dicti census empti, & flor. 400. soluti. Anchar. *cons. 434. num. 3.* Crauet. *cons. 153. n. 8.* Seraph. *decis. 620. n. 7.*

3 Et ex inuerisimilitudine quæ oritur quòd Eques qui in vita tenebatur soluere tantùm flor. 3000. quos iam soluerat, voluerit etiam soluere intempestiuè, & ante tempus alios flor. 1500. qui non erant nisi post mortem suam soluendi, vt fuit dictum in vna Romana fructuum census 28. Aprilis 1610. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, & in allegata Romana pecuniaria de Astallis.

Quo verò ad vltimam partitam flor. 648. de quibus prætenditur Ioan. Baptistam maritum Siluagiæ præsumi satisfactum ex bonis & aliis quæ de hæreditate Equitis Ioannis ad ipsius manus peruenerunt, non intrare in præiudicium Siluagiæ, quæ erat creditrix dotis, & cui erat soluenda, non autem Io. Baptistæ.

Ex quibus videtur dictas tres partitas non esse ponendas ad computationem dotis, & consequenter illis demptis, apparet quantitatem, super qua fuit adiudicata possessio Siluagiæ, non fuisse illi aliunde solutam.

Et ita conclusum, &c.

R. P. D. COCCINO.

Cæsaraugusta. parochialis de Maella. Lunæ 14. *Nouembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Regula octaua, an comprehendat benefi-

cia iurispatronatus ex priuilegio, & an quasi possessio præsentandi in dd. beneficiis operetur aliquid in præiudicium Papæ, vel Ordinarij.

SVMMARIVM.

Mensis Octobris est vnus de mensibus reseruatis Papæ vigore regulæ octauæ: Episcopo autem gaudente alternatiua efficitur mensis Ordinarij, n.1.

Regula octaua comprehendit omnia beneficia, & tollit consuetudines etiam immemorabiles, & indulta ac priuilegia Apostolica tam super optione præbendarum, quàm super dispositione beneficiorum, etiam quòd priuilegia continerent quòd numquam sub reseruationibus comprehenderentur, cùm regula habeat clausulas derogatoriarum derogatorias, ibid.

Regula octaua comprehendit beneficia iurispatronatus in priuilegio, ibid.

Iuspatronatus concessum ante 40. annos post confirmationem Conc. Trid. potest per Ordinarium reuideri: interim tamen patronus est in sua quasi possessione præsentandi manutenendus, n.2.

Declara vt patronus sit manutenendus in sua quasi possessione præsentandi respectu Ordinarij, secus respectu reseruationis Papæ inducta per regulam octauam, num.3.

Regula octaua propter decretum irritans in ea appositum, illis quasi possessionem præsentandi, & omnia quæ possunt impedire reseruationem tollit, nu.3.

Alternatiua non capit beneficia, quæ non sunt liberæ collationis Ordinarij, ibid. Vbi quòd ideo non capit beneficia iurispatronatus ex priuilegio.

DECISIO CCCXXXVI.

1 HAEc Parochialis vacauit in mense Octobri, qui est vnus de octo mensibus, vigore regulæ 8. Papæ reseruatis, Episcopo autem gaudente alternatiua, est Ordinarij, & cùm dicta Parochialis sit de iurepatronatus laicorum, ex priuilegio Iulij II. concesso, ex augmento dotis, & reualidato per Paulum III. aduersùs regulam Adriani VI. Ideo dubitaui an constaret de reseruatione dictæ Parochialis? & Domini affirmatiuè responderunt, regula enim octaua in sua reseruatione comprehendit omnia beneficia, & tollit consuetudines etiam immemorabiles, & priuilegia, & indulta Apostolica, nedum super optione præbendarum, verùm etiam super dispositione beneficiorum, etiam quòd prædicta priuilegia, & indulta continerent, quòd nunquam sub dd. reseruationibus comprehenderentur, vt sunt verba clara regulæ, & dicit ibidem Modern. glossator *gl.35. per totum*, & præsertim *num.24. & 30.* & ita fuit resolutum in causa Casalen. Canonicatus 19. Ianuarij 1604. coram bo. mem. Litta. Quare cùm dicta Parochialis sit de iurepatronatus, ex priuilegio comprehenditur sub dicta regula, quę tollit priuilegia, & indulta, vt fuit resolutum in causa Compsana iurispatronus 23. Ianuarij, & 3. Decembr. 1604. coram bon. mem. Alexandro Litta. Neque sunt examinandæ clausulæ priuilegij, cùm regula octaua habeat derogatorias derogatoriarum, etiam quòd fuerit dictum, quòd beneficia nunquam sub reseruationibus Apostolicis comprehenderentur, vt fuit consideratum in allegata causa Compsana, & dicit Modern. glossator *gloss.36. per totum.*

Neque obstat, quòd Episcopus gaudeat alternatiua, & ideo mensis Octobris est Ordinarij. Vnde cùm patroni sint in quasi possessione præsentandi, licèt iuspatronatus possit per Ordinarium reuideri, cùm sit concessum ante 40. annos post confirmationem Concilij, vt *in c.9. de reform. sess.25.* Interim tamen patroni sunt manutenendi in sua quasi possessione præsentandi, vt censuit Congregatio Illustrissimorum Interpretum, vnde cessat reseruatio.

Nam fuit responsum prædicta non facere, quia procederent si hæc Parochialis caderet sub alternatiua Ordinarij, sed cum non cadat, & collatio spectet ad Papam, quasi possessio præsentandi non suffragatur aduersùs regulam octauam Cancellariæ, propter decretum irritans in ea appositum, quod tollit omnia quæ possent impedire reseruationem, Modern. gl. *reg.8. qu.67. num.12. & seqq.* & in puncto fuit resolutum coram me, in causa Barchinonen. Prioratus 11. Maij 1600. & aliàs sæpiùs. Quòd autem nõ cadat sub alternatiua Ordinarij, satis patet, quia in regula ab alternatiua excipiuntur beneficia, quę non sunt liberæ Collationis Episcopi, vt sunt verba clara regulæ, & dicit Modern. glossator *gloss.45. nu.1.* qualis est ista Parochialis stante iurepatronatus, ex priuilegio, quia donec reuidetur iuspatronatus, possessores sunt manutenendi in quasi possessione præsentandi, cùm priuilegium sit concessum per 40. annos ante confirmationem Concilij, quod operatur respectu Ordinarij, secus autem respectu reseruationis Papæ, vt supra dictum est.

Et ita conclusum constare de reseruatione.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Vallisoletan. Archidiaconatus. Mercurij 16. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Beneficia plura incompatibilia quis retinere non potest, nisi ex dispensatione Papæ, & quando Papa super hoc dispensasse dicatur, & de validitate dispensationis.

SVMMARIVM.

Beneficia plura incompatibilia quis habere non potest, num. 1.

Beneficia plura incompatibilia quis habere potest ex dispensatione Papæ, ibid.

Beneficia plura incompatibilia habere potest qui ex dispensatione Papæ, eo ipso quòd Papa dispensat, quem non debere residere in Ecclesia, de qua quis secundo loco est prouisus, & quòd illius Ecclesiæ fructus percipere posset, n.1. & 2.

Minor à Papa dispensatus vt possit habere parochialem, censetur etiam dispensatus, vt non promoueatur intra annum, n.2.

Dispositio strictè intelligenda extenditur ad concessa inseparabilia, n.1.

Connexorum inseparabilium extensio facienda est de vno ad alium, ibid.

Dispensatio retinendi plura beneficia incompatibilia intelligenda est si primum beneficium fuerit legitimè collatum, n.3.

DECI-

DECISIO CCCXXXVII.

1 Dubitaui an gratia Didaci esset iustificata, & difficultas fuit restricta ad id, an Archidiaconatus vacaret per assecutionem Abbatiæ incompatibilis, iuxta terminos *c. referente, & c. præterea, & c. de multa, de præb. c. quia nonnulli, de cler. non residen. extrauag. execrabilis, §. qui verò de præb.* Conc. Trid. *sess. 7. c. 4.* Staphil. *de litteris gratiæ, tit. de variis modis vacat. §. tertius vacationis modus n. 1.* & per totum, & *in reg. 57. Cancellariæ*; & Domini negatiuè resoluerunt, ex quo Paulus III. in limine erectionis dictæ Abbatiæ concessit quòd Abbates & Canonici & alij in dicta Ecclesia residentes possint percipere cũ integritate omnes & singulos fructus, distributionibus quotidianis exceptis, quorumcunq; beneficiorum, cum cura, & sine cura, etiã ex statuto, vel fundatione, aut aliàs personalem residentiam requirentium, quæ in quibusuis Ecclesiis, siue locis obtinuerint, etiamsi Canonicatus & præbendæ, dignitates, personatus, &c. in Cathedrali etiam metropolitana, seu collegiatis pontificales maiores, seu collegiatis Ecclesiis principales, aut aliàs qualitercumque fuerint, quos perciperent si in eisdem locis residerent personaliter, itaut ad residendum in eisdem Ecclesiis minimè teneantur, nec compelli possint; quare cùm sit concessa perceptio fructuum in aliis Ecclesiis absque negligentia, perneceſſe videtur concessa etiam retentio. nam etsi dispositio strictè sit intelligenda, nihilominus extenditur ad inseparabiliter connexa, ne suo effectu frustretur, qualis est retentio beneficiorum incompatibilium, aliàs frustraretur dispensatio circa perceptionem fructuum, vt videtur in terminis gloss. *in verb. retinere, in cap. non potest, de præbend. in 6.* & gloss. *in cap si quis in clero, in verb. solemnitatibus 7. quæst. 1.* vbi Archid. in fine, quam communiter esse receptam dicit Sayr. *in thesauro casuum lib. 7. cap. fin. num. 14. & 21.* gloss. *in cap. quia tantum, in verb. plures*, vbi Abb. *nu. 4. de præbend.* Rip. *in cap. ad aures, num. 43. de rescript.* Felin. *in cap. at si clerici §. de adulteriis num. 17. de iudic. & in cap. fin. num. 8. de simon. & in cap. postulasti num. 18. de rescript.* Prob. ad Monach. *cap. vnico num. 10. de ætat. & qualitate ordinand.* Iason. *in l. beneficium num. 55. ff. de constit.* Euerard. *loco à ratione legis larga num. 36. fall. 11.* Gamb. *de legibus lib. 10. num. 230.* Angel. *vers. dispensatio num. 9.* Syluest. *quæst. 5 num. 9.* Mandos. *reg. 20. quæst. 7. num. 7.* Rot. *decis. 765. num. 7. part. 1.* & latè Sanch. *de matrim. lib. 8. disput. 1. num. 19.* & cessat omnis difficultas ex illis verbis, ita vt ad residentiam minimè teneantur, nec compelli possint, quare Papa expresè censetur eos liberasse à residentia. Bald. *in l. eam quam num. 37. C. de fideicom.* Surd. *cons. 308. num. 40.* vbi alios allegat.

2 Neque obstat quòd aliud sit indulgere, vt quis residendo in vna Ecclesia percipiat fructus dignitatis alterius, aliud verò quòd possit duo incompatibilia retinere, quia in isto casu tenetur residere in Ecclesia digniori. Hoied. *de incompat. benefic. part. 1. cap. 17. num. 29.* per dictam gloss. *in cap. non potest*, & ibi Franc. *in §. illud n. 5.* vnde requirebatur duplex dispensatio. nam fuit responsum obiectum in se verũ esse, sed non applicari. nam eo ipso quòd Papa concedit quòd fructus etiam dignitatis percipi possint, eo ipso censetur concessisse quòd non resideat in dicta dignitate; & sic eo ipso concedit duplicem dispensationem, quia dispensatio super non residentia est inseparabilis à dispensatione super perceptione fructuum, absque eo quòd quis non resideat, per supradicta; hinc videmus quòd si dispensetur cum minore, vt possit habere parochialem, censetur etiam dispensatum vt non promoueatur inter annum, quia vna sine alia sustineri non potest. Abb. *in d. cap. cùm in cunctis. §. cum verò num. 9. de elect.* Sanch. & Sayr. *locis citatis*, vbi alios allegant, & cessat omnis difficultas, quia vt dictum est, Papa dispensauit circa perceptionem fructuum, perinde ac si residerent, itaut ad residentiam non teneantur: vnde manifestissimè apparet quòd dispensauit super vtroque, per verba illa, itaut vt ad residentiam minimè teneantur. Bald. & Surd. locis *supra allegatis*.

Minus etiam facit quòd dictum indultum Apostolicum debet intelligi, si alias dignitates & Canonicatus cum dispensatione obtinerentur, per text. *in cap. si gratiosè, de rescript. in 6.* Nam fuit responsum quòd text. ille disponit quòd quando datur retentio alicuius beneficij cum alio, intelligitur quatenus illud beneficium legitimè obtineatur, quod est verissimum, & ita in casu nostro est intelligendum indultum Apostolicum, scilicet quatenus dignitates & Canonicatus legitimè fuerint collata, non autem quatenus essent collata cum dispensatione, quòd possent retineri cum Abbatia, quia aliàs indultum esset de vento, & destruerentur verba prædicta, quæ satis clara sunt.

Et ita conclusum, gratiam non esse iustificatam.

REVERNDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Anconitana bonorum. 16. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Donatio si facta sit cum certis pactis, si donatarius non acceptauerit cum illis pactis, non potest agere vigore donationis ex defectu implementi, n. 1.

Contractus censetur resolutus ob non implementum, stante pacto resolutiuo, & clausula, non aliàs, aliter, nec alio modo, *n. 2.*

Clausula, non aliàs, aliter, nec alio modo, *in donatione apposita operatur vt dominium rei donatæ retro transferatur in donantem, ibid.*

Quomodolibet *dictio, significat quemcumque modum qui excogitari possit, n. 3.*

Releuatio indemnitatis plus importat, quàm simplex accollatio debitorum, quia extenditur etiam ad molestias iniustè & de facto illatas, n. 4.

Verba generalia non debent restringi, n. 5.

DECISIO CCCXXXVIII.

Fvit in hac causa 4. Iulij 1614. resolutum sententiam de partibus ad fauorem DD. de Triumphis latam esse confirmandam, cui decisioni non acquiescente D Passaro, causam super eisdem proposui. Et Domini in decisis standum dixere.

Placuit enim primum & præcipuum fundamentum dictæ decisionis, nempe quòd cùm Passari non acceptauerint donationem eo modo, & illis pactis,

quibus sibi facta fuit, non possint agere vigore dictę donationis, quam ipsi non adimpleuerunt. *l. Julianus. §. offerri. ff. de action. empt.*

2 Et dicta donatio ob non implementum censeatur resoluta stante expresso pacto resolutiuo, cum clausula *non aliàs, aliter, nec alio modo*, quæ operatur, vt dominium rei donatæ retro transferatur in donantem. Dec. *cons.* 187. *num.* 4. Rolan. *cons.* 369. *nu.* 26. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 4. *tit.* 30. *num.* 31. *versic. neque obstat.*

Quòd autem acceptatio non sit facta iuxta formam donationis, apparet ex eo, quia in donatione fuit expresè cautum, vt donatarij deberent in seipsos suscipere omne onus, commodum & incommodum ex dictis bonis, vt suprà, donatis prouenienς; per quæ verba videtur voluisse donator grauare donatarios ad quamcumque molestiam, quæ quomodocumque, & pro qualibet summa posset inferri occasione dictorum bonorum donatorum.

3 Illa enim dictio generalis *quomodolibet*, significat quemcumque modum, qui excogitari possit. Ioan. Andr. *in c. indemnitatibus sub num.* 1. *de electione. in* 6. Gozad. *cons.* 14. *num.* 21. Rot. *decis.* 505. *num.* 19. *part.* 1. Donatarij verò in acceptatione donationis declararunt se velle teneri tantùm pro viribus & valore bonorum donatorum, non autem de proprio, nec in plus, & sic non videntur acceptasse omne incommodum, quod ex dictis bonis prouenire posset.

4 Item donator voluit quòd promitterent donatarij in forma Cameræ releuare indemnem ipsum & D. Masserium, de qua tamen releuatione nullum verbum in acceptatione, quæ tamen erat necessaria, cùm plus importet, quàm simplex accollatio debitorum facta per donatarios, & extendatur etiam ad molestias iniustè & de facto sibi illatas occasione dd. bonorum. Surd. *cons.* 150. *num.* 9. *& cons.* 345. *num.* 24.

Quibus non obstat quòd cùm donator asseruerit bona donata ad se pleno iure spectare, non videatur cogitasse quòd illa per hypothecariam auocari possent Rot. *decis.* 233. *num.* 3. *part.* 2. & consequenter circa illa dicendum sit non habuisse intentionem vt donatarij se de proprio obligarent. Quia huiusmodi intellectus repugnat claræ menti donantis, qui expresè non solùm omne onus & incommodum dictorum bonorum in donatarios trãsferre, sed etiam ab eis omninò indemnis & penitus sine damno releuari voluit, quod fieri non posset nisi in casu quo bona auocarentur, donatarij etiam de proprio tenerentur.

5 Et ex hoc intellectu nimis restringerentur prædicta verba generalia in præiudicium donatoris, quod non est ferendum, ad trad. per Crauett. *cons.* 245. *num.* 10.

6 Minus obstat quòd Triumphi tanquam tertij non possint dare de hoc nonimplemento, quia cùm in casu non implementi fuerit appositum pactum resolutiuum, cum expressa declaratione, quod donatio haberetur pro non facta, potest quilibet etiam tertius allegare nullitatem dictæ donationis tanquam exclusiuam donationis agentis. Surd. *decis.* 105. *nu.* 15. *& seq.* præsertim si is, qui opponit, sit reus, & possessor. Surd. *decis.* 144. *num.* 19. Menoch. *de adipiscen. remed.* 4. *num.* 595.

Ex quibus cùm appareat Passaros non posse agere ex dicta donatione, & hanc exceptionem posse opponi per Triumphos reos & possessores, visum fuit Dominis non esse necessarium discutere alia fundamenta decisionis circa creditum dictorum de Triumphis, & quo iure retineant possessiones de quibus agitur.

Et ideo his omissis Domini ex dicto primo capite in decisis steterunt, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Neapolitana iuris conferendi. Mercurij 16. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Mandatum speciale requiritur ad capiendam possessionem, & debet capi in ipso loco, qui possidere debet.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per instrumentum adeptionis illius alio non existente in possessione, maximè iuncta perceptione fructuum, n. 1.

Possessio capta per Procuratorem, de cuius mandato speciali non constat, non suffragatur, num. 2.

Mandatum speciale requiritur ad capiendam possessionem, ibid.

Transumptum non meretur fidem si fuerit extractum lite pendente, non citata parte, & à Notario, qui non fuit de eo rogatus, n. 3.

Possessio Ecclesiæ capienda est in ipsa Ecclesia, & non in alio loco, n. 4.

DECISIO CCCXXXIX.

Alexandro dandum esse mandatum de manutenendo Domini resoluerunt, cùm de eius possessione de tempore motæ litis constet ex publico instrumento adeptionis illius, quod non alio existente in possessione probat Cæs. de Grass. *decis.* 5. *in princ. de caus. poss. & propriet.* Rot. *decis.* 506. *num.* 1. *part.* 1. Honded. *cons.* 86. *num.* 29. *lib.* 2. iuncta præsertim perceptione fructuum. Natt. *cons.* 292. *num.* 2. Paris. *cons.* 107. *num.* 22. Menoch. *de retinen. remed.* 3. *num.* 564.

Non obstat anterior possessio Marcelli, quia non suffragatur ex quo fuit capta à Procuratore, de cuius speciali mandato non constat, decis. Perusin. 29. *num.* 4. Surd. *cons.* 160. *n.* 23.

Nam licèt exhibeatur quoddam transsumptum dicti mandati, tamen visum fuit non esse habendum in consideratione, cùm fuerit extractum lite pendente absque citatione partis, & à Notario, qui de illo non fuit rogatus. Rot. *decis.* 1. *de fid. instrum. in nouis.* Menoch. *cons.* 732. *n.* 6. & fuit dictum in vna Vlixbonen. Prioratus 14. Martij 1611. coram R. Damasceno.

Vltra quòd possessio Marcelli respectu Ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Mare ex alio nõ suffragatur, nempe quia non fuit capta in ipsa Ecclesia sanctę Mariæ, prout requiritur. Couar. *var. lib.* 3. *c.* 16. *num.* 13. Gomez. *in l.* 45. Taur. *num.* 39. sed in loco diuerso, nempe in quadam Capella existente in Ecclesia SS. Petri & Sebastiani, in qua dicitur situatam esse Rectoriam dictæ Ecclesiæ sanctæ Mariæ, ob profanationem illius; de qua tamen profanatione, & translatione Rectoriæ tantum abest quòd cõstet, vt immò idem Procurator Marcelli die 25. Octobris de nouo possessio-

possessionem ceperit in ipsa Ecclesia sanctæ Mariæ, quæ tamen vltima possessio cùm sit posterior illa Alexandri, quæ fuit capta die 5. eiusdem mensis, non est manutenibilis.

Cætera verò quæ dicuntur de iure conferendi competenti Monialibus, vel Ordinario, respiciunt petitorium; ideo illis omissis pro manutentione Alexandri fuit resolutum, ex supradictis, &c.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Marianen. seu Alerien. vnionis. Mercurij 16. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

De effectuatione vnionis Ecclesiarum, quando, & ex quibus probata censeatur.

SVMMARIVM.

Citatio populo, & communicati facienda, quomodo fieri, & exequi debeat, n. 1.

Papa non præsumitur voluisse tollere vnionem Ecclesiarum legitime factam ex causa necessaria, n. 2.

Beneficia vnita non vacant, nec conferuntur, ibid. in fin.

Vnionis effectuatio si non probatur, non censetur reuocata per regulas reuocatorias vnionum, n. 3.

Possessionis continuatio præsumitur, nisi doceatur de interruptione, ibid.

Vnionis effectuatio in vna ex Ecclesiis vnitis, censetur eadem effectuatio etiam in aliis Ecclesiis simul vnitis, num. 4.

Vnionis effectuatio numquid probata censetur per solutionem quindennij, n 5.

Vnionis effectuatio probata censetur per deputationes Capellanorum, n. 6.

Possessionis extremis probatis, præsumitur possessio de medio tempore, ibid. in fin. &c.

DECISIO CCCXL.

Qvoniam decisio vltima in hac causa coram me die 18, Decembris præteriti, in qua resolutum fuerat sententiam Rotalem esse affirmandam, facta fuerat, vna tantùm parte informante; volui iterum partes audire super iisdem, & causa proposita die 29 Februarij præteriti Domini concordabant super validitate d. sententiæ, & dum opponebatur de effectu legitimæ citationis populi, & communitatis iuxta formam traditam à gl. *in c. si capitulo, in verb. factam, de concess. preb.* placebat responsio quòd hic populus erat campestris, & ruralis, nec solitus ad certum locum congregari, sed tantummodo cõuenire ad Ecclesiam ad audiendum Missas, quo in loco fuit executa citatio, & ostensa ab Ecclesia exeuntibus, & demum affixa ad eiusdem Ecclesiæ valuas, quod videbatur sufficere, cùm non potuerit seruari forma, de qua in d. gl. ex traditis per Bart. *in extrauag. ad reprimendum, in verb. citatum in fin. vers. posset etiam dici*, vbi quòd sufficit Nuncium per terram clamare quòd ipse de ordine talis iudicis citat vniuersitatem, & vbi est multitudo populi, sufficit citatio per affixionem ad valuas, tenuit aliàs Rota coram Tholomeo, *decis. 1057. part. 3. diuers.*

Firmata validitate minus Domini censuerunt obstare ea, quæ super iniustitia prætensa deducebantur, dum dicebatur non potuisse per sententiam canonizari vnionem huius Ecclesiæ factam per Paulum tertium fel. record. huic monasterio Carthusiæ, stante vnione nouissima facta de hac eadem per Clementem VIII. fel. mem. Parochiali S. Quirici, & licèt in decisionibus coram R. D. meo Decano responderetur hanc vltimam vnionem non potuisse præiudicare monasterio, quia Papa non habuerat scientiam primæ vnionis; replicabatur tamen probari quòd Papa notitiã habuit, ex eo quòd in vnione Clementis dicitur collationem huius Ecclesiæ, cùm pro tempore vacat, spectare ad Priorem & Cõuentum monasterij Carthusiæ. ex quibus verbis apparebat Papam habuisse notitiam iuris monasterij super hoc beneficio, quod ius nullum aliud erat, quàm illud proueniens ex vnione Pauli tertij & nihilominus voluisse illud vnire Ecclesiæ S. Quirici; sed responsum fuit hanc implicitam mentionem vnionis non sufficere ad effectum, vt Papa voluerit illam tollere per vnionem subsequentem, quia cùm vnio legitimè facta contineat causam necessariam, non est verisimile Papam voluisse eam tollere, nisi id expresse egisset, vt dicit Rota *in decis. 3. de rerum permut. antiq.* allegata in 2. decis. R. D Decani, & hoc eo magis, quia de iure monasterij, vt dictum est, fit mentio in narratiua, quòd collatio dicti beneficij, cùm pro tempore vacat, spectet ad monasterium, quæ narratiua repugnat vnioni, quia beneficia vnita non vacant, nec conferuntur, ex tradit. per Moder. *sup. reg 8 gloss. 5. § 7. n. 7. & 20.* 2

Multa etiam pro parte Simonis allegabantur, quæ Dominis visa fuerunt tolli per responsiones datas pro parte Monachorum. Verùm tota difficultas videbatur consistere circa ea, quæ adducebantur contra effectuationem vnionis Pauli tertij, super qua Domini voluerunt, vt strictè videretur: vnde causa rursus per me proposita, fuit iuxta ordinem datum informatum strictè super tali effectuatione vnionis, quæ fuit facta per D. Pontificem de anno 1538. de hac Ecclesia S. Susannæ, & aliis parochialibus monasterio Carthusiæ SS. Mariæ & Ioannis Euangelistę Vallis Gratiosę Calcis Pisanę diœcesis, effectus autem huius inspectionis erat, quia si non probatur effectuatio, vnio censebatur reuocata per regulas reuocatorias vnionum factas per Iulium tertium, & alios sequentes Pontifices. Causa igitur maturè discussa, Domini satis censuerunt cõstare de effectuatione, quia hæc Ecclesia etiam ante vnionem Pauli tertij fuerit vnita monasterio insulæ Gorgonę Ordinis S. Benedicti per Innocentium IV. fel. mem. vt ostendebatur ex eius Bulla sub dato Perusiæ de anno 1251. quod monasterium fuit postea suppositũ, & cum omnibus iuribus, & pertinentiis donatum Carthusianis à Gregorio XI. & demum idem monasterium Gorgonę fuit vnitum, vel translatum in monasterium SS. Mariæ, & Ioannis Euangelistæ Carthusianorum, quod hodie est in causa à Martino V. vt ex litteris Apostolicis in actis exhibitis apparet. Dabantur insuper deputationes Capellanorum factæ in hac Ecclesia, vna de anno 1400. & sic ante d. vnionem Martini V. à Priore, & Monachis Carthusiæ; altera verò de anno 1507. per eosdem, cum reseruatione vndecim Ducatorum pro monasterio, ex quibus Domini dicebant sequi, vt quando postea Paulus tertius de nouo dd. Ecclesias vniuit monasterio, vnio eo faciliùs præsumatur effectuata statim,

quia cùm antea dd. Ecclesiæ possiderentur à monasterio, præsumitur contiuatio possessionis, nisi doceatur de interruptione, *l.2.* vbi gl. & DD. *ff. de acqu. poss.* tenuit Rota in vna Romana Palatij 10. Octobr. 1578. coram bo. mem. Cantuccio, quæ est decisio 80. inter impress. diuers. *p.2.* hoc autē eo magis videbatur procedere, quia in d. vnione Pauli narratis præcedentibus vnionibus cōceditur facultas Monachis continuandi possessionem; & de nouo apprehendendi, & perpetuò retinendi. Accedebat quòd eadē vnio Pauli non fuit de beneficiis ab alio possessis, quando vacarent per cessum, vel decessum, sed de beneficiis ab ipso monasterio iam possessis, & propterea vnio statim dicitur effectum sortita, & consequenter non cadit sub regula reuocatoria. Guid. Pap. *cons.134.n.5.& seqq.* & post eum Boër. *decis.346. num.2.*

4 Satis etiam de tali effectuatione Domini putauerunt apparere, quia viuente eodem Paulo tertio, de anno sequenti 1539. Abbas & Monachi Carthusien. concesserunt in iuspatronatus Ecclesiam sanctę Reparatæ, quæ est vna de dictis Ecclesiis vnitis, cum confirmatione Apostolica; vnde cùm appareat vnionis effectuatio in vna ex Ecclesiis vnitis, vtique censetur eadem effectuatio, etiam in aliis Ecclesiis simul vnitis ad effectum euitandi regulam reuocatoriam. Garz. *de benefic. part.12. cap.2. de vnion. num. 294.* & fuit dictum in Mediolanen Canonicatus 18. Decembris 1587. coram bo. mem. Oriolen. & in Gerunden. vnionis 16. Decembris 1613. coram R. P. D. meo Verospio.

5 Tandem videbatur tolli omne dubium ex solutione quindennij facta de anno 1554. pro his Ecclesiis vnitis, cum expressione, quòd valor illarum non excedebat ducatos 30. auri, & quòd quindennium finierat die 18. Iunij 1553. prout fuerat expressum in vnione, & tempus in totum correspondet datæ litterarum vnionis sub 16. Kal. Iulij 1538. quia eo tempore finiebat quindennium perfectum, & hinc colligebatur vnionem fuisse factam, non tanquam de pluribus Ecclesiis separatis, & ideo ex effectuatione vnius non posse ad alterius effectuationem inferri, quia apparebat contrarium, videlicet omnes dd. Ecclesias fuisse vnitas tanquam vnum corpus sub vnica expressione valoris in totum ducatorum 30. auri, quod postea clariùs apparuit ex obseruantia solutionis quindennij ad dictam rationem.

6 Non videbatur refragari quòd hæc solutio non fuerit facta viuente Paulo tertio, quia quindennium suo tempore non erat finitum, cùm ipse decessisset de anno 1549. Accedebant præmissis solutio alterius quindennij de anno 1603. pro iisdem Ecclesiis vnitis, & deputationes continuatæ Capellanorum factæ per eosdem Monachos ab anno 1570. vsque ad tempus motæ litis, quæ coniunctæ cum deputationibus factis ante vnionem Pauli tertij faciunt præsumi effectuationem medij temporis, cùm probatis extremis media præsumantur ad quemcumque effectum, vt in Bonon. iurispatronatus 29. Martij 1574. coram Oriolen. relata inter impressas diuers. *598. part.1. num.9.* Neque ostensus fuit status contrarius ante d annum 1570. & post vnionem Pauli tertij.

Ex quibus Domini satis constare putauerunt de effectuatione d. vnionis, & ideo resoluerunt standum esse in decisis, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Turritana computorum. Mercurij 16. Nouembris 1616

ARGVMENTVM.

Correspectiuitas inducta censetur ex eo quòd plura insimul in eodem instrumento posita sint.

SVMMARIVM.

Correspectiuitas censetur esse, quando plura continentur in eodem instrumento, n.1.

Verisimile quod non est, habet falsitatis imaginem, n.2. in fine,

DECISIO CCCXLI.

FVit responsum pro informante, videlicet non constare de aliquibus lucris, de quibus hæredes quondam Iosephi Mucighæ debeant participare, Capitulū enim Turritanum, & Iosephus conuenerunt vt in emptione mercium pro paramentis Ecclesiæ Turritanæ Iosephus expenderet in ciuitate Ianuæ, & Florentiæ 4000. patacconos constituentes libras 10880. secundùm monetam Sardiniæ: secundùm autem monetam Ianuen. summam longè maiorem, ideo conuenerunt etiam quòd lucrum resultās ex reductione à libra Ianuen. ad libram Sardin. diuideretur in æquales partes inter Capitulum, & Iosephum; cum hoc tamen quòd Iosephus teneretur ad omnes sumptus, qui in eo negotio expediendi necessarij erant, vt latiùs in instrumento inter partes celebrato de mense Aprili 1604. vnde cùm pro parte hæredum nulla exhibeatur probatio, nec liquidatio lucrorum factorum ex erogatione dictarum pecuniarum in causam, de qua suprà, non potest dici de dictis lucris cōstare. Prętera quatenus etiam cōstaret de lucris, Domini sentiebant de iis non debere hæredes participare, quia ex dicto instrumento apparet Capitulum promisisse Iosepho medietatem lucrorum propter cursum, labores & expensas vnà cum periculis, quæ ipse subiturus erat in emendis mercibus pro paramentis Ecclesiæ; & sic aperta est correspectiuitas inter prædicta, iuxta Surd. *decis.155. num.9.* Rota *decis.471. num.8. par.1. diuers.* Vnde cùm nec merces emptæ fuerint sub periculo Iosephi, nec is curam, & industriam suam in dicto negotio præstiterit, non possunt ipsius hæredes vllum lucrum prætendere, cùm in correspectiuis cessante vno cesset & aliud. Rota *decis.677. num.2. part.1.* Menoch. *præsumpt.12. num.2. lib.6.* ita vt quis agere non possit, nisi probet se ex parte sua adimpleuisse. Verall. *decis. 232. part. 1.* Immò videbatur à dicto instrumento fuisse recessum, cùm alteri fuit dicta cura emendi demandata à Capitulo, ipso Iosepho consentiente, vt in secundo instrumento celebrato de mense Augusti 1604.

Nec obstat quòd in dicto instrumento Iosephus se obligauerit soluere partem salarij Gauino, cum quo Capitulum secundo loco contraxit; quia vltra quòd ex hoc non sequitur quòd ipse adimpleuerit, hoc potuit alia de causa fecisse, vel ratione sui officij œconomatus Ecclesiæ, vel alia; & alioquin

alioquin satis videbatur inuerisimile quòd pro quinquaginta pataceonis, quos Iosephus soluebat Gauino pro parte dicti salarij, voluerit Capitulum iuxta primam conuentionem concedere Iosepho medietatem dictorum lucrorum monetæ, quæ ad nonnulla millia librarum ascendebat, & quod non est verisimile, falsitatis habet imaginem, *cap. quia verisimile, de præsumpt.* cum similibus.

Et ita fuit decisum solo Capitulo informante, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Mediolanen. decimarum de Varisio. Mercurij 16. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Attentare dicitur exequutor, qui parte opponente ad exequutionem procedit, non obstante oppositione, cùm deberet se opponentem exequutionem seruatis seruandis declarare eam incidisse in censuras.

SVMMARIVM.

Exequutor iudex vigore exequutorialium propter rem iudicatam, siue vigore mandati de manutenendo, procedendo ad exequutionem parte opponente dicitur attentare, num. 1.

Exequutor rei iudicatæ, seu mandati de manutenendo, debet intimare reo exequutionem faciendam & si se opposuerit seruatis quatuor terminis ad docendum de paritione, si non paruerit, procedendum ad censuras, num. 2. & 6. rubr. de eadem materia.

Continuans suam possessionem non attentat. declara vt num. 5.

Exequutione facta contra vnum quando causet attentata contra alios, num. 7. & 8.

DECISIO CCCXLII.

1 FVit resolutum constare de attentatis quæ veniunt reuocanda. Est enim certum iudicem subdelegatum siue vigore exequutorialium propter rem iudicatam, siue vigore mandati de manutenendo, si procedat ad aliquam exequutionem, parte se opponente semper attentare, quia pares illius sunt in referendo simpliciter, non autem in cognoscendo de causis contradictionum. Bald. *in l. super quæst. n. 1. de offic. delegat.* Couarr. *var. resolut. lib. 3. cap. 16. n. 7.* Lancellot. *de attentat. part. 1. cap. 1. num. 34.*

2 Ideo de stylo huius tribunalis facta intimatione, & reo non acquiescente, debent seruari quatuor termini ad docendum de paritione, qua non probata proceditur ad censuras, & si secus fiat, intrant manifesta attentata, vt de exequutorialibus rei iudicatæ probant, Cassad. *decis. 6. num. 10 de caus. possess. & propriet.* Vestr. *in praxi lib. 8. cap. fin. num. 16.* Sarnen. *super reg. de subrogan. q. 4. n. 1. & de ann. quæst. 44.* Seraphin. *decis. 655. num 1.* & sæpe fuit dictum & resolutum, & de mandato de manutenendo fuit firmatum in decisione Vicen. Prioratus 19. Martij 1608.

3 coram R. P. D. Pamphilio quæ placuit Dominis. De reproductione autem mandati de manutenendo, & de terminis seruatis non constat; facta verò exequutorum improbata patet ex processibus datis in actis, nempe ex processu Vicarij Curiæ Archiepiscopalis Mediolani die 15. Iunij 1615. in quo continentur præcepta pœnalia contra communitates & particulares locorum plebis, nisi intra terminum præfixum soluissent decimas de noualibus, & ex delegatione Prætoris Mediolani ex ordine senatus, vt fructus decimales colligerentur, & deponerentur penes idoneam personam, prout factum fuit sub die 26 Octobris eiusdem anni 1615. & ex aliis processibus coram Præposito Nouariæ & Vicario criminali Curiæ Archiepiscopalis Mediolani, à quibus emanarunt præcepta tantummodo pœnalia contra Capitulum, & particulares, nec vlteriùs processerunt.

Non obstat quòd ex dictis processibus non constat quis attentauerit; quod tamen debet concludenter probari, cùm attentare sit delinquere. Rot. *decis. 7. vt lit. pendent. in nouis.* quia patet acta pro maiori parte emanasse ad intimationem Iacobi Antonij Rosnati vnius ex Rectoribus, aliorum etiam Rectorum nomine, quia vt primùm intelligunt attentata esse commissa, & non renunciant, dicuntur ratificare. Caputaq. *decis. 58. part. 1.* 4

Non obstat quòd Rectores nihil attentauerint, sed quòd suum erat continuando possessionem perceperint, & regulare dicebatur, qui continuat, non attentat. gloss. *in cap. non solùm, de appell. num. 6.* Caputaq. *decis. 52. part. 1.* cum aliis allegatis. Quia vera est conclusio si per viam priuatæ facultatis proceditur, secus si iudicialiter, quia tunc prætextu continuationis non excusat, dum possessio est controuersa. Lancellott. *de attentat. lit. pend in præfat. nu. 548. & 551. & limitat. 1. n 12. 79. & 81.* 5

Non obstat quòd praxis intimandi exequutoriales, & mandata de manutenendo, sit fundata in stylo Rotæ, qui habet magnum vigorem. Crescen. *decis. 1. in princ. de sequestr. possess.* & dum loquitur de reuocando possessionem vti attentatam, non debet extendi ad reuocandum decreta attentata. Cassad. *decis 6 de caus. possess. & propriet.* Crescen. *dict. decis. 1.* Quia tollitur obiectum, dum allegatæ decisiones non dicunt, quòd acta ex eodem stylo non possunt dici attentata, & ratio in qua stylus est fundatus, apta est comprehendere vtrumque, scilicet possessionem, & apta propter carentiam iurisdictionis in exequutore in cognoscendo de causis contradictionum, vt supradictum fuit. Vlteriùs ponderatum fuit quòd in hac materia maiestas iudicialis respicienda est, & quæ lædi non debet, & satis offenditur instituendo nouum iudicium coram alio iudice. 6

Non obstat quòd contra Canonicos, & Præpositum nihil fuerit attentatum, sed contra dominos & colonos & arrendatarios; ideo sicuti tertius ille non reclamat, neque dat de attentatis; ita nec contra illum dicitur attentari; ex facto enim patet responsio, quia aliqui actus expressè sunt facti contra Canonicos, prout sequestratio frumenti & fructuum debitorum, & debendorum Canonicis ad effectum satisfaciendi Rectoribus. Aliqui verò non sunt contra Canonicos & Præpositum, sed tendunt directæ in ipsorum præiudicium, pro quibus attentata procedunt, cùm habeant causam à Canonicis, & Præposito. Bisignet *decis. 4. num. 5. de appellat.* Afflict. *decis. 354. n. 21.* & sæpe fuit resolutũ. 7

Demum non obstet quòd decisio in causa Vicen. 8

Prioratus suprà allegata contineat diuersos terminos, nempe quando ab intimato prætenditur relaxatio possessionis; secus verò dicebatur, vt in præsenti, in quo fuit processum contra dominos terrarum decimalium & colonos, nec Canonici habent aliquid facere. Quia cùm teneantur pati possessionis separationem ex facto dominorum & colonorum, possunt contradicere & se opponere, & de causis contradictionum non est iudex competens exequutor, ideo propter præiudicium semper requiritur intimatio,& stylus est seruandus.

Et ita,&c.

R.P.D. PAMPHILIO.

Brixien. parochialis. Sabbati 26. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Gratiosa subrogatio non indiget iustificatione gratiæ,testésque super probatione clericatus, & obitus quomodo deponere debeant, & quando beneficium dicatur litigiosum ad effectum immittendi prouisum per gratiosam subrogationem.

SVMMARIVM.

Gratiosa subrogatio operatur, vt detur immissio absque alia iustificatione gratiæ. num.1.

Clericatus probatur per testes deponentes de communi reputatione & visu celebrationis Missarum, num.2.

Clericus ex diuturnitate temporis præsumitur ad sequentes ordines legitimè promotus, ibid.

Mors beneficiati censetur probata per testes, dicentes beneficium de quo agitur, fuisse possessum ab alio, num.3.

Beneficium dicitur litigiosum per commissionem causæ super titulo & in petitorio, num.4.8. & 5. vbi quid si postea lis fuit prosecuta super possessorio.

Litigiosum dicitur beneficium per citationem ad dicendum contra commissionem, num.4.

Beneficium non dicitur litigiosum, quando lis per calumniam mota fuit, & quando lis dicatur calumniosa, num.6.

DECISIO CCCXLIII.

1 Domini censuerunt dandam esse immissionem, quia constat de clericatu D.Virginij,obitu in possessione Iulij,in cuius locum Virginius gratiosè subrogatus fuit,& de lite,quo casu absque alia gratiæ iustificatione est ei danda immissio in vim gratiosæ subrogationis. Put.*decis.*214.*lib.*1.*& decis.* 495. *lib.*2. Mohedan. *decis.* 11. *vt lit.pendent.* & fuit aliàs sæpissimè decisum.

Clericatus probatur ex testibus, qui deponunt
2 quòd D. Virginius pro sacerdote communiter ab omnibus habitus fuit, & quòd eum semper viderunt incedere in habitu,& tonsura,& per decem,& multos annos in partibus & in Vrbe celebrare Missas, qui propterea stante diuturnitate temporis nedum ad clericatum,sed etiam ad sequentes Ordines legitimè promotus præsumitur. Innoc. *in cap super his,num.*10.*in fin.de accusat.* Felin. *in cap.vnic. sub nu.* 2. *vers. quod autem dicit.de lit. contest.*Rot.*decis.*4.*de probat.in antiq.*Gemin.*consil.*41.*num.*2.Aym.*consil.* 93 *num.*5.*& consil* 134.*num.*42.*&* 45.

Obitus in possessione præter eosdem testes, qui 3
dicunt quòd Iulius de mense Septembri, quo obiit, possidebat parochialem de qua agitur, & percipiebat illius reditus,& deponunt de fama, probatur etiam ex confessione D.Nicolai, qui venit ex eadem vacatione. Ægid. *decis.*196. & fuit dictum in causa Colonien. Canonicatus 20. Maij 1602. coram bo. me.Cardinale Pamphilio.

Quòd autem beneficium, de quo agitur, sit liti- 4
giosum, satis deduci visum fuit ex eo, quia postquam Iulius ad fauorem D. Virginij illud resignauerat, & Virginius vigore litterarum Apostolicarum in forma gratiosa desuper expeditarum illius possessionem assecutus fuerat, idem Iulius per Breue coram Ordinario Brixien causam committi obtinuit super nullitate resignationis, & subreptione litterarum Apostolicarum, & sic in petitorio super tit.iuxta tradita per Sarn.*in reg.de trien.quæst.*11.*nu.*6. *vers.tamen istis non obstan.* quo casu beneficium dicitur litigiosum,iuxt.decis. Put.796.*num.*2.*&* 3. *lib.*2. & Cassad *decis.*4. *vt lit. pend.* maximè, quia contra D.Virginium post Breuis præsentationem fuit executa citatio ad dicendum contrà, per quam lis etiam quoad ipsum introducta dicitur. Cassad. *decis.* 6.*numer.*14.*super reg* Caputaq.*decis.*169.*num* 3.*p.*2.*&* fuit sæpe decisum.

Non obstat quòd Iulius postea prosecutus fuerit 5
litem super possessorio reintegrandæ, per quod beneficium non efficitur litigiosum, & tanto minus, quia illa terminata fuit per rem iudicatam, in allegatis,quia placuit responsio quòd cùm ab initio per dictum Breue fuerit introducta lis etiam in petitorio super titulo beneficij, licèt fuerit postmodum prosecuta, & terminata per rem iudicatam in possessorio, adhuc tamen indecisa remanet in petitorio, super quo si Iulius viueretur,Virginius procedere posset,iuxt.*cap significauerunt.in fin vers.& nisi. de test.* cum aliis adductis in istis terminis per Cassad.*d.decis.*4.*sub num.*2.*vers. nec refragatur.* Bisignet. *vt lit.pend.*

Minus releuat quòd D. Virginius in petitorio 6
non haberet bonum ius, cùm Iulius ante præstitum nouum consensum posset à resignatione recedere, etiam post signatam resignationem ad sui fauorem admissam, & litteras Apostolicas desuper expeditas, satis videbatur posse prætendere quòd Iulius teneretur stare resignationi, & quòd illa iam effectum habuisset, vel mediante consensu Procuratoris, vel ratificatione ipsiusmet resignantis postmodum subsecuta, itaut super huiusmodi prætensione potuisset in petitorio litem prosequi absque calumnia, ad quam excludendam ad istum effectum subrogationis sufficit quòd lis ab initio sit colorata. Rebuff.*in reg.de subrog.collect.gloss.*7.*num.*7. Seraph. *decis.*1165. *num.*10. & quòd bonum ius ex postfacto superuenire possit, iuxta decis.Ægid.103. & Seraph. *dicta decis.* 1165.*num.*9. cum aliis alleg. & facit quia regulariter ad substantiam litis non requiritur quòd quis habeat bonum ius. Put.*decis.*80. *num.*2.*lib.*3. & fuit dictum in causa Conchen. Archipresbyteratus 1580. coram bo.me.Platto.

Præterea eo faciliùs supradicta visa fuerunt ad- 7
mittenda, quia in tertia instantia dictæ partes ante sententiam venerunt inter se ad concordiam super effectuatione resignationis, & cùm ea non obstante Iulius resignans in eadem instantia per sen-
tentiam

tentiam instaret;& D.Virginius ageret coram A.C. pro obseruatione concordiæ,dictus Iulius post tertiam sententiam in possessorio latam, & redintegrationem illius vigore obtentam per specialem commissionem causam in Rota committi obtinuit super prætensionibus quas habebat Virginius vigore concordiæ,& sic super tit.beneficij quod ad eius fauorem resignatum fuisse prætendebat, ex supradictis.

8 Nec refragatur quòd concordia inita esset super resignatione facienda,& ageretur actione personali pro illius obseruatione, & sic de iure quærendo, quia,vt patet ex lectura concordiæ, Iulius in ea declarat se velle consentire resignationi ad fauorem Virginij,quod visum fuit intelligendum de resignatione iam facta,cuius vigore fuerant per Virginium expeditæ litteræ Apostolicæ, & exequutioni demandatæ, ita vt cùm fuerit postmodum commissa causa in Rota super prætensionibus Virginij, censentur etiam commissa super iure vigore dictæ resignationis & litterarum Apostolicarum eidem quæsito,& super titulo, quod sufficit vt beneficium dicatur litigiosum,ex supradictis, & in omnem euentum remaneret adhuc indecisa lis super petitorio vigore primæ commissionis, non obstante concordia quæ fuit postmodum in litem deducta,& minus re iudicata,quæ in possessorio tamen emanauit,non autem in petitorio,vt suprà dictum est.

Et ita fuit decisum,&c.

R.P.D. SACRATO.

Anconitana censuum. Sabbati 26. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Simulatio non præsumitur, nec probata censetur,non existente simulationis causa, imò isto casu non præsumptiuè, sed concludenter probanda est.

SVMMARIVM.

Instrumentum facit probationem probatam.num.1.

Simulatio probata non censetur non probata simulandi causa,num.2. vbi præsertim quando imò probatur simulationem contrahenti vtilem non esse.

Simulatio non probatur præsumptionibus, quando aliàs simulandi causa non adest,num.3.

Emptum de pecunia alterius spectat ad illum cuius nomine emptio facta fuit, & non ad dominum pecuniæ, num.5.

Confessio extraiudicialis non nocet tertio,præsertim facta sine citatione, num.8.

DECISIO CCCXLIV.

1 Visum fuit Dominis prædium Lumbriani, aliàs *il Palazzo*, de quo agitur,fuisse commune q. Hieronymo, & Petro,cùm fuerit acquisitum communi nomine, vt patet ex instrumento acquisitionis, quod fecit probationem probatam. Bald. *in l. non interest,n.2.C.de solut.*Gemin.*consil.27.in princip.* Decius *consil.36.n.2.*Paris.*cons.77.num.2.lib.3.*

2 Non obstat quòd nomen Hieronymi prætendatur fuisse simulatè appositum,quia visum fuit talem simulationem minimè probari, cùm maximè non deducatur causa simulandi,iuxta *cons.* Bart.65. *num.4.lib.1.* sæpe approbatum in Rota, etenim causa quæ affertur, nempe quòd nomen Hieronymi fuerit appositum ad defraudandum creditores Petri, visa fuit omninò inuerisimilis; tum quia includit delictum quod habet contra iuris præsumptionem *l.meritò.ff.pro soc.* tum maximè, quia Petrus se subiecisset maiori periculo, scilicet spolij Clericorum, cùm Hieronymus esset Archiepiscopus; vt ad propositum considerat Mandell. *consil. 9. numer.9. ante finem. vers. præsertim in eiusdem iuribus*; tum & tertiò, quia si Petrus hoc modo voluisset euadere periculum creditorum,neque etiam emisset communi nomine,sed totam emptionem fecisset nomine Hieronymi. Nam aliàs currebat periculum creditorum pro sua dimidia; & non est cur dicatur noluisse potius perdere dimidiam,quàm totum, quasi quòd pro vna parte voluerit esse vir bonus, pro alia verò malus.

Circumscripta causa simulationis vix est vt possit probari simulatio, quia hoc nihil aliud est,quàm dicere quòd partes nihil voluerint agere contra naturalem rationem, quòd omnis agens agat propter finem; vel saltem requiritur ita concludens probatio,vt nihil aliud dici possit.Nam præsumptiua,quę aliàs in materia simulationis sufficere solet. *cap.illo. versic de pign.l.dolum.Cod.de dolo.* Decian. *consil.62. num.15.lib 3.* tollitur ex hac validissima quòd partes voluerint sine aliqua causa simulare. 3

Ad litteras Petri,ibi,*aduertendum,che si facci l'instromento in nome mio, quanto in nome di Mons. mio fratello hauẽdo io guidicato che sia meglio.*fuit responsum hæc verba non concludere, quòd Hieronymus frater Petri non haberet communicationem in prędio emendo,sed tantùm fuit dubitatum, an expediret apponere nomen Hieronymi fortè propter periculum spolij. 4

Minus faciunt aliæ epistolæ eiusdem Petri, ex quibus apparet prædium fuisse ex eius pecuniis acquisitum. Nam præter quòd dubium est, an sint sufficienter recognitæ,non concludunt Petrum soluisse integrum pretium, quin potiùs apparet Franciscum communem fratrem fecisse integrum depositum totius summæ, & in omnem euentum, etiam si prædium fuisset emptum in totum ex pecuniis Petri,non per hoc excluderetur communio Hieronymi, quia non attenditur ex quibus pecuniis fuerit empta res,sed cuius nomine, cùm ex pecunia aliena possit fieri acquisitio ementi. *l.si ex ea, C. de rei vendic.l.1.l.qui aliena.*& ibi Doctor. *C.si quis alteri,vel sibi.* 5

Minus obstare visæ fuerunt litteræ eiusdem Petri,ibi,*Io non sò che mi dire altro parendome hauer detto a bastanza, & tutto quello che farete, lo ratificherò,* quia istæ litteræ possunt referri ad solum interesse Petri,& sic non excludunt communionẽ cum Hieronymo, & in omnem euentum percutiunt tractatum, quod non concludit per necesse conclusionem,cùm multa tractentur vno modo,quæ concluduntur alio diuerso modo. 5

Non etiam obstare visi fuerunt testes dati pro parte illorũ de Triumphis,quia dum deponunt de paupertate Francisci tertij fratris, deponunt de auditu, & conuincuntur ex eo quòd ipse Petrus mandauit vendi aurum,& argentum,nec non etiam triticum, quod remansit post obitum Francisci, vt patet ex epistola eiusdem Petri summario Triumphorum, 6

*num.*13. nec idem Petrus contrarium dicit in aliis epistolis, de quibus *ibid. num.*9. 10. 11. *&* 12. sed tantùm innuit creditores Francisci cum difficultate potuisse reperire ipsius bona, quod non concludit, immò supponit Franciscum habuisse bona, & in omni casu ista essent ponderanda, si hodie ageretur, an Franciscus fecisset depositum de suo, itaut fratres perficiendo emptionem ab eo inchoatam adiuissent illius hæreditatem, vt in decisionibus bon.me. Iusti ex aduerso allegatis, quæ propterea non applicantur.

8 Non denique obstare visum fuit prætensa confessio Francisci quòd emisset prædium animo emendi illud pro Petro tantùm. Nam omisso quòd ista confessio extraiudicialis non potuisset præiudicare Hieronymo, quia quoad illum non est confessio, sed depositio, quæ non sufficeret, tum quia est facta sine citatione partis. Butr. *in cap significauit, num.*2. *de testib.* Cuman. *consil.* 102. *num.*5. Viuald. *opin.*966. *nu.*4. Verall. *decis.*274. *num.*3. *p.*3. tum quia esset dictum vnius. *cap. licèt vniuersis. de testibus, & in l. iusiurandum, C. eod. tit.* cessat difficultas, quia nec ista prætensa confessio Francisci probatur aliter, quàm per vnum testem, qui non sufficit, ex *dd. cap. licet, & l. iusiurandum.*

R. P. D. PAMPHILIO

Amerina domus. Sabbato 26. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

De alienatione bonorum stabilium minoris facta cum decreto iudicis, quòd præsumatur facta ex iusta causa, præsertim si ita ipse minor asserat in instrumento.

SVMMARIVM.

*Decretum iudicis causa cognita interpositum facit præsumere in contractu minorum omnia solemniter acta, num.*1.

Minor 25. *annorum, sed maior* 20. *vigore statuti Vrbis habetur pro maiore, num.*2.

Minoris iuramentum supplet solemnitates requisitas in ipsius contractu, ibid.

*Iuramentum non supplet nullitatem contractus defectu causæ. declara vt num.*3.

Minorum assertioni super causa alienationis, & venditionis suorum bonorum, nunquid credendum sit, num. 4. *&* 5.

*Minoris bonorum alienatio præsumitur facta cum causa, quando in ea interuenit decretum iudicis, num.*4.

*Decretum iudicis interpositum in contractu minorum habet præsumptionem pro se. si fuit enterpositum cum causæ cognitione, ibid. vbi, quòd hæc causæ cognitio sufficit extraiudicialiter facta, & num.*9.

*Minorum bonorum alienatio dicitur facta ex causa, si creditores instent, & debitum petant, etiam quòd eos obtinuisse mandatum exequutiuum, num*8.

DECISIO CCCXLV.

1 Domini steterunt in decisis sub die 13. Februarij 1615. ex rationibus tunc in decisione deductis, & præcipuè ex eo, quia venditio respectu Sillæ, & Ascanij legitur in instrumento facta iuxta formam statuti Vrbis *lib.*1. *cap.*113. nam vltra præsentiam, & consensum curatoris ad id loco coniunctorum absentium specialiter deputati, qui medio iuramento asseruit, se in venditione non habere interesse, eámque non cedere in illorum damnum, vel præiudicium, fuit etiam causa iudici in scriptis expressa, & insinuata, nempe quòd supradicti, vnà cum patruis, domum vendere deliberarunt, quia indigebant pecuniis pro extinctione societatum officij, quæ fuerunt disdictæ, & pro quibus executio imminebat, & quia ex domo respectu valoris, & expensarum, quæ pro illius necessaria manutentione in dies faciendæ erant, modici fructus percipiebantur, nec aderant bona mobilia, vel alia, quæ cum minori eorum damno vendi possent, ac insuper ex eodem instrumento apparet, quòd iudex causa huiusmodi plenè cognita interposuit decretum, quibus stantibus præsumitur, quòd causa præfata fuerit sufficienter iustificata, & quòd omnia fuerint solemniter gesta, iuxta *cons.* Imol. 98. *nu.*8. *& seq. & cons.* 99. *num.*6. & facit *decis.* Put. 205. *num.*2. *lib* 3. Surd. *decis.* 106. *n.*9. Seraph. *decis.* 217. *n.*1. cum aliis in decis. allegatis, itaut contrarium dicenti incumbat onus probandi, Gabriel. *consil.*37. *num.*26. *lib.*1. Achill. *decis.*4. *de præsumpt.* & fuit aliàs sæpe decisum.

Et ista eo faciliùs visa fuerunt admittenda respectu Sillæ, qui cùm natus sit de mense Februarij anni 1605. & sic de mense Iunij 1605. quo fuit facta venditio, esset maior 20. annis, poterat validè contrahere absque solemnitatibus dicti statuti Vrbis *lib.* 1. *cap.*113. quod visum fuit intelligendum de minore 20. annis secundùm dispositionem eiusdem statuti in præcedente *cap.*47. quòd maior 20. annis in quolibet contractu habeatur pro maiore 25. & in subiequenti *cap.*151. de contractibus sine certa solemnitate non valituris, quæ expresè loquitur simul de mulieribus, & minoribus 20. annis ad *l. si seruus plurium. §. fin. ff. de legat.* 2. cum similibus, adeò vt vel dictus Silla per huiusmodi statutum Vrbis censeatur habilitatus ad contrahendum, vti maior absque solemnitatibus, vel saltem in eo vti forensis dispositio *d. cap.*113. locum non habeat, sed remaneat sub dispositione iuris communis, quo stante ipsius iuramento in contractu apposito, quod reddit eum maiorem, venditio fuit confirmata, per *authent. sacram. puberum. C. si aduers. vendit.* licèt aliqua ex dictis solemnitatibus in ea non interuenerit secundùm veram opinionem, quam post Bart. *ibi num.*3. & alios allegatos sequuta fuit Rota coram Put. *decis.*194. *lib.* 3. & coram me in causa Farfen. spolij sub die 11. Februar. 1605. & aliàs sæpe.

Nec obstare dixerunt, quòd supradictæ societates, pro quarum extinctione domus vendita fuit, ex instrumentis appareant contractæ à Pompeio & Ioann. Vincentio patruis, non autem à prædictis Silla, & Ascanio, & consequenter contractus censeatar nullus ex defectu causæ, non obstante iuramento, quod non supplet defectum causæ, & consequenter consensum; quia placuit responsio, quòd supradicti Silla, & Ascanius in instrumento non asseruerunt simpliciter, quòd ipsi vnà cum patruis venditionem facere deliberarunt pro extinguendis societatibus, etiam pro seruitio ipsorum contractis, sed vlteriùs addiderunt illa verba, licèt in eis hoc declaratum non fuerit, quo casu nullo modo ex dictis instrumentis potest dici constare de defectu

defectu causæ, per quem excludatur consensus; cùm bene possit stare, quòd etiam ipsi essent debitores illarum societatum, & tamen in eorum instrumentis non fuerint nominati, vt asseruerunt, & patet ad sensum.

4 Neque obstare, quod huiusmodi assertio sit facta pro iustificatione causæ, cui in contractibus minorum non statur, quia vltra quòd Silla tunc erat maior 20. annis, & propterea illius respectu cessat obiectum, ex supradictis; fuit etiam quoad Ascanium per Dominos responsum, quòd cùm huiusmodi assertio fuerit per eum solemniter facta, & cum decreto iudicis causa plenè cognita interposito, nisi contrarium probetur, præsumitur vera, iuxta d. decis. Seraph. 117. *numero* 1. in alia decisione allegatam; maximè in terminis statuti Vrbis, quòd non requirit, quòd de huiusmodi causæ cognitione apparere debeat ex actis, & propterea sufficit, quòd iudex ante decreti interpositionem à propinquis, curatore, vel aliis de veritate causæ, & de aliis sibi narratis se extraiudicialiter informare potuerit ad effectum, vt decretum postea interpositum sustineatur, Gabr. qui loquitur de decretis per iudices in Vrbe interpositis, *de sentent. conclusione* 5. *numer.* 34. *in fin.* cum quo transiuit Rota in causa Tiburtina castri Sambuci relatis inter impress. *decis.* 458. *numer.* 2. *parte* 1 *diuersor.* & faciunt tradit. per Imol. *dicto consil.* 98. *num.* 12. *& dicto consil.* 99. *num.* 6. Simoncell. *de decret. tit.* 1. *num.* 59. *vers. est benè verum.* & per Rotam in causa Cathanien. illegitimitatis 10. Ianuarij 1585. coram fel. record. Clem. VIII. & in Romana de Grangnis 16. Februarij 1601. coram bonæ memoriæ Pegna. Ex quibus sequitur, quòd in contractibus aliàs solemniter initis, & cum decreto iudicis causa plenè cognita interposito in terminis statuti Vrbis, nisi contrarium probetur, standum sit assertioni minorum, ex supradictis, & facit quia tunc cessat omnis suspicio, Bart. *in l.* 1 *C. de præd. decur. lib.* 10. Roland. *cons.* 90. *num.* 11. *& seq. lib.* 1. Rim. iun. *cons.* 42. *n.* 56. *&* 81. *lib.* 1. Simoncell. *de decret. lib.* 3. *tit.* 7. *num.* 45. *& seq.* quidquid sit in contractibus minus solemniter, & absque decreto iudicis celebratis, in quibus terminis loquuntur Aym. *de antiq. temp. p.* 1. §. *propositum. num.* 67. Cresc. *decis.* 3. *num.* 1. *in fin. de constit.* & plures alij in contrarium allegati.

5 Præterea in casu isto fuit etiam ponderatum quòd tempore quo contractæ fuerunt societates, supradicti Silla, & Ascanius viuebant in communi cum patruis, quo casu facilius præsumitur quòd verè etiam pro seruitio ipsorum contractæ fuerint, *ad l. fin. C. de aliment. pupill. præstand* Menoch. *præsumpt.* 11. *num.* 1. *lib.* 6. iuxta supradictam assertionem, cui concurrente aliqua præsumptione standum est, Aym. *de antiq. temp. d. part.* 1. §. *propositum, nu.* 69. *& seqq.* & faciunt trad. per Gabr. *consil.* 69. *num.* 9. *lib.* 1. & Achill. *decis.* 1. *de confess.*

6 Neque releuare, quòd instrumentum venditionis habet relationem ad instrumenta societatum, quæ propterea sint attendenda, & ex illorum inspectione satis apparere dicatur de contrario eius, quòd fuit narratum; quia id procedere posset, si relatio ad dicta instrumenta esset simpliciter facta, vel esset solum iudici narratum, societates contractas fuisse etiam pro seruitio dd. Sillæ, & Ascanij, sed quia fuit vlteriùs additum, quòd id non fuit in instrumentis declaratum, satis colligitur, non fuisse simpliciter habitam relationem ad dicta instrumenta, & propterea nisi aliud probetur, adhuc credendum est, quòd iudex ante decreti interpositionem aliunde certioratus fuerit de omnibus iis, de quibus se informare debebat, ex supradictis.

Minus refragari quòd venditio dicatur facta pro extinguendis dictis societatibus, quæ fuerant disdictæ, & pro quibus executio imminebat, & tamen cùm Silla, & Ascanius non essent in instrumentis nominati, nullum contra eos mandatum relaxari poterat, licèt societates etiam pro seruitio ipsorum contractæ essent, quia placuit responsio, quòd licèt in casu isto immineret executio contra patruos, cùm tamen debitum contractum esset etiam pro seruitio ipsorum nepotum, poterant etiam ipsi pro rata ad illius solutionem cogi per patruos, qui satis est verisimile, quòd illud peterent, prout etiam præsumitur stante dicto decreto iudicis, ex supradictis, & tradit Imol. *dicto consilio* 98. *num.* 10. 7

Nec obstare, quòd non appareat, patruos obtinuisse pro rata relaxari mandatum contra nepotes; quia fuit dictum, quòd ad effectum, vt venditio sustineatur, non requiritur necessariò, quòd contra minores executio immineat per relaxationem mandati, sed sufficit quòd creditores instent, & debitum petant, Bartol. *in l. magis puto.* § *si æs ff. de rebus eorum,* Roland. *consil.* 33. *num.* 2. *& seq. lib.* 1. Paris. *consil.* 85. *num* 20. *lib.* 3. 8

Neque demùm releuare, quòd deberet iudex antea inquirere, an adessent mobilia, vel domus, quæ debebat vendi, esset minus damnosa, prout sibi narratum fuit; quia stante dicto decreto, nisi contrarium probetur, id quoque factum præsumitur, ex supradictis, & trad. Imol. *d. consil.* 98. *sub. n.* 9. *vers. & ideo cùm in casu proposito.* 9

Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Terracinen. paludum. Sabbati 26. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Nouatio prioris obligationis, & actionis, quando inducta censeatur per subsequutam iudicis sententiam.

SVMMARIVM.

Nouatio per sententiam non censetur inducta prioris obligationis extinctiua, vel cumulatiua, quando in ea fuerit adiecta noua actio ex priori contractu competens, num. 1.

Nouatio an, & quando inducta dicatur ratione indiuiduitatis, num. 3.

Verba stare præsumuntur in dubio demonstratiuè, & non dispositiuè, num 4.

Verba sententiæ sunt semper intelligenda prout iacent, nec nullam patiuntur extensionem num. 5 *vbi etiam semper pronunciatum censetur, ex causa in petitione deducta.*

Conducere nemo potest rem propriam, num. 6.

Sententia interpretanda est, vt minus præiudicet, quàm sit possibile, num. 8.

DECISIO CCCXLVI.

1 CVm bonificatores paludum pontinarum per decisionem coram me sub die 1. Iunij præteriti, se grauatos prætenderent, casum denuo super eisdem proposui, & Rota nihilominus censuit standum in decisis, quòd videlicet contra nominatos in instrumento locationis tenutarum Plani, & Carrariæ facienda sit in solidum executio, rationibus in decisione deductis. Quibus non obstat replicatio de prætensa nouatione facta per sententiam bo. me. Cardinalis Plati, in qua dicti bonificatores condemnati reperiuntur ad soluendum in posterum tenutæ Carrariæ pensionem pro rata fructuum, qui ex illa de tempore concessionis percipiebatur, vnde pro virili condemnatio videatur intelligenda, quamuis fuissent aliàs in solidum ipsi bonificatores obligati. *l.1. C. si plur. vn. sent.* vbi Castr. & alij per informantes allegati.

2 Nam respondetur per dictam sententiam, inductam non fuisse nouitatem extinctiuam, sed cumulatiuam, cùm illa nouam adiecerit actionem priori ex contractu competenti. Ias. *in l.1. num.17. C. de iud. & in l. miles. §. iudicari, num.6. ff. de re iud.* Bart. *in dicta l. prima, in fine,* vbi Alex. *num.15. de iud.* Affl. & *decis.215. num.4. versic. bene tamen*, Roncagal. *in l.3. §. vbi duo, numer.136. vers. denique vnum*, Honded. *consil.40. numero 29.* Surd. *consil.447. num.42.* qui *eodem consil. num.43.* dicit etiam procedere sequuta partium approbatione, & ratificatione. Ias. *consil.169. num.31. lib.4.* & propterea quamuis communitas pro pensionibus iuxta sententiæ formam egisset, non tamen respectu primæ obligationis inducta diceretur nouatio extinctiua, ex Iason. & aliis suprà allegatis.

3 Nec valet dicere, illam fuisse inductam ratione indiuiduitatis, rescisso quoad Plani tenutam instrumento. Rota *decis.709. part.1. diuers.* Surd. *decis.295. num.16.* quia hoc procederet si communitas egisset ad rescissionem, & obtinuisset, verùm cùm ipsa non egerit, sed bonificatores tantummodo, qui à tenuta Plani recedere petierunt, respectu alterius tenutæ, dicitur instrumentum firmum remansisse. *l. domum emi. § simili quoque ff. de contr. empt.*

4 Non obstat huiusmodi sententiam fuisse latam pro nouatione prioris obligationis, ex quo dicitur in ea bonificatores Carrariæ tenutam retinere, tanquam in circundario comprehensam, & sic inferri non amplius in vim locationis eandem posse retineri, dicta enim verba, *bonificatores Carrariæ tenutam possidere*, &c. vltra quòd stant demonstratiuè, prout hoc modo stare præsumuntur, Menoch. *consil.539. num.7.* Paris. *consil.4 num.36. lib.4.* Rot *decis.442. nu.3. part.1. diuersorum*, non repugnant in omnem casum locationis instrumento, cùm bonificatores illud tantùm rescindi petierint, quoad tenutam Plani, tanquam in circundario non comprehensam; vnde, quo ad Carrariæ tenutam existentem in circundario, voluerunt instrumentum firmum remanere.

5 Tanto magis, quia nihil habet sententia de reuocatione tenutæ Carrariæ, & per consequens quoad illam, non potuit instrumentum rescindere, cùm eius verba rectè veniant intelligenda, nec vllam patiantur extensionem Bart. *in l. Iulianus verum debitorem, num.5. ff. de cond. indeb. & in l. si expressim, num.2. ff de appellat.* Alex. *consil.118. num.1. lib.7.* Surd. *consil.189. num.37.* Aym. *consil.188. num.6.* Socin. iun. *consil.181. numer.67. lib.2.* Ruin. *consil 116. num.6. libro 4.* Rol. *consil.79. num.13. lib.4.* Paris. *consil.111. numer.3. lib.1.* & semper ex illa tantum causa pronunciatum intelligatur, quæ fuit in petitione deducta, gloss. *in l si quis, ff. de except. rei iudic.* Bald. *in l. fin. versicul. & secundum hoc, C. de susp. tut.* Surd. *consil.311. num.16. lib.3.*

Non obstat eandem sententiam continere quòd Carrariæ tenuta spectet ad bonificatores vigore concessionis à Papa illis factæ, & sic inferri non possit in vim locationis amplius ipsos eam retinere, cùm res propria conduci nequeat. *l. qui rem, & l. ad probationem. C. loc. & cond.* quia licèt respectu terrarum in circundario existentium, concessio à Summo Pontifice emanauerit, erat nihilominus illa particulariter etiam à dominis earundem terrarum obtinenda, quibus debebat solui pensio pro rata fructuum, qui de tempore concessionis percipiebantur, vt apparet ex capitulis inter bonificatores & C. A. vigore chirographi Papæ firmatis, & colligitur ex instrumentis per bonificatores postea celebratis cum dominis particulariter terrarum, vnde patet mentionem de concessione Summi Pontificis dicto locationis instrumento non repugnare. 6

Non obstat in sententia bonificatores non ad ratam certæ pensionis iuxta locationis instrumentum condemnari, sed ad rationem tantummodo fructuum, qui ex tenuta prædicta concessionis tempore Ascanio factæ percipiebantur, quod locationi repugnare dicitur. nam licèt istæ tenutæ simul pro scutis nongentis quinquaginta fuissent locatæ, rescissa tamen quoad Plani tenutam locatione respectu alterius, quantitas fructuum incerta remanebat, vnde fuit necesse bonificatores pro rata fructuum de tempore concessionis perceptorum condemnari, sicut de tali tempore iuxta Sanctissimi chirographum habita fuit ratio in ipsa locatione, & consequenter facta liquidatione sententia dicitur idem cum instrumento continere.

Et ex his apparet obligationem in solidum ad fauorem communitatis inductam per sententiam Cardinalis Plati sublatam non fuisse, quod etiam non procederet, si essemus in dubio, cùm semper veniat interpretatio facienda, per quam sententia minus præiudicet, Aym. *consil.88 num.8. vers. rursus interpretari.* Alber. *cons.7. in fine lib.1.*

REVERENDISSIMO P. D. LVDOVISIO.

Cæsaraugustana emphyteusis. die 26. Nouembris 1616.

DECISIO CCCLXXVII.

Est inter eius impress. decis.529.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana nullitatis transactionis. Sabbati 26. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Transactio facta ob plures causas, deficiente vna, sustinetur ex aliis.

SVM-

SVMMARIVM.

Proœmium instrumenti declarat mentem, & intentionem contrahentium, num.1.

Causæ vnius dispositionis si sunt plures, vna causa cessante, non cessat effectus si aliæ manent, num.2.

Causæ plures in dubio præsumuntur contractus, & non vna tantum, num.3.

Insuper *verbum importat idem quod* vltra, *& ideò non mutat substantiam principalis dispositionis, num.4.*

Transactio sufficienter sustinetur per recessum à lite, etiam si sit lis futura, & timeatur tantùm, ibidem, etiamsi sit modica occasio dubitandi, & prætensio non iuridica, ibid.

Litis euentus dubius considerandus est in rescissione transactionis, num.5.

DECISIO CCCXLVIII.

1 IN disputatione dubij, an constaret de causis restitutionis in integrum, fuit ordinatum, vt particulariter videretur de iure Leonis Galli, quod dubium fuit negatiuè resolutum ad fauorem partis informantis sub die 4 Decembris 1613. Sed & iterum, ac sæpius proposito ad instantiam eiusdem Leonis super eisdem, tamen hodie fuit recessum ab illa decisione, quia transactio fuit inita non ex eo solo quòd Leo remiserit R. P. D. Cosmo conditionem assumendi nomen, & insignia familiæ de sanguineis, sed ex aliis etiam causis, & in primis ad euitendas vlteriores lites, quæ inter Leonem, & D. Cosmum vertebantur, & expensas, litiumque labores, & fastidia, vt expresè dicitur in ipso proœmio transactionis, ex quo elicitur mens contrahentium *l. fin.* vbi Doct. *ff. de hæred. instit.*

Continet etiam d. transactio renunciationem Leonis omni, & cuicunque actioni, prætensioni, spei, & iuri, quæ de præsenti, & vllo vnquam tempore prætendere posset in bonis relictis D. Cosmo per Gasparem de sanguineis ex quacunque causa cogitata, vel incogitata, tam vigore donationis, & testamenti d. Gasparis, quam ex testamento Portiæ Ceulinæ hæredis d. Gasparis, & ex quocunque alio etiam diuerso, & contrario iure.

2 Et præterea continet promissionem eiusdem Leonis quod D. Cosmus non molestabitur super dictis bonis ab illis de Paluzzellis ex aliquò quocunque prætenso fideicommisso purificato, vel purificando, seu ex alio quocunque capite, seu ex quacunque causa cogitata, vel incogitata, & quòd ratificabunt dictam transactionem, & in casu contrauentionis, amplissimam eiusdem Leonis promissionem de euictione, vt latiùs in d. instrumento continetur, vnde quatenus causa remissionis oneris assumendi nomen familiæ sanguineæ non sustineretur, vt fuit firmatum in decisione, videbatur Dominis sufficere ad effectum, vt dici possit constare de iure Leonis, quod sustineantur aliæ causæ, videlicet recessus à lite, promissio de euictione, & ratificationis illorum de Paluzzellis; quando enim sunt plures causæ vnius dispositionis, cessante vna causa, non cessat effectus, & dispositio, si aliæ manent. vulg. §. *affinitatis. Inst. de nupt.* cum aliis plenè per Tiraquel. *in tract. cess. caus. limit.* 22. *num.* 1. *&* 2.

3 Et in dubio præsumi debet contrahentes motos fuisse ex pluribus causis, non autem ex vna tantùm. Alb. *cons.* 74. *num.* 11. cum alius per Surd. *decis.* [illegible] *nu.* 23. quod eo magis dicendum videtur in præsenti casu, quia vera, & principalis causa transactionis videtur fuisse extinctio litis pendentis, tam inter Paluzzellos, & R. P. D. Cosmum, quàm inter eundem Cosmum, & Leonem, & remissio nominis, & insignium adiecta videtur ad maiorem cautelam, & fuit posita in Capitulo separato, ibi, *Promisitque etiam insuper,* &c.

Quod verbum *insuper*, idem est, quod *vltra*. gloss. *in l. Seiæ in princ. in verb. insuper. ff. de fund. instr.* & ideo non mutat substantiam principalis dispositionis, quæ præcipuè fundatur in recessu à lite, qui solus sufficit ad sustinendam transactionem, etiamsi sit lis futura, de qua timeatur. *l.* 2. vbi Doct. *C. de transact.* & fuit dictum in causa Romana domorum 10. Iunij 1615. coram me, etiamsi sit modica occasio dubitandi, & prætensio etiam non iuridica. Paris. *cons.* 3. *nu.* 24. *lib.* 4. Osasc. *decis. Pedem.* 91. *nu.* 23. & fuit dictum in causa Romana vsusfructus 15. Martij 1610. coram Reu. D. meo Damasceno. 4

Et quod hæc fuerit potissima causa transactionis, colligitur etiam ex mandato tutoris D. Cosmi de soluendis scutis 500. Leoni, præuia tamen obligatione, & ratificatione DD. de Paluzzellis iuxta formam prædictæ transactionis, prout fuit à Paluzzellis obseruatum.

Vltra quod quidam ex Dominis putabant transactionem etiam posse aliquo pacto sustineri ex causa remissionis oneris assumendi nomen, & insignia familiæ sanguineæ; quia licèt non competeret Leoni tale ius remittendi, vt fuit decisum; nihilominus potuisse videntur partes transigere super molestiis, quas Domini de Torres inferri sibi posse suspicabantur à Leone, ratione inobseruantiæ gestationis dictorum insignium, & nominis dictæ familiæ, præsertim cùm Gaspar author DD. de Torres exprsè declarasset quòd sine conditionibus appositis in instrumento donationis non donasset, & Portia hæres Gasparis instituerit sibi hæredem Leonem cui in codicillis reliquit etiam illa bona quæ ob inobseruantiam DD. de Torres ad ipsum ipsiusque hæredes redire possent in futurum, & licèt eiusmodi dispositio Portiæ videatur dubitabilis, ex quo in casu inobseruantiæ donator non vocauerat hæredem, & ideo videantur vocati substituti in eadem donatione, ex allegatis in decisione, de qua agitur, tamen negari non potest, quin super hoc iure potuisset controuersia oriri, videlicet an per inobseruantiam donatariorum bona donata pertinerent ad hæredes donantis; an verò ad substitutos, ideoque bene videtur potuisse super hoc transigi inter partes, & remitti ab hærede talis prætensio, quamuis aliàs esset minus iuridica, ex suprà allegatis.

Nec obstat quòd Leo nullam litem, aut prætensionem actiuè haberet contra D. de Torres, immò esset reus conuentus, & condemnatus ad æstimationem hypothecæ euictæ per Paluzzellos, ad quam tenebatur vti hæres mediatus Gasparis authoris d. D. de Torres, & nihilominus per dictam transactionem habuit scut. 500. & renunciationem dictæ apothecæ; quia fuit responsum in primis, quòd dicta sententia Leonis condemnatoria, erat suspensa per appellationem, & poterat se Leo pluribus exceptionibus tueri, & discutiendæ erant vires hæreditatis Portiæ, & Gasparis. Ex quibus negari non potest, quin dubius esset euentus eiusmodi litis, qui est æstimandus in rescissione transactionis, vt latè fuit dictum in dicta Romana domorum coram me, & in 5

Romana aperitionis oris 8. Martij 1613. coram Reu. Damasceno, vltra quòd viget alia ratio suprà considerata, quod ipse Leo se obligauit quod Paluzzelli nullo vnquam tempore molestarent D. de Torres super domo, & apothecis per ipsum possessis.

Nec dicatur nullum ius Paluzzellis competiisse super dictis bonis, quia quicquid sit de hoc, sat est quod Paluzzelli duo iudicia instituerant contra D. de Torres. Primum super dote Lucretiæ matris Gasparis, & donatione propter nuptias, quasi esset assecurata super bonis Ioannis Baptistæ patris Gasparis, pro quibus fuit relaxatum, & executum mandatum super duabus ex dictis apothecis. Alterum fuit iudicium super restitutione bonorum fideicommisso dictæ Lucretiæ subiectorum ad fauorem dd. de Paluzzellis, quod fideicommissum videbatur purificatum per mortem Iacobi, & Gasparis filiorum Lucretiæ, & in hoc etiam iudicio fuit lata sententia, & relaxatum mandatum, & exequutum super apothecis, ideoque D. Cosmus intimauit molestias Leoni tanquam hæredi Gasparis pro consequenda æstimatione, vt suprà dictum est, quæ omnia iustificantur ex datis in summario Leonis, & ab istis omnibus molestiis D. Cosmus fuit liberatus mediante d. transactione, & promissione Leonis de faciendo ratificare Paluzzellos, prout ratificarunt; & tamen eorum prætensio videbatur satis iuridica, & saltem colorata occasione dotis Lucretiæ eorum amicæ, & prædicti fideicommissi, cùm tamen sufficiat quælibet occasio dubitandi, & timor etiam futuræ litis ad hunc effectum, vt suprà firmatum, & ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Seguntina Canonicatus. 26. *Nouembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Coadiutoria cum futura successione, non habet locum, si coadiutus moriatur ante diem datæ, & tunc beneficium vacat per obitum.

SVMMARIVM.

Remissoria non debet dari ad impediendam immissionem, quando prouisus iustificauit suam gratiam, num. 1.

Immissio ad hoc vt per alium prouisum Apostolicum possit retardari, debent esse probationes in promptu, & incontinenti, num. 2.

Articuli si sunt irreleuantes, & improbabiles, non sunt admittendi, & remissoria non datur, num. 3.

Gratia debet iustificari circa narrata de tempore datæ, num. 4. *&* 13.

Coadiutoria, & futura successio sunt gratiæ diuersæ & separatæ, num. 5. *vide num.* 6. *& meliùs declara vt num.* 7.

Clausula, & si nunc, *&c.* in *coadiutoria, & aliæ clausulæ generales interpretandæ sunt, vt non contradicant expressis; tamen non est apta comprehendere vacationem per obitum, nu.* 8. *vbi latè de illa clausula.*

Papa in coadiutoria non censetur voluisse concedere futuram successionem in beneficio, nisi accedente consensu coadiuti, num. 9.

Procurator ad consentiendum potest consentire etiam post mortem principalis, si tamen supplicatio fuerit datata viuo principale, num. 10.

Consensus præstari potest post mortem principalis, dummodo supplicatio fuerit datata ipso viuente, ibid.

Consensus præstitus post mortem principalis supplicatione datata retrotrahitur ad diem datæ, num. 11. *declara vt num.* 12.

Clausula quouis modo, *&c. in resignatione, est apta comprehendere vacationem per obitum resignantis, num.* 13.

DECISIO CCCXLIX.

FVit conclusum remissoriam non esse concedendam. Primò, quia cùm agatur inter duos prouisos Apostolicos, quorum neuter possidet, & alter, nempe Gaspar, iustificauit suam gratiam, vt fuit resolutum coram me 15. Ianuarij præteriti, non debet dari remissoria ad impediendum illius immissionem. Seraphin, *decis.* 1364. *num.* 1. *& in fine.*

Quia ad hoc vt alter prouisus Apostolicus possit illam retardare, debet habere probationes in promptu, & in continenti, iuxta Menoch. *de adipiscen. remed.* 4. *n.* 581. *in fin.* quales non sunt istæ quæ prætenduntur fieri mediante remissoria.

Secundò, quia articuli sunt irreleuantes, & improbabiles, quo casu remissoria denegatur. Cæsar. de Grass. *decis.* 2. *de dilat.* Caputaq. *decis.* 32. *num.* 3. *part.* 2. Rot. *decis.* 647. *num.* 3. *part.* 3.

Tendunt enim ad iustificandum gratiam coadiutoriæ cum futura successione Martino concessam, quæ nullo modo videtur posse iustificari. Nam fuit signata 15. Septembr. & Ferdinandus coadiutus erat iam mortuus per triduum antè, nempe 22. eiusdem, vt in dicta decisione coram me fuit firmatum; vnde stante dicto obitu præcedente datum, videtur impossibile iustificare narrata in gratia de tempore datæ. prout requiritur *cap. si eo tempore, de rescript. in* 6. Felin. *in cap. cum te, nu.* 18. *de rescript.* Imol. *in cap. in nostra, nu.* 6. *eod. tit.* Nempe quòd Ferdinandus propter infirmitatem, & alias causas narratas egebat coadiutore, & illum sibi dari supplicabat. quia mortui non supplicant, neque egent coadiutore.

Quibus non obstat quod coadiutoria, & futura successio sint gratiæ diuersæ & separatæ, ad decis. Put. 225. *nu.* 19. *lib.* 3. & sic licèt per obitum Ferdinandi expirauerit coadiutoria, tamen futura successio ad fauorem coadiutoris concessa, remanet firma & salua, & effectum sortiri debet.

Quia nihilominus vtraque gratia dependet à causis narratis Papæ, quæ, vt suprà dictum est, sunt improbabiles, & si tales, illas Papa sciuisset, vtique nec coadiutoriam, nec futuram successionem concessisset.

Vltra quòd licèt coadiutoria, & futura successio sint gratiæ diuersæ; tamen sunt subordinatæ, cùm futura successio, absque coadiutoria non detur per Papam, propter expectatiuas prohibitas à Concil. Trid. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 7. Et ideo mortuo coadiuto de tempore datæ, non solùm corruit coadiutoria, & est nulla à principio, cùm mortuo non detur coadiutor, nec mortuus pro ea supplicet, sed corruit etiam futura successio, quæ ab illa dependet, & datur ratione coadiutoriæ, & tanquam coadiutori *Modernus de benefic. part.* 2. *c.* 5. *nu.* 131. & facit decis. Put. 390. *lib.* 1. secundùm nouam impressionem.

Minus obstant clausulæ amplissimæ ipsius coadiutoriæ,

toriæ, & inter alias clausula, *& si nunc actu quouis modo*, &c. per quas informantes pro Martino prætendunt elicere mentem Pontificis illum prouidendi de hoc Canonicatu, etiam si tunc de tempore datæ vacaret per obitum coadiuti.

8 Quia cùm dicta clausula, *& si nunc*, &c. & aliæ generales sint ita interpretandæ, vt non contradicant expressis, Achil. *decis. 1. de præbend.* non possunt in casu nostro capere vacationem per obitum Ferdinandi de tempore datæ gratiæ; cùm tunc ille præsupponeretur viuus & orator, & in viuo non possit dari vacatio per obitum.

Quod etiam suadetur ex eo, quia futura successio continet duas partes, in quarum prima Papa considerauit vacationem de futuro, ibi, *Vacare contigerit*, & in illa prouidet expresse etiam per obitum de futuro Ferdinandi.

In secunda verò, quæ incipit, ibi, *& si nunc actu quouis modo*, &c. ponit casum distinctum & separatum, & statuit quid agendum si Canonicatus vacet de tempore datæ, & sic nunc. Et isto casu respectu aliarum personarum prouidet etiam per obitum, ibi, *& si vacet ex cuiuscunque persona*, &c.

Respectu verò Ferdinandi prouidet tantùm si vacet per resignationem, ibi, *seu per liberam resignationem dicti Ferdinandi*, &c. nulla facta mentione in ista secunda parte de obitu eiusdem.

Et nimirum, quia reputabat illum viuum, cùm esset orator, & assereret se egere coadiutore. Et quidem etiam si per obitum prouidere voluisset, hoc expressisset, sicuti fecit in præcedente casu.

9 Vlteriùs considerabant Domini Papam noluisse concedere simpliciter futuram successionem, sed tantùm accedente expresso consensu Ferdinandi, de quo consensu cùm docere non possit de tempore datæ, ex quo Ferdinandus iam erat mortuus, tota gratia corruit.

10 Neque ad hunc effectum suffragari valet consensus per Procuratorem præstitus post ipsius mortem, iuxta decis. Cassador. 1. *de renunciationib.* quia hoc procederet, si supplicatio fuisset data viuo Ferdinando: tunc enim superueniente morte ante præstitum consensum formalem potuisset Procurator illum præstare post mortem.

11 Quia tunc consensus retrotrahitur ad diem datæ, & ideo nil mirum si præstari potest, etiam post mortem principalis; iuxta dictam decis. Cassador. Crescen. *decis. 7. de denunciationibus*. Paris. plures referens *de resignat. lib. 9. quæst. 24. num. 12. & sequenti, & num. 21.*

12 Secus verò est, quando, prout in casu nostro, supplicatio fuisset datata post mortem principalis, quia tunc cùm re integra expirauerit mandatum, non poterit Procurator amplius consensum præstare, secundùm communem opinionem omnium Doctorum in praxi receptam, & canonizatam sæpiùs à Rota, teste Paris. *vbi suprà num. 9.*

13 Tandem visum fuit non obstare quòd sicuti clausula, *Quouis modo*, capit vacationem per obitum resignantis, ad text. *in cap. susceptum*, iuncta gloss. *de rescript. in 6.* etiam dicendum sit in casu nostro, quia quicquid sit de intellectu d. text. & gloss. satis est quòd omnino debeant iustificari narrata in gratia de tempore Datæ, quòd hodie est impossibile, ex supradictis, &c.

* * *

R. P. D. VBALDO.

Albanen. lacus. Sabbati 26. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Piscatio concessa in casu, in quo dominus affictet lacum, extenditur ad casum, quando dominus piscari facit ad effectum vendendi pisces, etiam quòd non affictet, ex identitatione rationis.

SVMMARIVM.

Laudum à partibus approbatum, & obseruatum habet vim transactionis, num. 1.

Conuentiones, & sententiæ seruandæ in materia seruitutum, num. 2.

Facultas concessa ad certum tempus, extra illud tempus censetur derogata, num. 3.

Seruitutes diuidi possunt per interualla temporis, n. 4.

Verbum potest, *cui adiuncta sit negatiua, inducit prohibitionem; & dicitur clausula prohibitiua, ibid.*

Mens & voluntas in quacunque dispositione magis attenduntur, quàm verba, num. 5.

Ratio vbi eadem est, eadem viget iuris dispositio, n. 6.

Coniectura ducta à verisimili, est potentior aliis coniecturis, ad eliciendum mentem disponentis, nu. 7.

Ratio vnica vbi assignari potest, illa habetur pro expressa, num. 8.

Locatio, & venditio sunt contractus valdè similes, & quod venit in consequentiam vnius, venit in consequentiam & alterius, num. 9.

Beneplacitum non importat absolutam voluntatem, sed arbitrium boni viri, num. 10.

DECISIO CCCL.

Annis præteritis fuit factum compromissum inter dominos castri Nemoris, & homines castri Iansani, & vigore compromissi emanauit laudum; in quo inter cætera fuit pronunciatum Iansanenses posse piscari pedestres in lacu ibi vicino, de quo agitur, & subiunguntur talia verba; *In tempo però che detto lago sia affittato, mà non essendo affittato, non possano pescarlo.*

Et cùm ante paucos menses ortæ essent super dicto iure piscandi nonnullæ inter Dominos de Frangipanibus, Dominos castri Nemoris, & Iansanenses controuersiæ, fuit mihi transmissum dubium in Rota disputandum de ordinatione Sanctissimi & de consensu partium concordatum in hæc verba: Præsupposito d. laudo, an Iansanenses possint piscari in lacu, quando Domini de Frangipanibus illum locare nolunt, & ipsi piscari faciunt, & de piscibus siue donando, siue vendendo, vel aliàs disponunt. Quo dubio proposito Domini responderunt, Iansanenses non posse piscari quando Domini de Frangipanibus non locant, nisi in casu quo ipsi facerent piscari ad effectum vendendi pisces.

Fundamentum primæ partis fuit in ipso laudo, ab vtraque parte approbato, & obseruato, quod propterea habet vim transactionis. gloss. & Doctor. *in l. 2. C. comm. vtr. iud.* Socin. *cons. 85. in princ. lib. 1. & cons. 69. num. 6. lib. 4.* Bald. *in rubr. extr. de arbit.* Caccialup. *in tract. de transact. quæst. 3. sub num. 8. & 9.* &

rei iudicatæ. *l. cùm antea. l. ne in arbitris. C. de arbitr.* Bart. *in l. 1. num. 6. ff. de re iud.* Paris. *cons. 46. nu. 13. lib. 1.* & fuit dictum in causa Romana executionis laudi 26. Iunij 1613. coram me, & sæpe aliàs.

2 Et in hac materia seruitutum, vtique seruandæ sunt conuentiones. *l. certo generi, in princ. & in fin ff. de seruit. rustic. præd.* Cæpoll. *ad tract. cap. 4. nu. 47. & cap. 9. nu. 46.* Couar. *pract. quæst. c. 37. nu. 6. vers. qua in re,* & etiam sunt seruandæ sententiæ. Cæpoll. *d. cap. 4. n. 48. vers. Item si esset,* &c.

3 Verba autem laudi suprà relata videntur nimis clara pro firmanda regula ad fauorem DD. de Frangipanibus, in iis enim apparet facultatem piscandi Iansanensibus concessam, esse restrictam ad tempus quo lacus locatus est, & proinde extra illud tempus facultas denegata videtur. *l. si vnus, §. 1.* vbi Bald. *ff. de pact.* cum aliis adductis per Tiraquel. *de retract. conuent. §. 1. gloss. 2. num. 44. & seqq.*

4 Præsertim stante alia clausula prohibitiua, ibi, *Mà non essendo affittato, non possano pescarlo* ponderando verbum, *potest,* cum negatiua, iuxta gloss. *in c. 1. in verbo non potest. de reg. iur. in 6.* & aliàs certum est seruitutes posse diuidi per interualla temporis, ex allegatis per Cæpoll. *de seruit. rustic. præd. cap. 4. num. 32.*

5 Quo verò ad secundam partem, in qua fuit decisum Iansanenses piscari posse etiam lacu non locato, in casu quo Domini de Frangipanibus piscari faciunt ad effectum vendendi pisces; mouebantur Domini, quia in quacunque dispositione mens potius, & voluntas attendi debet, quàm verba. *cap. intelligentia. de verb. sign. l. non dubium. C. de leg. l. scire, §. aliud, ff. de excusat. tut. l. 3. §. conditio ff. de adimend. leg. cap. sedulo 38. distinct.* cum aliis innumeris relatis per Tiraquel. *in l. si vnquam, in verbo libertis, num. 47. & seqq. C. de reuoc. donat.* & per Decian. *cons. 15. nu. 14. lib. 1.* Honded. *cons. 29. n. 82. lib. 1.* Surd. *cons. 550. n. 12. lib. 4.* & ideo dicebat Bald. mentem esse veluti animam, verba esse veluti corpus, *in l. si quis seruo. C. de furt.* Decius *in cap. secundo requiris, num. 2. de appellat.* Tiraquell. *vbi suprà num. 46. 48. & 60. in fin.*

6 In proposito autẽ mens arbitratoris videtur illa fuisse, vt Iansanenses vterentur facultate piscandi, quando domini lacus perciperent ex eo fructus; & è contrario dominis non percipientibus fructus, vel quia vellent numerum piscium lacus augeri, vel aliam ob causam, nec Iansanensibus permissum sit piscari, & sic quamuis in laudo fuerit facta mentio affictus; tamen, quia dominis lacus percipientibus fructus per viam venditionis piscium videtur esse eadem ratio; placuit Dominis ex identitate rationis arguere quòd in hoc casu arbitrator idem senserit, quod in casu affictus, iuxta vulgatas regulas, quòd vbi eadem est ratio, eadem viget iuris dispositio. l. *illud. ff. ad l. aquil. l. à Titio in fin. ff. de furt.*

7 Cùm talis mens, & sensus arbitratoris sit valde verisimilis, & coniectura ducta à verisimili, est potentior aliis ad eliciendum mentem disponentis. *gloss. in l. in obscuris, & in l. semper in stipulationibus, ff. de reg. iur. & in l. veteribus,* vbi Bart. *num. 5. ff. de pact.* cum aliis per Cardin. Mantic. *de tacit. & ambig. lib. 3. tit. 1. num. 12.* & per Tiraquell. latissimè *in l. si vnquam, in præfat. nu. 33. & seqq. C. de reuoc. donat.*

8 Et aliàs vbi vnica ratio assignari potest, illa habetur pro expressa. Bald. *in l. his solis. C. de reuoc. donat. & in l. quamuis, num. 1. C. de fideic.* cum aliis per Surd. *cons. 240. num. 14. & cons. seq. num. 25. lib. 2.* Sed nulla alia laudi ratio videtur posse assignari in parte de qua agitur, nisi ne Iansanenses perciperent fructum ex lacu, cùm domini lacus eum non perciperent, & sic ne esset in eorum potestate exfructare lacum contra dominorum voluntatem, quæ ratio cessat dominis capientibus fructum ex venditione piscium; meritò ista ratio videtur expressa in laudo.

Quæ eo magis videbantur amplectenda, cùm locatio, & venditio sint contractus valde similes. *l. 2. ff. locat.* & locare lacum pro certa mercede nihil aliud sit in effectu quàm vendere pisces pro pretio conuento; ideo sicut in casu locationis permisit arbiter Iansanensibus piscari; ita censetur permisisse in casu venditionis piscium. quæ interpretatio visa est niti æquitate. *cap. paratus,* vbi gloss. *23. qu. 1.* Aym. *cons. 259 num. 8. vers. & posito.* Surd. *cons. 383. num. 22.* ne aliàs facile eluderetur laudum. *l. si idem. §. quod si mutuæ. ff. de iurisdict. omn. iudic.* Mandell *cons. 494. nu. 11.* cum aliis allegatis. 9

Nec obstare videbantur illa verba laudi: *Item che il dominio vniuersale del lago sia, come sempre è stato della Corte di Nemo alla quale stia d'affittarlo, & disponere a suo beneplacito;* quia quoad *dominium*, illud non controuertitur; sed dictum verbum *ad beneplacitum* non importat absolutam voluntatem, sed arbitrium boni viri. Abb. *in cap. verum, num. 6. in vltim. not. de for. compet.* Felin. *in cap. 1. sub num. 91. prope fin. de const.* quod arbitrium quale sit in casu isto, colligitur ex suprà deductis. 10

Ex quibus, vt suprà, fuit conclusum, &c.

R.P.D. ANDREA.

Romana, seu Tiburtina castri Sancti Angeli fideicommissi de Vrsinis. Sabbati 26. Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Promittens factum alienum, vtputa de faciendo consentire omnem personam, præcisè tenetur adimplere, nec liberatur offerendo interesse, quando adimplere potest, concurrente præsertim iuramento. cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Venditor tenetur tradere rem liberam, num. 2.

Venditor promittens facere consentir omnem personam si potest adimplere ex sua persona, tenetur præcisè adimplere, & non liberatur offerendo interesse, ibid. vbi quòd hoc procedit non solùm de iure communi, sed etiam vigore statuti Vrbis.

Promittens factum alienum, si illud potest præcisè adimplere, adimplere debet, nec liberatur offerendo interesse vigore statuti Vrbis. ibid.

Iuramentum obligat ad præcisam obseruantiam, etiam in obligatione facti, ibid.

Promittens cum iuramento factum alienum, tenetur præcisè adimplere, ibid.

Iuramenti virtus transit etiam ad hæredes quoad efficaciam obligationis, ibid.

Hæredis inuentarium non operatur, quin ipse teneatur quatenus vires hæreditatis suppetunt, num. 3.

Protestatio, seu interpellatio admissa, si, & in quantum dicitur simpliciter admissa, num. 4.

Contumaci in non parendo iudici denegatur audientia, ibid.

ibid. declara vt num.8.vers. item ad effectum.
Productio facta ad certum effectum, vltra illum non debet operari, num.6.
Actus non potest operari vltra agentis intentionem, num. 7. in fine.
Hæres cum beneficio legis, & inuentarij nunquid præcisè teneatur ad factum defuncti, vbi sumus in re, in qua cadit affectio, num.8.
Contumacia non datur sine mora, & inobedientia, ibid.
Contumacia versus iudicem non datur sine contemptu iudicis, & inobedientia, ibid. vbi amplius quòd super contemptu & inobedientia debet succedere iudicis declaratio.
Iudicium vniuersale facit supersederi in iudicio particulari. declara vt num.10.
Exceptio de iure tertij regulariter non admittitur, nu.11.

DECISIO CCCLI.

1 VErtente lite coram R.P.D. meo Verospio super recuperatione castri S. Angeli, in qua ad instantiam Excellentissimi D. Pauli Iordani productum fuerat instrumentum antiqui fideicommissi domus & familiæ de Vrsinis, cùm de ordine Rotæ subscripto & intimato dubio, an tale instrumentum fidem faceret, ad vlteriora procedi instaretur, fuit pro parte Serenissimi D. Ducis Parmæ præuia auocatione obtentum, mihi particulariter committi causam fideicommissi huiusmodi super dicto Castro S. Angeli, attento quòd coram me pendebat lis olim introducta per D. Paulum Iordanum seniorem, super recuperatione nonnullarum domorum, & apothecarum, vigore dicti fideicommissi, necnon causa iactationum, & molestiarum, quæ pro parte bo. me. Card. Farnesij, Sanctæ Crucij, & aliorum emptorum litis consortium, pro illorum interesse ex causa bonorum per eos possessorum, fuit contra eundem commissa: quo similiter producto instrumento coram me præfati fideicommissi, dum instabatur, dubium sic, vt suprà subscriptum disputari, agentes pro eodem Serenissimo prætendere cœperunt D. Paulum Iordanum non posse audiri, nec tale fideicommissum super Castro præfatto deducere, & allegare: vnde cùm hodie, præsupposita sine veri præiudicio legalitate scripturæ, & purificatione fideicommissi, dubitarem, an D. Paulus Iordanus posset illud deducere super Castro Sancti Angeli, & plures exceptiones contra illum opponerentur; Domini censuerunt exceptiones non obstare D. Paulo Iordano: de legitima tamen particulariter videndum.

2 Et quidem pro parte Serenissimi, primò dicebatur, quòd D. Paulus Iordanus erat hæres D. Virginij hæredis Pauli Iordani senioris, & possidebat castra Cerueteris, Monterani, & Anguillariæ, quæ remanserunt in hæreditate eiusdem Pauli senioris obnoxia hypothecæ pro omnibus promissis in venditione castri insulæ, & casalium, per ipsum Paulum seniorem facta bon. mem. Card. Farnesio de annis 1558. & 1567. & ob id præcisè tenebatur ad factum promissum per eius authorem de tradendo rem liberam, & de faciendo consentire omnem personam ius habere prætendentem, ex quo ipsemet D. Paulus poterat implere hoc factum ex propria persona, adeò vt, nec offerendo interesse liberaretur, vt tradunt Bart. & Doct. *in l. stipulationes non diuiduntur. ff. de verb. oblig.* Cagnol. *in l.2. num.129. C. de pact. int. empt. & vendit.* Menoch. *cons.92. num.61. & seq.* Bursat. *cons.100. n.36.* Surd. *cons.52. num.17.* quod procedebat non solùm de iure, verùm etiam ex stat. Vrbis *c.164. lib.1.* in quo expresè cauetur, quòd in obligationibus facti, vbi quis potest factum promissum implere, possit præcisè ad factum cogi, quod statutum aliàs canonizauit Rot. apud Seraph. *decis.805. num.7.* concurrente præsertim iuramento, quod obligat ad præcisam obseruantiam, etiam in obligatione ad factum, gloss. communiter recepta *in l. si pecuniam, in princ. in verbo, necesse habeas. ff. de condict. caus. dat.* Surd. *cons.3. num.7.* cum aliis adductis per Gabr. *de iureiur. concl.8. num.1.* Gutier. *de iuram. confirm. part.1. cap.39. num.6.* Mantic. *de tacit. & ambig. lib.14. tit.32. num.4.* Seraph. *d. decis.805. num.3.* & hoc non solùm respectu iurantis, sed etiam hæredis, cùm etiam contra eum transeat virtus iuramenti quoad efficaciam obligationis, Paris. *cons.54. num.13. lib.1.* Socin. iun. *cons.67. num.36. lib.2.* Roland. *cons.17. num.17. lib.1.* Couar. *in cap. requisisti, num.2. vers.3. ex his probatur, de testam.* Seraph. *de priuileg. iuram. priuileg. iuram. priuil.57. nu.17. & priuil.74. num.141. vers. ego tamen*, Afflict. *decis.381. nu.8.* Surd. *decis.159. nu.24.* quicquid aliud tenuerint Bald. Corn. & alij, quos reprobat Card. Seraph. *d. decis.805 nu.4.*

Nec à dicta obligatione excusari poterat D. Paulus Iordanus, eo quòd non sit hæres simpliciter, sed cum beneficio legis, & inuentarij, cùm possideat d. Castra obuenta ex hæreditate Pauli senioris, & quatenus vires hæreditatis suppetunt, inuentarium nihil operatur, Pinel. *in l.1. p.3. nu.81. in 7. ampliat. C. de bon. matern.* Gabr. *cons.125 nu.12. lib.1.* Surd. *cons.73. nu.34. & decis.30. nu 13. vers.2. motus fuit*, Peregr. *de fideicomm. art 33 nu.13.* Molin. *de Hispan. primog. lib.4. cap.1. num.24.* & fuit dictum in Rauennaten. Saluian. 28. Iunij 1602. coram Illustriss. Ludouisio, & in Romana Palatij 12. Decembris 1610. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno. 3

Quibus sic in facto, & iure se habentibus, cùm D. Paul. Iordanus fuerit interpellatus coram iudice ad præstandum istud factum, & iudex admiserit interpellationem, cum clausula, *si, & in quantum*, & decreuerit afficere, prout de iure summario Serenissimi, *nu.4.* Ex quo interpellatio dicitur simpliciter admissa, & simpliciter afficere. Bald. *in l. edita in 2. lect. nu.98. C. de eden.* Felin. *in cap. cùm contingat. nu.13. de offic. deleg.* cum aliis per Menoch. *de recuper. remed. 9. nu.331.* & per Rot. *decis.687. num.2. p.1.* In viam iuris sequebatur, quòd cùm idem D. Paulus id facere neglexerit, & negligat, est contumax in non parendo, & sic illi debet denegari audientia contra eundem Serenissimum Ducem, etiam in hac causa, licèt diuersa *l. sed & si per prætorem, §. sed & si dum decreto*, vbi gloss. & Bald. *nu.2. ff. ex quib. caus. maior.* Alberic. *in l. iusiurandum, & ad pecunias. §. ait prætor. vers. item nota*, & ibi Ias. *nu.2. vers. inter cæteros. ff. de iureiur.* Bart. *in l.1. nu.7. ff. si quis ius dicen. non obtemp.* Bald *in l. consentaneum, numer. 24. vers. item per denegationem. C. quomod. & quand. iud. & in l. diffamari, num.6. in fine. vers. alia lectura, & num.7. C. de ingen. & manumiss.* Schrader. *de feud. part.10. sect.1. nu.106.* Maran. *de ordin. iudic. part.6. membr.2. num.14.* Grauat. ad Vestr. *lib.3. cap.2. nu.14.* 4

Verùm hoc obiectum fuit sublatum per plures responsiones; quæ placuerunt Dominis, omisso enim, quòd non constabat Dom. Virginium, & D. Paulum Iordanum illa tria castra accepisse vti hæreditaria Pauli senioris, nec vti talia D. Paulum iuniorem illa nunc possidere, tam Paulus senior, quàm successiuè Dom. Virginius quoad castrum insulæ, & 5

casalia D. Cardinali Farnesio, vt suprà, vendita, nullam litem mouerunt: quinimo Paulus senior expresè declarauit, se contra dictum Cardinalem, & alios, nec etiam iactare velle, summario D.Pauli iunioris, *num*.1.

6 Non obstat productio instrumenti fideicommissi aliàs facta per Don Virginium, præuia citatione Serenissimi, ad dicendum contrà, quasi ex tunc lis fuerit cœpta ad instantiam Don Virginij, dicta enim productio facta fuit, eo quia alia anterior facta per Paulum seniorem in lite mota super recuperatione domorum, & apothecarum, contra DD.Sancta Crucios, non reperiebatur, & satisfaciendo petitioni Serenissimi Ducis, & parendo mandatis Dominorum, non autem ad effectum incipiendi nouum iudicium diuersum, & comprehendendi alia bona, quæ antea non erant in illa lite, vt constat ex eadem productione summario D.Pauli iunioris, *num*.3. vnde intrat regula, quòd productio facta ad certum effectum, vltra illum non debet operari, Grat. *cons*. 14.*num*.14. *vers. item produxerunt, & seq.lib*.1. Aym. *cons*.175.*num*.7. Cephal. *cons*.136.*num*.21. Surd. *consil*. 252.*num*.17. *& decis*.267. *num*.4. *vers. alterum fundamentum, & seq*. Honded. *cons*.66.*num*.54. *lib*.1. Rota diuers.445.*num*.4.*p*.1. Seraphin. *decis*. 377. *num*.5. & fuit dictum in Colonien. status 30. Octobris 1585. coram Bubalo, & in Maceraten. expensarum 15. Iunij 1609. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & in Valentina illegitimitatis 16. Martij 1612. coram R.P.D. meo Pamphilio.

7 Qua ratione defenditur etiam productio eiusdem instrumenti fideicommissi à D. Paulo iuniore facta, in quo inter alia bona legitur Castrum Insulæ. nam ista productio fuit solummodo restricta ad Castrum S. Angeli, pro quo agitur, & pro quo nulla adest promissio, per quam ipse, vel sui authores teneantur ad molestias, vel ad rem liberam tradendam, vnde non potest quoad alia præter agentis intentionem operari. *l. non omnis. ff. si cert. pet. l. cancellauerat. ff. de his quæ in testam. delen*. Grat. Aym. & cæteri, *vbi suprà*.

8 Dato tamen absque veri præiudicio, quòd Paulus Iordanus senior, & Dom. Virginius eidem D. Cardinali Farnesio, & Serenissimo Duci respectiuè molestias iudiciales intulissent, & quòd dd. tria castra Ceruereris, Monterani, & Anguillariæ iure hæreditario ad dd. Dom. Virginium, & D.Paulum iuniorem deuenissent, adhuc D.Paulus iunior non posset dici contumax in non parendo, ad effectum de quo agitur, quia valde controuersum est, an hæres cum beneficio legis, & inuentarij præcisè teneatur ad factum defuncti, vbi sumus in re, in qua cadit affectio, puta quia fuit maiorem suorum, iuxta *l. si in emptionem, ff. de minor*. vel quia intersit hæredes habere potius rem alienatam, quàm hæreditariam, in quo articulo contrarias hinc inde referunt communes opiniones, Gabr. *cons*.125. *num*.11. *&* 12. *lib*.1. & Rosenthal. *de feud. c*.9. *memb*.2. *num*.8. *& seq*. Item ad effectum, vt iudex possit contumaci in vna causa denegare audientiam in alia, requiratur mora, & inobedientia in parendo, sine quibus non datur contumacia, *l. contumacia. §. fin. ff. de re iud*. Card. *in Clem*. 1. *num*.14. *vers. pro quorum omnium, de dol. & contum*. Oldr. *cons*.301. *in princ*. Marant. *in prax. p*.6. *membr*.2. *de contum. num*.7. Vincent. de Franch. *decis*.662. *n*.16. Prout etiam requiritur, quòd adsit contemptus iudicis, gloss. *in l. vnic. §. fin. verb. hoc iudicium, in fin. ff. si quis ius dicen. non obtemp*. Vinc. de Franch. *decis*.271. *n*.5. Card. Seraph. *decis*.972. *num*.18. & fuit dictum in causa Mantuana bonorum 14. Maij 1612. coram R.P.D. meo Vbaldo, necnon quòd super tali inobedientia, & contemptu præcedat declaratio, seu iudicis decretum, vt *in addit. marginal. ad gloss. in l. sed & si dum decreto. ff. ex quib. caus. maior*. & tradunt Bart. *in l. manifestè, nu*.7. *ff. de iureiur. & in l. eius qui delatorem, n*.3. *vers. certè ista, & nu*. 4. *ff. de iure fisc*. Bald. *in cap. grauis, n*.16. *vers. non enim debet. de restit. spoliat. & in l. transigere, n*.34. *C. de transact*. Anch. *in cap. fin. n*.11. *in fine. & seq*, vbi Ioan. Monach. *n*.2. & ad eum Prob. *n*.7. Gemin. *n*.19. *&* 20. *de confess. in* 6. Butr. *in cap cum dilecti, n*.22. *vers. vltimò aduerte, de dol. & contum*. bene Marsil. *singul*.283. *incipiente, lapsus termini, num*.1. & Decian. *cons*.14. *num*.81. *lib*.3.

In casu autem nostro licet D. Paul. iunior fuerit intimatus, vt liberaret bona vendita, & faceret se ipsum consentire, vt latiùs in protestatione, summario, *n*.4. & iudex admiserit hanc protestationem, si & in quantum, & mandauerit afficere, prout de iure, cùm adhuc iudex non decreuerit D.Paulum teneri talem liberationem facere, sed se in omnibus ad dispositionem iuris remiserit, & ipse alleget se esse hæredem cum beneficio legis, & inuentarij, nec adhuc constare bona alienata esse supposita alicui fideicommisso, nec ipsum super eis aliquid prætendere non potest, interim donec aliter fuerit à iudice declaratum, dici ipsum esse contumacem, cùm, vt dixi, contumacia non detur vbi non adest mora, & inobediantia, nec argui possit aliquis contemptus in eo, qui allegat iustam causam, vt non pareat gloss. *in d. l. vnic. §. fin*. & ibi Bart. & Alex. Ias. & omnes. *ff. si quis ius dicen. non obtemp*.

Secundò opponebatur, quòd D.Paulus Iordanus non erat audiendus, quia pendet iudicium vniuersale super bonis dicti fideicommissi, in quibus comprehenditur etiam huiusmodi castrum, quæ causa est præiudicialis huic causæ super solo castro Sancti Angeli; nam resoluto in illa pro non fideicommisso euanescet actio in ista particulari. Bart. & alij *in l. fundum Titianum. ff. de except*. Ias. *in §. præiudiciales, num*.1. *Instit. de actio*. Crauett. *cons*. 79. *num*.7. & ideo ista particularis debet silere donec finiatur illa generalis, aliàs processus esset nullus, & sententia, Crauett. *vbi suprà*, cum aliis allegatis. Verùm fuit responsum hoc non iustificari, neque ex persona Pauli senioris, cùm illa causa per eum commissa fuerit restricta ad certas domos, & apothecas aduersùs DD. de Sancta Cruce, neque ex persona Dom. Virginij, qui etiam si produxerit instrumentum fideicommissi, in quo leguntur multa castra, & bona alienata, tamen (vt dixi) illa productio facta fuit satisfaciendo petitioni Serenissimi Ducis, & parendo mandatis Dominorum, ad effectum sanandi defectum instrumenti iam producti, & deperditi. Vnde quoad alia nihil operatur, ex ibidem deductis in responsione ad primam exceptionem, & eodem modo tollitur, quòd D. Paulus dum vult nouum iudicium inchoare super solo Castro Sancti Angeli, velit emendare primam petitionem generalem, quia de tali petitione generali non apparet.

Tertiò allegabatur, quòd D. Paulus solus non sit audiendus, cùm habeat plures fratres; sed hæc exceptio non placuit. nam vltra quòd in deductione fideicommissi poterit declarare partem suam, cùm modò non constet de acceptatione fratrum, non licet Serenissimo excipere de iure illorum. Socin. sen. *consil*.13. *num*.24. *& consil*.78. *num*.6. *lib*.4. & iun. *consil*.

conf.47.num.17. lib.2. cum aliis per Tiraquell *in l.si vnquam, verbo reuertatur, num.358. C. de reuoc.donat.* & interim quòd alij fratres non docent velle se agnoscere, potest solus Dominus Paulus agere ad totum fideicommissum. Simon de Pręt *in tract.vlt. volunt.fol.mihi 208.n.19.* Ex quibus vt suprà fuit resolutum, exceptiones non obstare D.Paulo Iordano.

11 Cæterùm, quia pro parte Serenissimi Ducis fuit etiam oppositum, quòd ex eodem instrumento fideicommissi producto super Castro Sancti Angeli apparet, illud fuisse inter alia castra, & bona Roberti Vrsini vnius ex fideicommittentibus, & per consequens, cùm istud castrum peruenerit in Alphonsinam Vrsinam eiusdem Roberti filiam, quæ illud per plures annos possedit, censetur peruenisse, & ab ea possessum fuisse vigore legitimæ; quod si verû esset, quod illa obtinuisset hoc castrum pro legitima, non potuisset super eâ deduci fideicommissum, cùm legitima reiiciat ipso iure quodcumque onus etiam fideicommissi, vt iuribus, & auctoritatibus fuit firmatum in Romana legitimæ 27. Iunij 1614. coram R.P.D. Verospio, & in alia Romana vineæ 19.Februarij præteriti coram me, & latè hîc deducunt informantes pro eodem Serenissimo, qui etiam allegant omnia iura Alphonsinæ, & eius filiorum mediante concordia transiuisse ad Serenissimam Madamam, cuius est hæres idem Serenissimus Dux: vnde hoc fundamentum visum fuit dignum particulari discussione.

Ideo Domini voluerût de eo particulariter videre.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Dertusen.Vicariæ. Lunæ 28 Nouembris 1616.

ARGVMENTVM.

Vnio facta per Papam schismaticum non tenet, sed confirmata per Papam legitimum, sumit vires à confirmatione, & Ecclesia vnita alteri Ecclesiæ fit prædium illius, itaut si priùs habebat annexam curam, cura ipsa habitu sit penes Ecclesiam cui vnitur, exercitum curæ actu penes Vicarium ab illa deputatum.

SVMMARIVM.

Titulus datus à Papa schismatico nullus est, & inualidus, num.1. limita nisi à legitimo Papa fuerit confirmatus, num.2.

Papa schismaticus titulum validum dare non potest, num.1.

Priuilegium originarium exhibere non est necesse, quando exhibetur illius confirmatio, in qua posita est tota substantia priuil.nu.2. Maximè si confirmatio est cum clausula, ex certa scientia, *ibid.in fine.*

Vnio licèt inualida per lapsum quadraginta annorum præbet iustam causam ad præscriptionem, nu.3.

Vnio sortitur effectum quando Rector cedit beneficio ad fauorem vnionis, num.4.

Enunciatiuæ antiquæ partis concurrentibus adminiculis probant, num.5.

Concursui locus est in beneficio curato, si in Rectorem illius est translata cura, secus si tantùm exercitium curæ, n.6.

Vnionis effectus est, vt Ecclesia vnita efficiatur prædium Ecclesiæ cui fit vnio. num.7.

Ecclesia vnita alteri Ecclesiæ efficitur prædiũ illius, ibid.

Ecclesia cum cura si vniatur alteri Ecclesiæ, cura ipsa post vnionem residet habitu penes Ecclesiam, cui facta est vnio, & exercitium curæ actu est penes deputatum ab Ecclesia, ibid.

Ecclesiæ cura, quando in vnione reseruata est portio congrua pro Vicario soluenda per Ecclesiam, cui vnitur, tunc cura habitu residet penes Ecclesiam, & actu exercitium curæ tantùm penes Vicarium, num.8.

Vltimus status, & quasi possessio in collatione beneficij quando apparent erronei non releuant, num.9.

DECISIO CCCLII.

Cvm Prior, & monasterium vallis Christi Ordinis Carthusien. prætenderet Vicariam perpetuam in parochiali Ecclesia loci de Castellen. de la Plana Dertusen. diœcesis dicto monasterio olim vnita, occurrente vacatione esse conferendam ad solam ipsorum præsentationem, non autem in concursu, commissa causa in Rota, & proposito dubio die 16. Nouembris anni præteriti, Domini ordinarunt, vt videretur de prædicta vnione, vnde hodie die 28. Nouembris 1616. visum est Dominis respondere pro Priore, & monasterio informandum videtur, collationem esse faciendam ad præsentationem, non autem ad concursum. Nam quoad dictam vnionem, illa deducebatur ex litteris Benedicti XIII. datis Auenione eius Pontificatus anno 3 in quibus præmissa narratiua quòd ipse dum in minoribus constitutus legationis munere fungeretur, authoritate Apostolica dictam parochialem prædicto monasterio vniuerat; reseruata tamen pro vno perpetuo vicario in eadem Ecclesia seruituro congrua portione, concedit eidem Priori, & conuentui dicti monasterij ius præsentandi ad eandem vicariam, vt latiùs in eisdem literis continetur, & licèt de dictæ vnionis, & concessionis validitate posset dubitari, cùm emanauerint partim à Benedicto dum esset Legatus Clementis septimi, qui fuit Papa schismaticus creatus aduersùs Vrbanum sextum Pontificem legitimum, pro quo extat diuinum Concilium schismatis. Bald. registratum inter eius lecturas ante tit. *C. si quis aliq. testar.prohib.* partim ab eodem Benedicto successore Clementis etiam schismatico, & immò quòd titulus datus à tali Papa sit inualidus, tenuit Rota in vna Valentina parochialis de Palma 2.Iunij 1606. coram R.P.D. meo nunc Decano, tamen Dominis videbatur in proposito casu dicta vnio, & concessio posse sustineri. 1

Primò, quia Martinus quintus, & Calixtus tertius, quamuis scirent Benedictum non fuisse canonicè electum, adhuc tamen dictam vnionem confirmarunt, vt in eorum litteris de quibus in summario, in quibus plenè legitur substantia vnionis confirmatæ, & ideo non est opus exhibere priuilegium ipsum originarium vnionis, etiamsi priuilegij narratiua sit facta à parte, vt fuit plenè dictum in vna Caurien. siue nullius iurisdictionis coram bo. me. Cantuccio relata inter impress. diuers. 2. *part. decis.36. num.1. & seqq.* præsertim cùm confirmatio Martini sit etiam ex certa scientia. Rota *d.decis.36.num.5.* 2

Accedat secundò quòd dicta vnio licèt inualida, tamen cum cursu quadraginta annorum præbuit iustam causam præscribendi, vt dixit Rota in eadem Valentina parochialis de Palma coram D. Decano, 3

& in Ianuen. iurisdictionis 24. Ianuarij 1604. coram Illustrissimo Ludouisio.

4 De effectuatione verò dictæ vnionis satis visum est constare ex eo quòd Petrus Episcopus Portuen. illam in manibus eiusdem Benedicti resignauit, ad præfatum effectum, vt in dictis litteris Benedicti, & Martini continetur, vnio enim dicitur sortita effectum, cùm Rector cedit beneficio & possessioni ad fauorem ipsius vnionis, vt fuit dictum in vna Perusina beneficij 1 Aprilis 1596. coram bon. mem. Cardinale Blanchetto.

5 Item ex enunciatiuis antiquissimis dd. litterarum Martini, & Calixti, in quibus referuntur huiusmodi effectuatio, & possessio, vel quasi Ecclesiæ vnitæ, ac iuris præsentandi, & recipiendi decimas, & licèt dictæ enunciatiuæ sint partis, scilicet monasterij, & fratrum vallis Christi qui habent interesse: attamen probant concurrentibus adminiculis. Rota *decis.130.nu.2.part.2.* diuersor. Achil. *decis.7.in fin de iurepatr.* & fuit dictum in Vrbeuetana fideicommissi 13 Nouemb. 1602. coram bo. me. Cardin. Pamphilio; quę adminicula vltra dictam resignationem hîc non desunt, videlicet laudum latum de anno 1430. inter Episcopum Dertusen. & d. monasterium, in quo canonizatur vnio facta authoritate Clementis per eius Legatum, & confirmatio Martini, & declaratur ius præsentandi spectare ad monestarium. Item sententia Rotalis, & executoriales inde relaxatæ de anno 1471. in qua sententia fuit pronunciatum, præsentationem per dictum Conuentum factam, fuisse Canonicam, & proinde vicariam dicto præsentato esse adiudicandam, & aduersario nullum ius competere. Et vltimò faciunt plures solutiones congruæ portionis à Conuentu factæ ipsi vicario, & datæ in summario.

6 Stante igitur dicta vnione effectuata, an vicaria sit conferenda ad præsentationem Prioris, & monasterij, cui fuit Ecclesia vnita, an potiùs per concursum, pendet ex eo, an in vicarium fuerit translata cura, vel potiùs exercitium curæ. Primo enim casu esset locus concursui; altero verò nequaquam, vt distinxit Rota in causa Vlixbonen. iuris conferendi 2. Decembris 1605. coram bo. me. Litta, & in eadem 13. Iunij 1607. coram Illustriss. Cardin. Lancellotto, & nouissimè in Vlixbonen. concursus 1. Iunij 1615. coram R.P.D. meo Ramboldo.

7 Et Dominis placuit in præsenti casu solum exercitium esse translatum in vicarium; tum quia sumus in Ecclesia vnita, & effectus vnionis est, vt Ecclesia efficiatur prædium Ecclesiæ, cui fit vnio, itaut cura Ecclesiæ vnitæ resideat habitu penes Ecclesiam, cui facta est vnio, licèt actu cura exerceatur per vicarium, vt pluribus firmatur in dicta decisione Vlixbonen. coram D. meo Remboldo, & præter ibi allegatos fuit dictum in vna Illerden. dismembrationis coram Cardinale Seraphino, quæ est *decis.1009. nu.4. & 5. part.2.* in impress.

8 Tum quia in vnione prædicta fuit reseruata congrua portio pro vicario super fructibus, & redditibus Ecclesiæ vnitæ, quæ congrua soluitur à monasterio, vt in quitantiis datis, quo casu intrat communis conclusio, quòd cura quoad habitum, resideat penes eum, cui facta est vnio, & exercitium tantùm dicatur translatum in vicarium. Ioan. Andr. Host. & alij *in cap. exposuisti. de præbend.* Abb. *in cap. extirpandæ, in repet. §. qui verò num.15. eod. tit.* Felin. *in cap. postulasti nu.1. vers. sed Abbas. de rescript.* Rebuff. *de congr. port. n.108.* Mohed. *decis.5. de decim.* Crescen. *decis.2. eod. tit.* Verall. *decis.339. part.3.* Capell. Tholos. *decis.109.* & fuit dictum in dicta Vlixbonen. concursus coram D. meo Remboldo.

Nec obstare videbatur prætensa quasi possessio, & vltimus status Episcopi conferendi per concursum, quia quatenus de eo doceretur, ille appareret erroneus, cum prouisio esset facienda ad præscriptum constitutionis fel. recor. Pij V. in ordine 46. prout in eadem decisione Vlixbonen. tollitur simile obiectum, immò ex actibus qui fuerunt dati in primo summario monasterij *num.5.* apparet de collatione Episcopi ad præsentationem Prioris, & conuentus, pro quo solo informante Domini ex prædictis responderunt, &c.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO.

Carinolen. Præceptoriæ. Lunæ 28. Nouembr. 1616.

ARGVMENTVM.

Gratiæ, seu litteræ quæ de alterius colorata facti possessione mentionem non faciunt, nunquid valeant, & quid si in illis adest clausula, *Amoto quolibet detentore.*

SVMMARIVM.

Gratia quæ de alterius colorata facti possessione mentionem non facit, non valet. declara, vt num.2.
Clausula, Amoto quolibet detentore, *operatur, vt censeatur facta mentio de possessione facti, ibid.*
Quilibet *dictio importat idem quod dictio* omnis *ibid.*
Omnis *dictio comprehendit etiam inhabiles, ibid. in fine.*
Surreptio cessat in gratia concessa motu proprio, num.3.

DECISIO CCCLIII.

Eques Horatius Hierutius, vt prætenditur, resignauit hanc Præceptoriam Ord. SS. Mauritij & Lazari in manibus Serenissimi D. Ducis Sabaudiæ in fauorem Ascanij filij, quem etiam prætendebat cœpisse possessionem. Et cùm super hoc pluries fuit disputatum, & nihil resolutum: Placuit DD. videre cum præsupposito quòd priuilegia Pij IV. ex quibus prætenditur Serenissimum D. Ducem potuisse recipere prædictas resignationes, essent reuocata, & sic quòd prouisio Ascanij esset nulla, & Eques Mutius, qui impetrauit propter obitum Horatij, teneatur iustificare vacationem de facto; an verò sufficiat iustificare vacationem de iure videlicet per obitum Horatij?

Et Rota censuit sufficere in casu, de quo agitur iustificare vacationem de iure; licèt enim regula sit quòd non valeant litteræ quæ de alterius colorata facti possessione non faciunt mentionem. *cap. cum nostris. de concess. præben.* vbi Abb. *num.7.* inquit enim non sufficere facere mentionem quòd beneficium vacat, si alius est in colorata possessione facti, quia illud verbum *vacare*, potest verificari tam in iure quàm in facto: attamen cùm in gratia principali Eq. Mutij adsit clausula, *Amoto quolibet detentore,* illa operatur vt satis censeatur facta mentio de possessione facti. Ita post Francisc. de Deo, dicit Ioan. Andr. *in d. cap. cùm in nostris num.23.* Abb. *nu.21.* Felin. *in cap. in nostra nu.32. vers. secundò nota, de rescript.* quod licèt loquantur quando adest verbum *illicito*, quod non

non est in causa de qua agitur: attamen idem est quando simpliciter dicitur, *Amoto quolibet detentore*, prout in istis terminis est decisio Rotæ 38. & 69. *de rescript. in antiq.* & meritò, quia dictio *quilibet*, operatur idem quod dictio *omnis*, Mandos. *in reg.* 12. *qu.* 6. *n.* 9. & est adeò vna, scilicet vt comprehendat omnes etiam inhabiles ad factum. Marsil. *cons.* 85. *n.* 26. Dec. *cons.* 619. *nu.* 2. Petr. . . *sing.* 26. *num.* 3.

3 Et cessat omnis difficultas, quia cum gratia Equitis Mutij sit facta motu proprio, cessat subreptio, quæ causari potuisset ex non facta mentione possessionis coloratæ existentis penes alium, ita respondet Felin. *in d. c. in nostra num.* 35. *de rescript.* Cald. *cons.* 13. *de rescript.* Siluan. *de benefic. qu.* 3. *num.* 17. Menoch. *de arbitrar. casu* 207. *num.* 142.

Et ita fuit conclusum, alia tantùm parte informante, quia alia dici intimata informare neglexit, &c.

R. P. D. VBALDO.

Placentina salarij. Lunæ 5. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Canonicus qui habebat mandatum à Capitulo, illo reuocato, si durat absentia, non lucratur distributiones, & mandatum concernens vtilitatem mandantis, reuocari potest, non obstante promissione etiam iurata.

SVMMARIVM.

Contractus correspectiuus ad mandatum, cessante mandato etiam ob reuocationem cessat & contractus, nu. 1.

Canonico non residenti, & non habenti iustam causam, non debentur distributiones quotidianæ, & fructus præbendæ, & Canonicatus, num. 1.

Mandatum factum in contractu vltro citróque obligatorio, reuocari non potest, num. 3. *declara quando mandatum factum est gratia solius mandatarij; secus si concernit vtilitatem mandantis, num.* 4.

Decisiones Rotæ in causa factæ non oppugnantur, sed præsupponuntur de stylo Rotæ, eodem nu. 3. *& nu.* 8.

Mandatum reuocari non potest, quando id, quod continetur in mandato, deducitur in pactum cum stipulatione, num. 5.

Verbum promitto, in scriptis redactum inducit stipulationem, num. 6.

Mandatum reuocari potest, non obstante promissione de non reuocando, etiam iurata, num. 7.

Error iuris regulariter non præbet iustam causam excusationis, præsertim in viro perito, & versanti in loco, vbi potuit consulere peritos, num. 9. *declara hoc procedere in iure claro, secus in obscuro, quod dicitur æquiparari errori facti, num.* 10. *vbi quid sit ius obscurum.*

Error facti præbet iustam causam excusationis, ibid.

Errorem iuris, vel facti, qui allegat, illum probare debet, num. 11.

Distributiones quotidianæ debentur interessentibus diuinis officiis, & eas dicuntur ipsi lucrari, nu. 12.

Lucrum, qui non participat, non dicitur damnum pati, cum damnum sit diminutio circa patrimonium, ibid.

Error, & ignorantia iuris non excusat, quando agitur de lucro captando, nu. 13.

Procurator reuocatus debet abstinere à procuratione, interim donec videatur, an reuocatio subsistat, maximè stante intimatione reuocationis, num. 14.

Distributiones quotidianas non lucratur absens etiam cum iusta causa, si est absens sine licentia Ordinarij, num. 15.

Ordinarij licentia est necessaria absenti Canonico ad hoc vt lucretur distributiones quotidianas, nec sufficit sola iusta causa absentiæ, ibid.

DECISIO CCCLIV.

Post plures decisiones in hac causa factas ad fauorem Capituli, & signanter die 7. Maij 1607. coram bon. mem. Pegna, in qua fuit resolutum Doctorem Caxam potuisse à Capitulo reuocari, & 24. Maij 1610. coram eodem, in qua fuit decisum contractum antea initum inter Capitulum, & Caxam fuisse quidem vltro citroque obligatorium, sed tamen correspectiuum ad mandatum eidem postea datum, & proinde cessante mandato ob reuocationem, cessare etiam contractum; quæ decisio fuit confirmata 14. Martij præteriti coram me. 1

Instabat Capitulum pro expeditione causæ; sed Doctor Caxa obtinuit iterum audiri super decisione facta die 28. Maij 1608. coram Pegna, in qua fuit decisum, Caxam non habuisse iustam causam excusationis ad effectum consequendi fructus, & distributiones quotidianas suæ præbendæ, & canonicatus, dum fuit absens à residentia. Ideo hodie proposito dubio, an esset à dicta decisione recedendum, Domini negatiuè responderunt; ex rationibus in decisione adductis. 2

Nec obstare putarunt quòd Caxa non potuerit reuocari tanquam Procurator à Capitulo constitutus in contractu vltro citroque obligatorio ad Bart. *in l. si cum fundum*, vbi etiam alij. *ff. de pact.* cum aliis allegatis; quia circa hoc extant supradictæ decisiones in contrarium, quæ in hoc articulo impugnari non possunt, sed debent præsupponi iuxta stilum Rotæ. 3

Et tamen ex abundanti vnus ex Dominis respondebat doctrinam Bart. ibi procedere, quando mandatum est factum gratia solius mandatarij, vt ibi per eundem Bart. quem alij sequuntur, & præsertim Ang. & Iacobin. *in* 2. *oppos. num.* 1. *circa fin.* Ias. *num.* 2. & Castr. *num.* 4. expressè dicens, locum esse pœnitentiæ, quoniam datio, vel factum concernit vtilitatem mandantis tantùm, vt in casu nostro, licèt ille, cui datum est mandatum, sit paratus implere, ad cons. Ruin. 115. *num.* 15. *lib.* 1. & Cephal. *cons.* 91. *num.* 18. & 37. *lib.* 1. fuit in specie responsum in dicta decisione 7. Maij 1607. coram Pegna. 4

Vltra quòd prædicti Doctores loquuntur quando id quod continetur in mandato, fuit deductum in pactum stipulatione vallatum, & ita etiam loquitur Mandell. *cons.* 226. *nu.* 45. & Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 7. *tit.* 11. *num.* 15. 5

Quæ stipulatio non legitur in casu nostro, nec expressè, nec tacitè per verba, illam importantia, vt est verbum *promitto*, in scriptis redactum, iuxta *l. sciendum. ff. de verb. obligat.* prout erat in casu Ruini *dicto cons.* 115. *nu.* 15. 6

Et quatenus etiam adesset promissio de non reuocando etiam iurata, adhuc mandatum potuisset reuocari, iuxta tradita per gloss. *in ca. fin. in verb. reuocatus, de procur. in* 6. quæ est etiam communiter approbata, vt per Seraphin. *de iuram. priuil.* 75. *n.* 7. & Gabr. 7

de iureiur.concluſ.3. num.9. & fuit firmatum in deciſione 7. Maij 1607. coram Pegna, & 14. Martij præteriti coram me.

8 Quæ vt dixi, dicta ſint ex abundanti, cùm ſatis ſit quòd reuocatio Caxæ fuit canonizata per deciſiones, quæ in præſenti impugnari non poſſunt; ſicuti nec etiam debuit allegari ex aduerſo quòd mandatum fuerit factum in executionem præcedentis contractus, cùm immò mandatum fuerit principale in hoc negotio; conſtitutio verò ſalarij, & alia deducta in contrarium, fuerint correſpectiua, & conſecutiua ad mandatum, vt fuit latè dictum in hac cauſa 14. Martij præteriti coram me.

9 Nec obſtat quòd Caxa habuerit iuſtam cauſam credendi, ſe non potuiſſe reuocari, quia dicta credulitas fundatur in prætenſo iuris errore, qui regulariter non præbet iuſtam cauſam excuſationis. *l. iuris ignorantiam. l. regula. ff. de iur. & fact. ign. l. 2. & 3.* vbi *Doct. C. eod. tit.* Mohed *deciſ.3. num.1. de ſenten. excom.* Rota diuerſ. *deciſ.428. num.2. part.1.* cum aliis per Surd. *conſ.374. num.2. lib.3.* præſertim in viro perito, qualis eſt D. Caxa, & qui verſatur in loco vbi potuit conſulere peritiores, & non conſuluit. gloſſ. & Doct. *in l. iuris ignorantiam. C. qui admitt.* Put. *deciſ. 118. num.17. & ſeq. lib.2.*

10 Nec dicitur hæc procedere in iure claro, ſecus in obſcura, quod dicitur æquiparare errori facti, qui regulariter excuſat, ex allegatis; quia ius obſcurum dicitur quod habet tot opinionum varietates, vt veritas, & communis opinio diſcerni non poſſit. Fel. *in c. de quarta num. 27. de praſcr.* Put. *d. deciſ.* 118. aliàs 115. *num. 9. lib. 2. in nou.* Sed in hoc caſu communis opinio eſt pro facultate reuocandi, vt ſuprà dictum eſt; vltra quòd ceſſat omnis iuſta cauſa credulitatis, poſtquam Rota reſoluit licuiſſe reuocare mandatum; at ſignatura commiſit cauſam appellationis à decreto A. C. cum clauſula tranſlatiua executionis.

11 Et accedit etiam quòd Caxa non probauit prætenſum iuris errorem, qui debet ab allegante probari. Felin. *in d. cap. de quarta num. 28. verſ. caterùm,* cum aliis per Menoch. *de recup. remed. 15. num. 631.* Surd. *conſ.350. num.51. & ſequent. lib.3.*

12 Nec videbatur ſubſiſtere quòd Caxa tractet de damno vitando, cùm iſtos fructus, & diſtributiones nunquam habuerit. Odd. *de reſt. in integr. quaſt.8. num.82.* & diſtributiones certum eſt deberi intereſſentibus diuinis officiis. *cap. 1. de cler. non reſid. in 6.* & qui interſunt, dicuntur lucrari diſtributiones *d. cap.1.* Is autem qui excluditur à lucro, non dicitur damnum pati. Bart *in l. quominus num.6. ff. de flumin.* cùm damnum dicatur diminutio circa patrimonium. *l.3. ff. de damn. inf.* & tenuit Rota in deciſione, de qua agitur per conſ. Oldrad. 118. communiter receptum.

13 Et vbi agitur de lucro captando, ignorantia iuris non excuſat. Odd. *de reſtit. in integr. quaſt.8. nu.76.* & poſt eum Honded. *conſ.51. num.41. lib.2.* Quæ tanto magis videbantur Dominis amplectenda, ex quo abſentia Caxæ videbatur fuiſſe nimis affectata ſtante eius occultatione, ne ſibi reuocatio intimaretur, de qua per informantes.

14 Et multo magis poſt notificationem reuocationis ſibi factam in itinere, poſtquam ſaltem debuit abſtinere à procuratione, vt in deciſione, vel ſuperſedere in diſceſſu, vel reuerti, & præſtare intereſſentiam, donec videretur an potuiſſet reuocari, necne, non autem ſe transferre ad vrbem, vnde talis abſentia ſibi ſuffragari non poteſt, vt latè per Odd. *de reſtit. in integr. part.1. quaſt.27. art.1. & 2. per tot.*

Nec releuat quòd ex aduerſo excipitur aliàs Rotam cenſuiſſe Caxam habuiſſe iuſtam cauſam abſentiæ, quia id fuit dictum reſpectu temporis decurſi ante intimationem reuocationis procuræ, ſecus verò pòſt, & hanc diſtinctionem videtur ſenſiſſe Rota in hac cauſa 18. Iunij 1607. & die 4. Februarij 1608. coram Pegna.

Demum, nec contemnendum Dominis videbatur motiuum informantium pro Capitulo, videlicet quantumuis Caxa habuiſſet iuſtam cauſam abſentiæ, vel excuſationis ad effectum lucrandi diſtributiones; tamen vltra eam requirebatur etiam licentia Ordinarij, quæ hîc omnino defuit. gloſſ. *in cap. relatum, in verb. prælatorum,* & ibi Abb. *in 4. not. de cler. non reſid.* & fuit dictum in Alerien. fructuum 21. Aprilis 1603. coram Cardinale Pamphilio, & in Carthaginen. fructuum coram Seraphino, quæ eſt deciſ. 1131. *nu.6. part.2.* in impreſſ. & in Calagurritana fructuum 26. Maij 1614. coram me, & aliàs ſæpe.

Et ita fuit deciſum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Colimbrien. Canonicatus. Lunæ 5. Decemb. 1616.

ARGVMENTVM.

De interpretatione conſtitutionis Clementis VIII. prohibentis deſcendentes ab Hebræis non admitti ad Eccleſiaſtica beneficia: multa notanda, de quibus in ſummario, & quòd Pontifex poteſt aduersùs illam diſpenſare. Eſt deciſio magiſtralis, & ſingularis. Vide ſuprà in eadem cauſa coram Reuerendiſſimo Damaſceno 13. Iunij 1613.

SVMMARIVM.

Deſcendentes ex paterna, ſeu materna linea vſque ad ſeptimum gradum à genere, vel ſtirpe Hebræorum, Eccleſiaſtica beneficia obtinere non poſſunt, num. 1.

Conſtitutioni Clementis, qua redduntur inhabiles deſcendentes ab Hebræis, derogatum cenſetur per clauſulas generales derogatorias conſtitutionum in contrarium facientium, num.2.

Clauſula non obſtantibus conſtitutionibus, &c. *nunquid operetur quòd conſtitutiones, de quibus non fuit facta ſpecialis mentio, cenſeantur derogatæ, ibid.*

Papa habet abſolutam, & omnimodam poteſtatem diſpenſandi ad Eccleſiaſtica beneficia, num 3.

Chriſtianorum Iudaizantium filij nunquid comprehenduntur in conſtitutione Clementis VIII. reddente inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica deſcendentes ab Hebræis, num.5.

Exceptio, ſeu inhabilitas ab aliquo oppoſita probanda eſt ab eo, qui ſe fundat in ea, num.5. per tot.

Conſtitutio Clementis VIII. prohibens deſcendentes à Iudæis admitti ad Eccleſiaſtica beneficia, eſt odioſa, & exorbitans à iure communi, num.5. verſ. cùm tamen, & verſ. ſeq.

Verba ſtatuti, ſeu conſtitutionis odioſæ intelligi debent ſecundùm eorum proprietatem, ibid. verſ. debet illa.

Baptiſmi character tollit omnem infidelitatis maculam ibid. in fine.

Iudai-

Iudaizantes si pœnitentes fuerunt Ecclesiæ incorporati, amplius hæretici non dicuntur, num.7.

Vsurarius manifestus post pœnitentiam, & restitutionem factam non dicitur amplius vsurarius, ibid.

Criminosus, seu delinquens non dicitur is, qui tantummodo inquisitus fuit, num.8.

Constitutio Clementis VIII. prohibens descendentes ab Hebræis, non admitti ad Ecclesiastica beneficia, non trahitur ad transuersales, ibid.

Capitulum non est legitimus contradictor aduersus prouisum de beneficio à summo Pontifice, cum dispensatione etiam quòd à Iudæis descendat, ibid.

Clericatus probatur ex litteris patentibus Episcopi, n.10.

Liber Baptismi probat vbi quis natus est, ibid. vers. apparet.

Possessio beneficij probatur per testes deponentes de visu beneficiatum possedisse, num.11.

Valor beneficij probatur per testes deponentes de fama, ibid in fine.

DECISIO CCCLV.

1 FRanciscus Cardosius de Oliueira obtinuit à Sanctissimo de Canonicatu in Colimbriensi Ecclesia per resignationem sibi prouideri, & litteris expeditis Capitulum sub prætextu subreptionis earum executionem denegauit. Vnde causa in partibus coram diuersis iudicibus agitata, bis fuit ad eiusdem Capituli fauorem pronunciatum, litteras videlicet vti subreptitias executionem non mereri, sed per viam appellationis causa in Rota coram Reuerendissimo D. meo Damasceno introducta ex capite nullitatis & iniustitiæ fuerunt dictæ sententiæ reuocatæ, & eadem causa nuper ad me deuoluta, dubitaui super confirmatione dictæ sententiæ Rotalis, quam Domini esse confirmandam censuerunt.

2 De illius enim validitate non controuertitur. De iustitia pariter satis constare visum fuit ex decisionibus factis. Nam Sanctissimo Franciscus exposuit se ab Hebræis nouiter ad Catholicam fidem conuersis infra septimum, vltra tamen secundum gradum descendere, & ob id sibi Clementis VIII. constitutionem obstare, per quam ab Hebræorum genere, vel stirpe descendentes ex paterna, seu materna linea, vel earum altera vsque ad septimum gradum inclusiuè ad Ecclesiastica beneficia redduntur inhabiles. Cui constitutioni Sanctissimus D. N. derogando, Franciscum ad huiusmodi Canonicatum dispensauit, cum clausulis & derogationibus amplissimis etiam respectu aliarum constitutionum in contrarium facientium, licèt esset de illis expressa facienda mentio. Quarum clausularum vigore, satis dictæ constitutioni dicitur derogatum, etiamsi de illa specialis habita mentio non fuisset. Alex. *cons.7. nu.7. lib.4. & cons.134. nu.7. ad finem versic. & idem in effectu lib.1. & cons.355. num.12. lib.6. & cons.242. nu.11. eod. lib.* Florian. *in l. si mihi & Titio. §. final. num.7. ff. de legat.1.* Bald. *in l. omnes in prima lect. num.2. Cod. de præscript. 30. ann.* Curt. iun. *cons.110. num.32. vers. præterea.* Felin. *in cap. nonnulli num. 6. de rescript.* Paris. *cons.1. num.92. & sequen. lib.2.* Gozzadin. *cons.6. nu.54. & consil.92. nu.9.*

3 Sicut pariter Franciscus dicitur ad istum Canonicatum verè dispensatus, cùm nefas sit de potestate summi Pontificis dubitare, qui absolutam, & omnimodam potestatem habet ad Ecclesiastica beneficia dispensandi *cap. à nobis, de decimis,* vbi gloss. *cap.2. de præben. in 9. cap. proposuit, de concess. præben.* Abb. *in quæstione* 1. incipit, *Episcopus, sub num.1.* Felin. *in cap. fin. num.7. & 8. de maior. & obed.* Milis. *in verbo dispensare potest Papa.*

Quòd autem narrata in dispensatione sint iustificata, constat ex articulis & testibus pro parte Capituli examinatis, ex quibus clarè patet auos, & Francisci parentes fuisse Christianos, & sic ipsum infra secundum gradum, vt exposuit, ab Hebræis non descendere. 4

Non obstat Clementis octaui constitutionem non solùm de filiis Hebræorum, sed vlteriùs de Christianorum Iudaizantium filiis esse intelligendum, cùm isti peiores habeantur. *cap. si refugientes, de pœnitent. distinct.4.* & sic illam obstare Francisco, cùm à dictis parentibus ipsum descendere prætendatur. Nam vltra quòd per necesse non probatur illum à Christianis Iudaizantibus originem trahere, cùm testes pro Capitulo examinati ad probandum illius auiam paternam vti Iudaizantem fuisse pœnitentiatam, non benè in dicto concludant, quod tamen à Capitulo de obiecto dante concludenter esset probandum. *cap. super his, de accusation. cap. accedens, de election.* Rot. *decis.8. & 9. de except. in nouis.* Mohedan. *decis.130.* Paris. *cons.104. num.2. & 62. lib.4.* Sarnen. *in reg. de infirm. quæst.36.* & fuit dictum in Toletana Canonicatus 10. Decembris 1608. coram Reuerendissimo Domino Lugdunen. Cùm tamen constitutio prohibens descendentes à Iudæis admitti ad Ecclesiastica benficia, sit odiosa, necnon exorbitans à iure communi. *cap. eam te, de rescript.* vbi Abb *nu.7.* Felin. *num.12.* Ripa *num.29 vers. vltimò nota, cum seq.* Lambert *de iurepatr. lib.2. part.1. quæst. 2. art.19.* & fuit dictum in Placentina Canonicatus 8. Aprilis 1585. coram Illustrissimo Cardinali Blanchetto, & in Toletana Portionis 27. Iunij... coram Cardinale Mantica, debet illa iuxta verborum proprietatem intelligi. Federic. de Sen. *cons.72. num.2.* Alexand. *cons.77. num.9. vers. non obstat lib.1.* Paris. *cons.29. num.14 lib.4. & cons.30. num.16. eod. lib.* Secundùm quam filij Iudaizantium non dicuntur Hebræorum filij, cùm effecti fuerint Christiani per Baptismum, in quo indelebilis character imprimitur, ex sacro Tridentino Concilio *sess. 7. de sacram. can.9.* & omnis deletur infidelitatis macula. *gloss.2. in cap. sine pœnitentia. de consecrat. distinct.4. & gloss. in cap. quod autem, in verbo pœnitentiæ 32. quæst.1.* Card. Butr. & Imol. *in cap. de his, de accusat.* 5

Nec valet dicere Clementis constitutionem si de Hebræis tantùm, nec de filiis Iudaizantium etiam intelligatur, elusoriam reddi, cùm de tempore, quo illa emanauit, nulli adessent ex Iudæis descendentes, quia tunc omnes adulta iam ætate fuerant baptizati, ex Oieda *in tract. de incompat. benefic. part. 1. cap.27.* Hic enim author non loquitur de Portugalliæ regno, à quo Franciscus trahit originem, dato tamen quòd verificatur in regno Portugalliæ de dicto tempore nullos Hebræos extitisse; poterant nihilominus isti superuenire, vel etiam eorum descendentes intra septimum gradum adesse, iuxta dictam constitutionem, quæ proinde non esset elusoria, cùm suum sortiretur effectum. 6

Vlteriùs etiam quòd eadem constitutio de Iudaizantibus loqueretur, non tamen esset intelligenda de his qui Ecclesiæ fuissent incorporati, cùm isti ampliùs hæretici non dicantur. *cap. statutum il 2. de hæret. in 6.* vbi Ioan. Monach. & Ioan. Andr. *sub num. 1. in verbo probantur.* Anchar. *in 3. notab.* Franc. *in vlt. notab.* Vt in simili videmus in vsurario manifesto, 7

qui post pœnitentiam & restitutionem factam, non dicitur amplius vsurarius. *cap. cùm tu, in princ. de vsur.* Franc *in dicto c statutum in 3 notab. in fine, de hæret. in 6.* & propterea dato etiam quòd probaretur Francisci auiam fuisse condemnatam; quia tamen eadem incorporata fuit Ecclesiæ, non diceretur amplius Iudaizans, nec Francisco nepoti noceret, ex allegatis.

8 Non obstat ipsius Francisci parentes fuisse de Apostasia condemnatos, quia tale obiectum in facto non iustificatur; & licèt adsit inquisitio, non ideo tamen delictum & condemnatio probatur. Prout nec pariter iustificatur dicti Francisci transuersales eodem morbo laborasse: dato tamen quòd probaretur, non obstet, cùm ista constitutio tanquam pœnalis de transuersalibus non loquens, ad illos non veniat extendenda, vt fuit dictum in allegata Toletana portionis coram Mantica, & in alia Toletana Canonicatus coram Reuerendissimo Lugdunen.

9 Non obstat in dispensatione saltem faciendam fuisse mentionem de huiusmodi præsumptis defectibus. Nam ex quo constitutio de accusatis & reconciliatis non loquitur, super talibus defectibus non erat opus dispensationem petere, & consequenter nec illos exprimere.

10 Quoad reliqua narrata, illa non indigent in præsenti casu iustificatione, cùm non dicatur Capitulum in hoc legitimus contradictor, vt tenuit Rota in Oritana Archipresbyteratus 2. Decembris 1589. coram Orano, & in Pacen. Prioratus 23. Iunij 1588. coram Mantica, & in Barchinonen. Canonicatus 9. Martij 1598. coram Illustrissimo Mellino, & in Pacen. Canonicatus, vel Puritatis 14. Decembris 1609. coram R.P.D. meo Manzanedo & in omnem euentum illa sunt plenè iustificata. Primò enim Francisci Clericatus ex litteris patentibus Episcopi probatur. Felin. *in cap. post sessionem num. 3. & nu. 15. de probationib.* Seraph. *decis. 713. num. 1. part. 2.* Apparet similiter illum esse de ciuitate Colimbriensi per testes & librum Baptismi, Rebuff. *in tractat. de registr. num. 15. vers. 6.* Gonz. *super reg. 8. gl. 9 §. 1. num. 112.* Sebastian. Sapia *in l. de ætate num. 33. de minoribus.*

11 Quòd resignans per viginti annos Canonicatum possederit, ex iisdem testibus patet de visu deponentibus, quod sufficit. Bald. *in l. data opera num. 34. vers. Item nota. C. de his qui accus. non poss. & in auth. qui iurat. num. 4. C. de bon. auth. iud possid.* Alex. *cons. 51. num. 6. lib. 1.* Dec. *cons. 302. nu. 19. post med.* Ruin. *cons. 168. num. 2. lib. 4.* Bald. *in repet. l. Celsus in 1. quæst. num. 4. ff. de vsucap.* Pontan. *de spolio lib. 2. num. 94.* Seraph. *decis. 1061. num. 1* Cæsar. de Graff. *decis. 14. de restit. in integr.* De Canonicatus valore ex eisdem testibus de fama deponentibus constat, quod satis videtur cùm valor fuerit expressus per non excessum. Ægid. *decis. 678. & 683.* Put. *decis. 29. lib. 1.* Seraphin. *decis. 962. num. 2. part. 2.*

12 Non obstat huius Canonicatus resignationem iuxta Gregorij XIII. constitutionem publicatam non fuisse, quia tale obiectum ex facto tollitur, cùm de valida publicatione in actis appareat, & in omnem euentum fuit gratia restitutionis & dilationis temporis, respectu dictæ publicationis ad cautelam obtenta, quæ sufficeret, etiamsi de publicationis nullitate constaret.

R. P. D. RAMBOLDO.

Romana Societatis officij. Lunæ Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Societatem officij quis nō superlucretur ex eo quòd vitæ translatio sit in alium facta, nisi eadem translatio fuerit non solùm intimata, & reproducta, verùm etiam in margine instrumenti annotata, ex constitutione Pontificis.

SVMMARIVM.

Societatem officij quis non superlucretur ex eo quòd vitæ traslatio sit in alium facta, nisi eadem translatio fuerit non solùm intimata, & reproducta, verùm etiam in margine instrumenti annotata, ex constitutione Pontificis, num. 1. & per tot.

Forma censetur à lege data, quando eadem lex aliquid de nouo introducit, ibid. in fine.

Nullum quod est ex omissione formæ, non potest per subsequentes actus, imò, nec etiam ex partium consensu conualidari, nisi forma fuerit specificè adimpleta, num. 4.

DECISIO CCCLVI.

Conclusum fuit D. Fabium per mortem Martiæ non fuisse superlucratum societatem, quia ex lectura instrumenti apparet, quòd dicta societas inita fuit sub periculo vitæ Faustinæ Monialis, & consequenter non poterat per mortem Martiæ superlucrari.

Non obstat quòd prætenditur fuisse translatum periculum vitæ de persona Faustinæ in personam Martiæ, quia cùm iuxta constitutionem S.D.N. huiusmodi translationes non solùm debeant intimari, & reproduci, verùm etiam in margine instrumenti adnotari, & hæc adnotatio in casu isto deficiat, d. prætensa translatio fuit nulla. *cap. cùm dilecta. de rescript. l. cùm hi. §. si prætor. ff. de transact.* Alexand. *consil. 212. num. 2. lib. 6. & consil. 137. num. 15. lib 2.* Rom. *consil. 203. num. 2. & cons. 236. num. 8.* Ias. *cons. 141. num. 1. in fin. & seq.* Surd. *decis. 268. num. 8.* nec propterea potest d. Fabio suffragari, & maximè quia d. constitutio ne dum dat formam iuxta not. per Anchar. *cons. 241. sub nu. 6.* & Surd. *decis. 268. nu 9.* vbi quòd quando lex aliquid de nouo introducit, quicquid ibi exprimitur est reputandum de forma, sed vlterius etiam procedit annullando translationem aliter factam, dum expresè disponit, quòd cuiquam non prosit. Felin *in cap. cùm dilecta, sub num. 6. vers. quintum signum, de rescript.* Boër. *decis. 1. num. 45.*

Nec placuit Dominis interpretatio à Scribentibus pro Fabio, verbo, *cuiquam*, data, quòd scilicet referendum sit ad solum transferentem, quasi dicta constitutione caueatur, quòd translatio aliter facta cuiquam transferenti non prosit, quia visa fuit hæc interpretatio satis mendicata, & quòd verus, & germanus sensus dd. verborum sit, quòd cuiquam ex contrahentibus non prosit. Quod & eo magis suaderi putabant, quia inter contrahentes seruari debet æqualitas, & d. interpretatione supposita contractus claudicaret, vt benè animaduertunt informantes pro Marco Antonio.

Nec obstat quòd onus curandi, vt d. adnotatio fieret, spectabat ad M Antonium, ac propterea absurdū non est quòd in ipsius præiudiciū habeatur translatio

flatio pro perfecta; secus verò ad illius cōmodum, atq; ita contractus in hac parte claudicet, Bart. *in l. non dubium num.* 13. & 26. & ibi Ias. *num.* 9. *C. de leg.* Surd. *decis.* 102. *num.* 24. Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 1. *gl.* 2. *num.* 9. Quia præterquam quòd aliqui ex Dominis sentiebant, quòd cùm ex dispositione d. constitutionis adnotatio fieri deberet à Notario, illius omissio potius imputanda sit Fabio, qui tractat de lucro captando, quàm M. Antonio, qui agit de damno vitando, vt in simili tenuit Rot. coram Achill. de Grass. *decis.* 1. *in fin. de fid. instrum.* fuit etiam dictum quòd quatenus aliqua culpa in transferente considerari posset, illa satis remanet punita eo ipso, quòd translatio per ipsum facta, ei non suffragatur, & societas remanet sub periculo vitæ prioris personæ ab ipso nominatæ, cùm præsertim nulla iustitia suadeat, quòd societas subsit periculo mortis personæ, tam primo loco, quàm etiam in translatione nominatæ, atque ita vtriusque, quòd necessariò dicendum foret si translatio esset, vt prætenditur, in commodum transferentis nulla, & in ipsius præiudicium perfecta.

4 Non obstat quòd dato etiam quòd d. translatio ab initio fuerit nulla, censetur conualidata per aliam translationem postea factam in personam Illustrissimi D. Cardinalis Burghesij, qui actus ab initio nullus, ex omissione formæ, non potest per actus subsequentes, & immò etiam ex partium consensu conualidari, nisi forma fuerit specificè adimpleta, gloss. *in cap statutum, in verbo, committitur, & in cap. dispendia, in verb. processus, de rescript. in* 6. Bald. *consil.* 283. *in princ. lib.* 4. Capic. *decis.* 9. *num.* 17. Surd. *decis.* 122. *num.* 3. & fuit dictum in vna Bononien. dotis 1. Iulij 1615. coram R. P. D. meo Manzanedo, ac propterea donec non ostendatur fuisse d. translationem in margine instrumenti, prout requirit dicta S. D. N. constitutio adnotata, semper remanet nulla, ex suprà deductis, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Vallisoletana iurisdictionis. Veneris 9. *Decembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Deuolutio conuentionalis non incurritur nisi per factum contrarium cum dolo, & pactum resolutiuum non censetur in singulis capitulis repetitum.

SVMMARIVM.

Pactum resolutum contractus in contractu appositum seruandum est probata contrauentione, num 1.

Deuolutio quæ non venit ex natura contractus, sed ex conuentione, pœnalis est, & ad effectum incidendi in eam non bene infertur à facto vnius personæ ad factum alterius, num. 2.

Dolus cessat data causa rationabili, & sine dolo non est locus deuolutioni & pœna, etiam conuentionali, num. 3. & 4.

Pactum resolutiuum si non fuerit repetitum post singula capitula, inobseruantia illius capituli, in quo non est repetitum, non inducit pœnam deuolutionis conuentionalis, num. 5.

Onus in contractibus non præsumitur repetitum, n. 6.

Contrauentio non nisi per actum contrarium probari potest, num. 7.

DECISIO CCCLVII.

Sententia Rotalis per contradictas confirmans sententiam Abbatis oppidi Medinæ, fundatur super inobseruantia, & pacto resolutiuo in contractu cum Fratribus Trinitariis apposito, cui locus esse debet probata contrauentione. *l* 1. *ff. de leg. commiss.* Tiraq. *de retract. conuent.* §. 1. *gloss.* 7. *n.* 3. cum aliis allegatis in decisione in hac causa facta sub die 20. Iunij 1614. & à veritate, & subsistentia eiusdem inobseruantiæ nunc pendet iudicium restitutionis in integrum per Fratres prædictos intentatum. 1

Vnde proposito dubio, an constet de causis restitutionis in integrum, Domini voluerunt in particulari disputatione examinare contrauentionem respectu celebrationis Missarum, alias verò contrauentiones dixerunt non obstare.

Prima namque contrauentio deducitur ex eo quòd probatum fuerat Fratres non obseruasse disposita *in cap.* 5. de perpetuando officio Priorissæ ad vitam D Mariæ Velasquez patroni fundatoris filiæ; quæ tamen ab officio fuit amota, vt deponunt 8 9. 10. & 11. testes super articulo.

Verùm eam non obstare dicebatur, quia testes non concludunt de facto patris Ministri, sed Monialium, propterea vbi agitur de materia pœnali, prout est quando quis cadit à commodo contractus, Seraphin. *decis.* 794. *num.* 23. non bene infertur de facto vnius personæ ad factum alterius, *l. sancimus, de pœnis, l. ob meritorum. C. ne vxor. pro marito. l. si pœna. ff. eod. tit.* 2

Vltra quòd etiam respectu Monialium causa annotationis rationabilis fuit, quia ex constitutionibus eiusdem Ordinis officia prædicta post lapsum triennij absque dispensatione obtineri non poterant, vnde data causa rationabili cessat dolus, Hondded. *consil.* 105. *num.* 23. & 24. *lib.* 1. 3

Et eo circumscripto pœnæ etiam conuentionali locus esse non potest. Menoch. post alios *consil.* 165. *num.* 10. & *sequentibus.* 4

Nec vrgebat quòd dispensatio iuxta deposita in eodem capitulo obtineri debebat ab eisdem fratribus, & eorum sumptibus, quia onus obtinendi dispensationem non videtur respicere totum tempus vitæ D. Mariæ, sed vt extrahi posset è monasterio in quo extabat, & ingrederetur monasterium conceptionis Trinitariæ pro Priorissa, quod factum fuit.

Rursus omissio prædicti oneris non subiacebat pacto resolutiuo, quia post prohibitionem, ne D. Maria posset remoueri à Prælatura, dictum fuit sub pœnis contentis in dotatione, & deinde additum fuit onus obtinendi Bullam absque repetitione resolutionis contractus in casum inobseruantiæ. 5

Et de iure in contractibus onus non censetur repetitum. *l. quicquid adstringendæ ff. de verborum obligationibus.* 6

Secunda contrauentio colligebatur, quia in 8. capitulo cautum erat quòd fratres nullam inferrent impensam monasterio, nec Monialibus pro eorum prandio, & in 10. capitulo prohibetur, ne fratres possint sumere cibum in dicto monasterio, nec Moniales illis dare, aut pro aliquo cibos coquere; & nihilominus dicebatur ex testibus datis super 10. & 11. articulo probari fratres leuasse supellectiles

albas ex dicto monasterio pro Prælatis monasterij & hospitibus,& Moniales recusantes eas dare,contumeliosis verbis fuisse per fratres oneratas.

7 Verùm & huiusmodi oppositio ad concludendam contrauentionem capitulorum non videbatur releuans, quia capitula de supellectilibus non loquuntur, sed tantummodo de impensa victus, vel circa victus præparationem, & ideo vbi agitur de contrauentione, non nisi per contraria probari potest.

Tertia contrauentio præsupponebatur commissa contra *cap.9.* vbi fratres prohibentur impedire conuocationem Prædicatorum alterius Ordinis, & etiam confessorum,saltem pro quatuor diebus quolibet anno respectu confessorum, cuius contrarium videntur concludere testes examinati super 8. articulo.

Hæc pariter probatio visa est Dominis non concludens, quia testes non deponunt secundùm formam dicti capituli 9. disponentis teneri fratres Trinitarios concedere concionatores, & confessores alterius Ordinis quotiescumque Priorissa petierit: vel patronus, & tamen de hac petitione facta per Priorissam,& de denegatione,testes non affirmant, & contrarium deponunt Moniales eiusdem Ordinis super quarto articulo in processu fratrum.

Et ita,&c.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana censu Veneris 9. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij non tenetur vltra vires hæreditarias, si inuentarium fuerit legitimè confectum, aliàs secus.

SVMMARIVM.

Testamenti exceptio non inducit nouam conuentionem, num.1.

Hæres cum beneficio legis, & inuentarij non tenetur vltra vires hæreditarias num.1.& 2. vbi quòd hoc fallit quando inuentarium non est legitimè confectum, & num.3.vbi dato legitimo inuentario legata quomodo minuenda sint.

DECISIO CCCLVIII.

1 CVm aliàs Domini de Montoriis matrimonio collocassent Lauram eorum sororem D. Ioanni Antonio Citarellæ cum dote scutorum, remanentque debitores pro residuo dotis pro scutis 5000. vendiderunt eidem Citarellæ quoddam eorum palatium pro scutis 10300. qui Citarella excomputauit dicta scuta 5000. & pro residuo assumpsit in se onus extinguendi tot census per dictos fratres super eodem palatio impositos, & interim soluendi fructus, & liberandi dictos fratres ab omnibus molestiis, decessit D. Laura institutis hæredibus fratribus, & factis multis legatis, & inter alia disposuit, quòd dicti hæredes tenerentur in restitutione suæ dotis recipere palatium pro eodem pretio, quo fuit datum Citarellæ suo marito, reficiendo illi quicquid soluisset; cùm verò post dictam mortem egisset Dominus Federicus vnus ex dictis fratribus contra Citarellam pro extinctione prædictorum censuum,& solutione fructuum decursorum,opposuit Citarella de prædicto testamento, quod mediante aditione habet vim nouæ conuentionis, & Rota primò coram Cardinale Ludouisio censuit talem exceptionem non obstare, mandatúmque contra Citarellam esse relaxandum, prout relaxatum fuit; postea verò coram me retinuit cõtrarium die 12. Nouembris 1610. & denuo sub die 20. Maij 1611. ideoque mandauit supersederi in executione; sed quia allegabatur hæreditatem fuisse aditam cum beneficio legis & inuẽtarij,& ideo hæredes non teneri vltra vires hæreditarias, iuxta iuris regulas, & consequenter in eo quòd hæreditas excedit vires hæreditarias, remanere integrum, & in suo robore creditum, quod ipsi fratres acquisiuerũt contra Citarellam per contractum venditionis dicti palatij; ideo sub die 14. Martij 1614. dubitaui an hæræditas Lauræ esset soluendo ad effectum de quo agitur? & pro affirmatiua fuit tentum,causáque proposita hac die super eisdem DD. perstiterunt in decisis, quia hoc quòd hæreditas non sit soluendo, incumbit hæredibus probare,cùm præsupponatur soluendo. *l. libertus, qui soluendo. ff. de bon. libert. l. hæreditatem ff. mand.* Alexand. Ias. & alij *in l. fin. ff. si cert. pet.* Mandel. Alban. *consil.214. num.3. lib.2.* Seraph. *decis.1394. numer.5.* & Rota in Bononien. de Bouiis 20 Martij 1615. coram me. Hoc autem quòd hæreditas non sit soluendo, fuit minimè probatum per hæredes.

Primò, quia non apparet de legitima confectione inuentarij, quo defectu stante etiamsi adiuissent cum benef. leg.& inuent. tenerentur simpliciter,& absolutè,perinde ac si non adiuissent cum dicto beneficio. *§. si verò non fecerit inuentarium*, vbi Bart. *numer.1. auth. de hæred. & falcid.* Seraph. *decis.* 1311 *num.2.* Peregrin. *de fideicom. artic.33. num.1. vers. cùm autem hæres*, Rota *decis.72. num.49. & 7. part.2. diuers.*

Secundò, quia adhuc non est stabilitus valor hæreditatis, cùm non appareat de valore palatij tempore aditæ hæreditatis.

Tertiò, quia etiamsi hæreditas non omnino sufficeret pro soluendis legatis factis per Lauram, non per hoc possent præcisè exequi mandatum contra Citarellam vigore promissionis per illum factæ ante testamentum Lauræ, quia certum est ipsum non teneri in totum, sed esse sibi faciendam diminutionem quantum suppetunt vires hæreditariæ, & illud quod deficit non esse in totum detrahendum ex suo legato, sed omnia legata essent ad ratam diminuẽda, & proinde cùm certum sit D. Citarellam iam extinxisse partem istorum censuum, non potest per hæredes Lauræ etiam cum benef. leg. & inuent. agi pro extinctione residui, nisi facto computo, & pars per illum extincta importet illud quod deficit in hæreditate pro integra consequutione sui legati.

Quò verò ad illud quòd D. Federicus sit tantùm hæres pro quinta parte, vnde ad peius pro illa tantùm rata teneatur excomputare creditum Citarellæ, fuit responsum dictos fratres donasse omnia bona prædicto Federico, qui propterea solus egit ad restitutionem dotis Lauræ.

R.P.D.

R.P.D. BVRATTO.

Romana de Marganis. Veneris 9. Decembris 1616.

DECISIO CCCLIX.

Impressa habetur post Merlinum de legitima, decis. 11.

R.P.D. PIROVANO.

Leodien. Dominij del Varfuse. Lunæ 12. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Sententia lata contra matrem, non afficit contra filium, non obstante consuetudine quòd contra maritum cœpta reassumatur contra vxorem, & tutela matris non præsumitur, sed probari debet.

SVMMARIVM.

Sententia nulla, & inualida quantumuis iusta executioni non demandatur, num. 1.

Sententia dicitur nulla si iudicium fuerit motum contra maritum, & eo interim mortuo prosecutum contra vxorem, & sententia contra eam lata, num. 2.

Sententia non afficit contra non nominatum in ea, n. 3.

Sententia lata contra matrem non afficit contra filium, si mater non tanquam tutrix fuerit conuenta & condemnata, nec iustificantur solemnitates tutelæ, numero 4.

Mater non est legitima administratrix filiorum, num. 5. & sine suscepta tutela illis nocere non potest, num. 6. & de contraria consuetudine, num. 7.

Officialis non potest facere litteras testimoniales super consuetudine, quia eius officium est iudicare, non attestari, num. 8.

Actus ad validitatem præsumuntur interuenisse omnes solemnitates requisitæ ad illum actum, num. 9. declara vt num. 10.

Officia priuata vt est tutela non probantur præsumptiuè & communi reputatione, eod. num. 10.

DECISIO CCCLX.

PRæsens causa dominij vel Varfuse, quæ prius inter partes coram officiali Leodien. & Decano sancti Petri Leodien. agitabatur, & prætendebatur per Doctor. Renatum filium Federici esse in statu exequibili, introducta fuit in hoc sacro tribunali cum clausula, vt procederetur ad legitimam exequutionem, & dubio proposito, an sit locus exequutioni, negatiuè fuit resolutum.

1 Quia etsi sententia officialis Leodien. lata ad fauorem Federici, cuius personam D. Renatus eius filius hodie repræsentat, dici possit iusta, ex decisionibus in alia causa dominij de Eldren. factis, & sententiis in Rota latis; tamen cùm visa fuerit nulla & inualida, ideo exequutioni non valet demandari.

2 Nullitas autem desumitur ex eo, quòd licèt causa quoad istud dominium de Varfuse fuerit intentata contra Guglielmum viuentem; tamen eo defuncto coram eodem officiali Leodien. fuit prosequuta contra Annam eius vxorem, tanquam reassumentem causam in statu & terminis, & sententia contra ipsam vti ream conuentam fuit lata.

Vnde sententia vel non afficit D. Renatum filium Guglielmi in sententia non nominatum. gloss. *in l. si de vnoquoque, in verbo quos causa. ff. de re iudicata.* Dec. *consil.* 564. *num.* 8. 3

Vel ex persona eiusdem Annæ matris afficere non potest, quæ tanquam tutrix D. Renati, neque conuenta, neque condemnata fuit, neque eo nomine condemnari potuisset, dùm non iustificatur sibi tutelam fuisse decretam, & in illa sibi decernenda solemnia iuris fuisse adhibita, prout necessarium est. 4

Postquam in matre cessat præsumptio officij legitimi administratoris. *l. qui alienat. §. quamquam ff. de neg. gest.* Grauet. *consil.* 36. *num.* 6. 5

Et nisi tutelam accipiat certum est, quòd filiis nocere non potest. Bald. *in auth. matri & auia. Cod. quando mulier tutelæ officio fungi potest, & consil.* 34. *vol.* 2. quem refert, & sequitur Gabr. *consil.* 36. *numer.* 33. *vol.* 1. 6

Non obstat quòd prædicta non procedant in terminis consuetudinis patriæ Leodien. per quam seruatur vt post obitum viri, vxor citata reassumat & prosequatur causas sui mariti, & contra matrem procedatur absque alia solemnitate, de qua dicitur fuisse ostensum in simili causa Leodien. fideicommissi coram R.P.D. Caualerio, & ex attestatione officialis Leodien. quæ producta fuit. 7

Quia ex resolutis in illa causa non iustificatur huiusmodi consuetudo, neque litteræ testimoniales officialis super consuetudine debent attendi, cùm non habeat officium attestandi, sed iudicandi, vt in terminis dicit Abb. *consil.* 53. *ante numer.* 2. *part.* 2. 8

Non obstat, quòd dum Anna mater fuit citata ad reassumendam causam, & reassumpsit, præsumantur cum reassumptione omnia solemnia de iure requisita pro validitate actus interuenisse. Cassad. *decis.* 21. *num.* 1. *de præbend.* 9

Quia Cassadorus loquitur quando aliàs certitudo actus haberi non potest, sed in præsenti deputatio tutelæ non pendet ab accidenti, sed à formalitate actus, quæ in respicientibus officia priuata & tutelas non contentatur præsumptione, vel communi reputatione. Bart. *in l. Barbarius n.* 10. *ff. de offic. prætor.* Gabr. *consil.* 36. *num.* 35. *lib.* 1. 10

Ideo & parum releuaret, quòd Anna expresso nomine tutricis causam reassumpsisset, vel sub eodem nomine sententiam passa fuisset, quia non nisi tutela decreta, & acceptata filiis nocere potest, vt suprà dictum est.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Anconitana computorum. Veneris 9. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Priuata scriptura quando & in quibus casibus probet pro scribente, literæque ad

aliquem transmissæ, & acceptatæ nunquid probent contra acceptantem, præsertim si fuerint ab eo productæ in iudicio, & compulsum.

SVMMARIVM.

Priuata scriptura non probat pro scribente, num. 1.
Epistola, seu litteræ transmissæ ad aliquem, & ab eo acceptatæ probant contra acceptantem, num. 2.
Producens scripturam censetur fateri omnia in ea contenta, ibid. & quid si productio fuit facta per compulsum, num. 3.
Scriptura priuata probat pro scribente, quando continet aliquas partitas quæ verè deteguntur, ibid. Item probat in partitis verisimilibus, num. 4.

DECISIO CCCLXI.

1 Finita societate inter Maffettos, Gentilem & Iulium Cæsarem Conuentatum, cùm fuisset Conuentatus vti societatis præfectus conuentus à Gentilibus pro redditione rationis, causa fuit de partium consensu, & appellatione remota commissa R.P.D. Taurello, qui declarauit Conuentatum in pluribus patitis Gentilium debitorem pro summa scutorum mille octingentorum & quinquaginta nouem: sed introducta coram me causa restitutionis in integrum, dubitaui, an constaret, de causis dictæ restitutionis. Verùm Dominis placuit solùm hodie cognoscere de iustificatione partitæ scutorum nongentorum quadraginta trium, primo loco in dicta sententia contentæ, quam ex computatis Gentilium ad Conuentatum transmissis fuit dictum esse iustificatam; licèt enim regulariter priuata scriptura pro scribente non probet, Doct. *in l. exemplo, & l. rationes*, vbi præsertim Bart. Bald. & Castren *in princip. C de probationibus*. Ias. *in l. admonendi. ff. de iureiurand.* Alexand. *consil. 77. numer. 8. lib. 1.* Rot. *decis. 781. part. 1. diuersor.*

2 Quia tamen in casu nostro computa per Gentiles fuerunt transmissa Conuentato, à quo cum sine vlla contradictione fuerint acceptata, ab eodem etiam approbata dicuntur, iuxta latè tradita per Surd. *decis. 199 num. 7. & seq.* Rota *decis. 811. num. 9. & seq. part. 1. diuersorum.* Rota Ianuen. *decis. 14. nu 4.* stante præsertim quòd Conuentatus ad probandum suum creditum illa produxerit. Bart. *in l. fidem. §. numularius num. 2. versic. Vnde puto*, vbi Angel. *num. 3. versic. sequitur. ff. de edendo.* Paris. *consil. 90. numero 2. & 25. lib. 1.* Aym. *consil. 275. num. 3 4. & seq.* & fuit dictum in Romana lignorum 7. Martij 1602. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto, & in Romana pecuniaria 19. Februarij 1596. coram Cardinale Mantica.

3 Et quamuis hæc productio fuerit per compulsum, necnon in parte & partibus, cùm tamen in dictis computis fundet Conuentatus intentionem suam, illa tenetur in omnibus approbare. Rota Ianuen. *decis. 72. num. 4.* Osasch. *decis. Pedemont. 38. nu. 29. & decis. 71. num. 61.* Tanto magis, quia plures ex partitis in eis descriptis ex ipsius Conuentati confessione & computis per eundem datis iustificantur. Castren. *consil. 302. num. 4. lib. 1.* Aym. *consil. 198. num. 6. & consil. 158.* Menoch. *præsumpt. 63. numer. 10. lib. 3.* Rota *decis. vlt num. 15. part. 1. diuersor.* & fuit dictum in Romana pecuniaria 24. Nouembris 1592. coram Cardinale Blanchetto.

Accedit pariter verisimilitudo orta ex causis expressis in dictis partitis, quibus propterea standum videtur. Aym. *cons. 75. n. 23.* Dec. *cons. 510. n. 1.* Rota *decis. 375. num. 3. & 776. num. 3 part. 1. diuersor.* 4

R. P. D. VBALDO.

Romana melioramentorum. Veneris 9. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Immisso in possessionem auctoritate iudicis datur manutentio, nisi constet de nullitate, vel notoria iniustitia immissionis, & sententia in possessorio continens mixturam est appellabilis.

SVMMARIVM.

Manutentio in possessionem datur possidenti auctoritate iudicis quòd ritè, & rectè processit in immittendo, nisi probetur, illum fuisse nulliter, & iniustè immissum, numero 1.
Iniustitia debet esse patens, & notoria, & quæ nullo velamine possit offuscari ad hoc, vt immissus deiiciatur à sua possessione, num. 2.
Hypotheca est primum extremum requisitum in Saluiano, qua deficiente non potest dari immissio, num. 3.
Iniustitia notoria tunc adesse dicitur, quando adest confessio, vel res indicata in contrarium, num. 4.
Manutentio non datur creditori, vel cessionario, nisi cum illis qualitatibus, & conditionibus, quibus daretur ipsi principali debitori, ex regula quod nemo plus iuris, num. 5.
Mixtura in sententia possessoria admittit appellationem, & consequenter ex illa est attentata, nulla, & non manutenibilis, num. 6.

DECISIO CCCLXII.

Domini de Scarlattis fuerunt immissi in possessionem ludi pilæ & hospitij, de quibus agitur per sententiam iudicis in vim Saluiani interdicti: sed Domini de Cibo anteriores possessores commissa causa in Rota, qui non se habuerunt pro spoliatis post alias resolutiones in causa factas, obtinuerunt disputari, quibus esset dandum mandatum de manutenendo; quo dubio proposito Domini responderunt esse dandum Scarlattis; cum modificatione tamen & reseruatione, de quibus infrà, ipsi enim possident authoritate iudicis, qui ritè & rectè procedendo priuauit Cibos sua anteriori possessione. *l. iustè possidet*, vbi Bart. & alij *ff. de acquirenda possessione* Ang. *in l. clam possidere. § qui ad nundinas, numer. 2. in fin.* & ibi Ias. *numer. 20. ff. eodem titul.* Rota *decisione 802. numer. 6. & 7 part. 1. diuers. & decis. 62. numer. 3. & 4. part. 2.* & fuit dictum in vna Augusten. Hospitalis 21. Februarij 1601. coram me, & sæpissimè aliàs: vnde Scarlatti manutenendi sunt, nisi probetur fuisse nulliter, & iniustè immissos. Rota *dicta decisione 802. sub numero 3.* quæ probatio hîc non adest: nam quoad nullitatem nihil deducitur; quo verò ad iniustitiam, nec videbantur obstare latè deducta per informantes, quia ad hunc effectum non sufficit qualibet iniustitia,

stitia, sed debet esse patens & notoria, & quæ nullo velamine offuscari possit, vt fuit latè deductum in causa Romana de Bombellis 31. Maij 1613. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & secuta est Rota in vna Nepesina laudi 13. Februarij 1615. coram R. P. D. meo Caualerio, & fuit dictum in decisione Seraphin. 867. *numero* 1. *part.* 1. *impress.*

3 Talis autem iniustitia non videtur apparere in sententia de qua agitur. nam quod dicitur ex decisionibus in hac causa factis constare, Scarlattos nullam habuisse hypothecam in dictis bonis, atque ideo defecisse primum extremum ad obtinendum in Saluiano necessarium, non videtur posse Cibis suffragari ad effectum de quo agitur; quia omisso, an deducta in dictis decisionibus reddantur saltem turbida, ex latè congestis per informantes pro Scarlattis, præsertim circa probationes versionis pecuniarum acceptarum per Ioannem in causam prætensorum melioramentorum; in terminis *l. interdum ff. qui pot. in pign. hab.* Respondebatur primò per dictas decisiones non excludi penitus hypothecam, sed tantùm ex capitibus tunc discussis. vnde cùm possibile sit Scarlattos obtinere ex alio capite, adhuc non discusso, sententia non potest dici notoriè iniusta.

4 Secundò respondebatur ex decisionibus non dici constare de notoria iniustitia, nisi adsit confessio, vel res iudicata in contrarium, vt fuit dictum in vna Reatina pensionis 28 Ianuarij 1613. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in eadem 1. Decembris 1614. coram me, quas decisiones sequuta est Rota in causa Anconitana bonorum 29. Februarij præteriti, coram R. P. D. meo Buratto.

5 Cæterùm cùm DD. Scarlatti veniant, vel tanquam creditores Ioannis, vel tanquam eius cessionarij, sequitur quòd non debeant manuteneri, nisi eo modo, quo fuisset manutentus Ioannes, ex regula *l. nemo plus iuris ff. de reg. iur.* & sic mediante solutione pensionum facienda Dominis de Cibis, quemadmodum soluebat, vel soluere tenebatur ipse Ioannes.

6 Et demum quia sententia, de qua agitur, licèt lata in possessorio, videbatur continere mixturam, cùm canonizet versionem pecuniarum Aloisij in melioramentis factis per Ioannem, quod videtur respicere petitorium, & ratione mixturæ fuisset data appellatio, & consequenter immissio fuisset attentata, & nulla, & non manutenibilis; ideo Domini concluserunt Dominis de Scarlattis esse dandum mandatum de manutenendo, cum onere tamen soluendi pensiones DD. de Cibis, & nisi obstet mixtura sententiæ, de qua voluerunt particulariter videre.

Et ita decisum, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Cremonen. Altaris. Veneris 9. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Præsentatio facta à pupillo ante legitimam ætatem à testatore declaratam, postponitur præsentationi factę ab administratoribus, & cum rationabili causa licet variare.

SVMMARIVM.

Ætas legitima probatur ex fide Baptismatis, num. 1.
Pupillus ad hoc vt possit legitimè præsentare ad iuspatronatus, sufficit quòd sit maior septennio, num. 2. *declara vt num.* 4.
Præsentatio pupilli maioris septennio est præferenda in concursu præsentationis tutorum, num. 3.
Præsentatio vltima præualet primæ, subsistente causa rationabili variandi, num. 5.
Patronus laicus non potest variare in præsentando in præiudicium præsentati, nisi subsistente rationabili causa, num. 6.
Præsentatus si est nobilis, & sanguine coniunctus testatori, qui instituit iuspatronatus, est præferendus, numero 7.

DECISIO CCCLXIII.

Daria de Summa instituto hærede vniuersali Ioan. Francisco, mandauit, vt idem hæres vel eo nondum ad ætatem legitimam peruento, executores testamentarij ab ipsa nominati, qui erant tres, tenerentur statim post ipsius mortem erigere vnum altare sub inuocatione sancti Francisci, & ad illud nominent Presbyter per dictum hæredem, vel eo ad ætatem legitimam nondum peruento, per dictos executores testamentarios, vel maiorem partem eorum; quos executores deputauit in administratores suæ hæreditatis, & bonorum, donec & quousque dictus Io. Franciscus excederet ætatem annorum 20. ad quem effectum tantùm illos sibi hæredes instituit cum onere restituendi hæreditatem vnà cum fructibus inde perceptis dicto Ioan. Francisco facto maiori 20.

Mortua testatrice fuit erectum dictum altare, & duo ex executoribus ad illud præsentauerunt Sigismundum Stauolum, & Ioan. Franciscus pupillus vnà cum Camillo alio executore præsentauit Benedictum Guidottum, inter quem & Sigismundum orta controuersia super institutione, Ordinarius Cremonen. illam decreuit ad fauorem Guidotti.

Sed postmodum Metropolitanus reuocando sententiam Cremonen. pro institutione Sigismundi pronuntiauit. Vnde tandem causa ad Rotam deuoluta, & mihi commissa, dubitaui quæ sententia esset confirmanda, vel infirmanda? Et Domini hodie pro confirmatione sententiæ Metropolitani responderunt, cùm Sigismundus, ad cuius fauorem illa emanauit, fuerit præsentatus à duobus ex tribus administratoribus, & sic à maiori parte illorum, quibus tunc talis facultas præsentandi competebat, cùm Franciscus hæres esset tantùm annorum 11. vt constat ex fide Baptismatis, Menoch. *præsumpt.* 51. *num.* 56. *lib.* 2. Mandos. *ad reg.* 18. *Cancellariæ quæst.* 10. *num.* 4. & sic ætatis non legitimæ, iuxta expressam mentem testatricis. 1

Quibus non obstat quòd ad hoc vt pupillus possit præsentare, sufficiat illum esse maiorem septennio. Lambertin. *de iurepatronat. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 1. *artic.* 9. *num.* 3. 2

Et in concursu eius præsentatio sit præferenda præsentationi tutorum, Rot. *decis.* 6. *de iurepatronat. in antiquis.* Maximè quia Franciscus præsentauit vnà cum Camillo 3. administratore. 3

Quia prædicta procederent de iure communi, secus stante contraria dispositione testatoris, prout 4

in casu nostro, in quo expresè testatrix dedit facultatem præsentandi administratoribus interim quòd pupillus ætatem legitimam non haberet, quam declarauit fore viginti annorum infrà in alia parte testamenti, in qua vsque ad dictam ætatem deputauit administratores hæreditatis, & illis concessit facultatem exequendi omnia cõtenta in testamento, & sic etiam ius præsentandi, quod est vnum de dispositis in testamento, vnde cùm D. Ioann. Franciscus ex dispositione testatricis non esset habilis pro tunc ad præsentandum, non est consideranda illius præsentatio.

5 Maximè, quia ipsemet habita notitia de præsentatione Sigismundi, variando & recedendo à prima præsentatione à se facta, illam ratificauit, & quatenus opus esset, dedit mandatum ad eum de nouo præsentandum; quæ vltima præsentatio, dato quòd Ioannes Franciscus posset præsentare, præualeret primæ.

6 Nam licèt patronus laicus non possit variare in præsentando in præiudicium primò præsentati; tamen secus est subsistente rationabili causa. Butr. *in cap. cùm laici, num. 5. de iurepatronatu.* Lambertin. 2. *part. 2. lib. 7. quæst. 22. artic. numer. 5.* & fuit dictum in vna Bononien. parochialis 24. Nouembris 1595. coram bo. me. Litta, relata per Modern. *de benefic. part. 5. cap. 9. num. 213.* qualis est illa, qua motus fuit ad variandum Io. Franciscus: nempe, quia ignorabat præsentationem de Sigismundo antea factam per administratores.

7 Et quia dictus Sigismundus erat nobilis, & sanguine coniunctus cum Daria testatrice, qui propterea erat aliis præferendus. Lambert. 3. *part. 2. lib. 5. q. art. 4. per totum*, præsertim *à num. 10.*

Et ita fuit conclusum.

R. P. D. VBALDO.

Romana rescissionis instrumenti. Lunæ 12. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Census si ab vno ex obligatis soluatur, sors principalis principali creditori non censetur extinctus, sed cessus, & translatus, & solutio facta animo acquirendi censum, & potest extingui nomen debitoris in præiudicium hypothecæ, quam super eo habet creditor ante factam denunciationem, & obligatio irreuocabiliter extincta non reuiuiscit, secus si reuocabiliter.

SVMMARIVM.

Census translatus, & cessus non censetur extinctus, quia non animo extinguendi, sed acquirendi censum fructiferum fit solutio, etiamsi solutio facta fuerit ab vno ex obligatis, num. 1.

Emptoris in locum succedit qui ab emptore emit, n. 2.

Enunciatiua facta pendente lite, & sic tempore suspecto non nocet, numer. 3.

Inclusio vnius est exclusio alterius, & ex sequentibus declarantur præcedentia, num. 4.

Actum facere quis præsumitur, prout sibi est vtilius, nu. 5. hoc tamen procedit in dubio, & in actibus æquiuocis, secus in claris, quia in claris non intrat præsumptio, sed veritas, in fine, ibid.

Nomen debitoris remanet hypothecatum ad fauorem creditoris; potest tamen per veram solutionem extingui, etiam in præiudicium hypothecæ ante factam denunciationem à creditore, num. 6.

Fideiussor succedens in locum creditoris remanet liberatus & eius fideiussoria obligatio extinguitur, nu. 7. intellige de successione irreuocabili, secus de reuocabili.

Obligatio in perpetuum extincta non reuiuiscit, secus si reuocabiliter sit extincta sub n. 7. in fine.

DECISIO CCCLXIV.

DOminis placuit decisio in hac causa facta 18. Martij præteriti; quia videbatur niti veris fundamentis; in primis enim subsistit, quòd cùm census non fuerit extinctus, sed tantùm cessus, & translatus in Sabbatinum, illius obligatio tanquam accessoria remansit in suo robore. *§. fideiussores. Instit. de fideiuss.* cum aliis in decisione allegatis, & ita etiam videtur subsistere, quòd Sabbatinus non soluerit animo extinguendi propriam, vel alienam obligationem, sed pro acquisitione census fructiferi, & vt in locum emptoris census succederet, ex latè deductis in eadem decisione. 1

Nec obstare visum fuit quòd ex aduerso excipitur, Sabbatinum emisse d. censum animo se liberandi à sua obligatione; quia in instrumento emptionis, seu cessionis census tale quid non legitur, sed potiùs quòd illum emit animo acquirendi tanquam rem fructiferam, & vt in locum emptoris succederet, iuxta *l. emptor. C. de hær. vel act. vend.* vt in decisione. 2

In instrumento verò transactionis factæ inter Sabbatinum, & Deodatam, licèt enuncietur d. Sabbatinum emisse censum ad liberandum se à molestis, quæ occasione prædictæ obligationis ei possent inferri, tamen fuit responsum dictam enunciatiuam emanasse à Sabbatino tempore litis, & sic suspecto, & postquam Deodata obtinuerat contra Sabbatinum in Saluiano, immitti in possessionem dicti census, & agebat contra eundem pro fructibus eiusdem census; ipse verò allegabat se liberatum propter cessionem census sibi factam à Camillo eius emptore, super quo partes deuenerunt ad præteritam transactionem cum dicta enunciatiua, quæ tanquam facta tempore suspecto, & post contractum, non nocet, vt fuit dictum in vna Maceraten. retractus 4. Iulij 1612. coram me. 3

Immò cùm in fine dictæ transactionis Sabbatinus conuenerit cum Deodata, vt ipsa posset contra alios obligatos in dicto censu experiri, non autem contra personam, & bona dicti Sabbatini, quem, & quæ voluerunt in vim dictæ transactionis, & concordiæ haberi pro liberatis, apertè colligitur quòd priùs in vim emptionis, seu cessionis census Sabbatinus nõ fuerat liberatus, cùm inclusio vnius sit alterius exclusio. *l. cùm prætor. ff. de iud.* & ex sequentibus declarentur præcedentia. *l. si seruus plurium. §. fin. ff. de leg. 1.* cum aliis per Surd. *decis. 8. n. 21.* 4

Non obstat quòd non sit verisimile Sabbatinum noluisse extinguere suam obligationem, cùm hoc non esset sibi vtile, sed potiùs damnosum, & regulariter quis præsumatur facere actum prout sibi vtiliùs est, ad decis. primam Cæsar. de Grass. *de elect.* cum allegatis, quia placuit responsio quòd præter id

id quod Sabbatino potuit esse vtile, non se liberare ab obligatione dicti census, cùm isto modo facilius posset inuenire emptorem, quàm sine sua obligatione, regula allegata procedit in dubio, & in actibus æquiuocis, vt propriè loquitur dicta decis. Cæs. de Grass. 1. *num.* 3. vt quando quis solueret simpliciter, & non appareret in quam causam solueret, sed nos videmur esse in claris, cùm appareat Sabbatinum voluisse emere censum fruct. ferum, & vt fructus ad eius fauorem decurrerent.

6 Non obstat, quòd facta cessione actionis per Camillum in Sabbatinum, Deodata nedum desiit esse creditrix, sed etiam desiit habere nomen Sabbatini debitoris Camilli hypothecatum, tandiu enim manet hypotheca nominis debitoris, quandiu illud nomen manet in bonis debitoris, à quo potest debitum extingui in præiudicium hypothecæ ante factam à creditore denunciationem, vt est text. *in l. nomen*, vbi gloss. *in verb. certior.* Bart. & alij communiter. *C. quæ res pign. oblig. possess.* Bald. *cons.* 25. *num.* 5. *lib.* 1. Negus. *de pignor.* 3. *membr.* 2. *part. princip. num.* 26. *vers. secundò dubitatur*, cum aliis allegatis, & sic videtur potuisse Sabbatinus soluere Camillo etiam in præiudicium hypothecæ Deodatæ, cùm ab ea nulla emanauerit denunciatio Sabbatino, ne solueret Camillo; quia fuit responsum hæc omnia procedere, quando quis reuera debitum extinxit, antequam interuenerit vnum de requisitis. *l.* 3. *C. de nouat.* & in his terminis loquuntur Doctor. ex aduerso allegati, non autem vbi fuit cessus census fructiferus qui etiam hodie extat in rerum natura, & pro illo nihil fuit Camillo solutum à Sabbatino in satisfactionem eius crediti, sed tantùm pro pretio census quem vendidit, & cessit.

7 Nec refragatur quòd fideiussor succedens in locum creditoris remaneat liberatus, eiusque fideiussoria obligatio extinguatur, ad tradit. per Roderic. *de ann. reddit. lib.* 2. *quæst.* 13. *num.* 7. *vers. præterea*, & Felician. *de censib. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 20. *vers. præterea obligatio*; quia placuit responsio quòd licèt Roder. sub d. *num.* 7. id dicat; tamen paulo infrà *num.* 10. limitat, nisi census ex causa vetustiori sine fraude, & collusione euinceretur, quem secuta est Rota in decisione de qua agitur in fine, distinguendo de successione debitoris reuocabili, vel irreuocabili; in quibus etiam terminis debet intelligi Felician. *loco citato*, cùm adducat text. *in l. qui res. §. aream, ff. de solut.* vbi obligatio in perpetuum extincta, non reuiuiscit, quasi secus sit si reuocabiliter, vt in decisione, à qua Domini ex prædictis & aliis, de quibus per informantes pro Deodata, quorum responsiones cæteris ex aduerso oppositis placuerunt, non putarunt esse recedendum, &c.

R.P.D. REMBOLDO.

Cesenaten. supradotis. Lunæ. 12. *Decembr.* 1616.

ARGVMENTVM.

In hac decisione plura, & diuersa notanda explicantur, de quibus in summario, & præsertim de obligatione mulieris, seu minoris, quando valeat facta sine solemnitatibus statutariis, & quando etiam Notarius stipulando ad fauorem absentis illi acquirat ante absentis ratificationem.

SVMMARIVM.

Executiua via agi potest vigore Cameralis obligationis, num. 1.

Promissio conditionalis, conditione adimpleta habetur pro pura, ibid.

Promissio facta contemplatione alicuius euanescit mortuo eo, cuius contemplatione fuit facta ante conditionis euentum. Declara vt n. 2.

Ius ex contractu proueniens conditionale, transmissibile est ad heredes, etiam quòd conditio non exstiterit in vita eius, cui facta est promissio, n. 3.

Hæres non potest impugnare declarationem factam à testatore, n. 4.

Notarius non acquirit absenti, pro quo stipulatur ante eius ratificationem. fallit fauore dotis, item fallit, quia sufficit in fauorabilibus sola scientia, & aliàs, vt num. 5.

Matrimonium contrahens censetur ratificasse promissionem occasione matrimonij factam, ibid.

Minoris obligatio facta ex causa dotis sorori constitutæ reputatur necessaria, nec indiget solemnitatibus statutariis, præsertim accedente iuramento, n. 6.

Obligatio mulieris facta pro dote valida est de iure communi præsertim iurata, & quando mulier, quæ se obligauit, non remansit in totum indotata, n. 7.

Vxoris obligatio facta insimul cum viro, regulariter non valet. Declara vt n. 8.

DECISIO CCCLXV.

1 Resolutum fuit instrumentum, quòd Antonia, & Christophorus promiserunt pro supradote Hortentiæ Hugoni soluere scuta 1000. in euentum, quòd dicta Antonia sine filiis decederet, esse exequendum, quia apparet dictum instrumentum, obligatione Camerali vallatum, atque ideo illius vigore executiuè agi potest, iuxta not. per Modern. *de oblig. Cam. part.* 1. *quæst.* 2. *num.* 13. & 21. & conditio sub qua promissio facta legitur, est adimpleta, quo fit vt perinde habeatur, ac si purè facta esset. *l. si pupillus. ff. de cond. inst. l. potior. ff. qui pot. in pign. hab.* & not. Bart. *in l. si is, qui pro emptore, nu.* 47. *de vsucap.*

2 Non obstat, quòd dicitur dictam promissionem factam esse contemplatione Hortentiæ & cùm ante euentum conditionis obierit, promissionem quoque eius contemplatione factam euanuisse; quia vltra quòd dos dicitur marito debita, cùm illa ei detur propter onera matrimonij, non minus soluto matrimonio, quàm quando extant filij, quorum onus ad ipsum pertinet, quàm eo constante actio pro ea competit, nec propterea dici potest, quòd per mortem vxoris status obligationis fuerit mutatus, vt aliàs ponderauit Rota in vna Senogallien. dotis 26. Iunij 1606. coram R. P. D. meo Pamphilio. Satis etiam ex lectura instrumenti colligitur, quòd in eo non tam persona Hortentiæ, quàm etiam Hugonis, & filiorum contemplata fuit, & præsertim quia verba promissionis fuerant directa in Hugonem, & insuper conuentum, quòd ipse etiam dictæ supradotis lucrum haberet.

3 Et in omnem euentum sufficeret, quòd promissio facta fuisset soli Hortentiæ, quia cùm versemur in contractu, ius ex eo Hortentiæ competens fuit transmissum ad hæredes. §. *ex conditionali. Inst. de verb. oblig.* Bald. *in l. vnica, num.* 3. *C. quorum*

legatorum. Surd.*cons*.20,*num*. 13. Card. Seraph.*decis*. 468. *num*.6. *& decis*.559.*num*.8. Etiam quòd conditio viuente Hortentia, & etiam Hugone non extiterit, *d*.§ *conditionali*. *Inst. de verb.oblig*. Surd. *cons*. 113. *num*.39.

4 His accedit, quòd Antonia secundò post mortem Hortentiæ nubens, declarauit, quòd ex dote scut,3714. quam secundo viro assignauerat, remanere deberent scuta 1000. libera hæredibus dictæ Antoniæ, ad effectum, vt promissioni Hugoni, eiusque hæredibus factæ satisfacerent, cui declarationi non potest Christophorus dictæ Antoniæ hæres contrauenire. *l. cùm à matre*, *C. de rei vendic. l. ex qua persona*, *ff. de reg. iur*.

5 Non obstat, quòd Hortentia contractui non interuenerit, ac propterea non potuit etiam stante stipulatione Notarij ius ex eo ipsi saltem ante ratificationem quæri, quia vltra quòd fauore dotis acquiritur ius mulieri etiam absenti. *l. vnica*, §. *accedit*. *C. de rei vendicat*. Alexand. *cons*. 99. *num*. 2. cum ibi cumulatis, etiam videtur de ratificatione Hortentiæ constare ex sola scientia, quæ in fauorabilibus sufficit. Crauett. *cons*. 261. *num*. 5. Surd. *cons*.22. *num*. 25. *& seq*. *& cons*.355. *num*. 18. *& decis*. 206. *num*.11. Cardin. Seraph. *decis*. 1284. *num*. 11. & ampliùs etiam ex affectuatione matrimonij per eam contracti, ex eo enim ipso, quòd matrimonium contraxit, censetur promissionem ipsi, occasione talis matrimonij factam acceptasse, vt fuit dictum in vna Romana dotis 9. Maij 1616. coram R.P.D. meo Pirouano.

6 Non obstat, quòd dicitur obligationem fuisse nullam, tam respectu Christophori, qui tunc temporis erat minor, quàm respectu Antoniæ mulieris, quia respectu Christophori non potest considerari aliqua nullitas, cùm promissio facta fuerit pro dotanda Hortentia eius sorore, atque ideò eius respectu obligatio vel fuit necessaria, & valet etiam absque solemnitatibus. Rom. *cons*.394. *num*.3. Corn. *cons*.254.*lib*.1. vel sustinetur fauore dotis, Socin. *cons*.80.*num*.23. *& seq. lib*.4. Caputaq. *decis*.199. *part*. 3. præsertim quia interuenerit iuramentum, quòd fecit eum maiorem, ad not. communiter per DD. *in auth. sacram. pub. l. si aduersus venditionem*, *c. vnic*. §. *item sacr. pub. cum gl*. 1. *de pace iur. firm*. Surd. *cons*.15.*num*.24. Guido Pap. *decis*.35.*per tot. cap*. Tholos. *decis*. 45. *in fin*.

7 Respectu verò Antoniæ interuenerunt omnes solemnitates à statuto requisitæ, & attenta iuris communis dispositione, obligatio erat valida, quia fuit facta pro dote. *l. si dotare*, *& l. vltima*, & vtrobique DD. *C. ad Velleian*. & interuenit iuramentum. Surd. *dicto cons*. 25. *numer*. 31. *& seq*. nec constat, quòd ex tali promissione remanserit penitus indotata.

8 Non obstat, quòd mulier non potest se obligare insimul cum viro etiam pro dote, quia quidquid sit quando se obligat contemplatione viri ad dotandam filiam, in quibus terminis loquuntur DD. in contrarium allegati, obiectum non procedit, quando, prout in casu isto, obligatio fit ad fauorem neptis, cum qua maritus nihil habet agere, Ruin. *cons*.194. *& 195. num*.5. *lib*.1. Natt. *cons*.52. *num*.14. *& 16. vers. & ita postea reperi*, *p*.1. Put. *decis*.160. *lib* 3. & fuit dictum in vna Romana dotis 29. Maij 1602. coram Reuer. Attrebaten.

R.P.D. SACRATO.

Viterbien. castrorum. Lunæ 14. *Decembris* 1616.

ARGVMENTVM.

De primo acquirente, an, & quando possit præiudicare aliis vocatis in testamento, vel donatione.

SVMMARIVM.

Primus acquirens præiudicare potest alijs vocatis, intellige de acquisitione facta mediante pecunia, secus ex causa liberalitatis, *n*.2.

Voluisse nemo præsumitur quod non potest, *n*.3.

Generalis dispositio testatoris non comprehendit bona quæ alio iure erant futura hæredis, etiamsi aliàs testator potuisset de illis disponere, ibid.

Verba semper interpretanda sunt, ne sequatur contradictio, *n*.4.

DECISIO CCCLXVI.

PRæsupposita allodialitate bonorum, dubitaui, an DD. Petrus, & Bartholomæus de Sancta Cruce haberent intentionem fundatam super castris, & bonis donatis per q. Gentilem Virginium Vrsinum q. Georgio Sancta Crucio; & admisso, quòd prædicti de Sancta Cruce sint vocati ad fideicommissum dicti Georgij, & quòd venerit casus fideicommissi, super quo Domini non institerunt, adhuc visum fuit, dubium esse negatiuè resoluendum, præmittendo quòd in dicta donatione Georgius vndequaque fuit grauatus restituere suis descendentibus masculis per virilem sexum descendentibus, ibi, *donauit Georgio præsenti, & acceptanti pro se, & suis liberis masculis, ac per virilem sexum descendentibus in infinitum, quibus quidem liberis, & nepotibus masculis de gradu in gradum descendentibus pariformiter donationem huiusmodi transferri voluit, me Notario, vt persona publica, præsente, & stipulante pro dictis successoribus omnibus, quorum interest, vel interesse potuerit in futurum, ad veram proprietatem, perpetuamq; hæreditatem*, & infrà, ibi, *ponens prædictum Georgium, & suos liberos masculos in locum*, &c. & ibi, *constituens etiam ipsum donatarium, & suos liberos masculos, & quemlibet ipsorum procuratores in rem propriam*, &c. & ibi, *tam ipse, quàm eius nepotes masculi propria ipsorum, & cuiuslibet ipsorum authoritate*, & infrà, ibi, *si dictus Georgius, sine filiis legitimis*, &c. *vel non exstantibus nepotibus masculis ex eis legitimè descendentibus*, & ibi, *Ita tamen quòd si dictus Georgius, sine filiis, vel nepotibus masculis legitimis, & naturalibus decederet, & superesset vnus, vel plures masculi bastardi, quòd liceat sibi disponere inter viuos, vel per vltimam voluntatem de dictis tenimentis, ac dictis filiis masculis bastardis tantum in totum, vel in partem transferre*, & infrà, ibi, *voluit quòd tot censeantur donationes, quot sunt personæ, & gradus, ad quas, seu quos transferentur, & quod iure directo ad dictos substitutos ordine prædicto perueniant, & acquirantur*.

Ex hoc, quòd dictus Georgius fuerit grauatus restituere bona donata suis descendentibus masculis, quales non sunt DD. Petrus, & Bartholomæus, visum fuit, sequi, quòd huiusmodi bona non debeant

beant dici comprehensa in fideicommisso facto per dictum q. Georgium ad fauorem extraneorum; vt sunt ipsi Domini de Sancta Cruce, tum ex defectu potestatis, tum ex defectu voluntatis; ex defectu potestatis, quia licèt regulariter primus acquirens possit præiudicare vocatis, vt in causa Bononien. de Bouiis coram me die 16. Nouembris 1612. & in aliis decisionibus ibi allegatis; attamen hoc videbatur intelligendum de acquisitione facta mediante pecunia, secus si, vt in proposito casu, ex liberalitate concedentis Bald. *in l. 1. in fine, C. per quas personas nobis acq.* Aret. *in l. apud Julianum, §. si quis alicui in fine, de leg. 1.* cum aliis pluribus relatis per Surd. *cons. 305. nu. 36.* Gabr. attestans de magis communi *cons. 85. num. 5 lib. 1.* Verall. qui plures adducit, & magis communem testatur *decis. 302. part. 1.* Quod magis de plano procedere videbatur stante clausula suprà ponderata, quòd tot censeantur donationes, quot sunt personæ, & gradus, ad quas, vel quos transferentur, & quòd iure directo ad dictos substitutos ordine prædicto perueniant, & acquirantur, per quam clausulam manifestè apparet donationem fuisse factam singulis vocatis, & ipsos nullam dependentiam habere à primo acquirente, vt ponderauit Rota *diuers. decis. 489. nu. 5. vers. & cùm verba sint directa part. 1.* & in Mediolanen. bonorum 4 Iunij 1601. coram Cardinali Pamphilio, & etiam præ dicta voluntas donantis, quòd Georgius non posset disponere de bonis donatis extra vocatos, satis colligitur ex facultate concessa Georgio decedenti sine filiis, & nepotibus masculis legitimis, vt scilicet eo casu posset tantùm disponere in bastardos masculos, quia inclusio vnius facultatis excludit omnes alias, ad *l. cùm prætor. ff. de iud.* quæ conclusio habet locum etiam in contractibus. Dyn. *cons. 1. num. 5. & 6.* Socin. *cons. 47. num. 2. vers. propterea, lib. 1.* Ang. *cons. 388. in princ.* Alex. *cons. 3. viso in strumento, num 3. lib 1.* Et cessat difficultas ex illa taxatiua tantùm, quæ excludit omnes alios casus, & licèt posset dubitari, an iste casus qui euenit, sit ille de quo in prædicta clausula, ex quo Georgius reliquit nepotes, & vlteriores descendentes; attamen non per hoc tollitur obiectum, quia si contrahentes voluissent stare in terminis regulæ, quòd primus acquirens posset præiudicare vocatis, non erat cur apponeretur huiusmodi pactum, quia sine illo potuisset Georgius in præiudicium filiorum, & nepotum disponere in bastardos saltem legitimatos, & multo minus fuisset apposita illa dictio, *tantum*, quæ repugnat cum prædicta facultate, vt suprà dictum est. Et præcipuè mouit Dominos pactum reuersionis, casu quo Georgius sine filiis, & nepotibus masculis moreretur, ex quo apparet donantem non intellexisse relaxare liberas habenas Georgio in alienando, prout regulariter habent primi acquirentes, quia si hoc voluisset, non stipulatus fuisset reuersionem in aliquo casu, & visum fuit non posse præteriri ponderationem huius pacti, cùm sit in eodem instrumento donationis, ad decis. Cassad. 10. *de rescript.* & hæc quoad potestatem.

Quo verò ad voluntatem, sufficeret dicere Georgium non potuisse, quia nemo præsumitur voluisse quod non potest. *l. si quis ita. ff. de cond. & demonstr. l. Lucius, §. Imperatores, ff. ad municip.* Honded. *cons. 69. num. 60. lib. 2.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 6. num. 32. & 33.* Verùm etiam si potuisset, adhuc visum fuit Dominis, præsumendum esse ipsum noluisse, quia testator in generali dispositione non censetur comprehendere bona, quæ alio iure erant futura hæredis, etiamsi aliàs testator potuisset de illis disponere. *l. sequens quæstio. ff. de leg. 2. l. Lucius, §. maritus, ff. ad Trebell.* vbi Castr. *num. 2.* Alberic. *num. 16.* Bart. *in l. codicillis, §. instituto, de leg. 2.* Dec. *cons. 370. in princ.* Paris. *cons. 6. num. 3. lib. 1.* Ceph. *cons. 3. n. 9.* & de communi Roland. *cons. 71. nu. 26. lib. 2.* & Rota diuers. *decis. 748. n. 3. p. 3.* hoc idem pluribus relatis tradit Peregr. *de fideicom. art. 6. n. 8.* vbi dicit eo magis procedere, quando testator. vt in hoc casu, vsus est formula communi, & quæ modernis temporibus ponitur in omnibus testamentis, nempe, *in omnibus autem suis bonis*, &c. & hoc casu hanc sententiam sine dubio procedere dicit Surd. *decis. 93. n. 20.* & de hoc loquitur Seraph. *decis. 963. n. 6. & 969. n. 8.* & ad efficaciam verborum vniuersalium latè respondit Crauett. *cons. 144. n. 6. cum plurib. seqq.* & Peregr. post Corn. *d. art. 6. num. 14 in fine, & n. 16.* & faciunt verba textus, *dicta l. Lucius, §. maritus*, ibi, *nisi manifestum esset*, vbi gloss. exponit, id est, expressè.

Non obstat, quòd donatio fuerit facta pro hæredibus, ponderando verba, ibi, *ad veram proprietatem, perpetuamque hæreditatem, ac pleno iure*, & verba stipulationis, ibi, *pro dictis successoribus, & ex pacto*, ibi, *quòd persona Georgij, & suorum hæredum & successorum censeatur excempta*, & ibi, *quòd tam Georgius, quàm sui hæredes & successores teneantur præstare patientiam*, &c. quia si hoc deducitur ad effectum, vt acquisitio fuerit merè hæreditaria, ita vt Georgius potuerit de illa ad libitum disponere etiam in præiudicium descendentium, hoc nullatenus dici potest, stante expressa vocatione illorum, in infinitum de gradu in gradum, & quòd tot sint donationes, quot personæ, cum expressa stipulatione Notarij pro omnibus, & suprà ponderatum est, & aduertit in specie Crass. *§. feudum, n. 19 vers. Sed tu*, illa enim semper sumitur interpretatio, ne sequatur contradictio. Bart. *in l. talis scriptura, §. fin. num. 3. ff. de leg. 1.* Dec. *cons. 602. num. 5. & seq.* Crauet. *cons. 70. num. 5.* si verò deducitur ad effectum vt concessio fuerit mixta, nempe pro hæredibus sanguinis, adhuc non cessat obiectum contra dictos DD. de Sancta Cruce, quia non sunt de sanguine. Nec facit, quòd tali casu descendentes tanquam hæredes tenerentur præstare factum defuncti, quia adhuc remaneret alia responsio, quòd fideicommittens non præsumitur voluisse comprehendere ista bona tanquam restitutioni subiecta in generali fideicommisso, ex suprà allegatis, & proinde negando comprehensionem in fideicommisso, non dicerentur venire contra factum defuncti. 4

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Bononien. census de Pepulis. Veneris 16. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Mandato ad transigendum dato non includitur facultas donandi, & ex eo quòd contractus transit de vna specie in aliam ex defectu consensus non valet, nec tenet iuramentum super eo

appositum, quare non impeditur rescissio, etiam non petita absolutione à iuramento, nec periurium incurrit.

SVMMARIVM.

Remissoria non denegatur si articuli sint releuantes, num.1

Mandatum ad transigendum non includit facultatem donandi, n.2.

Iuramentum non obstat, nec est necessaria absolutio, quoties datur ex defectu consensus in contractu facto, num.3.

Iuramenti absolutio est necessaria, quando quis vult probare læsionem enormissimam: nam potest esse quòd non probetur, nec interim quis potest esse iudex sui iuramenti, n.4.

Læsio enormissima non mutat naturam contractus, n.5.

Contractus si transit de vna specie in aliam, non valet ex defectu consensus, n.6.

Periurium ad hoc vt euitetur, & ne quis repellatur à limine iudicij, qualibet causa excusat, n.7.

Periurium non incurritur sine dolo, & perfidia, & in dubio excluditur, n.8.

Instrumenti extensio in clausulis cæteratis potest fieri etiam lite pendente, si non sit in parte substantiali instrumenti, sed tantùm in clausulis, n.9.

Instrumentum datum post motam litem, si non constat quo tempore fuerit extensum, præsumitur extensum tempore congruo, n.9. in fin.

Iuramenti absolutio petita etiam post motam litem, satis est ad ostendendum quòd non adest perfidia, & dolus, n.10.

DECISIO CCCLXVII.

1 ROta permansit in decisis 22. Maij 1615. videlicet dandam esse Comiti Iulio remissoriam, & ei non obstare periurium; nam quoad remissoriam releuantia articulorum negari non potest, vt fuit deductum in decisione, qua data, remissoria non solet denegari. Cassad. *decis.3. de dilat.* Caputaq. *decis.* 59 *& 68. part.3.* Rota diuersor. *decis.102. num.1. part.1.* cum aliis adductis in decisione.

2 Quo verò ad periurium, placuit Dominis fundamentum decisionis quòd Comes dedit mandatum ad transigendum, non autem ad donandum, immò donatio fuit expressè excepta in mandato, & hodie Comes vult probare, Procuratorem donasse, & sic excessisse fines mandati, vnde iuramentum non obstat, quia donatio non comprehenditur sub iuramento, sicut nec sub principali dispositione, cuius naturam sequitur *l. vlt. C. de non numer. pecun.* Dec. *cons.239. n.3.*

3 Et confirmatur, quia hoc casu dicitur dari de defectu consensus, quo casu non obstare iuramentum, nec esse necessarium absolutionem, dixit Bald. *in l. nec patronis, ante nu.6. vers. in his etiam, C. de oper. libert.* & bene facit Soc. iun. *cons.48. sub n. 30. vers. secundò principaliter, & numeris seqq. lib.1.*

4 Nec obstare visum fuit quòd instrumentum sonat in transactionem, non autem in donationem, & ideo dum Comes vult probare donationem, videatur velle probare enormissimam læsionem, cuius probationem debet præcedere absolutio à iuramento, potest enim esse, vt non probetur, & interim non debeat quis esse iudex proprij iuramenti, vt per Grat. *cons.30. n.25. lib.1.* Rota *diuers. decis.102. num 9. part.1.*

Quia fuit responsum enormissimam læsionem non mutare naturam contractus, & ideo requiritur absolutio à iuramento, si quis velit eum rescindere ex capite læsionis, & ita procedunt allegata in oppositum, sed donatio mutat contractum, videlicet de transactione in donationem, & ideo cùm respectu donationis deficiat consensus, iuramentum non obstat, vt suprà dixi.

Quòd autem si contractus transeat de vna specie in aliam, non valeat ex defectu consensus, probat eleganter Butrig. *in l. cùm legem, n.2. & 3. ff. de legib.* Bald. *cons.475. num.7. per tot.* & præsertim ibi 3. *casu lib.1.* Crot. *in repet. l. non solùm. §. morte, num.121. ff. de nou. oper. nunc.*

Quæ tanto magis videbantur Dominis amplectenda, cùm ad euitandum periurium ad effectum ne quis repellatur à limine iudicij, quælibet causa excuset, vt fuit dictum in Signina castrorum 2. Maij præteriti, & 9. huius mensis, & anni, coram R.P.D. meo Remboldo, & fuit resolutum in vna Romana de Massaro 20. Iunij 1588. coram Gipsio.

Causæ autem hîc satis sufficientes videbantur concurrere ad excusandum D. Comitem, & præsertim, quia in eo abfuit dolus, & perfidia, quæ ad hoc, vt periurium incurratur, requiritur, vt fuit dictum in dicta Signina castrorum, & saltem res fuit dubia, quæ dubietas ad dictum effectum sufficit, Surd. *decis.58. num.6. & seqq.* Dubium enim erat, an sub clausulis cæteratis instrumenti comprehenderetur facultas iurandi, & Comes potuit probabiliter credere non comprehendi, ex latè congestis per informantes.

Et tanto magis, quia ex instrumenti extensione facta à Notario rogato nouissimè in actis producta, apparet dictam facultatem Procuratoribus non fuisse datam, quæ extensio licèt dicatur facta lite pendente; tamen cùm illa non sit in parte substantiali, sed in clausulis, videbatur posse admitti, vt alias sensit Rota in vna Romana bonorum de Soderinis 26. Iunij 1602. coram R.P.D. meo Decano, vbi etiam subditur quòd licèt instrumentum extensum, sit datum post motam litem; tamen cùm non constet quo tempore fuerit extensum tempore congruo. Alexand. *cons.70. num.4. lib.1.* cum aliis ibi allegatis.

Et demum mouebat Dominos petita absolutio per D. Comitem, quæ licèt facta post litem motam; tamen sat est ad ostendendum quòd in eo abfuit perfidia, & dolus, cùm statim atque suspicatus est de periurio, petierit, & obtinuerit absolutionem. Et hæc sufficiunt ad sustinendam decisionem, licèt alia motiua de nouo excitarentur per informantes, circa quæ Domini non fuerunt concordes.

Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. SACRATO.

Romana legitimæ. Lunæ 16. Decembris 1616.

DECISIO CCCLXVIII.

Impressa est penes Merlin. de legitima decis. 62.

R.P.D.

R.P.D. VBALDO.

Pacen. parochialis. Lunæ 19. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Dispensatus ad plura beneficia recipienda, intelligitur de pluribus successiuè: dispensatio ad plura beneficia intelligitur de duobus, & in his attenditur tempus datæ.

SVMMARIVM.

Sententia, quando seruati sunt termini substantiales, & alia requisita, dubitari non potest quin sit valida, num.1.

Dispensatio ad recipiendum plura beneficia intelligitur de pluribus beneficiis successiuè, non quòd plura possint retineri simul, n.2.

Dispensatio simpliciter ad plura beneficia intelligitur de duobus tantùm, non autem de omnibus, n.3.

Dispensatio ad plura beneficia, si eam impetrans obtinebat plura quàm duo, & non expressit, fuit surreptitia: si post obtentam dispensationem obtinuit plura beneficia, quàm duo, cecidit dispensatione, n.4.

Datæ tempus attenditur ad inspiciendum numerum, & qualitatem beneficiorum, n.5.

DECISIO CCCLXIX.

1 FVit responsum pro informante, videlicet sententiam Rotalem esse confirmandam, quia constat de eius validitate, cum de iurisdictione appareat ex commissione, & constat de mandatis hinc inde comparentium, & de citatione ad audiendam sententiam personaliter executa, & fuerunt seruati termini substantiales, quæ sunt requisita pro validitate sententiæ, iuxta decis. Verall. 260. *part.2.* & fuit dictum in causa Meliten. nauis 12. Ianuarij 1615. coram me, & aliàs sæpe.

2 Quo verò ad iustitiam, illa visa est etiam manifesta ex latè deductis in decisione in hac causa facta die 20. Nouembris 1613. coram R. P. D. meo Pamphilio, in qua præter alia fuit ostensum, quòd Franciscus de tempore imperationis parochialis, de qua agitur, retinebat tria beneficia, & ideo non poterat iuuari dispensatione obtenta à Sede Apostolica; tum quia erat dispensatus ad recipiendum plura beneficia, quod intelligitur successiuè, non autem vt plura simul retinere posset. *cap. non potest, §. cùm verò, de præbend. in 6.* Felin. *cons.4.n.7.* Rot. *decis.233. n.26. & decis.533.n.2. part.1. diuers.*

3 Tum quia dispensatus simpliciter ad plura beneficia, duo tantùm potest obtinere. *cap. is cui. §. si verò. de præbend. in 6.* Felin. *dicto cons.4.nu.7.* Rota *d. decis. 233. num. 25. part.1.*

4 Et omninò videbatur Dominis non posse euitari fundamentum decisionis, quòd aut Franciscus obtinebat dicta beneficia ante mandatum de dispensando, & cùm non expresserit quòd illa obtinebat, illud fuit subreptitium. *cap. non potest, de præb. in 6.* cum aliis allegatis in decisione. Aut obtinuit post d. mandatum, & per retentionem plurium ab eo cecidit, *Clem. gratiæ, de rescr.* & firmatur in decisione.

5 Non obstat, quòd super vno ex tribus beneficiis dicatur, litem adfuisse, & per sententiam Ordinarij illud fuisse adiudicatum cuidam Didaco Martinez, quia respondebatur dictam sententiam fuisse latam de anno 1608. & sic longè post motam hanc litem; vnde non releuat, cùm debeat probari de tempore resignatæ parochialis, *cap. eam te,* vbi Felin. *num. 18. de rescript. cap. si eo tempore, eod. tit. in 6.* & in omnem euentum sufficit quòd alia duo obtinuerit, & simul retinuerit, ex suprà allegatis. Ex quibus, & aliis deductis in dicta decisione D. mei Pamphilij, Domini concluserunt, sententiam esse confirmandam, &c.

R.P.D. REMBOLDO.

Bononien. de Formaliarijs. Lunæ 19. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Fructuum liquidatio quomodo fieri, & probari debeat.

SVMMARIVM.

Sententia nulla, potest confirmari, quando pars de nullitate non opposuit, n.1

Liquidationis fructuum materia est difficilis probationis ac vt plurimum iudicis arbitrio remissa, sufficiúntque in ea leuiores probationes, & coniectura, n.2.

Valor, seu pretium fructuum probatur ex libro communitatis ciuitatis, n.3.

Fructuum liquidatio taxari debet à die litis motæ, n.4.

Fructus liquidari, & taxari debent, habito respectu ad rationem fructuum perceptorum annis antecedentibus, & sequentibus, ibid.

Fructus eiusdem rei diuerso iure censeri non debent, num.5.

DECISIO CCCLXX.

DOmini resoluerunt sententiam Rotalem, qua declaratum fuit fructus bonorum, de quibus agitur, ascendere ad libras 30937. monetæ Bononien. esse confirmandam. Nam quòd sit valida, apparet ex reuolutione processus, & quatenus in eo adesset aliquis defectus, nihilominus ex quo pars non opposuit, deducendo ad eos speciem, posset dicta sententia etiam nulla confirmari, vt fuit sæpiùs in pluribus causis resolutum. 1

Iustitia verò probatur ex decisionibus coram bo. mem. Litta, factis præsertim sub die 25. Iunij 1604. in qua firmatum fuit quòd cùm materia liquidationis fructuum sit difficilis probationis, ac propterea vtplurimum iudicis arbitrio remittatur, & in ea sufficiant leuiores probationes etiam per coniecturas, ad tradita per Bald. *in l.1.num.22. C. de fruct. & lit. expens.* satis in proposito dicuntur liquidati quoad quantitatem, ex relationibus, & descriptionibus factis à Massariis ad hunc effectum deputatis, iuxta notat. per Bart. *in l.1. §. eligitur, & §. sequenti, ff. de vent. in poss. mitt.* Corn. *cons.267.n.6.lib.4.* Bursat. *cons.188.n.7. lib.2.* quo verò ad illorum valorem ex libro communis ciuitatis Bonon. Camplono nuncupatæ, quod bene probat pretium, quò communiter fructus in publico foro venduntur, vt not. DD. *in ca.1. de empt. & vend.* & fuit dictum coram bo. me. 2

Cardin. Seraph. *decis. inter impress.* 1245. *num.* 8. & in Bononien. de Ballis 4. Iulij 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen.

3 Nec obstat, quòd in computatione dictorum fructuum non fuit habita ratio expensarum, quæ in construendis fundamentis molendini ac excauandis canalibus factæ fuerunt. Nam etiam hoc, sine veri tamen præiudicio, admisso, nihilominus taxatio, vt suprà, facta non posset dici excessiua, quia dictæ expensæ, quæ etiam attenta relatione periti vltimo loco electi non excedunt summam lib. 1432. censeri debent à iudice compensatæ, cum pluribus aliis, quæ in dicta taxatione ad fauorem DD. de Formaliariis apponi debuissent, & fuerunt omissa, ad *l. si ambo, ff. de compensat. l. viro atque vxore. ff. solut. matrim.* Surd. *cons.* 302. *num.* 18. *lib.* 3.

4 Inter multa autem alia quæ in dicta taxatione non leguntur apposita, fuerunt visa consideratione digna quòd in dicta taxatione non fuit habita ratio fructuum, nisi ab anno 1570. decursorum, & sic postquam duæ latæ fuissent sententiæ; cùm tamen taxari debuissent à die motæ litis. *l. cùm fundus, in princip. ff. si cert. pet.* Bart. *in l. si filius, ff. de verb. oblig.* Surd. *cons.* 293. *num.* 8. *& seq. lib.* 2. & quòd omissi fuerunt fructus annorum 1575. & 1576. à Dominis de Liliis percepti, quia licèt dicti fructus nō reperiantur à Massariis descripti, nihilominus liquidari debuissent ad rationem fructuum annis antecedentibus & subsequentibus perceptorum. Bald. *in l. si fundum in fin. C. de rei vendic.* Natt. *cons.* 510. *num.* 7. & 536. *num.* 6.

5 Et denique quòd liquidatio fructuum molendini facta fuit ad fauorem DD. de Formaliariis pro annis 11. tantùm, cùm tamen iidem met fructus respectu melioramentorum dicti molendini taxati essent ad fauorem DD. de Liliis pro annis 23. quod non videtur æquitati cōsonum, ex quo fructus eiusdem rei diuerso iure censeri non debent, ad text. *in l. cum qui ædes ff. de vsur.* Ruin. *cons.* 77. *n.* 5. *vers. & præmissis lib.* 4.

6 Quæ cùm, vt benè ab informantibus deductum fuit, multo plus importent, quàm expensæ à DD. de Liliis prætensæ non potest dici, ipsos fuisse in dicta liquidatione grauatos, & consequenter, vel sententia, de qua agitur, erit confirmanda, vel quatenus in fauorem DD. de Liliis reformanda esset, deberet quoque in fauorem DD. de Formaliariis iuxta præterita augeri, vt seruetur æqualitas. *cap. non licet,* & ibi gloss. & Doctor. *de regulis iuris in 6. Authent. & consequenter, C. de sentent. & interloqu. omn. iud.* cum similibus, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Beneuentana Saluiani. Lunæ 19. Decembris 1616.

ARGVMENTVM.

Appellatio quando detur, Ægidianæque quando locus sit in iudicio interdicti Saluiani. est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Appellari non potest vigore Ægidianæ in Saluiano interdicto, & in quolibet possessorio, n. 1.

Sententia dicitur valida, quando constat de iurisdictione iudicis, & quòd fuerit latæ formatis seruandis, num. 2.

Instrumentum facit rem claram & probationem probatam, ibid.

Cedentis iura vigore cessionis translata sunt in cessionarium, ibid. in fine.

Possessio probatur per testes dicentes vidisse aliquem possidere, n. 3.

Possessio probatur per sustentationem litis, ibid. vers. secundum extremum.

Immissio in possessionem vigore Saluiani interdicti conceditur probatis duobus extremis, ibid. in fine. vers. quibus probatis.

Ægidiana non intrat, & appellare licet à sententia, quæ continet mixturam. Declara vt n. 5.

Ægidiana an intret nec ne, videndum est an sit intentatum petitorium, vel possessorium, ibid. Vbi quando dicatur intentatum possessorium, quando petitorium.

Iure familiaritatis possidere præsumitur filius possidens cum patre, n. 7.

Notario attestanti de actu à se non rogato non creditur, num. 8.

Mandatum Procuratoris quandoque producatur sufficit quando de mandato non fuit oppositum, ibid.

Ægidianæ an locus sit quando fuit data immissio super bonis emphyteoticis, n. 9.

Bona præsumuntur potius censualia quàm emphyteotica, num. 9.

Identitas bonorum probanda est ab eo, qui se fundat in identitate, ibid. in fine.

Sententia vbi est diuidua, vtputa continens plura capita, potest in vna parte appellari, & in alia non, num. 50.

DECISIO CCCLXXI.

DE anno 1589. fuit per Bartholomæum, & Hieronymum eius filium de Controueriis annuus census ducatorum 50. venditus Ioanni Baptistæ Rubino cum obligatione Octauij Torelli, quem dicti de Controueriis infra annum cum hypotheca omnium bonorum liberare promiserunt. Verùm postea cùm per multos annos Torellus huiusmodi census persoluisset, egit in vim Saluiani coram A. C. pro repetitione scutorum trecentorum triginta solutorum, nec non pro liberatione à dicta fideiussione contra Mutium, & Thomam de Controueriis tanquam bonorum Hieronymi patrui, & Bartholomæi aui possessores, & cùm fauorabilem sententiam pro immissione reportasset, interposita per dictos Controuerios appellatione, fuit causa mihi commissa cum clausula, quatenus sit locus Ægidianæ. Et dubio per me proposito Rota censuit illi locum esse. Nam hæc in quolibet possessorio procedit. Caputaquen. *decis.* 226. *lib.* 1. *in manuscript.* & 407. *eod. lib.* & sic in Saluiano quando de sententiæ validitate & iustitia constat. Paris. *cons.* 108. *num.* 13. *lib.* 1. Socin. iunior. *cons.* 182. *numer.* 13. *lib.* 2. Negusant. *de pignorib. in* 1. *membr. part.* 8. *num.* 3. Contard. *de moment. possess. limitat.* 4. *ex contractu, num.* 10. Benintend. *decis.* 17. *in fine.* Rota *decis.* 112. *num.* 4. *part.* 2. *lib.* 1. *diuersor. & decis.* 662. *num.* 3. *par.* 3. *lib.* 3. Verall. *decis.* 141. *part.* 3. Mohedan. *decis.* 5. *de constitut.*

Hîc autem sententiæ validitas controuerti non potest, cùm de iudicis iurisdictione, mandatis, & aliis

aliis de iure seruandis appareat, iuxta decis. Caputaquen. 262. *part.* 2. De iustitia pariter satis liquet, cùm approbata fuerint omnia in Saluiano requisita. De credito enim & hypotheca Torelli constat per instrumentũ census venditi de anno 1599. quod rem claram, & probationem probatam facit. Bald. *in l. Imperator, num.* 13. *ff. de stat. homin.* Iason. *in l.* 1. *num.* 10. *ff. de nou. oper. nunciat.* Verall. *decis.* 421. *num.* 1. *part.* 2. Nec non patet ex censuum solutionibus factis per Torellum, obtenta iurium cessione à Rubino creditore, qui omnia Bartholomæi & Hieronymi bona habebat obligata, per quam cessionem contra Rubini iura in Torellum cessionarium translata fuerunt. *l. emptor. C. de hæredit. vel act. vendit.* Alex. *cons.* 13. *num.* 12. *& seq. lib.* 1. Socin. *cons.* 37. *nu.* 13. *lib.* 4. Bald. Nouell. *in tract. de dot. priuil.* 12. *col.* 8. *vers. quarto quia.*

3 Et quoad primum extremum, videlicet Bartholomæum & Hieronymum bona, in quorum possessionem Torellus fuit immissus, possedisse, ex testibus pro Torello examinatis apparet, qui benè adhuc effectum probant. Castrens. *cons.* 168. *num.* 1. *lib.* 2. Menoch. *de adipiscen. remed.* 3. *num.* 161. Alex. *cons.* 51. *num.* 6. *lib.* 1. Dec. *cons.* 302. *num.* 19. Ruin. *cons.* 168. *num.* 2. *lib.* 4. Balb. *in repetit. l. Celsus in prima quæst. num.* 10. *ff. de vsucap.* Pontan. *de spolijs lib.* 2. *num.* 94. Secundùm extremum, quòd Mutius & Thomas bona prædicta possiderent, patet ex litis sustentatione Verall. *decis.* 369. *part.* 2. Cæsar de Grass. *decis.* 4. *de restitut. spoliat.* quibus probatis benè Torello data fuit immissio. Aretin. *in §. Item Seruiana, num.* 15. *de act.* Socin. *cons.* 112. *num.* 6. *lib.* 4. Paulus de Castr. *cons.* 168. *num.* 1. *lib.* 2. Bart. *in l. rem alienam, num.* 5. *de pignorib.* Alex. *cons.* 125. *num.* 4. *lib.* 6. Menoch. *de adipisc. remed.* 3. *num.* 760. Paleott. *decis.* 321. Put. *decis.* 207. *num.* 2. *lib.* 1.

4 Et in vim Ægidianæ in dicta immissione non dabatur ad effectum suspensiuum appellatio. Anton. August. *in epit. de appellat. num.* 5. *lib.* 1. Caputaq. *decis.* 273. *lib.* 1. *in manuscript.* Menoch. *de adipiscen. remed.* 4. *num.* 824. decis. Pedemont. 25. *num.* 19. Benintend. *decis.* .. *num.* 5. quæ constitutio in toto statu Ecclesiastico procedit. Anton. August. *vbi suprà*, Caputaq. *d. decis.* 273.

5 Nec valet dicere iudicium à Torello fuisse intentatum in petitorio, cùm ille pro liberatione ab onere fideiussionis egerit, & super hoc lata fuerit sententia, quę dicitur continere mixturam, & sic Ægidianam non intrare. Quia respondetur ad effectum, vt videatur an petitorium, vel possessorium intentatum fuerit esse attendendam sententiam. Corn. *cons.* 10. *num.* 2. *& seq. lib.* 4. Rota *decis.* 263. *num.* 1. *part.* 1. *diuers.* Socin. *in l. rem quæ nobis, nu.* 14. *de acquirend. possess. & cons.* 262. *num.* 1. *lib.* 2. & proinde cùm super validitate, vel inualiditate crediti pronunciatum non fuerit, sed in mero solùm possessorio, sententia non dicitur aliquam mixturam continere, aliàs sequeretur quodlibet mandatum relaxatum donec, & quousque fuisset alicui de credito satisfactum, mixturam continere, quod non est dicendum.

6 Non obstat bona censuata de tempore impositionis census possessa fuisse à Bartholomæo, qui tantò multo antè prodigus declaratus absque curatore, & aliis solemnitatibus statutariis nulliter fuit obligatus. Nam de dicta Bartholomæi prodigalitate non constat, & curator non Bartholomæo, sed eius filiis datus apparet.

Nec releuat fuisse datam immissionem in vim obligationis factæ per Bartholomæum, & Hieronymum, & nihilominus bona non solùm per istos possidebantur, sed etiam per Thomam seniorem dictorum Mutij & Thomæ patrem, qui se non obligauit. Vltra quòd etiam præsumitur Thomam vnà cum Bartholomæo patre huiusmodi bona iure familiaritatis possedisse. Surdus *cons.* 260. *num.* 17. *& seq. lib.* 2. sufficit in omnem euentum immissionem sustineri vigore obligationis cum hypotheca factæ de anno 1587. in qua Thomas etiam interuenit, & contra illum postea fuerunt per Octauium Calendam in dicto instrumento census iura cessa Dubino, & consequenter Torello, in cuius ipse locum successit. 7

Non obstat Torellum egisse in vim cessionis ab Octauio Calenda factæ, vti Procuratore Hieronymæ Calendæ, de cuius mandato non constat, nisi per assertionem Notarij, qui cùm attestetur de actu à se non rogato, nullam fidem meretur, quia Torellus pro summa scutorum 330. ab ipso solutorum, cessionem habuit à Dubino creditore, quod sufficit ex allegatis. Respectu verò liberationis propriam habet Hieronymi & Bartholomæi obligationem, & nihilominus ex quo mandatum hodie producitur, sufficit saltem ad coadiuuandam Notarij assertionem, cùm præsertim huius mandati defectus antea non fuerit appositus. Bald. *cons.* 122. *sub num.* 1. *lib.* 3. Aymon. *cons.* 108. *sub num.* 1. Rot. *decis.* 599. *num.* 1. *&* 688. *num.* 2. *part.* 1. *diuersor.* 8

Non obstat fuisse datam immissionem super aliquibus bonis, quæ sunt emphyteusis Ecclesiasticæ, & propterea non esse locum Ægidianæ, vt fuit dictum in Romana domus 19. Ianuarij 1611. coram Reuerendissimo Domino, meo Decano. Nam cùm iura per Controuerios producta loquuntur tantùm de soluendo censu ratione quorundam bonorum Ecclesiæ, vnde non probant illa esse emphyteotica, sed potiùs eadem censualia præsumuntur. Alberic. *in l.* 2. *de iure emphyt.* vbi Iason. *numer.* 4. Ruin. *cons.* 42. *num.* 7. *lib.* 1. Natt. *cons.* 3. *numer.* 2. Dec. *cons.* 138. Couar. *variar. resolut. cap.* 7. *num.* 1. *vers. immò ex eo dubio*, & fuit resolutum in Romana vineæ 21. Iunij 1592. coram Illustrissimo Mellino. Tanto magis, quia non apparet istorum bonorum identitas, quæ probanda veniebat à Controueriis in ea se fundantibus. Corn. *cons.* 144. *num.* 11. *lib.* 4. Aym. *cons.* 198. *num.* 4. Seraph. *decis.* 869. Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 15. *tom.* 2. cùm illa non præsumatur. Ioann. Andr. *in cap. auditis, de præsumpt.* Alex. *cons.* 119. *num.* 1. *lib.* 1. Ruin. *cons.* 141. *num.* 4. *lib.* 5. Seraph. *d. decis.* 869. 9

Et in omnem euentum respectu aliorum bonorum locus esset Ægidianę, stante diuiduitate sententiæ, cùm bonorum corpora sint distincta; vnde licèt vnius respectu daretur appellatio, non tamen quoad aliud esset concedenda. Bald. *in l. in hoc iudicio. ff. famil. hercisc.* Aretin. *in l. certi condictio, §. quoniam, n.* 22. *vers. Aut sunt diuersa capitula.* Socin. *in d. §. quoniam, n.* 32. vbi Purpurat. *num.* 9. 10

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Maceraten. dotis. Lunæ 19. *Decembris* 1616.

ARGVMENTVM.

Sequestrum, vt nec depositum, priuat quemquam sua possessione.

SVMMARIVM.

Mulier quæ viuente marito censetur possidere bona viri iure familiaritatis, eo mortuo mutat causam possessionis, & possidet iure proprio, maximè si declarauerit se velle retinere ad computum dotis, quæ retentio de iure sibi permittitur, n.1.

Sequestrum authoritate iudicis factum non priuat quenquam sua possessione, nu.2. maximè si factum sit causa custodiæ vt bona sint posita in tuto, n.3.

Depositum non priuat quemquam possessione, quia in deposito possessio remanet penes deponentem, licèt detentio remaneat penes depositarium, n.4.

Possessio ciuilis solo animo retinetur, & sola sufficit ad obtinendam manutentionem, n.5.

DECISIO CCCLXXII.

1 LVciam esse manutenendam quoad domum, & mobilia, Domini responderunt, cùm de eius possessione viuente marito dubitari non possit. Et licet nunc præsumeretur possedisse iure familiaritatis; tamen eo mortuo censetur mutasse causam possessionis, & incepisse possidere iure proprio, cùm ante aditam hæreditatem per hæredem declarauerit velle retinere dictam domum, & mobilia pro recuperatione scutorum 500. eius viro, ad computum dotis solutorum, quæ retentio sibi de iure permittitur. Bald. *in l. penult. num. 1. versic. Sed quæro. C. de pignoratit. action.* Bald. Nouell. *de dot. part. 8. priuil. 6. num. 21.* Surd. *de aliment. tit. 1 quæst. 34. num. 9.* Dec. *cons. 400. num. 5. & seq.* Lup. *in rubr. de donation. int. inter vir. & vxor. §. 59. n. 1.*

2 Quibus non obstat quòd mobilia fuerint sequestrata, & depositata penes tertium de consensu Lactantij patris Lucij; quia omisso an pater potuerit illi præiudicare, præsertim cùm non doceatur de illius scientia dicti sequestri de tempore quo ratificauit gesta per patrem, dicebatur, quòd cùm dictum sequestrum fuerit factum auctoritate iudicis, Luciam non remansisse priuatam sua possessione. Boër. *decis. 277. num. 9.* Grammat. *decis. 51. num. 2.* Rot. *decis. 273. num. 1. part. 2. diuersor.* Menoch. *de retinen. remed. 3. num. 88.* Seraph. *decis. 941. num. 1.*

3 Præsertim, quia fuit factum causa custodiæ, nempe ad effectum ponendi dicta mobilia in tuto. gloss. *in cap. 1. verbo sequestrari, de sequestr. possess. & fruct.* Bart. *in l. interesse, in princ. & num. 4 ff. de acquir. possess.* Soc. iun. *cons. 68. num. 174. vers. hac tamen lib. 3.* Angelus de Perus. *in tract. de sequestr. num 2. & seq.* Salycet. *in l. licèt sub numer. 2. versic. aut est dictum. ff. deposit.*

4 Vltra quòd non versamur in sequestro, sed in deposito, in quo possessio remanet penès deponentem, licèt detentio transferatur in depositarium, *l. licè. §. rei depositatæ.* vbi Castrens. *sub num. 2. ff. deposit.* Corn. *cons. 39. num. 3. vol. 1.* Bero. *cons. 72. num. 20. lib. 3.*

5 Minus obstant testes deponentes, quòd post mortem viri Lucia discesserit à domo, quam semper possedit Victoria, quia vltra quòd dicti testes non fuerunt examinati parte citata, nec sunt de actis. Respondebatur Luciam in discessu protestatam fuisse, quod non intendebat dimittere possessionem, sed illam animo, & corpore retinere, vnde non videtur habuisse se pro spoliata, sed saltem animo retinuisse ciuilem, quæ sola sufficit pro obtinenda manutentione. Menoch *de retinend. remed. 3. n. 22.* Rota diuers. *decis. 19. n. 2. part. 2.*

Nec facit quòd Lucia fuerit de dote satisfacta per receptionẽ vestium & iocalium quia illa fuerũt sibi specialiter à viro legata, & in istam causam legati per Victoriam consignata, vt constat ex quitantia pro d. Lucia facta, & per dictam Victoriam in actis productis. Et ita conclusum, &c.

Parisien. prætensorum scut. 53000.

ARGVMENTVM.

De transfusione debiti ex vna in aliam causam quando fieri possit, quando per eam dicatur, & facta nouatio, præsertim ad fauorem tertij, & an per confessionem de recepto, & acceptilationem censeatur facta liberatio vera, vel ficta, & ad cuius fauorem, & etiam quando habens duo remedia per electionem vnius censeatur eligens recessisse ab alio, ac etiam actione, seu obligatione semel extincta, quando reuiuiscant, pluraque alia singularia, & notanda in materia cessionis iurium, & actionum faciendæ ab extraneo qui pro alio soluit.

SVMMARIVM.

Solutio non præsumitur, & propterea probanda est ab eo, qui solutionem allegat, n. 14.

Actus agentium non operantur vltra eorum intentionem, num. 15. Declara vt n. 48.

Cessio facta pro certa summa, dicitur contractus venditionis, n. 16 & 49.

Cessio facta pro certa summa, dicitur simulata, si pretium non interueniat, n. 16.

Confessio cedentis probat in præiudicium confitentis ad effectum excludend. simulationem, ibid.

Acceptilatio vni facta non prodest alteri, quando duo sunt obligati ad vnum, & idem, nisi fuerint obligati vt duo rei, n. 18. Declara vt n. 40.

Acceptilatione, quæ est liberatio quædam ciuilis, tollitur obligatio inducta verbis, non tamen tollitur obligatio inducta re, vel de iure gentium, num. 18. vers. & quamuis, & n. 39. & seqq. vbi alia ad materiam.

Naturalis actus fortior est ad acquirendum, quàm ciuilis, n. 18. in fine.

Confessio de recepto solùm habet vim pacti de non petendo, n. 19. Vbi propterea, quòd non probat solutionem. Declara vt n. 38.

Nouatio non intelligitur facta ex eo quòd in secunda obligatione contineatur idem quod in prima, n. 10.

Venditor non liberat debitorem, nisi creditor consequatur pretium sibi ab eodem venditore assignatum, n. 21.

Creditor non prohibetur agere contra fideiussorem, quando à principali debitore satisfieri non potest, num. 22.

tur, censetur remittere totum ius pignoris, n.78.

Creditor restituendo cautionem chirographariam, in qua habet constitutum pignus, censetur remisisse ius pignoris, ibid. & n.79. Vbi ad cuius fauorem istud ius pignoris remissum censeatur.

Purgatio moræ non admittitur quando ius actoris est factum deterius, n.80. in fine.

Venditor ex natura contractus venditionis, debet emptori rem venditam tradere, n.82. & quando sumus in incorporalibus, debet facere cessionem, ibid.

Creditor exigendo debitum ab vno fideiussore, tenetur cedere iura, & actiones non solùm contra alios fideiussores, sed etiam contra pignora, n.83.

Duo rei debendi videntur adinuicem fideiuberi, ibid. in fine.

Exceptio non adimplementi obstat agenti ex contractu vltro citroque obligatorio, donec totum impleatur, num.84.

Exceptio non implementi impedit litis ingressum, ibid.

Soluens pro alio suo creditori debitum, nunquid possit cogere ipsum creditorum cui soluit ad cedendum iura, num.85.

Soluens debitum pro alio, liberat debitorem quoad pignora, sed nunquid acquirat ius super pignoribus, nu. 86. & seqq.

Cedere iura soluenti facere quis debet ante extinctum creditum, & pignus, n.88.

Soluens debitum pro alio, non succedit in locum creditoris, nisi facta sibi cessione, n.90.

Fideiussor soluens pro alio debitum quando sine cessione succedat in ius creditoris, n.90. & seq.

Creditori remittenti pignus quando obstat exceptio cedendarum, n.91. & seq.

Culpa eorum, quæ geruntur, imputatur non solum gestori, sed etiam mandatario, n.93.

Mandatum excedens non dicitur illud adimpleuisse, num.94.

Mora non est vbi non adest obligatio, & mora cessante, cessant vsura, & interesse, n.95.

FACTVM.

1 CVm Illustrissimus D. Sebastianus Zamettus creditor rec. me. Henrici III. Francorum Regis in summa scutorum 87000. habuisset à Rege in pignus quasdam pretiosas margaritas, & in contractu matrimonij Serenissimæ D. Christinæ Lotaringiæ Principissæ cū Serenissimo D. Ferdinando Medices Etruriæ Magno Duce, idem Rex promisisset certam partem dotis, quam tunc temporis numerare non poterat, fuit tractatum, quòd ipse Zamettus restitueret dictas gemmas ad effectum, vt Rex easdem in pignus pro scutis 200000. dictæ dotis Magno Duci tradere posset, sub quibusdam pactis, & conditionibus, quas tamen Zamettus non concludebat, sed verba dabat eidem Principissæ, & ad effectuationem conuentionum adduci non poterat, de quibus Rex certioratus vocari ad se fecit Zamettum, illiq; claris verbis declarauit se eandem fidem in cōtractibus secum gestis illi fore seruaturum, quam aliis ipse seruaret; quibus perterritus Zamettus gemmas pignoratas Regi festinanter & liberè restituit, cùm priùs à Maiestate sua Christianissima mandamenta Thesaurariis directa recepisset pro exactione sui crediti 87000. scutorum.

2 Et quoad Magnam Ducissam pro prætensa assecuratione sui crediti, licèt recta via satis esset accessio, & fideiussio ipsius D. Principissæ, & aliorum pro dicto debito Regio; tamen ipse respuit obligationem D. Principissæ, & voluit obligationes 14. virorum causa mutui ad fauorem quorundam mercatorum Lugdunen. sub certa forma.

Qua propter die 17.18. & 19. Februarij 1589. Domini Ioannes Baptista Abbas Guadagnus, & alij 13. viri singuli pro diuersis summis in totum ad dicta scuta 87000. ascendentibus, inter quos fuit etiam ipse Zamettus pro summa scutorum 15000. fecerunt obligationes ad fauorem dd. hæredum Aloisij de Capponibus, & aliorum mercatorum Lugduni, in quibus se constituerunt illorum absentium, & N. & N. præsentium, & pro eis acceptantium debitores in scut. 87000. ex causa mutui coram Notariis in tot aureis solis, & promiserunt eandem summam Lugduni dictis mercatoribus restituere per totum mensem Martij 1590. aliàs, vt in instrumento à duobus Notariis erogato.

Ac eadem die 19. Februarij Serenissima Principissa narratis dictis obligationibus 14. virorum, affirmauit eos huiusmodi obligationes fecisse ad eius petitionem, & dictam summam scutorum 87000. sibi soluisse, ac volens bonam fidem erga eos recognoscere, promisit eisdem 14. viris præsentibus, & acceptantibus soluere scuta 87000. dictis mercatoribus Lugduni per totum dictum mensem Martij 1590. & releuare eosdem 14. viros indemnes, & aliàs, vt in instrumento.

Die verò sequenti 20 Februarij 1589 Thesaurarius Molan expediuit sex mandamenta Regia, cōtinentia dictam summam scutorum 87000. soluendorum prædicto D. Zametto in extinctionem dicti sui crediti similis summæ directa diuersis receptoribus Regiis, illamque consignauit eidem Zametto.

Successiuè Rex die 25. eiusdem pretiosas margaritas sibi à Zametto, vt suprà, restitutas tradidit multum Illustri D. Horatio Ducellario Agenti Serenissimi Magni Ducis in pignus pro dicta parte dotis Serenissimæ Principissæ postea Etruriæ Magnæ Ducissæ, prout in instrumento.

Cæterùm dictus Zamettus die 27. dicti mensis Februarij transportauit, ac cessit dicta mandamenta Regia prædictis DD. Abbati Guadagno, & aliis 13. viris pro summa scutorum 72000. idest, singulis quantitatem pro qua se obligauerant ad fauorem dictorum mercatorum Lugdunensium retentis sibi pro residuo scutorum 15000. pro quibus Zamettus, vt suprà, se obligauerat, & eosdem 13. viros constituit dd. mandamentorum actores & exactores, transferens in eos omne ius ad disponendum de eisdem scutis 72000. ad suum beneplacitum.

Et hanc cessionem fecit mediante simili summa scutorum 72000. quam confessus fuit recepisse à dictis 13. viris, & habuit se de illa satisfactum, promittens, &c. obligans, &c. renuncians, &c. promisit in 13. instrumentis desuper confectis.

Tandem de mense Martij subsequentis 1589. prædicti DD. hæredes q. Aloysij de Capponibus, & alij mercatores Lugdunenses certiorati de dictis obligationibus 14. virorum à dicto Zametto, & ad eius requisitionem declararunt se nihil soluisse dictis 14. viris, & tunc, & non antea dictarum obligationum notitiam habuisse, seque nullum ius in eis habere, sed totum hoc negotium spectasse, & spectare ad D. Zamettum, obtulerunt ad omne eius libitum dare mandamenta, & alia necessaria, vt in diuersis apochis, & instrumentis.

Post aliquot annos occurrente obitu prædicti Abbatis

Abbatis Guadagni, vnius ex 14. obligatis, dictus Zamettus vigore dictæ obligationis & declarationis mercatorum Lugdunensium egit Florentię contra illius hæredes pro restitutione scutorum 4000. quæ dictus Abbas confessus fuerat mutuo recepisse à dictis mercatoribus Lugdunensibus, qui per duas sententias, & rem iudicatam fuerunt à dicta impetitione absoluti.

11 Quod videns dictus Zamettus conuertit se ad Serenissimam Magnam Ducissam, & ab ea, extraiudicialiter tamen, petiit totum suum creditum scutorum 87000. de quo sua Celsitudo Serenissima valde admirata fuit, quia audiuerat, & ex iustis causis credebat dictum Zamettum, qui per longum tempus tacuerat, fuisse à Rege de suo integro credito satisfactum: ipse autem Zamettus, qui exactionem scutorum 34000. occultare non potuerat, tandem eam confessus fuit, & inuenit aliquos ex dictis 13. viris obligatis, ac proponens eos molestare posse pro summa scutorum 53000. testantium, ac offerens velle à suis obligationibus liberare, illos induxit ad infrascriptas conuentiones.

12 Ideò die 28. Iunij & seqq. 1603. nonnulli ex dictis obligatis transportarunt, & cesserunt dicto Zametto præsenti omnia iura, talia, qualia pro sorte principali scutorum 53000. & vsuris sibi competentia contra Serenissimam Magnam Ducissam occasione dictæ recognitionis bonæ fidei, & omnia iura sibi competentia super dictis mandamentis Regiis, aliàs per eundem Zamettum in 13. viros transportatis, & huiusmodi cessiones fecerunt, vt ipsi cedentes remanerent liberati ab obligationibus ad fauorem ipsius Zametti, Domini à mercatoribus Lugdunensibus declarati, prout verè Zamettus illos liberauit, reseruato sibi iure se conuertendi contra prędictam Magnam Ducissam, postquam dicti cedentes confessi fuerunt, quòd licèt in dicta cessione mandamentorum dictus Zamettus confessus fuisset recepisse à 13. viris summam scutorum 72000. tamen veritas est quòd illi 13. viri non dederunt aliam rem pro pretio eorundem mandamentorum, nisi dictas obligationes ad fauorem dictorum mercatorum Lugdunensium promitten. &c. obligan. &c. renuncian. &c. & aliàs prout in diuersis instrumentis desuper celebratis.

Et cum omnibus suprà narratis instrumentis postea Zamettus rediit ad Serenissimam D. Magnam Ducissam, ac petiit pro residuo sui crediti dicta scuta 53000. vnà cum vsuris per totum dictum tempus decursis, dando longam informationem ad suadendum suam intentionem remanere fundatam.

13 Quibus visis, & diligenter cōsideratis, sicut Serenissima Magna Ducissa credere non debet esse meliorem fidem Zametti in hoc residuo, quam fuerit in aliis scut. 34000. post exactionem petitis, ita ex deductis pro eodem Zametto se ad petita non teneri, seque defendere posse, ac debere suasa fuit. Ad quem effectum nunc rogat RR. DD. meos pro consilio cum iuris allegationibus.

VOTVM CCCLXXIII.

Votum Rotæ Romanæ, Christi Domini auxilio implorato.

14 VIsis, ac diligenter consideratis suprascripta serie facti, ac omnibus instrumentis, & iuribus in ea narratis, inuenimus Illustrissimum D. Sebastianum Zamettum extraiudicialiter petendo à Serenissima Etruriæ Magna Ducissa summam scutorum 53000. cum prætensis vsuris fundare posse suam intentionem in infrascriptis.

Primò in instrumentis mutui 14. virorum, & recognitione bonæ fidei Serenissimæ Magnæ Ducissæ erga eos, necnon recognitionis bonæ fidei mercatorum Lugdunensium erga Zamettum, ex quibus Magnæ Ducissæ obligatio patenter probatur, vnde cùm solutio, vel satisfactio non ostendatur, quæ non præsumitur, sed probanda est ab eo, qui solutionem allegat. *l. quinquaginta ff. de prob.* sequitur necessariò Magnam Ducissam teneri, & obligatam esse soluere iuxta eius promissionem, & licèt obligatio non sit erga Sebastianum Zamettum, nihilominus ipse est creditor verus, qui etiam habet cessionem à mercatoribus Lugdunensibus.

Quòd si fieret aliquod fundamentum super instrumento celebrato sub die 27. mensis Februarij 15 dicti anni 1589. inter 13. obligatos, & Zamettum, in quo Zamettus cedit, & transfert mandamenta in eosdem obligatos, & confitetur se recepisse pretium, quod importaret solutionem eiusdem debiti, pro quo est obligata Magna Ducissa.

Respondetur quòd nihil facit, cùm in eodem instrumento, intentio partium non sit extinguere debitum Magnæ Ducissæ, sed apponere omnes clausulas, & cautelas, quæ conferant ad validitatem eiusdem instrumenti, non egrediendo terminos illius actus, & actus agentium non operantur vltra eorum intentionem. *l. non omnis. ff. si cert. pet. l. obligationum substantia. ff. de act. & oblig.* & ibi Doctor. & intentio agentium semper attenditur in contractibus. *l. cùm de lanienis §. quod se. ff. de fund. instr. l. Labeo §. fin. ff. de supell. leg. l. 3. C. de liber. præter. cap. intelligentiam. de verb. signif.*

Vltra quod videtur ille contractus omnino si- 16 mulatus, & ad alium finem, scilicet reddendum cautos 13. viros ne bis Zamettus eandem summam exigere posset, & quòd dicti 13. possent exigere mandamenta in vtilitatem propriam, & Magnæ Ducissæ pro soluendo mutuo, nulla enim fuit in veritate numerata pecunia, nec est verisimile, quòd 13. viri soluere voluerint recipiendo mandamenta absque aliqua cautione, quinimò, & si mandata fuissent verè translatanda, propterea excluderetur simul, quia cessio pro certa summa est contractus venditionis. Bart. *in l. diuersas num. 7. mand.* & ideò si non interuenit pretium, venditio est simulata, quia pretium est de substantia venditionis. *§. pretium. Inst. de empt. & vend.* & de hac exceptione potest opponere Zamettus; quamuis enim Bart. *in dicta l. per diuersas num. 12.* dicat quòd debet attendi confessio cedentis in eius præiudicium ad effectum excludendi simulationem, tamen est verum quando de simulatione constat tantùm ex confessione cedentis, quod non est hîc, vbi adsunt aliæ coniecturæ, & hoc modo debet intelligi, quod dicit Alex. *cons. 36. lib. 2.*

Ex quibus videtur concludendum quòd ex qua- 17 cunque clausula istius instrumenti non possit resultare extinctio obligationis Magnæ Ducissæ alterius instrumenti, quod nihil habet commune cum isto & verus sensus partium videtur fuisse per confessionem de recepto pactum de non petendo, & acceptilatione reddere cautos 13. viros, vt non possent bis molestari pro eadem summa vigore primi & vigore secundi contractus, non autem efficere,

vt extingueretur actio vigore primi contractus, & nulla ratio suadet, quòd Zamettus, qui tanto tempore laborauit pro assecuratione sui crediti cum tot cautelis, nolens sequi fidem Regis Christianissimi, nec Magnæ Ducissæ, postea incontinenti infra 7. dies voluerit extinguere actionem sibi competentem ex obligatione primi contractus, & sic istæ clausulæ in contractu translationis mandatorum remanent compatibiles cum primo contractu, & extinguitur obligatio soluendi pretium cessionis, remanet autem contractus obligationis.

18 Præterea quoad acceptilationem in eodem instrumento contractam, videtur quòd nō possit quadrare pro Magna Ducissa, cùm sit erga 13. obligatos, quia Magna Ducissa, & 13. obligati non sunt duo rei, iuxta theoricam Bart. *in l. 2. ff. de duob. reis,* sed sunt duo obligati, quia de 13. viris vnusquisque est obligatus pro sua summa, & pro eadem respectu omnium Magna Ducissa. Quando autem duo sunt obligati ad vnum, & idem, si tamen non sunt obligati vt duo rei, acceptilatio facta vni non prodest alteri. Ang. *in l. 2. §. si tamen hominem, in fine, ff. de acq. poss.* & quamuis acceptilatione, quæ est liberatio quædam ciuilis, tollatur obligatio, quæ est inducta verbis, nòn tamen perimit obligationem inductam re, vel de iure gentium. *l. an inutilis. §. accepta. ff. de accept.* Azo. *in summa de accept. nu. 3.* Castr. *in l. 3. ff. eod. tit.* Doct. *in l. vt responsum. C. de transact.* & cōsequenter si esset sublata obligatio 13. virorum, & Magnæ Ducissæ, quæ oritur ex contractibus, & instrumentis obligatoriis, nihilominus remanet obligatio iuris gentium. Namque videtur duplex contractus, & obligatio inter Magnam Ducissam & Zamettum, primus restituendi pignora quoad Zamettum, & quoad Magnam Ducissam releuandum Zamettum, quapropter stipulatio postea interposita pro contractu mutui, auget fortitudinem primi contractus, non illum extinguit. *Inst. de verb. oblig. in princ. & §. 1.* & remanet actus primus naturalis, qui est fortior ad acquirendum actiones, quàm ciuilis. *l. ea quæ ciuiliter. ff. de acq. rer. dom.* Vnde si acceptilatione cessat contractus ciuilis, remanet contractus iuris gentium, & ex eo obligatio, & actio pro Zametto.

19 Quo verò ad confessionem de recepto contractā in eodem instrumento translationis mandamentorum, videtur nihil tangere Magnam Ducissam, quia ista confessio solùm habet vim pacti de non petendo. *l. tale pactum, in princ. ff. de pact.* quod pactum de non petendo non est actus idoneus ad hanc liberationem Magnæ Ducissæ. *l. si rem. §. si duo, ff. de nouat.* & hanc doctrinam firmat Bart. *in l. ex duobus la 2. num. 32. ff. de duobus reis.* Ruin. *cons. 32. num. 6. lib. 1.* Fulgos. *cons. 134.* & ibi subscribit Cuman. Præsertim quia verè totum negotium spectat ad Magnam Ducissam, vnde debiti natura videtur expostulare, vt ista confessio ad Magnam Ducissam non porrigat vires suas, per text. *in l. in lege falcidia ff. ad l. falcid.* in quo distinguuntur effectus vnius, & alterius obligationis, inspecta causa debendi, & facit pro hac parte text. *in l. 1. C. de transa. & in l. si pupillus, ff. de adm. tut.* & faciunt regulæ iuris, Res inter alios actas, aliis non proficere, & absenti non solet prodesse confessio. *l. certum. §. si quis absente. ff. de conf.* maximè quia confessionem subsequitur acceptilatio, quæ consistit in promissione, & sic non tam probat solutionem illa confessio, quàm ex natura, & substantia acceptilationis videtur emissa. Bart. *in l. 1. ff. de his quæ in fraud. cred.* Bald. *in l. si actu C. eod. tit.*

Nec dici potest ex hoc contractu inductam esse aliquam nouationem, quia hoc non fuit actum, & quando in secunda obligatione idem continetur quod in prima, non intelligitur facta nouatio. *l. qui vsumfructum,* vbi gloss. & Doct. *ff. de verb. oblig. l. scire debemus, eod. tit.* Iason. *in l. certi condictio. §. quoniam. ff. si cert. pet.* & latè Doct. alibi. quod est etiam decisum in pluribus reis credendi. *l. si rem. §. si duo. ff. de nouat.* Vnde idem dicendum est in duobus reis debendi, nec debet admitti istud præiudicium creditoris, qui sentiret damnum, cùm illi intersit non nouam obligationem, sed magis numerum obligatorum augeri.

Secundò, quia licet Zamettus in instrumento die 27. Februarij vendiderit mandamenta Regia, & scut. 72000. pro illorum pretio recepisse confessus fuerit, tamen re vera illud non recepit, vt confessi fuerunt 13. viri, seu eorum aliqui in instrumento cessionis dictorum mandamentorum de anno 1603. Vnde intrat dispositio text. *in l. quæsitum, in princ. ff. de distr. pign.* vbi habetur quòd venditor non liberat debitorem, nisi creditor consequatur pretium, vnde videtur dicendum quòd non sint liberati 13. viri, nec Magna Ducissa, quia ex distractione mandamentorum ipsis 13. viris facta Zamettus non habuit pretium, & nihil aliud habuit quàm priores obligationes.

Tertiò, quia Zamettus habebat duo remedia pro exactione sui crediti, nempe mandamenta, & obligationes 14. virorum pro mutuo, & cum mandamentis non fuit illi succursum; ergo nihil prohibet quominus possit ad mutuum recurrere. *l. persecutione. C. de pign. l. 1. §. quid ergo. ff. de vent. inspic. l. consentaneum,* & ibi Bart. *quomodo, & quando iudex.* & Iason. allegat Concordantes *in l. 1. num. 23. ff. si quis ius dicenti non obtemp.* Alexand. *cons. 130. num. 15. lib. 4.* & facit doctr. Bald. *in l. final. §. sed si cum Seio, in fine. ff. si cert. pet.* vbi patet quòd quando quis non potest satisfieri à principali debitore contra quem egit, nihil impedit, quominus agat contra fideiussorem; imò nec satis est quòd sit consultum creditori, vt per Ang. *in l. qui restituere sub num. 5. vers. in gloss. in fin ff. de rei vend.* quia requiritur quòd sit actualiter satisfactum, & in hoc reprobatur Ang. vt per Iason. *in d. l. 3. num. 23.* Ita dicendum videtur in hoc casu, in quo quamuis Zamettus conatus sit sibi satisfieri ex mandamentis, cùm tamen non sit secutus plenus effectus, vt constat ex declaratione 13. virorum de anno 1603. nihil obstat quo minus agere possit, & habeat obligatam Magnam Ducissam.

Nec aliquo pacto debemus credere quòd Zamettus voluerit renuntiare actioni sibi competenti ex obligatione Magnæ Ducissæ, quam omnino voluit ante restitutionem pignorum, quia renunciatio est stricti iuris, & in ea non veniunt, nisi ea quæ exprimuntur. Card. *cons. 120. in fin.* Dec. *cons. 461. num. 6.* & voluntas quæ colligitur ex facto, limitatur, quatenus ex tali facto necessariò inferatur. Bart. *in l. 1. §. si quis hoc interdicto ff. de itin. actuq. priu. & in l. si patronus, in fin. C. comm. vtriusque iud. per l. fin. C. ne vxor pro marito.* Dec. *dicto cons. 461. n. 7.*

Quartò, quia quando præmissa non prodessent Zametto, cùm ei non fuerit satisfactum, intraret reuiuiscentia obligationis, in quo non facit difficultatem, an regula reuiuiscentiæ sit affirmatiua, vel ne-

vel negatiua, iuxta gloss. *in l. qui res §. aream. ff. de solut.* Bart. *in l. Mæuius* 68. §. *duorum num. 3. vers. sexto opponetur. ff. de leg. 2.* nam satis est quod omnes concordant, quòd ex causa actiones extinctæ possunt reuiuiscere gloss. *in d. §. aream, in verb. in perpetuum.* & faciunt omnes text. qui allegantur pro affirmatiua.

Pro qua in casu nostro facit dictum in Spec. *de fideiuss. in fin.* vbi si pro credito meo, pro quo habebam fideiussorem, dedisti mihi prædium in solutum, quod fuit euictum, fideiussor mihi tenetur pristina actione, quia res in solutum data non permansit apud me, facit text. *in l. deferre, in fin. & in l. sed reuocato, ff. de iure fisci. l. qui concubinam. §. si hæres. ff. de leg. 3. l. si quis aliam. ff. de solut.* glos. *in l. deficere §. si. ff. de iure fisci*, quæ procedunt ad effectum ne creditor remaneat in damno. Bald. *in l. libera n. 6 C. de sent.* sicut remaneret in damno Zamettus, si non daretur prima actio saltem vtilis, quia pignora restituit, & non haberet fideiussores loco pignorum, vt conuentum fuit, & sic careret pignore, & iure suo, & ex hac justa causa insufflatur spiritus actioni, & obligationi mortuæ.

Præsertim, quia si Zametto agenti priore actione opponatur de ciuili extinctione, potest per viam exceptionis replicare de restitutione in integrum, ex clausula, *si qua mihi iusta causa. l. 1. ff. ex quibus caus. maior.* Ioan. Baptista à S. Blasio *in tract. de act. n. 12.* & est communis opinio quòd possit opponi de restitutione in integrum per viam exceptionis, vel replicationis, gloss. Barr. & Doct. *in l. nam, & postea. §. si maior. ff. de iureiur.* Socin. *in l. qui agnitis, n. 15 ff. de except.* vbi attestatur de communi opinione, & stante, constat de læsione, hoc in casu ostendendum quòd Zamettus restituit pignora, & non consecutus est creditum suum.

25 Quintò, quia Zamettus habet cessionem, & retrocessionem iurium à 13. viris in instrumentis anni 1603. in quibus continetur cessio obligationum iurium & actionum virorum obligatorum contra Magnam Ducissam recognitricem bonæ fidei, retrocessio, & transportatio eorundem mandamentorum, qua mediante redeunt iura, & actiones in Zamettum, liberatio vera ipsorum obligatorum, declaratio quòd pro cessione 13. obligati non numerarunt pretium, & nihil dederunt, nisi solùm priores obligationes mutui, & quod magis stringit in hoc instrumento, adest præseruatio iurium ipsius Zametti erga Magnam Ducissam, & hæc videtur obstare, quia liberatio virorum obligatorum non inducit liberationem Magnæ Ducissæ, quoniam reperiuntur iura præseruata. *l. & per iusiurandum. §. si legatorum*, vbi glos. *ff. de accept. l. si quis reum. vers. Alioquin si solemni. ff. de liber. leg.* Bart. *in leg. ex duobus reis, quæst. 2. ff. de duobus reis, & in auth. Hoc ita, numero 4. Cod. eod. & in l. si cum exceptione. §. Labeo ff. quod met. caus.* latè Roncheg. *in l. 2. num. 115. de duobus reis.* ergo in hoc casu quicquid sit de 13. obligatis, debet esse saluum ius Zametto contra Magnam Ducissam.

26 Sextò & vltimò, quia quando deficerent Zametto omnia instrumenta, saltem remaneret primæua obligatio, vt tactum est suprà ex restitutione gemmarum; cùm enim facta fuerit in gratiam Magnæ Ducissæ, vt perficeretur contractus matrimonij, tenetur Magna Ducissa recognoscere æquitatem, & soluere summam scutorum 53000. cum interesse decurso, iniquissimum enim est ludificari creditorem, qui consensit venditioni pignoris. *l. sicut §. illud videamus. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu.*

Quibus tamen non obstantibus censemus hodie Zamettum vel carere actione contra Magnam Ducissam, vel ab ea legitima exceptione posse repelli; & pro huius sententiæ defensione præmittimus. 27

Primò aduertendum, quòd Magna Ducissa non est debitrix originaria Zametti, sed est debitor Rex Christianissimus, qui etiam promisit dotem, & Corona, vt declarauit Parlamentum Parisien. vnde non est mirum si Magna Ducissa se defendit, videns Regem principalem debitorem tutum, necnon 13. viros in Francia nunquã fuisse interpellatos à mercatoribus, nec à Zametto, sed Magnã Ducissam, quę absens, & ignara quid factum sit, à multis annis credebat, & credit, vel ex ipsis mandamentis, vel alio modo à Rege Zamettum esse satisfactum, & hoc potest hodie credere rationabilius, siquidem Zamettus petebat à Magna Ducissa integram summam scutorum 87000. & ita perseuerasse dicitur vsque ad annum 1600. & vltrà, & tamen repertum fuit ex mandamentis fuisse exacta scuta triginta quatuor millia vsque de anno 1590. Aliæ verò quitantiæ non potuerunt reperiri, & tamen non credimus in hoc residuo esse meliorem fidem Zametti, quàm fuerit in exactis, & post exactionem denuo petitis.

Secundò, quòd quamuis de iure gentium fuerint introductæ plures species contractuum inseruientium varietati negotiorum inter homines, & particulares formæ assignatæ, quæ nec etiam ex voluntate contrahentium mutationem recipiebant. *l. 2. in princ. & §. appellata, & l. cùm quid. ff. si cert. pet.* & erat opus adimplere secundùm naturam contractus celebrati antequam diuerteretur ad alium; nihilominus, quia hoc magnam afferebat vtilitatem his, qui incumbebant negotiis, qui necesse habebant alterare, commutare, & reuoluere, quæ iam gesta erant, nec poterant propter diuersa impedimenta primas conuentiones adimplere, nec adimpleri volebant. idcirco ex communi vtilitate de jure ciuili repertum fuit, vt contractus inuicem conuerti possint ex vno debito, & ex vna causa, in aliud debitum ex alia causa, tam inter easdem personas, quàm inter diuersas. §. *quo genere. Inst. quibus mod. toll. oblig. l. licet §. quoties. l. nuptura §. 1. l. pater. §. 1. & l. si sponsalibus. de iur. dot.* & hoc pacto ad istas conuentiones, & transfusiones res reddenda, & pecuniæ numerandę habentur pro traditis, & numeratis quam doctr. approbant Doctor. omnes *in l. singularia ff. si cert. pet.* vbi Bart. *num. 21.* Ang. *nu. 8. & 9.* Salic. *nu. 17.* & quando termini sunt habiles, sola voluntas contrahentium sufficit, vt declarat ibi Aret. *num. 8.* & Castr. *num. 5. & 19.* Dec. *num. 28.* Curt. jun. *num. 38.* Cagn. *numero 216.* & latè Bologn. *numero 2.* & Zas. *numero 14.* dicit id à jure fuisse introductum ex quadam benignitate; & quamuis talis conuersio multis modis fieri, possit considerari inter transfusionem, quæ fit per conuentionem & nouationem, & delegationem, vt distinguit, & declarat idem Bologn. *numero 106. & 107.* tamen quocunque modo satis est quòd stante transfusione, & conuentione resoluta remanet prior obligatio, & liberatio resultat vel ipso jure, vt videtur sentire Cagn. *d. num. 216.* & clariùs Bologn. *num. 29.* qui testatur de veriori opinione, vel saltem ope exceptionis, vt declarat ibi Roman. *numero 40.* nec faciendo istas transfusiones propterea dicitur fieri aliqua simu- 28

latio de contractu ad contractum, iuxta titulum, plus valere quod agitur, vt latè tradunt addentes ad Dec. *in dict.l.singularia nu.28.in vers.debitum*, & Cagn.*ibi n.216.vers.quæ conuersio.*

29 Tertiò quòd prior,& originarius contractus inter Magnam Ducissam,& Zamettum,fuit obligatio quæ orta est ex conuentione restitutionis pignorũ facta Regi,quę obligatio conuersa fuit in mutuum 14.virorum,& Magnæ Ducissæ soluendum infra 13. menses, & idcirco contractus ille mutui est pro cautione loco pignorum restitutorum, & est obligatio soluendi Zametto creditum suum, quod habebat erga Regem conuersa in obligationem mutui,ex supradictis,& consequenter debitum Regis, & debitum Magnæ Ducissæ est vnum, & idem, quod poterat ab vtroque solui, sed non propterea poterat ab vtroque exigi.*l.si Stichum §.fin. ff.de nouat.*gloss.*in l.Valerianus.ff.de prætor.stipul.* quam citat ibi Bart. in principio. facit *l.qui bis idem.* & ibi Doct.*de verb.oblig.*& patet ad sensum.

30 Quartò quòd Zamettus poterat vno ex duobus modis exigere creditum Regis Christianissimi,vno modo ex mandamentis habitis à Rege,cuius Christianissimæ Maiestatis proprium erat debitum. Secundo modo ex mutuo soluendo per 13.obligatos, & Magnam Ducissam, in quod, vt diximus, conuersa erat obligatio releuandi Zamettum, propter restitutionem pignorum, & successerat loco eorundem pignorum, Zamettus verò elegit exigere primo modo, quoniam ad ipsum spectabat electio cùm haberet plures obligatos.*l. reos. §.cum in tabulis ff de duobus reis.l.ex duobus ff.eod.* Surd. *decis.*308. *numero* 2.videlicet per venditionem,vel cessionem mandamentorum, quæ cessit 13. viris obligatis pro eodem pretio, ad quod ascendebat debitum mutui, & creditum suum erga Regem: vnde si verum est quòd ex istis mandamentis sit satisfactum Zametto, vtique cessabit omnis obligatio, quia, vt diximus, potest ab vtroque solui, sed non ab vtroque exigi, & in hoc aduertendum est, quia dum nos probamus inferiùs ex instrumento cessionis mandamentorum inductam esse liberationem, quòd nos non intelligimus cessionem esse factam à Zametto, & acceptatam à viris obligatis ad effectum principaliter tollendi contractum, & obligationem mutui, sed quòd per Zamettum est electa via sibi satisfaciendi ex mandamentis, & quòd satisfactio quoad Zamettum extinguit debitum Regis, qui debitor factus est cessionariorum, & desiit esse debitor Zametti, & consequenter extincto debito Regis erga Zamettum per prædictam cessionem mandamentorum, sequitur, quòd etiam est extincta obligatio mutui 13.virorum, & Magnæ Ducissæ, in quod erat conuersa obligatio soluendi debitum Regis loco pignorum, quæ extinctio est ipso iure, vel ope exceptionis, & ita à jure prouenit, non autem principaliter à contractu distractionis mandamentorum, nec Zamettus aliud prætendere posset vnquam, quàm pretium mandamentorum ab illis quibus vendidit, vel cessit.

31 Vnde non obstat quòd satisfactio quæcunque sit vel vera,vel imaginaria,censeatur facta ex causa cessionis mandamentorum, & ad illam referri, quia nihilominus tollit primum antiquum debitum.Alc.& Dec.*numero 5.in l.1.C.de transact.*& censetur etiam facta ex causa originaria, & obligationem antiquam tollit,saltem vt solutio, vt ibi Dec.expressè *num.*5.& in nostris terminis Beniten. qui materiam latè prosequitur per totam *decis.*81.& in hoc vltimo proposito *num.*20.& aduerte in casu nostro quòd ibi Dec.ampliat,& extendit à solutione ad confessionem, quod multum prodest in materia nostra. Ex quibus sequitur quòd Zamettus liberauerit, & absoluerit à solutione sui crediti Regem erga se ipsum 14.viros, & Magnam Ducissam. De liberatione Regis patet.nam Zamettus cedit,& transportat summam 72000. scutorum ex summa 87000. contentam in sex mandamentis, siue assignationibus; ergo cedit creditum erga Regem, quia à Rege debebantur. Deinde inferiùs eorumdem mandamentorum, facit, & constituit eosdem 13. viros portitores eiusdem summæ 72000. scutorum veros actores,& exactores,& receptores,transferens in ipsos omnimodo locum,iura, & actiones sui ipsius; ergo non mandauit simpliciter solutionem mandamentorum,sed transtulit iura, & actiones suas,quas habebat in Regem debitorem suum; ergo cessionarij successerunt in ius cedentis, & censendi sunt eadem persona cum cedente. *cap.denique 7.quæst.1.l.si donare.§.1.ff.de donat. inter virum & vxor.* Crot. *cons.*83.*num.*10. & consequenter omnia iura quę cedens habebat.*l.si ager,in fin.*vbi Din. Bart.& alij.*ff.de rei vend.* & Natt. *consil.*367.*num.*21. dicit quòd etsi debitor non possit ius passiuum inuito creditore in alium transferre.*l.si mandato meo §.1.mand.* tamen bene potest creditor ius actiuum, quod sibi competit,cedere alteri. Tiraquel.*de retr. consang.* §.26.*gloss.*3.*nu.*32. ita vt cessionarius possit omnia ea quæ poterat cedens antè cessionem. Bero.*cons.*187.*num.*17.*& seq.vol.*1.

Et quamuis penes cedentem actiones directè remanere soleant,*l.quis ergo casu.ff.de pec.*Bart.*in l.1. C.de act.& oblig.*Afflict.*dec.*335.*nu.*22. tamen possint dari casus quòd non remaneant, vel remaneant inutiles, ac si non essent secundùm communem opinionem, de qua per Paris. post alios *cons.*19.*nu.*63.*cum seqq.lib.*3.

Atque hoc præsertim, quando cedens ponit in locum suum,vt in hoc casu in quo notabiliter dixit Ang.*in l.si cum emptore num.*3.*ff.de pact.*quòd creditor qui cessit iura sua alteri,& cessionarium in locum suum possit, post cessionem non potest exigere,nec agere contra debitorem, & quòd ideo Notarij apponunt illa verba,in locum suum,& *in l.si 1. in fine ff.de transact.* per text. *in l.qui quadraginta. ff. ad Trebell.& sequen.* Aret.*in l.cum filiofam.numero* 5. *ff.de legat.*1. facit Bart. *in l.si in prouinciali. §.si ergo ff.de oper.non.nunc.* & est text. *in l.sed si tantùm*, ibi, *loco domini.ff.de pact.l.planè*, ibi, *suo loco. ff.famil. ercisc.*

Quòd si ista verba sola non sufficerent,cùm semper cedens ponat cessionarium in locum suum, & ideò aliqui tenuerunt contra Ang.vt per Castr. *in dicta l.si cum emptione num.*4. & ibi Ias. *num.*4.*vers. quos reprobat.*Surd.*cons.*22.*num.*31.*lib.*2. decis.Pedem. 44.*num.*7. vbi per Ang.allegat. Crot. *in cons.*1.*num.*12.*&* 14.*& seq.*nihilominus hæc opinio est vera sine contradictione, quando adsunt alia verba prægnantia.Veronen.*caut.*190. incipit, *Tu habes.*Ias.*in dict.leg. si cum emptore num.*11. Rip. *in l.1.in princip. numero* 13.*ff.ad Trebell.*in hoc casu constituuntur 13. viri,veri actores,exactores,& receptores, id est,liberi actores,exactores, & receptores, *l.vero procuratori.ff.de solut.* ergo eo pacto, vt nullo modo possint impediti,

Vlterius

Vlteriùs adsunt verba transferentia omnimodo iura, & actiones sui ipsius; ergo omnem speciem actionis. gloss. *in Clem. verbis, in vers. omnimodam, de foro comp.* Quia verbum *omnimodo*, comprehendit omnem casum. gloss. *in l. cum exceptione l. §. quatenus, in vers. omnimodo*, & ibi Bart. *ff. quod met. cau.* & interpretatur, id est, sine distinctione, *dicto §. quatenus.* Ruin. *cons. 147. num. 12. in 2.* & habet hoc verbum latissimum significatum. Roland *consil. 75. numero 13. libro 3.* Igitur omnis actio tam directa, quàm vtilis, est translata, præsertim stantibus verbis, sui ipsius, cùm propriè Zametti essent directæ actiones.

Vnde non obstat quòd non adsint illa eadem verba, de quibus loquuntur allegati Doctor. videlicet quòd cedens transferat omnem spem, & exercitium actionum, quia ista verba æquiualent, & præualent, & non est posita formula in verbis, sed in intentione cedentis, quæ colligitur ex verbis, & hæc videtur esse mens dec. Pedem. 44 *num. 7.* ibi illa verba, *Ponendo in locum suum*, & similia, & consequenter non requiritur quòd aliqua interueniant, ex traditis *in l. 3. C. de nouat.* vt tenent alleg. Doctor.

33 Præterea sumus in casu, in quo cessio non est facta in commodum & periculum cedentis, sed cessionariorum, quod patet, quia Zamettus specificè protestatur se nolle promittere aliquam securitatem, siu pecuniarum restitutionem, nisi de facto proprio, & de iure sit distinctio, quod quando ceditur, omne simpliciter periculum spectat ad cedentem; quando verò nomen datur in solutum, vel venditur, periculum transit in recipientem. Imol. *in l. facta §. si heres, colum. 2. ad Trebell.* & eam sequitur Barb. Curt sen. Socin. Ias. & Dec. & alij, quos allegat Surd. *cons. 22. num. 33. lib. 1.* & tunc remanent inutiles actiones cedentis, quia non est iustum, quòd sit in eius facultate priuare cessionarium iure suo, ad cuius commodum, & incommodum est facta cessio. argumento, *l. si superatus*, vbi Bart. *ff. de pign.* & Surd. *dicto cons. 22. num 31.* qui in fine, hoc in casu secundùm opinionem Doct. non loqui text. *in l. 3. Cod. de nouat.*

34 Non obstat, quòd cessionarij non fuerint præsentes, quia adest stipulatio Notarij. Bart. *in l. stipulatio ita §. stipulationem nu. 3* & ibi Alex. *ff. de verb. oblig* & idem Bart. *in l. nec ei. §. eorum vers. quæro numquid tabellio. ff. de adopt.* Dec. *cons. 407. n. 14.* & in terminis cessionis factæ absenti, stipulante Notario, Io. Andr. ad Spec. *in tit. de cess. act. §. 2. de form. instr. super cess. act. in 2. part.* ad d. Bald. *in l. per diuersas, quæst. 14. n. 18. C. mand.* Si igitur Rex liberatus fuit facto Zametti, non habet Zamettus aliquam actionem aduersùs eum, qui promisit soluere debitum Regis, quia liberato principali, ampliùs non tenetur, qui debitum illius soluere promisit. *l. & hæredi. §. si. cum l. seq.* & ibi Doct. *ff. de pact.*

35 Nec est dignum consideratione, quòd Zamettus recuperauerit iura, & actiones per retrocessionem 13. virorum, quia ista retrocessio non pertinet ad Magnam Ducissam, contra quam vigore cessionis nullum fuerat jus quæsitum, nec actionem 13. virorum, quam possent retrocedere, pro quibus facit doctr. Bart. *in l. fin. in fin. ff. de pact.* Bald. *in l. fin. in fin. C. de dona. ante nupt.* quem sequitur Ias. *in dicta l. fin. num. 2. ff. de pact.* an autem recuperauerit contra Regem, hodie non quæritur. Liberatio verò 13. virorum probatur. nam in contractu ita dicitur, *Questo transporto fatto per mezzo di simile somma di 72000. scudi, laqual per questo detto Zametto confessa d'hauer riceuuto da detti sopra nominati, & se ne tien fodis fatto, &c. obligando in detti nomi, &c. promettendo, &c.* Si enim verè ista summa soluta fuit per obligatos, tunc solutione eius quod debetur, omnis tollitur obligatio. *l. si Stichum ff. de solut. l. si pupillus. §. additio in pr. ff. ad leg. falcid.* Goz. benè ad terminos nostros *cons. 36. n. 8.* cum simil.

Quòd autem confessio de recepto probet veram solutionem, est communis, & recepta Doct. conclusio, *l. pecuniæ*, vbi Bart. & cæteri, *Cod. de solut. l. inter causas. §. abesse*, vbi glos. *in verb. soluitur. ff. mand.* Bart. *cons. 160.* incipit, *Titius promisit lib. 1.* Bald. *cons. 251.* incipit, *duo rei debenai, num. 2. lib. 3.* vbi subdit quòd post lapsum 30. dierum hæc opinio procedit de iure, & consuetudine. Cum. *cons. 24. num. 2.* quod fuit subscriptum à Christophoro de Castellione, & alijs antiquis Doct. Nec facit, quòd 13. viri non fuerint præsentes, quia præterquàm quòd adest stipulatio Notarij, recepta est conclusio, quòd confessio de recepto probat liberationem, non obstante absentia, vt trad. Bald. *in l. generaliter nu. 34. 12. quæst. Cod. de non num. pec.* vbi dicit quòd confessio tendens ad liberandum, facta absente parte, si non valet in vim pacti liberatorij, valet tamen in vim probationis solutionis debiti, quia iura multum fauent solutionibus, & obligatis, & de communi testatur etiam Alexand. *cons. 245. nu. 5. & 6. lib. 6.* quia promptior est confessio ad liberandum, quàm ad obligandum, licèt de æquitate Canonica prodesset etiam ad obligandum, & Hipp de Mars. *in l. fin. num. 16. Cod. de iurisd. omn. iud.* & Guidop. *decis. 171. num. 1.* dicit confessionem de recepto semper valere, & operari suũ effectum quoad probationem liberationis. 36

Et quamuis sit difficultas, an confessio in instrumento cessionis probet numerationem, quando agitur de præiudicio tertij, tamen in præiudicium ipsius cedentis, id est, Zametti confessio probat. Bart. *in l. per diuersas num. 12. C. mand.* Gabr. *de act. concl. 5. num. 29.* Tiraquell. *de vtroque retr. §. 1. gloss. 18. num. 76.* & in puncto Alexand. *cons. 36. nu. 1. & 2. lib. 2.* vbi dicit quòd propterea cedens non potest dicere, nec annullare simulationem. Ioan. Bapt. de Grass. *in tract. de cess. iuris & actionum. §. 3. num. 4. tom. 3. part. 2. tract. chart. 73.* qui alios concordantes adducit. 37

Non obstat quæ contra confessionem dicta sunt suprà, quia non est verum in casu nostro, quòd confessio de recepto nihil sit aliud quàm pactum de non petendo, non aptum ad producendam liberationem, quia ex supradictis patet non esse in simili confessione, nec potest reduci ad simplex pactum de non petendo separatum à quocunque alio pacto, & sub nube tantùm, quo casu virtus eius ampliùs non extenderetur, nisi vt ampliùs non petatur ab illo, in cuius fauorem gestum est. *l. si ex pluribus, in princ. ff. de solut. l. tale pactum, in princ ff. de pactis.* & ita dixit Bald. *d. cons. 251.* & est intentio aliorum; nos verò versamur in casu, in quo confessio non est separata à solutione vera, vel imaginaria, sed implicita, & annexa: vnde per annexitatem causæ debendi alteri per alterum acquiritur saltem exceptio doli. *l. non solum. §. si liberationis. ff. de liber. leg.* vbi glos. arg. *l. rescriptum. §. fin. ff. de pact.* Et quòd non sit separata patet, quoniam viri obligati in instrumento dicuntur portitores dictæ summæ scut. 72000. & Zamettus tenet se satisfactum de dicta summa, & dixit mediante simili summa, quam propterea Zamettus confitetur se recepisse, vnde cõplic- 38

catio solutionis, & satisfactionis cum confessione est patens, in quo casu veritas est de iure quòd confessio facta vni, alteri prodest. Bald. *in sæpe allegato cons.251.lib.3.* Cum. *d.cons.24.* subscripto à Christophoro de Castell. à Prodocimo de Comitibus, & ab Andrico Alano, & hanc opinionem sequitur Roncheg. *in d.l.ex duobus, in fi.ff.de duobus reis*, & ibi declarat Bald. & Cum. quòd posset esse aliqua difficultas in liberatione personali, secus in reali, quia cessant regulæ allegatæ, *Res inter alios acta*, &c. & quòd absenti non prodest confessio.

39 Si autem remaneret difficultas super vera solutione, & probaretur non numeratio, nos habemus acceptilationē, vt *in l.1.ff.de accept.* quia habemus in primis specificam stipulationem Notarij, ibi, *il Tabellione sotto scritto stipulando, & acceptando per essi.* Deinde habemus in ipsa confessione stipulationem importatam per verbum *promittens*, &c. *§.si scriptum.Inst.de inut.stipul.* Bart. *in l.lecta nu.2.ff.si cert.pet.* & ibi Bald. Ang. & Salic. Alc. *in l.1.ante numerum.34.ff.de verb.oblig.* Alex. *in dict.l.lecta*, & Ias. *ibid.* Alexan. *cons.13.n.4.lib.1.* cum aliis latè congestis per Surd. *decis.115.* Quod procedit etiam in contractu. Rom. *in l.sciendum n.4.* & ibi Aretin. *ff.de verb.oblig.* Ias. *in d.l.lecta, in prima limitatione, n.25.* allegans Bart. *in l.ex placito. C.de rerum permut.* licèt ipse inclinet in aliam sententiam. Crot. *in d.l.sciendum, nu.5.* quæ opinio fulcitur ex eo textu *in §.si scriptum. Inst. de inut.stipul.* qui simpliciter loquitur, nec distinguit pactum nudum ab innominato contractu, & hanc opinionem verisimilem conditur Placit. *in rubr.ff. de verb.oblig. lib.5.tit.de prom.c.7.n.11.cum seqq.* Traditum est autem acceptilationem quatenus sit ad effectum libertatis, habere vim solutionis. *§. item per acceptilationem. Inst.quib.modis toll.oblig.* Bart. *in l.si marito.§.si pater.ff.sol.matr. & in l.& per iusiurandum, §. qui ita, in fine.ff.de accept.* & not. *in l.1.C.de reuoc. his quæ in fraud.cred.* cum multis cumulatis per Rócheg. *in l.2.n.98.vers.ex quibus omnibus ff.de duob. reis*, omnium tollitur obligatio, vt ibi per eum, & est text. *in l.si ex pluribus.ff.de accept.* Alb. *in l.neque n.1. C.de trans.* Alex. *in l.1.n.8. C.eod. & in l.petens, n.16. C.de pactis, & d.l.si marito.§.pater. ff.sol.matr.* & hoc non, quia alteri obligatio acceptilatum sit, sed quoniam soluisse videtur is qui acceptilatione solutus est, *d.l.si ex pluribus*, cum aliis, & consequenter non minus acceptilatione, quàm vera satisfactione tollitur omnium obligatio, & dicemus inferiùs, & vbi apponitur acceptilatio, non requiritur alia probatio numerationis, cùm non possit vbi est acceptilatio, amplius opponi exceptio non numeratæ pecuniæ, vt est text. & ibi Bart. *in.l.si accepto fuerit.ff.de accept.* cùm sit inuenta ad solemnizandum, & validādum actum, vt declarat Aret. *in §.1.n.7.Inst.mod.toll. oblig.* vbi dicit quòd quando procedit confessio de recepto, vtile est quod etiam apponatur acceptilatio, quia tunc nihil opponi potest, præsertim, vt in casu nostro, quando acceptilatio complectitur totum debitum. Fulg. *cons.134.num.2.vers.respondendo.* Roncheg. *in d.l.2.n.106.110.& 111.ff.de duobus reis.*

40 Non obstant quæ opponebantur ad eneruandam acceptilationem, quoniam sumus in duobus reis debendi, quia sunt in solidum, & principaliter obligati, *l.eandem, in princ.* vbi omnes. *ff.de duob.reis.* & quamuis non sint omnes in solidum obligati respectu totius summæ, tamen vnusquisque respectu suæ summæ, & Magna Ducissa cum vnoquoque sunt in solidum obligati: videatur Alber. latè *in rubr.C.de duobus reis.* Roncheg. *in rubr.ff.eod.nu.77. cum seqq. & d.l.eandem n.8.& seq.* Benint. *d. decis.81. n.7.* Surd. *dec.308.n.11.cum seq.*

Præterea forsan procederent, quæ opponuntur, quando acceptilatio est personalis, vel respicit partem debiti, non totum, integrum, & insolidum, vt loquitur Ang. alleg. in contrarium, & ita intelligunt alij Doct. & declarat Ias. *in d.l.2.§.si tamen hominem, in fin.super gl.acceptilatum.ff.de acq.poss.* in casu nostro acceptilatio est in rem, vt dicam infrà, quia summa debita accepto fertur, & est in solidum, quia est de tota, & integra summa, ideo dixit ibi Galiag. *n.11.* loquens de debitore, & fideiussore, quòd vno liberato, alter est liberatus, & liberatio realis collata in persona fideiussoris prodest principali. *l.si quis reū. ff.de liber.leg.l. & hæredi, in prin.§.fi.& l.seq.* cum glos. *ff.de pact.* quam verissimam conclusionem dixit Rócheg. *in d.l.2.n.111.ff.de duob.reis.* Nec facit quòd acceptilatio non tollat contractum iurisgentium, & obligationem reinductam, vt in casu nostro, vbi originaria obligatio videtur conuentio restituendi pignora ex parte Zametti, & ex parte Magnæ Ducissæ obligatio releuans Zamettum propter restitutionem, vnde sublato contractu ciuili per acceptilationem, videtur remanere naturalis, quandoquidem prior illa conuentio poterat esse contractus de per se, & poterat non esse secundùm intentionem partium: non autem erat aliquo pacto contractus certitudinarius; ideo contrahentes formarunt inter se hanc intentionem, quòd solutio censetur facta breui manu, & fieret obligatio de soluendo ratione mutui; vnde prior ille contractus, qui considerari poterat inter Magnam Ducissam & Zamettum per stipulationem antecedentem, vel subsequentem incontinenti interpositam, non est quidem nouatio, sed idem contractus & factum præcedens, vel subsequens restitutionis pignorū, vnde oriebatur obligatio Magnæ Ducissæ, præsumitur factum in executionem præcedentis conuentionis, vt bene declarat Bart. *in d.l.singularia, n.10.ff.si cert.pet.* vbi ponit exemplū, quòd si deponerem apud te rem, vel eam tibi commodarem, & statim per stipulationem promitteres eam reddere ex causa depositi, vel commodati, tunc oritur actio ex stipulatione, & præcedens traditio censetur facta causa implendæ stipulationis, & ibi add. ad Bart. latiùs declarant, & cum Bart. transeunt communiter Doct. vt ibi attestatur Curt.jun. *nu.11.* maximè quia contractus mutui fuit incontinenti stipulatus, quod dicitur antequam partes habeant actū pro perfecto, & absoluto. Castr. *in l.si ita fuero.§.cùm pecuniam.ff.de nou.* qui tex. cum l.seq. benè facit in proposito nostro, & ita facta fuit stipulatio mutui in executionem prioris conuentionis non nouatæ, sed quæ est vnus & idem contractus & nouatio præsupponit contractum, qui possit nouari. Castr. *in d.§.cùm pecuniam.* vnde non habemus nisi contractum ciuilem, de quo tractatur. Vlteriùs hanc oppositionem remouet text. *in l.si acceptilatum.ff.de accept.* vbi dicitur si acceptilatū fuerit ei qui non verbis, sed re obligatus est, non liberabitur quidem, sed exceptione doli mali, vel pacti conuenti se tueri potest, & ratio est, quia quādo acceptilatio peccat in materia, quæ est facta ratione rei debitæ, vel ex contractu juris gentium, vel alio modo quàm ex stipulatione, tunc si non intrat liberatio, ipse jure agens remouetur doli mali exceptione. *d.l.si acceptilatum*, Bart. *in l.an inutilis in pr. ff.eod.* & alij *in l.vbi pactum*, & ibi Ias. *n.6.C.de trans.* Nec

41 Nec miraculum eſt affirmare in hoc caſu, quòd adſit nouatio, diſtinguendo quòd tres ſunt ſpecies nouationis ſumptæ in genere. Prima eſt quando per ſecundum contractum tollitur primus per modum veræ extinctionis, & fit alius contractus. *§.præterea.Inſt.quib.mod.toll.oblig.* Altera, quando fit per delegationem.*l.delegare.ff.de nou.*cum ſimil. Tertia eſt, quando fit conuerſio de vno contractu in alium, ex ficta ſolutione, vel ficto adimplemento, tunc enim finitur primus contractus, & datur initium ſecundo, vt diximus ſuprà, & declarat Bologn. *in d.l.ſingularia nu.*20.

42 Ergo videamus quid actum ſit in hoc caſu, & patet, quod eſt mutata forma contractus: debebant enim Zametto ſoluere 13.viri ſummam promiſſam, vel debitam ex mutuo infra 13.menſes, quod erat ſoluere debitum Regis Zametto in compenſationem pignorum reſtitutorum, quod mutuum erat imaginarium, quia nec Zamettus, nec mercatores Lugdunē.quicquam mutuauerant, quod quia facillimè probari poterat, placuit Zametto habere firmiorem cautelam, & ideò ceſſit mandamenta 13.viris, & vel recepit pretium, vel circumſcripta pro nunc acceptatione remanſit creditor pretij, vt ſibi ſolueretur, cùm primùm ceſſionarij exegiſſent, & ſic virtualiter quod debebatur propter reſtitutionem pignorum, vel ex mutuo, cœptum eſt deberi ex contractu conditionis mandamentorum, quia vtrumque non poterat eſſe debitum, nec exigi à Zametto, vt diximus. & ideò eſt nouatio, quæ eſt de vna obligatione in aliam transfuſio, & mutata forma contractus ceſſat prior obligatio. Bald. *in d.l. tam mandatori num.9.C.de non num.pec.& in l.nouatione.C.de fideiuſſ.*quem ſequitur Soc.*conſ.62.num.*23. *lib.*4. Aret.*conſ.57.colum.*2. Natt.*conſ.202.num.*1. quia quòd nouatio non præſumatur, eſt verum, remanente eadem forma obligandi. *l.cùm plures.ff.loc.l. Valerianus,*vbi Doct *ff.de prat.ſtipul.* Dec.*conſ.*464. *num.*4.& 5. Immò ex præſumptionibus, & coniecturis probatur nouatio. Alex.*conſ.13.num.8.lib.*2. Curt. ſen.*conſ.*6. Aym.*conſ.167.num.*11.& 12. cum multis, & quidem ſtante ſpecifica mutatione formæ contractus impoſſibile videtur non eſſe inductam hanc transfuſionem, & vt dicit Bald.*conſ.128. col.2.nu.2. lib.*2. dicitur facta nouatio, ſi illud quod debetur ex cauſa mutui, transferatur in cauſam depoſiti.

43 Et ſi diceretur quòd vtrumque eſt in obligatione, ſcilicet, vt mutuo ſatisfiat iuxta primam obligationem, & vt ſolutum pretium, iuxta inſtrumentum ceſſionis mandamentorum, & ita non eſt inducta nouatio.*l.ſi fundum.ff.de donat.* Reſpondetur, quòd *in d.l.ſi fundum*, non eſt mutatus contractus, & cauſa debendi, ſed tollit dubium; quia ſi non ipſo iure eſt inducta iſta conuerſio, & nouatio, tamen ope exceptionis dicitur inducta, vt in ea *l.ſi fundum*, ibi, *ſecunda verò ſtipulatio tenet, ex qua non fundus, ſed pecunia debetur*; ita in hoc caſu ex ſecunda ſtipulatione debetur pretium, & non ſolùm mutata eſt cauſa obligatoria, & contractus, quo non mutato procedunt dicta per Doct. *in l.quibus idem. ff.de verb.oblig.* ſed eſt mutatum tempus ſolutionis, quia in obligatione mutui ſolutio erat facienda infra 13.menſes, in obligatione pretij non adeſt præfixio termini, quo caſu dicitur inducta nouatio, vt tenent communiter omnes Doct. indifferenter, vt dicit Iaſ. *in d.l.quibus idem. ff.de verb.oblig.* nec eſt difficultas quòd idem debitum eſt in mutuo, & in pretio, vt ſuprà declarauimus.

Et vlteriùs ad tradita per Doctor. *in l.qui vſumfructum. ff.de verb.oblig.* reſpondet Aret. *in l.ex duobus la 2.ſub nu.12.ff.de duob.reis*, videlicet, quòd procedunt regulariter, non autem vbi ex natura actus inducitur liberatio. vt eſt in duobus reis, in quibus ſi creditor non expreſsit animum ſuum nouandi, debet ſibi imputare. *l.veteribus cum materia. ff.de pact.* ſi ſequitur liberatio, ergo eſt nouatio, cùm eadem ſit determinatio acceptilationis, ſolutionis, contractionis, & nouationis. *l.ſi rem,§.ſi duo. ff.de nouat.* 44

Nec dicatur idem eſſe Zametto quòd ſoluatur mutuum, vel quod ſoluatur pretium, quoniam hoc poteſt eſſe verum quoad 13. obligatos, non autem quoad Magnam Duciſſam; ſi enim voluerunt Zamettus & 13. viri conuertere obligationem mutui in obligationem ſoluendi pretium mandamentorum, vt ipſi confeſsi ſunt in inſtrumento retroceſſionis, ibi, *non diedero altra coſa per il prezzo, & valuta di detti mandamenti, ſe non le dette obligationi, le quali erano ſtate de loro appartamente paſſate all' vtilità di detti Banchieri de Lione*, nihil hoc pertinet ad Magnam Duciſſam abſentem, ſed eſt noua cauſa obligationis ratione pretij, & ideo nouæ cauſæ eſt aſcribenda obligatio, iuxta *l.Imperatores. § fin.ff.de tranſ.* Curt.jun. *conſ.105. in fin.* nec poſſunt iſti noui contractus afferre Magnæ Duciſſæ aliquod præjudicium.*l.ſi partem.§.1.ff.quemadmodum ſeru.amitt.*incert.auctor.*in tract.de ceſſ.nu.5.& 13.*Nec poſſunt in Magnam Duciſſam ſuſcitati obligationes extinctæ ſine facto argumento, *l.cùm ex cauſa, in fin.C.de remiſſ.pign.* 45

Nec dicatur ex ſola conuentione, & nudo conſenſu non fieri iſtas conuerſiones, quam quæſtionem excitant Doct.*in d.l.ſingularia*, vbi Bart. *nu.19.& 20.*Caſtr.*n.*23. Ang.*n.*9. Alex.*n.*31. Curt.jun.*nu.*37. Cagn.*n.*214 Bologn.*ante n.98.cum ſeqq.*& alij Doct. & nos tetigimus ſuprà. Namque concluſio eſt approbata, quòd ex nudo conſenſu, & ſola conuentione fiat conuerſio, quando in ſecundo contractu tollitur primus, quia prima cauſa cedit in cauſam ſecundi contractus. Cagn.*ibib.* poſt alios, *nu.*216. vt expreſsè habetur in ſupradicta partium conuentione, vbi cauſa mutui expreſsè tranſlata fuit, & data in cauſam pretij. 46

Præterea tollit dubium ſtipulatio Notarij, quo caſu ſtatim dicitur facta transfuſio. Ang.*ibi.nu.9.*& omnes alij, & conſequenter hîc per ſtipulationem obligatio virorum in mutuo tranfuſa eſt ad obligationem pretij, & ſi obligati non ſoluerunt verè, vel imaginariè, ipſi debent exigere mandamenta, & ſoluere pretium Zametto, qui accepto tulit omnem aliam obligationem per ſtipulationem, & reale pactum de non petendo, & confeſſionem de recepto, & nihilominus Magna Duciſſa parata eſt 13. viros obligatos omnino releuare indemnes, ſi quid paſſi ſunt, vel pati poſſunt in futurum ex eorum obligationibus, & attendere cautelas honeſtas, non captioſas, juxta tex.*in l.in fundo.ff.de rei vend.*Caſtr. *in l.ſi per errorem.ff.de iur.omn.iud.* 47

Non obſtat quod opponebatur de intentione partium, quia eſt verum quòd intentio agentium attenditur, & regulariter actus agentium non operatur vltra eorum intentionem: ſed non dubitamus quod plerumque attenditur, & etiam id quod agitur, tacita obligatio naſcatur, juxta text.*in l.ſi is qui, in fin. ff.commun.* quem ad propoſitum adducit gloſ.*in l.non omnis, in verſ.agitur.ff.ſi cert.pet.*& quod 48

non eſt de prima intentione, ſatis eſt quòd ſit de ſecundaria. Bald. *in l ſi abſentis num.6.Cod.ſi cert.pet.* Quapropter licèt primitiua intentio fuerit aliud agere in alienatione mandamentorum, ſatis eſt adeſſe voluntatem, vt ſatisfieret Zametto de ſuo credito; ex qua ſatisfactione procedit ſecundaria intentio liberandi à prima obligatione, ex ſupradictis.

49 Et quia inſtrumenta præſumuntur facta à partibus & contrahentibus ſecundùm naturam contractus celebrati, & diſpoſitionem legis in materia loquentis, videantur allegati per Menoch. *de præſ.lib.3.præſ.38.n.1. cum ſeq.* quia ſi partes aliud intellexiſſent, vtique expreſſiſſent.

Nec verum eſſe poteſt, quòd contractus alienationis mandamentorum dici poſſit ſimulatus, namque eſt illa ceſſio emptio quædam, & venditio, vt tradit Bart. *in d.l.per diuerſas nu 7. C.mand.l.cùm is,* vbi Bart. & Caſtr. *ff.de fideiuſſ.* Natt. *conſ.398.n.8.* quæ quidem habuit ſuum effectum, & virtute ipſius aliqua mandamenta fuerunt exacta, & Zametto fuit neceſſaria retrotraditio vt iura ceſſa recuperaret, & coniecturę omnes, quę conſiderari poſſunt, concludunt non numeratam pecuniam, ſed non ideò ſequitur quòd contractus ſit ſimulatus, immò ſunt ſatis diuerſi termini, nam exceptio non numeratę pecuniæ opponi poteſt. Bald. *in d.l.pecuniæ num.3.C.de ſolut. & in d.conſ.251.* cum aliis ſuprà alleg. vel ſaltem ante lapſum biennij. *l.in contractib.Cod.de non num.pec.* exceptio autem ſimulationis eſt perpetua, vt in titulo *C.plus valere quod agitur.* & hoc modo arguit, & concludit Vitalis *in tract.de clauſulis, titulo de ſimulatione num.8. tom.18.tractatuum char.416,* & dicit Bald. *in l.ſi ſub ſpecie nu.3.C.de poſtul.* quòd exceptio non numeratæ pecuniæ non eſt exceptio ſimulationis, quia inter partes verè contrahitur non numerata pecunia, licèt efficacia non adſit illi contractui, niſi poſt biennium, & Odofr. *in d.l.ſi ſub ſpecie,* dixit quòd exceptio non numeratæ pecuniæ eſt quaſi exceptio ſimulationis, imò in caſu noſtro nulla adeſt ſimulatio, quæ tunc eſſe dicitur, quando nullius cauſæ prætextu eſſentialiter, ſed figuraliter contractus celebratur, ſed quando prætextu alicuius cauſæ celebratur, & ille eſſe ex voluntate partium, ſic ſe habent, quòd vna æquipollet alteri, hîc non eſt ſimulatio. *l.ex pretio.C.ſi cert.pet.* Bald. *in d.l.ſi ſub ſpecie.* Vnde in hoc caſu ceſſat omnis ſimulatio.

50 Nec verum eſt, quòd cautelæ fuerint appoſitæ ad cautionem 13. obligatorum, ne viderentur bis obligati, & bis moleſtari poſſent vigore primi, & ſecundi contractus, non autem vt non remanerent obligati virtute primi. nam, vt diximus, ſublata obligatione pretij virtute inſtrumenti ceſſionis & clauſularum appoſitarum, nulla remanet obligatio primi inſtrumenti mutui, ſed ſatisfacta, & caſſa, ne bis idem ſoluatur, & conſequenter ſtare non poteſt quòd extinguatur obligatio ſoluendi pretium emptionis, & remaneat contractus obligationis mutui, quia cenſetur facta ex cauſa originaria, & obligationem antiquam tollit, ex Alc. Dec. & Benint. ſuprà allegatis.

51 Nunc oſtendimus venire in conſequentiam liberationem Magnæ Duciſſæ, ſiquidem confeſſio facta vni, alteri prodeſt, Bald. egregiè *conſ 251.* incipit, *duo rei debendi, lib.3.* cum. *conſ.24.* ab aliis ſubſcripto, & propter connexitatem cauſæ quæritur ius abſenti, & competit exceptio doli. Caſtr. *conſ.64. lib.1.* vbi *num.1.verſ.ſecunda ratio,* confirmat idem, quòd confeſſio de recepto non dicitur ficta, & imaginaria ſolutio, ſed probatio veræ ſolutionis; & ſic valet in vim probationis ad patiendam liberationem. Bald. *in l.generaliter, quæſt.12.nu.34.Cod.de non num.pec.* Alexand. *conſ.90.nu.43 & 44.lib.3.*

Vnde verum eſt in jure quòd ſolutio tutoris vnius omnes liberat, quia eſt vnum debitum. *l.qui negotiationem. §.ex duobus.ff.de adm.tut.* & probatur *in l. Modeſtinus. ff.de ſolut.* quia tutores ſunt quaſi plures rei probandi. *l.ſi pupillus ff.de adm.tut.* Bart. *in l.eandem, in princ.in 6.quæſt.ff.de duobus reis,* maximè quia habemus clauſulam *renuncians,* &c. vbi renunciatur exceptioni non numeratæ pecuniæ, & vlteriùs lapſi ſunt 30. dies, & iſte non eſt contractus mutui. *l.in contractibus.§.1.Cod.de non num.pec.* gloſ. *in l.ſi ex cautione, eod.tit.* & in terminis Bald. *d.conſil.251.* Cum. *dict.conſil.24.num 2.* latè Roncheg. *in l.ex duobus nu.73.* vſque in finem. *ff.de duobus reis.* 52

Quoad acceptilationem ſuprà probatum eſt, quòd tollitur omnium obligatio, ſed vltra alios allegatos videatur in terminis Benint. *deciſ.81.* & Surd. *deciſ.308.* & inferiùs oſtendimus fieri non potuiſſe proteſtatione, vel pacto, quòd Magna Duciſſa non remaneret liberata, vnde per acceptilationem ſublata eſt obligatio Magnæ Duciſſæ, præſertim quia acceptilatio in hoc caſu totum debitum cum omnibus quantitatibus debiti complectitur, ſecundum diſtinctionem Fulg. *conſ.134. ſub num.2. verſ. Reſpondendo, ſciendum eſt,* & latè Roncheg. *in d.l.2.num.110.ff.de duobus reis,* & ita viſum eſt creditori accepto ferenti gl. *in l.ſi fundum. §. Titio fundum.ff.de leg.1.* cum aliis adductis per Roncheg. *d.l.2.nu.98. & ante.* Et vltimo loco quoad nouationem videtur non poſſe dubitari quòd nouatio facta cum vno ex reis debendis alium liberet. *l.ſi pro vno.* vbi gloſſ Odofr. Aret. & alij. *ff.ad ſen.conſil.Vell.* Benint. *d.dec 81.n.21.* 53

Nec obſtat quòd non ſit inducta nouatio cum Magna Duciſſa, cum qua nihil actum eſt poſt obligationem ſoluendi mercatoribus Lugdunenſibus, quia nihilominus dicitur etiam nouatum cum Magna Duciſſa, exemplo ſolutionis, vel acceptilationis, vt dicendum ſit nouationem factam de toto debito omnes liberare prorſus, quia æquiparatur ſolutioni, & acceptilationi. *d.l.ſi rem §.ſi duo.* Bart. *in l.ex duobus, q.7.n.29.* & ibi Aret. *n.12.verſ.circa ſeptimam queſtionem.* 54

Quæ ſine ſcrupulo procedunt in hoc caſu, vbi facto obligatorum Magna Duciſſa in neceſſariam conſequentiam ab obligatione liberatur, quamuis ipſi obligati noluiſſent illam liberare, & non ſolùm quoad Zamettum creditorem, ſed quoad ipſos coobligatos; & ratio eſt, quia in ipſa liberatione non fecerunt ſibi prouideri per ceſſionem creditoris, quod probatur ſimili eius qui ſoluit totam pecuniam ex trad. *in l.Modeſtinus.ff.de ſolut. & in l.Papinianus ff.mand.* & ita docet diſtinguendo Ronched. *in l.3.num.34. ff.de duobus reis.* vbi ſubdit *num.35.* quòd ſi is qui nouare vult, vt cæteris non proſit nouatio, debet ſibi conſulere per ceſſionem actionũ faciendam à creditore nouante aduersùs alios, quæ eatenus fieri poteſt rectè, quatenus is qui ſoluiſſet, & ſenſiſſet grauamen ex cauſa ipſius nouationis, quia tunc videtur ſoluiſſe pro debito alterius, & redemiſſe ius contra verum debitorem, quod grauamen nullum reperitur in hoc caſu, immò in retroceſſione ſunt iterum debitores, & obligati à Zametto

Zametto liberati, vt dicam inferiùs, & doctrina Bar. *in auth.hoc ita, num.53. Cod.de duob.reis*, vbi videatur dubium, an vtrique prosit liberatio, non procedit respectu creditoris, qui est Zamettus, sed respectu correorum, quibus possunt remanere iura contra obligatos, iuxta terminos *d.l. Modestinus.& d.l. Papinianus*, de quo dicemus iterum infrà. Quòd si liberatio Magnæ Ducissæ ex hoc non esset inducta ipso iure, tamen esset sublata actio ope exceptionis doli mali, vt dicit gloss. *in d.l. Papinianus*, quem extollit Bald. *in l.1.nu.4.C.de act.& oblig.*

56 Nec dicatur, quòd Magna Ducissa tenetur saltem vigore obligationis factæ, de liberádo obligatos, & de conseruando illos indemnes, quia istud est vigore prioris obligationis nouatæ, non nouantis, ex qua tenetur Magna Ducissa si obligati senserunt damnũ, quòd si voluerunt in se assumere onus exigendi mandamenta, & soluendi Zametto, Magna Ducissa non tenetur, quia pro mandamentis nihil promisit, nec fecit bona mandamenta, Bald. *in l.1. C.de conuen.fisc.debit.lib.*10. cum allegatis per Mars. *in rubr.ff.de fideiuss.n.*23.& tamen sua Celsitudo Serenissima parata est reficere omne damnum obligatorum, postquam passi fuerint, & priùs non tenetur. Alexan, *cons.*199.*num.*3.*lib.*7.gloss. *in l.fin.Cod. de magist.conu.* & in terminis Benint. *dicta decis.*81. *num.*12.

57 Non obstat primum fundamentum Zametti, quia non applicatur, & procederet si non ostenderetur satisfactio, quæ tollit omnem obligationem. *l.solutionis verbo.ff.de verb.sign.*

58 Nec obstat quòd omnes clausulæ, & cautelæ appositæ sint ad validitatem contractus cessionis mandamentorum, quia admittitur, sed ex validitate huius contractus resultat extinctio prioris obligationis, ipso iure, vel ope exceptionis, vt per Dec. *in l.1 n.5.C.de trans.* Benint. *decis.*81. cum aliis suprà allegatis.

59 Non obstat secundum, quia dicimus, quòd vel Zamettus consecutus fuit pretium mandamentorum irreuocabiliter, & hoc sufficit, vt sequatur ratio & ibi Bart. *de distr.pign.* in qua re attendendum est quòd mandamenta fuerunt tradita emptoribus, & nemo euicit, vel euincere potuit, nec potuit aduersùs ea cedi aliqua actio. Bart. *in l.creditor.nu.*2. *ff.eod.*

60 Nec est dubitandum, cessione mandamentorum cum traditione, plenam facultatem, & omne dominium translatum esse in cessionarios, & emptores: *l.qui à creditore. Cod.de distr.pign.l. qui prædium*, & ibi Bald. *C.eod.Inst.quibus mod.alien.lic.vel non* §.1. & ibi Aret. *in fin.* vel non, dum consecutus fuit, & verissimum est in iure quòd dum consequi potest, interim nihil à debitore peti potest, vt est text. *in dicta l.rescriptum.*§.*fin.ff.de distr.pign.*& faciunt superiùs dicta. Si enim Zamettus voluit habere fidem de pretio mandamentorum, & potuit. *l.eleganter.*§.*si vendiderit*, & ibi not.Bart. *ff.de pign.act.* & idem Bart. *in l.creditori.ff.de oper.nou.nunc.* quod communiter tenetur. Neguf. *de pignor.in* 1. *memb* 6. *part.numero* 37.*in princ.* hanc viam sequatur, & exigat.

Quod si verè liberauit 13. viros, etiam à pretio, sibi imputet, & sequatur fidem illorum, vel etiam Regis, & Coronæ, quæ est soluendo, non inferat molestias, & damnum Magnæ Ducissæ, quæ facto ipsius Zametti est destituta omni ope, & actione, vt dicemus infrà.

Non obstat tertium argumentum, quia non habet firmitatem, licèt videatur habere aliquam apparentiam. nam regula firmatur etiam contrario modo, scilicet, quòd qui habet duo remedia, electo vno, ab alio recessisse videtur, *l.post diem, cum l.antecedenti, in fin.ff.de lege comm.* quod procedit etiam non secuta satisfactione viæ electæ, vt per gloss. *in dicta l.post diem, & in l.Æmilius.ff.de min.*& sequuntur communiter Doctor.ibi, vt per Aret. *cons.*149.*n.* 12. & Salic. referendo dicta Cyn.& Dyn. *in l.commissoria.Cod.de pact.inter empt.& vend.* vbi expressè probat, & ostendit, quòd electa vna via, præclusa est via variandi; cùm igitur in hoc casu Zamettus elegerit viam sibi satisfaciendi, ex mandamentis Regiis, quæ etiam apparenter habuit effectum, alia via est sibi præclusa, quia, vt sæpe diximus, duo soluere poterant, sed ab ambobus non est exigendum. 61

Contraria procedunt in pluribus remediis iudicialibus, & in vna obligatione, ad quam ea remedia iudicialia diriguntur, ex quibus vno remedio electo, non solùm non tollitur aliquo pacto obligatio debitoris, sed maximè augetur petendo creditum coram iudice, vno, vel altero remedio donec sibi satisfaciat. Ias. *in l.1.num.*3.*C.de iud.* In casu nostro duæ aderant obligationes, quæ vna satisfactione tollebantur. Vnde vna electa à creditore, etiam altera extinguitur in totum. *Inst.quib.mod.toll.oblig. in princ.*

Et in effectu in hac regula habendo veritatem, & æquitatem ante oculos, concludendum est per electionem vnius remedij, sed per vnius actus gestionem non esse alteri renuntiatum. *l. si iure ff. de leg.*3.*l.nihil.*§.*si cùm filius.ff.de inoff.testam.* cùm allegatis per Socin.jun. *cons.*84.*nu.*33.*lib.*2.& hæc est regula, quæ probatur in contrariis allegatis.

Verùm limitatur duobus modis, quibus deciditur casus noster. Primò in eo, qui vnum elegit, & ex eo effectum habuit, tunc enim omnes concordant alteri esse renunciatum. *l.de lege ff.de lege comm.* Socin.jun. *d.cons.*84.*nu.*34.*lib.*2. Secundò quando non habuit effectum, sed habere potest, sed qui elegit pœnitentia ductus, vellet redire ad aliud remedium, tunc vna via electa, alteri est renuntiatum, cùm electa via sit paritura effectum designatum, & ita intelligitur *l.post legem.ff.de lege comm.* cum aliis alleg. pro hac parte, vt per Socin. *dicto cons.*84.*numero* 35. 62

In casu nostro via electa habuit suum effectum, quia 13. viri habuerunt mandamenta vigore cessionis, & Zamettus habuit pretium verè, vel saltem inducta est liberatio, vt latè diximus suprà, & hoc pacto intrat prima limitatio, quæ si non satisfaceret, nimis scrupulosæ conscientiæ non est dubium, quòd via electa potuit, & potest habere suum effectum. quia mandamenta possunt à Rege & Corona exigi, siue à 13. viris, siue ab ipso Zametto, & maximè quia, vt bis iam diximus, Parlamentum recognouit debitum Regis pro debito Coronæ, & non solùm recognouit, sed asseritur dedisse iterum alias assignationes, quas verisimile est habuisse suum effectum. Quòd si Zamettus sibi ipsi præstitit maximum impedimentum, quia liberauit semel & iterum 13. viros, sibi imputet, & non Magnæ Ducissæ, *regula damnum in* 6. & ex his cognoscitur quanta æquitas sit ex parte Magnæ Ducissæ, benè ponderando circumstantias facti, & quanta iniustitia oriatur ex ista affectata pœnitentia Zametti. 63

64 Non obstat quartum de reuiscentia obligationis, in quantum erat extincta, pro qua materia explananda dicimus, quòd sicut solutione eius quod debetur, omnis tollitur obligatio. *l. nulla, l. obligatione. C. de sol.* & diximus suprà; ita hoc operatur ficta, & imaginaria solutio, vt iam diximus, ergo est extincta omnis actio omnino, & Zamettus ita voluit. *l. item liberatur. §. qui paratus. ff. de quib. mod. pign. vel hip. solu.* facit text. *in l. inter causas ff. mand.* & maximè quia Zamettus in cessione mandamentorum nihil quoad pristinam obligationem mutui sibi reseruauit, iuxta cautelam Veronen. 123. & consequẽter sumus in puris terminis regulæ quòd obligatio extincta non possit reuiuiscere, quia omnia quæ in contrarium adducuntur, procedunt in obligatione, quæ cessat, non quæ est extincta. *§. aream.* & Bart. *in d. l. Manius §. duorum*, cum aliis.

65 Specialiùs verò, dicimus quòd aut volumus resuscitare obligationem illam primæuam orientem ab actu restitutionis pignorum, pro quo Magna Ducissa videretur obligata Zamettum liberare, & hoc est absurdum, quia alius contractus mutui fuit perfectus, & validus, quando autem noua obligatio est perfecta, in quam est transfusa prior obligatio, non remanet prior, vel cessat, sed omnino extinguitur, & non reuiuiscit, habet enim creditor remedium, & actionem ex posteriori contractu. Bald. *in l. libera nu. 6. C. de sent.* & ideò non remanet in aliquo damno, quinimò in lucro, quia in obligatione mutui accessit obligatio 13 virorum, & tamen est verum quòd ad ea quæ se habent ad lucrum, & damnum, non datur restitutio. *l. de fideicommisso. C. de trans. l. si pater Cod. de inoff. test.* & ibi notat Ias. Boër. *decis. 147. num. 7.* Tiraq. *in l. si vnquam, in vers. donatione, n. 131. C. de reuoc. don.* cessat namque læsio in casu qui euenit sorte, & sic ferendus est, ad not. *in l. fin. C. com. de leg. in l. executione. §. pro parte. ff. de verb. oblig.* Ias. *in l. 2. § ex his ff eod.* Dec. *in c. licèt causam, nu. 15. de prob.* Caldas *in l. si curatorem, in vers. vel aduersarij dolo nu. 12. & 13.*

66 Aut volumus quòd resuscitetur obligatio mutuì sublata per acceptilationem, confessionem, pactum reale de non petendo, & nouationem, vt suprà, & certè hoc est magis absurdum, quia deficit omnis materia præexistens. Ias. *in §. rursus. num. 79. Inst. de act.* & deficit omnis æquitas. quod vtrumque probatur, quoniam ex præmisis constat obligationem si est extincta, fuisse omnino extinctam. Cessat autem omnis æquitas tum quia Zamettus non est in damno, vt diximus, quia habet suam actionem ad exigendum debitum à Rege, cuius, & eius Coronæ declarauit esse debitum Parlamentum Parisiense, vt iam diximus, tum quia nulla æquitas suadet, vt vltima pacta non derogent prioribus, imò regula est in contrarium. *l. pacta nouissima. Cod. de pact.* & essent ridicula remedia iuris ciuilis inducta, vt possint commercia hominum viuorum, si cum secundo contractu remaneret primus. Et ideò non succurritur maior, quia allegat læsionem in actu liberatorio, mediante confessione, quæ licèt erronea non teneat, *l. cùm testamentum. C. de iur. & fact. ignor.* & ita parcitur errori, sicut ætati, *l. 2. ff. de rest. in integr.* Tamen hoc pacto valet siue prudenter, siue imprudenter emanauerit. *l. non enim ff. ex quib. caus. maior.* Et nulla causa potest annullari, quia non credimus Zamettum, virum industrium, & sagacem, gaudere priuilegio minoris ætatis, cui minori ætati succurritur aduersùs acceptilationem, nouationem, vel delegationem, per restitutionem in integrum. *l. patri. §. prædium. ff. de min.* gloss. magna *in princ.* & Doct. *in l. qui proprio. §. Item quæritur. ff. de procur.* non autem datur maioribus, vt benè declarat Bald. *in repet. l. 2. num. 12. Cod. de rescind. vend.* & ibi Pantal. de Crema *num 132.* At doctrina Specul. intraret, si Rex, originarius debitor, non esset soluendo, & ita loquitur, tunc enim adesset quædam æquitas, si Zamettus non esset satisfactus, & destitueretur omni remedio, & actione. Præterea in casu Spec. data est in solutum res pro pecunia, vnde à primo contractu non est recessum, nisi res data in solutum, facta sit accipientis. *l. 1. ff. de rer. perm.* & aliàs tradens non liberatur à primæua obligatione. Bart. *in l. si quis aliam num. 1. ff. de solut.* Vnde non mirum si agitur primæua actione, quia cessauit, non autem fuit extincta, secundùm text. *in dicto §. aream*, & pro his videatur Surd. *cons. 145. lib. 1.*

Nec facit exceptio restitutionis in integrum, 67
quia lapsus est terminus habendi restitutionem per plura quadriennia, quo casu non proponitur per viam exceptionis, secundùm comm. doctr. omnium Doct. de qua attestatur Curt. *in l. nam & postea. § si minor, nu. 4. ff. de iureiur.* Gomes. *in tract. var. resol. tom. 2. cap. 13. n. 8.* eliditur namque ista exceptio, & remanet sine aliquo effectu, replicatione præsumptionis, nec principaliter petita restitutio concederetur, ex præmissis.

Non obstat quintum de cessione jurium, quia 68
benè facit contra Zamettum, considerando in primis, quòd postquam Zamettus cum vno ex obligatis egerat in iudicio, & succubuerat, quia obligati habuerunt liberationem, obtinuit fieri ista vltra instrumenta, vt sub eius prætextu haberet actionem, sed in vanum, quia ex eis confirmantur omnes rationes, quæ faciunt pro Magna Ducissa. Nec quicquam facit cessio obligationum iurium, & actionum obligatorum contra Magnam Ducissam, quia nunquam habuerunt ius, vel actionem contra suam Celsitudinem Serenissimam, cùm nihil passi fuerint, vel soluerint quicquam, vt diximus, & colligitur ex Afflict. *decis. 24. sub num. 3.* Alexand. *consil. 199. num. 3. lib. 1.* & præterea cùm sint ipsi coobligati insimul cum Magna Ducissa, etiam ipsis inuitis resultabat liberatio, quia nunquam obtinuerunt cessionem, per quam reseruantur jura contra principalem creditorem, ex his quæ diximus suprà.

Præterea ex liberatione contenta tam in cessio- 69
ne mandamentorum, quàm in ista retrocessione, nihil remansit cedendum, quia nulla remansit obligatio, neque actiuè, neque passiuè, argum. *l. eius qui in prouincia. ff. si cert. pet.* facit text. *in l. qui tabernas. ff. de contrahen. empt.* & quando ius extinguitur, cedi non potest *l. Modestinus*, vbi Bart. *ff. de solut.* Vnde nulla jura cessa possunt redire in Zamettum.

Nec defenditur Zamettus jurium præseruatio- 70
ne. nam aduertendum est, quòd Zamettus quando liberat obligatos, in illis verbis, *& promette non gliene far' mai demandare, ne richiesta alcuna*, facit realem liberationem, juxta text. *in l. & hæredi §. fin. cum l. seq. ff. de pact.* vbi Bart. Bald. & omnes alij *ff. de pact.* & ibi Castr. declarat quòd pactum reale est, quando qui promittit non petere quod sibi debetur, ita vt pactum referatur ad debitum, non autem restrictum sit ad personam, & in his terminis pactum factum fideiussori prodest principali, quia obtinet locum solutionis, quæ impossibile est vt prosit omnibus. gloss. *in l. fideiussoris. ff. de pactis.* & ibi

& ibi Bartol.& alij,& nos diximus suprà quòd liberatio realis collata in personam fideiussoris, prodest principali, & quòd ista est verissima conclusio.

71 Non obstat protestatio,vel pactum,vel reseruatio Zametti,quia aucupabatur actionem extinctam hoc medio insufficienti. nam licèt Bart. quæstionem ponat *in dicta l.ex duobus num.7.in fine*, & videatur tenere, quòd stante protestatione liberatio non excedat personam liberati, nihilominus Bart. sic intellectus communiter reprobatur, vt constat de Benint.*decis.81.num.9.*apud quem possunt videri auctoritates Doct. vbi constat quòd in acceptilatione indistinctè facta in duobus reis prodest correo: in aliis autem liberationibus, quatenus sint reales, quòd si diceretur propter pactum non debere prodesse,intelligitur ipso iure,non autem ope exceptionis.Vnde si soluo per me tantùm,& nomine meo, si non tolleretur obligatio alterius correi, ipso iure tolleretur;tamen ope exceptionis, & sic doctrina Bart. simpliciter accepta reprobatur; sed declarandum est & intelligendum, vt verè loquitur,& hoc modo communiter approbatur *dicta l.2. num.14.ff.de duob.reis*, videlicet non quòd non sint liberati directè respectu creditoris.qui accepto tulit,id est, respectu Zametti, sed respectu soluentis, vel satisfacientis,qui sunt 13.obligati, quia solutio potuit esse pretium actionis cedendæ, & hoc pacto fieri potest quòd extra soluentem alij non sunt liberati,*dicta l.Modestinus*,quam allegat Bart. & iuxta illius materiam est intelligendum, & colligitur ex gloss.*in l.nisi,ff.de pact.* & idcirco vt non prosit, necessarium est quòd hoc fiat indirectè, mediante cessione, quod impedimentum indirectum in casu nostro non potest applicari. nam obligati nullum dispendium passi sunt,nec adest aliqua causa onerosa,quo casu non potest esse valida cessio,nec efficax ad effectum agendi aduersùs Magnam Ducissam, vnde diximus suprà nihil facere ipsorum cessionem in hoc instrumento. argum. *l.si verò non remunerandi,in princ.* iunctis præcedentibus.*ff.mand.* Bart. *in l.reos,in princ.quæst.6.num.7.ff.de duobus reis.* Afflict. *decis.319.num.*10. Roucheg. *in dicta l.2.num. 109.vers. At vbi iubesset.ff.de duobus reis.*& istud damnum,siue interesse debet esse pecuniarium,non affectionis.Bart. *in l.fideiussoris.ff.de pact.* & cùm præseruatio prosit in aliquo actu,quo non obstante remanet substantia obligationis non in actu resolutorio, vt colligitur ex Grat. *cons.126.numero 8 & 12. libro 1.*Thesaur. *decis.Pedem.126.numero 5.* remanent eneruatæ, & sine effectu cautelæ Zametti, cùm sit sublata substantia obligationis, ex præmissis.

72 Non obstat sextum, & vltimum, quia, vt suprà conclusum est, primæua obligatio nunquam redacta fuit in contractum certitudinarium, sed transfusa in contractum mutui. Vnde nullam habet vim obligandi,neque producendi actionem,vt diximus suprà in secundo præmisso, & ibi dicta sufficerent pro responsione:nihilominus,vt sit magis plenè satisfactum Zametto, qui modò vult obligationem, & actionem ex contractibus, in quos transfusa est prima conuentio, & tractatus, modò vult ex ipsa prima conuentione, ideò quatuor sunt videnda.

73 Primum est,ad quam speciem contractus reduci possit prima conuentio,vel primus tractatus,si non esset facta conuersio.

Secundò quid egerit Zamettus cum Magna Ducissa.

Tertiò quid egerit cum Rege.

Quartò an Zamettus excesserit primam conuentionem,vel tractatum.

Quantùm ad primum tam respectu tractatus, quàm respectu conclusionis forsan alicui videbitur contractus emptionis, & venditionis, qui quadrat inter extraneum soluentem pignus,& creditorem. Bart. *in l.Aristo num.2.in fine.ff.quæ res pign.obligari poss.* per ea quæ not. *in l.1. Cod.si aduersus creditorem.* maximè, quia Zamettus exponit in suis prætensionibus, quas transmisit, quòd inter Magnam Ducissam, & se agebatur de retrahendo pignore Zametto: *retrahere* autem est reuocare. *l.in fraudem.§.à debitore.ff.de iure fisc.* & est redimere. Tiraquell.*de vtroque retr.in præf.num.4.& 5.* Quando autem agitur de retrahendo pignore à creditore, intelligitur de retrahendo iure pignoris,& hoc includitur, vt dicit Bald. *de pign.hypothec.cap.7.col.fin.* & Bart. *in dicta l. Aristo*, dicit,quòd in venditione veniunt iura pignoris. 74

Præterea promissum est pretium æquiualens emptioni iuris pignoris,& creditoris, scilicet integrum creditum Zametti,pro quo detinebat pignus: ergo emptum est pignus.nam dicunt Doct. quod si non apparet quid & quantum sit venditum,recurritur ad quantitatem pretij.*l.1.§.1.* & ibi gloss.*ff.de superfic.*quia ad magnam rem pretium modicum non quadrat,nec è contra. *l.ita autem.in princ. ff.de adm. tut.* & ex quantitate pretij plus,& minus venditum præsumitur.*l.cùm in fundo.§.vxor.ff.de iur.dot. l.2.ff. de reb.dub.* cum aliis allegatis per Fab.de Monte *in tract. de empt. & vendit.5. quæst.princ. numero 23. & 25.* 75

Quapropter inuerisimile etiam est esse solùm emptam commoditatem dandi pignora Magno Duci pro ducentis millibus pretio scutorum 87000. si autem non videatur contractus venditionis,fortasse dici posset,quòd Magna Ducissa sit loco fideiussoris,quia promisit soluere debitum alienum,scilicet Regis, quod nihil aliud est quàm fideiubere,& suscipere in se periculum.*l.1.in princ.ff.de magistr.conuen.*Vel etiam dici posset quòd partes intenderunt reducere suam intentionem ad aliquam speciem contractus, vel solùm dissoluere pignus,& celebrare contractum innominatum vltro citróque obligatorium. 76

Quantum ad secundum,veritas est quòd Zamettus conatus fuit restituere pignora Regi, & quia Zamettus erat creditor 87000. scutorum,fuit conclusum vt fierent obligationes, de quibus actum est in prima parte,& in effectu donec soluerentur, Magna Ducissa virtualiter se loco pignoris obligauit, & promisit soluere debitum Regis, sub illa forma, & hæc est pura veritas, quæ à nullo inficiatur. 77

Quantùm ad tertium Zamettus restituit pignora Regi,non quidem libenter, quia post obitum clar. me. Reginæ Catharinæ verba dabat Magnæ Ducissæ tunc Principissæ, & fidem promissorum non seruabat,verùm coactus,& perterritus minis Regis pignora restituit Regi, quæ fuerunt data Agenti Magni Ducis, & Rex dedit mandamenta Zametto, vt exigeret creditum suum à Thesaurariis Regis.In qua restitutione Zamettus indistinctè totum ius pignoris remisit Regi, quod credimus non negaturum, sed hoc ostenditur per terminos iuris, quia 78

creditor consentiendo, quòd alteri pignus suum obligetur, censetur remittere totum ius pignoris; ita vt solus secundus reperiatur in pignore. *gloss. fin. in l. creditor. la 1. §. fin. ff. qui pot. in pignorib. hab.* per *l. generaliter*, suprà *eod. titulo.* Bart. *in l. fin. in vltimis verbis. Cod. de remiss. pignor.* & ibi satis Neguf. *de pignor. 2. numero 6. part. numero 13.* Non autem sumus in fortiori casu, non enim Zamettus præstitit consensum Magno Duci, vel specifice, vel generaliter, sed restituit pignora debitori absolutè, & simpliciter, sicut creditor restituendo cautionem chirographariam, in qua habet constitutum pignus, censetur remisisse ius pignoris, vt est text. & ibi not. Bart. *in l. creditorem. Cod. de remiss. pignor.* facit text. *in l. Labeo*, & ibi Doct. *ff. de pact.* Nec intelligo quòd Zamettus remiserit creditum suum Regi restituendo pignus, sed ius pignoris, de quo nos agimus, & explicitè declarat Neguf. *vbi suprà numero 22.*

79 Nec obstat præmissis si dicatur quòd ius pignoris solùm videtur remissum respectu Magni Ducis, cui Rex pignora tradidit. gloss. *in l. Paulus. §. remisisse. ff. quibus mod. pignor. vel hypoth. solu.* gloss. *in l. 3. Cod. de remiss. pignorib.* Salicet. *in l. fin. Cod. eod.* vbi latè examinat, quia istis auctoritatibus defendi potest hoc modo potuisse consentire Zamettum, vt sibi solum præiudicaret quoad illum, cuius fauore consentiebat, & est text. *in l. si venditor §. 1.* ibi, *nam solent multi causa pignoris consentire. ff. quibus mod. pignor. vel hypoth. solu.* & quando certi sumus de animo, tunc illi standum est. *dicta l. creditor § fin.* Sed in dubio in totum censetur remisisse, & procedunt contraria, quando expressè contemplatione secundi creditoris accommodatus fuit consensus, secus si simpliciter, vt declarat Salic. *in dicta leg. fin.* non obstantibus his, quæ dixerat *in dicta leg. 3.* & sequitur opinionem Bart. & placet Neguf. *vbi suprà*, & ego à nemine vidi improbari, & hæc acta sunt cum Rege.

80 Quantum ad quartum, excessus patet ex præmissis, in quibus læsit obligationem Magnæ Ducissæ, & in primis Zamettus cessione mandamentorum impediuit se ipsum, quo minus cedere posset iura ipsorum Magnæ Ducissæ in actu solutionis, & ita abusus est mandamentis, quæ ab ipso exigenda erant, vel saltem non distrahenda, vt posset cedere Magnæ Ducissæ in ipso actu solutionis, ad quem se obligauerat, aliàs obstat illi exceptio, secundùm commu. opin. Doctor. *in leg. iubemus. Cod. ad Vell.* non enim habet difficultatem quoad mandamenta, quia erant loco cuiusdam cautionis. Nec dicatur quòd post recuperationem ipsorum mandamentorum paratus est eo cedere, quia suprà conclusum est istam variationem negotiorum de iure non admitti, præsertim quia mandamenta post cessionem, & retrocessionem, necnon post lapsum tanti temporis facta sunt deteriora, & forsan inexigibilia, & in hoc læsum est à Zametto ius Magnæ Ducissæ, vt in simili dicitur quòd non admittitur purgatio moræ, quando ius actoris est factum deterius, Doct. *in l. si insulam. ff. de verbor. oblig.* vbi Rip. *num. 27.*

81 Deinde factum est quòd Magna Ducissa soluendo debitum Regis nullum poterit habere ius super pignoribus, sed soluto debito Regis Magno Duci pignora recta via absque alia obligatione reuertuntur ad Regem, & Magna Ducissa admitteret 87000. scut. facto Zametti, quia debebat consentire quoad Magnum Ducem & hoc intendebat Magna Ducissa, vt sequeretur matrimonium, non autem simpliciter in fauorem Regis, cuius Maiestatis Christianissimæ non agebat negotium, quæ poterat dare pignora, vel non dare Magno Duci, & quamuis magnanimitate sua Rex ductus dederit, hoc non prouenit à beneficio Zametti, qui nihil aliud intendebat, quàm propriam vtilitatem, cùm tamen veniat ex natura actus, vt in solutione pignoris transferatur pignus in soluentem. *l. 2.* vbi Cyn. & alij, *C. de fideiuss.*

Quapropter si reducatur conuentio ad contractum emptionis, ex natura contractus Zamettus debet tradere rem venditam. *l. empto. ff. de act. empt. l. 2. §. vacua, ff. eod. l. in conuentionalibus. §. si quis vacuam ff. de verb. oblig. l. ex his prædiis*, & ibi Bald. *Cod. de euict.* & ne transcribam, videatur Surd. *cons. 13. lib. 1.* & est textus in nostris terminis *in l. voluntate*, ibi, *quia non tradebat. ff. quibus mod. pign.* loco autem traditionis debet cedere, quia sumus in corporalibus. Bart. *in l. ad eum, in princip. ff. de don.* & *in l. Seia cum bonis, in fin. princip. ff. de don. caus. mor.* nec tenetur ad aliquid magna Ducissa, saltem donec cesserit Zamettus, quia est in eius electione interim, vel agere pro adimplemento, vel discedere à contractu, vt patet ex allegatis per Surd. *dicto consil. 13.*

Si verò ad contractum fideiussionis actio Zametti eliditur exceptione cedendi: nam principalis creditor, qui exigit, tenetur cedere iura, & actiones non solùm contra alios fideiussores. Bart. Bald. Salyc. & alij *in l. 2. Cod. de fideiuss.* & *in l. fideiuss. eod. tit.* verùm etiam contra pignora. Bart. post alios *in d. l. & l. fideiuss.* ibi. Bald. & alij *in l. stipulatus, § fin. d. fideiuss.* Neguf. *de pignor. 3. membr. 5. part. princip. num. 33. vers. amplia primò.* Salyc. *in dict. l. 2.* in primis verbis, & *num. 2. 3.* & *4.* & Cyn. hoc dicit in terminis in creditore, qui remisit pignus, *in l. 2. num. 5. de fideiuss.*

Rationem adducunt Doct. quia se obligauit soluere, habuit respectum ad pignora, quæ erant penes creditorem, & hæc ratio concludit in casu nostro, quod licèt de pignoribus habendum à Magna Ducissa non sit aliquid actum, attamen intelligitur habitus respectus ad pignora, & pignus est ei remittendum, qui soluit, vt est text. expressus *in dicta leg. 2. de fideiuss.* ibi, *debet ius pignorum in eum transferri*, & in fin. non prius compellendum est transferre pignora, quàm omne debitum exsoluatur, & hæc cessio requiritur, vt qui soluit pro alio, habeat facultatem recuperandi solutum. *l. cùm alter* vbi Doct. *Cod. de fideiussor.* & *in l. Modestinus. ff. de solut.*

Quare cùm Zamettus ceciderit à iure pignoris, nec tradiderit, nec tradere, vel cedere possit, repellitur exceptione cedendarum. *l. Stichum*, *§. penult. ff. de solut.* Bart. *in l. si stipulatus, §. 1. ff. de fideiussor. l. si pupillus*, *§. alterum. ff. de admin. tut.* & ibi Bartol. & alij omnes *in dicta leg. 2. Cod. de fideiussor.* & *in dicta leg. Modestinus*, quòd procedit vel in fideiussoribus, vel in duobus reis, qui ad inuicem fideiubere videntur. Bart. *in dict. leg. Modestinus.* Socin. cum aliis *leg. cons. 200. in princip. lib. 2.* hîc autem videmur esse in duobus reis obligatis post obligationem Magnæ Ducissæ, quorum vno soluente, vterque liberatur *l. Stichum. §. fin. ff. de nouat.* gloss. *in l. Valerianus*, & ibi refert Bart. *in princ. ff. de præt. stipul.* & latè diximus *in 1. parte.*

Si au-

84 Si autem non reducatur ad has species contractus, verissimum est quòd obligatio Magnæ Ducissæ erat pro debito integro Zametti, ita vt essent duo rei debendi, vt suprà dictum est, & quòd neutro soluente actio oriens ex hoc contractu eliditur, exceptione scilicet non adimplementi, quæ obstat agenti ex contractu vltro citróque obligatorio, donec totum impleuerit. *l. Iulianus, §. offerri, ff. de act. empt. l. cùm proponas la 2. C. de pact.* Alexand. *consil. 49. numero 4. lib. 2.* Aymon. *consil. 251. num. 1.* Rot. in vna Mediolanen. frumenti coram bo. me. Orano die Veneris 16. Octobris 1587. & coram bo. me. Lancellotto in vna Viterbien. artis lanæ 6. Martij 1600. quæ exceptio est tantæ efficaciæ, vt impediat litis ingressum, si deficiat etiam in minimo, vt tenuit Rot. coram bon. me. Lauretano 19. Iunij 1581. & coram D. Pegna in Perusina executionis 5. Februarij 1599. & potest opponi etiam quòd non intersit eius, cui promissum est, quia non tantùm est fundata in interesse, quantum in violatione fidei. Doctor. *in dict. l. cùm proponas*, & Rota in dicta Perusina coram D. Pegna.

85 Nec quicquam facit dicere quòd extraneus soluendo, vel offerendo creditori non possit cogere creditorem ad cedendum iura. *l. nulla, Cod. de solut.* & ibi Bartol. Bald. *in dicta leg. Aristo.* Castr. *in l. si res obligata, ff. de legat. 1.* quia hoc intelligitur creditore inuito. ita declarat Sal. post Cyn. *in l. vltim. in fin. Cod. etiam ob chirographariam pecun.* & sic intelligit Negus. *dicto memb. 35 part. numero 42.* In casu nostro nihil petitur inuito Zametto, qui acceptauit obligationem, & promissionem, sed excipitur, quia hodie eadem obligatione vti conatur. Nec facit ad propositum dispositio text. *in l. sicut, §. videamus, ff. quibus modis pign. vel hypoth. solut.* quia loquitur stante dolo debitoris, qui impedit creditorem, ne pecuniam exigat à possessore pignoris, quod non facit Magna Ducissa, vt patet ex serie facti.

86 Non obstat si dicatur quòd Magna Ducissa non egit expressè cum Zametto, vt in se ius pignoris tempore solutionis crediti Zametti esset transferendum, & saltem hoc non probatur, & ideo dicitur quòd amicus, vel extraneus soluens simpliciter pignora liberat, sed non acquirit ius super pignoribus *l. 1.* vbi Bartol. & Bald. *ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solu. l. Aristo,* & ibi Bart. *ff. quæ res pign. oblig. poss. l. 1.* vbi gloss. *Cod. de his qui in prior. cred. loc. succedunt*, & benè declarauit Rota coram Reuerendissimo D. Francisco Pegna, nunc Rotæ Decano, in Neapolitana census 23. Octobris 1593. & in eadem 31. Ianuarij 1594. vbi Rota distinxit omnes casus, & Vincent. de Franch. *decis. 97. num. 3.* quapropter cessare videtur prætensio Magnæ Ducissæ, quia Zamettus non tenetur ad ea, quæ veniunt ex natura contractus, cùm se non obligauerit.

Quia respondetur quòd præsuppositum, quòd non sit actum inter Magnam Ducissam, & Zamettum de transferendo ius pignoris, non subsistit, quia in facto est contrarium, cùm suprà ostensum sit, fuisse actum de retrahendo pignora à Zametto, & hoc modo considerando tollitur difficultas.

87 Præterea amicus soluens debitum pignoris non acquirit ius, *dicta leg. 1. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solu.* cum aliis. Hoc tamen intelligitur, si soluens agit negotium debitoris, ita explicitè loquitur text. *in dicta leg. 1.* & declarat Bartol. *in dicta leg. Aristo, num. 2. vers. quandoque soluit.* Salyc. post antiquiores, quos allegat *in dicta leg. 1. num. 2. vers. Item potest extraneus, Cod. de his qui in prior. cred. loco succed.* Si autem soluens agit negotium proprium, tunc benè verum est quod Doct. dicunt duo requiri, vt acquiratur hypothecaria, & personalis, scilicet quòd paciscatur, vt succedat in eius locum, & quòd pignus sit ei obligatum.

Hîc tamen dicunt satisfieri faciendo sibi cedi actiones. Salyc. post alios *in dicta. leg. 2. num. 2.* quod petit Magna Ducissa, vt sibi fiat cessio antequam soluat, & antequam respectu facti sui resolutum sit pignus. *dicta leg. Stichum, §. fin. de nouat.* gloss. *in l. Valerianus. ff. de prætor. stipul.* nondum enim soluit, sed promisit, & ita facta est rea debendi, nec ante solutionem poterat prætendere cessionem, vt est text. clarus *in d. l. 2. Cod. de fideiuss.* nec interim Zamettus debebat sibi auferre facultatem cedendi, & hoc est de Magna Ducissa. 88

Quibus addo quòd tertius qui gerit negotium debitoris, non acquirit actionem quoad pignus prosequendum, si non actum sit, ita procedunt allegata, sed acquirit quoad retentionem, ita declarat Bart. *in dict. leg. 1. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solut.* quam esse dicit limit. ad text. *in dict. leg. Aristo,* cum ibi trad. per Doct. ad quam retentionem poterat aspirare Magna Ducissa, nisi Zamettus remisisset pignus ante solutionem, & si Rex vellet luere pignus, solutis solùm ducentis millibus non posset contradici. 89

Denique alia est cessio iuris pignoris, de qua tertius, soluens voluntariè, debet conuenire, vt sibi cedat, & vt sibi obligetur si succedere vult in locum creditoris cui soluit. *l. 1. & l. Paulus. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu. l. 1. & in toto tit. Cod. de his qui in prior. cred. loc. succed.* & in his terminis intrat disputatio, & faciunt doctr. & decisiones Rotæ allegatæ, quia extraneus, qui nihil habet agere in negotio, debet pacto parare sibi cessionem, & obligationem. 90

Alia est cessio, quæ requiritur à fideiussore soluente, vel ab eo qui obligatione factus est reus debendi, & post obligationem necessariò soluit. nam dum se obligauit, statim nata est exceptio cedendarum, & si creditor amisit facto suo facultatem cedendi, obstat ei exceptio, de qua dixi suprà, & statim dicam reliqua, & doctr. Cyn. expressa *in dicta leg. 2. numero 3. Cod. de fideiuss.* vbi concludit quòd quando creditor remisit pignus, obstat sibi exceptio cedendarum, & sic Zametto, quia Magna Ducissa obligauit se respectu pignorum non ex charitate, & hi sunt termini in quibus versamur sine difficultate. 91

Non obstat etiam dicere quòd nulla culpa potest imputari Zametto ex quo Magna Ducissa consecuta est vtilitatem, scilicet effectum matrimonij. *l. cùm in fundo, § 1. ff. de iur. dot. l. ex qua persona, ff. de iniuriis.* & ideo exceptio cedendarum non potest opponi, quia Magnæ Ducissæ negotium gestum est. Bartol. & Doctor. *in l. Modestinus. ff. de solut. & in l. 1. Cod. de duobus reis*, & in his terminis Socin. *consil. 200. num. 2. vers. quinimò confirmatur, lib. 2.* quia Magna Ducissa consecuta sit effectum matrimonij remissione pignorum, quæ fuerunt consignata Magno Duci pro illa parte dotis; ille est effectus matrimo- 92

nij, nec procedit ab actu Zametti, saltem principaliter, cuius vtilitas erat exigere suum creditum, sed quia Zamettus restituit Regi, consequenter Rex pignora dedit Magno Duci, & ista restitutio fuit actus correspondens obligationi Magnæ Ducissæ, & receptioni mandamentorum, non autem correspondens solutioni scutorum octuaginta septem millium, pro qua est necessaria cessio. Quapropter commoditas matrimonij debetur obligationi, quòd si Zamettus reseruasset sibi iura, & cederet, Magna Ducissa solueret propter cessionem, & hoc erat sibi facillimum cum aliqua protestatione. *l.4. §. in venditione. ff. quib. mod. vel hypoth. solu.*

93 Præterea non est verum in iure quòd commoditas, & lucrum pariat actionem, sed parit solummodo exceptionem, ita declarat gloss. *in dicta leg. cùm in fundo, § 1. in vers. ex quo, ff. de iur. dot.* & hoc modo procedit regula *in l. ex qua persona, ff. de regul. iur.* Vnde culpa Zametti in dimittendo ius pignoris non potest excusari, qui voluit factum suum in Regem conferre, & ludificari Magnam Ducissam, cùm tamen vtiq; potuisset satisfacere, & damnum, quod quis sua culpa sensit, sibi debet, non alteri imputari, *reg. damnum in 6.* & si Zamettus restituendo fecit negotium Magnæ Ducissæ, quia pignus peruenit ad Magnam Ducem, sed in restitutione excesit dimittendo iura pignoris, non habet regressum aduersùs Magnam Ducissam. *l. si quis negotio; ff. de neg. gest.* vbi Bart. & Bald. dicunt quòd culpa gestorum imputatur, non solùm gestori, sed & mandatario. *l. qui proprio, §. qui procurator, in vers. pœnam. ff. de procur.* Din. *in dicta reg. damnum.*

94 Non enim reperitur, nec dici potest Magnam Ducissam mandasse, vel desiderasse à Zametto remissionem iuris pignoris, cuius contemplatione se obligauit ad solutionem totius pignoris, non ex simplici charitate, sed mandasse, vel desiderasse facultatem tradendi pignus Magno Duci, vnde non dicitur adimpleuisse mandatum, qui multum excessit. *l. diligenter. ff. mand.* & consequenter excluditur aliud motiuum, si dicatur quòd non facit exceptio cedendarum, quia Zamettus non gessit, sed excessit, cuius culpa est imputandum, qui non cogitauit, quod de facili poterat euenire. *l. qui bona, §. cùm inter. l. in hac. ff. de damn. infect.* Alexand. *cons. 41. num. 7. libro 3.* Aymon *cons. 67. num. 2.* & cùm omnes cautelas cogitauerit pro præparando suo negotio, & tot contractus celebrauerit, & obligationes voluerit in sui fauorem, non debebat dimittere cautelam Magnæ Ducissæ, vt non posset suæ Celsitudini Serenissimæ ius suum cedere, præsertim quia pro consignatione pignoris facta Regi non potest considerari aliquis consensus Magnæ Ducissæ, cùm Zamettus celebrauerit tunc actum seorsum à Magna Ducissa, & si ipsam certiorasset, & interuenisset, sibi prouidisset, & omnimodo cessabat omnis exceptio. *l. Tutus, ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solu.* cum aliis trad. per Socin. *dicto cons. 200. nu. 2. lib. 2.* Corn. *consil. 51. n. 4. vol. 2.*

95 Ex his firmatis non est opus ingredi prætensionem vsurarum omnino in hoc casu iniquam, & iniustam, sed præsertim causam, quia nullum extat creditum sortis principalis, & non entium nullæ sunt qualitates, & vbi non est obligatio, ibi non est mora, quæ parit vsuras, & interesse, præsertim quia Magna Ducissa solùm promisit certam summam. vnde non tenetur ad vsuras. *l. fideiussores. §. pro Aurelio. ff. de fideiuss.*

Quibus omnibus addimus circa summam scutorum 15000. quam soluere promisit ipsemet Zamettus mercatoribus Lugdunen. & non comprehenditur in his, quæ dicta sunt superiùs, quòd detecta est solutio facta Zametto scutorum 34000 quã antequam detegeretur, totis viribus negauit, & petiit totam summam, vnde dicitur exegisse id cuius proprio nomine erat creditor, non quod alieno nomine exigi poterat. *l. & magis, & l. cùm ex pluribus. ff. de solu.* Moder. *de præsumpt. libro 3. præsumpt. 49. num. 23 & præsumpt. 136. num. 8.* & propterea cùm possit ex his se conseruare indemnem, ad nihilum tenetur Magna Ducissa, vt tradit Alexand. *cons. 114. in princip. lib. 3.* 96

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana Accomanditæ. Veneris 13. Ianuarij 1607

ARGVMENTVM.

Habes in summario.

SVMMARIVM.

Libris computorum, seu rationum non statur in præiudicium alterius, nu. 1.

Saluianum quoties non appareat conuentum, recurritur ad arbitrium iudicis in illius quantitatis constitutione, n. 2.

DECISIO CCCLXXIV.

Domini dixerunt non esse standum prouisioni descriptæ in libris, sed esse taxandum ad scuta 700. monetæ annuæ. Et mouebantur, quia partita dictæ prouisionis non fuit creata cum consensu Baccelli, sed à solo Philippo Guicciardo, vt patet ex eius tenore, ibi, *Selli fanno boni di parola del nostro Signore Filippo.* Vnde illi non est standum in præiudicium dicti Baccelli. *l. exemplo. C. de probationibus.* Doct. *in l. quadam. §. nummularios, in verbo, decurritur. ff. de edendo.* Felin. *in cap. 2. num. 21. de fid. instrument.* Rot. *decis. 164. num. 3. part. 1.* & fuit dictum in vna Romana pecuniaria, seu cambiorum 30. Maij 1611. coram me. 1

Nec obstat quòd Baccellus esset complementarius Banci, & sic non possit prætendere ignorantiam dictæ partitæ, quam ad sui libitum videre poterat, & cùm non reclamauerit, censeatur illi acquieuisse; quia de tempore quo partita fuit descripta, nempe 10. Iulij 1606. ipse iam non erat complementarius, vt constat ex duabus litteris missiuis eiusdem Philippi, sub dato 2. Iunij eiusdem anni, in quibus certiores facit suos responsales terminasse rationem bancariam: & subdit quòd deinceps erat credendum solùm eius subscriptioni, quòd certè denotat complementum Baccelli fuisse finitum, quia aliàs etiam ipsius subscriptioni fuisset credendum. Vnde si per mensem antequam adnotaretur dicta partita, non erat complementarius, non videtur fuisse in eius facultate libros videre, & consequenter cessat præsumptio acquiescentiæ. Nec facit quòd die 10 17. & 24. eiusdem mensis Iunij Baccellus adnotauerit sua manu quædam cambia in libro nuncupato, *quaderno di lista*, quia ex hoc 2

ex hoc non infertur quòd adhuc continuaret complementum. Nam dicta adnotatio potuit fieri ab eo vti priuato ministro, vel amico Banci secundùm stylum mercatorum, & cùm non probetur ipsum fecisse alios actus ad complementum spectantes, dicta probatio redditur æquiuoca. Ex quibus visum fuit non esse standum prouisioni descriptæ in libris.

2 Verùm quia sublata dicta adnotatione, non apparet de aliqua alia certa conuentione prouisionis, ideoque cùm recurrendum sit ad iudicis arbitrium, Magon. *decis. Florent.* 11. *numero* 4. & fuit dictum in vna Valentina salarij 11. Februarij 1611. coram Reuerendissimo Lugdunen. Domini consideratis depositionibus testium pro parte Baccelli examinatorum, nec non fide plurium mercatorum per Guicciardinos data, & attenta multitudine negotiorum Philippi, & aptitudine ipsius Baccelli, omnibúsque simul iunctis, resoluerunt prouisionem esse taxandam ad dicta scuta 700. monetæ annua. Et ita conclusum fuit, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Ratisbonen. Canonicatus. 13. *Ianuarij* 1617.

ARGVMENTVM.

Statutum Ecclesiæ super qualitate prouidendorum non habet locum in prouiso Apostolico.

SVMMARIVM.

Statuta Ecclesiarum circa qualitates Canonicorum non habent locum in prouisis Apostolicis, sed in prouisis ab Ordinario, & à Capitulo num. 1.

Verba per nos, restringunt dispositionem ad personam loquentis, & alios excludunt, num. 2.

Derogationes & non obstantiæ in gatia appositæ derogant statutis & omnibus impedientibus effectum gratiæ, n. 3. *etiam quòd clausulæ sint generales, num.* 4.

Clausulæ generales in gratia derogant non solùm iuribus particularium personarum, sed & Concilio, ibid.

Beneficia si sunt debita certo generi personarum, Papa tenetur illis ea conferre, etiamsi vacauerint in mensibus reseruatis, numer. 5. *declara vt num.* 6.

DECISIO CCCLXXV.

1 FVit resolutum statutum non obstare petitæ immissioni per Henricum, quia etsi in eo exprimantur multæ qualitates, quas habere debeant assumendi in Canonicos in illa Ecclesia, tamen dictæ qualitates quatenus essent attendendæ, visę sunt necessariæ in prouisionibus Apostolicis, quæ non subiacent statutis inferiorum. Put. *decis.* 301. *lib.* 1. *in nou. impress. & de constit desis.* 11. Rota *in antiq. de rescript.* Aut. August. *in epit. super reg.* 8. *mensium, numer.* 15.

2 Quæ maximè videbantur procedere, quia semota etiam potestate, non etiam videtur Capitulum hoc noluisse, dum se restrinxit ad illos de cætero assumendos per nos in Canonicos, quæ verba restringunt dispositionem ad personam loquentis, & alios excludit. gloss. *in Clement Auditor, in verbo deputatus à nobis. de rescript.* Rain. *consil.* 84. *nu.* 1. *lib.* 1. & in his terminis loquitur Put. *in allegat. decis.* 301. *in princip. lib.* 1.

Adduntur nonobstantiæ & derogationes, quæ leguntur in gratia Henrici, ex quibus videtur derogatum etiam statuto & aliis per quæ effectus illius gratiæ impediri possit, dum Papa prouidit de vacanti. Put. *decis.* 219. *in nou. impress. lib.* 1. Rot. *decis.* 41. *de concess. præbend. in antiq.* Rebuff. *in prax. in forma non. prouisionis, super verb. differri.* 3

Nec refert quòd clausulæ sint generales, quia nedum sufficiunt ad derogationem iurium particularium personarum, sed etiam vt censeatur Concilio derogatum, vt tenuit Rota in causa Sancti Angeli pensionis 16. Nouembris 1594. coram bo. me. Cardinali Pamphilio, & in Ferrentina pensionis 27. Iunij 1609. coram bo. me. Iusto, & in Paduana pensionis 22. Aprilis 1616. coram R. P. D. Andrea. 4

Nec vrgere videbatur quòd quando beneficia sunt debita certo generi personarum, tunc Papa teneatur illis conferre etiam quòd vacauerint in mensibus reseruatis, vt in decis. Seraph. 1420. & in causa Mileuitana 14. Nouembris 1611. coram bon. me. Pegna, & in Toletana Mezzeratum die 30. Maij 1616. coram R. P. D. Pamphilio. 5

Quia fuit responsum prædicta procedere in beneficiis debitis certo generi personarum ex fundatione ipsius beneficij, quod transit cum sua causa, cui non censetur Papa voluisse præiudicare, vt declaratur in eadem decisione Seraphini, vt in præsenti, in quo non agitur de certo genere personarum, sed de qualitatibus assumendorum ex forma statuti prædicti, per quod Papa non potuit ligari, vt suprà dictum fuit. 6

Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana Appaltus alearum. Veneris 13. *Ianuarij* 1617.

ARGVMENTVM.

Schedulæ sigillatæ oblationum non recipiunt prius, neque posterius, sed sumunt vires à tempore earum apertionis.

SVMMARIVM.

Locatio contracta censetur cum minori oblatore, & iuxta formam edicti propositi, quæ seruanda est obligatio sequuta, num. 1.

Incertum verificatur per relationem ad quid certum, num. 2.

Oblationes factæ per schedulas sigillatas non recipiunt prius & posterius, sicut in licitatione quæ fuit palam, & publicè alterius vocibus, num. 3.

Oblationes factæ per schedulas sigillatas habent respectum ad tempus aperitionis earum, & ideo non recipiunt prius & posterius, numer. 4.

Contractus si perfectus est, non est locus pœnitentiæ altero contradicente, numero 5.

Ius quæsitum alteri non potest tolli per subsequentem declarationem, num. 6.

Ecclesia & locus pius non habet priuilegium vt possit à contractu perfecto recedere directè, sed debet ad eius obseruationem magis esse adstrictus, quia debent colere iustitiam, num. 7.

DECISIO CCCLXXVI.

1 CEnsuerunt Domini Montelucium esse præferendum in appaltu de quo agitur, quia de tempore, quo fuerunt apertæ schedulæ in Congregatione Hospitalis sub die 18. Decembris 1615. maior oblator fuit repertus, & cum eo qui plus promisit, censetur hospitale locationem contraxisse, & se obligasse propter formam edicti propositi, quam tenetur obseruare. Bart. *in l. licitatio num. 4. ff. de public. & vect. in l. si tempore, numero 5. C. de fid. instrument. & iur. hast. fisc. lib. 1.* Bald. *consil. 191. lib. 3.* Boër. *decis. 248. num. 2.* Pinell. *in l. 2 part. 2. cap. 2. num. 3. C. de rescind. vend.*

2 De maiore autem oblatione Montelucij visum est sufficienter constare dum obtulit scuta centum vigintiquinque, *Di più di qual si voglia offerta, data, & sigillata.* Vnde cùm inter oblationes per summam determinatam factas maior esset illa scutorũ 4050. nulli dubium quin 125. supra illam summam sit maior quacunque alia summa, propter relationem ad quid certum, per quod incertum solet verificari. *l. vbi autem non apparet, §. illud cum gloss. ff. de verborum obligat.* Ruin. *consil. 165 num. 8. lib. 2.* Tiraq. *de legibus connub. gloss. 5. num. 187.*

Nec vigebat quòd Cirighus & ipse obtulit dare scuta centum, *Di più di qual si voglia offerta*, quasi per istam superata remaneat Montelucij oblatio scutorum 125.

3 Quia non agitur de licitatione palàm, & alternis vocibus recepta, in qua cognoscitur quis vltimus fuerit in offerendo, sed de ea quæ facta fuit per schedulas sigillatas, & administratoribus hospitalis consignatas, in qua similis distinctio haberi non potest, ideo inter ipsas non datur prius, aut posterius, sed ambæ referri debent ad aliam maiorem oblationem determinatam in summa scutorum 4050. quæ proculdubio magis superabitur per additionem scutorum centum vigintiquinque, quàm si addantur scuta centum.

4 Nec obstat quòd ista prioritas oblationis Cirighi colligatur ex tempore cognationis schedularum dum Montelucius suam consignauit die 10. Decembris, dicendo, *di più di qual si voglia offerta, data*, & tamen de tempore datæ facta non erat oblatio Cirighi, sed postea in die 18. eiusdem mensis Decembris, ita vt ad eam non possit haberi relatio. Quia placuit responsio quòd tales oblationes habebant respectum ad tempus earum apertionis, quo tempore cæteræ in actis esse debebant, ideo tanquam ab actu indiuiduo aperitionis dependentes non recipiunt inter se prioritatem, aut posterioritatem. Bart. *in l. contractus, num. 5. C. de fid. instrument.* Alberic. *consil. 295. num. 6. & cons. 136. num. 10.*

5 Et ex prædictis tolluntur aliæ obiectiones, non enim per declarationes partium, quæ emanarunt post publicationem oblationum, & aperitionem schedularum, quòd vnus intelligeret suam oblationem supra summam certam, alter verò super vtramque tam certam, quàm incertam, potuit derogari iuri quæsito Montelucio maiori oblatori quia neque verba hoc inferunt, neque altero contradicente locus est pœnitentiæ, dum contractus est perfectus inter offerentem & subhastantem. Bart. *in d. l. si tempora, numer. 5. C. de fid. instrum. & iur. hast. fisc. lib. 10. & in l. licitatio, num. 4. ff. de public. & vectig.* aliàs multiplicarentur absurda, vt nunquam finis esset subhastationi.

Et per declarationem partes possent subuertere deliberationes, tollendo ius alteri quæsitum, quod de iure fieri prohibetur. Rolan. *consil. 46. num. 37. lib. 2.* Surd. *consil. 117. num. 6. lib. 1.* 6

Eodem modo dicitur ad ostendendum inualiditatem instrumenti celebrati per hospitale cum Cirigho sub prætextu maioris pretij oblati, quia in præiudicium Montelucij post ius illi quæsitum nihil potuit attentari, neque tale priuilegium Ecclesiis aut locis piis à lege indultum videtur, vt possint à contractibus perfectis directè recedere, quinimò magis quàm aliæ personæ seculares videntur ad eorum obseruationem adstrictæ, cùm debeant esse cultrices iustitiæ. Dec. *consil. 474. num. 10.* Rolan. *consil. 15. num. 53. lib. 1.* Decian. *consil. 28. num. 12.* 7

Quæ autem dicebantur de oblatione Montelucij qualificata, vt de schedula fideiussoria restricta ad pœnam scutorum 500. visa sunt non releuare, & bene sublata, ex responsionibus Montelucij. Et ita, &c. 8

R. P. D. ANDREA.

Vercellen. parochialis. Veneris 13. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

De probatione simoniæ multa singularia notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Narratiua gratiæ debet iustificari, & probari, aliter sententia dicitur notoriè iniusta, num. 1.

Causa simoniæ dicitur ciuilis, & non criminalis, quando agitur ad priuationem beneficij, numer. 2.

Simonia debet plenè, & concludenter probari, etiam quòd agatur ciuiliter, ibid.

Confessio simoniæ facta per resignantem, non nocet resignatario, præsertim facta post resignationem, n. 3.

Socius criminis non admittitur in crimine simoniæ, ibid.

Simonia non censetur probata, non probato præcedente contractu ex conuentione, ibid.

Simonia non probatur per testes de auditu, num. 4.

DECISIO CCCLXXVII.

SEntentiam Vicarij Vercellen. esse infirmandam fuit resolutum, quia Nicolaus non iustificauit suam gratiam, in qua narrauit Bartholomæum in resignatione istius parochialis, vt sibi fieret, simoniam realem, seu pacta illicita simoniam ipsam redolentia commisisse, quæ narratiua cùm non appareat ex actis probata iuxta inueteratum stylum huius tribunalis, sententia eo ipso dicitur notoriè iniusta. Gabr. *consil. 28. num. 6. lib. 2.* Cæsar de Grassis *decis. 13 num. 9. de re iud. & decis. 2. numero 6. de solut.* & fuit dictum in Burgen. quindenniorum 16. Martij 1615. coram me.

Licèt enim quando agitur ad priuationem ob crimen simoniæ, causa non dicatur criminalis, sed ciuilis. *cap. per tuas, in fine, de simon.* tamen illa debet plenè & concludenter probari. gloss. recepta *in cap. veniens il 1.* & ibidem Abb. *num. 4. de testib.* Alciat. *consil.*

consil.2.num.41.lib.1.Natt.consil.299.nu.13.in fine,Mohedan. decis.3.n.1.de simon. Cott.decis.173. Card.Seraph.decis.1029. numer.1. & fuit dictum in Firmana Capellaniæ 7.Maij 1582.coram fel.record.Clemen. VIII. in Brittorien.Commendæ 12.Decembris 1588. coram Gi..sio,in Imolen. confidentiæ 24.Februarij 1592.& Calaguritana Confidentiæ 25.Iunij 1593. coram bo.me. Cardinale Pamphilio in Aquen. beneficij seu simoniæ 17.Maij 1593.coram bo.me. Cardinale Blanchetto in Alboganen confidentiæ 6.Martij 1607.coram Reuerendissimo Lugduen. & passim in aliis.

Hæc autem plena, & concludens probatio, non resultat ex processu, quamuis in eo adsint duæ species probationis, scilicet confessio Gastaldi resignantis,& testes in iudicio criminali examinati, & alij postmodum in ciuili.

3 Nam confessio Gastaldi quòd resignauerat ad preces Ioannis Petri sui nepotis querelare in Curia Domini Zabienæ, vt exinde consequeretur liberationem à vexatione criminali, cùm dictus Dominus Zabienæ faueret Bartholomæo resignatario, & pro hoc etiam instaret summario Nicolai num. 2.non releuat, tum quia post resignationem factam, ideóque non præiudicat resignatario, vt in puncto fuit decisum in illa Firmana Capellaniæ coram sanct.mem. Clemente VIII. in dicta Aquen. simoniæ 10.Decembris 1593. & in Romana,seu Hispalen. prætensæ simoniæ 7. Februar. 1596. coram Cardinale Blanchetto & apud Seraphin.dicta decis. 1019 nu.3.& in indiuiduo ex hac causa 20. Maij præteriti coram me: tum quia etiam si deposuisset tanquam testis,adhuc tanquam socius criminis non admitteretur in hac causa priuationis. Alexand. de Neuo consil. 64.num 5.Seraphin 1029.num 4.Rota in dicta Aquen.beneficij, seu simoniæ 17.Maij, & 10. Decembris 1593.coram Cardinale Blanchetto, & in dicta Romana, seu Hispalen. & prius in dicta Firmana Capellaniæ. Tum denique quia dicta confessio vbi illi standum esset, forsan concluderet quod Gastaldum & eius nepotem,necnon D.Zabienæ,inter quos hæc res fuit transacta, non autem quo ad Bartholomæum, qui erat absens, & cum quo non continetur in dicta confessione aliquid taxatum fuisse, vel conuentum, prout requiritur ad inducendum simoniam conuentionalem. cap. Artaldus 8.quæst.1. Alciat. dicto consil 2. numer.20. Paris.consil. 30.numer.21.lib.4. Put. decis. 171. num.9.lib.2. Cardin.Seraphin.vbi supr.num.8.& fuit dictum in allegata Romana, seu Hispalen. & in dicta Aquen. simoniæ, & in dicta Albiganen Et quòd conuentio vel pactio simoniaca inter aliquos in absentia & absque scientia alterius ei non noceat quoad hoc vt puniri possit. Nauarr. consil. 35. num. 1. de simon. Rot. in dicta Calaguritana confidentiæ 25. Iunij 1593. coram Cardinale Pamphilio, & in Aretina confidentiæ 23.Ianuarij 1595.coram Litta,& in dicta Albiganen.

4 Testes verò nihil etiam probant. Nam illi qui fuerunt examinati in causa criminali sunt iidem qui deposuerunt in hac causa ciuili, & in vtroque examine vltra nullitates quæ opponuntur contra examen, nec etiam in dicto aliquid concludunt, quia solùm deponunt audiuisse ab ipso resignante, vel à dicto Ioann Petro vel ab eius vxore, quòd si sub sequuta fuisset resignatio,ipse Ioann. Petrus fuisset liberatus à vexationibus D.Zabienæ,quod nihil releuat, ex supradictis, & quatenus etiam deponunt de permissione Bartholomæi, sunt testes de auditu ab aliis quàm ab ipso Bartholomæo; qui propterea non probant. cap.licèt ex quadam, de testib.l. testium.C.eod.

Ex quibus & aliis adductis pro Bartholomæo solùm informante, resolutum vt suprà fuit sententiam esse infirmandam.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Bononien. mandati. Veneris 13. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

In hac decisione nonnulla notantur singularia,de quibus in summariis.

SVMMARIVM.

Fideicommissum, vbi restituendum est substituto, restituenda etiam est res empta ex pretio rei hæreditariæ venditæ num.1.in fine.

Vsufructuarius non tenetur soluere debita hæreditatis, etiam quòd sit constitutus hæres in vsufructu; & si soluerit poterit repetere ab hæredibus,num. 2.

Declaratio,& confessio facta ab vno, præiudicat etiam alteri habenti causam ab eo,num.3.

Legatæ rei argumentum numquid spectet ad hæredem, num.4.

DECISIO CCCLXXVIII.

Proposui iterum dubium aliàs sub die 14. Martij 1614. contra D.Comitem resolutum, nempe ipsum teneri docere de emptione possessionis, eámque vnà cum fructibus D. Sensariæ consignare, & quia contra huiusmodi resolutionem principaliter pro D. Comite deducebatur non constare de interesse Sensariæ, pro quo ipsa dedit mandatum ad emendum possessionem de qua agitur, Domini tunc mandarunt quòd de eo particulariter videatur,ideo cùm prædicta die 13. Ianuarij strictè causa super interesse Sensariæ proposita, Domini concluserunt de eo constare, ea ratione, quia Carolus Antonius senior in eius vltimo testamento D. Sensariæ eius vxori reliquit plenum, & integrum vsumfructum medietatis omnium, & singulorum suorum bonorum pro indiuiso cum Carolo Antonio iuniore;& ipso Carolo Antonio decedente, integrum vsumfructum totius hæreditatis; vnde cùm dicto Carolo Antonio præmortuo ipsa D.Sensaria in vsufructu totius hæreditatis successerit, illúmque per plures annos perceperit, & capitale negotiationis artis serici quod de tempore mortis testatoris erat circiter libr.39000.augmentatum fuerit ad libr.60000. & sic huiusmodi capitale ad D. Sensariam spectaret tam ratione vsusfructus, quàm augmenti, sequitur dicendum, quòd ex iisdem causis ad eam spectet pretium d.Capitalis venditi,& possessio, quæ ex d.pretio per D. Comitem empta, & in locum dicti capitalis subroganda erat, iuxta tradita per Peregr. de fideic.art.40 sub n.32.præter Surd.decis. 5.nu.18. & seqq.sub dicta die 14.Martij in decis.alegat.

Præterea fuit ponderatum, quòd testator iussit in d.testamento quòd æs alienum,& nonnulla le- 2

gata, quæ fecit, de dicto Capitali soluantur, & tantùm D. Sensaria de vsufructu, & aliis ipsius bonis legatariis, & creditoribus satisfecit, ideò concurrit etiam interesse ratione istius crediti, quia bene potuit dicta Sensaria id quod de proprio soluit ab hęredibus proprietariis repetere, vel dictum capitale pro eius credito retinere, & præcipuè pro summa sibi debita ratione propriæ dotis libr. 10000. & legati sibi à marito facti, iuxta tradita per Aymon *consil.* 316.*num*.4. *in* 6. *&* 7. *dub.* Peregrin. *de fideicommiss. art.*35. *num.* 1. *&* 9. & de vsufructuaria trad. Ceph. *consil.*761.*sub num* 2.*vers*.6.*D.Clara*, *& num*.25 Surd. *consil*.290.*num*.37.

3 Nec quo ad vsumfructum dici potest, quòd cùm huiusmodi capitale fuisset per testatorem specialiter ad solutionem æris alieni, & legatorum destinatum, super illo non caderet vsusfructus; quia placuit responsio, quòd cùm testator reliquerit vsumfructum super omnibus ipsius bonis, & huiusmodi capitale sub illo comprehenditur, ad tradita per Castil *de vsufructu cap.* 38. *num* 10. & satis colligitur ex eo, quia D. Bartholomæa iunior in apprehensione possessionis dicti capitalis expresse declarauit se illam capere vti proprietariam, reseruato vsufructu Sensariæ, quæ declaratio sicut ipsi Bartholomeæ præiudicasset, ita etiam præiudicat ipsius filiis, qui ab ea causam habent. *l. cùm à matre*, *C. de rei vend.* cum similibus, & sic patet, quòd licèt huiusmodi capitale alienari posset, antequam tamen alienaretur, vsusfructus etiam super illo cadebat, & tanto magis super eo, quòd soluto ære alieno, & legatis, de capitali supererat.

4 Neque obstat quoad augmentum, quòd illud spectet ad filios Bartholomeæ iunioris hæredes proprietarios. Quia D. Sensaria viuente Carolo Antonio iuniore esset vsufructuaria pro medietate, & post mortem illius remanserit vsufructuaria omnium bonorum, sicut ad ipsam deducta portione Caroli Antonij pro rata temporis eius vitæ spectabat decrementum, ita & augmentum saltem pro maiori parte spectare debet *l. secundùm naturam*, *ff. de reg. iur.* cum aliis sub dicta die 14. Martij 1614. in decis. allegat. & in legato vniuersali vsusfructus, puta gregis, peculij, & similium, trad. Mattheat. *de legat. lib.* 1. *cap* 22.*n*.2. quem sequitur Castill. *de vsufructu cap* 27.*num*.5.*& seqq.*

5 Neque demum refragatur quòd D. Sensaria per donationem postmodum ad fauorem Bartholomeæ iunioris factam omne interesse à se abdicauerit; quia imò dicta Sensaria præter dotem Bartholomeæ iunioris donauit tantùm expensas factas de suo vltra portionem fructuum per ipsam ex bonis administratis perceptorum, vt fuit resolutum sub die 4. Martij præteriti ex pluribus tunc in decisione deductis.

Et ita fuit decisum, &c.

R.P.D. BVRATTO.

Pistorien. beneficij. Veneris 13. *Ianuarij* 1617.

ARGVMENTVM.

De transportatione actorum verbali, & generali quando habeatur pro reali, & quando, & quomodo actorum transportatio præsumatur, seu probetur.

SVMMARIVM.

*Actorum transportatio verbalis, & generalis habetur pro reali, absque alia adnotatione, transportationibus quando sic in aliquo tribunali adest stylus n.*2.

*Stylus in ordinatoriis iudiciis attendendus est, num.*2.

*Stylus in ordinatoriis iudiciis probatur per extraiudiciales attestationes Cancellarij actuarij, & causidicorum num.*3.

*Stylus cum aliqua qualitate introductus cessat cessante qualitate num.*4.

Causa semper dicitur eadem, licèt instantiæ sint diuersæ, ibid. vers. nihilominus.

*Actorum transportatio præsumitur realis ex cursu temporis duorum annorum, num.*5.

Iudicis assertioni facta in sententia, visis omnibus actis, &c nunquid standum sit, num 5 *&* 6.

*Actorum transportatio censetur probata per attestationem Notarij, num.*6.

*Actorum transportatio facta ab vna parte si altera pars citata fuerit negligens in transportandis iuribus suis, sententia non redditur nulla, num.*7.

DECISIO CCCLXXIX.

Cvm Gabriel ex vna, & Rodulphus ex alia præsentati essent ad Capellaniam de qua agitur, à diuersis prætendentibus iuspatronatus laicale ad se spectare, & latæ fuissent in partibus tres sententiæ conformes ad fauorem Gabrielis commissa ad preces Rodulphi in Rota causa nullitatis dd. sententiarum, & restitutionis in integrum, dubitaui an vltima sententia per Archidiaconum Florentinum lata esset nulla, & nullitas deducebatur tam ex defectu transportationis actorum quàm ex eo quòd dictæ sententiæ super pertinentia iurispatronatus non essent ex actis verificatæ; DD. tamen pro validitate sententiæ responderunt.

Nec obstare visum fuit defectum transportationis actorum, de illa enim constat per dd. actorum productionem, quæ licet verbalis, & generalis, sufficit tamen, & habeatur pro reali absque alia adnotatione transportationis, ex antiquo, & inueterato stylo fori Ecclesiastici Florentini ita fouentis huiusmodi productiones, seu reproductiones actorum aliarum instantiarum, qui est attendendus in ordinatiis iudicij, ex vulg. vt de simili stylo dixit Rota in Meliten. pensionis 21. Maij 1602. & in Mediolanen. prætensæ illegitimatis 4. Iulij 1608 coram bo. me. Pegna. Et in specie de huiusmodi stylo Florentinæ Curiæ Ecclesiast. In Florentina iurispatronatus 3. Decembris 1607. coram Illustrissimo Cardinale Lancellotto. Et de stylo loci iudicis in ordinatoriis attendendo, dictum fuit in hac causa 22. Aprilis præteriti.

De dicto autem stylo satis constat ex attestationibus Cancellarij Actuariorum, & causidicorum dicti fori in summario numer 3. quæ licèt extraiudiciales, sufficiunt ad illum probandum in ordinatoriis *l.* 1. §. *sed & diui*, vbi Flor. & Iacob *ff. de testibus.* Alexand. *in l. dies cautioni*, §. *hoc autem num* 26. *ff de damn. infect.* & fuit decisum in dicta Florentina iurispatronatus. Qui etiam non fuit per Rodulphum controuersus, immò in memorialibus per eum datis admissus, & acceptatus, & causa cum illius præsupposito disputata.

Et licèt opponeretur, quòd stylus non applicabatur

batur cùm requirat adnotationem productionis omnium & singulorum actorum, & iurium aliarum instantiarum, & quòd originalia dimittantur penes Notarium per alteram partem videnda, quæ dicebantur cessare in præsenti casu, & per consequens etiam stylus. Bertrand. *consil*. 144. *num*. 3. *vol*. 2. *part*. 1. Crescent. *decis*. 4. *in fin. de Procuratoribus*. Seraph. *decis*. 688. *num*. 2. Nihilominus satis visum fuit esse factam dictam adnotationem per illa verba, *omnia & singula acta, & actitata hactenus in huiusmodi causa facta, & gesta per vtramque partem*. quæ cùm sint ita ampla, & vniuersalia, comprehendunt sine dubio acta præcedentium instantiarum; licèt enim instantiæ sint diuersæ, causa tamen semper est eadem ratione identitatis personarum, & rei, gloss. *in rubr. C. ne lic. tert. prouoc.* & quantum ad proprietatem, & effectum, licèt secus quoad ordinem & iustitiam, Albert. ex mente Iacob. de Beluis. *in l. ita demum, n. 3. in fin. C. de procurator.* & ibi Alex. *n*. 18. & 19. Cassad. *decis*. 8. *n*. 4. *de rescript.* Menoch. *de arbitr. lib*. 2. *cent*. 3. *cas*. 202. *numer*. 67.

5 Tanto magis cùm ex stylo non præscribatur forma præcisa adnotandi & describendi adnotationem, quæ verbis expressis, & distinctè contineat productionem cuiuslibet processus aliarum instantiarum præcedentium: dimissio autem originalium penes Notarium visa fuit satis iustificata, & potissimum ex attestatione eiusdem Notarij, de qua infrà. Sed vlteriùs pro parte Gabrielis plura etiam deducebantur, ex quibus videbatur constare productionem, & transportationem fuisse realem, & præsertim diuturnitas temporis duorum ferè annorum quo causa coram Domino Archidiacono pependit, Item verba proœmialia sententiæ visis omnibus actis, & actitatis per Procuratorem Gabrielis exhibitis; licèt enim tali assertioni iudicis regulariter non credatur, ad notata communiter per DD. *in cap. quoniam contrà. de probat.* & alios allegatos per Decian. *resp*. 18 *numer*. 201. *vol*. 1. Creditur tamen quando illa est verisimilis, prout hîc, ex supradictis, & infrà dicendis. Anchar. *conf*. 277. *in fin. versicul. non obstat* Ammon *de antiq. tempor. part*. 1. *numer*. 22. & *cons*. 54. *n*. 15 Decian. *d. resp*. 18. *n*. 203. Cephal. *cons*. 474. *num*. 11. Menoch. *de arbitrar. quæst*. 76. *numer*. 21. *lib*. 1. & ferè in specie nostra *consil*. 10. *num*. 230. 31. 32. & quando est adminicula, Decian. *d. resp*. 18. *num*. 204. *vers. & secundùm ea*.

6 Adminicula autem erant motiua d. Archidiaconi, & eius Assessoris, ex quibus apparebat acta ipsa fuisse coram eo etiam actualiter producta ac per eum lecta, vt fuit in simili consideratum in Oriolen. beneficiorum 12. Ianuarij 1596. coram bo. me. Litta, plura eius decreta, quòd acta sibi exhiberentur, & dicto Assessori, cum cuius voto declarauit velle causam expedire. Et denique attestatio Notarij actuariæ causæ de reali exhibitione processuum penes se facta, & de illorum consignatione Gabrieli ad effectum deferendi Assessori, vt in dicto summario *numero* 6. vt fuit dictum in Pientin. Capellæ 7. Iunij 1596. coram eodem Litta. Et aliæ attestationes plurium personarum, quæ viderunt dd. processus penes d. Assessorem, qui illis incumbebat, vt daret votum pro sententiæ prolatione, & propterea ex prædictis huiusmodi stylo sufficienter satisfactum fuisse videtur.

7 Minus etiam visa fuit obstare attestatio Assessoris, quòd non viderit iura pro parte illorum de Landis, sed solummodo pro parte Gabrielis. Quia cùm constet dd. de Landis fuisse legitimè citatos, & à iudice monitos ad informandum, & suas probationes deducendum, potuit iudex stante illorum negligentia absque vitio nullitatis pronunciare super iuribus tantùm pro alia parte productis. Felin. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ, num*. 18. *versic. limita igitur primò, de constit.* Alexand. *in l*. 2. *numer*. 9. *circa med. versic. secus si sit lata. C. de edend.* Cephal. *consil*. 89. *n*. 24. 25. & 26. *part*. 1. & fuit dictum in Maioricen. Canonicatus 4. & 18. Februarij 1591. coram bo. me. Gipsio.

Alia nullitas concernens caput iniustitiæ, visa fuit alterius inspectionis.

Et interim fuit vt suprà decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Conchen. parochialis. Lunæ 16. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Simonia plenè, & concludenter probari debet quando agitur ad priuationem, & nunquid probata censeatur ex resignatione facta cum conditione, quòd resignatarius teneatur de suo proprio expensas expeditionis facere.

SVMMARIVM.

Narratiua gratiæ impetrationis beneficij ob priuationem propter simoniam, vel ob confidentiam iustificanda est, numero 1. in fine.

Simonia probanda est plenè, & concludenter quando agitur ad priuationem beneficij, num. 2.

Simonia an & quando censeatur probata per pactum in resignatione appositum, quòd resignatarius de suo expensas facere teneatur num. 3. & per tot.

Resignationes beneficiorum cum conditione quòd resignatarius de suo impensas facere teneatur, admittuntur in dataria absque eo quòd in litteris talis conditio exprimatur, num. 4.

Cancellatio scripturæ quando arguat denegationem, numero 5.

Resignatio beneficij non est simoniaca, licèt contineat pacta simoniaca, quæ à Pontifice fuit admissa, n. 3.

DECISIO CCCLXXX.

Fvit aliàs per Ioannem Baptistam Serranum in manibus Sanctissimi resignata parochialis Ecclesia Sanctæ Mariæ ciuitatis Conchen. ad fauorem Ferdinandi de Ondenilla, cum reseruatione pensionis annuæ ducatorum ducentorum, & præuia pactione quòd idem Ferdinandus omnes expeditionis impensas erogare teneretur, ex quo prætendens Franciscus del Pozzo dictam resignationem ob huiusmodi pactum fuisse simoniacam, eandem parochialem tanquam ex eo capite vacante à Sede Apostolica impetrauit. Verùm cùm à prouisore Conchensi fuisset Ferdinandus absolutus, nec non declaratum resignationem in eius fauorem factam non esse simoniacam, causa per viam appellationis coram me introducta, dubitaui super iustitia dictæ sententiæ, quam Domini Ferdinando solùm informante iustam esse censuerunt. Ex quo 1

enim Franciscus narrauerat Ferdinandum pacta simoniaca, vel confidentia redolentia cum resignante commisisse, id vtique iustificandum veniebat. *cap. ex parte, de rescrip.* Dec. *consil.* 33. *num.* 1. & 142. *nu.* 6. Ægid. *decis.* 76. Rot. *decis.* 128. *num.* 1. & *decis.* 221. *n.* 4 *part.* 1. *diuersorum.*

2 Et tanto magis debebat simonia plenè, & concludenter probari, cùm ad effectum priuationis ageretur. gloss. *in cap. veniens il* 1. *in verbo illorum, de testibus*, vbi Abb. *num.* 4. Alciat. *consil.* 2. *numer.* 40. & 41. *lib.* 1. Seraphin. *decis.* 1029. *num.* 1. & fuit dictum in Firmana Capellaniæ 7. Maij 1582. coram Clemente VIII.

3 Nec illa dici potest probata per pactum in resignatione quòd resignatarius de suo impensas facere teneretur. Quia licèt pactum huiusmodi tanquam labe simoniæ infectum reprobatum videatur, Paris. *de resignat. lib.* 14. *quæst.* 7. *num.* 9. Cùm tamen de illo fuerit mentio facta Sanctissimo, qui hoc non obstante resignationem admisit, cessat omnis simoniæ labes, quæ purgatur, vbi Summi Pontificis authoritas interuenit. Nauarr. *in manual. cap.* 23. *numero* 108. Paris. *de resignat. lib.* 14. *quæst.* 6. *num.* 12. Cassad. *decis.* 3. *num.* 3. *de renunciat.* & fuit dictum in Hispalen. beneficiorum 6. Martij 1592. coram Illustriss. Card. Millino.

4 Nec releuat hoc pactum registratum non fuisse, nec minus in litteris insertum. Constat enim obiectum ex stylo, de quo testes deponunt in summario dati, quòd videlicet nec in litteris, nec in registro tale pactum solitum fuerit apponi, & de tempore Clementis VIII. constat ex iisdem testibus, cum illo passim admissas fuisse resignationes, & post signatam supplicationem ipsum deleri consueuisse ne ad exemplum traheretur, vt fuit factum in casu nostro. Et confirmatur ex illa particulari prouisione, quòd circa clausulam, vel decretum expensarum sola supplicationis signatura sufficeret, vnde resultat istud pactum in litteris inserendum non esse, quod ad hoc solummodo factum dicitur, vt deponunt testes.

5 Neque cancellatio potest arguere denegationem, cùm ex supradictis constet illam ad alium effectum emanasse. Bald. *consil.* 472. *numer.* 2. *lib.* 1. Butrig. *consil.* 30. *in fine.* Castren. *consil.* 32. *in princip.* & *cons.* 257. *in fine versicul. Alia regula, lib.* 2. Alexand. *consil.* 32. *num.* 3. *lib.* 5.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana fideicommissi de Paluzellis. Lunæ 16. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

De materia text. *in l. edictali. C. de secundis nuptiis*, volentis coniugem non posse relinquere superstiti coniugi plusquam vni ex liberis primi matrimonij, nonnulla notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Vxor non potest relinquere in testamento coniugi suo superstiti plusquam vni ex liberis primi matrimonij, num. 1. & *seqq. Plus autem an dicatur relictum, nec ne, attenditur tempus testamenti, & non spes futuræ successionis, num.* 5.

Vxor si viro suo plus in testamento reliquerit quàm vni ex liberis primi matrimonij, testamentum non annullatur, sed illud plus pro non scripto habetur, & reducitur ad æqualitatem, num. 4.

Exceptiones requirentes altiorem indaginem in iudicio possessorio, num. 4. *in fine.*

DECISIO CCCLXXXI.

Visum fuit Dominis immissioni non obstare dispositionem text. *in l. hac edictali, Cod. de secund. nupt.* Nam dicta lex loquitur, & procedit quando coniux præmoriens plus reliquit coniugi superstiti, quàm vni ex liberis primi matrimonij, & in casu nostro Isabella testatrix nihil plus reliquit Alexandro ipsius viro, quàm Laurentio filio ex primo matrimonio, cùm Alexandro legauerit tantùm medietatem cuiusdam crediti scutorum 3000. Item iocalia ascendentia ad scuta mille, & illud plus quàm venderetur casale vltra scuta 5000. quod plus attentis transactionibus inter Laurentium & Alexandrum initis fuit scutorum 200. attenta verò venditione postea subsequuta fuit scutorum 500. Laurentius verò fuit hæres vniuersalis institutus, & ex solo casali habuit scuta 5000. vltra aliam medietatem dicti crediti scutorum 3000. & sic longè plus.

Vltra quòd dictus Alexander actualiter habuit multo minus quàm sibi fuerit relictum ex transactionibus postea cum Laurentio initis, in quibus ipse remisit legatum casalis, & aliud medietatis crediti scutorum 3000. ac lucrum dotale sibi competens in bonis vxoris pro summa scutorum 1200. tantùm, quæ sibi fuit soluta ex fructibus dicti casalis ad nouennium locati.

Quibus non obstat, quòd Laurentio sine filiis decedentis testatrix substituerit Alexandrum, & è contra ipsum Laurentium in nihilo substituerit Alexandro, & ex hoc videatur marito plus reliquisse, & perinde substitutio habeatur ac facta non fuisset, & filij Alexandri in dicta substitutione positi in conditione nihil prætendere possint. Respondebatur enim, quòd huiusmodi spes quam habebat Alexander succedendi Laurentio, quatenus sine filiis decederet inspecto tempore testamenti, & mortis testatricis, quod in hac materia attendi debet. §. *quia verò hactenus. auth. de nuptiis.* gloss. *in dicta l. hac edictali, verbo donata*, & ibi communiter Doctor. Gabriel. *de secundis nuptiis. conclus.* 4. *num.* 56. Peregrin. *consil.* 76. *num.* 4. *lib.* 3. erat conditionalis, incerta, & remotissima, & de facili poterat euanescere, cùm tunc Alexander esset ætate grauis, nempe annorum 50. & vltrà, & è contra Laurentius esset adolescens, qui poterat verisimiliter vxorem ducere, & suscipere liberos, ac superuiuere, & consequenter talis spes non videtur magni facienda, ad effectum. *dictæ l. edictali*, ex notat. per Bertazol. *consil.* 71. *numero* 9. & *seq.* Peregrin. *dicto consil.* 76. *num.* 6. Laderch. Imolen. *consil.* 27. *num.* 6. Cùm præsertim dicta substitutio facta de Alexandro non esset libera & absoluta, sed pariter illi sine agnatis decedenti fuerit substitutum hospitale S. Iacobi incurabilium.

Et omnis difficultas videbatur cessare ex eo quia si quid plus Alexandro fuisset relictum, non propterea annullaretur testamentum, & fideicommissum

missum factum ad fauorem filiorum illius, qui hodie veniunt ex propria eorum persona; sed illud plus haberetur pro non scripto, & reduceretur ad æqualitatem, vt habetur *in dicta l. hac edictali*, *§. sin verò plus*, quæ reductio ad æqualitatem non est dubium quòd requirat altiorem indaginem, cùm in facto videndum esset quæ bona, & corpora reliquerit in hæreditate Isabella, & cuius valoris, ad dignoscendum, an illud quod habuit Alexander, excedat quantitatem quam habuit Laurentius. Ad quem effectum esset etiam discutiendum in iure, an in portione relicta Alexandro, sit computandum quartum dotale sibi competens, & pariter, an in parte Laurentij sit computanda ipsius legitima, quæ omnia tanquam requirentia altiorem indaginem non videntur admittenda in hoc iudicio possessorio, sed reiicienda ad petitorium. Natta *cons.532.nu.4.* Menoch. *de adipiscen.remed.3.num.180.& seq.*

Ex quibus fuit resolutum immissioni non obstare dispositionem text. *in l.hac edictali*, & quod de reliquis videatur, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Terdonen. pensionis. Lunæ 16. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Per vnicam solutionem pensionarius constituitur in quasi possessione exigendi, & verba *habuit*, & *recepit* in præsentia probant veram numerationem, non solùm confessionem: & sententia nulla nunquam transit in iudicatum.

SVMMARIVM.

Pensionarius per vnicam solutionem pensionis constitutus dicitur in quasi possessione exigendi pensionem etiam contra successorem, num.1.

Quasi possessio exigendi pensionem acquiritur per vnicam solutionem pensionis, etiam contra successorem in beneficio, ibid.

Solutio & numeratio actualis probatur per verba habuit, & recepit in mei, *&c. etiam sine copulatiua, &; probatur etiam per verba æquipollentia*, actualiter, manualiter, *num.2.& non sola confessio.*

Ibidem verbum positum in instrumento post verba in præsentia mei, *non potest intelligi, nisi de loco in quo fuit confectum instrumentum, num.3.*

Testes examinati sine citatione ad videndum illos iurare, sunt nulliter examinati, num.4.

Sententia ob defectum citationis est nulla, & nunquam transit in iudicatum: citatio debet esse specifica, & certa ad audiendum sententiam, nec sufficit facta ad videndum fieri quancumque declarationem, num.5.

Pensionarius manutenendus est interim pendente causa restitutionis in integrum aduersùs rem iudicatam, ibid.in fine.

DECISIO CCCLXXXII.

1 Cum pars Rectoris non acquiesceret decisioni in hac causa factæ 17. Iunij præteriti, in qua fuit resolutum Ioanni Baptistæ pensionario dandum esse mandatum de manutenendo, in quasi possessione exigendi pensionem iterum proposui causam super eisdem, & Rota in decisis permanendum censuit, ex deductis in decisione; constat enim de solutione pensionis ex instrumento quitantiæ inter Ioan. Baptistam, & antecessorem moderni Rectoris, per quam solutionem etiam vnicam pensionarius fuit constitutus in quasi possessione exigendi. *cap. cum Ecclesia Sutrina*, vbi Abb. *num.23. de caus.poss.& propr.* etiam contra successorem, iuxta decis. Guido Pap. *629.* quam Rota sequitur, vt per Put. *decis.151. lib.3.* cum aliis in decisione adductis.

Nec obstat quòd verba illa instrumenti, *in præsentia mei Notarij, & testium*, possint referri ad confessionem, & ideo non sufficiant ad probandum actualem numerationem, sed detur cautela quod Notarius apponat copulam, *& habuit, & recepit in mei præsentia*, &c. iuxta theoricam Bart. *in l. si ex cautione, num.9.vers.& ideo tutius est*, & ibi Salyc. *num.14.vers. dicit Bar. C. de non num. pecun.* quæ cautela hîc non adest; quia fuit responsum, Bart. non negare quin possit probari solutio per verba æquipollentia, etiam absque copula, vt apparet ex eodem Bart. *in d.l.si ex cautione, num.1.* prout fuit allegatus in decisione, vbi in vers. *si ergo*, tradit quòd si Notarius dicat, Titius confessus est se habuisse, & recepisse decem quæ in veritate habuit, & recepit in præsentia mei Notarij, & testium, tunc instrumentum probat de necessitate numerationem, & de aliis verbis similibus, vtputa manualiter, realiter, & cum effectu, quòd probent veram numerationem, tradit Castr. *in l.singularia, num.9.ff.si cert.pet.* Soc. *cons.143.nu.4.lib.1.* Bertazzol. *clausul.34. gloss.7. & 8.in princ.* & addentes ad eius *cons.criminalia 544.ante fin vers.illa etiam verba, & vers.adsunt præterea.* Idem igitur videtur dicendum in casu nostro, quòd per illa verba, *actualiter numeratos, datos, & traditos in præsentia*, &c. probetur vera numeratio, & non sola confessio, vt in his terminis dicit Alex. *cons.37.sub nu.8.lib.3.* vbi tamen non aderat illud verbum *actualiter*, quod eo magis ostendit actum veræ numerationis, vt de similibus verbis proximè dictum est ex Bertaz. & aliis allegatis. 2

Et hæc tanto magis videbantur amplectenda, cùm in hoc casu illa verba, *in præsentia*, sint geminata, & primum apposita confessioni receptionis pensionis, & postea illius numerationi, videlicet post illa verba, *actualiter numeratos, & traditos in tanta bona moneta, aurea, & argentea æquiualente in præsentia*, vt suprà, quæ negari posse non videtur, quin referantur ad veram numerationem, ne aliàs inepta sit eiusmodi repetitio, vt fuit consideratum in decisione; ex quo etiam cessat quod dicebatur, illud verbum, *ibidem*, debere intelligi de solutione facta in vrbe; cùm enim statim repetantur illa verba *in præsentia mei*, &c. illa dictio *ibidem*, non potest intelligi, nisi de loco in quo fuit confectum instrumentum quitantiæ, vt latiùs in decisione, in qua etiam fuit consideratum adminiculum ex fide Notarij de dicto instrumento rogati, & vnius testis instrumentalis de actuali, & vera solutione, quod etiam hodie placuit Dominis. 3

Nec videntur obstare testes de confidentia patrui, & nepotis in impositione pensionis, ad hoc ne exigeretur, nisi à successoribus, quia licèt fuerint examinati in vim monitorij; adhuc tamen illis obstat defectus citationis ad videndum illos iurare. *cap.2.de testib.* 4

Ex quibus etiam videbatur responsum ad deci-

sionem Illustriss. D. Cardinalis Lancellotti in Ianuen. pecuniaria 15. Aprilis 1611. in contrarium allegata, ex quo ibi non aderat verbum *actualiter*, nec vlla mentio facta fuerat de numeratione. Et verbum *in præsentia*, non erat geminatum, vt hic.

5 Non obstat exceptio rei iudicatæ allegata per informantes; quia vltra quòd dicebatur, sententiam fuisse nullam, ob defectum citationis ad sententiam, *Clem. pastoralis. de re iud.* Cæsar. de Graff. *decis.* 11. *nu.* 2. *eod. tit.* quæ debet esse certa, & specifica ad audiendum sententiam, non autem ad videndum fieri quancunque ordinationem, declarationem, & expeditionem, vt fuit factum in hoc casu, Rota *decis.* 17. *de re iud. in nou.* & fuit resolutum in causa Gerunden. præeminentiarum 17. Ianuarij 1616. coram R. P. D. meo Caualerio, & vtique sententia nulla nunquam transit in iudicatum. *l.* 4. *§. condemnatum, & l. si cum nulla. ff. de re iud.* cessabat difficultas, quia nouissimè fuit commissa causa restitutionis in integrum aduersùs prætensam rem iudicatam, qua pendente pensionarius interim est manutenendus. Rota *decis.* 350. *in fine. part.* 1. *diuers.* & in Lucana bonorum 27. Februarij 1606. coram R. P. D. meo Pamphilio, & aliàs sæpe.

Ex quibus Domini permanserunt in decisis, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Marsicen. iurisdictionis. Lunæ 16. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

De probatione quasi possessionis iurisdictionis in causa ciuilibus, & mixtis ad fauorem Archipresbyteri in præiudicium Episcopi plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Testes singulares probant iurisdictionem, num. 1.

Quasi possessio iurisdictionis in causis ciuilibus & mixtis quomodo probetur, num. 2.

Manutentionis iudicium summariissimum non requirit exactam probationem, num. 3.

Episcopi iurisdictio quam habet de iure communi in causis ciuilibus, & mixtis, redditur turbida per iurisdictionales actus ab Archipresbytero factos, num. 4.

DECISIO CCCLXXXIII.

1 Archipresbytero terræ Saponariæ, Domini dixerunt dandum esse mandatum de manutenendo in quasi possessione iurisdictionis, quo ad causas ciuiles, & mixtas, de illius enim exercitio dictæ iurisdictionis, visum fuit potissimum constare ex duobus testibus in Curia Marsicensi pro parte Episcopi, vt constare videtur ex eorum lectura examinatis, qui deponunt de cognitione huiusmodi causarum coram dicto Archipresbytero, & quòd in gradu appellationis deuoluebantur ad Episcopum, provt etiam narratur in instrumento concordiæ initæ de anno 1604. inter ipsum Episcopum, & Capitulum, & dictum Archipresbyterum; prædicti autem testes licèt singulares, iurisdictionem probant. Innoc. *in cap. qualiter*, & *quando, col.* 1. *de accus.* Alber. *in l. ob carmen, nu.* 8. *vers. si enim supposito initio*, & ibi Iacob. de S. Georg. *num.* 21. *vers. sed reperio, & num.* 22. *vers. eodem modo, ff. de testib.* Dec. *in cap. licet causam, nu.* 69. *de probat.* Gabr. *de testib. concl.* 2. *num.* 22. Riminald. iun. *cons.* 7. *nu.* 35. *cum seqq.* Farinac. *de testib. quæst.* 64. *num.* 182. & sufficit eos esse contestes in quadam generalitate, iuxta decis. Verall. 269. *num.* 2. *part.* 3.

Valde autem adminiculantur tam ex concordia inter Parisium Episcopum Marsicen. & Capitulum facta, in qua idem Episcopus recognouit eundem Archipresbyterum exercuisse iurisdictionem harum causarum ciuilium, & mixtarum, præsertim, quia hæc confessio emanauit à Prælato informato, quia ipsemet dum esset Vicarius Episcopi sui prædecessoris per eius diffinitiuam sententiam cognitionem earundem causarum eidem Archipresbytero adiudicauerat, quàm etiam ex summario quodam iurium penes Procuratorem Episcopi reperto in quo adnotati sunt vigintiduo processus in curia Archipresbyteri agitati ab anno 1490. vsque ad annum 1577. in Curia Episcopali Marsicen. producti, & depositiones vigintiquatuor testium, quod Archipresbyter à fundatione Ecclesię semper cognouit de causis ciuilibus, & mixtis, quodque redditus Archipresbyteratus proueniunt ab emolumentis iurisdictionis, de quibus processibus, & testibus meminit etiam bon. mem. Oranus in eius voto ad fauorem Archipresbyteri, & testantur nonnulli pro releuatione dd. iurium ad instan. Archipresbyteri examinati, & fit mentio in Epistola eiusdem Episcopi prædecessoris transmissa ad dictum Procuratorem huc in Curiam, in qua illum admonet vt sibi transmittat processum, seu copiam processus fabricati in Curia Episcopali Marsicen. de anno 1572. subiungens *doue furono essaminati molti testimonij sopra l'immemorabile*, & demum fassus est ipsemet Procurator in eius constituto, vt in summario Archipresbyteri *num.* 13. Ex ea itaque cognitione quæsita fuit Archipresbytero quasi possessio iurisdictionis in omnibus prædictis causis, Innocent. *in cap. dilectus*, & ibi Butr. Ancharan. Ioan. de Anan. & alij *de capell. Monach.* Papien. *in prax. in form. libell. in act. confess. in gloss. plenam num.* 10. In qua etiam possessione idem Archipresbyter de anno 1590. manutentionem obtinuit ab A. C. vt in mandato in eius summario *nu.* 2. & licèt postea Episcopus quoque in tribunali Rotæ mandatum de manutenendo obtinuerit à R. P. D. meo Manzanedo, illud tamen quoad causas de quibus agitur non fuit illi concessum priuatiuè, sed cumulatiuè.

3 Quæ omnia simul sufficere visa fuerunt, in hoc præsertim summariissimo iudicio, in quo exacta probatio non requiritur, Alex. *cons.* 103. *num.* 3. *lib.* 7. Dec. *cons.* 56. *num.* 1. *vers. & ideo*, Menoch. *de retinend. remed. vlt. num.* 34. Caputaquen. *decis.* 200. *part.* 2. & fuit dictum in Aquilegien. pensionis 21. Maij 1610. coram dicto D. meo Manzanedo.

4 Et ex præmissis iuncta etiam sententia Parisij Vicarij Marsicen. de anno 1578. ad fauorem Archipresbyteri quoad præsentes causas lata, iuris assistentia pro dicto Episcopo, iuxta textum *in cap. cum persona, de priuileg. in* 6. offuscatur, & maximè turbida redditur, ideoque illi non suffragatur, Seraphin. *decis.* 1278. *num.* 5. fuit dictum in Montis Regalis iurisdictionis, 4. Nouembris 1588. coram bo. me. Penia, & resolutum in hac causa 18. Martij 1607. coram eodem D. Meo Manzanedo.

Neque obstant actus iurisdictionales dati pro parte

parte ipsius Episcopi de anno 1537. & 1584. in eius summario *num.* 6. quia illos vti non in forma probanti exhibitos Rota iam reiecit dicta 18. Maij 1607. vt in decisione eodem summario Episcopi *num.* 1.

6 Ex quibus DD. concluserunt Archipresbyterum manutenendum esse quoad supradictas causas ciuiles, & mixtas, non tamen aperuerunt quòd priatiuè quoad Episcopum super quo (si opus erit) poterunt iterum consuli.

Quo verò ad causas criminales matrimoniales reseruarunt videre, an ex supradicta sententia Parisij constet de re iudicata, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Fauentina pecuniaria. Veneris 27. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Arbitramento vnius stare promittens, non tenetur stare arbitramento alterius. Cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Arbitramento vnius stare promittens, non tenetur stare arbitramento alterius, num. 1. *&* 2. *in fine.*

Fideiussio est contractus stricti iuris, nec extenditur vltra consensum proprium; sed solùm ad ea, quæ expressa sunt, num. 2.

Nouatio censetur inducta per subsequens compromissum, num. 3. *non obstante protestatione, de qua nu.* 4.

Venditionis vnum substantiale est pretium, num. 5. *in fin.*

DECISIO CCCLXXXIV.

1 FVit resolutum sententiam R.P.D Carpinei esse infirmandam. Nam quicquid sit de nullitatibus contra eam oppositis, illa est iniusta, cùm condemnet Eramum fideiussorem ad soluendum Ioan. Baptistæ libras 15110. pro pretio portionis societatis prædicto Ioan. Baptistæ tangendo, & credito eiusdem, iuxta formam relationis periti vltimo loco electi, quæ condemnatio non est conformis obligationi factæ per D. Eramum, qui se obligauit ad soluendum pretium mercium venditarum, non simpliciter, nec vnica vice, sed in diuersis temporibus, & iuxta declarationem faciendam per Pasqualinum in eodem instrumento electum à partibus ad arbitrandum pretium prædictum, quæ tamen declaratio non fuit facta à Pasqualino, sed ab alio perito, vnde nec fuit commissa stipulatio contra fideiussorem, qui non illius, sed Pasqualini arbitramento voluit se submittere, vt inquit text. *in l.* 3. *& l. cùm apud ff. iudic. sol. l. si quis arbitratus, ff. de verb. oblig.* Curt. iun. *cons.* 36. *à num.* 4. Gabr. *cons.* 43. *sub num.* 12. *in fine, & seq.* Borgnin. *decis.* 5. *num.* 33. *p.* 2. Ceual. *commun. opin. quæst.* 727. *num.* 59.

2 Et licèt respectu principalium fortasse posset dubitari, an licitum esset à persona Pasqualini recedere per nominationem alterius, tamen quicquid de hoc sit respectu Erami fideiussoris, in quo militat diuersa ratio, clarum est hoc fieri non potuisse, quia cùm fideiussio sit contractus stricti iuris, non extenditur vltra consensum proprium, sed solùm ad ea, quæ expressa sunt. *l. si vltra. C. de fideiuss.* Decian. *cons.* 72. *num.* 18. *lib.* 2. Hond. *cons.* 111. *num.* 25. *lib.* 1. Surd. *decis.* 212. *num.* 4. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 16. *tit.* 14. *num.* 1. & sic cùm fideiussor consenserit, & se obligauerit secundùm arbitramentum Pasqualini, cui fortasse magis confidebat quàm alteri, vltra dictum arbitramentum eius obligatio non extenditur, vt benè in proposito distinguit Curt. iun. *dicto cons.* 36. *num.* 5. *in fine, & seq.* vbi *num.* 7. assignat aliam rationem differentiæ.

Prædictis accedit quòd post obligationem Erami Ioannes Baptista, & Blasius fecerunt nouum compromissum in personam Catuli, in illum remittendo declarationem dicti pretij absque interuentu fideiussoris, vnde quoad ipsum fuit facta nouatio, & inducta liberatio, vt in terminis notat Gabr. *cons.* 43. *num.* 13. *cum seq. lib.* 1. 3

Nec obstat quòd dictum compromissum fecerint, cum expressa protestatione quòd per illud non intendebant recedere à prioribus obligationibus, quia dicta protestatio intelligitur de obligationibus quæ se compatiuntur cum dicto compromisso. Seraphin. *decis.* 773. *num.* 9. qualis non est obligatio Erami, quæ cùm esset facta præcisè ad id quod arbitraretur Pasqualinus, erat incompatibilis cum compromisso facto in personam alterius. 4

Verius facit quòd arbitrio Pasqualini non fuerit remissa substantia obligationis, sed tantùm declaratio quantitatis portionis spectantis ad Ioannem Baptistam, & sic illo non arbitrante potuerit ab eo recedi, & recurri ad arbitrium boni viri, & iudicis, quia immò fuit remissa declaratio pretij mercium, vt clarè legitur in instrumento, quod pretium est vnum de substantialibus venditionis. §. 1. *Instit. de emp. & vendit.* 5

Et ita fuit conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Hispalen primitiarum. Lunæ 16. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

De secunda, & tertia remissoria quando concedatur super antiquis, vel nouis articulis.

SVMMARIVM.

Remissoria non datur super articulis, super quibus fuit data altera remissoria, num. 1. *&* 2. *vbi ampliatur hæc conclusis.*

Remissoria secunda non dari solet super nouis articulis, ibid. vbi etiam quid de tertia remissoria. declara vt num. 2.

DECISIO CCCLXXXV.

DOmini censuerunt non esse dandam remissoriam, quia articuli, qui modò dantur pro parte D. Archiepiscopi, continent ipsius & Curatorum ab ipso deputatorum possessionem, vel quasi, percipiendi oblationes & primitias, de quibus agitur priuatiuè quoad simplices beneficiatos, prout continebant alij pro parte eiusdem D. Archiepiscopi dati, coram bo. me. DD Cardinalibus Seraphino, & Blanchetto, super quibus quamplures testes vigore remissoriæ examinati fuerunt, & super illis pluries 1

causa proposita fuit, vt patet ex decisionibus, quæ in Rota emanarunt, quo casu remissoria non est ampliùs concedenda. Nedum propter timorem subordinationis, ex quo fuerunt per partes didicita testificata. Doctor. *in cap. fraternitatis, de testib.* Rom. *singul.* 786. Rot. *decis.* 16. *de testib. in nou.* Sed etiam, quia regulariter nec etiam secunda remissoria super nouis articulis concedi solet, vt euitetur suspicio calumniæ, *dicto cap. fraternitatis, de testib.* Rot. *decis.* 29. *de iudic. in antiquis.* Chisan. *decis.* 164. & fuit dictum coram me in causa Corduben. decimarum 4. Iunij 1610. & aliàs sæpe, & tamen in casu isto Domino Archiepiscopo tertia quoque concessa fuit, licèt postmodum illa vti non curauerit, itaut tanto minus alia, vti calumniosa, sit ei concedenda, iuxta decis. Caputaq. 58. *nu.* 2. & *decis.* 65. *part.* 3. & fuit ponderatum in causa Ianuen. pecuniaria 5. Iunij 1613. coram R.P.D. meo Vbaldo.

2 Neque refragari, quòd articuli, qui modò dantur, sint noui, super quibus ex causa remissoria concedi solet; quia vltra quòd hoc procedit quando concurrit aliqua iusta causa, vt fuit dictum in causa Pampilonen. decimarum 23. Iunij 1600. coram bo. me. Cardinali Pamphilio, de qua in casu isto non constat, fuit etiam responsum, quòd immò supradicti articuli in substantia & comprehensiuè sunt iidem, quia eandem possessionem vel quasi percipiendi oblationes, & alia de quibus agitur, continent, licèt aliqualiter ab aliis in sono verborum different. Abb. *in dicto cap. fraternitatis, num.* 8. *de testib.* Paris. *consil.* 122. *numer.* 1. *lib.* 1. & fuit dictum in supradicta causa Ianuen. pecuniaria coram R.P.D. meo Vbaldo.

3 Neque obstare quòd fuerit data remissoria beneficiatis ad probandum attentata, & sic illius termino pendente dari debeat etiam D. Archiepiscopo ad illa excusandum. Quia plures actus pro parte beneficiatorum articulantur, qui prætenduntur attentati, & tamen pro D. Archiepiscopo non articulantur contrarij actus, neque factum aliquod contra attentata, sed solùm ipsius anterior possessio, vel quæ cùm fuerit aliàs pluries articulata, non est vlteriùs super ea remissoria concedenda, ex supradictis, maximè quia dicta possessio non excusaret Dominum Archiepiscopum ab attentatis super aliis actibus ipsam possessionem non concernentibus, quo casu adhuc remissoria vti irreleuans deneganda esset. Mohed. *decis.* 5. *num.* 5. *de probat.* Caputaq. *decis.* 54. *nu.* 3. & *decis.* 66. *part.* 3. cum aliis allegatis.

Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Lucana iurispatronatus. Lunæ 23. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio conferendi beneficium facta collatione ab Ordinario, quando patronis iuspatronatus prætendentibus præiudicet.

SVMMARIVM.

Beneficij collatio præsumitur effectuata ex eo quòd per obitum prouisi iterum vacat, num. 1.

Quasi possessio conferendi beneficium tanquam liberum acquiritur per vnicam collationem, ibid.

Quasi possessio conferendi beneficium non suffragatur, nisi conferens fuerit in bona fide, num. 2. *vbi etiam quando talis bona fides cessat.*

Beneficia omnia præsumuntur libera, & non iurispatronatus, ibid. vers. vltra quod.

Patronorum taciturnitas, & acquiescentia collationi beneficij facta per Ordinarium, facit præsumere beneficium liberum, ibid. in fine.

DECISIO CCCLXXXVI.

FVit resolutum non constare de bono iure Francisci. nam etiam admisso quòd constaret de iurepatronatus illorum, qui ipsum præsentarunt, ex deductis per informantes; tamen dicta præsentatio ei suffragari non potest, ad effectum vt sit instituendus, quia cùm Ordinarius beneficium de quo agitur tanquam liberum contulerit vsque de anno 1579. & dicta collatio doceatur effectuata, ex eo quòd per obitum tunc prouisi hodie vacat, iuxta consil. Oldrad. 229. sæpiùs à Rota canonizatū, sine dubio per talem collationem licèt vnicam, videtur acquisiuisse quasi possessionem illud conferendi tanquam liberum. Ferret. *cons.* 132. *num.* 11. Puteus *decis.* 192. *n.* 1. *lib.* 1. Achil. *decis.* 5. *de iurepatronat.* Rota *decis.* 17. *num.* 1. *part.* 2. *diuers.* & propterea collatio Antonio facta ab Episcopo existenti in quasi possessione conferendi tanquam de libero, videtur pro hac vice sustinenda, stante dicta bona fide Episcopi. Puteus *decis.* 206. *lib.* 1. & pluribus relatis, fuit resolutum in causa Papien. iurispatronatus 8. Martij 1613. coram me. 1

Nec obstat quòd dicitur Episcopum de dicto anno 1579. habuisse scientiam iurispatronatus, cùm tunc patroni præsentauerint, & perinde cessare bonam fidem ad hunc effectum necessariam, quia non docetur de dicta præsentatione, nec tunc factas fuisse aliquas probationes iurispatronatus, prout necesse esset ad inducendam malam fidem. Et testes ad illam probandum inducti cùm deponant de auditu, non sunt attendendi. Roland. *cons.* 24. *num.* 86. *lib.* 1. Honded. *cons.* 17. *num.* 2. *lib.* 1. Surd. *cons.* 328. *nu.* 1. Vltra quòd mala fides excluditur tum ex iuris assistentia, secundùm quod omnia beneficia præsumuntur libera, tum ex longa acquiescentia patronorum, qui per spatium annorum 36. nunquam à dicta collatione reclamarunt. Put. *decis.* 192. *in fine*, & fuit consideratum in dicta Papien. iurispatronatus coram me.

Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Elboren. fructuum. Lunæ 23. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

De vacatione beneficij ob non expeditionem literarum Apostolicarum intra certum tempus, & an faciat fructus suos.

SVMMARIVM.

Bona fides sufficit ad lucrandos fructus beneficij, num. 1.

Pœna incursus excusatur stante causa, num. 2.

Trien-

Triennalis possessio beneficij operatur, vt beneficiatus non possit molestari super titulo & fructus retineat, & sufficit qualis qualis occasio possidendi, num.3.

Pœna ad hoc vt incurratur, debet probari scientia certa, & præcisa, nec sufficit generica, & præsumpta, num.4.

Litterarum Apostolicarum expeditionem qui commisit in Curia intra tempus præfixum, licèt expeditio postea non sit facta, sed paulo pòst, excusatur, & purgat moram, num.5.

Procuratoris negligentia non debet nocere principali, num.6.

Litterarum Apostolicarum expeditio quando præcipitur intra certum tempus sub pœna vacationis ipso iure, si iura Cameræ sint soluta, etiam quod expeditio non fiat intra illud tempus, non tamen sequitur vacatio, quia satisfit præcepto, ne iura Cameræ fraudentur, nu.7.

Litteræ Apostolicæ in forma dignum, *etiam non executæ, tribuunt titulum coloratum, num. 8.*

Titulus coloratus sufficit ad acquisitionem fructuum, num.9.

Titulus coloratus oritur ex gratia etiam subreptitia, num.10.

DECISIO CCCLXXXVII.

1 FVerunt in partibus, ac postmodum in Rota per sententiam quæ transiuit in iudicatum, condemnati hæredes Didaci Pereira ad restitutionem fructuum per ipsum indebitè perceptorum ex Canonicatu Doctorali Elboren. ex eo quòd cùm post obtentam institutionem ab Ordinario infra sex menses non expediuerit litteras Apostolicas, remansit ipso iure priuatus d. Canonicatu, iuxta indultum fel. record. Pij IV. & consequenter non potuerit facere fructus suos, sed illos teneatur restituere Capitulo ex statuto dictæ Ecclesiæ de fructibus malè perceptis. Verùm commissa mihi causa restitutionis in integrum aduersùs dictam sententiam, & rem iudicatam, & proposito hodie dubio, an constaret de causis dictæ restitutionis, Domini affirmatiuè responderunt. quia in præsenti casu plura concurrunt, ex quibus arguitur bona fides Didaci, quæ pro lucrandis fructibus sufficit. *l. bonæ fidei, ff. de acquirend. rer. domin.* Menoch. *de recuper. remed.* 15. *num.* 593. *& cons.* 611. *num.* 25. Peregr *de fideicom. art.* 49. *num.* 109.

2 Et illa deducitur primò ex eo, quia habet ad sui fauorem institutionem Ordinarij, & sic titulum legitimum dicti canonicatus, & licèt ex aduerso prætendatur ipsum non posse iuuari dicto titulo, ex eo quia in pœnam non factæ expeditionis litterarum Apostolicarum fuerit inducta per indultum ipso iure vacatio Canonicatus; tamen stantibus causis, de quibus infrà, videtur excusandus à dicta pœna. gloss. *in l.* 1. *in fin. ff. de ambig.* Tiraq. *in tract. de pœn. temperan. caus.* 4. *nu.* 2. Crauett. *cons.* 18. *num.* 12. Bursat. *cons.* 157. *num.* 36. Borgnin, *decis.* 5. *num.* 19. *part.* 5. Seraph. *decis.* 1238. *num.* 10.

3 Secundò, quia vltra dictam institutionem concurrit possessio triennalis, quæ operatur vt quis molestari non possit super titulo beneficij, & fructus legitimè retineat. Sarnen. *in reg. trienn. q.* 60. Ad hunc enim effectum sufficit qualis qualis occasio possidendi. Bald. *in l. irritum, nu.* 6. *C. de vsucap. per donat.* Bec. *cons.* 95. *num.* 5. *decis. Pedemont.* 160. *num.* 8. Surd. *decis.* 211. *num.* 7.

4 Tertiò, quia nullibi probatur Didacum habuisse scientiam vacationis inductæ in indulto ob non factam dictam expeditionem; & tamen ad effectum incurrendi pœnam, de tali scientia certa & præcisa constare debet, Rip. *in l. filiusfamilias, §. Diui, num.* 11. *in fine, de leg.* 1. Ruin. *cons.* 118. *circa finem lib.* 2. Peregr. *de fideicommiss. q.* 3. *num.* 42. Seraph. *decis.* 916. *num.* 8. Nec sufficit generica ipsius indulti, ex præsumpta, Mohed. *decis.* 4. *de probat.* Sarnen. *de annal. q.* 48. *in fin.* Seraph. *decis.* 1259. *num.* 1. *& seq.*

5 Quartò, quia dictus Didacus in tempore transmisit in Curia mandatum ad expediendum litteras Apostolicas, & pecunias necessarias, vnde licèt expeditio non fuerit facta intra sex menses ex indulto præfixos; tamen quia statim, nempe sexdecim dies pòst, dicta expeditio fuit facta, videtur excusandus, & purgatio moræ admittenda, cùm ex parte sua non constet de dolo, nec culpa, Caputaq. *decis.* 9. *part.* 3. Sarnen. *in reg. de subrog. quæst.* 7. *num.* 2. *vers. secundo casu.*

6 Et propterea negligentia Procuratoris sibi nocere non debeat. Odd. *de restit. in integrum quæst.* 13. *num.* 49.

7 Maximè, quia in dicta expeditione litterarum fuerunt actualiter soluta iura Cameræ, & dictum decretum vacationis est factum propter interesse Cameræ duntaxat, & ne iura Cameræ fraudentur, vnde sufficit illi effectualiter fuisse satisfactum. Roman. *cons.* 433. *num.* 2. *&* 3. Cassad. *decis.* 26. *super reg.* Rot. *diuers. decis.* 15. *num.* 3. *lib.* 3.

8 Quibus non obstat quòd litteræ per Didacum expeditæ essent in forma *dignum*, & non fuerint executioni demandatæ, quia quicquid sit de hoc, hodie non agitur de canonizatione dd. litterarum, sed de adimplemento decreti appositi indulto Pij IV. cui fuit satisfactum per expeditionem litterarum, & solutionem iurium Cameræ, vt suprà dictum est. Vltra quòd etiam gratia in forma *dignum*, tribuit titulum coloratum. Cassad. *decis.* 11. *de restit. spoliator.*

9 Qui sufficit ad acquisitionem fructuum, de qua hodie agitur. Sarnen. *in reg. de annal. quæst.* 57. *nu.* 4.

Prout etiam eodem modo tollitur quod dicitur de subreptione dictarum litterarum, tum quia, vt suprà dictum est, non agitur de illarum canonizatione.

10 Tum etiam, quia ex gratia etiam subreptitia oritur pariter titulus coloratus, Put. *decis.* 80. *lib.* 1. Rot. diuers. 190. *lib.* 3. *part.* 3.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

***Bononien. fructuum.* 23. *Ianuarij* 1617.**

ARGVMENTVM.

Iurisdictio iudicis non cessat donec dubitari potest de exequutione Rotalis sententiæ.

SVMMARIVM.

Fructus adhuc iterum peti possunt, si sententia exequutioni demandata non est, vel illi non adhuc paritum, num.1.

Iurisdictio adhuc durat iudicis etiam mercenarij, si sententia exequutioni demandata non est, & illi non adhuc paritum, num.2.

Sententiæ exequutio consumata dicitur, tam attenta in-

dicij natura, quàm attento facto partium, num.3,

Totum si fuerit petitum in iudicio, non satisfit si fuerit tradita pars, num. 4.& 5.

L.2.in fine.C.si vnus ex plur.hær.declaratur, num.5.

Iurisdictio durat quoad totum, etiam restituta parte vsque ad integralem restitutionem minimæ glebæ, nec cessat iudicium pro rata partis restitutæ, num.6.

Appellationi renuncians, & sententiam acceptans non dicitur cessare à lite, donec adhuc possessionem retinet, num.7.

Possessio verbaliter dimissa in iudicio non operatur extinctionem litis, si actor non acquisiuit possessionem perfactè, num.8.

Iurisdictio iudicis semper durat, donec dubitari potest de effectu exequutionis, & de paritione sententiæ, nu.9.

Possideri potest eadem res à pluribus diuersis respectibus, num.10.

Acceptatio cum conditione in partibus fauorabilibus tantùm, conditio illa declarat animum contrarium, donec constiterit acceptationem esse fauorabilem, num.11.

DECISIO CCCLXXXVIII.

SVscepta secundo loco disputatione super resolutis die 12. Nouembris 1612. Domini steterunt in decisis.

1 Vera est enim conclusio quæ tunc firmata fuit, fructus iterato iudicio peti posse, si sententia exequutioni demandata non sit, vel eidem nondum paritum.

2 Ex quo adhuc durat iurisdictio iudicis, quamuis mercenarij. *l.terminato.C.de fruct.& lit.expens.* Castr. *in l.4.vers.in text.C.de poss.* Bald.*cons.166.num.3.vol.1.* Gabr.*cons.35. num.11. lib.2.* cum aliis allegatis in prima huius causæ decisione.

3 Exequutio autem perfecta, aut consumata, dici non potest siue natura ipsius iudicij attendatur, siue etiam factum ipsarum partium sequamur.

4 Iudicium enim fuit intentatum per viam petitionis totius prædij nuncupati *del quarto*, contra DD. Herculem, & Iulium de Peregrinis, dictum prædium pro indiuiso inter se possidentes, & ratione iuris hypothecæ, quum competebat Collegio pro euictione sequuta; ideo petitione re, & actione iudicium est indiuiduum, cui per partis restitutionem non est satisfactum, & semper durat iurisdictio, donec iuxta petita prædium totum fuerit dimissum in Collegio in vim pignoris & hypothecæ, vt in decis. die 14. Iunij 1613. fuit ponderatum & firmatum, ex *decis.* 213. Afflict. *in fine*, & aliorum qui tunc allegati fuere.

5 Quibus non obstat *text. in l. 2. in fine.C.si vnus ex pluribus hæredibus*, vbi habetur quòd licèt quilibet hæres conuentus hypothecaria teneatur ad totum debitum, tamen cedendo portionem hæreditatis, quam habet, liberatur, quæ liberatio dicebatur aliter non posse contingere, quàm si iudicium pro ea parte fuerit terminatum.

Quia ille text. potest intelligi de possidente rem hypothecatam pro diuiso, dum ibi erat quæstio, an sicuti actio personalis inter hæredes pro portionibus hæreditariis scinditur, ita etiam actio realis scinderetur, quod negatiuè fuit resolutum, quia tota res venit in obligatione & in restitutione, quæ ratio cessat vbi, vt in præsenti, de probatione tantùm pro indiuiso agitur, nec vltrà causa potest continuari.

Præterea vbi etiam possidens pro indiuiso rem pignori suppositam liberaretur cedendo ius quod habet, non tamen sequitur, quòd iudicium sit terminatum in parte cessa, quia pro auocando toto prædio vnum est intentatum iudicium, & non plura; ergo donec actio non fuerit consummata vsque ad restitutionem minimæ globæ, cui hypotheca cohæret, non desinit esse idem iudicium, & per consequens eadem iurisdictio, quæ durat donec sit satisfactum actioni intentatæ, cui deseruire debet officium iudicis in hac parte mercenarium, vt per Bart. *in l.imperium num.12.ff. de iurisd.omn.iudic.*

Secundo loco, si attendatur factum ipsarum partium, non etiam visum est posse dici terminatum iudicium per consummationem exequutionis in toto prædio, itaut non amplius adsit litis pendentia. Nam quoad D. Iulium perfecta exequutio non probatur, quia quoad eum nihil aliud factum fuit, nisi quòd appellationi à se interpositæ renunciauit, & sententias acceptauerit, sed possessionem semper retinuit, & adhuc retinet; quod sufficit ad litis pendentiam, vt aliquid supersit pro integrali exequutionis consummatione, secundùm Sarnen. *de annal.q.44.* Mohed.*decis.3.vt lit.pend.* Achil.*decis.1.eod.tit.*

Quo verò ad D. Herculem idem videbatur dicendum, non obstante verbali dimissione possessio- 8
nis iudicialiter facta, quia ad effectum ne is pendeat, non sufficit quòd quis verbaliter dimittat, nisi actor perfectè acquirat possessionem, de quo non docetur, nec refert quod in text. *l. quod meo. §.si furioso.ff. de acq.possess.* dicatur per dimissionem transire possessionem, etiamsi non transferatur, quia bene procedit ad effectum excusandi reum à contumacia, vel vt actor possit illam sine vitio intrare, non autem ad effectum vt cesset iuridictio iudicis.

Quæ semper durat, donec dubitari potest de effe- 9
ctu exequutionis, aut paritionis. *cap. in litteris, cap. quærenti*, vbi gloss. *de offic. deleg.* Quod in præsenti poterat contingere, dubitando de validitate dimissionis, si D.Hercules voluisset probare illum actum meticulosum, vel erroneum, secundò super detentione possessionis pro consequendis melioramentis, quæ compatibilis erat cum dimissione plenæ proprietatis.

Ex quo plures diuersis respectibus possunt ean- 10
dem rem possidere. *l. 1. §. ex pluribus*, vbi latissimè Alex. *ff. de acq.possess.* Tertiò, quia D.Hercules lite pendente locauit suam partem D.Iulio, vnde semper remanebat iurisdictio pro annullanda locatione, in qua debebat citari D.Hercules pro suo interesse. *l.de vnoquoque.ff.de re iudic.*

Non obstat quòd prædicta omnia videantur ces- 11
sare stante acceptatione eiusdem dimissionis sequuta per Syndicum & Procuratorem Collegij, quia vltra quòd dubitari potest de sufficiente mandato de acceptando dimissionem, acceptatio etiam fuit facta cum protestatione in partibus fauorabilibus tantùm; ideoque conditio illa declarat animum contrarium, donec doceatur Collegio esse fauorabile quòd iudicium sit inter partes terminatum. Bart. *in l.morte, num.18.ff.de oper.nou.nunciat.* Natt.*cons.627.* Burd. *consil.143.num.42.* & de se patet damnum, non autem fauorem Collegij continere, si admittamus diuisum & pro parte terminatum esse iudicem, quia cogitur Collegium prætensionem fructuum deserere, dum iterato iudicio agerere non potest.

Et ita &c.

REVE-

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Clusina Postæ Puteoli 23. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Obligatus ad factum, non censetur obligatus ad manutentionem, & de correspectiuitate pactorum.

SVMMARIVM.

Verba impersonalia obligatoria, non inducunt obligationem alicuius personæ, num.1.

Obligatio donãdi non producit vlteriorem obligationem manutentionis donationis, quando satisfactum est promissioni circa factum, num.2. vide num.3.

Contractus non extenditur de vno ad aliud, nec inquirendum est, nisi quod in instrumento est expressum, num.3.

Obligatus ad cedendum omne ius quod habet, vel habere sperat in bonis, non tenetur præstare neque substantiam, neque qualitatem rei, num.4.

Correspectiuitas actuum facit censeri, vt vnus sine alio factus non fuisset, nu.5. & est locus repetitioni. vide n.6.

Pacta omnia in transactionibus sunt correspectiua, ibid.

DECISIO CCCLXXXIX.

Dubium hodie propositum quærit, an D. Cardinalis teneatur ad aliquid occasione postæ D. Duci, & quia poterat teneri vel ex persona propria, vel tanquam hæres Pauli, placuit Dominis in primis determinare D. Cardinalem ex propria persona non teneri, reseruando secundæ partis resolutionem in alia disputatione.

Ex tenore enim instrumenti, cuius vigore nunc agit D. Dux, apparent duæ conuentiones de donando contemplatione matrimonij tunc contrahendi, prima ex persona Pauli Sforziæ Marchionis Proceni pro eius bonis feudalibus, & allodialibus, saluo vsufructu, administratione & exercitio cuiuscumque iurisdictionis, eius vita durante.

Secunda ex persona D. Cardinalis Sforziæ respectu iurium quæ tunc & in futurum potuissent illi competere, quomodocumque etiam per obitum Pauli Sforziæ aduersus eum, vel bonis feudalibus, & allodialibus ab eo possessis, etiam absque aliqua reseruatione vsusfructus, quæ postmodum ab eorum Procuratoribus fuerunt stipulatæ, & ab ipsis donatoribus ratificatæ.

1 Pro adimplemento primæ conuentionis non leguntur verba obligatoria Cardinalis, & per consequens ad aliquid teneri non potest, verba enim, *è stato conuenuto*, tanquam impersonalia non sunt obligatoria eiusdem Cardinalis. *auth. si quando. C. de constit. pecun.* Bart. *in l. stipulatio ista. §. si quis ita, num.2.* & ibi Ias. *num.4. ff. de verbor. oblig.* Card. Mantic. *de contract. lib.14. tit.29. num.49.*

2 Et multo minus effectuata donatione, quia non cadit vlterior obligatio circa manutentionem donationis, dum satisfactum est promissioni circa factum. Dec. *cons.645. num.10.* Bald. *in l. fin. nu.6. de pact. inter empt. & vend.* Cardin. Mantic. *de contract. lib.4. tit.3. num.8.*

3 Valde enim inter se differunt promittere quòd quis donabit bona sua, & promittere quòd nemo habeat ius in rebus donatis: vnum autem non venit in consequentiam alterius, quia in contractibus non fit extensio, neque aliud inquirendum est præter id, quod in instrumento scriptum est. *l. quicquid adstringendæ. de verbor. oblig.* Cephal. *cons.626. num.11.* Surd. *decis.202. num.9.*

In secunda verò conuentione nulla adest promissio donandi feudum postæ, sed tantùm de iure quod habet, vel habere sperat in bonis feudalibus, & allodialibus, quo casu neque qualitatem, neque substantiam rei præstare tenetur. *l. quod si in venditione, cum tribus sequentibus. ff. de hæredit. & act. vendit.* Alexan. *cons.93. num.2. vol.4.* Add. ad Bart. *in d. l.1. de hæred. & act. vendit.* Natta *consil.38. num.2. vol.1.* Surd. *decis.288. num.29.* 4

Non obstat quòd D. Dux non soluisset summam scutorum 50000. neque consensisset alienationi bonorum vinculatorum, nisi D. Cardinalis donasset bona quæ donauit, cùm vnum censeatur factum contemplatione alterius. gloss. *in l. fundi partem. ff. de contrahen. empt.* Surd. post alios *cons.217. num.20.* ideo dicebatur posse agi repetitione *l. cùm te. C. de pactis inter emptor. & venditor. l.1. C. de donationib. quæ sub modo*, cum aliis allegatis. 5

Quia licèt omnia pacta in transactione sint correspectiua inter D. Cardinalem, & D. Ducem, non tamen sequitur quòd sublato per euictionem feudo postæ D. Cardinalis teneatur ad restitutionem receptorum, quia non donauit feudum prædictum, sed ius, & spem succedendi, & aliæ promissiones factæ per D. Cardinalem in donatione, seu transactione habent causam separatam, nempe quia & ille donauit spem vsusfructus, detractiones, iura competentia in bonis paternis, & maternis, quæ omnia adhuc subsistunt, & æquipollere datis per D. Ducem iam fuit resolutum in separatis disputationibus, vt videre licet in decis. coram Orano 24. Aprilis 1594. quæ data fuit. 6

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Mediolanen. decimarum de Varisio. 27. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Instrumenta antiquissima producta quando dicantur esse in forma probanti.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum vt habeat omnia requisita, debet continere diem, mensem, annum, indictionem, testes, clausulam, actum, subscriptionem Notarij, & eius signum, num.1.

Instrumentum publicum, cum prædictis requisitis dicitur esse in forma probanti, num.2.

Iura publica ad hoc vt sint in forma probanti, debent esse recognita quòd sint publica manu scripta, nu.3. declara vt num.4.

Instrumenta publica non debent recognosci, si sunt vltra centum annos originalia, & sic constet ex oculari inspectione, & scribæ, à quibus sunt tradita, enunciant se Notarios, num.4.

Iurium productio facta parte citata, & ad dicendum contra, si nihil sit oppositum, facit vt lapso termino non

possit amplius opponi, & quòd præsumatur non posse aliquid releuans opponi, num.5.

DECISIO CCCXC.

SVscepta disputatione de forma probanti infracitatorum instrumentorum & iurium, nempe sententiæ latæ de anno 1218.

Consignationum, seu documentorum de annis 1270.1288.& 1336.

Protestationes factæ per Consules.

Consignationum factarum de ordine Galeatij Vicecomitis de anno 1396.

Bullæ Gregorij IX. de anno 1227.

Solutionis Bollettarum factæ per Præpositum de anno 1326.

Litteræ Anselmi de anno 1198.

Instrumenti anno 1199.

Instrumenti anni 1388.

Instrumenti anni 1385.

Instrumenti anni 1478.

1 Domini oculariter inspectis, responderunt esse in forma probanti 1. 2. 3. 7. 8. 9. 10. continent enim omnia requisita quæ conueniūt publico instrumento, nempe diem, mensem, annum, indictionem, testes, clausulam, actum, subscriptionem Notarij, eiusque signum, quæ omnia enumerantur per gloss. *in l. generali. C. de tabellionibus lib.*10. & latissimè explicantur per Couarr.*practic. quæst. cap.*20.*num.*1.

2 Quibus attentis fuit sæpe resolutum pro forma probanti similium instrumentorum, vt per Seraph. *decis.*1236. *num.* 1. & apud me in Mediolan. decimarum sancti Donati 23. Ianuarij 1612. & in Mediolanen. iurispatronatus 23. Februarij 1615. & in alia Mediolanen. decimarum, quarta Iulij 1614. coram R.P.D. Andrea.

3 Non obstat quòd iura prædicta non fuerint recognita in publica manu scripta, prout necessarium est. Oldrad.*cons.*227.*num.*6. Socin. sen *cons.*32.*vers.*2. *conclusio lib.*1. Caputaq.*decis.*117.*part.*3.

4 Quia vltra productionem factam in partibus, contra quam nihil fuit oppositum, censuerunt recognitionem prædictam non esse necessariam, ex quo prænarratæ scripturæ oculariter ostensæ ex inspectione, vt Domini censuerunt, sunt antiquissimæ, & originales, & data illarum est supra centum & plures annos, & scribæ à quibus traditæ sunt, enunciant se Notarios, quæ propterea non sunt in casu recognitionis, cùm testes inueniri non possint eius ætatis, qui eas recognoscant, sed regulariter similis recognitio solet remitti absque alio adminiculo probationis. Afflict.*decis.*245.*num.*3. Seraph. *decis.*1077. Put. *decis.*9. *de fid. instrum.* & 146. *nou. impress. lib.*1. & coram me in causa Mediolanen. iurispatronatus 23. Februarij 1615.

5 Quartum, quintum, sextum & vndecimum pariter non admittunt controuersiam circa formam probantem, quia Rectoribus citatis in partibus ad vidēdam fieri eandem iurium productionem, & dicendum contrà, nihil per eos, aut eorum nomine fuit oppositum, ideo neque hodie videtur permissum propter ius quæsitum parti, ob lapsum temporis & termini, & ne eadem pars grauetur in litis prorogatione. Ægid.*decis.*74.*in fine*, ac etiam, quia nihil releuans præsumitur opponendum. Caputaq.*decis.*5. *part.*3. Put. *decis.*155.*in nou. impress. lib.*1. Rota *decis.*2. *de fid. instru. in nouis.* Seraph. *dec.*333.*n.*1. & in Mediolan. decimarum 4. Iulij 1614. coram R.P.D. Andrea.

Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Vrbinaten. seu nullius erectionis Collegiatæ Veneris 27. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Exequutor mixtus censetur deputatus per clausulam *vocatis vocandis*, qui propterea debet citare eos de quorum interesse agitur.

SVMMARIVM.

Clausula vocatis vocandis, *in litteris apposita, facit exequutorem mixtum, itaut citandi sint illi, de quorum interesse agitur, num.*1.

*Clausula in litteris Apostolicis apposita, quando causatiuè, & quando conditionaliter apposita censeatur, nu.*3.

DECISIO CCCXCI.

PRoposui dubium in hac causa, an litteræ erectionis Collegiatæ sint iustificatæ, & Domini supradicta die negatiuè responderunt, quia testes pro illarum iustificatione examinati fuerunt absque eo quòd fuerit citatus Dominus Archiepiscopus, qui tamen propter eius interesse erat citandus, stante clausula *vocatis qui fuerint vocandi*, in dictis litteris apposita, quæ facit executorem mixtum, itaut essent citandi illi, qui de iure veniunt citandi, Card.*cons.*63. *in princ.* Felin.*in cap. de cætero, nu.*2. *de re iudic.* & per consequens D. Archiepiscopus, de cuius interesse agebatur, gloss. *in cap. exhibita, verb. euocandi*, & ibi Abb.*n.*6.*vers. quæro qui sunt de iudic.* prout etiam colligitur ex clausula, *sine præiudicio alicuius*, per quam ius quoque & interesse Archiepiscopi præseruatum censetur, Oldrad.*cons.*237.*in fin.* Put.*decis.*197.*nu.*23. *lib.*1. Seraphin.*decis.*144.*num.*6.

De huiusmodi autem interesse D. Archiepiscopi satis constare visum fuit, quia in dictis litteris Terra Castri Durantis dicitur esse nullius diœcesis, & tamen D. Archiepiscopus ante illarum expeditionem prætendebat, prout hodie prætendit, illam esse sub iurisdictione ipsius, vt patet ex diuersis causis in Rota commissis; & quamuis diceretur contrarium fuisse declaratum per sententiam, quæ transiuit in iudicatum, tamen fuit responsum, quòd de tali re iudicata erat docendum, ipso Domino Archiepiscopo citato, vt executori constaret de eius veritate, parte legitimè citata, & tantò magis, quia in dictis litteris de nouo mandatur, quòd Collegiata illiusque Abbas, ab omni, & quàcunque iurisdictione, & superioritate Archiepiscopi perpetuò eximatur, & totaliter liberetur: quo casu negari non potest, quin saltem respectu istius exemptionis, de nouo faciendæ, de interesse, & præiudicio Archiepiscopi ad istum effectum constare dicatur, ex supradictis.

Nec obstare, quòd subiiciatur postmodum in dictis litteris clausula, *prout antea erat*, per quam vti conditionalem nihil de nouo Abbati concessum videatur, tum quia magis placuit, quòd dicta clausula vti apposita in litteris Apostolicis super dispositione certa, & speciali intelligatur causatiuè, non autem conditionaliter, Bart.*in Extrauag. ad reprimendum, verb. prout, num.*2. Alex.*in l. admonendi, num.*14. vbi de com-

communi, *ff. de iureiurand.* cum aliis adductis in causa Romana Vigesimæ, 20. Martij 1608. & 10. Maij 1609. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno; tum etiam, quia D. Archiepiscopus prætendit Abbatem nunquam fuisse exemptum, & propterea tanto magis in exemptione de nouo facienda, erat citandus, vt dictum est.

4 Præterea D. Archiepiscopus in casu isto instare poterat pro declaratione, an in litteris comprehendatur exemptio à iure visitandi, quod Ordinario competit, vigore Concil. Trid. *sess. 7. cap. 8. & sess. 11. cap. 8.* & propterea hoc etiam respectu citandus erat, maximè stantibus litteris de ordine Sanctissimi postea scriptis, quod Archiepiscopus citari debeat, ex quibus colligitur mentem Papæ fuisse, vt D. Archiepiscopus citaretur in executione harum litterarum.

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana mercedis. Veneris 27. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Proxenetis regulariter debentur merces pro rebus in quibus fuerunt mediatores ad vendendum.

SVMMARIVM.

Proxenetis regulariter debentur merces pro rebus in quibus fuerunt mediatores ad vendendum, nu. 1. amplia & declara vt per totam decisionem.

Vna, & eadem persona potest diuerso modo negotiari, n. 2.

DECISIO CCCXCII.

1 FVit per Locumtenentem Illustriss. Vicarij pronunciatum Ioannem Rotulum, & Dominicum Lucatellum mercatorem pro mercibus quas vendiderunt teneri proxeneticum Vitali, & Mario Hebræis tanquam mediatoribus soluere. Verùm causa per viam appellationis ad Rotam deuoluta, & dubio per me proposito Domini responderunt pro his in quibus Hebræi proxenetæ, vel mediatores ipsis deberi proxeneticum, cùm regulariter merces proxenetis debeantur. *l. 1. & l. 3. ff. de proxenet.* Strach. *de proxenet. part. 1. vlt. part. num. 16.*

2 Non obstat dictos Hebræos se debitores constituisse respectu mercium aliis Hebræis venditarum, & sic ipsos proxenetas dici non posse, quamuis tales in partitis nuncupentur. Non enim est inconueniēs, quem diuerso modo negotiari aliquando, videlicet vti proxenetam, interdum vti principalem, vnde quando mercatores dictos Hebræos proxenetas enunciarunt, videntur eos tales haberi voluisse, sicut pariter illos principales habuerunt, vbi tales nuncuparunt, vt accidit quando merces pro ipsorum commodo, vel vsu fuerunt venditæ, quo casu dictum fuit nullum Hebræis deberi proxeneticum, quod pro alieno contractu soluitur. Bald. *in l. 2. C. de proxen. cap. 1. de testibus in 6.* Bald. *cons. 469. num. 3. lib. 2.* Alex. *cons. 128. num. 1. lib. 2.*

3 Præterea satis apparere videtur Hebræos respectu partitarum, in quibus enunciantur proxenetæ, verè tales extitisse, cùm merces illis ad certam æstimationem datæ venditæ fuerint aliis Hebræis, & ad commodum mercatorum fuerit descriptum, etiam quòd vltra dictam æstimationem res fuisset vendita, vt ex partitis datis colligitur: secus autem euenisset, vbi dicti Hebræi fuissent principales, tunc enim ad ipsos huiusmodi lucrum spectasset. *l. 2. C. de peric. & com. rei vendit. §. cùm autem. Instit. de empt. & vendit.*

Ex hac igitur obseruantia describendi ad commodum mercatorum quod ex mercium venditione proueniebat, satis clarè patet ipsos mercatores verè proxenetas Hebræos intellexisse, quando tales in libris eos descripserunt. Aym. *cons. 10. nu. 3. & cons. 201. nu. 11.* Menoch. *cons. 201. num. 167. lib. 3.* Rota *decis. 503. num. 2. part. 1. & decis. 256. num. 5. & 6. part. 2. diuers.* & Rota Ianuen. *decis. 147. num. 7.* 4

Verùm cùm ab istis Hebræis prætendatur etiam salarium pro mercibus, quas ipsi emebant, & postea deferebant aliis Hebræis, eos ad mercatores ducendo, vt pro earundem mercium solutione ipsi se principaliter obligarent, Domini voluerunt super hoc iterum partes audire, &c. 5

R. P. D. VEROSPIO.

Romana societatis Fundati. Lunæ 30. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Periti calculatoris relationi à qua non fuit reclamatum, standum omnino est, & iura non recognita possunt quandocunque recognosci si tempore, quo fuerunt producta, nihil fuit oppositum.

SVMMARIVM.

Periti calculo, & illius relationi, à qua non fuit reclamatum, regulariter standum est, num. 2.

Calculi error semper, & quandocunque allegari potest, num. 3.

Sententia lata in vim calculi facti à perito ex eodem calculo benè iustificatur, num. 4. in fine.

Iura non recognita possunt quandocunque recognosci, si tempore quo fuerunt producta, aduersus ea nihil fuit oppositum, num. 5.

DECISIO CCCXCIII.

FInita societate, quam inter se de anno 1607. Iacobus Sella, & Ioannes Baptista Iulianus inierant, facto pro solidandis computis inter istos compromisso, necnon electis arbitris, fuit ab eis calculator deputatus Dominicus Maria Chellinus, qui retulit Iulianum in certa pecuniarum summa creditorem existere, iuxta quam relationem arbitri deductis aliquibus deducendis ipsum pariter Iulianum creditorem pronunciarunt. Verùm Sella cùm se grauatum prætenderet, obtinuit denuò rationes, & computa videri per eundem calculatorem, à quo errore detecto, fuit facta relatio Iulianum societatis esse debitorem in summa scutorum mille trecentorum quadraginta septem. Ab altero verò calculatore successiuè per R. P. D. Garzadorum iudicem deputatum electo, fuit Sella declaratus creditor in scutis 815. & iuxta dictam relationem cùm fuisset à iudice pronunciatum; causa per viam appellationis 1

coram me introducta, dubitaui super confirmatione dictæ sententiæ, quam Rota esse confirmandam censuit. Nam contra illius validitatem nihil excipitur.

2 Iustitia verò probatur tam ex secundo calculo facto per ipsum Chellinum à partibus approbatum, qui medio iuraméto primi calculi errores exposuit, quàm ex calculo alterius per iudicem deputati, qui retulit Iulianum societatis debitorem in scutis 815. remanere, cuius relationi standum videtur, cùm ab ea reclamatum non fuerit. Bart. *in l. instar. num.*10. *C. de iure fisci lib.*10. Ruin. *cons.*16. *ad finem lib.*5. Corn. *cons.*43. *num.*7. *lib.*1.

3 Nec releuat Iulianum à dicto Chellino fuisse in primo calculo factum creditorem; sicut etiam talis fuit ille declaratus ab arbitris in laudo à partibus approbato. Ex subsequentibus enim calculis apparet primum erroneum fuisse vnà cum laudo, & approbatione subsequuta, & propterea benè potuit corrigi, cùm certum sit de errore calculi semper, & quandocumque dari posse. *l.*1. vbi Bald. Alexand. & Salyc. *in princ. C. de errore calculi.* Ruin. *cons.*71. *nu.*4. *lib.*4. Paris. *cons.*89. *num.*39. *&* 57. *lib.*1. Corn. *cons.*62. *num.*1. *lib.*4.

4 Nec valet dicere calculatorem excessisse, tanquam ille calculauerit etiam rationes societatum de anno 1601. & 1605. de quibus nullam prætenditur habendam fuisse rationem, cùm laudum, sicut & compromissum, ad societatem tantummodo de anno 1607. restitutum appareat. Nam licèt de vltima societate principaliter agatur, non tamen sequitur præcedentes attendendas non fuisse, cùm omnia illarum credita, & debita fuerint in vltimam transfusa, in qua illud etiam statuitur nouæ societatis capitale quod quisque remanebat præcedentis creditor, & ex hac antiquarum societatum cognitione dicitur apparere non fuisse à Iuliano positum capitale scutorum 1500. vt in primo calculo fuerat suppositum, vnde nullus detegitur calculatoris excessus, vel grauamen, & per consequens calculus, & sententia in eius vim lata benè iustificatur. Bart. *in l.*2. *num.*10 *C. de iure fisci.* Ruin. *cons.*16. *circa finem lib.*5. Paris. *cons.* 89. *num.*5. *lib.*1.

5 Non obstat huiusmodi calculum super libris non recognitis emanasse, quia cùm talis exceptio deducta non fuerit, potest recognitio quandocumque fieri. Crauet. *cons.*150. *num.*2. Caputaq. *decis.*5. *num.* 5. *part.*3. Quod verò de periurio dicebatur ex facto tollitur, cùm de absolutione ante motam litem doceatur.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Farfen. pecuniaria. Lunæ 30. *Ianuarij* 1617.

DECISIO CCCXCIV.

Impressa est apud Cenc. de censib. decisio 90. *& penes Duard. eod. tract. decis.* 415.

R. P. D. VBALDO.

Vicen. parochialis. Lunæ 20. *Februarij* 1617.

ARGVMENTVM.

Error in denominatione beneficij non vitiat gratiam, & parochiali impetrata, censetur impetrata Præpositura, quando parochialis, & Præpositura non sunt distinctæ, Præpositura regulariter non est dignitas, si deficiant requisita, collator inferior non potest se intromittere in beneficio reseruato.

SVMMARIVM.

*Sententiæ, in qua seruata sint omnia substantialia requisita, de validitate ex nullitatibus, dubitari non potest, num.*1.

Decisiones Rotæ in causa factæ constare faciunt de iustitia sententiæ, ibid. in fine.

*Gratia de beneficio dicitur subreptitia, si non constet de existentia ipsius beneficij, num.*2.

*Enunciatiuæ Episcopi in visitationibus super existentia beneficij, illam sufficienter probant, quia Episcopus præsumitur informatus de beneficiis suæ diœcesis, num.*3.

*Parochiali impetrata, censetur impetrata etiam Præpositura, supposito quòd Præpositura non sit distincta à parochiali, etiamsi non denominetur parochialis, quia error in denominatione beneficij non vitiat gratiam, num.*4.

*Præpositura de iure non est dignitas, nisi sit prima in Cathedrali Collegiata, vel conuentuali num.*5. *vel nisi habeat sub se clerum, & Capellas, ibid. in fine, & num.*7.

*Dignitatis beneficij nomen non est necessariò exprimendum in gratia, si deficiant in beneficio requisita à iure ad dignitatem, num.*6. *&* 7.

*Expressio fieri debet in gratia Principis eorum omnium, quæ Principem mouere possunt ad concedendam, vel denegandam gratiam, num.*6. *in fine.*

*Præpositura regularis si caret conuentu, non dicitur dignitas, num.*8.

*Regularia beneficia dicuntur, quæ reguntur per clericos regulares, num.*9.

Collator inferior non potest prouidere de beneficio, quod Papa sibi, & Apostolicæ Sedi reseruauit, n. 10.

*Collator inferior pendente lite super titulo, & facultate conferendi, non potest se super collatione intromittere, num.*11.

DECISIO CCCXCV.

HOnuphrius Coromina prouisus de parochiali, de qua agitur, post obtentas duas decisiones Rotales super iustificatione suæ gratiæ *si neutri*, 7. Maij & 4. Iulij 1612. coram R. P. D. meo Manzanedo, sententiam etiam ad sui fauorem in Rota reportauit, à qua cùm fuisset mihi commissa causa appellationis, interim Honuphrius prouisus de Canonicatu in Ecclesia Vicen. ex decreto dimisit ius sibi competens ad dictam parochialem.

In cuius locum subrogatus fuit D. Fructuosus, qui iustificata etiam gratia sua, prout fuit resolutum coram me 30. Maij præteriti, petiit iterum proponi dubium, an sententia Rotalis esset confirmanda, vel infirmanda. Propositum, & non resolutum, dum Honuphrius esset in causa 24. Ianuarij 1614.

Et Domini hodie pro confirmatione sententiæ vnanimiter responderunt; quia de eius validitate non controuertitur, cùm fuerint in ea seruata omnia substantialia, de quibus per Verall. *decis.* 260. *part.*2. & de

& de iustitia constat ex prædictis decisionibus coram D. meo Manzanedo, in quibus fuit dictum, dictam gratiam *si neutri*, per Honuphrium obtentam, esse iustificatam.

2 Non obstat quòd fuerit impetrata Ecclesia parochialis, quæ tamen nulla sit, sed solùm reperiatur præpositura, cui imminet cura animarum, & sic gratia *si neutri*, dicatur subreptitia, iuxta tradita in Arianen. Archipresbyteratus 17. Martij 1608. coram bo. me. Pegna.

Quia fuit responsum, immò existentiam parochialis iustificari ex confessione partis, tum in commissione huius causæ; tum in petitione mandati, de manutenendo, vt fuit dictum in decisione D. mei Manzanedi 7. Maij 1612.

3 Et accedunt plures enunciatiuæ in visitationibus huius Ecclesiæ factis ab Episcopis, necnon in licentiis datis Presbyteris exercendi curam animarum in hac Ecclesia, in quibus exprimitur Ecclesia parochialis, vt in summario fructuosi, quibus enunciatiuis Episcopi tanquam informati de beneficiis suæ diœcesis, & eorum qualitatibus videtur multum deferendum. Rota *decis. 6. nu. 2. de iurepatr. in nou.* Felin. *in cap. ad aures nu. 15. de rescript.* & fuit dictum in hac causa prima Februarij 1613 coram me.

4 Secundò non obstat quòd non fuerit expressa qualitas beneficij, videlicet quòd sit Præpositura, cui imminet animarum cura; quæ cùm fuerit resolutum in hac causa in dicta decisione, prima Februarij, quæ in puncto præsupponitur, non adesse in Ecclesia Sancti Fructuosi Rectoriam distinctam à Præpositura, eo ipso quòd fuit impetrata Rectoria, seu parochialis, dicitur impetrata Præpositura stante vnitate, vel identitate beneficij; quo casu error in denominatione non vitiat. *l. si me in vacuam 34. in princip.* ibi, *nisi fortè in nomine tantùm errauerimus, in corpore consenserimus. ff. de acquir. possess.* & ibi Doctor. Put. *decis. 442. num. 5. lib. 1.* Paris. *consil. 15. sub num. 8. lib. 4.* Rota *decis. 16. de rescript. in nou. & decis. 54. eod. tit. in antiq.* & fuit dictum in Salamentina Archipresbyteratus 1. Iulij 1615. coram R. P. D. meo Andrea, & latè in Mindonien. Archidiaconatus 1. Iulij præteriti coram me.

Ex quibus etiam cessant quæ dicuntur circa vnionem Rectoriæ & Præpositoræ, cùm in decisione non dicatur Rectoriam, & Præposituram fuisse vnitam, sed non esse distinctam, cùm Rector istius Ecclesiæ fuerit etiam vocatus Præpositus, vt ibi patet.

5 Non obstat tertiò quod saltem debuerit fieri mentio de Præpositura, vti de dignitate; quia fuit responsum, Præposituram de iure non esse dignitatem, nisi sit prima in Cathedrali collegiata, vel conuentuali. Feder. de Sen. *cons. 132. num. 1. & 2.* Aret. *cons. 23 num. 5. vers. his breuiter præmissis.* Rot. *decis. 4. de electión. & decis. 9. de præbend. in nou.* Gambar. *de offic. deleg. lib. 5. tit. An legatus possit plur. benefic. vn. conferre num. 35.* cum aliis allegatis in Aquen. monasterij 31. Maij 1568. coram bon. mem. Cardinale Lancellotto, & in Dertusen. Prioratus 5. Martij 1614. coram R. P. D. meo Decano, vel nisi habeat sub se clerum, & Capellas, vt per Feder. *d. cons. 132. num. 2. vers. & videmus.*

6 Et propterea cum ista Ecclesia non sit cathedralis, collegiata, vel conuentualis, sed simplex parochialis, cuius Rector aliquando consueuit vocari Præpositus ex omissione istius qualitatis, quæ non sonat in dignitatem deficientibus à iure requisitis, de quibus suprà; nulla subreptio inducta fuit, cùm aliàs illa sint necessariò exprimenda, quæ mouere potuissent Papam ad concedendum, vel denegandum gratiam, *cap. si motu proprio. cap. non potest de præbend. in 6.* Rota *decis. 24. de rescript. in nou.* & fuit dictum in dicta Arianen. Archipresbyteratus coram Pegna.

Et ideo non applicatur Rubuff. *in prax. in 3. part. signat. in verb. etiam situationis, num. 7.* vbi vult quòd debeat exprimi Præpositura, seu Plebania, cui imminet cura animarum, quia expresse loquitur de Præpositura, seu Plebania, quæ habet sub se Capellas, in quibus perpetui clerici instituuntur, qui non est casus noster, & Cardin. *cons. 30. sub num. 7.* loquitur in casu quo erat impetratus Plebanatus in Ecclesia curata, seu collegiata, absque mentione quòd esset curatus, & sic non erat sufficienter facta mentio Curæ, secundùm Card. ibi, *sed hîc est impetrata Rectoria, seu Ecclesia parochialis Sancti Fructuosi;* nec facit quòd aliàs fuerit dictum coram D. meo Manzanedo quòd hæc parochialis sit vnita dignitati, & ideo non subiaceat concursui; quia id fuit incidenter dictum, & ferè præsuppositum, nec de eo principaliter dubitabatur, vt patet ex lectura decisionis. 7

Nec dicatur esse Præpositum regularem; quia etiamsi esset talis, vt non est, vt mox dicetur, tamen cùm careat conuentu, vt constat ex confessione ipsius Capituli, non potest dici dignitas. Ferret. *cons. 365. num. 11. lib. 1.* Federic. de Sen. *d. cons. 132. num. 2.* & fuit dictum in dicta Aquen. monasterij coram Cardinale Lancellotto. 8

Quartò & vltimò non obstat quod non fuerit facta mentio regularitatis istius Ecclesiæ; quia vltra quòd ista regularitas negatur, nec ex aduerso sufficienter probatur, videbatur cessare difficultas, tum ex transactione inita inter Episcopum Vicen. & Priorem Stagnen. vsque de anno 1204. in qua expressè fuit cautum, ne in Ecclesia de qua agitur, & aliis ibi nominatis, liceat clericis regularibus inseruire, & aliàs regularia beneficia dicuntur quæ reguntur per regulares. Hoied. *de incompatib. benefic. prima part. c. 24. sub num. 92. vers. Et regularia,* cum aliis per Gonzal. *ad reg. 8. gloss. 8. num. 30.* Tum quia per Papam ante istam impetrationem fuerat secularizata, prout aliæ Ecclesiæ principatus Cathaloniæ. 9

Nec dicatur per secularizationem non fuisse sublatum ius conferendi competens Prælatis Regularibus ordinis Sancti Augustini, & sic de eo fuisse mentionem faciendam; quia obiectum tollitur ex tenore d. secularizationis, in qua fel. record. Clemens VIII. in perpetuum sibi, & Sedis Apostolicæ dispositioni reseruauit beneficia dicti ordinis, tam tunc vacantia, quàm in futurum vacatura; quo casu nullus inferior collator poterat de hac parochiali, seu Præpositura prouidere. *c. vt nostrum, de appell.* & fuit consideratum in hac causa 14. Ianuarij 1611. coram R. P. D. meo Manzanedo. 10

Vltra quòd stante lite inter Capitulum, & Coronam super ista Ecclesia, & illius titulo, clarum est quòd asserti inferiores collatores non poterant se in ea intromittere. *c. 1. & 2. vt lit. pend. in 6.* Ex quibus Domini concluserunt sententiam Rotalem esse confirmandam, &c. 11

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana domus. Lunæ 13. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Dominus directus præfertur emptori in re emphyteotica, non obstante pacto de affrancando, non facta affrancatione.

SVMMARIVM.

Pactum affrancandi in emphyteusi appositum, non obstat prælationi debitæ domino directo à iure, num. 1. *vide rationem num.*2.

Pactum inter contrahentes cum expressione nominis contrahentium, & cum adiectione prænominis ipse, *vel adiectiui* dictus, *non extenditur ad hæredes, & censetur personalissimum, ac demonstratiuum personæ ad oculum, ibid.*

*Hæres non potest gaudere pacto, quod non excedit personam sui actoris, num.*3.

Dictiones dictus, ipse, *stant demonstratiuè, & limitatiuè simul, num.*4.

Actiones perpetuæ per decursum 30. *vel* 40. *annorum, præscribuntur, etiamsi habeant verba importantia infinitatem, num.*5. *Amplia vt num.*7.

*Præscriptio non currit in facultatiuis, num.*6. *declara vt num.*7.

*Dominus directus emphyteusis, habet prælationem in concursu cum emptore, non solùm in toto contractu, sed & in qualibet eius parte, num.*8.

*Emphyteusis si concessa est cum pacto affrancandi, censetur alienata quoad vtrumque dominium vtile, & directum, num.*9. *declara vt num.*10. *&* 11.

*Fideicommissum, & alienationis permissio possunt esse simul, quia censetur vnum subordinatum alteri, & conditionaliter conceptum, si non alienauerit, num.*11.

DECISIO CCCXCVI.

1 VEndita fuit domus Alexandro Cancellario, quæ vsque de anno 1522. per Conseruatores hospitalis S. Mariæ Consolationis data fuerat Bernardino de Alexandris in emphyteosim perpetuam sub annuo canone ducatorum 60. de Carolenis, cum pactis quòd emphyteota non possit alienare sine expressa licentia, consensu, & voluntate Guardianorum & caducitatis, si cessauerit per triennium, & insuper cum pacto affrancandi per consignationem similis canonis super domo idonea ad reddendum canonem in eam summam.

Guardiani prætenderunt hospitali competere prælationem, ex *l.fin.C.de iur.emphyt.* & è conuerso emptor opponebat de affrancatione, vel saltem de facultate affrancandi vigore pacti sui auctoris in eadem inuestitura reseruati, vnde particulariter fuit hodie dubitatum, an pactum affrancandi obstet prælationi, quod negatiuè fuit resolutum.

2 Quia pactum affrancandi videtur restrictum ad facultatem Bernardini, ibi, *quòd si dictus Bernardinus emere, & consignare voluerit,* &c. per quæ verba videtur demonstrata persona Bernardini ad oculum, itaut pactum remaneat personalissimum. Cagnol. *in l.*2. *num.*46. *vers. allegata in contrarium. C. de pact. inter empt. & vendit.* nec videtur constituenda aliqua differentia inter dictionem, *dictum,* vel pronomen *ipsum,* quia eodem modo per dictionem *dictum,* remanet demonstrata ad oculum persona, sicuti ex pronomine *ipso,* dum relatiua & demonstratiua est personæ Bernardini, & non hæredum. Dec. *cons.*262. *in princ.* Roland. *cons.*47. *num.*23. *vol.*4. Surd. *decis.*125. *num.*1.

Propterea cùm talis facultas excedere non possit personam Bernardini, non potest modernus emptor gaudere tali pacto, quod ad hæredes transire non potuit. Franc. inter cons. Felini *cons.*25. *num.*12. *&* 13. Guidopap. *quæst.*411. Calder. *de emphyteot. extinct. lib.*4. *cap.*13. *num.*34.

Nec obstat quòd illa dictio videatur stare magis demonstratiuè, quàm limitatiuè. *l. fin. §. Titia. ff. de lib. leg.* Crauett. *consil.*301. *num.*5. cum aliis allegatis, quia vtramque significationem habet, demonstratiuam nempe, & probatiuam ad oculum, vt post alios firmat Boër. *cons.*88. *num.* 10. *lib.* 1. Ideo simul conueniunt vt persona demonstretur, & limitatiuè demonstretur.

Præterea vbi etiam pactum istud excederet personam Bernardini, & ad quoscumque esset transitorium, prout est in præsenti ipsa emphyteusis: attamen cùm per viam actionis personalis cogendi sint Guardiani ad affrancandum, videtur tale pactum per decursum 30. vel 40. annorum præscriptum, cùm tanto tempore omnes perpetuæ actiones præscribantur, etiam si pactum contineat verba infinitatem denotantia, secundùm veriorem, de qua per Tiraquell. *de retract. conuent.* §.1. *gloss.*2. *num.*7. *&* 31. Odd. *cons.*11. *num.*62. qui alios de communi attestantes refert.

Neque releuans responsio videbatur quòd hæc affrancatio esset facultatiuè concepta per verbum *possit,* & in facultatibus non currat præscriptio. Gabr. *de præscript. conclus.* 10. Seraphin. *decis.*716. *num.* 10. cum aliis allegatis.

Quia cum egeret consensu, & approbatione hospitalis, non potuit dici meræ facultatis, quæ respicit puram voluntatem, & merum factum gerentis actum, quamuis per negationem alterius partis possit turbari, & priuari, vt per Innoc. *in cap querelam num.*3. *de electionibus.* Afflict. *decis.*67. *nu.*1. Put. *decis.*269. *lib.*1. *in nou. edit.* Ideo vbi agitur de actu coactiuo per viam actionis, illa actio temporè potest tolli & præscribi, vt iam dictum est. 7

Demum dicebatur in concursu cum emptore competere hospitali prælationem vigore *l. fin. C. de iur. emphyt. & in reg. d. l. habere fundatam intentionem.* Bart. *in l. quoties. ff. si quis caut.* Dec. *in l.*1. *in* 2. *natab. ff. de reg. iur.* Surd. *decis.*126. *num.*3. & allegans exceptionem teneatur illam probare. Castr. *in l.*2. *ff. si quis in ius vocat. non iuit.* Innoc. *in c. præterea, de dilat.* Ideo cùm affrancatio sit pars contractus. *l. feudi partem. ff. de contrahen. empt.* sicuti dominus directus habet prælationem in ipso contractu, eodem modo habere debet in qualibet parte illius, prout se compatitur, extinctiuè scilicet, non autem translatiuè. 8

Non obstat quòd priuilegium prælationis competens vigore *l. fin. C. de iur. emphyt.* sit fundatum in directo dominio penes dominum directum existente, quod censetur alienatum vnà cum vtili dominio, quando concessio est facta cum pacto affrancandi. Crott. *cons.*72. *n.*41. *lib.*1. Cephal. *cons.*324. *nu.*55. *lib.*3. quæ ratio dicebatur ponderata per Benedill. *de iure protimeseos. §. per emphyteosin nu.*9. & Franc. *decis.*267. Ideo sicuti dominium directum volente emphyteota resolutioni subiacet, eodem modo & ius prælationis dominio cohærens subiacere debet. 9

Fuit enim responsum non esse incompatibile inter se prælationem & pactum affrancandi, quia affrancatio potest exerceri antequam sit apertum ius 10

præla-

prælationis per alienationem rei emphyteoticæ, vel domino directo nolente præferri, prælatio autem in actu translationis dominij vtilis locum habere poterit, quasi eo casu ius quæsitum sit domino directo exclusiuè ad affrancationem, vt videtur innuere Franc. *d. decis. 267. num. 1. vers. Item dicebat Dominus directus.*

11 Et implicitam quoque habeat conditionem, si dominus re integra præferri voluerit, vt dicitur de fideicommisso & facultate alienandi simul conceptis, vt vnum subordinatè ad alterum, & conditionaliter intelligatur ad euitandam contrarietatem. Ruin. *consil. 165. numer. 11. & 213. lib. 1.* Surd. *consil. 96. num. 26. lib. 1.* Propterea cessante incompatibilitate, & existente re integra, dominus etiam reuocabiliter vigore pacti de affrancando iterum dominus est, & omnes dominij effectus, prout sunt accessiones, consequuntur taliter dominum, vt bene declarat Menoch post alios *consil. 26. num. 10. volum. 1.* & per consequens istud ius prælationis tanquam de pertinentibus ad dominium ab ipso domino exerceri poterit.

Non obstat quòd ante alienationem istius domus, vel saltem in ipso actu sequuta fuerit affrancatio, itaut res integra non sit quoad prælationem, quia hoc in facto non fuit iustificatum; saltem validè quoad suppositionem alterius canonis, & præseruatorum ad id mandatum habentium. Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Meten. professionis. Lunæ 13. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Professio tacita quæ resultat ex delatione habitus, & permansione in monasterio, tollitur per contrarias præsumptiones, & declarationem animi, & clausulæ insolitæ, & non necessariæ inducunt suspicionem, & maximè si instrumentum sit in loco non tuto celebratum.

SVMMARIVM.

Professio tacita resultans ex delatione habitus, & lapsu temporis in monasterio tollitur per contrarias præsumptiones, & maximè per expressam animi declarationem, num. 1. maximè si constet per tria tempora ante, in, & post suceptionem habitus, num. 2.

Metus censetur purgatus per delationem habitus, & per mansionem & perseuerantiam in monasterio post mortem illius cuius metu susceperat habitum, numero 3.

Fama publica & publica vox probari debet per verba fuit, & est, num. 4.

Metus quando præsumitur purgatus per actus contrarios, requiritur quòd actus illi per quos inducitur purgatio metus, non possint referri ad aliam causam, quàm ad purgationem metus. num. 5. secus si potest intelligi ob aliam causam factos fuisse, num. 6.

Clausulæ insolitæ, & non necessariæ instrumenti inducunt suspicionem, maximè si instrumentum sit celebratum in domo aduersarij in loco minus tuto, numero 7.

DECISIO CCCXCVII.

Post duas decisiones in hac causas factas 18. Aprilis 1614. & 25. Maij 1615. in quibus fuit conclusum, non constare de professione, quæ obstet D. Renatæ, fuit vtrique parti concessa remissoria, vnde vtroque processu remissoriali ad curiam transmisso, dubitaui, an esset à prædictis decisionibus recedendum? & Domini negatiuè responderunt; verissimam enim censebant esse conclusionem in vtraque decisione firmatam, quòd tacita professio resultans ex delatione habitus, & lapsu temporis iuxta dispositionem iuris communis, & stylum monasterij, & de qua tacita solùm in præsenti agitur, cùm de expressa non constet, tollitur per contrarias præsumptiones, & multo magis per expressam animi declarationem. Innoc. & alij communiter *in cap. 1. de eo quod met. caus.* Barbat. *consil. 59. colum. 2. lib. 2.* Decian. *consil. 18. num. 5. & seqq. lib. 3.* Suar. *de regular. tit. 3. q. 17. artic. 15. in princip.* & sensit Rota *decis. 216. nu. 21. part. 2. diuers.* & in Neapolitana professionis 26. Iunij 1599. coram Gipsio, & in Toletana professionis 14. Nouembris 1614. & in eadem 25. Maij 1615. coram me. 1

De prædicta verò animi declaratione Renatæ visum est satis constare ex ipsius testibus, de quorum examinis validitate hodie non dubitatur, & fuerunt ponderati in aliis decisionibus, & nunc de nouo ponderabantur per Dominos, quòd percuterent tria tempora; videlicet ante susceptionem habitus, & veli, in ipsa susceptione, & post susceptionem, prout in simili materia distinguit Rebuff. *cons. 69 num. 1.* Ante susceptionem deponit 2. testis super 4. articulo, qui erat confessarius D. Renatæ, & ad regitum Abbatissæ interrogauit Renatam bis coram testibus per eam nominatis, quæ respondit, se nullam habere voluntatem emittendi votum, nec professionem, & 5. super 2. deponit de frequenti protestatione Renatæ, quòd si ipsa suscipiebat velum, id erat propter eius auiam, & ad satisfaciendum eius voluntati, & de eodem tempore deponunt primus, octauus, & 16. testes dati in summario Renatæ *num. 1.* 2

In actu verò susceptionis veli, deponit 11. & alij testes remissoriales super 3. articulo. Post susceptum verò velum, & habitum, & intra quinquennium de pluribus, & iteratis protestationibus Renatæ, & quòd nolebat habere domum in monasterio, sicut aliæ professæ habebant, quia nolebat esse, nec reputari Religiosa, deponunt 2. 3. 4. & 5. testes super 5. articulo, & alij, de quibus in dicto processu remissoriali.

Neque obstat quòd istæ reclamationes emanauerint ante mortem auiæ, cuius metu Renata dicebat se ingressam fuisse monasterium, & nunc constet de morte auiæ de mense Februarij 1608. & quòd Renata habuerit illius mortis notitiam, vt patet ex testibus inductis pro aduersariis vigore remissoriæ Rotalis, & nihilominus Renata permanserit in eodem monasterio per multos menses; quo casu censetur purgatus metus *cap. 1. vers. qui verò, de regular. lib. 6.* cum allegatis per informantes, præsertim cùm post auiæ obitum Renata dicatur nunquam reclamasse ante motam hanc litem. 3

Quia vltra quòd decisiones in causa factæ non fundatur principaliter in metu Renatæ erga auiam, sed eo vtuntur tantùm pro adminiculo; fuit etiam 4

responsum cessare obiectum ex facto. Nam quòd immò Renata reclamauerit etiam post obitum auiæ,& semper vsque ad litem motam, disertè deponunt ipsius testes 4. 5.14. & 16. super 4. articulo dati in summario Renatæ *n.2.& 5.* Qui etiam testes deponunt super prædictis formiter de publica voce, & fama per verbum *fuit,& est.* Seraphin. *decis.* 1231. *num.1.& 2.* & sic parum facit quòd Renata permanserit in monasterio post mortem auiæ, stantibus dictis protestationibus, & reclamationibus, vt fuit consideratum in Toletana professionis 25.Maij 1615. coram me.

5 Nec obstare etiam videbantur actus capitulares nouiter exhibiti, in quibus Renata post auiæ obitum interuenisse dicitur cum aliis Monialibus professis, ex quibus prætenditur probata sufficienter purgatio metus; quia vltra quòd dicebatur semper verum esse quod constat de expressa voluntate Renatæ in contrarium, ex dictis protestationibus vt suprà probatis, & dato quòd nullitas professionis prætenderetur, ex causa metus, quod non est verum, nec in eo præcipuè fundantur decisiones, vt dixi,necesse est, vt isti actus non possent referri ad aliam causam, quàm ad causam præscriptæ purgationis metus. Aret. *consil.* 14. *num.* 18. aliàs quando potest sumi alia coniectura, quàm purgationis metus, illa sumitur. Roland. *consil.* 2. *numer.* 91. *& sequent. lib.1.* Osasc. *decis. Pedemont.* 179. *sub num.* 11. vbi subdit in fine prædicta esse intelligenda cessante causa metus.

6 In proposito autem consideratur quòd vti actus omnes emanarunt à die 28. Ianuarij 1610. & deinceps,vt in summario Annæ,& Franciscæ,& sic postquam Renata constituerat Procuratorem ad litem super nullitate professionis instituendam,quod fuit die 1. Ianuarij eiusdem anni 1610. & declarationes continuatas vsque ad tempus litis professioni contrarias,quæ præsumptionem tacitę professionis omninò subuertunt, ex suprà allegatis, dederit etiam mandatum ad illam annullandum, & semper acerrimè litem fuerit prosecuta, credendum est, Renatam interuenisse in illis actibus ex aduerso relatis iussu,& ob reuerentiam Abbatissæ, cui illa cùm esset quoad formam exteriorem in statu Monialis, & professæ,contradicere non poterat,nec potest,præsertim ante sententiam, & rem iudicatam ad sui fauorem, quod etiam adminiculatur ex dicto 18. testis,qui iuxta 17. dicit, se vidisse Renatam interponentem se actibus publicis capitularibus, & conuentualibus,sicuti interueniebant cæteræ Religiosę d.monasterij, & quamuis ab illo tempore, quo cœpit litigare, recusabat interuenire; tamen interfuit sub metu,& imperio Abbatissæ.

7 Nec refragatur prætensa confessio, seu declaratio Renatæ in instrumento donationis celebrato die vltima Decembris 1608. in quo dixit se ex bona voluntate, & affectione singulari addixisse ordini Sancti Benedicti; quia fuit responsum primò exinde non inferri quòd se addixerit animo profitendi. Secundò quòd negari non potest illud instrumentum fuisse celebratum in domo aduersariorum, & sic in loco minus tuto, in quo fortè non poterat contradicere, cùm tamen,ad effectum de quo agitur, requiratur in declarante plena libertas,ex allegatis in vltima decisione,& in omnem casum videtur fuisse nimis affectata ab aduersariis cùm fuerit in instrumento donationis, ad cuius actus validitatem non erat necessaria, & aliàs clausulæ insolitæ, & non necessariæ inducunt suspicionem,ex traditis per Castr.& Ias. *in l.testamentum. C.de testam.* cum aliis per Menoch. *præsumpt.* 122. *num.* 67. *lib.3.* Surd. *consil.327.num. 4. lib.3.* quæ suspicio hîc augetur ex tot declarationibus contrariis ipsius Renatæ suprà,& in dictis decisionibus pronderatis, à quibus Domini ex præmissis non putarunt esse recedendum.

Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. ANDREA.

Virdunen. Canonicatus. Lunæ 13. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Protonotarij non participantes sunt verè, & indubitatè familiares Sanctissimi, ad effectum vt in casu vacationis Pontifex de illorum beneficiis possit liberè disponere.

SVMMARIVM.

Protonotarij non participantes beneficium si per eius obitum vacaret, intrat reseruatio, de qua in regula prima Cancellariæ, n.2.

Protonotarij non participantes sunt verè, & indubitatè familiares Sanctissimi ad effectum, vt in casu vacationis Pontifex de illorum beneficijs possit liberè disponere vigore constitutionis Pauli III. num.2. & seqq. vbi, an per dictam constitutionem censeatur derogatum priuilegio Leonis X. concordatis Germaniæ, & litteris Nicolai V. & per tot. decis.

Concordatis Germaniæ numquid censeatur derogatum per clausulas generales appositas in constitutionibus Pauli III. de quibus num.2.& seqq.omnibus.

Ordinariorum collatorum appellatione veniunt etiam Capitula in casibus,in quibus habent potestatem conferendi, num.5.

Derogatio priuilegiorum concessorum quibuscumque personis non comprehendit priuilegia concessa Vniuersitati,vel Collegio, num.6.

Clausula quorum tenores, *non operatur circa non expressa, neque circa ea, de quibus non fuit facta aliqua mentio,nec Papa saltem in genere cogitare potuerit,ibid.*

Clausula in omnibus, & per omnia, *importat omnimodam exequutionem, itaut nulla prorsus sit differentia inter adæquata, num.7.*

Priuilegium non dicitur concessum in vim contractus, quando nihil datum fuit.declara vt num.8.

Clausulæ derogatoriæ appositæ in constitutione generali motu proprio emanata, sufficiunt ad tollendum non solùm leges anteriores, sed etiam priuilegia continentia clausulas derogatorias derogatoriarum, num. 9. vbi etiam, quid in gratia concessa à supplicatione partis.

Dictio pro tempore, *refertur ad futurum, num.11.*

Verbum præteriti temporis, relatum ad futurum, importat futurum tempus, & è contrà, num.12.

Clausulæ appositæ in prima constitutione censentur expressa in secunda, quando in ea fit relatio ad primam, numer.13.

DECI-

DECISIO CCCXCVIII.

1 Vacante Canonicatu in Ecclesiâ Virdunen. per obitum q. Ioannis Xandrini Protonotarij Apostolici de numero non participantium extra Roman. Cur. defuncti de mense Augusti 1615. qui mensis vigore Concordatorum Germaniæ est vnus ex mensibus ordinariis; Sanctiss. D.N. illum vti reseruatum contulit Desiderio Baulgnon, cum subrogatione gratiosa ad partem expedita, & ipso instante pro immissione coràm A.C. se opposuerunt, tam Capitulum Virdunen. quàm Christophorus Medardus ab eodem Capitulo prouisus, sub prætextu dd. concordatorum, & quòd propterea cessaret reseruatio. Vnde idem Sanctissimus iussit in eo iudicio supersederi, & prius disputari in Rota Dubium, an constaret de reseruatione, quod me proponente fuit affirmatiuè resolutum.

2 De protonotariatu enim Ioannis, & vacatione per obitum illius, in confesso erat inter partes, vnde intrabat reseruatio, de qua *in extrauagan. ad regimen. de præben in commun.* innouata in regula prima Cancellariæ, quæ habet locum etiam in Protonotariis non participantibus, Simonett. *de reseru. quæst. vltima, num.* 2. Put. *decis.* 313. *in princ. lib.* 1. *&* 81. *ad fin. lib.* 3. Peregrin. *decis.* 106. *lib.* 1. Than. *decis.* 12. Verall. *decis.* 404. *part.* 2. cum aliis adductis in Burgen. Abbatiæ de Salas 14. *May* 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo, quod etiam perspicuum videbatur ex constitutione, & declaratione Pauli III. in qua tales Protonotarij declarantur verè, & indubitatè familiares, etiam ad effectum, vt in casu vacationis, Romanus Pontifex pro tempore de illorum beneficiis possit liberè disponere, vt clarè legitur in constitutione 78. & 79. Pauli III. in Bullario, & Summ. Desiderij *num.* 5.

3 Tota igitur difficultas eò reducebatur, an per dictam constitutionem, & eius declarationem in quâ relatiuè ad primam adsunt clausulæ derogatoriæ, cum clausula, *Quorum tenores*, censeretur derogatum priuilegio Leonis X. concesso Ecclesiæ Virdunen. Summ. Capituli, *numer.* 1. in quo statuitur ad effectum conferendi beneficia vacantia in sex mensibus ordinariis eandem Ecclesiam Virdunen. sub eisdem Concordatis, & litteris Nicolai V. comprehendi in omnibus, & per omnia, ac si in litteris Nicolai de illa indiuidua mentio facta fuisset, & eadem Ecclesia Virdunen. in Germania consisteret, cum clausulis amplissimis, & derogatoriis ad quascunque contrarias dispositiones in posterum emanandas: dicta autem constitutio Pauli III. non derogat concordatis, vt in specie fuit decisum in Leodien. Canonicatus 15. Maij 1556. coram Chiroga, relata per Seraphin. *decis.* 510 *sub num.* 6. *& in decis.* 303. *part.* 2. *diuers.* & in induiduo huiusmodi extensionis Concordatorum factæ ad Ecclesiam Ianuen. quòd non censeretur illi derogatum per sequentem reseruationem Apostolicam, etiam munitam clausula *non obstantibus*, & aliis clausulis consuetis, allegabatur Gemin. *consil.* 56. *per tot.*

4 Verùm DD. placuit distinctio quàm Rota perpetuò sequuta est, quòd aut sumus in Ecclesia, quæ continetur sub Concordatis per viam comprehensionis, & tunc non sufficiant clausulæ generales, sed expressa, & specialis derogatio concordatorum fit necessaria, cùm illa emanauerint per viam contractus, & pro bono publico ad sedandas discordias inter Ecclesiam Romanam, & Principes, tam Ecclesiasticos, quàm sæculares nationis Germaniæ, vt colligitur ex litteris Nicolai V. & tradit Put. *decis.* 478. *num.* 7. *lib.* 2. *& decis.* 226 *num.* 1. *vers.* 2. *facit lib.* 3. Cassad. *decis vnic. num.* 2. *de pact.* Rot. *decis.* 10. *num.* 4. *part.* 3. *lib.* 3. & in hoc primo casu distinctionis procedit illa decisio Leodien. Canonicatus coram Chiroga, & alia diuers. 303. *part.* 2. Crescen. *decis.* 2. *de priuileg.* cum aliis adductis in Leodien. Canonicatus 21. Maij 1607. coram Reuerendiss. Lugdunen. vbi rectè fuit animaduersum, quòd hæc quæstio non est de potestate Papæ, sed de voluntate derogandi huiusmodi Concordatis, quæ non præsumitur, neque colligitur ex clausulis generalibus, aut verò Ecclesia non continetur sub Concordatis per viam comprehensionis, sed per viam extensionis, vt Ecclesia Virdunen. ex latè, & in puncto adductis in Virdunen. electionis Episcopatus 15. Nouembris 1593. & 23. Maij 1594. coram bo. mem Cardinali Pamphilio, & 10. Martij 1595. coram bo. mem. Litta, & tunc sufficiat ex clausulis generalibus, & tenore litterarum apparere, mentem Papæ fuisse d. extensioni derogare, vt in specie dictæ Ecclesiæ Virdunen. tradit Put. *decis.* 47. *num.* 21 *lib.* 1. Ioan. Paul. *decis.* 84. Tholom. *decis.* 840. *numero* 1. *vers non obstat part.* 3. *lib* 3. *diuers.* Anton. Augustin. *in epit. de Indult. num.* 1 *vers. indultum Ecclesiæ Virdunen.* & fuit resolutum in causa Meten. eleemosynariæ 17. Decembris 1612. & 13. Februarij, ac 3. Iulij 1613. coram R. P. D. meo Caualerio, & in indiuiduo constitutionis præfatæ Pauli III. quòd per eam fuerit derogatum priuilegio Leonis adest decis. Seraphin. 510. *num.* 6 *&* 7. quæ loquitur in eadem Ecclesia Virdunen. Ratio autem istius secundi casus distinctionis est, quia tunc cessat ius pacti, & intrat ius priuilegij, seu indulti, cui per clausulas huiusmodi satis censetur derogatum, Put. & Tholom. *vbi suprà.* Card. Seraphin. *d. decis* 510. *num.* 1. *cum trib. seqq. iuncto num.* 6. & dixit Rota in illa Meten. coram R.P.D. meo Caualerio.

5 Quòd autem ex clausulis, de quibus in constitutione Pauli III. appareat de illius intentione derogandi huiusmodi priuilegio Leonis, hinc Domini inferebant, quia in dicta constitutione derogatur priuilegiis, & indultis concessis ordinariis collatoribus, quorum appellatione veniunt etiam Capitula in illis casibus, & Ecclesiis, in quibus illa habeut potestatem conferendi, vt *in extrauag. Execrabilis.* §. *cæterùm, de præbend.* cum aliis per Rebuff. *in Concordat. rubr. de collator.* §. *præfatique ordinarij, in princ. sub verbo, ordinarij collatores, & verbo, quicunque*, Gonzal. *in reg.* 8. *gloss.* 37. *num.* 41. *& gloss.* 45. *num* 37. & in induiduo, Rot. *d. decis.* 840. *num.* 1. *vers & licèt dicatur ordinariis collatoribus.* Vnde cùm Papa voluerit non obstare indulta, & priuilegia concessa ordinariis collatoribus, & sic etiam Capitulis, vnà cum clausula, *Quorum tenores*, satis apparet etiam fuisse illius mentem, vt derogare intenderit huiusmodi indulto Ecclesiæ Virdunen. Put. *d. decis.* 47. *num.* 21. *lib.* 1. Rot *dicta decis.* 840. *part.* 3 *lib.* 3. Seraphin. *vbi suprà, num.* 6.

Hinc cessat obiectum scribentium pro Capitulo quòd dicta derogatio est restricta ad priuilegia, & indulta concessa quibuscunque personis, quæ propterea non comprehendit priuilegia concessa Vniuersitati, vel Collegio, vt in præsenti, Rom. *consil.* 436. *&* 408. non obstante clausula, *Quorum tenores*, quæ non operatur circa non expressa, neque circa ea, de quibus non fuit facta aliqua mentio, itaut 6

Papa saltem in genere de eis cogitare potuerit, Verall. *decis.* 121 *part.* 1. & fuit dictum in Valentina decimarum 28 Nouembris 1603. coram Illustrissimo Lanceilotto, quia cùm in dicta constitutione expressi fuerint ordinarij collatores, satis apparet Papam de hoc Capitulo ordinario collatore, in genere cogitasse.

7 Non obstat clausula *in omnibus*, *& per omnia*, de qua in dicto priuilegio Leonis, quæ importat omnimodam exæquationem, vt nulla prorsus inter adæquata sit differentia, Doctor. *in l.* 1. vbi Ias. *num.* 20. *cum pluribus seqq.* & ibi etiam Rip. *num.* 1. *&* 2. Bolognett. *num.* 106 *ff. de legat.* 1. Roland. *consil.* 67. *numer.* 42. *& seq. lib.* 3. & inducit non solùm fictionem, sed etiam veritatem, Angel. Aretin. *consil.* 107. *num.* 17. cum aliis allegatis. Quia cùm Ecclesia Virdunen. sit extra limites Germaniæ, vt firmauit Rot. in pluribus tam antiquis, quàm modernis decisionibus, illa communicatio Concordatorum ei facta perinde, ac si in litteris Nicolai expressa fuisset, ac in Germania consisteret, semper remanet priuilegium, quia Princeps veritatem mutare non potest, etiamsi possit contra eam fingere, Bart. *in l. si is qui pro emptore, num.* 5. *vers. quod etiam patet. ff. de vsucap.* vbi communiter alij, Castren. *consil.* 340. *num.* 2. *vers. nec obstat quòd Princeps, lib.* 1. & facit simile de iurepatron. concesso, cùm clausula, *Quòd habeatur, ac si esset ex fundatione, & dotatione,* quæ non operatur, vt non dicatur, ex priuilegio, & propterea comprehensum sub generali dispositione reuocatoria patronatuum ex priuilegio, vt fuit decisum in Placentina parochialis vltima Ianuarij 1594 coram bon. me. Litta, & in Compsana iurispatronatus 3. Decembris 1604. coram eodem. Ex quo apparet quam firmo, & solido fundamento nixæ fuerint tot Rotæ decisiones, quæ pro sufficienti derogatione huiusmodi extensionis à Leone factæ eam rationem habuerunt, quòd illa non emanauerit per viam contractus, sed fuerit simplex, & merum priuilegium, vt bene deducitur in dicta decisione Seraph. 510. super prima difficultate.

8 Nec subsistit quòd etiam litteræ Nicolai contineant priuilegium, licèt impropriè dicantur concessæ in vim contractus, cùm ex parte Germaniæ nihil fuerit datum Sedi Apostolicæ, prout erat necessarium ad hoc, vt verè diceretur contractus initus, ex alleg. Quia, vt patet ex litteris Nicolai, aderant infinitæ lites, & controuersiæ cum illis ad quos spectabat ius conferendi, & ad imponendum finem illis litibus, & aliis de causis fuit deuentum ad concordata, quæ propterea dicuntur emanasse in vim contractus. At litteræ Leonis non habuerunt hanc rationem extinguendi lites, quæ nullæ aderant, sed augendi decorem, & venustatem Ecclesiæ Virdunen. vt legitur in prooemio, ex quo colligitur causa finalis, *l. vlt.* & ibi Bart. *numer.* 3. *ff de hæred. instit.* vnde continent merum priuilegium.

9 Non obstat cons. Gemin. 56. *num.* 1. Quia cùm totam vim faciat in æquiparatione Ecclesiæ Ianuen. ad Nationem Germanicam, ex supradictis admodum videtur dubium, & periculi plenum. Vltra quòd ibi clausulæ derogatoriæ erant appositæ in gratia speciali ad supplicationem partis concessa: hîc autem versamur in constitutione generali motu proprio emanata, quo casu clausulæ generales sufficiunt ad tollendum non solùm leges anteriores, sed etiam priuilegia continentia clausulas derogatorias, cum derogatariarum derogatoriis, Castr. *consil.* 3 *numer.* 6. *ad fin. versic. nec obstat prædictis, lib.* 1. Calder. *consil.* 11. *col.* 2. *vers. nec obstat quòd sufficiant, de priuileg.* Dec. *consil.* 165. *num.* 2. *in fin. vers. vel concordando,* Paris. *consil.* 42. *num.* 13. *lib.* 4. Gambar. *de offic. legat. lib.* 8. *tit. de potest. legat. in legib. & stat. numer.* 41. *vers. quando princeps.* Et vbi versaremur in gratia ad supplicationem partis, adhuc Rotæ authoritas esset præferenda, quæ in eisdem terminis contrarium firmauit, vt patet ex dicta decis. Put. 47. *lib.* 1 Tholom. *decis.* 840. *part.* 3. *lib* 3. cum aliis *vbi suprà.* Decisio autem Mohed. 23. *de præbend.* habet particularem rationem fundatam super cassatura, ex qua apparebat mens Papæ noluisse derogare in præiudicium primarum precum Imperatoris, seu Regis Romanorum, quo cassatura circumscripta Rota inclinabat pro sufficienti derogatione, ex verbis generalibus.

Nec obstat quòd constitutio Pauli III. non reseruet beneficia Protonotariorum, sed solùm declaret illos veros, & indubitatos familiares ad effectum, vt Rom. Pontifices de illis vti reseruatis in regulis, tam editis, quàm edendis possint prouidere, & sic reseruatio non oriatur ex ipsa constitutione, sed ex regulis, in quibus non censetur derogatum concordatis, quia contrarium quod imò dicta constitutio inducat reseruationes, trad. Sarn. *in reg. de impetr. benefic. vacan. per obit. famil. q.* 13. *ad fin. num* 15. *vers. circa alios verò officiales, & n. seq.* Seraphin. *d. dec.* 510. *n.* 7. *vers. non obstat quòd isti sint familiares.* Vltra quod cùm dicta constitutio velit Protonotarios haberi pro veris familiaribus, non obstantibus priuilegiis, & indultis concessis ordinariis collatoribus, cum clausula, Quorum tenores, per quam ex deductis suprà fuit derogatum indulto Leonis concesso Ecclesiæ Virdunen. quod aliàs posset obstare, vt beneficia Protonotariorum non caderent sub reseruationibus regularum, satis est quòd adsit regula reseruatoria beneficiorum familiarium, quia tunc cum vigore d. constitutionis veniant etiam Protonotarij de numero non participantium, non obstantibus indultis, non potest dari de concordatis præfatis, & sublato impedimento reseruationes suum effectum operantur. 10

Similiter neque releuat, quòd dicta constitutio sit regula Cancellariæ, quæ expirauit obitu Pauli III. vel saltem sit restricta ad Protonotarios creatos ab ipso tantùm Paulo III. quia vtrumque tollitur ex eo, quòd tam prima, quàm secunda constitutio loquitur de officialibus, & Protonotariis S. Sanctitatis, & Romanorum pro tempore Pontificum; repetita sæpè illa dictione, pro tempore, quę refertur ad futurum, *c. cùm inter, in fin.* vbi Bald. *nu.* 7. *de re iudic.* Rebuff. *in concordat. tit. de reg. ad prælat. nominat. in gl. super verbo pro tempore,* & verbum *creatos,* licèt sit præteriti temporis, refertur ad futurum, in constitutione relata ad futurum, Felin. *in c. ad hæc, nu.* 2. *vers. adde etiam istis, de rescript* Rom *consil* 333 *num.* 3. *vers. sicuti è contra,* Menoch. *cons.* 1. *n.* 194. & fuit dictum in Taurinen. pensionis 1. Decembris 1614. coram R. P. D. meo Remboldo. Item prima constitutio in ordine 78. subdit etiam ad hoc et Sanctitas sua, & alij Pontifices occurrentibus vacationibus prouidere valeant, quod clarè excludit personalitatem, & dum sequens constitutio comprehendit non participantes, & simul restringit eandem declarationem ad Notarios per eosdem Rom. Pontifices, & S. Sanctitatem creatos, vnà cùm dictione taxatiua *tantùm,* id fecit vt statim sequitur, ad exclusionem creatorum 11

rum à Legatis, prout in terminis dictę secundæ constitutionis, tradit Mandos. *in reg.1. quæst.7. num.2. ad fin. vers. in secunda verò.*

12 Non obstat Protonotarios esse fictos familiares, qui propterea non veniunt sub aliqua reseruatione, de qua in Concordatis, Rot. *d. decis.303. part.2.* Nam huic obiecto respondet dicta decis. Seraph. 510. *n.6 & 7.* Quòd illa decisio, & similes procedunt in Ecclesia Leodien. quæ ex vi comprehensionis est sub Concordatis, & quod satis est, quòd talis familiaritas ex dicta constitutione Pauli III. inducat reseruationes, cum clausulis fortioribus, ex quibus tollitur Bulla Leonis.

13 Vltimò non obstat, quòd in secunda constitutione non adsit clausula, *Quorum tenores*, quia sufficit eam adesse in prima, ad quam fit relatio in secunda, cum omnibus, & singulis clausulis in ea contentis, ad text. *in l. asse toto. ff de hared. instit.* cum simil. Vnde attentis omnibus supradictis vtraque parte informante, & discusso articulo pro rei grauitate, & exemplaritate Rota censuit constare de reseruatione.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Terracinen. dotis. Lunæ 13. *Februarij* 1617.

ARGVMENTVM.

De creditore anteriori, quòd non possit molestari à posteriore, præsertim si sit creditor ex causa venditionis animalium, in quibus sibi reseruauerit dominium vsque ad integram pretij solutionem.

SVMMARIVM.

Creditor posterior non potest impedire exequutionem faciendam ad instantiam creditoris anterioris, num.1. in fine.

Animalia sunt obligata domino pasculi in quo pasculata sunt etiam quòd postea fuerint ad aliud pasculum translata. declara vt num. 2.

Venditor si in re vendita, sibi dominium reseruauit vsq; ad integram pretij solutionem, non potest sibi pretio non soluto ab alio creditore emptoris super re vendita molestari, num.3.

DECISIO CCCXCIX.

1 Dominus Bernardinus Maffeus voluit iterum audiri super decisione coram me sub die 14. Martij præteriti facta, vbi firmatum fuit ad fauorem Laudomiæ Cancellariæ pro dotis recuperatione mandatum contra ipsum Bernardinum esse relaxandum vti bonorum quondam Alexandri Alterici dictæ Laudomiæ viri detentorem, quæ bona in nonnullis Bubalis existebant *Mercho* diuersarum personarum signatis, vt exprimitur in decisione. Verùm causa denuo per me proposita, Domini quoad Bubalas signatas *Mercho* dicti Americi, steterunt in decisis, non obstante quòd occasione pabuli earundem bubalarum, D. Bernardinus in vim statuti Agriculturæ prætenderet se quibuscunque creditoribus esse præferendum: licet enim de illius credito constet, vt ex computo ad hunc effectum dato colligitur; non tamen apparet ipsam rationem dicti pabuli magis quàm ex aliis causis esse creditorem, & propterea tanquam posterior executionem impedire non valet. *cap. quia prior. de reg. iur. in 6. l. potior, ff. qui potior, in pignor. habeant.* Bald. *consil.64. in princ. lib 5.* Butr. *consil.22. in princ.*

Vltra quòd arrestum super dictis bubalis ad fauorem D. Bernardini non constat factum fuisse, dum animalia in ipsius tenuta, fœmina mortua nuncupata, depascerentur, & nihilominus dictum Agriculturæ statutum loquitur tantummodo dum animalia in tenuta detinentur, vt ex eius lectura colligitur. Et quamuis de iure communi dici posset D. Bernardinum actionem habere pro pabulo, etiam postquam bubalæ de ipsius tenuta ad aliam fuissent translatæ, vt per Mantic. *de tacit. & ambig. libro 21. tit. 15. num. 23.* Non tamen isto casu ille priuilegium haberet, quo præferendus esset creditoribus anterioribus habentibus omnia dicti Alexandri bona specialiter obligata, vt habet pro sua dote Laudomia, ex allegatis. 2

Quo verò ad bubalas signatas Marci Antonij Baldini *Mercho*, Dominis visum fuit esse recedendum à decisis: nam iste Baldinus in venditione de iisdem bubalis dicto Americo facta sibi totius præcodij dominium reseruauit, donec ipsi fuisse integrum pretium solutum non appareat, non potest Laudomia tanquam Alexandri sui viri creditrix in dictis bubalis quicquam prætendere. *l. Iulianus. §. offerri,* vbi Bart *in princ. ff de act. empt.* Abb. *consil.66. n.2. lib. 1.* Rom *consil. 86. in princip.* & quamuis in decisione dictum fuerit Baldino pro scutis duobus millibus fuisse satisfactum, cùm tamen postea innotuerit hanc summam fuisse solutam ante præcodij venditionem, apparere non potest, contrahentes illam in pretij causam cedere voluisse, cùm præsertim illud fuerit constitutum in diuersis solutionibus post venditionem huiusmodi faciendis. 3

Vlteriùs totum præcodium per Baldinum Americo venditum in D. Bernardinum translatum non fuit, sed quædam tantummodo illius pars, videlicet Baldino scuta duo millia fuissent soluta, quia tamen præcodium pro scutis decem millibus, & centum venditum fuerit, ipse Baldinus in scutis adhuc octo millibus & vltrà creditor remanebat, & sic benè potuit in bubalis, qui remanserunt dominium, retinere, cùm ad summam prædictam non ascenderent, sed ad scuta tantummodo mille & quadraginta, vt ex sententia colligitur contra D. Bernardinum ad eiusdem fauorem lata. 4

Quod autem dicebatur D. Bernardinum soluisse Baldino pretium harum bubalarum in vim dictæ sententiæ, non iustificatur quum de tali solutione non apparet, sed ipsum Bernardinum solummodo constat in actis dedisse quandam schedulam Montis pietatis pro summa scutorum septingentorum, cum conditione vt illa non consignaretur, nisi reuocatis quibusdam sequestris, quæ reuocata non docentur, nec ideo pecuniarum solutio probatur. 5

Quoad bubulas signatas *Mercho* Vincentij de Bellis fuit responsum, aperiendum esse calculum de mandato Illustrissimi D. Cardinalis Lancellotti factum, & interim firmari non potest, an verè d. Vincentius illarum pretium receperit. Tanto magis, quia super istis bubalis prætenditur, fieri non potuisse tanquam in Alexandri dominio non existentibus, cùm in venditione illi facta similiter dicatur Vincentium vsque ad integram satisfactionem do- 6

minium sibi reseruasse, quo casu donec Laudomia non probauerit ab Alexandro viro suo pretium fuisse solutum, nullam super istis bubalis actionem intentare poterit, ex allegatis.

7 Nec insistendum videtur in aliis bubalis signatis *Mercho* Ducis Sermonetæ, & ipsius D. Bernardini, cùm super his nullum factum fuerit in decisione fundamentum, nec super iisdem aliquid in contrarium hodie deducatur.

R. P. D. PIROVANO.

***Calaguritana iuris visitandi.* 13. *Februarij* 1616.**

ARGVMENTVM.

Actus de sui natura facultatiuus, ex quibus præsumatur coactiuus.

SVMMARIVM.

Testis de visu optimè probat actum, qui sub sensum visus cadere potest, num. 1.

Actus possessorius antiquus probatur per antiquam consuetudinem, per publicam vocem, & famam, quia leuiori probatione indiget, num. 2.

Visitatio personalis est actus facultatiuus, num. 3.

Actus si est facultatiuus, per mille actus non acquiritur possessio, ibid. declara vt num. 4.

Actus facultatiuus de sui natura non censetur facultatiuus siue voluntarius, quoties aliunde docetur quòd sit coactiuus, ibid.

Actus possessorij inferentes ad titulum, benè possunt per testes videri, & de illis ipsi deponere, num. 5.

Actus contrarij, quoties de illis constat, præsumuntur facti in conformitatem iurium, numer. 6.

DECISIO CCCC.

DVbitatum fuit in hac causa, an Archipresbyteratus de Aquila sit manutenendus in qua possessione, quòd Ecclesia de Saluatiera cum aliis tribus visitentur personaliter ab Episcopis pro tempore existentibus, exceptis causis absentiæ & infirmitatis, quo casu visitari debeant per eorum Vicarios generales, & non per alios.

Et cùm præsupposito quòd sententia arbitramentalis sit in forma probanti, affirmatiuè fuit resolutum.

1 Quia de fundamento manutentionis constat ex possessione dictarum Ecclesiarum, de qua concludunt primus & tertius testis ex processu remissoriali, asserentes à quinquaginta, & sexaginta annis vidisse Episcopos Calaguritanos visitare personaliter dictas Ecclesias, & non per suos visitatores, nisi in casu absentiæ ab Episcopatu aut legitimè impeditos, qui actus cùm versentur circa ea, quæ sub sensu corporis cadere possunt, optimè probat testis de visu circa eorum qualitatem. Decius *consil.* 56. *num.* 4. Cæsar de Grass. *decis.* 21. *de probat. & decis.* 10. *num.* 3. *de caus. possess. & propriet.* Seraph. *decis.* 1061. *num.* 1. *&* 2.

2 Et prædictis accedunt alij testes tam dicti processus remissorialis, quàm in Curia examinati, qui idem affirmant de antiqua consuetudine, & publica voce & fama, quibus multum videbatur deferendum in probando antiquo actu possessorio, qui leuior probatione contentatur. *cap. licèt ex quadam. de testibus.* Felin. *in cap. veniens il* 1. *num.* 16. *eodem tit.* Puteus *decis.* 76. *lib.* 1.

Non obstat quòd visitatio personalis, de qua testes deponunt, sit facultatiua *cap. si Episcopus,* vbi gloss. *in verbo per aliam. de offic. ordinar. in* 6. Rota *decis.* 6. *num.* 2. *de iurepatronat. in nouis.* in facultatiuis autem etiam per mille actus possessio non acquiratur. Abb. *in cap. ex parte.* Asten. *num.* 7. *de concession. præbend.* Boër. *decis.* 125. Surd. *consil.* 127. *numer.* 20. Caputaq. *decis.* 306. *n.* 7. *p.* 1. cum aliis allegatis.

Quia videbatur constare de titulo coactiuo excludente factum voluntarium, ex sententia arbitramentali lata de anno 1494. quæ in forma probanti fuit præsupposita, dum in capitulo tertio eiusdem sententiæ legitur declaratio circa easdem Ecclesias, vt debeant personaliter per Episcopum visitari, vel eo absente, vel legitimè impedito, per eius Vicarios generales, vel prouisores, & idipsum præsupponitur in Synodali cõstitutione Episcopatus Calaguritani de mense Iulij 1581. quare possessio sequens, de qua per testes satis distinguitur, ex titulo præcedente ad exclusionem voluntarij actus. Bald. *consil.* 89. *num.* 4. *lib.* 1. Menoch. *præsumpt.* 67. *lib.* 6. Anchar. *cons.* 137. *in princ.* Idem Baldus *consil.* 265. *per totum, & consil.* 290. *num.* 1. *lib.* 1.

Quinimò vnus ex Dominis dicebat bene probari titulum coactiuum, ex depositione eorundem testium, primi scilicet & tertij, qui dicunt Episcopum, & eo impedito, aut absente eius prouisores visitasse, quia sententia arbitramentalis aliter cogebat eos, quem titulum dicunt vidisse, & de eo extare publicam vocem, & famam, quod sufficere videtur ad effectum manutentionis, cùm actus possessorij ab Episcopo facti sint certi, & quo animo sint facti. Idipsum cadit sub sensu corporeo auditus, vel visus, cùm non sit impossibile vidisse actus positiuos inferentes ad sententiam arbitramentalem. Seraph *decis.* 161. *num.* 2. & dictum fuit in Caualicen. feudi coram me 17. Decembris 1612. ideo dum dictum testis propter rationem certam tituli non potest æquiuocari in visitatione personali, prout de iure communi competit, remanet probata possessio qualificata, prout necessaria est ad hunc effectum, nisi doceatur de actibus contrariis. 5

Non obstat quòd de contrariis actibus doceatur ex pluribus visitationibus per alios factis, & signanter in oppido de Saluatiera capite ipsius Archipresbyteratus, ex quibus depositiones testium & virtus instrumentorum infirmari videntur. Quia visitationes, quæ datæ fuerunt in summario Episcopi, enunciant in visitatores personas prouisorum totius Episcopatus, quæ non aduersantur intentioni Archipresbyteri, cùm potuerunt visitare in casibus absentiæ, & impedimenti, & cùm possint se conformare cum instrumento sententiæ, ac constitutione, & decreto, magis videtur comprobari fundamentum Archipresbyteri, quia de aliis personis non dantur visitationes. 6

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

***Viterbien. fideicommissi. Veneris* 17. *Februarij* 1617.**

ARGVMENTVM.

Trebellianica detrahitur de bonis prælegatis inter filios, quoties illa prælegata sapiunt distributionem portionum hæreditariarum inter filios.

SVMMARIVM.

Expressio eius, quod tacitè inest, de iure non dicitur superflua, sed facta ad tollendam omnem dubitationem, num.1.

Trebellianica non potest detrahi de bonis prælegatis, quia illa habentur tanquam à legatariis, num.2. Declara vt num.3.

Testator distribuens bona sua inter filios assignans cuique suam partem in illa quemlibet instituens, ac postmodum hæredes eos vniuersales instituit, hoc casu prælegata succedunt in locum portionis hæreditariæ, & filij capiunt vti hæredes, non legatarij, & bona subiacent fideicommisso, n.3.

DECISIO CCCCI.

1 Reproposito dubio, an esset locus detractioni Trebellianicæ, quod affirmatiuè fuerat resolutum 11. Ianuarij 1616. Domini in decisis steterunt, cùm de expressa prohibitione d. Trebellianicæ non constet, & tacita deduci non valeat, ex illis verbis, *substituit cippum domus, præterquam in legitima, de qua filij disponere possent ad eorum libitum*, quæ necessariò non important talem prohibitionem, prout requiritur, ex allegatis in decisione; sed habent alium sensum, vt scilicet voluerit testator exprimere id quod tacitè de iure inerat, nempe quòd filij de legitima eis debita liberè possent disponere, quæ expressio non dicitur superflua, cùm fuerit facta ad tollendum omnem dubitationem pro maiori declaratione, Ruin. *cons.* 169 *num.* 15. *lib.* 1. Socin. *cons.* 102. *num.* 11. *lib.* 3. Tob. Nonius *cons.* 7. *num.* 4. Cephal. *cons.* 104. *n.* 13. Surd. *cons.* 339. *num.* 34. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 3. *tit.* 6. *n.* 5 *& seq.*

2 Quibus non obstat, quòd Trebellianica non possit detrahi ex bonis de quibus agitur, cùm fuerint filiis prælegata, & ea videantur accepisse vti legatarij, Peregr. *de fideicommiss. art.* 7. *in fine.* Mantic. *vbi supra lib.* 7. *tit.* 11. *num.* 5.

3 Quæ prædicta non applicantur casui nostro, in quo testator omnia bona sua distribuit inter filios, & cuique partem suam assignauit, in illa quemlibet instituendo, ac postmodum eosdem hæredes vniuersales instituit, quo casu prælegata succedunt in locum portionis hæreditariæ, illiusque naturam retinent, ac de eis iudicatur sicut de aliis bonis hæreditariis, & illa filij non capiunt, tanquam legatarij, sed tanquam hæredes vniuersales, & tenentur restituere fideicommissario, Peregrin. *de fideicommiss. artic.* 7. *num.* 61. Menoch. *præsumpt.* 194. *num.* 46. *lib.* 4. Roland. *cons.* 34. *num.* 21. *&* 22. *lib.* 4. Dec. *cons.* 254. *num.* 2. Honded. *cons.* 71. *num.* 17. *& seq. lib.* 1. *& cons.* 62. *num.* 31. *lib.* 2. Surd. *cons.* 434. *num.* 25. & consequenter detrahere possunt Trebellianicam, quæ debetur ex bonis restitutioni subiectis, ex adductis in decisione, à qua Domini non esse recedendum dixerunt, ex supradictis, & aliis ibi adductis, &c.

R.P.D. REMBOLDO.

Placentina fructuum. Veneris 17. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Vnio quando dicatur effectuata, & quando in suspensione vnionis necessaria sit derogatio regulæ de iur. quæs. non toll. & quando suspensio vnionis dicatur reperta ad fauorem subrogati.

SVMMARIVM.

Vnio dicitur effectuata per vacationem beneficij vniti & realem possessionis apprehensionem, num.1.

Suspensio vnionis facit illam dormire, perinde ac si non esset, ibid.

Subrogatus quoad priuilegia personalia non intrat in locum eius cui subrogatur, ibid.

Subrogatus ad hoc vt intret in locum eius, cui subrogatur, necesse est quòd in eo concurrant eædem qualitates, n.2.

Actio extincta caret effectu, ibid.

Prorogatio non suffragatur, quando primum tempus est consumptum, ibid.

Vnio quando suspenditur pro sui validitate, requirit derogationem iuris in instanti vacationis illi, ad cuius fauorem fuit facta vnio quæsiti, n.3.

Clausula suspensiua debet limitari ad terminos dispositionis, in qua est, n.4.

Clausula suspensiua nil aliud operatur, quàm quòd gratia concessa cum illa clausula valeat, ibid.

Lis super titulo beneficij non comprehendit articulum dismembrationis, n.5.

Lis per iurium confusionem extinguitur, ibid.

Possessio potest mutari ex superuenientia noua causa absque alia animi declaratione, ibid.

Lis super diuersa re nullum præstat impedimentum, num.6.

DECISIO CCCCII.

Domini steterunt in decisis sub die 15. Aprilis præteriti, quòd scilicet dismembratio, & vnio Adriani VI. & Clementis VII. effectuata fuit nedum in illo ipso instanti, quo Decanatus per mortem Paniaquæ, vel etiam Mirandę vacauit quoad effectum, vt in prouisione Ioannis necessaria fuisset derogatio regulæ de iure quæs. non toll. sufficeret (vt multis fuit in d. decisione comprobatum) verùm etiam per realem possessionis apprehensionem. Nec obstare putabant, quòd cùm antequam Decanatus vacatio contingeret, suspensa esset ad fauorem Paniaquę dicta dismembratio, & in locũ postea dicti Paniaquæ subrogatus Antonius, & cõsequenter alij, videatur virtute dictæ subrogationis repetita suspensio, quæ, vt inquit Cassad. *decis.* 5. *num.* 4. *de reseruat.* dormire facit vniones perinde ac si non essent, quia motiuum hoc, in quo maximum fundamentum ponebant scribentes pro Ioanne, visum fuit facilè tolli, tum ex eo, quòd reuera priuilegia personalia, quale fuit suspensio fauore Paniaquæ concessa, per generalem subrogationem in subrogatum non transeunt, iuxta 1

latè tradita per Gomes. *super reg. de trienn. quæst.* 14. *in princ. & vers. & fundamentum istius opinionis*, qui abundè satisfacit omnibus argumentis in contrarium nunc adductis.

2 Tum etiam, quia in omnem euentum ad hoc, vt subrogatio posset operari repetitionem suspensionis Paniaquæ concessæ, necesse esset, quòd eædem qualitates in Antonio concurrerent, quæ in Paniaqua tempore suspensionis concurrebant, & sic darentur termini habiles, ad trad. per Cephal. *cons.* 20. *num.* 14. Gabr. *de reg. iur. conclus.* 2. *in prima, sexta, & septima limit.* cum ibi cumulatis. aliàs enim subrogatio caret effectu, vt dicitur de actione iam extincta, quòd scilicet quo ad illam nihil operatur, Angel. *in l. si eum. §. qui iniuriarum, col.* 2. *ff. si quis caut. & in l. certi conditio col.* 1. & ibi Rom. *col.* 4. Iason. *col.* 9. *ff. si cert. pet.* apostill. ad Bart. *in l.* 1. *§. fin. ff. si quis testam. lib. esse iuss. fuer.* idemque est in prorogatione, quia non suffragatur, quando primum tempus est consumptum, *l. sed in manente. ff. de precar.* Rebuff. *super concordat. rubr. de prorogat. dilat. in princip. in verbo, Franciscus.*

3 Vnde cùm in proposito suspensio Paniaquæ cõcessa fuerit viuente adhuc Garzia, & sic antequam dicta dismembratio, & vnio effectuaretur, non potest subrogatio post mortem Paniaquæ Antonio concessa repetitionem dictæ suspensionis operari, cùm in illo ipso instanti, quo Paniaqua decessit, dismembratio effectum, vt dictum est, sortita fuerit, ac consequenter termini tempore subrogationis non essent habiles, sed imò requireretur vltra expressam suspensionem derogatio iuris in ipso instanti vacationis Canonici quæsiti, ad not. per Abb. *in cap. non debet, sub num.* 14. *in fin. de consanguin. & affin.* Seraph. *decis.* 1263. *in fin.* & fuit dictum in vna Eugubina Canonicatus 20. Nouembr. 1615. coram R.P. D. Manzanedo.

4 Non obstat, quòd Ioannes non solùm fuit subrogatus in locum, & ad ius Paniaquæ, & Antonij, sed & ad locum, & ius Mirandæ, qui habebat accessum ad Decanatum, cum suspensione litterarum Adriani, & causam super dicto accessu viuente adhuc Paniaqua, commiserunt, ac propterea non potuit per mortem Paniaquæ propter impedimentum dictæ suspensionis, & etiam litis d. vnio effectuari, quia pro responsione in facto præmittendum est, quòd Miranda, qui Decanatum tunc per Garziam possessum ex capite Simoniæ impetrauerat per concordiam pendente lite cum dicto Garzia initam, cessit ad fauorem eiusdem Garziæ omni iuri suo, & liti prædictæ liberè, & sine aliquo regressu, & deinde dictus Garzia consensit reseruationi pensionis ducatorum 1700. ad fauorem Thomæ Ernandez, & translatariorum, quibus etiam reseruatus fuit accessus, & ingressus ad dictum Decanatum casu quo vel à solutione cessetur, vel de nullitate, aut reductione dictæ pensionis detur. Garzia deinde vita functo Paniaqua dicto Garziæ in Decanatu successor litem contra Mirandam vnum ex dictis Thomę translatariis super nullitate pensionis mouit, vnde Miranda credens factum esse locum dicto accessui, litem super eo in Rota introduxit coram bon. mem. Pegna, qua pendente obiit Paniaqua, illique successit Antonius Soto maior, contra quem idem Miranda dictam litem prosecutus est, & non multò pòst defuncto etiam dicto Antonio, fuit de eodem Decanatu Miranda prouisus, cum extinctione litis, quo ad defunctos antecessores, & expressa subrogatione ad omne ius illorum. Ex hac enim serie facti colligitur, quòd clausula suspensionis litterarum Adriani apposita est in gratia reseruationis dictæ pensionis tantùm, atque ideo non potuit causare impedimentum effectuationi dismembrationis, quia debet limitari ad terminos dispositionis, in qua est, vt videlicet operetur suspensionem in præiudicialibus dictæ reseruationi, & accessui tantùm, ad not. per Modern. *de clausulis part.* 4. *claus.* 1. *num.* 8. & 19. vnde cùm ex dicta effectuatione nullum causetur præiudicium reseruationi, & accessui, quia semper remanet ius saluum accedendi, & consequendi pensionem, etiam quòd fructus Decanatus diuidantur, ex quo illi transeunt in quemcumque cum eodem onere pensionis pro rata, dicta clausula non impedit effectuationem dictæ dismembrationis, atque hinc dicitur, quòd clausula suspensiua id solum operatur, vt gratia concessa cum illa clausula valeat, & nihil vltrà. Cassad. *decis. vlt. num.* 7. *de concess. prabend.*

Minus obstat dictæ effectuationi lis per Mirandam super accessu introducta, quia ex quo dicta lis respiciebat titulum, Decanatus non potest trahi ad articulum dismembrationis, qui nihil commune habet cum titulo, sed bona tantùm, & fructus respicit, ac consequenter neque etiam actus pro effectuatione dictæ dismembrationis factos inficit; Achill. *decis.* 6. *vt lit. pend.* Preterea dato, quòd viuente Paniaqua, ac etiam Antonio dicta dismembratio non potuisset propter impedimentum dictæ litis, vel suspensionis effectuari, fuisset saltem effectum sortita de tempore, quo fuit de dicto Decanatu Miranda prouisus, cùm per dictam prouisionem ndeum fuerit propter iurium confusionem lis vnà cum accessu ipso iure extincta, ad not. *in l. debitori. C. de pactis. & in l. Stichum. §. aditio. ff. de solut.* sed etiam per expressam extinctionem, & subrogationem Mirandæ à Papa, vt suprà dictum fuit, concessam: nam tunc potuerunt Canonici causam possessionis iam prius quæsitæ ex noua causa superueniente mutare absque alia animi declaratione, iuxta opinionem quam Rota seruat, vt testatur Achill, de Grass. *decis.* 4. *ad fin. de causa poss. & propriet.* Cæs. de Grass. *decis.* 19. *num.* 6. *& seq. de probat.* Crescent. *decis.* 5. *num.* 3. *de restit. spoliat.* & fuit resolutum in vna Rauennaten. bonorum 6. Februar. 1622. coram Illustrissimo Cardin. Ludouisio.

Non obstat, quòd in eadem prouisione Mirandæ continetur etiam subrogatio ad litem prædictam, quia hæc subrogatio intelligi debet de lite non respectu tituli, & accessu, sed respectu terminorum pensionis non solutorum, ac etiam expensarum cõtra hæredes antecessorum tum propter confusionem iurium, de qua suprà, tum quia aliàs literæ dictæ prouisionis continerent manifestam contradictionem, cùm extinctio litis, & subrogatio ad eandem insimul stare non possint.

Quod dicebatur circa differentiam, quæ est inter vnionem, & dismembrationem, non visum fuit Dominis applicari posse, ex quo in litteris Adriani, & Clementis expresè dispositum legitur, quòd ex tunc censerentur tam dismembratio, quàm vnio facta, & ex tunc etiam, quoad vtramque Canonici gauderent beneficio regulæ de iur. quæs. non toll. vnde dubitari non potest, quin per hanc expressam Pontificum dispositionem fuerit ipsis, nõ minus, quoad dismembrationem, quàm vnionem ius quæsitum, stante præsertim clausula sublata, & aliis

& aliis prægnantissimis in dictis literis appositis, & quòd consequenter quoad effectum de quo nunc agitur, nulla inter dictam vnionem, & dismembrationem differentia considerari possit.

6 Nec etiam obstant aliæ lites, quæ ab informantibus pro Ioanne allegabantur, quia vel fuerunt introductæ, posteaquam vnio iam esset effectuata, vel non pendebant super effectuatione, ac propterea non potuerunt, etiam effectuationem dictæ vnionis per realem possessionis apprehensionem impedire, ad tradit. per Lancellot. *de attent. lit. pend. limit. 2. in princip.* & per tot. cum ibidem allegatis. Reliquis fuit in alia decisione satisfactum.

REVERNDISSIMO P.D. BVRATTO.

Auinionen. Archidiaconatus. Veneris 17. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

In hac decisione, quæ magistralis est, exactè explicatur, quando, quomodo, & ex quibus censeatur probata familiaritas Cardinalis ad effectum reseruationis.

SVMMARIVM.

Familiaritas Cardinalis ad effectum reseruationis vt concludenter probata dicatur, concurrere debent duo requisita, mentis scilicet, & dentis, n.1.

Familiaritas Cardinalis quomodo probetur per testes, n. 2. & seqq. & n.8. & seqq.

Assertioni, & declarationi gerentis actum statur in actibus non necessariis, & æquiuocis, n.8.

Testes singulares probant confessiones extraiudiciales concurrentibus adminiculis, n.5.

Familiaritas Cardinalis probatur ex receptione seruitiorum, & præstatione victus, n.6.

Familiaritas Cardinalis nunquid probetur per attestationem eiusdem Cardinalis, n.7.

Familiaritas Cardinalis non censetur probata, nisi constet de mente ipsius Cardinalis, ac etiam eiusdem familiaris, quòd voluerint familiaritatem contrahere, n.7. vers. & sic ex prædictis.

Familiaritas habet se ad instar societatis, ibid.

Societas non censetur contracta inter socios, nisi constet de mente sociorum, quòd voluerint contrahere societatem, ibid.

Familiaritas Cardinalis censetur probata ex eo quòd habuerit partem à Cardinali in pecunia, victum, & habitationem, n.8. & 9.

Familiaritas Cardinalis probatur ex communi reputatione, & publica voce, & fama, nu.9. vers. prædicta autem.

Familiaritas Cardinalis ad effectum reseruationis vt probata dicatur, non sufficit seruitium generale, nisi etiam probetur destinatio ad certum particulare seruitium. Declara vt n.10. & seq.

Familiaritatem Cardinalis contrahere non præsumitur is, qui habet beneficium requirens residentiam. Declara vt n.1.

Testes possunt examinari post didicita testificata, quando eorum fuit solum habitum summarium, numero 13.

DECISIO CCCCIII.

1 Dedi dubium, an constaret de familiaritate quondam Ioan de Laurentiis cum bon. mem. Card. de Ioiosa post obtentum Archidiaconatum ad effectum reseruationis de quo agitur, & DD. in secunda illius propositione affirmatiuè responderũt. Concurrere enim visa fuerunt duo illa requisita mentis & dentis, de quibus per DD. *in cap. fin. de verb. signif. in 6.* Sarn. *in reg. de impetr. per obit. fam. qu. 13. in princ. vers. nam illa*, & Rotam in Salamantin. & Abulens. beneficij 9. Iunij 1599. coram bon. mem. Pegna, & in Hispalen. portionis 2. Maij 1614. coram R.P.D. meo Andrea.

2 Mens deducitur primò ex seruitute eiusdem Ioannis, quæ optimè probatur ex testibus primo & secundo loco in Curia examinatis, qui omnes pariter fuerunt familiares eiusdem Cardinalis & deponunt, præsertim de infra scriptis. Primò Quòd in vltimo trimestri anni 1593. dum Cardinalis ex Gallia veniret ad vrbem, Ioannes è ciuitate Auenionis contulit se ad ciuitatem Lugduni, vbi tunc aderat Cardinalis, ibique dixit quarto testi de hoc deponenti in vltimo examine, iuxta 19. interrogatorium in summario concordato D. Gaucerij *num. 1. Che veniua à Roma al seruitio di detto Signore Cardinale*, statimque suscepit curam transuehendi supellectilia Cardinalis ad Vrbem, & dum Cardinalis esset in itinere versùs Italiam, idem Ioannes illum assequutus fuit, vt ei nunciaret dicta supellectilia fuisse detenta per Dohanerios in ciuitate Alexandriæ della Paglia, fuitque per dictum Cardinalem transmissus ad deputatos dictæ ciuitatis cum nouo ordine, seu, vt dicitur, Passaporto, cuius vigore sublata fuerunt omnia impedimenta, vt deponit secundus primo loco examinatus, iuxta quintum dicto summario *num. 1.* qui etiam iuxta 18. *num. 4.* deponit de familiaritate eiusdem Ioannis in partibus Galliæ. Quæ etiam comprobantur ex fide pro patre Siluestruccij producta, de qua in eius summario *n. 2.* in qua dicitur Ioannem defecisse ab eius residentia in suo Archidiaconatu à die 10. Nouembris 1593. vsque ad 26. Maij 1595. vnde bene potest verificari depositio supradictorum testium, quòd ipse in fine anni 1593. fuerit in ciuitate Lugduni, & venerit cum Cardinale ad Vrbem.

3 Secundò, quòd Ioannes eidem Cardinali inseruiuit post eius aduentum è Gallia ad Vrbem, dum habitauit in Palatiis Burgi, & Plateæ Nicosiæ, & sic de anno 1594. & 1595. ferè iuxta tempus Rebenedictionis gloriosæ mem. Henrici IV. Regis Franciæ, quæ fuit 15. Septembris dicti anni 1595. vt notissimum est; deponunt omnes testes in dicto summario concordato *num. 4. & 5.* quorum 3. secundo loco examinatus iuxta 10. dicit se illum cognouisse in Palatio Burgi per annum, ante dictam Rebenedictionem, & sic de anno 1594. Et omnes specificant quamplures actus particulares obsequij, & seruitutis Ioannis erga Cardinalem, & præsertim, quòd illum comitatus fuerit ad Consistoria Capellas, & Congregationes, resederit in Anticameris, astiterit mensæ prout alij familiares, & quandoque impedito Caudatario functus fuerit illius officio, & iuerit cum Cardinali ad ciuitatem Ianuæ, & cum eodem reuersus fuerit ad Vrbem, obediuerit iussionibus, & exequutus fuerit mandata Cardinalis, qui (vt dicunt dicti testes) *li commetteua*

d'll'imbasciate, gl'ordinaua che commandasse alli Palafrenieri; illumque bis in Galliam transmisit suis expensis, & suis litteris, & pro suis negotiis, & etiam occasione ligæ, vt dicit 3. secundo loco examinatus iuxta 13. in dicto summario *n.5.* Aliqui verò in genere concludunt, quòd Ioannes faciebat omnia seruitia, functiones, & obsequia, quæ fiebant ab aliis nobilibus familiæ dicti Cardinalis.

4 Qui quidem actus, vbi etiam familiaritatem necessariò non concluderent, multum tamen illam coadiuuant stante illorum multiplicatione, & declaratione eiusdem Ioannis dum in ciuitate Lugduni dixit, *Che veniua à Roma al seruitio del Cardinale*, vt dictum est, in actibus enim non necessariis & æquiuocis statur declarationi gerentis. Bart. *in l. cum quis decedens, §. codicillis, num.6. ff. de leg.3.* Bald. ex mente Innoc. *in l.2. num.20. vers. & tunc per istos, C. de seruit. & aqua.* Tiraq. *de retract. lignag. §.1. gl. ss. 14. num.55. vers. omnino autem.* maximè iuncta illorum frequentia, Bald. *d. num.20. in fin.* & verisimilitudine quòd similes actus vt plurimum fieri nõ solent, nisi animo contrahendi familiaritatem, quæ verisimilitudo operatur, vt stetur tali declarationi, etiamsi aliàs illi non staretur, Dec. *cons. 96. num. 3. vers. nec obstat*, quòd talis confessio, cum aliis per Aym. *cons. 202. n.48.*

5 Secundò, de mente constare quoque visum fuit, primò ex parte Ioannis, tum quia ipsemet dixit (vt dictum est) in ciuitate Lugduni quòd veniebat *Romam al seruitio del Cardonale*, tum etiam ex pluribus aliis confessionibus extraiudicialibus eiusdem Ioannis, de quibus deponunt tres testes in dicto summario *n.8.* quæ probantur per testes etiam singulares concurrentibus adminiculis, prout hîc Rota *decis. 91. n.4. vers. vltra quod, part.1. diuers.* & Card. Seraph. *decis. 1029. nu.11. vers. non obstat decisio*, & fidem faciunt de æquitate Canonica, Put. *decis. 12. num.2. lib.2. in nouiss.* vbi quòd Rota semper sequuta fuit huiusmodi opinionem.

6 Secundò, ex parte Cardinalis tam ex eius receptione seruitiorum, & præstatione victus, ex quibus censetur deputasse ad dicta seruitia. *l.1. §. magistrum, il 2. offic. de exercit. act.* Bart. *in l.1. §. familia. in fin.* quem cæteri sequuntur. *ff. de public. & vectig.* Bero. *qu.39. sub nu. 2.* ex eius attestatione in dicto summario *num. 8.* quæ percutit etiam tempus post Archidiaconatum obtentum, cui Domini dixerunt esse plurimum deferendũ, nedum propter amplissimam Cardinalatus dignitatem, vt ex Innocent. notat Archid. *in cap. nobilissimus. in fin. dist. 97.* Fulgos. *cons. 148. in fin. vers. concludendum est*, Rot. *decis. 5. num. 1. de probat. in antiq.* Grammat. *decis. 65. n.69.* sed etiam propter eximiam eius generis, & personæ nobilitatem, cùm esset ex Magnatibus, & Principibus Galliæ, ad text. *in d. cap. nobilissimus*, Luc. de Pen. *in l. mulieres col.5. vers. 10 generaliter. C. de dignit. lib.12.* cum aliis per Tiraq. *de nobilit. cap.9. num.39.* præsertim cùm sit ex tot aliis adminiculis coadiuuata.

7 Non obstat, quòd talis attestatio Cardinalium non probet familiaritatem ad effectum reseruationis in præiudicium prouisi ab Ordinario, & sic tertij, Sarn. *de benef. vacan. per obit. fam. d. quæst.13. num.6.* Simonet. *dicta quæst. 36. num.11. & 12.* Quia hoc procedit quando fundamentum principaliter fit super sola simili attestatione ad probandam reseruationem, quod hîc non accidit, quia plura alia deducuntur, & dicta attestatio adducitur solùm ad probandum mentem ipsius Cardinalis, in cuius probatione statur propriæ assertioni. Socin. *cons. 97. n.22.* Aymon *cons.5. n.16. vers. quia in his*, cum aliis per Menoch. *de arbitr. cas. 86. n.6.* Et sic ex prædictis resultat manifesta probatio mentis vtriusque, Cardinalis scilicet, & Ioannis, prout requiritur ad contrahendam familiaritatem sicuti ad contrahendam societatem. Sarnen. *dicta qu.13. n.10. vers. nec obstat.* Rota in Hispalen. Archidiaconatus 20. Februarij 1606. coram bo. mem. Iusto, ad cuius instar se habet familiaritas. Gemin. *in cap fin. n.9. de verb. signific. in 6.* & ibi Anchar. *nu.3. vers. contrahitur hæc ergo*, & Franchi *n.14. vers. contrahitur*, Simon. *de reseru. d. qu.35. n.5.* & Rota in d. Hispalen. coram R.P.D. meo Andrea.

De mente verò, seu quòd Ioannes habuerit partem à Cardinali. Primò in Gallia deponit secundus iuxta 18. *dicto n.4.* qui dicit, quòd ibi vti Protonotarius discumbebat ad mensam Cardinalis (quod esse solitum in illis partibus in familiaribus nobilibus attestatus fuit R. P. D. meus Dunozet) & subdit etiam, quòd erat descriptus in rotulo, & libro, prout alij familiares, quæ descriptio licèt de per se nõ sufficiat ad probationem familiaritatis. Mohed. *decis. 2. alias 90. n.5. de prob.* illam tamen multum coadiuuat, Simon. *de reseru. qu.36. n.15.* Put. *decis. 401. lib.1. in nouiss.* & fuit dictum in Comen. beneficij 18. Martij 1596. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in dicta Hispalen. Portionis, coram R.P.D. meo Andrea. Et insuper dicit, quòd ipse testis simul cum dicto Ioanne pluries fuit, *dall' Argentiero per pigliare la loro portione, che consisteua in danari, secondo li tempi.* Deinde in Vrbe deponunt omnes *dicto nu.4.* dicentes, quòd vltra habitationem in Palatio Cardinalis dictus Ioannes habuit dictam partem, quandoque in Tinello, & quandoque in pecunia. Quod similiter multum confert ad familiaritatem probandam. Rota *decis. 54. part. 3. lib.1. diuersor.* Simonett. *dicta quæst. 36. sub n.16. vers. item illam.* 9

Ex eo igitur, quòd testes probant Ioannem præstitisse seruitia Cardinali, & ab eo recepisse victum, & habitationem, dicitur probata familiaritas. Sarnen. *in reg. de impetr. per obitum fam. quæst. 12. num. 9. in fin. & num.10. vers. ex habitu*, igitur Simonett. *vbi suprà quæst. 35. num.3. & seq.* & Bero. *quæst. 35. num. 3.* Præsertim concurrentibus adminiculis illam suadentibus, de quibus infrà, vt fuit dictum in Comen. beneficij 18. Martij 1566. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Hispalen. beneficij de Gibialeon 7. Maij 1604. coram Illustrissimo D. Cardinali Ludouisio. Prædicta autem omnia comprobantur ex communi reputatione, tam in aula Cardinalis, quàm extra, & ex publica voce, & fama, de quibus bene deponunt iidem testes in dicto summario *num. 6.* quæ pariter multum faciunt ad probationem familiaritatis, Put. *dicta decis. 134. lib.3.* Simonett. *dicta quæst. 36. num.16. in fin.* & Rota *d. decis. 54. part.3. lib.1.* 10

Non obstat, quòd ad effectum reseruationis non sufficiat seruitium generale, sed probari debeat destinatio ad certum seruitium particulare, vt in dicta Salamantina, & Abulens. coram Pegna, & Hispalen. Archidiaconatus coram Iusto. Quia in casu dd. decisionum agebatur de persona consanguinei, quem præsumi poterat fecisse actus seruitutis ratione consanguinitatis, quod secus videtur in extraneo (qualis erat Ioannes) in quo Rota non requirit deputationem ad certum officium, satis enim videtur si inseruiat pro nobili (& vt dicitur) per *gentil'huomo, da spalliera*, prout faciebat Ioannes, qui

qui etiam (vt dicunt testes) omnia seruitia faciebat, iuxta occurrentias; familiares enim aliis sunt ad certum seruitium deputati, alij sunt sine seruitio, vt videtur sentire Rota apud Achill. *decis.* 13. *num* 5. *vers. vel quia ibi erat, de præbend.* & comprobat quotidiana in Aulis Magnatum, & Cardinalium, præsertim Principum, qualis erat Cardinalis Ioiosa, in quibus multi reperiuntur viri nobiles, qui non sunt nec dicuntur officiales, sed illorum ministerium seruatur solùm circa personam; & cultum Dominorum, assistendo, videlicet in Anticameris, & cùm Domini sunt in mensa, & illos associando ad functiones publicas, & hos etiam esse propriè familiares, quando recipiunt partem, & habitationem, notissimum est, & ex *l. quæreretur*, §. 1. *de leg.* 3. & aliis sentit Castr. 340. *n.* 2 *lib.* 1.

11 Etideò ad hoc vt Ioannes dici possit familiaris dicti Cardinalis, satis est fuisse probatum, quòd steterit sub illius imperio, vt ex *l. pronunciatio*, §. *familiæ. vers. pater autem familias*, & aliis dicit Mandos. *ad reg.* 13. *q.* 17. *num.* 4. & quòd illi inseruierit, prout alij familiares, vt per text. *in l. fin. in princip. C. de prox. sacr. scrin. lib.* 12. Bart. *in dicta l.* 1. § *familiæ, num.* 5. *ff. de public.* Bero. *dicta quæst.* 39. *n.* 2.

12 Non obstat etiam, quòd cùm Archidiaconatus requireret residentiam, inuerisimile sit Ioannem voluisse contrahere familiaritatem; iuxta decisionem in Parmen. Canonicatus 26. Iunij 1585. coram bon. mem. Gipsio Quia hoc non procedit quando clarè constat de animo, & voluntate illam contrahendi, vt fuit tentum in Papien. præpositur æ 10. Decembris 1610. coram Reuerendissimo Attrebaten. prout hîc constare videtur ex tot actibus multiplicatis, declarationibus, & confessionibus eiusdem Ioannis, de quibus suprà; licèt enim inuerisimile sit obtinere beneficium residentiam requirens velle familiaritatem contrahere, non tamen illam contrahere prohibetur.

13 Minus obstare visum fuit testes secundo loco in Curia examinatos, esse examinatos post didicita testificata tantùm adest, id non operatur in Curia. Cæs. de Graff. *decis.* 11. *de test. lib.* Rota *decis.* 136. *lib.* 2. *part.* 3. & quotidie seruatur.

14 Quæ dicebantur ad redarguendum supradictos testes de mendacio satis leuia fuerunt visa, & benè sublata per informantes. Alia verò quæ vltra prædicta deducebantur ad ostendendam inuerisimilitudine contrahentium familiaritatem cessare, visa fuerunt ex supradictis, & præsertim ex confessionibus & declarationibus eiusdem Ioannis.

Et ex his ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Romana hæreditatis. Veneris 17. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Moniales nunquid veniant in testamento appositione nubentium, & descendentium ab eis.

SVMMARIVM.

Moniales nunquid veniant appositione nubentium, & descendentium ab illis, num. 2. & seqq.

Filiorum appositione in vltimis voluntatibus veniunt etiam fœminæ, n. 5. in fine.

Filij positi in conditione censentur vocati in præcedenti substitutione vigore statuti vrbis, n. 6.

DECISIO CCCCIV.

Postquam Monialibus tanquam hæredibus ab intestato Pompeij fratris vltimo loco defuncti agentibus interdicto quorum bonorum, fuit de voto Rotæ data immissio in bonis per dictum q. Pompeium de tempore obitus possessis, D. Virginia vigore fideicommissi paterni, quod per eiusdem Pompeij obitum prætendebat esse purificatum, petebat immissionem, ideo dubitatum fuit, an ei danda esset immissio; & cùm plura hinc inde deducerentur super existentia fideicommissi allegati pro parte D. Virginiæ, & super detractionibus, quas Moniales prætendebant, ad effectum impediendi immissionem petitam, Domini dixerunt constare de fideicommisso ad fauorem d. Virginiæ tantùm, de detractionibus autem voluerunt, vt particulariter videretur. 1

Nam de fideicommisso satis constare videbatur, quia Iacobinus testator institutis hæredibus filiis masculis Pompeio, de Ægidio, & facto inter ipsos fideicommisso reciproco vulgari sermone loquendo, postea subdit, *& se tutti doi merissero senza figlioli legitimi, & naturali*, qui casus euenit, *vole che succedano le figliole femine che si maritaranno, ò descendenti dessi di detto testatore in infinito.* Hæc autem verba Domini dicebant nullo modo conuenire Monialibus, cùm ipsæ non possint habere descendentes, quidquid esset dicendum, si testator simpliciter dixisset, *che si maritaranno*, non facta mentione descendentium, quo casu viderentur posse comprehendi spiritualiter nubentes per ingressum monasterij, ad tradita per Peregr. *de fideic. art.* 28. *n.* 69. 2

Præterea Domini animaduertebant testatorem discretiuè locutum esse de filiabus monachandis, & de filiabus maritandis. nam illis reliquit certam dotem, qua deberent esse contentæ, & annuum legatum scutorum 12. filias verò maritandas grauauit, vt si decederent sine filiis legitimis, & naturalibus, restituerent dotes hæredibus testatoris, vnde apparere dicebant in hoc casu sub appositione maritandarum non posse intelligi, nec comprehendi Moniales, de quibus suprà testator discretiuè locutus fuerat, & sine vllo onere restituendæ dotis, ex allegat. per Surd. 322. *num.* 22. *vers. quarta est coniectura.* Hinc videbatur oriri etiam alia coniectura, quòd sicuti in hac parte, in qua grauauit maritandas de restituenda dote, non intellexit de Monialibus, ob rationem prædictam, ita in inferiori parte testamenti, quando vocauit filias maritandas, non intellexit de iis, cùm vna pars testamenti declaret aliam. *l. quæ filiabus. ff. de leg.* 1. cum similibus. 3

Nec dictum fuit obstare ponderationem factam in verbis testatoris, *che si maritaranno, ò descendenti da essi in genere masculino*, per quæ verba tolli dicebant fundamentum, quod in Monialibus non possit cadere descendentia, quia testator loquẽdo masculinè, non intellexerat de descendentibus mulierum, ita vt verba illa, *che si maritaranno*, comprehendant etiam matrimonium spirituale, ex adductis per Peregr. *de art. rer. num.* 69. cùm testator de ipsarum descendentia non fecerit mentionem, sed 4

ipsorum. nam nihilominus Domini dicebant, Moniales excludi, tum quia testator locutus est Italico sermone, *che si maritaranno*; non autem Latino, *quæ nubent:* Italicè autem appositione maritandarum non veniunt Moniales, & testator semper discretiuè de iis locutus est, vt suprà fuit ponderatum; tum etiam, quia testator semper respexit descendentiam suam, siue per masculos, siue per fœminas, vt patet ex alia substitutione, cùm eius fauore voluerit etiam dotes reuerti ad hæredes institutos, casu quo filiæ nuptæ decederent sine filiis: talis autem descendentia nullo modo potest in Monialibus considerari, vt dictum est.

5 Tandem dum pro Monialibus ponderabantur verba illa, *se tutti doi morissero senza figlioli legitimi, & naturali, vuole che succedano le figliole femine, che si maritaranno*, quòd debeant intelligi de filiabus fœminis hæredum institutorum, videlicet Pompeij, & Ægidij, non autem de filiabus testatoris, & sic cùm hæredes nullas reliquerit filias, fideicommissum euanuerit, responsum fuit, quòd talis intellectus omnino excludebatur. Primò, quia de filiabus fœminis iam fuerat locutus testator, dicens, eas posuit in conditione, ibi, *se tutti doi morissero senza figlioli legitimi, & naturali*, cùm certum sit in vltimis voluntatibus appositione filiorum, venire etiam fœminas. *l. si ita scriptum, in princip.* vbi Doctor. *ff. de leg. 2. l. iusta, l. filij appositione, ff. de verbor. signif.* Card. Mant. *de coniect. lib. 8. tit. 7. num. 1. & lib. 11. tit. 14. num. 1. & 2.* & fuit dictum in Camerinen. fideicommissi 8. Nouembris 1596. coram bon. mem. Pegna, relata in Romana fideicommissi. 4. Maij 1611. coram R. P. D. meo Vbaldo.

6 Secundò reiiciebatur dictus intellectus, quia filiæ fœminæ hæredum institutorum non solùm erant in conditione positæ in præcedenti substitutione, & sic vocatæ per stat. vrbis *lib. 1. cap. 142.* in illis verbis testator, *se vno di essi morisse senza figlioli legitimi, & naturali, tanto maschi, quanto femine*, sed etiam erant expresè, & dispositiuè vocatæ, ibi, *succeda l'altro sopra viuente, ò suoi figlioli, & figliole*, &c. Vnde superflua videretur secunda substitutio, si intelligi deberet de filiabus filiorum testatoris, quæ iam erant vocatæ, vt dictum est; quare concludebatur eum esse verum intellectum, vt post filios testatoris & eorum descendentes, siue masculos, siue fœminas, voluerit testator vocare filias proprias, & earum descendentes, quæ interpretatio magis verificabatur ponderando verba quæ subsequebantur, *di esso testatore.*

7 Ideo mortuis Ægidio, & demum Pompeio, sine filiis, quod non controuertebatur, & exclusis Monialibus satis visum fuit constare de fideicommisso, & eius purificatione, ad fauorem solius Virginiæ; de detractionibus autem aliàs videbitur, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Hieracen. iurispatronatus. Veneris 17. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Immemorabilis præscriptio, præsertim in iurepatranatus, vt plenè, & concludenter probata dicatur, quæ requirantur. est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Immemorabilis præscriptio in iurepatronatus, vt per testes dicatur plenè probata, plura requiruntur, de quibus num. 1.

Immemorabilis præscriptio non censetur probata per testes, nisi vlterius deponant non vidisse, nec audiuisse contrarium, nec quòd sui antecessores contrarium viderint, n. 2. & per tot.

Immemorabilis præscriptio non probatur per testes deponentes de auditu, n. 3.

Immemorabilis præscriptio non probatur per testes qui dicunt ita vidisse obseruari, n. 4.

Fama non censetur probata per testes, qui interrogati respondent, famam super qua deponunt potuisse esse falsam, n. 5.

Immemorabilis præscriptio probatur ex testibus adminiculatis, & ex pluribus insimul coniunctis. Declara vt num. 6.

Testes probantes iuspatronatus non debent pati aliquas exceptiones, n. 8.

Immemorabilis præscriptio iurispatronatus non probatur per scripturas & instrumenta, n. 9.

DECISIO CCCCV.

Visum fuit Dominis, causa benè discussa, testes pro parte Principis Hieracensis inductos ad probandam immemorabilem super iurepatronatus, de quo agitur, non deponere iuxta omnia requisita per gloss. *in cap. 1. de præscr. in 6.* & per consequens, à decisis sub die 18. Aprilis præteriti esse recedendum. Sufficit enim testes in vno deficere, ad effectum, vt immemorabilis probata non dicatur, quam opinionem sequuta fuit Rota in causa Brittonorien. Sancti Columbani 24. Iunij 1604. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Astoricen. beneficij 19. Ianuarij 1585. coram Cardinali Pamphilio.

In casu autem nostro quintus testis deficit, cùm non deponat ipsum non vidisse, nec audiuisse contrarium, nec quòd sui antecessores contrarium non viderint, vt per dictam gloss. requirebatur. Card. Seraph. *decis. 1179 n. 2. vers. quintus testis, & decis. 1367. n. 1.* Gabr. *tit. de præscript. conclus. 1. num. 81.* Couarr. *in reg. possess. part. 2. §. 3. num. 7.* Caputaq. *decis. 71. part. 2.* & fuit dictum in Iacen. parochialis 27. Iunij 1605. & in Ortana iurispatronatus 28. Aprilis eiusdem anni, coram Cardinali Pamphilio, & in Aurien. parochialis de Pat. 5. Decembris 1605. coram R. P. D. meo Manzanedo, & alibi sæpiùs.

Vndecimus pariter non suffragatur, quia non dicit se vidisse præsentationes, sed de auditu solùm deponit, nec asserit non vidisse contrarium obseruari, iuxta eandem gloss. *in cap. 1. de præscriptionib. in 6.* vbi Lapus Abb. *num. 8.* Gemin. *nu. 16.* Franch. *n. 16.* Rota in dictis Iacen. Parochialis & Sorana iurispatronatus. Præterea non deponit suos maiores non vidisse, nec audiuisse contrarium.

Nec isti requisito æquipollent illa verba, quòd ita viderit & obseruari audiuerit sine contradictione. Nam poterat esse illum vidisse aliquos actus sine contradictione fieri, & interdum similes alios actus in contrarium fieri sine contradictione.

Vlteriùs idem testis interrogatus an huiusmodi fama esse potuerit falsa, cùm affirmatiuè respondeat, non videtur illam sufficienter probare, cùm penes ipsum deponentem hæc certa & indubitata

requira-

requiratur. Bald. *in l. conuenticulam, n* 8. *C. de Episcop. & cleric.* Roland. *cons. 7. num. 49. lib. 1.* Rota in Legionen. Canonicatus 3. Iulij 1600 coram Reuerendissimo D. meo Decano.

6 Nec valet dicere saltem immemorabilem ex aliis testibus adminiculari, per Molin *de primogen. Hisp. lib. 2. cap. 6. num. 34. & seq.* vbi habetur posse illos coniungi ad faciendam plenam probationem, ad instar plurium membrorum, ex quibus inuicem cohærentibus perfectum corpus conflatur. Quia contrariam opinionem amplexa fuit Rota in allegatis decisionibus Brittorien. & Astoricen.

7 Nec id accidit sine ratione, cùm ad probandam immemorabilem plura tam affirmatiua, quàm negatiua requisita sint necessaria, iuxta dictam glossam *in cap. 1.* quæ si per testes particulares probarentur, incerta illorum probatio redderetur. Qui enim, verbi gratia, de visu per quadraginta annos deponunt, antea potuerunt aliquid in contrarium audire, & qui de auditu testantur, ex publica voce & fama, quid in contrarium videre potuerunt, & sic ad reddendam certam probationem omnia requisita per eosdem testes particulariter sunt probanda vt fuit dictum in allegatis decisionibus Brittorien. & Astoricen.

8 Allegantur etiam per informantes nonnullæ exceptiones contra personas testium, qui propterea de facili admittendi non veniunt ad probandum hoc iuspatronatus, in quo suspicio cadit vsurpationis, vt Rota tenuit in causa Toletana iuris nominandi 2. Maij 1588 coram R.P.D. Orano.

9 Nec ad istum effectum releuant instrumenta præsentationum à Principe factarum, nec Episcopi Hieracensis assertio, cùm per scripturas immemorabiles non probetur. Ioann. Andr. *in cap. 1. numer. 4. versic. in gloss. de præscript. in 6.* Natta *cons. 636. num. 104. lib. 3.* Aymon. *de antiquit. tempor. 4. part. §. materia ista, num. 34.* Gabr. *tit. de præscript. conclus. 1. num. 89.* Molin. *de primogen. lib. 2. cap. 6. num. 45.* Rota in causa Tullen. iurisdictionis anno 1596. coram Cardinali Pamphilio, & in Burgen. quindenniorum 8. Martij 1599. coram Litta, & sacrum Tridentinum Concilium, *sess. 25. cap. 9. de reformat.* in similibus patronatibus vltra præsentationes non minori, quàm quinquaginta annorum spatio continuatas immemorabilem, & omnia ad ea requisita postulet.

REVERNDISSIMO P.D. PAMPHILIO.

Romana spolij. Veneris 17. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Iudicium quando dicatur nullum, si in eo minor, & pupillus indefensus remansit, & quæ requirantur ad hoc vt spolij iudicium locum habeat.

SVMMARIVM.

Spolij iudicium habet locum, constito de duobus extremis, & de nullitate subhastationis rei, de qua agitur, num. 1.

Possessio defuncti vigore statuti vrbis censetur continuata in filios hæredes sine alia apprehensione, n. 2.

Possessio rei conuenti in iudicio spolij, censetur probata per sustentationem litis, num. 3.

Minores, & pupilli, si in iudicio fuerunt indefensi, iudicium redditur nullum, & quando dicantur indefensi, num. 4. & 6.

Curator extraneus à iudice dari non potest, nisi citatis pupilli duobus ex cognatis, affinibus, vicinis, vel aliàs iuxta dispositionem statuti vrbis, n. 4.

Subhastari, & deliberari non possunt bona debitoris, nisi dato termino ad reluendum, n. 5.

Exceptio læsionis quando dicatur respicere petitorium, vel possessorium, n. 6.

DECISIO CCCCVI.

Domini censuerunt sententiam esse infirmandam, quia iudex in ea declarauit Angelum esse in iudicio spolij à petitis absoluendum, & tamen ex deductis pro Ioann. Paulo satis constare visum fuit de vtroque extremo, & de nullitate subhastationis domus, de qua agitur, quo stante intrat actio spolij, ad *cap. conquirente,* vbi Abbas *num. 8. de restit. spoliat.* & fuit resolutum in causa Romana pecuniaria 21. Februarij 1600. coram bon. mem. Iusto in causa Romana domus 11. Maij 1601. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & alias sæpe. 1

Primum extremum probatur, quia contra pupillos actum fuit executiuè vigore obligationis Cameralis, & mandatum contra eos relaxatum realiter exequutum fuit super domo, vti de bonis hæreditariis aliàs possessis ab Octauio debitore, & patre dictorum pupillorum, quæ possessio vigore statuti Vrbis *cap. 147. lib. 1.* censetur continuata post eius mortem in dictos pupillos, etiam absque apprehensione, vt per Gabriel. *cons. 36. num. 8. & sequen. lib. 1.* ex quibus saltem simul iunctis primum extremum plenè iustificari visum fuit, cùm ista etiam præ se ferant possessionem ex parte illorum, qui in tali iudicio conuenti fuerant, & in eo succubuerunt. Card. *in cap. conuen ssent, in 5. quæst. de restit. in integr.* & fuit resolutum in causa Bononien. spolij 1. Martij 1612. coram bon. mem. Litta. 2

Secundum non controuertitur, & satis probatur per sustentationem litis iunctis adminiculis ponderatis per informantes, iuxta decis. Caputaq. 369. *part. 2.* & fuit sæpe decisum. 3

Nullitas subhastationis clarè deducitur ex eo, quia fuit facta contra pupillos penitus indefensos, cùm Alexander nunquam comparuit, *l. cum & minores,* vbi Bartol, *num. 4. C. si aduersus rem iudic. l. contra pupillum, ff. de re iudic.* Soc. iun. *cons. 70. num. 33. lib. 1.* Puteus *decis. 306. lib. 2.* vltra quòd nec erat legitimus curator, cùm non constet, quòd fuerit dictis pupillis per iudicem datus, citatis duobus ex cognatis, affinibus, vicinis, vel aliis, iuxta dispositionem statuti vrbis *lib. 1. cap. 49.* quod seruandum erat, maximè cum sit conforme dispositioni iuris communis, de qua *in l. hac autem, §. cum, ff. ex quib. caus. in poss. eat.* & trad. Roman. *cons. 454. num. 2.* Afflict. *decis. 262. n. 2.* 4

Concurrit præterea quòd huiusmodi subhastatio apparet nimis festinanter facta absque aliqua præfixione termini ad reluendum, qui tamen in rebus minorum ad instar bonorum Ecclesiæ saltem viginti dierum de iure communi requirebatur, iuxta *Auth. hoc ius porrectum, C. de sacros. Eccles.* Bald. *in l. 1. sub nu. 16. C. de fid. instrum. & iur. hast. fisc. lib. 10.* Rom. *cons. 33. num. 14. lib. 1.* Menoch. *de arbitr. iud. cas. 171.* 5

*num.*28. Surd. *cons.*49. *num.*19.*& seq.* & fuit dictum in causa Vrbeuetana domus 5. Decembris 1594. coram bon.mem.Cardinali Pamphilio, & plures aliæ exceptiones per informantes pro Ioann. Paulo adducebantur, & præcipuè quòd domus fuit subhastata pro scut.79. & tamen illius valor ascendebat ad scut.350. dempto etiam canone vnius scuti annui, itaut pupilli fuerint læsi longè vltra dimidiam, vt patet ex relatione peritorum seruatis seruandis iuridicè electorum, iuxta doctrin. Bart. & aliorum *in l.*2.*C.de rescind.vend.& in l.pretia rerum*, vbi Alex. *n.*6.*ff.ad leg.falcid.* cum aliis adductis coram me in causa Farfen. nullitatis contractus 26. Iunij 1606. & fuit aliàs sæpe decisum.

6 Non obstat, quo ad defensionem pupillorum quòd pro illis comparuerit Nicolaus vti coniuncta persona, quia semel tantùm comparuit, & tunc solùm protestatus fuit de supradictis nullitatibus, nec apparet quòd aliter defensioni pupillorum astiterit, prout requirebatur ex supradictis, ex quibus cessat etiam quòd dicebatur pro Angelo, quòd scilicet pupillis nulla competeret defensio, & propterea etiam dato nullo curatore subhastatio sustineatur, quia ex prædictis constat quòd dictis pupillis plures competebant defensiones, & propterea eis omnino dandus erat tutor, vel curator, qui illorum defensioni assisteret, ex suprà allegatis, & Rota in causa Anconitana Sancti Apollinaris 29. Decembris 1610. coram Illustrissim.D.Card.Ludouisio.

Nec demum refragatur quòd per Ioannem Paulum coram A.C. fuerit in monitorio etiam deducta læsio, & rescissio instrumenti adiudicationis, quod respicit petitorium, quia cùm fuerit postmodum prosecutum iudicium super possessorio, tantùm læsio censetur in eo deducta incidenter solius possessorij, & ad illud colorandum, vt in similibus terminis fuit dictum in dicta Romana domus de anno 1601. coram bon.mem.Cardinali Pamphilio, & propterea Ioannes Paulus benè poterat in solo possessorio obtinere, maximè stante suspensione petitorij, *Clement.*1.*de caus.possess.& propriet.* Rot. *decis.*8. *eod. tit.in nou.* cum aliis in allegatis.

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana deuolutionis domorum. Lunæ 20. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

De deuolutione ob lineam finitam, & quando incipit generatio.

SVMMARIVM.

*Identitas in primis, & ante omnia plenè, & concludenter est probanda in emphyteusi ad effectum deuolutionis, n.*1.

*Emphyteusis ad tertiam generationem si sit concessa prima generatio, non incipit à persona acquirentis, sed ab eius filiis, n.*2.

*Fœminæ censentur comprehensæ in inuestitura ad tertiam generationem, & vocatæ in defectum masculorum, stante statuto exclusiuo fœminarum, n.*3.

Inuestitura pro hæredibus ad tertiam generationem importat successionem sanguinis, non hæreditatis, n. 4.

*Correctio, & repugnantia incontinenti in contractibus admitti non debet, & verba sunt intelligenda, ita vt illa excludatur, n.*5.

*Emphyteusis Ecclesiastica ad generationem facta pluribus, morientibus aliquibus sine generatione non deuoluitur ad Ecclesiam pro portione præmorientium, sed accrescit superstitibus. intellige quando est renouatio inuestituræ, non noua inuestitura, n.*6.

*Beneplacitum Apostolicum per lapsum 30. annorum, cum obseruatione subsecuta censetur interuenisse, num.*7.

*Beneplacitum Apostolicum in re solita locari in emphyteusim non est necessarium, & illius reseruatio nihil operatur, ac si apposita non fuisset, n.*8.

DECISIO CCCCVII.

CApitulum SS. Quirici, & Iulittæ prætendens domos de quibus agitur per ipsum in emphyteusim datas q. Matthæo de Burlis de anno 1544. & 1556. nec non 1578. esse deuolutas ob generationem dicti Matthæi finitam. Iudicium introduxit coram Locumtenente Illustriss. vrbis Vicarij, à quo cùm sententiam contrariam reportasset, causam appellationis in Rota mihi committi obtinuit, vnde dedi dubium, an dicta sententia esset confirmanda? Quo hodie proposito Domini affirmatiuè responderunt, tum quia non constat dd. domos esse easdem quæ fuerunt datæ in emphyteusim, & tamen identitas esset in primis plenè & concludenter probanda per Capitulum. Alexand.*cons.*129.*in princ.vol.*1. Rolan. *cons.*2. *num.*11. *lib.*3. Aym. *cons.* 198. *num.*4. Seraph. *decis.*1137.*num.*1.

Tum etiam, quia, quoad primam inuestituram anni 1544. cessat deuolutio, cùm fuerit facta Matthæo pro se, suisque hæredibus, & in posterum successoribus quibuscumque, vsque ad tertiam generationem ipsius masculinam, & fœmininam, & hodie supersint Portia, & Lucia, quæ sunt neptes Matthæi ex Laura eius filia, vt constat ex libello, & positionibus Canonicorum, iuncto instrumento inuestituræ dicti anni 1578. & sic existunt in secunda generatione. Nam stante clausula, *ad tertiam ipsius generationem*, prima generatio non incipit à Matthæo primo acquirente, sed à Laura eius filia. Bald. *in auth. si quas ruinas, numer.* 4. *C. de sacros. Eccles.* Gozad. *cons.*25. *num.*7. Gabr. *cons.*90.*num.* 1. *lib.*1. Menoch. *cons.*1066. *lib.*10. Gabr. *de iur.emphyt. conclus. num.*4. *in* 1.*limitat.* Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 22. *tit.* 25. *num.*16. Seraph. *decis.*1362. *num.* 2. & fuit dictum in vna Romana domorum 25. Maij præteriti coram D. meo Vbaldo.

Vnde sunt comprehensæ in inuestitura, & censentur vocatæ saltem in defectum masculorum, ob statutum Vrbis exclusiuum fœminarum, iuxta doctrinam Bart. *in l.vt iurisiurandi, §.si liberi, nu.*5.*ff.de oper.libert.* communiter approbatam, teste Clar. *in §. emphyteusis quæst.*32.*vers.sed pone,* Alex.*cons.*44. *nu.*2. *lib.*1. *& cons.*119.*num.*8.*lib.*5. Curt.iun. *cons.*171.*nu.*3. Couar. *variar.lib.*2.*cap.*18.*num.*1.*vers.*2.*conclus.* Peregr.*de fideicommiss.art.*17.*in fine,* attestans pariter de communi, & in terminis emphyteusis Ecclesiasticæ voluerunt Anch.*cons.* 433.*n.*2. Rimin.iun. *cons.*228. *n.*5. Decian.*cons.*30.*num.*40.*lib.*30. Mantic.*de tacit.& ambig.lib.*3. *tit.*8.*nu.*21.*& seq.* Brun.*in tract.de statut. exclus.fœm.in art.*8.*n.*105.*& seq.*

Quibus non obstat quòd non sufficiat istas fœminas

minas esse in secunda generatione, nisi etiam probent se esse hæredes, cùm emphyteusis sit hæreditaria, ex quo fuit concessa pro se, suisque hæredibus, & in posterum successoribus quibuscumque; quia cùm immediatè subiungantur illa verba, *vsque ad tertiam generationem*, quæ important successionem sanguinis. Corn. *cons.*100. *num.* 4. *lib.* 4. & de communi testatur Clar. *vbi suprà quæst.*28.*n.*1.*& quæst.* 31. *in fine*, & fuit dictum in vna Camerinen. domus 4. Iunij 1593. coram bon. mem. Gipsio.

5 De eadem successione sanguinis, non autem hæreditatis, sunt intelligenda præcedentia, ne videantur contrahentes in continenti se correxisse, & contraria disposuisse, vt benè ad propositum notat Soc. *cons.*249.*n.*14.*lib.*2. Gabr. *de verb. signif. concl.*2. *nu.*17. & considerauit Rota in vna Fauentina iurispatronatus 27. Maij præteriti coram me, & in terminis adest prædicta decisio Camerinen. in cuius casu licèt non adessent verba illa, *quibuscumque*, tamē cùm semper militet eadem ratio repugnantiæ ad illam euitandam, dicta verba intelligenda sunt de vlterioribus descendentibus, nempe nepotibus, & pronepotibus, non autem de successoribus hæreditatis.

Vltra quòd etiam admisso hanc emphyteusim esse hæreditariam, adhuc non erit locus deuolutioni, cùm stantibus dictis verbis vsque ad tertiam generationem, durante dicta generatione, essent admittendi hæredes, & non esset locus deuolutioni, nisi illis deficientibus. Quo verò ad aliam inuestituram anni 1556. factam D. Matthæo ad tertiam generationem masculinam, & fœmininam, incipiente ab ipso Matthæo, non est locus deuolutioni, cùm existant D. Lucia & Portia in tertia generatione.

6 Prout pari modo cessat deuolutio respectu vltimæ inuestituræ anni 1578. factæ Lauræ & fratribus ad duas earum generationes ab ipsis incipiente, cū extent dictæ filiæ Lauræ, quibus debetur non solùm portio dictæ Lauræ, sed etiam fratrum præmortuorum, cùm non simus in noua inuestitura, sed in renouatione primæ factæ Matthæo patre inuestitorum, vt patet ex eius lectura, quo casu portio præmorientium sine generatione non deuoluitur ad Ecclesiam, sed accrescit superstiti, & sic Lauræ, & ipsius filiabus. Ferret. *cons.*356. *num.*1. Dec. *cons.*53. *n.*1. Bero. *cons.*109. *num.*24. *vol.*1. & pluribus relatis tradit Corb. *in tract. de emph. tit. de caus. priuat. ob lin. finit. num.*96.*& seq.*

7 Nec obstat nullitas inuestiturarum ob non expeditum beneplacitum Apostolicum, quod expresè in illis fuit reseruatum, quia stante lapsu 30. annorum cum obseruantia subsequuta, illud præsumitur. Seraph. *decis.*1042.*&* 1080. Rot. diuers. *decis.*179. *num.*1. *par.*2. & fuit dictum in vna Mediolanen. rescissionis permutationis 10. Ianuarij 1597. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio.

8 Vltra quòd beneplacitum fuit reseruatum quatenus opus sit, vnde cùm non esset necessarium ex quo dictæ domus erant solitæ locari, vt ipsimet Canonici in inuestituris asserunt. Alex. *cons.*72. *n.*10. *lib.*1. Mohed. *dec.*8. *n.*3. *de locat.* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. sub rubr. de casib. in quib. fit alien. sin. solemnit.* §. *item alio casu*; & c. Rot. *diuers. decis.*311. *nu.*3. *p.*2. dicta reseruatio nihil operatur, & perinde est, ac si apposita non fuisset, & ita conclusum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana de incoronatis. Lunæ 20. *Febr.*1617.

DECISIO CCCCVIII.

*Impressa est post Posthium de Manuten. decis.*300.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana redditionis computorum. Lunæ 20. *Februarij* 1617.

ARGVMENTVM.

De administratore, cui in testamento legata est liberatio redditionis computorum, quòd non possit occasione dictæ administrationis, & redditionis rationum molestari, nisi de dolo doceatur. cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

*Administratori liberatio redditionis rationum legata à testatore, censetur remissa qualibet computorum redditio vsque ad dolum præsumptum, n.*2.

*Generalia verba ex quacunque causa comprehendunt omnes causas, n.*3.

*Vxor quid & quantum testari possit in praiudicium mariti ex statuto vrbis, cap.*131. *lib.*1.

Clausula ex nunc prout ex tunc, *quid importet, n.*5.

*Dolus probari debet per allegantem, n.*6.

*Matrimonialia capitula seruanda sunt, n.*7.

*Actum quem quis impugnat, impugnatum etiam ab aduersa parte allegari quis potest, n.*9.

DECISIO CCCCIX.

Octauius Auila ducturus in vxorem Tarquiniam Fuscam, promisit in capitulis matrimonialibus eam nullas esse molestias illaturam Vincentio Fusco, qui eiusdem Procurator, & bonorum administrator extiterat: sed quidquid ille vel exegisset, vel administrasset, ipsam acceptum habituram, vt in eisdem capitulis latiùs continetur. Postea dicta Tarquinia condito testamento legauit eidem Vincentio liberationem de omnibus exactis & administratis, nec non post ipsius obitum voluit omnes lites, & controuersias hac de causa motas inter Vincentium & Octauium ipsius virum extingui: sed mortua dicta Tarquinia, cùm nihilominus idem Octauius litem contra Vincentij hæredes cœptam prosequi vellet, dubium in Rota proposui, an pro ista redditione computorum ille posset vlteriùs agere. 1

Et fuit per Dominos negatiuè responsum, si enim prætendit Octauius, nomine neptum, & hæredum Tarquiniæ tanquam auus & administrator experiri, illi obstat dicta liberatio legata, per quam redditio quælibet computorum vsque ad dolum præsumptum remissa censetur. Dec. *cons.*177. *num.* 3. Gozzadin. *cons.*94. *num.*12. Cagnol. *in l. contractus, num.*101. *ff. de reg. iur.* Couarr. *variar. resolut. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 4. *vers. Quintum.* Menoch. *cons.* 22. *num.*4. 2

Nec potest in dubium reuocari sub dicto liberationis legato, litem super hac prætensa rationum redditione comprehendi. Nam vltra quòd testatrix

locuta fuit de omnibus litibus, causis & controuersiis ex quacunque causa, quæ verba adeò generalia omne controuersiarum genus includunt, Surd. *decis.176.n.1.& cons.267.n.13.& 14.* Seraph. *decis.317.n.3.* Cùm tamen illa de hac reuisione computorum in specie meminerit, omnis cessat dubitatio. *l. ille aut ille, & l. non aliter. ff. de leg.3.*

4 Nec valet dicere, cùm Tarquinia viro prædecesserit, communibus liberis superstitibus factum fuisse locum statuto vrbis *in cap.* 131. *lib.* 1. de lucro dotis, adeò vt actiones ad dotem spectantes remittere non potuerit, quia solum statutum operatur vt marito quoad vsumfructum non præiudicetur, non autem prohibuit mulierem ad sui libitum juxta iuris communis dispositionem testari, dummodo legitima filij non priuentur, vt fuit resolutum in Romana successionis de Tagliaferris 19. Martij 1603. coram Reuerendissimo Lugdunen. & in causa Romana lucri dotis 19. Decembris 1608. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio, & in alia Romana lucri dotis 20. Februarij 1615. coram R. P. D. meo Pirouano.

5 Nec releuat, Tarquiniam post conditum testamentum, cùm super tali redditione computorum prosequuta fuerit litem, videri supradictum liberationis legatum reuocasse. Cessat enim obiectum, ex quo voluit illa post ipsius obitum, & non antea liberationem effectum sortiri, vt expresè caueturin testamento, in quo cùm adsit clausula, *ex nunc prout ex tunc*, liberatio à die mortis robur accipit, nullo habito respectu ad tempus testamenti, nec ad ea, quæ antea fuerant gesta. *Clementin. vnica*, vbi Cardinalis *numer.* 9. *versicul. & oppono.* Ancharanus *num. 6. de concess. prabendar.* Cotta *decis.*19.

6 Non obstant quæ de dolosa Vincentij administratione excipiuntur, quia cùm dolus huiusmodi non probetur ad effectum de quo agitur, suffragari non potest. *l. quoties, §. qui dolum, ff. de probat.* Alex. *cons.62.n.9.lib.4.* Gozzad. *cons.94.n.13.*

7 Quatenus verò ex persona propria prætendit Octauius agere ex iuribus per Tarquiniam sibi in dotem traditis, obstat eidem pariter propria promissio in capitulis matrimonialibus facta, contra quam venire non potest dictam computorum redditionem postulando. Iason. *in l. non exigimus*, §. *quod diximus, num.9 ff. si quis caution.* Castrens. *cons. 52.num.3.lib.2.*

8 Non obstat promissionem de faciendo quitantiã esse intelligendam præuia rationis redditione; nam contrarium apparet ex illis verbis, *de omnibus exactis, & administratis, quitantiam facere promisit, & liberè cessit*, &c. Præterea cùm in vim dictæ promissionis Vincentio nulla esset inferenda molestia, nec per consequens ille pro huiusmodi redditione rationis poterat conueniri.

9 Denique non obstat capitula matrimonialia fuisse per Vincentium impugnata. Suas enim tantummodo confessiones in illis factas ipse reuocauit. Et in omnem euentum potest quis in eo quod impugnauit se fundare, vbi pars aduersa talem impugnationem non acceptauit. Ruin. *cons.21. num.6. lib.1. & cons.135. num.6. lib.4.* Gabriel *de regul. iuris conclus. 1. num.65.*

R. P. D. ANDREA.

Hispal. præeminentiarum. Luna 20. Febr. 1617.

ARGVMENTVM.

Coadiutores non sunt verè Canonici, seu aliàs beneficiati, sed fictè, & propterea veris Canonicis, seu beneficiatis præferri non debent, pluraque notanda de natura, & potestate coadiutorum. est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Sententia dicitur valida, & non nulla, quando ex actis apparet interuenisse ea, de quibus, n.1.

Capituli nunquid intersit, vt vnus Canonicus alterum præcedat, n.2.

Coadiutor viuente coadiuto possessionem beneficij non habet, n.3.

Canonicus antiquus, vt præcedat modernum, attendendum est, non tempus prouisionis, sed captæ possessionis, n.4.

Coadiutor non habet ius, nec titulum in beneficio, sed tantùm exercitium, & administrationem, n.5.

Canonicatus non vacat per obitum coadiutoris, sed coadiuti, ibid.

Coadiutor incipit habere ius super Canonicatu post obitum coadiuti, & tunc non tanquam coadiutor, sed tanquam nouus Canonicus, nec dicitur continuare ius, sed nouiter acquirere, ibid.

Coadiutor mortuo coadiuto, debet capere possessionem Canonicatus, ibid. in fine.

Coadiutor viuente coadiuto non est verè Canonicatus, sed fictè, num.6. Vbi propterea veris Canonicis præferri non debet, & num.7. vbi de eadem materia.

Papa nunquid possit creare duos Canonicos eiusdem Canoniæ, n.8.

Coadiutores non possunt residere in choro, neque interesse in Capitulo, neque exercere iura canonicalia, inuitis coadiutis, ibid.

DECISIO CCCCX.

DVbitaui, an sententiæ Rotales essent confir- 1
mandæ, vel infirmandæ, & resolutione bis dilata, nempe sub die 27. Nouembris 1616. & 17. Februrrij 1617. denique triduo pòst sub die 20. eiusdem Februarij Rota sententias esse confirmandas censuit, nisi obstent statuta cum obseruantia, de quibus videatur.

Nam circa earum validitatem ex actis apparebat interuenisse omnia requisita ad eam necessaria, de quibus per Verall. *decis.260.par.2.* passim allegari, & admitti solita.

Nec videbatur obstare, quòd Capitulum nullum habeat interesse in hac causa, cùm omnes colitigantes sint Capitulares, & ita non interest Capituli, an præcedat vnus, vel alter, ex deductis per Abb. *in cap. ex litteris.* vbi Dec. & alij *de probat.* Quia licèt hoc ius præeminentiæ competat Canonicis particularibus, & sic non videatur respicere Capitulum, attamen cùm hæc lis fuerit mota per coadiutores contra Capitulum Canonicos repræsentans, ideò bene fuerunt obtentæ sententiæ absolutoriæ ad fauorem Capituli, vltra quòd ipsius interest hoc terminare, cùm ad ipsum spectet tradere possessionem, Cassad. *decis.8. de caus. poss. & propriet.*

Quoad verò iustitiam illa patebat ex resolutione

S.Rituum

S.Rituum Congregationis in vna Colimbrien.16. Septembris 1606. & ex decisione in hac causa facta coram Reuerendiss. D. meo Damasceno sub die 8. Februarij 1613. in qua doctè ex more, & copiosè dicta resolutio fuit comprobata. Nam coadiutor viuente coadiuto possessionem beneficij non habet ex propria persona, cùm illam habeat coadiutus, & duo insolidum eandem rem eodem respectu possidere non valeant, *l.3.§.ex contrario,ff. de acquir. poss.*

4 Quòd autem coadiutor coadiuto viuente non dicatur possidere, tradit Cott.*decis.398.in miscel.* Caputaq.*decis.65.lib.3.in manuscript.* Garz. *de benefic.4. part.cap.5.num.76.& 90. ad fin.* & Rota firmauit in eadem decisione. Ad hunc autem effectum consequendæ antianitatis, vt ibi dictum fuit, non tempus prouisionis, sed captæ possessionis attenditur, *l.1.*vbi Ioann.de Plat.& alij, *C.de consul.lib.12. cap.1.* & ibi Canonistæ, *de maiorit.& obedient.* Bart. *in l.1. num.4.ff.de albo scrib.* not.Bald.*in cap.cùm olim, n.1. notab.2.de consuet.* Rebuff. *in tractat. nominat.qu.21. num.4.* Boër.*de auth.magn.Concil.num.81.* Mohedan. *decis.11. ante num.primum.vers.nam cùm locus, de renunc.& decis.25.in fin.de prabend.* cum aliis per Modern.*super reg. 8.§.3. proœm. num.25. cum pluribus seqq.*& per Garz.*vbi suprà num.77.*

5 Præterea coadiutor non habet ius, nec titulum in beneficio, sed tantùm exercitiũ, & administrationem, ius autem residet penes coadiutum, Hostien. *in cap.de Rectoribus,in verb. Animarum,*& ibi Ioann. Andr.*verbo curam habeat.*Card.*num.1.* Anan. *2.* Anchar.*3.*Panormit.*vlt.de Cleric.ægrot. vel debil.* quicquid dicat ibi gloss.quæ in hoc communiter reprobatur, idem tenet Henric.Boich.*in cap.consultationibus,num.8.eod.tit.* Anchar per eum text. *in cap.grandi,num.5.vers.Nam ius,de supplen.neglig.Prelat.in 6.* Quod etiam comprobatur, quia Canonicatus non vacat per obitum coadiutoris, sed solummodo per cessum, vel decessum coadiuti,& tunc incipit habere ius ipse coadiutor, non tanquam coadiutor, sed tanquam nouus Canonicus,& diuersa persona, nec dicitur continuare ius, sed nouiter acquirere, *glo.fin. in d.cap.grandi,*& ibi Doct.Put.*decis.226. nu.3.& 12. lib.3.* Garz *vbi suprà,n.75.* & ideò mortuo coadiuto debet capere nouam possessionem, vt resoluit Sacra Congregatio Rituum in dicta Colimbrien.& ex ea Rot.in hac causa. Quod etiam patet ex forma literarum coadiutoriæ, in quibus Papa mandat, quòd vacante Canonicatu per cessum, vel decessum coadiuti, vel aliàs quouis modo,& cessante officio coadiutoriæ ipse coadiutor in possessionem Canonicatus immittatur.

6 Ex quibus sequitur, quòd coadiutor viuente coadiuto non est verè Canonicus, seu aliàs beneficiatus, sed fictè, vt tenuit Rota in Salamantina coadiutoriæ 25.Iunij 1593. coram bon.mem.Pegna,& idem respondit Sacra Rituum Congregatio in d. Colimbrien. Et propterea veris Canonicis, seu aliàs beneficiatis præferri non debet, quia minor est dignitas proueniens ex fictione, quàm ex veritate, Bald.*in l. quoties,num.3.vers.Nota quod minor. C. vbi senat. vel clariss.*& in concursu maior semper debet præcedere minorem, *cap.1.& cap.solita,de maior. & obed.* vnde rectè Gemin.*cons.138.n.1.in fin. & seq.* respondit Canonicos veros fictis esse præferendos, Rebuff.*in prax.1.p.tit.de rescr.etiam perinde val. n.30.* Modern. *super reg.8.gloss.5.§.9. nu.109.* & sequuta est Rota in

7 eadem Salamantina,& in hac causa.

Non obstant verba litterarum coadiutoriæ, per quæ dicitur apparere, quòd coadiutor statim ab ipsa concessione efficitur verè,& non fictè Canonicus, ibi, *Canonicatum,& præbendam,&c. cùm primùm illos per cessum, vel decessum vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, & è contra conferimus, necnon ex nunc plenum ius in illis verè, & non fictè acquisitum esse decernimus.* Quia omisso, an dicta verba operentur à die datæ, vel potiùs à die purificatæ conditionis in quo articulo pro opinione, quòd operentur tantùm à die purificatæ conditionis, adsunt plures decisiones allegatæ in hac causa coram Reuerendiss. D. meo Damasceno. In omnem casum illa verba hoc solum possunt importare, quòd coadiutor habeat veram tituli collationem, & ius in beneficio verè, & non fictè quæsitum à die datæ coadiutoriæ, quod nõ suffragatur ad effectum præeminentiæ, ad quem ex deductis suprà non titulus, & prouisio, sed possessio attendi debet.

Vltra quòd de hac tituli collatione, & iure in beneficio à die datæ satis potest dubitari, non quòd Papa non possit creare simul duos Canonicos eiusdem Canoniæ, iuxta text. *in cap. non autem,* & ibi Archid.*7.quæst.1.*Abb.*in cap.fraternitatis,num 4 vers. Hic autem Papa, de praben. cum aliis allegatis.* Sed quia ex aliis verbis litterarum coadiutoriæ apparet Papam viuentibus coadiutis noluisse facere alios Canonicos, sed tantùm coadiutores, vt præter suprà deducta probatur etiam ex eo, quòd coadiutores ex forma suarum coadiutoriarum non possunt residere in choro, neque interesse in Capitulo, neque aliquid iurium Canonicalium exercere inuitis, & nolentibus coadiutis; item quia cessantibus officiis coadiutorum mandatur eos in Canonicos recipi,& in Fratres, quod esse non posset, si ipsi essent creati veri Canonici. 8

Nec obstat, quòd in eisdem litteris conceditur, vt ipsi gaudere possint beneficio regulæ de annali, & triennali, quia hoc intelligitur post obitum principalium, scilicet si ipsi coadiutores per annum, vel triennium continuauerint in sua possessione postquam decesserunt coadiuti, vt censuit dicta S.Congregatio in eadem Colimbrien. & patet manifestè, quia si coadiutor post obitum coadiuti debet recipi in Canonicum,& in Fratrem, & habere stallum in choro, & locum in Capitulo sibi assignandum, & in possessionem Canonicatus immitti ex eo tempore incipit sibi currere tempus regulæ, nisi aliter expressè in litteris caueatur. 9

Ex quibus, & aliis adductis in decisione Reuerendiss. D. mei Damasceni, & hîc per informantes pro Capitulo sententias esse confirmandas placuit, nisi obstent statuta cum obseruantia, de quibus videatur.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO DECANO.

Romana de Rusticucciis. Lunæ 20. Februarÿ 1617.

ARGVMENTVM.

Verba lineata, an, & quando habeantur pro cassis, & cancellatis.

SVMMARIVM.

Cancellatio, seu cassatio testamenti non complet, facit

præsumere testatorem noluisse testari, num. 1.
Linea subducta in aliqua scriptura, habet eandem vim quòd cassatio & cancellatio ipsius scripturæ, n. 2.
Dictio, che, *importat idem quod dictio,* quia, *ibid.*
Dictio, quia, *importat causam pro certo, & pro constante, ibid.*
Ratio vnica habetur pro expressa, quando non nisi illa assignari potest, ibid.
Testatoris voluntas non præsumitur mutata. Declara vt num. 3.
Testandi amplissima facultas sicut continet potestatem relinquendi hæreditatem, ita etiam extenditur ad hæreditatis adeptionem, n. 3.

DECISIO CCCCXI.

1 BOn. mem. Card. Rusticuccius in schedula priuata manu propria conscripta Rusticuccium Matthæum & Iacobum fratres hæredes scripsit, & diuerso atramento reperitur linea subductum Rusticuccij nomen, & post verbum *fratres*, eodem atramento quo linea fuit subducta, prosequendo recto ordine scripturam, adsunt verba eiusdem Cardinalis *Che à Rusticuccio già si è prouisto*, & hoc testamentum fuit repertum in dimidia parte folij papyracei, obsignatum cum sigillo Cardinalis, in cuius etiam scrinio erat repositum, vnde 17. Iunij superioris anni dubitaui, an D. Abbas Rusticuccius esset hæres Cardinalis; & Domini censuerunt negatiuè respondendum, rationibus, de quibus in dicta decis. quæ hodie placuerunt Dominis. Nam licèt ab initio, quando Cardinalis cœpit scribere testamentum vnà cum aliis, fuerit scriptus hæres, tamen per cancellationem factam antequam compleret & sigillaret testamentum, intelligitur Cardinalem noluisse testamentum quoad personam Domini Rusticuccij cancellati suffragari, *l. cancellauerat. l. prox. l. vlt. ff de his quæ in testam. delent.* Sed censetur facta cancellatio ad fauorem aliorum hæredum, ad *l. Tribunus. §. cùm aliquis. ff. de milit. testament.* Oldrad. *consil.* 144. *numer.* 2. *& seqq.* Aymon. *cons.* 228. *num.* 1. *vers. in dubio autem.* Clar. *in §. testament. quæst.* 93. Cardin. Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 31. *ante fin. vers. sed si non omnia.*

2 Quòd autem prædicta linea iunctis aliis verbis importaret cancellationem, in casu, de quo agitur, non dubitarunt Domini. Nam aliquando pro cassatione verbi, illud linea subducitur, prout experientia docet, & hoc maximè fieri solet in scripturis, quæ in mundum traduntur, & hoc aliquando Cardinalis facere consueuit, vt fuit ostensum in alia decisione, & quòd in casu isto linea importet cassationem, ambigi non potest, si perpendatur ratio ex qua linea fuit apposita, videlicet, *che à Rusticuccio già si è prouisto* dictio *che*, exponitur quia, quæ importat causam *pro certo & constanti*, vt declarat Bart. *in l. demonstratio, in §. quod autem num.* 8. *& seqq. vers.* 2. *quæro*, & maximè *num.* 8. *& seqq. ff. de condit. & demonstrat.* & bene ad propositum facit *gloss.* 1. *in l. qui volebat. ff. de hæred. instituen.* quam sequitur *ibidem* Angel. & Imola, vbi quòd verba quòd esset contenta dote, important exhæredationē Cardinalis qui in Rusticuccio Abbatiam resignauerat. quæ quidem ratio cùm concludat ad cancellationem dicendum est lineam hoc manifestè importare. *l. cùm pater. §. dulcissimus. ff. de lega.* 2. Decius *cons.* 379. *num.* 5 *vers. & vlt. & cons.* 64. *num.* 6. quod eo magis dicendum est. nam cùm testamentum esset clausum & sigillatum, nihil aliud poterat importare prædicta linea, iuncta ratione, quàm cancellationem; non potest non assignari alia ratio, quàm ista, & ideo perinde est ac si Cardinalis expressè cancellasset nomen Rusticuccij, iuxta notata per Castr. *in cons.* 251. *incipien. visa quadam securitate, lib.* 1. Alexand. *cons.* 129. *numer.* 2. *vers. & idem vbi ratio, lib.* 7. vbi apostilla *in verb. vnica.*

3 Non obstat, quòd in dubio voluntas non præsumatur mutata. Mantic. *de coniectur. lib.* 12. *titul.* 1. *num.* 2. & propterea cùm prædicta linea & verba non ostendant cassationem claram, in dubio respondendum est pro non cassatione. Nam huic obiecto fuit responsum quòd ex omnibus prædictis simul iunctis deducitur cassatio clara, quod eo magis deberet procedere in hac facti specie, cùm Cardinalis haberet amplissimam facultatem testandi à fel. record. Gregor. XIII. videlicet tam verbo, quàm scriptura etiam minus solemni, etiam coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam epistola, aut schedula sua manu subscripta, & etiam omissis quibuslibet solemnitatibus & formis. Quare sicut potuit cum minori solemnitate, imò nuda voluntate hæreditatem dare, ita etiam & adimere, prout vltra allegatos in alia decisione probat Angel. *in l. in fraudem. §. 1. ff. de milit. testam.* Roman. *cons.* 385. *num.* 3. & ideò quatenus prædicta verba clarè non importarent ex se cassationem: attamen cùm prædicta claram ostendant voluntatem testatoris cassandi, sicuti Cardinalis potuit nuda voluntate dare hæreditatem, ita etiam hac nuda voluntate potuit adimere.

Ex quibus fuit firmata alia decisio.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Brittonien. Saluiani. Lunæ 20. *Februarij* 1617.

ARGVMENTVM.

Reseruatio dominij rei venditæ, facta à venditore vsque ad integralem pretij solutionem, facit eum præferri quibuscumque creditoribus, etiam anterioribus.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum facit probationem manifestam, & dicitur probatio probata, n. 1.
Hypotheca generalis & specialis vigore obligationis Cameralis, & reseruatio dominij vsque ad integralem pretij satisfactionem, faciunt præferri venditorem omnibus, etiam anterioribus creditoribus, n. 2.
Constituti clausula probat possessionem tam inter contrahentes, quàm inter habentes ab eis causam ex post, num. 3.
Saluianum interdictum intrat quando bona obligata per tertium

tertium possidentur, nec controuertitur de identitate, & sic ex eo datur immissio, num. 4.

Res iudicata non potest reuocari incidenter parte contradicente, num. 5.

Partita illiquida non possunt suspendere virtutem obligationis Cameralis & executionem, num. 6.

DECISIO CCCCXII.

FVit resolutum dandam esse immissionem D. Bernardinæ pro credito scutorum 4574. tantùm. Tale enim creditum originatur ab instrumento venditionis bonorum factæ per Abbatem Alexandrum Saluagranum Stephano Salminiato pro pretio scutorum 13280. vsque de mense Aprilis 1596. & exinde ad summam scutorum 4574. reductum in calculo Guidotti in peritum, & calculatorem tunc electi per R. P. D. Bellum ab A. C. deputatum inter eundem Salminiatum emptorem, & creditores ac Leonoram Calderinam Saluagiani prædicti hæredem, qui postmodum mandata exequutiua pro eadem summa relaxauit, & per me fuerunt in hac eadem causa confirmata per sententiam diffinitiuam, reuocando aliam mandatis prædictis contrariam, quæ hodie in statu rei iudicatæ remanet.

1 Ideo D. Bernardina vigore cessionis iurium hæreditatis Alexandri habitæ à Calderina probat requisita in Saluiano dum creditum iustificat per instrumentum publicum venditionis eorundem bonorum, quod solet facere probationem manifestam. *l. cum precibus. C. de probat.* Giammar. *decis.* 103. *num.* 1. Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 2. *gl.* 1. *n.* 10. Seraph *decis.* 1134. *n.* 2.

2 Similiter per idem instrumentum probat hypothecam nedum generalem, & specialẽ vigore clausularum obligationis Cameralis, sed indiuiduam reseruationem iuris, vsque ad integralis pretij bonorum satisfactionem, per quam dubitari non potest, quin venditor & omnes habentes causam ab eo, præferantur quibuscumque aliis, etiam anterioribus creditoribus. *l. licet. C. qui pot. in pignore hab.* Rip. *in l. priuilegia num.* 32. *ff. de priuileg. creditor.* Negusan. *de pignorib.* 2. *membr. quinta part. num.* 17.

3 Demum ex eodem instrumento probatur possessio tam Alexandri, quàm Salminiati de tempore venditionis bonorum, & reseruationis hypothecæ, ex clausula *Constituti*, quæ tam inter contrahentes, quàm inter habentes ab eis posteriorem causam probant possessionem. *l. quod meo. ff. de acqu. poss.* Socin. *consil.* 11. *n.* 1. *vers. Et pro prædictorum lib* 3. Tiraqu. *de constit. possess. part.* 3. *limitat.* 1. *n.* 23. Rota *decis.* 766. *n.* 11. *part.* 1. *diuersor.*

4 Et cùm hodie bona prædicta possideantur per reos conuentos, nec controuertatur, visum est intrare vtile Saluianum, pro quo non solet denegari immissio. Bart. *in l* 1. *numer.* 2. *ff. de Saluian. interdict.* Negusant. *de pignoribus part.* 8. *membr.* 3. *num.* 19. & sæpius fuit resolutum.

5 Neque ad subuertendam huius crediti subsistentiam videbantur obstare allegatæ solutiones & prętensiones, quia si agatur de partitis scutorum 200. 1000. 668. quæ in calculo Guidotti clausæ sunt, iam super eis cognitum fuit, dum positæ fuerunt vel in debitum, vel in creditum; ideò super admissis non cadit cognitio, stante re iudicata, quæ incidenter reuocari non potest parte contradicente. Mohedan. *decis.* 4. *de sentent. & re iudic.* Verall. *decis.* 320. & 325. *part.* 1. & *decis.* 279 *part.* 2.

Si verò de aliis pariter agatur, prout sunt illæ scutorum 475. 177. 500. 281. & 142. quæ in calculo eiusdem Guidotti reseruatæ sunt vti illiquidæ. non possunt suspendere virtutem obligationis Cameralis & iudicij exequutionem. *l. qui solidum ff. de legat.* 2. Bald. *in consil.* 152. *in fine lib.* 3. & fuit resolutum in Romana de incoronatis 17. Iunij 1607. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.

Prætensiones verò damnorum respectu fructuum prædij Molinellæ in venditione comprehensi, quod dicebatur non fuisse traditum de tempore venditionis, sed multo pòst, non videbantur releuare, quia dubio super hoc disputato coram Reuerendiss. Attrebatensi sub die 23. Iunij 1606. resolutum fuit, vel non retardare solutionem pretij, dum adhuc non est iustificatum cuius culpa emtio, vel impedimentum sequutum fuerit, vel si aliquid debebatur, poterit compensari cum fructibus per Salminiatum perceptis, non soluto pretio temporibus statutis, quos prætendit sibi debere Saluagranus ex æquitate. *l. curabit. de act. empt.*

Et ita fuit re. solutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Nepesina tutelæ. Lunæ 27. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

De instrumento Notarij reperto in eius protocollo sine clausula, *actum*, &c. & cum apostilla inter lineam & lineam, sine eiusdem Notarij approbatione, nunquid probet, & quid si instrumentum careat anno, & die.

SVMMARIVM.

Instrumentum testibus rogatum, & inuentum in eiusdem Notarij protocollo, plenè probat, num. 1. & 5.

Instrumentum, die, & anno carens in protocollo Notarij repertum præsumitur rogatum sub die præcedentis actus, num. 2.

Præposterationes circa diem à Notario factæ in protocollo non diminuunt fidem instrumenti, si sic Notarius facere consueuerat, num. 3.

Instrumentum, in quo non reperitur clausula actum, &c. *numquid probet num. 4.*

Interlineatio, & Apostilla, hoc est, scriptura reperta inter lineam, & lineam, sine probatione, numquid tollat fidem in instrumento, num. 6. & 7.

Cura venit sub nomine tutelæ, n. 7. in fin. & n. 8.

Error Notarij in die non arguit errorem in alio, numero 8.

Error in nomine non vitiat, num. 9.

Tutela probatur per publicam vocem, & famam, ibid. in fine.

Testes dicentes se pluries vidisse aliquem scribere benè, dicuntur illius manum recognoscere, num. 10.

DECISIO CCCCXIII.

IN decisione coram me sub die 6. Iunij præteriti in ista causa facta, quòd nimirum constaret de tutela ad effectum vt hæredes Antonij Plodij rationem reddere tenerentur, fuerat suppositum tutelæ

deputationem esse in forma probanti. Vnde super hoc dubio successiuè per me proposito, an videlicet hæc disputatio quoad Antonium Plodium fidem mereatur, Dominis visum fuit affirmatiuè respondendum, cùm illa reperiatur à Notario coram testibus rogata, necnon inuenta fuerit in eiusdem Notarij protocollo. Vnde quoad omnes probat gloss. *in l.generali.C.de tab.lib.*10. Bart. *in l.quadam.* §.*numularius, num.*3.*& in l.argentarius, in princip. ff. de edendo.* Abb. *in cap.*2.*num.* 11.*de fid. instrum.* Dec. *consil.*447.*num.*5.*&* 6.Couarr. *practicar. quæst.cap.*20. *num.*1.*& seq.*

2 Non obstat hanc deputationem die & anno carere, quia fuit responsum illam referri ad diem actus præcedentis sub 20. Augusti de anno 1591. celebrati. Bart. *in l.si quis.* §. *si quis initium, num.*18. *&* 19. *ff.de eden.* Menoch. *de arbitrar. cas.*64. *num.*6.*&* 7. stante præsertim verbo *dicta die*, quod diem repetit in actu præcedenti appositam. Dec. *cons.*465. *num.* 8. Surd. *cons.*163.*num.*14.

3 Nec releuat in eo actu sub 20. Augusti celebrato fuisse diem præposteratam, cùm ante illum alius actus reperiatur sub 22.eiusdem mensis,& per consequens deputationem ad diem præcedentis actus referri non posse. Nam cùm huiusmodi præposterationes ab illo Notario fieri consueuerint,vt ex actorum libro colligitur, nihil obest quin dicta deputatio ad diem præcedentis actus referatur. Paris. *cons.* 28.*num.*43.*&* 59.*lib.*2.Alex.*cons.*14.*num.*23.*in fin.lib.*6. Card. *cons.*133. *num.* 5. *vers. si idem dicimus.* Mandell. *cons.*195.*num.*2.*&* 5.

4 Non obstat defectus clausulæ *actum*,&c.sine qua scriptura dicitur imperfecta, Roland. *cons.*32.*nu.*29. *lib.*2.cum aliis allegatis,Roland.enim,& alij Doctores loquuntur vbi de rogitu Notarij non apparet,secus si de illo constaret, quia tunc de essentia scripturæ dicta clausula non dicitur. Menoch.*cons.*48.*num.* 16.Curt.iun.*cons.*162.*num.*1. Ruin. *cons.*152.*num.*12.*in fin.lib.*4.Rota *decis.*250.*num.*3.*part.*1.&fuit dictum in Romana dotis de Sforzia 23. Februarij 1615. coram R.P.D.meo Manzanedo.

5 Hìc autem satis apparet Notarium fuisse de tali deputatione rogatum, cùm scripta fuerit in protocollo reperta. Curt.iun. *d.consil.*162.*num.*1.*vers.Confirmatur.* Ruin.*dicto cons.*159.*num.*12. Seraphin.*decis.* 909.*num.*2.Necnon in ea fuerint adhibiti testes cum clausula, *ad hæc*, &c. quæ extenditur ad hæc rogati. Paris.*cons.*28. *num.*53.*lib.*2. Alexand. *cons.*14. *num.*26. *lib.*6. Menoch.*de præsumpt.lib.*2.*præsumpt.* 81.*num.*11. *& seq.* & fuit dictum in allegata Romana dotis coram R. P. D. meo Manzanedo.

6 Non obstat Antonij Plodij nomen fuisse scriptum in superlinea absque Notarij approbatione,& consequenter scripturam huiusmodi fidem non mereri, vt fuit dictum in Romana obligationis 28.Februarij 1600. coram Illustrissimo Mellino. Nam cùm dicta lineatura, vel Apostilla eiusdem Notarij rogati manuscripta probetur ex testibus in summario *num.*1. benè meretur fidem. Bald.*in rubr.C.de fid.instrumentorum, num.*52. Alex. *consil.*59. *num.*5.*vers. Non obstat. lib.*2. *& consil.*14.*num.*23. *lib.*6. Aym. *consil.*88.*num.* 2. Grammat. *decis.* 106. *num.*17. Decian. *respons.*99. *num.*2.*lib.*2.

7 Cùm præsertim hæc lineatura in matrice fuerit apposita. Paris. *consil.*28.*num.*21.*& seq.lib.*2. Clar. §. *testamentum quæst.* 7. *vers. Aliquando, in fine.* Menochius *de arbitrariis casu* 187.*num.*18. Vnde non obstat decisio coram Illustrissimo Mellino, cùm ibi non appareret Apostillam eiusdem Notarij rogati manu fuisse conscriptam. Accedit in eadem lineatura D. Antonium & Ioannem de Aleo Æmiliæ cognatos nuncupari, vnde cùm ambo sub vnico verbo in plurali descripti fuerint cognati, satis apparere videtur simul istos fuisse tutores deputatos, & per consequens benè deletum nomen Florentij de Casalinis in linea priùs appositum, cùm de illo talis qualitas cognationis non præiudicetur. Nec in eadem vigeat obseruantia, sicut in aliis tutoribus deputatis. Bald.*cons.*402.*num.*9.*lib.*5. Aym.*cons.*158.*num.*1. Rota *decis.*113.*num.*10.*part.*1. diuersorum. Seraphin. *decis.* 928. *num.* 2. respectu enim Æmiliæ, & Ioannis de Aleo contutorum ex pluribus actibus in summario datis obseruantia probatur; respectu verò Antonij Plodij datur instrumentum societatis scutorum 50. in quo ille tanquam Dominici tutor, & curator interuenit, & quamuis tunc temporis Dominicus esset in 18.ætatis anno constitutus, & per consequens extra tutelam, nihilominus potuit Antonius vti curator interuenire, cùm præsertim sub tutelæ nomine cura etiam comprehendatur. Rota *decis.*89.*num.* 14.*part.*2.*diuersorum.*

8 Nec valet dicere in dicto instrumento fuisse erratum in die & Notario, cùm Antonius ad instantiam se referat per Augustinum Columbum rogatum, & nihilominus de hac tutela rogatus appareat Angelus Petronius, quia talis error non arguit fuisse pariter erratum in assertione, quòd Antonius esset tutor. Nam licèt ob memoriæ lapsum de facili possit quis in die, & Notarij rogati nomine decipi, non tamen idem errare censetur asserendo se tutorem, si verè talis non existebat.

9 Præterea cùm ex supradictis appareat de tutela fuisse rogatum Angelum Petronium, error quoad Notarij nomen non vitiat. *l.si quis in fundi vocabulo,* vbi gloss. *in verbo sed si in corpore. ff. de legat.*1. Aym. *cons.*157.*num.*8. *& cons.*65.*num.*10. *& cons.*147. *num.*5. Bald.*cons.*41.*lib.*4. Socin. *cons.*25. *num.*3. *lib.*4. Paris. *cons.*97.*num.*70.*lib.*1. Ruin. *cons.*115.*nu.*13.*in fine lib.*5. Accedit vltra dictam societatem officij constare pariter ex testibus Antonium se pro tutore gessisse, ex quibus, præsertim de publica voce & fama deponentibus, bene tutela probatur. Socin.*cons.*153.*num.* 3.*lib.*2. Boër. *decis.*124. Riminald. senior. *consil.*386. *num.*5.*lib.*2.

10 Non obstat librum, vbi tutela scripta reperitur, esse Alpharabij Vicarij, non Angeli Petronij, qui de illa fuit rogatus; hic enim liber decreta continet in castro Leprignani emanata, & in eo scripserunt Notarij pro tempore ibi existentes, prout in eodem scripsit etiam Angelus Petronius. Dicti Angeli Notariatus ex primo & quarto teste probatur, deponentibus illum esse Notarium, & pro tali fuisse ab omnibus communiter habitum, prout ex iisdem etiam apparet ipsum Angelum tutelæ decretum scripsisse, cùm dicti testes illius manum recognouerint, asserendo pluries eundem scribere vidisse, quod sufficit. Seraph.*decis.*522.*num.*1.& fuit dictum in Romana dotis de Sfortiis 23. Febr. 1615. coram R.P.D. meo Manzanedo, & alibi sæpiùs.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana retractus. Lunæ 27. Februarij 1617.

ARGV-

ARGVMENTVM.

In venditione hæreditatis, est locus retractui.

SVMMARIVM.

Manutentio debet dari, quotiescumque constat de possessione, num.1.

Index nulliter & iniustè procedens, non potest priuare possessorem sua possessione, num.2.

Iniustitia debet esse notoria, & patens ad hoc, vt reuocetur exequutio emanata à iudice in vim trium sententiarum, num.3.

Constitutio Pij V. de censibus, cùm dat prælationem censuario, est exorbitans à iure communi, & strictè intelligenda, num.4 declara vt num.5.

Constitutionis vbi habemus casum, non est vlteriùs de rationibus inuestigandum num.6.

Iniustitia notoria æquipollet nullitati, & facit præsumere iudicem vti priuatum processisse, & exequutio sententiæ impeditur, num.7.

Retractus quando fit, debet retrahens suscipere in se omnia onera quæ erant in venditione, idque ex lege retractus, nu.8.

DECISIO CCCCXIV.

1 Resolutum fuit Benedictorio dandum esse mandatum de manutenendo, quia de illius possessione constat ex instrumento apprehensionis possessionis in vim mandati iudicis, per quam Franciscus potuit tam naturali, quàm ciuili possessione priuari. Mohedan. *decis.4. de rest. spoliat.* Rota *decis.* 802. *num.6. part.1. diuersor.*

2 Et quamuis iudicis authoritas nulliter, vel iniustè procedentis, non sit tantæ potentiæ, vt possit priuare præcedentem possessorem. Bart. *in l. meminerint, n.2 ad finem, C. vnde vi.* Ang. *in l. cùm possidere. §. qui ad nundinas num.2. in fine ff de acq. poss.*

3 Tamen in præsenti Franciscus non docet de tali nullitate, aut iniustitia, quæ sufficiens sit, vt exequutio emanata à iudice in vim trium sententiarum reuocetur per remedium extraordinarium manutentionis, cùm illa debeat esse notoria, & patens, vt dictum fuit in decisione Romana de Bonbollis 31. Maij 1613. coram Illustrissimo Archiepiscopo Damasceno.

4 Non obstat taliter se gessisse iudicem posse probari ex ipsa constitutione Pij V. de censibus, in qua datur prælatio censuario, quæ tanquam exorbitans & contraria iuri communi, debet strictè intelligi, secundùm terminos Bullæ, nempe quando res ipsa censuata venditur, non autem quando venditur hæreditas, quæ reputatur diuersa causa. Vgo. *de vsur. cap.45. §.3. n.3. vers. quoad tertiam quæst.*

5 Fuit enim responsum, quòd cùm non desunt rationes hinc, & inde, & Doctores qui tenent rationem non luibilem venditam cum luibili, subiacere retractui, vt per Tiraquell. *de retract. lignag. §. 25 gloss.1. num.1. vsque ad num.29.* nec constitutio determinet hunc casum.

6 Itaut possit dici nos habere casum legis, seu Bullæ, per quem vlteriores rationes inuestigandæ non sint. Ioseph. Ludou. *decis. Perusin. 23. numer.4.* Nauarr. *de spol. Clericor. §.6. chart.36.* Surd. *consil. 333. nu. 12. lib.3.*

Sequitur dicendum constare non posse de notoria iniustitia, quæ æquipollere solet nullitati, & facit præsumere iudicem vti priuatum processisse, itaut sententiæ exequutio veniat impedienda. 7

Non obstat quòd alia ratione iniustitia sententiæ & mandati detegatur, dum Benedictonius non fuit condemnatus ad subeunda omnia onera, quæ iniuncta fuerunt Francisco in venditione hæreditatis, neque in instrumento retrouenditionis eadem onera suscepit, prout necessarium erat ex lege generali retractus, ex traditis in decisione Romana retractus domus 10. Martij 1614. coram R.P.D. Vbaldo. Quia contrarium legitur in eodem instrumento venditionis, & soluit, seu deposuit scuta 25. soluta per Franciscum Doddum, ideo semper conueniri poterit ad omnia onera hæreditaria, prout poterat Franciscus per eundem contractum venditionis. 8

Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. ANDREA.

Toletana decimarum de Capilla. Lunæ 27. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Ecclesia an, & quando dicatur caruisse defensore, ad effectũ vt probatio immemorabilis præscriptionis ipsam non afficiat.

SVMMARIVM.

Ecclesia si defensore caruit, iudicium contra ipsam motum nullum & inualidum est. n.1. & per totum.

Probationes super immobili præscriptione facta contra patrem non afficiunt filium successorem, qui venit, non ex iure patris, vti illius hæres, sed ex propria persona, vti Primogenitus ex prouidentia maiorum, num.2.

Præscriptio an currat contra Ecclesiam vacantem, si Prælatus superior pro eius defensione agere possit, numero 3.

Præscriptio contra Ecclesiam non currit sede vacante. declara vt num 3. & 4.

Priuatio præsupponit habitum. num. 4.

Præscriptio est species alienationis ibid. in fine.

Decimarum exactio non retardatur si de ea constet per famam, & titulum iuncto immemorabili possessione, numer. 5 & 6.

Iuspatronatus contra Ecclesiam numquid præscribatur per annos 40 cum titulo sufficienti, n.6.

DECISIO CCCCXV.

INstaurata lite à moderno Duce super iure decimandi in statu de Capilla, & facta noua probatione per testes remissoriales, fuit decisum in Rota coram bon. mem. Cardin. Pamphilio constare de immemorabili, & coram me de fama priuilegij, & cùm instaretur, pro expeditione causæ fuit oppositum ex aduerso eidem moderno Duci non suffragari hanc immemorabilem, attento quòd Ecclesiæ caruerant defensore, vt in exceptione in lite antiqua opposita, & reseruata coram bon. mem. Card. Blanchetto. Propterea dubitaui, an Ecclesiæ 1

caruerint tali defensore, vt contra eas præscribi non potuerit, & negatiuè conclusum fuit, scilicet Ecclesias non caruisse defensore.

2 Nam vltra quòd illa antiqua probatio Ducis Senioris, & sententiæ contra illum promulgatæ non afficiunt modernum Ducem qui venit non ex iure patris vti hæres, sed ex persona propria; & ex prouidentia maiorum vti primogenitus, vt fuit decisum in hac causa 19. Februarij 1593. coram bon. memor. Cardin. Pamphilio; in hoc casu non agitur de aliqua præscriptione particulari, & restricta ad certum tempus, sed de præscriptione immemorabili, quæ non pendet à tempore, sed ab eo quòd ita semper ab immemorabili fuit seruatum, & ideo non potest ad eam excludendam adduci quòd Ecclesiæ caruerint defensore; Oldrad. *consil.* 254. *num.* 18. & tenuit Rota in Burgen. emolumentorum sigilli 28. Ianuarij, & 19. Iulij 1591. coram bon. mem. Pegna, & in nostris terminis in causa Pampilonen. decimarum 21. Maij 1603. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & 28. Aprilis 1614. coram R. P. D. meo Decano.

3 Hinc cessat obiectum scribentium pro Illustrissimo D. Archiepiscopo quòd præscriptio non currit contra Ecclesiam vacantem, etiam si Prælatus superior possit agere pro eius defensione, quia Ecclesia nihilominus tunc dicitur vacare, quando non habet Prælatum particularem, & sponsum immediatum, vt tradit Innoc. *in cap. olim, il primo. num. 2. ad fin. de rest. spoliat.* & sequitur Abb. *in cap. cum deputati. num.* 19. *de iudic. & in cap.* 1. vbi Felin. *num.* 5. *vers. Dum Abbas, de præscript.* cum aliis allegatis. hoc enim intelligitur in præscriptione ordinaria, de qua detrahitur tempus Sedis vacantis, iuxt. regulam text. *in cap.* 1. *& cap. de quarta*; cum simil. *de præscript.* secundùm quæ iura Innoc. loqui in specie tradit Butr. *in d. cap. cum deputati, num.* 13. *ad fin. vers. Credo quòd loquatur:* secus autem in ista immemorabili, ex supradictis.

4 Et ratio est, quia prædicta regula fundatur in edicto, ne Sede vacante aliquid innouetur, ne Ecclesiæ viduatæ, aut carenti legitimo defensore, præiudicium inferatur; ideo non habet locum in Ecclesia, quæ nullum consueuit habere peculiarem Rectorem, seu Prælatum, quia propriè non dicitur vacare, vt post Innoc. *in cap.* 1. *num.* 3. *vers. Dicunt tamen aliqui, ne sede vacan.* receptum ibidem à Doctor. optimè declarat Imol. *num.* 15. Igitur si istæ Ecclesiæ ab immemorabili tempore, hoc est, infinito, vt ait Oldr. *dict. consil.* 254. *num.* 18. non habuerunt aliquem particularem Rectorem, dici non potest, quòd caruerint defensore, quia priuatio præsupponit habitum. *l. decem. ff. de verb. oblig.* & si nunquam habuerunt peculiarem Prælatum, & sponsum; ergo neque illo caruerunt, quia non entis nullæ sunt qualitates, *l.* 2. *ff. de vsufruct. l. eius qui in prouincia. ff. si cert. pet* & sic pro alienatione decimarum, seu præscriptione, quæ species alienationis est, vt illa validè curreret, satis fuit habere Episcopum, & Prælatum superiorem, vt tradunt Innoc. Imol. & Doct. *vbi suprà.*

5 Quæ tanto magis procedunt in casu isto, quia Dux modernus non probauit solum immemorabilem, sed etiam famam priuilegij, quæ operatur vt non sit opus probare, quòd Ecclesiæ haberent Rectorem proprium, vel specialem defensorem, quia non in præscriptione, sed in titulo Apostolico deducto ex possessione immemorabili cum fama priuilegij sit fundamentum, vt declarat Felin. *in cap. causam quæ, num.* 2. *limit.* 1. *& num.* 7. *vers. Puto sustentabilem, de præscript.* idem Felin. *in cap. accedentes num.* 6. *ad med. vers. sed diceres, & in cap. cum ex officij, num.* 13. *eod. tit.* & vt Rota dixit in illa Pampilonen. decimarum, laici vigore istius immemorabilis possunt allegare priuilegium Apostolicum, vel alium titulum qui sibi suffragetur.

Non obstat Abb. *consil.* 106. *num.* 2. *ad fin. vers. primò, quia cùm ista præscriptio, & num.* 3. *vers. præterea, lib.* 2. Vbi dicitur firmare quòd Parochiani prætendentes præscripsisse iuspatronatus egebant immemorabili, & quòd illa etiam probata non poterat eis suffragari, ex quo per 55. annos Ecclesia defensore caruerat, quia licèt in principio requirat tempus immemorabile, non tamen excludit tempus 40. annorum cum sufficienti titulo; quia ad hunc effectum præscribendi ius patronatus contra Ecclesiam à pari procedunt immemorabilis sola, & quadragenaria cum titulo Doctor. *in cap querelam, de elect.* Couar. *in reg. possessor* 2. *part.* §. 10. *num.* 7. *de regul. iur.* Ant. de Padil. *in l.* 1. *num.* 53 *& seq C. de seruit.* & clarè tenet Abb. *vbi suprà ante num.* 3. ibi *sed in casu nostro solum per* 30. *annos vltimus fuit subsequuta institutio Episcopi; ergo non fuit completa præscriptio* 40. *quæ sola currit contra Ecclesiam,* &c. Aliud autem cons. eiusdem, Abb. 101. *numero* 6. *lib.* 1. minus etiam facit, tum quia & ipsum loquitur in præscriptione 40. annorum, vt *num.* 4. *vers. ad secundum dubium*; tum quia *num.* 6. dum dicit quòd Papa exercendo ius confirmationis spectans ad Abbatem S. Crucis non præscriberet tale ius, etiam si per mille annos hoc faceret, ea ratione vtitur, quia tale exercitium fieret ex potestatis plenitudine, quo casu refert dictum Specul. quòd Papa non præscribit contra Ecclesias inferiores, cùm ipse iam sine præscriptione sit vniuersalis dominus, quæ ratio retorquetur, vbi inferior est ille qui præscribit. 6

Denique licèt quando Ecclesia & eius bona administrantur per Prælatos inferiores, administratio non dicatur immediatè spectare ad superiorem, & si Prælatus inferior est mortuus, Ecclesia dicatur non habere legitimum defensorem, ex quo deest Prælatus inferior immediatus administrator, vt per Innoc. *in dict. cap. olim il* 1. *numer.* 2. *in fin.* cum aliis suprà allegat. In casu tamen isto non probatur quòd huiusmodi Ecclesiæ parochiales fuerunt vacantes, & sine Rectore immediato: nam semper solitæ fuerunt regi per Capellanos ad nutum amouibiles ad deputationem Ducum pro tempore, & confirmationem Archiepiscoporum, & ideo aut volumus dicere quòd isti Capellani essent immediati defensores bonorum, & rerum Ecclesiarum, etiam quòd possent ad nutum amoueri, ex Innoc. *in dict. cap. olim num.* 1. *&* 2. & Ecclesiæ non caruerunt defensore, aut verò illi non fuerunt legitimi defensores tanquam non habentes administrationem bonorum vt videtur velle Innoc. *vbi suprà.* Et cùm non constet, prout constare debet, quòd istæ parochiales essent distinctæ, hoc casu defensio immediatè spectauit ad pro tempore Archiepiscopum, qui erat parochus immediatus illarum. *cap. nullus, de paroch.* Oldrad. *consil.* 67. *num.* 3. *vers. & dicimus.* Rebuff. *de decim. quæst.* 7. *num.* 9. Verall *decis.* 340. *part.* 3. & sæpiùs fuit dictum, & signanter in Pacen. decimarum de Hebrero. 21. Iunij 1601. coram R. P. D. meo Decano. 7

Non obstant duæ decis. in causa ius nominandi 8

di factæ coram bon. mem. Cardinali Blanchetto, in quibus fuit dictum quòd cura in casu isto non poterat spectare ad Archiepiscopum, quia non poterat esse sponsus plurium Ecclesiarum, quod licèt in iure sit verum, attamen, vt dixi, non apparet hactenus probatum, quòd istæ parochiales fuerint distinctæ. Et in omnem casum, si illæ nunquam habuerunt Prælatum, & defensorem immediatum, Prælatus superior necessariò fuit talis, vt in alienationibus & cæteris huiusmodi eius consensus esset adhibendus, Innoc. *in d. cap. 1. num 3 vers. Dicunt tamen aliqui*, & pleniùs Imol. *num. 15. ne sede vacan.* quod sufficit, vt Ecclesiæ non caruerint defensore.

Et ita fuit conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana dotis. Lunæ 27. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Appellatio non dicitur deserta, etiam quòd non sint seruatæ solemnitates statuti in appellatione, dummodo seruatum fuerit rescriptum commissionis causæ, & in dubio pronunciatur pro non desertione.

SVMMARIVM.

Appellatio si fuit interposita intra decem dies, & causa appellationis intra annum commissa, non potest dici deserta, num. 1.

Rescripti verba strictè sunt intelligenda, & si in rescripto mandatur dari cautionem non est necessarium fieri depositum vel sequestrum, etiamsi aliàs ex forma statuti fieri deberet, numer. 2.

Rescripti verba si sunt dubia, opus est pro declaratione iterum adire signaturam Principis, num. 3.

Recursu pendente, maximè citata parte, nullum currit tempus ad inducendam desertionem num. 4.

Fatalia non currunt pendente causa in consistorio Principis, ibid. in fine.

Diligentia per partem adhibita excludit omnem desertionem causæ, num. 5.

Statutum vrbis inducens desertionem, nisi seruetur certa forma in appellatione, tanquam Ordinariorum, non habet locum extra forum Capitolinum num. 6.

Desertio causæ in dubio semper excluditur, & in dubio pronunciatur pro non desertione num. 7.

DECISIO CCCCXVI.

1 Relaxato mandato Rotali ad fauorem D. Annæ Proydæ pro consequutione, seu restitutione suæ dotis, & exequendo super domo, & vinca per D. Vincentiam Buriam detentis, fuit pro parte Vincentiæ appellatum, & signatura causam appellationis commisit cum rescripto, data cautione iuxta formam statuti vrbis; quæ cautio cùm ad formam à statuto præscriptam præstita non fuisset, prætendebatur pro parte Annæ, appellationem fuisse desertam; vnde dato super hoc, & proposito dubio, Domini negatiuam partem amplexi sunt; fuit enim appellatum intra decem dies, & causa appellationis intra annum commissa. *auth hodie C. de appellat. authent ei qui C. de tempor. appell. cap. cùm sit Romana, de appellat.* Scraph. *decis. 565 n. 3.*

Nec videtur obstare quòd non fuerit satisfactum rescripto de quo suprà, per quod mandabatur, vt per Vincentiam appellantem daretur cautio iuxta formam statutorum vrbis; quia statutum *lib. 1. cap. 169.* mandat, vt in causa executionis instrumenti dotalis debeat intra triduum à die repræsentationis appellationis computandum, fieri depositum, vel sequestrum, aliàs appellatio sit deserta: cùm rescripta verba, quæ sunt strictè intelligenda, gloss. *in cap. significante in fin. de rescript.* Abb. *in cap. Rodulphus nu. 1. eod. tit.* loquantur de cautione, non videbantur extendenda ad propositum, vel sequestrum. 2

Vel saltem negari non potest, quin saltem dubium esset, quomodo essent intelligenda verba rescripti, itaut esset opus pro declaratione iterum adire signaturam. *cap. cùm contingat, de rescript. cap. cùm venissent, de iud.* 3

Et cùm ante lapsum tridui, & die sequenti post præsentatam in actis commissionem appellationis fuerit per Vincentiam citata parte habitus recursus ad signaturam, vt in eius summario *num. 10.* Dominis visum fuit dicto recursu pendente, nullum cucurrisse tempus ad inducẽdam desertionem. Luc. de Pen. *in l. 1. n. 21. post med. vers. ex quo enim negotiũ. C. de naufrag lib. 11.* Afflict. super con sti. Reg. *rubr. 39 n. 6. lib. 1.* Marant. in Specul. *5 part. nu. 38.* vt in simili dicitur fatalia non currere pendente causa in consistorio Principis. *l. cùm anterioribus. §. si tamen. C de tempor. appell.* Lancellot. *de attent. c. 12. in præfat. num 40.* 4

Et hoc eo magis, cùm Vincẽtia adhibuerit ex parte sua omnem diligentiam, vt signaturæ declaratio quanto citius haberetur, vt constat ex actibus, de quibus in dicto eius summario *num. 10. & seqq.* quæ diligentia omnem excludit desertionem. *cap. ex parte, cap. dilectus 2 de rescript.* Vestr. *in prax lib. 7. cap. fin. num. 5.* 5

Quibus accedebat quòd prædictum statutum non videbatur habere locum extra forum Capitolinum; vel quia ordinatorium, iuxta decis. Achill. 12. *num. 1. de appell.* Gemin. *consil. 73. in principio*, vel quia loquitur post repræsentationem appellationis, de qua tractatur in præcedenti capitulo 168. & sit coram Capitaneo appellationis, vt ibi. 6

Vel saltem si hoc esset dubium, ratione istius dubietatis mulier videretur excusanda, ne incideret in desertionem, contra quàm aliàs in dubio est pronunciandum. Castr. *in l. 1. numer. 3 in fin. ff si quis caut.* Cassad *decis. 4 in fin. de appell.* Rota diuers. *decis. 100. num. 7. part. 1. & decis. 32. num. 3 part. 2.* Vestr. *d. cap. fin. num. 11.* & fuit nouissimè dictum in vna Clusina postæ 13. Februarij præsentis, coram R. P. D. meo Buratto. Ex quibus fuit conclusum non constare de desertione, &c. 7

R. P. D. VBALDO.

Romana fideicommissi de Surdis. Lunæ 27. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Fideicommisso quòd quis sit vocatus, & in eo comprehensus, probatur coniecturis, & quibus.

SVMMARIVM.

Omnis dictio vniuersalis, in numero plurali probata, nullum excludit num.1. vbi quod idem operatur, ac si de singulis facta fuisset mentio. Codicilli dicuntur pars testamenti ab eo robur accipiunt, vnúmque dicitur venire continuatiuè ad alterum, num.2.

Filius in conditione positus nunquid censeatur vocatus, quando expresè vulgariter substitutus fuit, num.3.

Substitui quis potest per vulgarem, & per fideicommissariam, quando præsertim non adsunt verba restrictiua, & repugnantia fideicommisso, ibid.

Transuersales in conditione positi, nunquid censeantur vocati vigore statuti vrbis, num.4.

Fideicommisso quòd quis sit vocatus, probatur coniecturis, de quibus ibid.

DECISIO CCCCXVII.

1 DVm hæc causa proponeretur die 2. Decembr. præteriti, Domini restrinxerunt difficultatem, vt videretur, an Lucas Antonius esset vocatus per fideicommissum, quod dubium hodie fuit resolutum affirmatiuè; testator enim in testamento hæredem vniuersalem instituerat Ioannem fratrem suum, si testatori superuiueret, & quatenus præmoreretur, sibi instituit hæredem prædictum Lucam Antonium: in codicillis verò post factam prohibitionem alienationis quarundam domorum, nec non plures substitutiones, adiecit hæc verba, ET SI OMNES supranominati hæredes instituti, substituti, & ad prædictam hæreditatem vocati decederent sine filiis legitimis, & naturalibus, voluit quòd omnia bona sua, quæ tunc reperirentur, deuoluantur, & deuoluta esse censeantur, & sint ad operam SS. Crucifixi, ex quibus Domini eliciunt vocationem Lucæ Antonij per fideicommissum; in illis enim verbis, si omnes suprà nominati hæredes instituti, comprehenditur etiam Ioannes, qui fuerat in testamento institutus hæres, immò non nisi ipse, & Lucas Antonius possunt iis verbis significari, cùm ipsi tantùm essent instituti, reliqui autem omnes substituti, & sic apparet in illa conditione adiecta, dictis institutis, si sine filiis decesserint, censeri positum Lucam Anton. fratris filium; & consequenter vocatum per fideicom. ex statuto vrbis, *lib.1. cap.142.* & cùm sint nominati in numero plurali, & per illam dictionem vniuersalem, *omnes*, quæ nullum excludit, *l. Iulianus, ff. de legat. 3.* ad Ioannem, & Lucam Antonium, oratio referri debet, cùm non possit assignari ratio diuersitatis cur ad vnum potiùs, quàm ad alterum referatur. *l.1. Cod. de liber. præter. l.3. §. filius. ff. de lib. & posthum.* cum aliis adductis in vna Romana emphyteusis 11. Martij anni præteriti, coram R.P.D. meo Buratto, vnde perinde operatur, ac si de singulis esset facta specialis mentio. Bartol. *in l.2. ff. de nouat.* Aym. *consil.308. num.6.* & fuit dictum in causa ciuitatis Castelli fideicommissi 14. Maij 1607. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio.

2 Non obstat quòd dicta clausula, *& si omnes supranominati hæredes instituti*, non possit referri ad Ioannem tanquam non nominatum in codillis, sed in testamento: quia vltra quòd cùm Ioannes fuerit hæres institutus in testamento, non erat necessaria alia nominatio in codicillis, cùm codicilli dicantur pars testamenti, & ab eo robur accipiant, & vnum dicatur venire continuatiuè ad alterum. *l.2. § codillorum. ff. de iur. codic.* & conferunt tradita per Mantic. *de coniect. vlt. volum. lib. 6. titul. 4. ante numer.* 8. Peregrin. *de fideicommiss artic. 16. numer.* 49. cessat obiectum ex lectura codicilli, in quo in prohibitione alienationis fuit facta expressa mentio Ioannis.

Non obstat, quòd cùm Lucas Antonius sit in alio capitulo expresè vocatus per vulgarem, videlicet, in casu quo Ioannes præmortuus fuisset testatori, non censeatur vocatus per fideicommissum in alio, in quo est positus in conditione [illegible] per Rustic. *in tract. An & quando lib. in cond.* [illegible] *1. cap.3. num.16.* Quia immò ex hoc insurgit fortior coniectura dictæ vocationis, ex latè congestis in dicta ciuitatis Castelli coram Cardinali Ludouisio, vbi etiam allegantur plures decisiones; & dicitur quòd Rota semper magni fecit hanc coniecturam, nec est inconueniens, quòd in eadem dispositione, immò in eadem clausula, quis sit vocatus per vulgarem, & per fideicommissariam, & præsertim quando non adsunt verba restrictiua, & repugnantia fideicommisso, iuxta not. *in l. Centurio. ff. de vulg. & in l. precibus. C. de impub.* cùm immò caducitas vulgaris substitutionis per aditionem hæreditatis aperiat viam fideicommissariæ Gabr. *consil.115. num. 8. lib.1.*

Non obstat etiam quòd statutum Vrbis, de quo suprà, non habeat locum in transuersalibus, quia contrarium tenet Rota, vt in Albanen. fideicommissi 13. Ianuarij 1606. coram R.P.D. meo Decano. Et ex his Domini concludebant pro vocatione Lucæ Antonij per fideicommissum, & tãto magis cùm multæ concurrerent coniecturæ, prout est prohibitio alienationis, digressus ad plures gradus substitutionum, & quia sunt positi in conditione filij Lucæ Antonij, & filij neptum fœminarum, & ita ex dispositione statuti censentur vocati, qui tamen sunt remotiores, & minus dilecti, & sic multo magis debet censeri vocatus Lucas Antonius, qui erat proximior, & fuit hæres institutus, seu substitutus per vulgarem Ioanni. quæ coniecturæ, licèt fortè per se consideratæ paterentur aliquam difficultatem, tamen negari non potest, quin simul iunctæ conducunt dictam vocationem vigore statuti, vt fuit consideratum in Romana fideicommissi de Aldonis 11. Ianuarij 1613. coram me, vbi etiam comprobantur dictæ coniecturæ, & in dicta ciuitatis Castelli coram Illustrissimo Ludouisio.

Et ita fuit decisum.

R.P.D. REMBOLDO.

Romana de Torniellis. Lunæ 27. Februarij, & Mercurij 17. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

De vi, & efficacia clausulæ, *Arbitrio Rotæ*, ad effectum vt possessorium cumuletur cum petitorio.

SVMMARIVM.

Arbitrio Rotæ *clausula, licèt intelligi debeat prout de iure, relaxat tamen aliquid de illius rigore, & facultatem iudici tribuit procedendi, prout æquitas suggerit, num.1.*

Iudicium possessorium, quando illius cognitio pendet à cognitione petitorij, potest cum petitorio cumulari, ibid. ante finem.
Litem inter coniunctos quanto citius terminari suadet æquitas, ibid. in fine.
Confessio facta in inuentario non potest reuocari non docto de errore, num. 3.

DECISIO CCCCXVIII.

1 POst resolutionem in hac causa ad fauorem D. Constantiæ captam, quòd scilicet ipsa manuteneri debeat in quasi possessione locorum Montium de quibus agebatur. Agentes pro filiis quondam Ludouici adita signatura Sacratissimi obtinuerunt ab ea rescribi, quòd simul, & semel in possessorio, & petitorio arbitrio Rotæ procederetur, quare præsentato in actis dicto rescripto, dubitaui, an intret ad effectum dictæ cumulationis arbitrium, & quia clausula, *Arbitrio Rotæ*, etsi prout de iure intelligi debeat, relaxat tamen aliquid de illius rigore, & facultatem iudici tribuit procedendi, prout æquitas suggerit. Cres *decis. 4. de test.* Seraph. *decis. 1154.* Domini censuerunt intrare arbitrium apposito sequestro, visum enim fuit quòd ex pluribus pro parte dictorum filiorum deductis verisimile admodum redderetur dicta loca Montium fuisse ex pecuniis Ludouici acquisita, etsi dictus Ludouicus ad conciliandum sibi magis matris beneuolentiam illam eius nomine coëmerit, & quòd per consequens, quia de ratificatione d. matris satis non constabat, iudicium possessorium in casu isto à cognitione quodammodo petitorij tenderet, & ideò ex quadam saltem æquitate dictæ cumulationi locus esset ad trad. per Lancell. *de attent. part. 3. quæst. 19. nu. 4. & seq.* atque in hanc sententiam eo magis mouebantur, quia considerabant, quòd litem istam, quæ inter auiam, & nepotes vertitur, quanto citiùs terminare expedit, ad *l. congruentius. C. de patria potest.*

2 Et fuit dicto die 27. Februarij decisum; quia verò compertum, non omnia loca montium fuisse à Ludouico, ne sub eadem etiam expressione empta, & quòd per consequens non poterat in omnibus eadem ratio militare, ideo denuò dubium proposui, an quoad certa loca montium, & in dubio expressa fuit, intret arbitrium, & die 17. Maij præteriti resolutum fuit quoad fructus locorum montium in inuentario bonorum Francisci descriptorum, & aliorum etiam emptorum per Hieronymum curatorio nomine Francisci non intrare arbitrium, quia in his penitus cessabat illa præsumptio, quòd sint ex pecuniis Ludouici acquisita.

3 Nec obstare videbatur, quòd Ludouicus obtinuerit per decretum, non solùm fuit factum non deputato alio Procuratore Francisco, & citata legitima persona, & consequenter nulliter, sed etiam absque eo quòd fuisset de errore confessionis facta in inuentario doctum, atque ideò non potuit dictam confessionem elidere. Rot. *diuers. decis. 71. num. 1. part. 1.* præsertim cùm error esset plenè, & concludenter probandus. Decian. post alios *cons. 14. num. 35. lib. 5.*

4 Ne tamen contingat pendente lite super proprietate dictorum locorum illa alienare, Domini dixerunt, quoad ipsorum alienationem intrare arbitrium, &c.

R. P. D. RAMBOLDO.

Ancenitana restitutionis dotis Lunæ 27. Februarij 1617.

ARGVMENTVM.

Dos extimata, an, & quando faciat emptionem, & venditionem, ita quòd restitui debeat in pecunia extimata.

SVMMARIVM.

Dos data in rebus stabilibus præcedente promissione certæ quantitatis restitui debet in pecunia quantitatis promissæ, num. 1.
Dotis extimatæ dominium transit in maritum, ibid.
Dotis extimatio facit emptionem, & venditionem, etiam quòd extimatio subsequuta fuerit ex interuallo, & etiam non præcedente pacto de extimando dotem, n. 2.
Dos data cum pacto de illam extimando facit emptionem, & venditionem, etiam quòd extimatio non subsequatur, ibid.
Dos promissa sub certa quantitate facit, vt subsequens traditio alicuius rei stabilis faciat emptionem & venditionem, num. 3. & 4. vbi an isto casu sit in electione mariti rem, vel pretium, ibid.
Dos si fuerit data in tot mobilibus extimata, etiam quòd fuerint consumpta in casu restitutionis, debet restitui eorum extimatio, num. 5.

DECISIO CCCCXIX.

POst resolutionem in hac causa factam, quòd Iosephus teneatur restituere hæredibus Lucretiæ duas ex tribus partibus dotis dictæ Lucretiæ, dubitatum fuit, an restitutio facienda esset in pomario & mobilibus, vel potiùs in numerata pecunia? Et Domini dixerunt illam esse faciendam in pecunia. Nam licèt dicta dos soluta fuerit in pomario, & mobilibus, quia tamen præcessit promissio certæ quantitatis, scutorum scilicet 1500. & pomarium, ac mobilia fuerunt æstimata, dominium ipsorum transiit in maritum, & consequenter non bona, quæ non possunt dici dotalia, sed pretium dictorum bonorum, in quo dos consistit, venit in restitutione, *l. quoties*, & ibi Bald. *& l. cum in dotem. C. de iur. dot.* Rol. *cons. 92. num. 9. l. 2.* Ceph. *cons. 351. num. 32. l. 3.* Natt. *consil. 650. num. 2. l. 4.* cum aliis per Honded. *cons. 14. num. 43. & seq. & cons. 41. nu. 4. & seq. l. 1.* Surd. *decis. 99. num. 9.* Boër. *decis. 327. num. 10.* Card. Seraph. *decis. 1332. num. 1. & seq.* 1

Nec obstat, quòd dicta bona non fuerunt ab initio tempore constitutionis dotis æstimata, quia sufficit, quòd æstimatio subsecuta fuerit ex interuallo. nam eo ipso, quòd præcessit pactum, quòd bona æstimarentur, æstimatio postea subsecuta retrotrahitur, & perinde est, ac si ab initio facta fuisset, iuxt. Doct. Bart. *in l. Modestinus num. 1. vers. 2. notat. ff. de solut. & liberat.* quin imò stante pacto prædicto etiamsi æstimatio à peritis facta non fuisset, censerentur nihilominus bona data æstimata, ex æstimatione, quæ facit emptionem, fit enim hoc casu æstimatio à lege pro pretio, quo tunc bona iustè valebant, vt eleganter consuluit Socin. *cons. 60. l. 1.* & not Couart. *pract. quæstionum c. 28. sub nu. 1. vers. 1. etenim, & nu. 7. vers. 7.* vbi in fine subdit, quòd fauore dotis multa 2

supplenda sunt, vt ex incerta æstimatione rerum dotalium emptionem constituamus.

3 Non obstat, quòd potiùs præsumi debet partes conuenisse, quòd pomarium æstimaretur ad hoc, vt sciri posset, quantum supplendum esset in pecunia pro solutione integra dotis, quam quòd dictæ æstimatio emptionem faceret, quia hoc cessat stante, quòd promissio dotis facta est, vt dictum fuit, in certa quantitate; & traditio pomarij subsecuta. Nam hoc casu præsumitur potiùs facta venditio. *d. l. quoties. l. in dotem. l. si inter virum.* & ibi gl. *C. de iur. dot.* cum aliis relatis per bo. me. Card. Seraph. *decis.* inter impress. 1207. *num.* 1. Eoque magis, quia regulariter, & in dubio æstimatio semper facit emptionem. gloss. *in d. l. si inter iuran. vers. æstimata. C. de iur. dot.* Ruin. *cons.* 137. *num.* 13. *l.* 1. Tiraq. *de retract. lignag.* §. 2. *gl.* 14. *num.* 20.

4 Non obstat quòd est in electione mariti rem æstimatam, vel pretium restituere. *l. in rebus, & l. quoties. C. de iur. dot.* quia hoc procedit, quando alternatiuè promissa est rei, vel pretij restitutio. Secus autem, vbi res fuit marito simpliciter vendita, quia tunc ab isto contractu non potest recedi per pœnitentiam viri, vt notabiliter declarat Bald. *in d. l. quoties nu.* 7. & 8. *C. de iur. dot.* vbi tradit, quòd aut actum est de tradenda re, & præcisè tradi debita, aut de reddenda æstimatione, & præcisè debetur æstimatio, aut de reddendo rem, vel æstimationem, & tunc est electio viri, aut in instrumento non cauetur de re, vel æstimatione reddenda, sed verba instrumenti dicunt, quam dotem promisit reddere, &c. & tunc verba intelligi debent de vera dote, vera autem dos est pretium, quo res æstimata est; & ideò præcisè debetur pretium.

5 Non obstat, quòd mobilia præsumuntur consumpta, quia cùm fuerint data æstimata, vt probatur per propriam confessionem Iosephi in positionibus, tenetur ipsorum æstimationem restituere, iuxt. text. *in l. æstimatæ*, vbi Bart. & alij, *ff. solut. matrim.* Couarr. *d. c.* 27. *num.* 5. *vers. quintò si mentem contrahentium.*

R. P. D. REMBOLDO.

Romana legitimæ. Veneris 3. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Donatio facta à parte non minuit legitimam filiorum, & quando legitimè renunciatum censeatur, præsertim per verba generalia.

SVMMARIVM.

Donatio non minuit legitimam, & propterea si donans non retinuit in patrimonio quantum capit legitima filiis debita, illa reuocatur vsque ad quantitatem legitimæ, etiamsi loco pio, & in pios vsus facta sit, nu. 1.

Legitima causam piam continet, imò fauorabilior est qualibet pia causa, & Ecclesia, num. 1.

Legitimæ renunciatum non censetur, nisi eiusdem legitimæ speciali mentione facta, ibid. ante finem. declara vt num. 2. *vbi de eadem materia, & num.* 3. *vbi quid si aliàs renunciatio esset superflua, nec aliquem sortiretur effectum, & num.* 4.

Facultas concessa faciendi primogenituram in castris, & bonis, & de illis liberè disponendi non trahitur in præiudicium legitimæ filiorum, num. 1. *in fine.*

Renunciatio strictissimè interpretanda est, etiam quòd per verba generalia facta fuerit, num. 2.

Renunciatio generalis nunquid trahatur ad iura futura, ibidem.

Specialia duo ad idem multiplicari non debent, nu. 3.

Superfluum non dicitur quod ad maiorem cautelam exprimitur, num. 4.

Iuramentum non trahitur ad incognita, nec dispositionem extendit, sed eam tantùm confirmat, num. 5.

DECISIO CCCCXX.

INstante Ven. Congregatione Oratorij B. Mariæ in Vallicella iterum proposui dubium iam vsque de anno 1612. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio, tunc Rotæ Auditore, ad fauorem D. Ducis resolutum, vtrùm scilicet dicto D. Duci debeatur legitima in bonis à D. Fuluia donatis? & placuit Dominis stare in tunc resolutis quòd legitima etiam in bonis donatis debeatur. Cùm enim à scribentibus pro dicta Congregatione non controuerteretur quòd donatio non minuit legitimam, ac propterea si donans non retinuit in patrimonio quantum capit legitima filiis debita, illa reuocatur vsque ad quantitatem dictæ legitimæ, etiam si loco pio, & in pios vsus facta sit, cùm legitima quoque causam piam contineat, & immò fauorabilior qualibet pia causa, & Ecclesia sit. gloss. *in c. fin. in verbo, non reddere,* 17. *q.* 4. *l. si quis ad declinandum,* & ibi Bart. *num.* 6. *C. de Episc. & Cleric.* Dec. *cons.* 480. *num.* 21. Ruin. *cons.* 140. *num.* 11. *lib.* 5. Visum fuit intentioni D. Ducis non obstare renunciationem per eum in quadam transactione, vt prætenditur, factam. Nam dicta transactio, vt bene in decisione coram Cardinali Ludouisio firmatum fuit, non continet renunciationem aliquam successionis in bonis tunc dictæ Fuluiæ assignatis, nec minus legitimæ in dictis bonis D. Duci debitæ, sed concessionem tantùm facultatis disponendi de illis, quæ concessio trahi non potest ad legitimam, cùm illa indigeat speciali mentione, vt in simili quòd per amplissimam facultatem à Pio V. Marco Antonio Columnæ concessam faciendi primogenituram in castris & bonis & de illis liberè disponendi, non censeatur concessa facultas dicto Marco Antonio disponendi de legitima filiorum, fuit pluribus rationibus, & auctoritatibus resolutum in vna Romana Legatorum de Columna 16. Iunij 1614. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno & in alia Romana legitimæ 27. Iunij 1614. coram R. P. D. Verospio.

Nec obst. verba ibi, *Cede à qualsiuoglia ragione & pretensione de pretendissio, potessi pretendere, &c.* Ex quibus informantes pro Congregatione elicere conantur renunciationem successioni, & etiam legitimæ, tum quia cùm renunciationes strictissimè interpretari debeant, ita, vt minus quàm fieri potest, lædent renunciatem, dicta verba non possunt extendi ad ius de futuro, & sic ad successionem, sed comprehendunt tantùm prætensiones & iura D. Duci tunc temporis competentia, & trad. per Bart. *in l. qui Romæ. §. duo fratres num.* 11. & 19. *ff. de verbor. oblig.* Dec. *cons.* 230 *nu.* 3. Menoch. *cons.* 416. *num.* 30. & *seq.* Ruin. *cons.* 168. *num.* 1. cùm aliàs dicendum esset, quòd D. renunciauerit etiam successioni in istis bonis quatenus Fuluia ab intestato decessisset, quod certè nulla ratione affirmari potest. Tum quia in omnem euen-

euentum quatenus ex dictis verbis colligeretur tacita renunciatio iurium de futuro, & successionis, illa non possit extendi ad legitimam, quia, vt dictum est, illa indiget speciali mentione, aliàs nunquam dicitur ei renunciatum. *l. si quando, §. generaliter. C. de inoff. testam.* Alex. *cons. 8. sub num. 21. vers. Nec obstat. lib. 3. & cons. 89. num. 13. lib. 4.* Ias. *cons. 69 num. 1. & seq. lib. 1.* Guidopap. *decis. 93. num. 1.* cum aliis latè cumulatis per Gabr. *de legitima conclus. 8. num. 1.*

3 Nec obst. quòd in generali renunciatione comprehenditur legitima, etiam si de ea non sit facta specialis mentio, quotiescumque renunciatio esset superflua, & non posset sortiri effectum in alio iure, quàm in legitima. Quia obiectum procedit quando verba renunciationis sunt ita generalia, vt etiam ius de futuro contineant, & in his terminis loquitur Bec. *cons. 34. num. 9.* cum aliis ab informantibus allegatis: secus autem, quando, vt in casu isto, verba sunt restricta ad iura tempore transactionis competentia, quia tunc nullo iure possunt legitimam comprehendere, cum aliàs contingeret plura specialia circa idem multiplicari, ex simplici scilicet renunciatione inducere renunciationem iurium de futuro, & ex hac tacita iurium de futuro renunciatione inducere renunciationem legitimæ, quod fieri minimè potest, iuxta gl. *in l. 1. ad fin. C. de dot. promiss. & in l. cum post. §. gener. ff. de iur. dot.*

4 Præterea ex abundanti dictum fuit conclusionem prædictam in facto non applicari, quia renunciatio per D. Ducem facta, potuit, vt in allegata decisione coram Illustriss. Cardinali Ludouisio dicitur operari respectu dotis D. Fuluiæ, de qua per statutum vrbis prohibebatur, vltra decimam eius partem testari, & etiam ad tollendum præsumptionem. *l. Quintus Mutius ff. de donationib. inter vir. & vxor.* ac consequenter non potest dici superflua. Nec placuerunt Dominis responsiones ad prædictum statutum, & ad d. *l. Quintus Mutius*, ab informantibus pro Congregatione datæ. Nam dixerunt satis esse quòd D. Fuluia non posset ex dictis causis de illis bonis disponere, quia mediante dicta renunciatione ipsa fuit magis cauta & secura reddita ab istis molestiis, quæ à dicto D. Duce ei potuissent inferri, & superfluum nō dicitur quod ad maiorem cautelam exprimitur. *c. quia in causis, de procurat.* gl. *in cap. 1. in vers. vt liberè, ad fin.* & ibi Butr. *num. 3. de rescript.* Gabr. *cons. 17. nu. 5. in fine*, & fuit in puncto simili obiectioni ita responsum in allegata Romana legatorum de Columna coram Reuerendissimo D. meo Damasceno. His accedit quòd dicta renunciatio poterat effectum sortiri circa alias prætensiones & iura D. Ducis, quòd scilicet census esset emptus de pecuniis Marij, & in donatione comprehensus Florentiæ intuitu matrimonij facta, & quoad ratam quæ legitimam excedit, ac propterea nulla potest considerari necessitas, quòd illa ad legitimam extendi debeat, ex suprà allegatis.

5 Non obstat iuramentum à D. Duce in dicta transactione præstitum, quia illud non trahitur ad incognita, nec dispositionem extendit, sed eam tantùm confirmat, vt in terminis renunciationis tradunt plures relati per Crass. *d. §. legitimam sub num. 13. vers. contrariam verò partem*, & de magis communi testatur Gabr. *de legitima, conclus. 8 num. 9.*

R.P.D. PAMPHILIO.

Fesulana Prioratus. Veneris 3. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Beneficij, & Ecclesiæ vltimus status semper attendendus est, & quando eiusdem beneficij, seu Ecclesiæ status immutatus censeatur, præsertim per Apostolicas prouisiones.

SVMMARIVM.

Vltimus beneficij status attendi semper debet, num. 1.

Beneficij antiquus status non censetur immutatus, nisi vltimus status fuerit præscriptus ex possessione 40. annorum & bona fide, ibid.

Status beneficij non censetur immutatus vigore possessionis adeptæ per Apostolicas prouisiones, num. 2. vbi declaratur hæc conclusio, & num. 3.

Beneficij status mutatio non censetur probata per confessionem Prælati in præiudicium Ecclesiæ, ibid.

Ecclesia potest remanere Regularis, etiam quòd in ea Monachi reperti non fuerint, si non actu, saltem habitu, quod sufficit ad retinendum omnia iura sua, num. 5.

DECISIO CCCCXXI.

Domini concluserunt, non constare de vltimo statu, qui suffragetur. quia licèt de anno 1564. 1
Ioannes de Pazzis in possessione Ecclesiæ, de qua agitur, decesserit, non tamen constat tanto tempore illam possedisse, nec ad istum effectum vlla ratio haberi potest de possessione Andreæ Fontanæ, qui post obitum Ioannis de eadem Ecclesia à Papa sibi prouideri obtinuit, quia introducta postmodum lite inter ipsum & Monachos Camaldulenses, qui anteriorem possessionem eiusdem Ecclesiæ post obitum Ioannis adepti fuerant, licèt illa ab Andrea spoliati fuissent, in prima instantia lata fuit sententia super reintegratione ad fauorem Monachorum ab Ordinario Florentino, quæ fuit in Rota à bon. mem. Sarmiento præuiis decisionibus confirmata, quarum sententiarum vigore idem Andreas beneficium huiusmodi cessit, ac dimisit in manibus Generalis dicti ordinis, in cuius præiudicium non apparet quodcumque fuerit postea aliter de eo dispositum. Ideoque non potest dici quòd constet de aliquo vltimo statu sæcularitatis, qui Ascanio suffragari possit, maximè quia in pluribus decisionibus in hac causa factis, & præcipuè sub die 16. Nouembris 1615. iam firmatum fuit constare de antiquo statu regularitatis, qui non potest dici mutatus, nisi status sæcularitatis ex possessione 40. annorum cum bona fide legitimè præscriptus probetur, iuxta textum *in cap. cum de beneficio*, vbi gloss. *verbo legitima, & verbo post, de præben. in 6.* Gemin. *num. 8. & seq.* & Franch. *num. 5. & 9.* Felin. *in c. in nostra num. 43. de rescript.* Rot. *decis. 2. in princ. de præben. in nouis*, & fuit resolutum in causa Ferrarien. Prioratus prima Decembris 1608. & 25. Maij 1609. coram bo. me. Pegna, & in Hostunen. Capellaniæ 17. Decembris 1599. coram Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto, & aliàs sæpissimè.

Præterea fuit per Dominos ponderatum, quòd tam Ioannes, quàm Andreas possessionem istius Ecclesiæ adepti fuerunt vigore possessionum Apostolicarum, quæ regulariter non mutant statum. Ægid. *decis. 107. & 212.* Achil. *decis. vlt. de iurepatronatus.* 2

& fuit dictum in vna Hostunen. Capellæ, & Ferrarien. Prioratus prima Decembris 1608. vbi plures aliæ decisiones referuntur, præsertim, quia prouisio Ioannis dicitur facta per viam Cōmendæ, per quam antiquus status regularitatis potiùs confirmatur, vt fuit dictum in causa Bracaren. monasterij 19. Decembris 1597. coram bo. me. Cardinali Pamphilio, & in prouisione Andreæ Papa expressam mentionem regularitatis facit, & priuilegiis Ordinis Camalduben. concessis pro illa vice tantùm derogat, prout etiam facit in prouisione per Ludouicum authorem Ascanij de anno 1604. obtenta, qua derogatione stando non potest dici, quòd Papa habuerit voluntatem tollendi statum antiquum, & nouum inducendi, prout requiritur, Felin. *in d. c. in nostra sub nu. 41. de rescript.* Rebuff. *super concord. Iustin. de collationib. §. volumus, in gloss. in verb. regul.* & tenuit Rota in causa Perusina S. Beneueniatis 13. Maij 1588. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & sæpe in aliis causis, sed potiùs quod per eam status antiquus regularitatis confirmatus censeatur, vt in terminis prouisionis Apostolicæ cum derogatione iurispatronatus fuit ponderatum in causa Mediolanen. iurispatronatus de Barudia 21. Aprilis 1589. coram Reuerendissimo D. Perusino.

3 Nec obstare quod Monachi in visitatione facta per Episcopum Fesulanum de anno 1571. asseruerint Ecclesiam à multo tempore fuisse rectam per sæculares, quia vltra quòd huiusmodi assertio potest verificari in possessione adepta per Ioan. de Pazzis vigore prouisionis Apostolicæ per viam Commendæ, quæ non mutat statum, ex supradictis, vel de possessione adepta per alios, ex titulo simili fuit etiam responsum quòd cùm constet de antiquo statu regularitatis, huiusmodi assertio non attenditur, ad effectum vt ille mutatus censeatur in præiudicium Ecclesiæ, cui confessio Prælati non præiudicat. Caputaq. *decis. 128. num. 3. part. 2.* Seraphin. *decis. 436. num. 6. & decis. 442. num. 2.*

4 Minus refragari prouisionem Episcopi Fesulani ad fauorem Nerij, quia ex deductis apparet, quòd post obitum Io. de Pazzis, de eodem tempore Andreas obtinuit sibi de eadem Ecclesia prouideri à Papa, & Monachi postea ad illius possessionem reintegrati fuerunt, ex quo sequitur quod prouisio Episcopi non habuerit effectum prout requiritur. Calder. *cons. 12. de iurepatronat.*

5 Nec demum refragari quòd de tempore visitationis factæ per eundem Episcopum in ista Ecclesia non fuerint reperti Monachi, quia nihilominus Ecclesia potuit remanere regularis, si non actu, saltem habitu, quod sufficit, quia retinet omnia sua iura, & priuilegia, ad not. per Bart. & alios *in l. sicut §. fin. ff. quod cuiusque vniuersitatis nomin.* Abb. *in c. gratum num. 12. de postul. prælat.* & tenuit Rota in d. causa Perusina S. Beneueniatis 13. Maij 1588. & ita decisum, Abbate solum informante, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Romana fructuum census. Veneris 3. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Pactum l. commissoriæ, seu aliàs resolutiuum, contractus ob non obseruantiam præmissorum non habet locum, nisi volente eo, ad cuius vtilitatem appositum fuit: promittens autem aliquid facere, promissionem adimpleuisse non dicitur, si id quod facere promisit, nulliter, & inualidè fuit.

SVMMARIVM.

Nullum quod est, nullum producit effectum, nu. 1.
Paria sunt actum non fecisse, & illud inutiliter fecisse, ibid. in fine. & num. 2.
Promittens aliquid facere, censetur promisisse validè facere, itaut producat effectum à partibus consideratum, num. 2.
Verba contractus interpretari debent, prout verisimile est partes contrahere voluisse secundùm actus naturam, ibid.
Obligatio semel extincta sine nouo consensu reuiuiscere non potest, num. 3.
Clausula non aliter, aliàs, nec alio modo, *est valde præcisa, ibid. in fine.*
Pactum l. commissoriæ, quibus verbis concipiatur, num. 4. vbi quòd nec contractus resolutio locum habeat, nisi venditore volente.
Conditio apposita fauore alicuius, locum non habet nisi is, cuius fauore apposita est, voluerit, ibid.
Clausula ipso iure, & sine alia declaratione, *habet tacitam conditionem, volente eo, de cuius vtilitate agitur, ibid. in fin.*
Pactum l. commissoriæ locum habet non solùm in contractu emptionis & venditionis, sed etiam in datione in solutum, dummodo non adsit antea constitutio pignoris, num. 6.
Pactum resolutiuum contractus ob non obseruationem præmissorum fieri potest etiam in transactione, ibid.
Pactum censetur appositum in fauorem amborum contrahentium, quando in contractu dictum fuit, quia partes cum ista conditione, & non aliter contrahere voluerunt, num. 7. vbi declaratur hæc conclusio.
Verba contractus interpretanda sunt secundùm subiectam materiam congrua congruis referendo, ibid.
Verba contractus in dubio apposita censentur in fauorem creditoris, ibid.

DECISIO CCCCXXII.

CVm sub die 19. Nouembris 1614. visum fuisset Dominis Excellentissimum D. Ducem Cæsium non teneri soluere fructus census petitos ab Excellentissimo D. Duce Gallesij à die extinctionis census debiti, & soluti Genuensibus, postea dubio super iisdem pluries proposito, DD. censuerunt à supradicta decisione recedendum. Moti fuerunt ea præcipua ratione, quia dictus D. Cæsius assumpsit in se onus prædicti census, promisitque non solùm soluere Genuensibus, fructus decursos, & decurrendos vsque ad diem extinctionis census, sed etiam extinguere dictum censum intra biennium, sicque apparet eum fuisse obligatum ad talem extinctionem, quo liberaret D. Ducem Gallesij ab omni obligatione, quod cùm non factum fuerit ex eo, quia disdicta & depositum fuit declaratum minus legitimè factum, & dictus Dux dictos fructus census fuerit coactus soluere Genuensibus, iure eos repetere potest ab eo, qui eum indemnem reddere tenebatur, non obstante deposito nulliter facto, quod nullum 1

lum iuris effectum potuit producere. *l.4.§. condemnatum*, vbi Doct. *ff. de re iud.* paria enim sunt actum non fecisse, & illud inutiliter fuisse factum. *l. non potuit. §. non quouis.* vbi Bart. *ff. de offic. præsid. l. quoties. ff. qui satisdare cognat. cap. Nicolao, de appellat.*

2 Nam vbi partes non considerant nudum factum, eo casu non sufficit nudum factum, sed requiritur, vt validum sit, & producat effectum à partibus consideratum. Bart. *in l. quid ego. §. cum autem factum. ff. de his qui infam. not.* Rom. *cons. 199. num. 2. lib. 3.* Surd. *cons. 3. lib. 1. num. 12.* æquitas enim suadet, vt vel apposita in dispositione contractus interpretari debeant, prout verisimile est partes contrahere voluisse secundùm actus naturam. *l. pater dotem. ff. de pact. dot.* Socin. *cons. 9. num. 28. lib. 1.* ex quibus necessariò colligitur præcisè obligatum fuisse D. Ducem Cæsium ad faciendum depositum legitimum, & sufficiens, ex quo extinguit census, & D. Dux Gallesij ab obligatione sua liberari posset, aliàs ad fructuum census solutionem teneretur.

3 Nec obstare visum fuit vnicum, & maximum supradictæ decisionis fundamentum D. Ducem Cæsium promisisse extinguere censum infra duos annos, cum hac tamen conditione, quòd si ipse tam in solutione fructuum, quàm in dicta extinctione infra biennium defecerit, ipso facto dictum instrumentum habeatur pro non facto, & liceat dicto D. Duci Gallesij in quolibet casu prædictorum redire ad primæua iura. ex quibus verbis cùm constet de resolutione contractus ipso iure, finito biennio non poterat amplius sine nouo consensu D. Ducis Cæsij obligatio semel extincta reuiuiscere. *§. conuentionis. ff. de pact. l. consensu ff. de act. l. qui res. §. aream. ff. de solut.* Verba enim sunt resolutiua, directè, & non obliquè. Bald *in l. 4. §. 1. ff. de leg. commiss.* Ponderatis verò præcipuè his verbis, *non alias, nec alio modo*, quæ sunt valde præcisa. Gabr. *cons. 185. in princ.* Surd. *cons. 484. num. 87.* & lapso biennio remouebant consensum ab actu. Cephal. *consil. 118. num. 14.* Verall. *decis. 82. num. 4. part. 3.*

4 Huic obiectioni responderunt Domini, istud pactum non aliquid plus continere, quàm pactum legis commissoriæ, quod hoc modo fieri solet, si ad Calendas proximas pecunia soluta non sit, fundasset inemptus. *l. 2. l. 3. de leg. commiss.* & tamen resolutioni huius contractus non esse locum respondet I.C. nisi ipso venditore volente. *d. l. 2.* ea ratione, quia cùm lex aliquid constituit in fauorem priuatorum, tacita subest conditio, nisi de cuius vtilitate agitur, aliud velit. *l. 1. §. inde quæritur. ff. de oper. nou. nunciat. l. si sponsus. §. si quis rogatus. ff. de donat. inter vir. & vx.* fusissimè Mantic. *de tacit. & ambig. conuent. lib. 4. tit. 19.* quasi per tot. Et licèt adsit clausula, *ipso iure, & sine alia declaratione*, semper intelligi debet ipso iure, ipso volente, de cuius vtilitate agitur, vt ex pluribus iuribus & auctoritatibus firmat Tiraquell. *in l. si vnquam, in verb. reuersatur num. 10. & seq. C. de reuoc. donat.* Mant. *loco præcitato.*

5 Quod autem hæc conuentio fuerit apposita in fauorem solius Ducis Gallesij, ex eo collegerunt Domini, & primò considerarunt dictum Ducem Cæsium tempore facti instrumenti fuisse verum debitorem ex causa dotis, itaut D. Dux Gallesij vigore obligationis Cameralis, illico eum cogere posset ad soluendum dictas pecunias, ratione dotis ipsi debitæ, verùm facto instrumento biennij dilatione ipsi concessit ad soluendum, quod tunc temporis poterat exigere. Secundò fuit consideratum D. Duci Gallesij concessam facultatem redeundi ad primæua iura, cum reseruatione anterioris hypothecæ, ad effectum inducendi D. Ducem Cæsium debitorem citiùs ad extinctionem census: vnde colligitur illud biennij tempus fuisse ad commodum creditoris voluntate obseruantia contractus, quinimò violando iusiurandum, & non satisfaciendo promissis, lucrum captaret, quod non est rationi consentaneum, vt considerauit I.C. *in d. l. 2. ff. de leg. commiss.*

Non obstat quod dicitur dictam legem non procedere nisi in contractu emptionis, placuit enim 6
responsio dictam legem habere locum etiam in datione in solutum, qualis est hæc auellatio, dummodo non adsit antea constitutio pignoris. *l. vlt. in princ. ff. de contrah. empt.* quam dicit singularem Bald. *in c. 1. num. 6. in vers. quare pone quòd mutuasset mihi decem, de feud. dat. in vicem leg. commiss.* Purpur. *cons. 349. num. 5.* qui testatur de communi cum aliis alleg. per Mant. *de tacit. & ambig. conuent. lib. 4. tit. 29. num. 7.* quam legem habere locum in transactione, colligitur ex traditis per Cuman. *cons. 179. in princ.* Crauett. *cons. 145. nu. 19.* Ias. *in l. quamuis in fin. C. de transact.* & in omnibus aliis similibus contractibus asserit Cuiac. *in paratitl. ff. de leg. commiss.*

Nec etiam obstant illa verba, *quia partes cum ista conditione, & non aliter contrahere voluerunt*, ex qui- 7
bus dicitur pactum appositum fuisse in fauorem amborum contrahentium, hæc enim clausula accipienda est secundùm subiectam materiam, congrua congruis referendo, nec excludit quin facta quædam non adaptentur in fauorem vnius, nec attendendum est quomodo verba sunt concepta, sed ad cuius fauorem sunt directa: in dubio autem dicendum est verba apposita esse in fauorem creditoris, ne pendeat à debitoris arbitrio soluere debitum, vt ex Bald. *in dicta l.* declarat Mantic. *loco præcitato nu. 3.* Siluan. *cons. 102. num. 2.* Sicque ista resolutio contractus, quæ dependet à solo creditore, habet implicitam conditionem, si ea vti velit quousque aliam viam elegerit, quam ampliùs mutare non potest; sed hodie facta declaratione à creditore, debet debitor stare contractui.

In quam sententiam eo libentiùs iuerunt Domini, quia etiamsi vtriusque partis consensus require- 8
retur, & pactum esset in fauorem vtriusque partis appositum, adhuc tamen existimarunt concurrere actus positiuos vtriusque Ducis elapso biennio, ex quibus necessariò colligitur ipsos noluisse à prima obligatione resilire, quin potiùs eandem de nouo ratam habuisse, vnde neutrum ipsorum potest ampliùs pœnitere post actus resolutionem excludentes. *l. 4. §. eleganter. ff. de leg. commiss.* vbi si post præstitutam diem venditor petat vsuras, censetur conuentioni renunciasse, & non est locus pœnitentiæ. *l. commissoriæ. C. de pact. int. empt. & vendit.*

Quòd autem vterque post biennij tempus ela-
psum non habuerint dictum contractum pro resolu- 9
to, sed pro valido, satis constare visum fuit Dominis, & primò, quoad Ducem Gallesij, ipse nomen interposuit ad disdicendum censum, & depositum factum, necnon ipsius Procurator vnà cum Procuratore D. Ducis Cæsij reproduxit dictam disdictam, & depositum, & interuenit in omni actu iudiciali facto contra Genuenses pro extinctione census; quo verò ad D. Ducem Cæsium clariùs apparet, ex quo non solummodo isti actus depositi, & disdictæ fuerunt factæ nomine ipsius, de ipsius pecuniis, & ipso instante, vt apparet ex actis, & testibus examinatis

ſub nomine dicti Ducis Galleſij, ſed etiam longè poſt biennium præteritum, fructus dicti cenſus decurſos, ſciente dicto Duce Galleſij, ſoluit ſponte dictis Genuenſibus, quos non debebat, ſi dictum contractum ipſo iure reſolutum credidiſſet, ex quibus actis poſitiuis, vel aliis cumulatis in facto, viſum fuit neutram partem acceptaſſe huiuſmodi reſolutionem.

10 Placuit, & quibuſdam Dominis alia reſponſio, etiam ſi ipſa conditio ipſo iure eſſet reſoluta, non ideo D. Ducem Cæſium eſſe liberatum à ſolutione dictorum fructuum, ea ratione, quia pactum videtur in inſtrumento cautum, vt D. Dux Galleſij deficiente D. Duce Cæſio in ſolutione fructuum, & extinctione cenſus, poſſit redire ad primæua iura, & interea fructus cenſus medio tempore dictus Dux Cæſius ſoluere promiſit, quod medium tempus redeundi ad primæua iura, & tempus extinctæ conuentionis, ſtante maximè, quia ex depoſitione teſtis nouiſſimè examinati, apparet D. Ducem Galleſij diſtuliſſe redire ad primæua iura ad ſupplicationem dicti Ducis Cæſij, & vt rem gratam ei faceret.

Ex quibus, & aliis fusè per informantes deductis DD. à deciſis receſſerunt.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Tiraſonen. iuris votandi. Veneris 3. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Portionarij non ſunt de Capitulo, & ideo non habent ius condendi ſtatuta reſpicientia ſtatum Eccleſiæ, quod Capitulo competit.

SVMMARIVM.

Statuta reſpicientia ſtatum Eccleſiæ ius condendi competit ſoli Epiſcopo & Capitulo, num. 1.

Portionarij non veniunt appellatione Capituli, nec ſunt de Capitulo, num. 2.

Portionarij non habent intentionem fundatam de iure ſuper facultate condendi ſtatuta ſtatum Eccleſiæ reſpicientia, quod Epiſcopo, & Capitulo conceditur, nu. 3.

DECISIO CCCCXXIII.

Dubitaui, an portionariis eſſet dandum mandatum de manutenendo in poſſeſſione votandi, quotieſcumque contigerit tractari de condendis ſtatutis, ſtatum, gubernium, & adminiſtrationem Eccleſiæ quomodolibet concernendum, & in quibuſdam aliis actibus in dubio expreſſis. Et Domini reſponderunt reſpectu ſtatutorum condendorum de iure ab Epiſcopo & Canonicis non eſſe dandum; reſpectu verò ordinationum reſpicientium ſeruitium Eccleſiæ eſſe dandum quoad intereſſentiam tantùm.

1 Et mouebantur, quia inſpecto iure communi ius condendi ſtatuta reſpicientia ſtatum Eccleſiæ competit ſoli Epiſcopo & Capitulo. *cap. cùm conſuetudines, de conſuetud.* gloſſ. *in cap. 2. verbo ſtatutum, de verb. ſignific. in 6.* Abb. *in cap. cùm acceſſiſſent, ſub num. 4. verſ. primò præmitte,* & ibi Dec. *nu. 9. de conſtit.* Idem Abb. *in cap. cùm omnes n. 4.* vbi Felin. *n. 7. & 9. verſ. Cæterùm, eod. tit.* Butr. *in cap. conſtitutus nu. 25. de reſcript.*

Vnde portionarij, qui non ſunt de Capitulo, nec veniunt illius appellatione, Abb. *in cap. cùm olim, num. 8. de re iudic.* & ibi Felin. *numer. 4.* & pluribus relatis fuit dictum in hac cauſa 28. Maij 1612. coram me. 2

Circa dicta ſtatuta habent iuris reſiſtentiam, & cùm non probent ſpecificè & clarè talem conſuetudinem, nec aliquam eorum quaſi poſſeſſionem, quoad illa non poſſunt prætendere manutentionem, cùm præſertim pro parte Canonicorum doceatur ipſos feciſſe plura ſtatuta vnà cum Epiſcopo de rebus valde grauibus, & concernentibus ſtatum Eccleſiæ abſque interuentu portionariorum, vt patet ex lectura dictorum ſtatutorum, ibi, *cùm conſenſu & approbatione Capituli Canonicorum.* 3

Neque portionariorum quaſi poſſeſſio probari videtur ex ordinationibus factis in Capitulo cum ipſorum interuentu, de quibus in eorum ſummario *à num. 1.* quia vltra quòd in multis nulla fit mentio portionariorum, ſed tantùm Capituli, cuius appellatione ipſi non veniunt, vt ſuprà dictum eſt. Reſpondebatur quòd ferè omnes dictæ ordinationes concernunt diuiſiones oblationum, vel modum diſtribuendi officia inter intereſſentes in choro, & alia ſimilia, ex quibus non poteſt inferri ad ſtatuta reſpicientia ſtatum Eccleſiæ, de quibus agitur, cùm non concernant ſtatum aliquem dictæ Eccleſiæ, vnde circa dictas ordinationes huiuſmodi ſeruitium reſpicientes cùm conſtet de eorum quaſi poſſeſſione, Domini non negarunt manutentionem portionariis quoad intereſſentiam, tantùm reſeruato, vt de iure votandi, & de aliis capitibus videatur, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Bononien. pecuniaria. Veneris 3. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Compenſatio an admittatur in obligatione Camerali.

SVMMARIVM.

Compenſatio liquidi cum liquido admitti debet, nu. 1.

Exceptio æquiuoca, & incerta, non eſt apta facere illiquidum creditum liquidum, nu. 2.

Cameralis obligatio cum iuramento non admitti exceptionem compenſationis, num. 3. declara nu. 4.

Arbitrij clauſula in reſcripto Principis remittit rigorem obligationis Cameralis, & admittit exceptionem compenſationis ad euitandos inutiles circuitus, ibid.

Gratia Principis non debet eſſe ſuperflua, ſed operari, num. 5.

Arbitrij clauſula in reſcripto poteſt quidem mitigare iuris rigorem, ſed non in totum ius tollere, num. 6.

DECISIO CCCCXXIV.

In contractu rei frumentariæ ſequuto inter DD. Aſſumptos ciuitatis Bononiæ, & D. Petrum Capponum Marchiæ Theſaurarium, ortæ fuerunt nonnullæ difficultates, quæ compromiſſæ fuerunt in certos arbitros, quorum laudum condemnabat eundem Theſaurarium ad pretium ſtariorum 2000. frumenti, quod exigi debebat à Rondinello, conditione tamen adiecta, vt quotieſcunque intra octo dies probaſſet

probasset se impeditum fuisse, consequi dictum frumentum vel à Cardinali Legato Marchiæ, vel ab Assumptis ciuitatis Forliuij, tunc ad nihilum teneretur, quod exinde receptis probationibus super impedimentis declaratum fuit, & nihilominus quia solutio residui adhuc per Assumptos Bononiæ deferebatur, emanauit decretum Legati eiusdem ciuitatis adstringens eos ad solutionem, cuius vigore Thesaurarius se obligauit in forma Cameræ Apostolicę, & cum amplissimis clausulis restituere recepta, nisi infra menses duodecim proximè subsequuturos contra Assumptos & Rondinellum diffinitiuam reportasset sententiam: lapso termino fuit actum pro restitutione pecuniarum, & primo loco dubitatum, an esset locus exequutioni prædictæ obligationis, & affirmatiuè resolutum, superueniente autem rescripto super admittenda compensatione, vel retentione dicti crediti arbitrio Rotæ, & dubio super hæc parte proposito.

Censuerunt Domini intrare arbitrium pro admittenda compensatione, quia vera est iuris cõclusio, quòd de liquido ad liquidum debet admitti compensatio. *l. fin. C. de compensat.* Bart. *in l. cùm seruum, num. 8. ff. si cert. petat.* Tindar. *de compens. art. 8. col. 2. vers. nunc videamus.* Roland. *cons. 17. num. 18 lib. 1.* Afflict. *decis. 381. num. 6.*

Creditum autem D. Capponi liquidum apparet, quia in effectu consignauit staria 13000. tritici ad cuius computum assumpti promiserant consignare staria 6000. & 12. & tamen consignarunt tantùm staria 4000. & 12. vnde deficiunt staria 2000. quæ important summam librarum 18000. de qua in supradicta obligatione. Ideo cùm è latere suo D. Capponus adimpleuerit consignando summam conuentam, & in computis sit creditor earundem librarum 18000. meritò potest dare de compensatione, & retentione cum simili summa recepta, donec de adimplemento integræ consignationis stariorum 6000. & 12. per Assumptos doceatur.

Non obstat quòd de prædicto adimplemento satis apparet ex litteris Cardinalis Legati Marchiæ, ibi, *si farà consignare tutti li grani che il Rondinello ha fatto comprare in Forli al Thesoriero, eccetto per ò quello che si è dato alli Abondanza del quali si farà Sborsare il dinario, di che esse Thesoriero se ne contenta*, ex quibus verbis dicebatur quòd Thesaurarius sequutus est fidem Rondinelli, & Assumpti remanserunt liberati ab vlteriore consignatione.

2 Quia promissio facta per Assumptos, poterat quidem verificari, & adimpleri, vel per effectualem stariorum 6000. consignationem, vel per æquipollens ex restitutione pretij eorundem, sed non propterea probatur ex verbis Legati quòd alterum eorum factum fuerit, quia sonant in futurum, ibi, *si farà consignare*, & verba, *Di che esso Thesoriero se ne contenta*, quatenus possent probare consensum in eius præiudicium, inferunt consensum recipiendi pretium loco tritici, & etiam quòd per Abundantiarios solutio fieri possit, sed non ideo necessariò sequitur liberatio promissi implementi, dum prædicta possunt contingere, non recedendo à persona promissoris, vnde semper remanet ista exceptio incerta, & æquiuoca, quæ apta non est reddere illiquidum creditum Thesaurarij iam fundatum in adimplemento consignationis tritici per eum promissi. Affl. *decis. 63.* Put. *decis. 233. & 243. lib. 3.* Rot. *decis. 57 num. 5. & 6. part. 2. diuers.*

3 Non obstat quòd obligatio de refundendis pecuniis sit in forma Cameræ cum iuramento, quæ non admittit exceptionem compensationis. *cap. ad nostram il primo, de iureiurand.* Gabr. *eod. tit. conclus. 7. num. 1.* & eo minus, quia creditum cum quo prætenditur compensatio, sit anterius. Osasch. post alios *decis. 92. num. 33.* cum aliis allegatis.

Quia clausula *arbitrio*, in hac parte operatur suum effectum, remittendo rigorem obligationis statim soluendi post annum, & admittendo cognitionem compensationis stante credito liquido ad euitandos inutiles circuitus. 4

Quod facere potest quando rescriptum dirigitur habenti iurisdictionem ne gratia Principis videatur superflua, Cæsar. de Grass. *decis. 8. de re iudic.* Crescent. *decis. 4. de testib.* & hunc sensum retinuit Rota in pluribus causis apud Seraph. *decis. 1154. nu. 1.* & in Romana Cortigij 6. Martij 1606. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno, & in Leodien. fideicommissi 21. Maij 1614. coram me. 5

Nec releuans visa est replicatio quòd hoc non esset mitigare iuris rigorem, sed in totum ius tollere, dum Assumpti per admissionem exceptionis compensationis grauentur onere probandi consignationem tritici, ad quam vigore puræ & claræ obligationis tenebatur Thesaurarius, quod facere non potest clausula prædicta. Crescent. *decis. 4. de testib.* & in Romana pensionis 13. Iunij 1597. coram bon. me. Cardinali Pamphilio. 6

Fuit enim responsum pactum de recipiendis stariis 6000. & 12. tritici Rondinello non fuisse purum & liberum, sed sub bona gratia Cardinalis Caetani, quæ nedum probatur subsequuta, sed contraria ex litteris pro parte Regim. productis dum denegatur consignatio tritici iam traditi Abundantiariis Forliuij, ideo cessat ratio iuris quæsiti respectu oneris probationis, cùm de se pateat in hac parte improbabile quòd staria 2000. potuerint per Rondinellum consignari. 7

Et ita, &c.

R. P. D. COCCINO DECANO.

Romana census viginti millium. Veneris 3. Martij 1617.

DECISIO CCCCXXV.

Impressa est apud Stephanum Gratianum discept. forens. cap. 563. num. 51.

R. P. D. VEROSPIO.

Ciuitatis Castelli parochialium. Veneris 3. Martiis 1617.

ARGVMENTVM.

De subrogatione collitigantis in possessionem beneficij à defuncto possessi plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Subrogatio collitigantis in locum defuncti deleganda non est per regulam de subrogandis, num. 1.

Beneficium efficitur litigiosum per præsentationem com-

missionis citatione subsequuta, num. 2.

Lis super petitorio facit beneficium litigiosum, ibid.

Clausula, quam, & quas, cum incidentibus & emergentibus, *&c. facit vt commissa dicatur causa tam in possessorio, quàm in petitorio, ibid.*

Petitorium fuisse intentatum probatur per productionem gratiæ, si neutri, ibid. vers. Accedit.

Instrumentalis possessio habet omnes iuris effectus, alio non possidente, num 3.

Subrogandus est ex regula de subrogandis superstes in quasi possessionem defuncti, non attenta defuncti qualitate, num. 4 in fine.

Subrogatione collitiganti in possessionem defuncti, licèt non sit concedenda, quando lis est iniusta, sufficit tamen ad excludendum iniustitiam qualibet probabilis, & colorata litigandi causa, num. 5.

DECISIO CCCCXXVI.

1 MOrtuo Flaminio Parco, cùm in ipsius iuribus, vti collitigantis R.P.D. Vitellius instaret subrogari, Monachis Congregationis Oliuetanæ contradicentibus, proposui dubium in Rota, quæ subrogationem huiusmodi non esse denegandam censuit. Illa enim per regulam de subrogandis collitiganti superstiti debetur, vt per Mandos. *in dicta reg. de subrogand quæst. 2. num. 5. vers. ex præmissis*, & fuit dictum in Gerunden. Canonicatus 14. Maij 1601. coram Illustriss. Cardin. Ludouisio.

2 Lis autem ad hunc effectum, probatur ex commissione Rotali cum citatione subsecuta, quæ beneficium reddit litigiosum, tum quia ad solum possessorium commissio non est restricta, vnde petitorium etiam includit. Rot. *decis. 9. de caus. possess. & propr. in nouis.* Cassad. *decis. 6. num. 7. de rescript.* Lancellot. *de attentat. 1. part. cap. 4. limit. 2. nu 20. & seqq.* Gabr. *conclus. 4. nu. 16. de clausul.* Contard. *de moment. quæst. 13. num. 89.* Vestr. *in prax. lib. 8. cap. 4. n. 24.* Tum ex clausulis, *quam, & quas, cum incidentibus, dependentibus, & annexis*; quæ operantur, vt commissa dicatur causa, & in petitorio lis introducta, vt de clausula, *quam, & quas*, &c. Mohedan. *decis. 6. post med. vers. insuper, de rescript.* & fuit dictum in Nucerina iurispatronatus 14. Maij 1612. coram R.P.D. meo Cauaierio, & de alia cum incidentibus, & dependentibus, Ægid. *decis. 619.* & habetur in Barcinonen. parochialis de Mataio 20. Iunij 1611. coram Reuerendissimo Domino meo Decano. Accedit productio gratiæ *si neutri*, per R.P.D. Vitellium obtentæ, de cuius iustificatione fuit actum in Rota, vnde constat illud petitorium fuisse prosecutum, Cotta *decis. 67* & fuit dictum in Siracusana Quartæ 20. Iunij 1586. coram Cardinali Platto, & in Foroliuien. bonorum 20. Decembris 1582. coram R.P.D. Orano.

3 Possessio verò Flaminij Parri, ad quam D. Vitellius petit subrogari, probatur ex instrumento illius apprehensionis, quæ licèt instrumentalis, alio non possidente, ad omnes iuris effectus suffragatur. *l. non idcirco*, vbi Bald. *cap. de fid. instrument. l. prædia, ff. de acquirend. possess.* Menoch. *de retinend. remed. 3. nu. 575.* Put. *decis. 360. nu. 8. lib. 1.* & fuit coram me dictum in Vercellen. Capellaniæ 14. Iunij 1613.

4 Non obstat fundamentum pro parte Monachorum, quòd videlicet beneficia, de quibus agitur, ipsorum Congregationi fuerint vnita, & sic ea non vacare, nec esse collatiua. Nam respondetur hoc adhuc non apparere vt deberet, & satis interim est Flaminium de dictis beneficiis ad patronorum præsentationem, & institutionem Monachorum fuisse in titulum prouisum, & ita quoque possessionem accepisse, vt ex dicto instrumento colligitur. Vnde R.P.D. Vitellius ad eandem possessionem venit subrogandus, ex dicta regula, quæ operatur vt superstes ad ius & defuncti possessionem subrogetur, & in locum eiusdem constituatur, possessionis defuncti qualitate non attenta, vt fuit dictum in Placentina beneficij 7. Iunij 1611. coram R. P. D. meo Vbaldo, & in Argentina beneficij de eodem anno 1611. coram R.P.D. meo Pamphilio.

5 Nec valet dicere Flaminium in vim prouisionis sibi factæ tanquam de manuali possedisse. Non enim id iustificatur, & ex prædictis contrarium potiùs arguitur; instrumentum verò ad hunc effectum exhibitum tantummodo continet Monachorum assensum, vt ipse Flaminius ab Episcopo, vel à Sede Apostolica posset obtinere se in Vicarium perpetuum deputari, quod nec etiam obtentum apparet.

Denique non ostat litis iniustitia pro parte D. Vitellij. Nam de illa non constat, & in omnem euentum ad effectum de quo agitur, non est necesse docere de bono iure, sed sufficit per quamlibet probabilem, ac caloratam litigandi causam calumniam excludere. Franch. *in cap. 1. num. 5 vers. cogita tamen, vt lit. penden. in 6.* Achil. *decis. vlt. in fine, vt lit. penden.* Rebuff. *super regul. de subrogat. gloss. 7. nu. 3.* Put. *decis. 80. num. 2. lib. 3.* Crescent. *decis. 19. de probat.* Seraph. *decis. 1165. num. 9. & 10.* 6

R.P.D. PAMPHILIO.

Fesulana Prioratus. Veneris 3. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Vltimus Ecclesiæ status non censetur mutatus, nisi ex contraria possessione 40. annorum cùm bona fide legitimè præscritus fuerit. Item non censetur mutatus per contrarias Apostolicas prouisiones, & in hoc Prælati confessio non attenditur in præiudicium Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Vltimus benefici status non potest dici mutatus, nisi ex possessione 40. annorum cum bona fide legitimè præscriptus probetur, num. 1.

Vltimus status benefic. non censetur mutatus per Apostolicas prouisiones, num. 2. vbi redditur ratio quia non præsumitur Papam habuisse voluntatem tollendi statum antiquum.

Ecclesia quòd sit regularis, arguitur ex eo quòd fuerit collata per viam commendæ, ibid.

Status vltimus quòd fuerit mutatus, non censetur probatum per assertionem Prælati in iudicium Ecclesiæ, num. 3. in fine.

Prælati confessio non præiudicat Ecclesiæ, ibid in fine.

Ecclesia potest remanere regularis si non actu, saltem habitu, etiam quòd in ea tempore visitationis non fuerint reperti monachi, num. 5.

DECISIO CCCCXXVII.

DOmini consuluerunt non constare de vltimo statu, qui suffragatur; quia licet de ann. 1564. Ioannes 1

Ioannes de Pazzis in possessione Ecclesiæ, de qua agitur, decernit, non tamen constat quanto tempore illam possederit, nec ad istum effectum vlla ratio haberi potest de possessione Andreæ Fontanæ; qui post obitum Ioannis de eadem Ecclesia à Papa sibi prouidere obtinuit, quia introducta postmodum lite inter ipsum & Monachos Camaldulenses, qui anteriorem possessionem eiusdem Ecclesiæ post obitum Ioannis adepti fuerant, licèt illa ab Andrea spoliati fuissent, in prima instantia lata fuit sententia super reintegratione ad fauorem Monachorum ab Ordinario Florentino, quæ fuit in Rota à bo. mem. Sarmiento præuiis decisionibus confirmata, quarum sententiarum vigore, idem Andreas beneficium huiusmodi cessit ac dimisit in manibus Generalis dicti Ordinis, in cuius præiudicium non apparet quòd vnquam fuerit postea aliter de eo dispositum. Ideoq; non potest dici, quòd constet de aliquo vltimo statu sæcularitatis, qui Ascanio suffragari possit, maximè quia in pluribus decisionibus in hac causa factis, & præcipuè sub die 16. Nouembris 1615. iam firmatum fuit constare de antiquo statu regularitatis, qui non potest dici mutatus, nisi status secularitatis ex possessione 40. annorum cum bona fide legitimè præscriptus probetur, iuxta text. *in cap. cum de beneficio*, vbi gl. *verbo rum legitima*, & *verb. post de præb. in 6.* Gemin. *n. 8. & seq.* & Franch. *n. 5. & 9.* Felin. *in cap. in nostra n. 43. de rescript.* Rot. *decis. 2. in princ. de præb. in nou.* & fuit resolutum in causa Ferrariensi Prioratus 1. Decembris 1608. & 25. Maij 1609. coram bo. me. Pegna, & in Hostiensi Capellæ 17. Decembr. 1599. coram Illustrissimo Domino Cardinale Lancelloto, & aliàs sæpissimè.

Præterea fuit per Dominos ponderatum, quòd tam Ioannes, quàm Andreas possessionem istius Ecclesiæ adepti fuerunt, vigore prouisionum Apostolicarum, quæ regulariter non mutant statum. Ægid. *decis. 107. & 212.* Achil *decis. vlt. de iurepatronat.* & fuit dictum in dicta Hostunensi Capellæ, & Ferrariensi Prioratus 1. Decembris 1608. vbi plures aliæ decisiones referuntur: præsertim quia prouisio Ioannis, dicitur facta per viam commendæ, per quam antiquus status regularitatis potiùs confirmatur, vt fuit dictum in causa Bracharensi monasterij 19. Decembris 1597. coram bon. mem. Card. Pamphilio; & in prouisione Andreæ Papa expressam mentionem regularitatis facit, & priuilegiis Ordini Camaldulensi concessis, pro illa vice tantùm derogat, prout etiam facit in prouisione per Ludouicum authorem Ascanij de anno 1604. obtenta, qua derogatione stante non potest dici quòd Papa habuerit voluntatem tollendi statum antiquum, & nouum inducendi, prout requiritur. Felin. *in dicto cap. in nostra, sub num. 41. de rescript.* Rebuff. *super concord. in tit. de collat. §. volumus, in gloss. in verb. regularia,* & tenuit Rota in causa Perusina S. Beneueniatis 13. Maij 1588. coram bon. mem. Card. Pamphilio; & sæpe in aliis causis, sed potiùs quòd per eam status antiquus regularitatis confirmatus censeatur, vt in terminis prouisionis Apostolicæ, cum derogatione iurispatronatus fuit ponderatum in causa Mediolanensi iurispatronatus de Baradia 21. Aprilis 1589. coram Reuerendissimo Domino Perusino.

Nec obstare, quòd Monachi in visitatione facta per Episcopum Fesulanum de anno 1571. asseruerint Ecclesiam à multo tempore fuisse erectam per seculares; quia vltra quòd huiusmodi assertio potest verificari in possessione adepta per Ioannem de Pazzis vigore prouisionis Apostolicæ, per viam commendæ, quæ non mutat statum, ex supradictis, vel de possessione adepta per alios, ex titulo simili, fuit etiam responsum, quòd cùm constet de antiquo statu regularitatis, huiusmodi assertio non attenditur ad effectum, vt ille mutatus censeatur in præiudicium Ecclesiæ, cui confessio Prælati regulariter non præiudicat. Caputaq. *decis. 128. num. 3. part. 2.* Seraphin. *decis. 436. num. 6. & decis. 442. num. 2.*

Minus refragari prouisionem Episcopi Fesulani ad fauorem Nerij. Quia ex deductis apparet, quòd post obitum Ioannis de Pazzis de eodem tempore Andreas obtinuit sibi de eadem Ecclesia prouideri à Papa, & Monachi postea ad illius possessionem reintegrati fuerunt, ex quo sequitur quòd prouisio Episcopi non habuerit effectum, prout requiritur. Calderin. *cons. 12. de iurepatron.* 4

Nec demum refragari, quòd de tempore visitationis factæ per eundem Episcopum in ista Ecclesia non fuerint reperti Monachi; quia nihilominus Ecclesia potuit remanere regularis, si non actu, saltem habitu, quod sufficit, quia retinet omnia sua iura, & priuilegia, ad not. per Bart. & alios *in l. sicut, §. finali, ff. quod cuiusque vniuers. nomin.* Abb. *in cap. gratum, num. 12. de postulat. prælat.* & tenuit Rot. in dicta causa Perusina S. Beneueniatis 13 Maij 1588. 5

Et ita decisum Abbate solum informante, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana mercedis. Luna 6. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Salarium non debetur nisi sit conuentum, vel duo concurrant copulatiuè, quòd vnus conducere, alter locare operas sit solitus, num. 1.

Actore non probante, reus absoluitur, num. 2.

Merces debetur pro famulatu præstito per multum tempus, num. 3. declara vt num. 4.

Testis deponens de auditu ab ipso principali, non magis probat quàm ipsemet principalis in causa propria, num. 5.

Testis vnicus non sufficit ad probationem, num. 6.

Verba quòd satisfaciet, non concludunt ad præcisam mercedis obligationem, sed ad aliquam remunerationem, num. 7.

DECISIO CCCCXXVIII.

PRo confirmatione sententiæ D. Gubernatoris fuit resolutum. Regulare enim est salarium non deberi nisi conuentum sit, vel duo copulatiuè concurrant, quòd scilicet vnus sit solitus operas conducere, & alter locare, *l. qui mutum. §. salarium, ff. mandati. l. salarium. C. eod. tit. mand.* Federic. de Sen. *cons. 218.* & hoc sæpiùs in Rota fuit firmatum, vt in Romana mercedis 19. Februarij 1593. coram bon. mem. Cardinali Arrigonio, & in alia Romana mercedis 14. Decembris 1615. coram R. P. D. Manzanedo, in qua aliæ allegantur.

Ideo cùm Laurentius prætendat salarium sui famulatus, & conuentionem non probat, neque quòd

esset solitus locare similes operas, deficit fundamentum suæ intentionis, & reus est absoluendus. *l. qui accusare.C.de edendo.* Ias.*in l.admonendi,num.*70.*ff.de iureiuran.*

3 Non obstat quòd Laurentius inseruierit spatio 30. annorum in domo Thomæ, vt deponunt testes formiter examinati, itaut dignus sit mercede. *cap. quicunque suffragio, cap.charitatem,* 12. *q.* 2. cum aliis allegatis.

4 Quia cùm esset cognatus eiusdem Thomæ, & in decimo suæ ætatis anno fuit per Thomam receptus in domo, & alimentatus, ac inductus pro tempore habitationis successiua seruitia, ita potuerunt referri ad correspectiuam affinitatem & affectionem, & ad obligationem antidotalem, prout ad merum famulatum; ideo probatio seruitij præstiti de necessitate non concludit ad prætensam mercedem prout necessarium est.*cap. in præsentia, de probationibus.l.non hoc.C.vnde legitimi.* Surd.*decis.*75.*num.*18.

Non obstat quòd hæc probationis æquiuocatio tollatur ex depositione secundi testis super 28.interrogatorio, & quarti testis super primo interrogatorio, dum vnus asserit Thomam fuisse interpellatum ad instantiam Laurentij ad tradendum salarium, & respondisse vt in seruiendo continuaret, *che li haueria dato sodisfattione.* Alter verò dicat, *che se li leuasse dauanti, che li darà quello che vuole.*

5 Quia fuit responsum secundum testem deponere de audito ab ipsomet Laurentio, cui non magis credendum est, quàm principali fidem non merenti in causa propria. *l.nullus,ff.de testibus.l.omnibus, C. eod.tit.* Natt.*cons.*473.*num.*40.

6 Quartus verò est vnicus, qui non sufficit.*cap.licèt causam.de probationibus.* Gabr.*de testib.conclus.*2.

7 Præterea illa verba, *che li darà sodisfattione*, aut *che li darà quello che vuole,* non videntur restricta ad præcisam obligationem mercedis, sed ad aliquam remunerationem etiam possunt se referre, cui sufficienter satisfactum existimarunt Domini ex legato, per eundem Thomam dicto Laurentio relicto vita durante in rationem scutorum trium pro quolibet mense. Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Callien.iuris conferendi. Lunæ 6. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio conferendi beneficia quomodo acquiratur,& amittatur.

SVMMARIVM.

Quasi possessio conferendi beneficium probatur ex instrumentis collationum cum adepta possessione effectuatarum, num.2.& 5.

Possessio beneficij censetur adepta per assignationem stalli in choro, cum scientia,& patientia Capituli, nu.2.

Manutentio in iure conferendi beneficia datur probata quasi possessione conferendi, ibid. vers. vnde venit, & num.3.vbi de eadem materia.

Conferendi Canonicatus facultas de iure communi spectat ad Episcopum & Capitulum simul, num.2.in fine.& num.3.vers.secus accidit.

Causa actus magis attenditur quàm ipse actus, num. 3. vers.nec releuat.

Quasi possessio conferendi beneficia probata per Episcopum, nunquid censeatur ab Episcopo acquisita priuatiuè quoad Capitulum, num.4.

Possessio conferendi beneficia amittitur per non reclamationem aduersùs collationes ab altero factas, num. 4. in fine,& nu.6.vbi quòd ex actuum frequentia & cursu antiquissimi temporis eadem scientia, & patientia præsumitur,& nu.8.vbi de eadem materia.

Quasi possessio conferendi beneficia effectuata censetur, quando per obitum beneficiati beneficium alteri confertur, num.5.

Collationem conferendi beneficij facultatem quis non amittit per erectionem illius in Canonicatum, num.7. vbi præsertim quando erectio fuit facta cum clausula, sine præiudicio.

Indentitas beneficij, quomodo probetur, num.9.

DECISIO CCCCXXIX.

INtroducta coram me causa inter Reuerendissimum Episcopum Callien.& Capitulum eiusdem ciuitatis super iure Canonicatus,& præbendas conferendi, dubitaui cui dandum esset mandatum in dicta collatione de manutenendo: Et Rota censuit esse manutenendum Episcopum quoad tres Canonicatus per ipsum de anno 1608.collatos; ex iuribus enim productis apparet illum de eodem anno Canonicatum vnà cum præbenda vacantem per obitum Pamphilij Lucij de mense Decembris defuncti, cuidam Reali de Realibus contulisse, qui fuit immissus in possessionem,& eidem probatur à Capitulo fuisse stallum assignatum in choro. Danda est itaque super Episcopo manutentio respectu Canonicatus à dicto Reali pro alterius assecutione dimissi, de quo fuit pariter de eodem anno & mense ab Episcopo prouisus Andreas Drudas, & immissus in eius possessionem, nec non capitulariter à Canonicis receptus. Tertiò venit Episcopus manutenendus respectu Canonicatus vnà cum præbenda Theologali per Gregorium Dionysium liberè in eius manibus de anno 1608. resignati, de quo fuit ab eodem Episcopo prouisus Angelus Montinus, nec non immissus in eius possessionem, & Capitulariter etiam receptus à Canonicis.

Quæ collationes ex instrumentis adeptæ possessionis effectuatæ probantur. Calder. *cons.* 12. *de iurepatronat.* Rip. *in cap.cum Ecclesia Sutrina, nu.*39.*vers. sextò requiritur, de caus.possess. & propriet.* Rota *decis.* 21.*de restit. spol. in antiquis.* Bisignet. *decis.* 8. *eod.tit.* Cassad.*decis.*20. *in fine, de præbend.* & fuit dictum in Assisien. Canonicatus 14. Iunij 1600. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno. Nec non probatur effectuatio per stalli assignationem in choro, Innoc. *in c.in litteris,n.*3.*de restit.spoliat.*& fuit dictum in Casalen. iuris conferendi 19. Iunij 1606. coram Reuerend. Lugdunen. Ex qua stalli assignatione scientia resultat, & patientia Capituli. Abb.*in cap.cùm Ecclesia Sutrina,nu.*25.vbi Ripa *n.*64.*de caus.possess.& propr.* & consequenter infertur Episcopi quasi possessio per se solum dictos Canonicatus conferendi, *d.c.cum Ecclesia Sutrina,* vbi Rip.*nu.*52.Rot.*decis.*17.*nu.*1.*& seq. part.*2.diuers.& fuit dictum in allegata Assisien. Canonicatus, & in Tirasonen. Thesaurariæ 4. Martij 1613. coram R. P. D. meo Caualerio. Vnde venit eidem Episcopo danda manutentio, §.*retinendæ Instit. de interdict.l.*1.§.*huius autem interdicti.ff.vti possidetis.* Rot.*decis.*595.*num.*1.*part.*1. diuers. Etiam quòd de iure communi Canonicatuum collatio simultaneæ sit colla-

collationis Episcopi, & Capituli, Couar. *practic. qu. c.17. num.6.* Rota *d. decis.595. nu.4. part.1.* diuersor. & fuit dictum in Fanen. iurisdictionis, 28. Iunij 1600. coram Illustrissimo Lancellotto.

3 Quo verò ad alios Canonicatus, erit particulariter videndum, cùm non doceatur illos vacantes in mensibus ordinariis fuisse collatos ab Episcopo, vt erat necessarium probare ad effectum vt ille in quasi possessione manuteneretur, vt fuit dictum in Casalen. iuris conferendi 19. Iunij 1606. coram Reu. Lugdunen. Nec releuat saltè ex collationibus de anno 1608. ab Episcopo factis ipsum acquisiuisse possessionem alios conferendi Canonicatus. Nam id procederet, si Episcopus titulum vniuersalem haberet per se solum conferendi, quia tunc magis causa actus, quàm ipse actus attenderetur. Abb. *in cap.1. num.3. vers. solue, de relig. domib.* Rot. *decis.222. num.7. p.1. & decis.17. num.8. vers. quoniam respondetur, part.2.* diuers. Secus accidit in casu nostro, cùm Episcopus huiusmodi titulum vniuersalem non habeat, ex quo in Cathedrali Ecclesia collatio simul ad ipsum, & Capitulum pertinet. gloss. *in c. cum Ecclesia Vulterana, vers. postulauit.* vbi Abb. *num.8. de elect.* Paul. de Eleazar. *in repet. cap. nullus, nu.4. eod. tit.* Franc. *in cap. à collatione, num.1. vers. nota primò, de appell. in 6.* Cassad. *decis.22. eod. tit.* Rot. *decis.4. eod. tit. in nouis,* Put. *decis.* 81. *lib.3.* & sic dici non potest ex vnius, vel alterius collatione Canonicatus Episcopum quasi possessionem in omnibus acquisiuisse. Felin. *in cap. auditis, nu.* 10. *&* 10. Abb. *num.9 de præscript.* & fuit dictum in Theatina iurisdictionis 17. Decembris 1607. coram Reuerendissimo Attrebaten.

4 Nec valet exceptio, quòd ex dictis collationibus per Episcopum factis, ille possessionem priuatiuè ad Capitulum non acquisiuerit, id enim locum haberet, si Episcopus & Capitulum vellent simultaneam collationem, secus vbi vtraque pars priuatiuè ad alium ius conferendi prætendit, vt in casu nostro, vt fuit dictum in allegata Assisien. Canonicatus; ex verbis autem instrumenti collationis probatur Episcopum hoc ius priuatiuè ad Capitulum prætendere. ibi, & cùm Canonicatus vacauerit in mense & tempore quo collatio ad ipsum Ordinarium spectabat, &c. quæ verba ad ipsum tantùm spectare significant gloss. *in cap. cùm illis, §. si verò, verbo cum alio, in fine, de præbend. in 6. & cap. nouit,* ibi, *cuius cognitio ad Episcopum spectat, de iud.* & fuit dictum in causa allegata Assisien. Vnde Capitulum non reclamando, quando prouisis ab Episcopo data fuit possessio: immò cùm ipsis in choro stallum assignauerit, si quam habuisset possessionem, dicitur eam amisisse. Socin. *in l. rem quæ nobis, nu.8. vers. infertur ff. de acquir. poss.* Dec. *cons.* 302. Paris. *cons.1. num.167. lib.1.*

5 Quo verò ad ipsum Capitulum, fuit resolutum illi dandum esse mandatum de manutenendo respectu Canonicatus, cùm præbanda S. Cypriani, aliàs Plebis S. Bartholomæi nuncupata, vacantis, de anno 1615. cùm ex iuribus productis appareat de eiusdem quasi possessione, videlicet ex pluribus collationibus huius beneficij ante illius erectionem in Canonicatum, quæ probantur effectuatæ per collationes successiuè factas per eorum obitum, qui de illo priùs fuerant prouisi, iuxta consil. Oldrad. 229. *num.2.* sæpiùs in Rota canonizatum, præsertim in Tudertina Prioratus 17. Nouembris 1589. coram Ótano, & in Casertana beneficij 5. Nouembris 1597. coram Pegna.

6 Nec Episcopi scientia, & patientia respectu quasi possessionis Capituli potest in dubium reuocari, tum ex actuum frequentia, & antiquissimi temporis cursu, de quibus in summario, tum ex prouisione per Episcopum de eodem beneficio facta de anno 1519. in qua fatetur ille collationem huiusmodi ad Capitulum pertinere, & ab eodem ex gratia illam sibi fuisse concessam.

Nec valet dicere Capitulum per eius beneficij erectionem in Canonicatum sua quasi possessione cecidisse. Nam sicut per talem erectionem, illud non dicitur amisisse collationem, Abb. *in cap. suggestum, nu.3. de iurepatronat.* Roch. *de iurepatronat. verbo honorificum, num.8. in fine, vers. Item benè facit.* Seraph. *decis.1444. nu.11.* Ita pariter, nec possessionem amisit. Rota *dicta decis.17. part.2. nu.5. & 10.* Cùm præsertim dicta erectio fuerit ab eodem Capitulo facta, cum clausula, *sine præiudicio.* Bero. *cons.178. nu.15. lib.1.* Oldrad. *cons.231. in fine,* Aretin. *cons.101. num.23.* Put. *dec.6. lib.3.* gloss. *in cap. cùm olim, in verbo præiudicium,* vbi Abb. *de consuet.* Surd. *cons.321. num.8.* Paris. *cons.23. nu.142. lib.1.* 7

Non obstat ab anno 1521. non apparere Capitulum huiusmodi beneficium contulisse, & propterea tanti temporis spatio illud amisisse possessionem, quia constat de collatione per Summum Pontificem facta, quo casu Capitulum non dicitur possessionem amisisse. Achil. *decis.13. de iurepatron.* Seraphin. *decis.1301. nu.2. & decis.1367. nu.4.* Tanto minus cùm eueniente vacatione non probetur ab alio fuisse possessionem occupatam. Afflict. *decis.349.* & fuit dictum in Papien. parochialis 9. Aprilis 1601. coram Cardinali Pamphilio. 8

Identitas verò huius beneficij, nimirum Plebis Sancti Cypriani cum præbenda de qua agitur, satis apparet ex visitationibus, & aliis iuribus productis, in quibus iste canonicatus nuncupatur Plebs Sancti Cypriani, vel Sancti Bartholomæi Castri Drogij, vnde plenè illius identitas probatur, vt fuit dictum in Mediolanen. decimarum 19. Martij 1612. coram R. P. D. meo Pirouano. 9

Non obstat eiusdem Canonicatus erectionem fuisse factam in vim Breuis à Cardinali Medices obtenti, & consequenter illius collationem non iure proprio Capituli, sed in vim dicti Breuis emanasse, constat enim Breue fuisse impetratum pro obtinenda facultate Canonicatum erigendi, non pro facienda illius collatione, cùm ex supradictis appareat longè ante Capitulum fuisse in possessione dictum beneficium conferendi, &c. 10

R. P. D. VEROSPIO.

Capuana pensionis. Lunæ 6. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Solutio pensionis in qua moneta facienda sit, quando monetæ valor est auctus.

SVMMARIVM.

Solutio pensionis facienda est in illis aureis, quæ in reseruatione fuerunt expressa, vel in eorum valore de tempore faciendæ solutionis, nu.1. & 2. vbi quid si valor aureorum fuerit expressus in reseruatione, nu.2.

Obseruantia interpretatiua non habet locum vbi verba dispositionis sunt clara, nu.3.

Procurator non potest præiudicare domino in solutione per ipsum facta in vna moneta potius quàm in alia, num. 4.
Procuratoris scientia non probat scientiam domini, ibid. vers. nec valet replicatio.
Scientia præsumpta non nocet in præiudicialibus, ibid. in fine.

DECISIO CCCCXXX.

1 DE anno 1595. fuit authoritate Apostolica super fructibus Prioratus Capuæ Religionis Hierosolymitanæ, reseruata Equiti Carolo Amadeo Scaliæ annua pensio tercentorum aureorum ad rationem carolenorum duodecim monetæ Neapolitanæ. Cùm autem à nonnullis annis in dicta ciuitate Neapolis valor istius aurei ad carolenos quindecim excreuerit, orta fuit super modo soluendi pensionem inter nouum Priorem, & pensionarium controuersia, & causa coram Auditore Cameræ introducta de partium consensu dubium in Rota proposui, quomodo & ad quam rationem huiusmodi pensio esset persoluenda? & Dominis visum fuit solutionem esse faciendam, vel in illis aureis, quæ reseruationis tempore duodecim carolenos valebant, vel in eorum valore de tempore faciendæ solutionis: nam cùm in dictis aureis pensio fuerit reseruata, debet in iisdem solui, vel in alia æquiualenti moneta solutionis tempore, cùm scuti bonitas intrinseca immutata non fuerit, Bart. *in l. Paulus, nu. 6. ff. de solut.* Aretin. *cons. 11. num. 3.* Cagnol. *in l. 2. in 31. quæst. C. de pact. inter empt. & vendit.* Grat. *cons. 12. num. 44. lib. 1.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 18. n. 26.* Crauett. *cons. 47. vers. sed quando variatur.* tenuit Rota in Romana pecuniaria 23. Ianuarij 1589. coram bon. mem. Pegna, in Acherontina fructuum 28. Aprilis 1600. coram Illustrissimo Lancellotto, in Romana aureorum octo Zeccarum 20. Iunij 1597. coram eodem, & in Ferrarien. pensionis coram me 12. Martij 1614.

2 Non obstat pensionem reseruatam non reperiri simpliciter in scutis aureis, sed addita vlteriùs fuisse verba ad rationem carolenorum duodecim monetæ Neapolitanæ, per quæ scuti valor taxatus & æstimatus videtur, adeò vt aliquid vltrà peti non possit, id enim procederet, si moneta esset imaginaria, secus vbi fuit in obligatione deducta realis, & existens in rerum natura, vt in casu nostro; quia tunc dicta expressio ad rationem, &c. facta non censetur pro scuti aurei taxatione, vt duodecim caroleni sint in obligatione, sed gratia demonstrationis, videlicet ad differentiam aliorum aureorum, quæ fortè maioris, vel minoris valoris tunc adessent, vt per Boër. *decis. 327. num. 3.* Cephal. *cons. 31. num. 6. & seq. lib. 1.* & fuit dictum in Cæsenaten. pecuniaria 14. Martij 1597. coram bon. mem. Pegna, in Cremonen. pensionis 15. Iunij 1598. coram Orano, in Asculana dotis, 7. April. 1606. coram Reuerendiss. Lugdunen. & in allegata Ferrarien. pensionis coram me.

3 Nec valet dicere solutiones præteritas ad rationem duodecim carolenorum inseruire pro obseruantia interpretatiua litterarum pensionis. Nam vltra quòd non constat de tempore aliarum solutionum, aureum scutum ad hodiernum valorem ascendisse, & sperni potuit augmentum in modica quantitate, cùm tamen reseruationis verba sint clara, obseruantia interpretatiua locum non habet, Dec. *cons. 42. num. 1. vers. & si dicatur*, Aretin. *consil. 115. num. 2.* Surd. *cons. 426. num. 43.* Seraph. *decis. 1108. num. 7.* & fuit dictum in Seguntina decimarum 4. Iulij 1607. coram Illust. Card. Lancellotto, in Toletana Canonicatus 13. Nouembr. 1609. coram eodem, & in istis terminis in Cæsaraugustana pensionis 11. Maij 1591. coram Gipsio.

Vlteriùs dictæ solutiones vti factæ Procuratori 4
ad effectum de quo agitur, Domino præiudicium inferre non potuerunt. *l. non abstulit. C. de nouat.* Feder. *cons. 53. in fin.* Rom. *cons. 352. num. 2. & seq.* Dec. *cons. 146. ante num. 15. vers. 3. non obstat.* Nec valet replicatio quòd ex scientia Procuratoris ad Domini scientiam inferatur, contrariam enim opinionem sequuti sunt Alex. *cons. 63. num. 2. lib. 4.* Ias. *in l. si res obligata, num. 28. ff. de leg. 1.* Natt. *cons. 136. num. 190.* Surd. *decis. 181. num. 18.* Et in omnem euentum ista scientia esset præsumpta, quæ Domino in præiudicialibus, vt in casu nostro, non obest, Mohed. *decis. 4. de probat.* Put. *decis. 147. lib. 1.*

R. P. D. COCCINO.

Granaten. computorum. Lunæ 7. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Lis non dicitur introducta contra non citatum, nec per oblationem libelli sine citatione factam, præsertim à Procuratore, cuius confessio reuocari potest, etiam non docto de errore.

SVMMARIVM.

Lis, & causa non dicitur introducta contra eum, qui citatus non est, num. 1.
Confessio probat contra confitentem, ibid. in fine.
Litis pendentia non inducitur ex sola libelli oblatione sine citatione, aut præsentia rei conuenti, num. 2.
Procuratoris tacita confessio per productionem libelli reuocari potest, etiam non docto de errore, ibid. in fine.
Actio petitionis hæreditatis potest diuidi pro portionibus hæreditariis, num. 3.
Sententia lata sine cognitione causæ, nulla & inualida est, num. 4.

DECISIO CCCCXXXI.

DVbitaui an esset danda absolutoria R. P. D. Varellæ & illius nepotibus. Et Domini negatiuè responderunt: nam quoad Dominium Varellam 1
non apparet vnquam fuisse citatum, nec vocatum in iudicium in partibus, vnde non potest dici contra ipsum mota lis. Bald. *l. 1. vers. in ea glossa, ff. de in ius vocan.* & ibi Ias. *num. 6.* & est textus *in l. liber. la secunda*, & ibi Doctor. *ff. eodem titulo*, & fuit dictum in causa Veneta donationis 11. Maij 1615. coram R. P. D. Buratto, & hoc etiam fatetur ipsemet D. Varella in commissione præsentata in Rota, in qua dicitur iudicium fuisse motum contra Franciscum eius fratrem, & eo defuncto prosecutum contra ipsius filios, quæ confessio satis probat ad *l. cùm precum. C. de liberali causa*, cum vulgaribus, vnde non est in quo detur absolutoria dicto D. Varellæ, ad *l. properandum, §. & si, C. de iudic.*

Neque obstat quod in libello dato in partibus fiat etiam mentio D. Varellæ, quia ex eo non dicitur motum iudicium, cùm sola libelli oblatio absque citatio-

citatione, vel præsentia conuenti hoc non inducat. Bald. & alij suprà allegati, & est textus *in l. amplius non peti ff. rem ratam haberi. auth. offeratur, Cod. de litis contest. §. final. Institut. de pœnis temer. litig.* & quod plus est, in libello instatur quòd Dominus Franciscus frater R. P. D. Varellæ, ante omnia, & antequam detur copia petitionis, iuret, & declaret si habet mandatum procuræ ab eodem Domino Varella, & suo nomine exigat, & administret bona relicta à patre, & illud exhibeat, & iudex mandauit dari copiam eidem Doctori, & quòd iuret, & declaret vt in dicta petione, & ideo videtur constare, quòd pro parte hæredum Domini Cardinalis non solùm fuit cœptum iudicium, sed nec etiam voluerũt illud incipere, nisi quatenus dictus Dominus Franciscus haberet mandatum ab eodem R. P. D. Varella. Et cessat omnis difficultas, quia libellus fuit productus à procuratore, & propterea potuit quandocunque reuocari, etiam non docto de errore, Rota *decis. 2. de confess. in nou. & decis. 19. de Procurat.* pariter in nouis, *& decis. 31. de testibus in antiq.* & fuit dictum in causa Sublacen. bonorum 14. Martij 1601. coram Litta.

3 Non obstat quòd iudicium fuerit directum contra bona hæreditaria Ferdinandi, quæ pro indiuiso possidebantur inter Franciscum, vel eius filios, & ipsum D. Varellam, qui fuerunt instituti à patre hæredes, vt in summario D. Varellæ *num.* 4. quia quidquid sit de hoc, certum est quòd actio potest diuidi pro portionibus hæreditariis. *l. pro hæreditariis, C. de heredit. action l. si tibi homo, §. si fundus ff. de leg* 1. Surd. *decis.* 90 *per totam.* Neque contrarium dicit decisio Seraphini 957. quia vult quòd quando Clericus, & laicus conueniuntur coram iudice laico, Clericus tanquam magis dignus trahat etiam laicum ad forum Ecclesiasticum.

4 Quo verò ad nepotes, nec etiam potest dari absolutoria, quia sunt videnda acta facta in partibus, aliàs sententia esset nulla, ex defectu cognitionis causæ. *l. properandum, §. & si quidem.* vbi Bart *nu. 6. C. de iudic.* idem Bartol. *in l. 2. n. 5. C. de edend.* & ibi Alexand. *num* 8. *& sequentibus,* Cagnolus *num.* 168. *versic. sed oppositum,* latè Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ num. 17. de constit.*

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Bononien. fideicommissi de Cattaneis.
10. *Martij* 1617.

ARGVMENTVM.

De detractione legitimæ non confecto inuentario, quæ computanda sint, quæ non.

SVMMARIVM.

Hæres grauatus fideicommisso, illiúsque hæredes detrahunt de hæreditate, idque licet non solùm illis, sed habentibus causam ab eis, num. 1.

Emptori illæmet actiones competunt, quæ competebant venditori, num. 2.

Legitima debetur filio grauato fideicommisso, etiam si non confecerit inuentarium, nec non detraxerit Trebellianicam, num. 3.

Inuentarij omissio non impedit detractionem legitimæ & Trebellianicæ in filio, ac si confectum fuisset, sed facit cessare præsumptionem pro se, & transfert in se onus probandi contra fideicommissarium, num. 4.

Legitima de singulis rebus hæreditariis detrahitur, numero 5.

Legitima detrahitur de bonis obligatis pro concurrenti quantitate, num. 6.

Legitimam qui dicit detrahendam non esse, vel esse consumptam, vel detractiones non esse imputandas, ipsi incumbit onus probandi, num. 7.

Hæres grauatus si constat de alienationibus bonorum hæreditariorum, habet præsumptionem contra se in detractione legitimæ, num. 8.

Filius quidquid habet, habere præsumitur à patre, nisi contrarium probetur, num. 9.

Hæres creditor per aditionem hæreditatis sine beneficio legis, & inuentarij confundit creditum suum existens ante aditionem, sed non creditum superueniens post aditionem, num. 10.

Filia præsumitur per patrem condecenter dotata, numero 11.

Dos non præsumitur soluta, nec euenisse casum nuptiarum, quia tanquam in facto existentia sunt probanda, num. 12.

Legatum cum substitutione hæredis efficitur caducum si primus legatarius moriatur viuo testatore, vel mortuo substituto, num. 13.

Hæredum appellatione in plurali non venit solus hæres institutus, sed veniunt omnes futuri, ídque habet locum in substitutione num. 14.

Fideicommissarius quamuis per longam successionem testatori succedat, dicitur hæres fideicommittentis, num. 15.

Legatum sua conditione relictum non computatur in detractione, nisi constet quòd legatarius simul acquieuerit conditioni, num. 16.

Legatum annuum censetur relictum vt soluatur de fructibus hæreditatis, nisi constet de contraria mente testatoris, num. 17.

DECISIO CCCCXXXII.

Firmata per alias decisiones existentia fideicommissi Andreæ Cattanei, & vocatione & descendentia D. Isottæ & filiarum Ludouicæ eiusdem Isottæ sororis, prætendentium auocare bona à DD. Leonibus & aliis tertiis possessoribus, qui causam habuerunt à Cæsare filio Andreæ prohibito bona vinculata distrahere, quia de fideicommissis vniuersalibus defensiuis regulariter multa solent detrahi & retineri per grauatos, ideo ad hunc effectum placuit Dominis discutere, an, quid, & quantum sit detrahendum.

Quoad primam partem dubij, an sit detrahendum, quod idem videtur importare an competant 1 detractiones possessoribus habentibus causam à Cæsare filio Andreæ fideicommittentis, videbatur DD. non esse immorandum, quia grauatis & eius hæredibus hoc est permissum. Paris. *consil.* 47. *num.* 6. *lib.* 2. *& consil.* 55. *num* 5. *lib* 3. Peregr. *de fideicommiss. art.* 35. *in princ. & per tot.*

Et idem licere videtur habentibus causam ab eis, 2 quibus competunt illæmet actiones quæ venditori competere poterant. *l. dolia §. 1. ff de contrahend. empt. l. emptori, C. de euictionibus.* Oldrad. *consil.* 107. *num.* 8. Alex. *consil.* 46. *num.* 45. *lib.* 1.

Quoad secundam partem quid sit detrahendum, 3

quod videtur respicere qualitatem, aut speciem prætensarum detractionum, nempe funeris impensam, & sepulchri per testatorem ordinati, dotem Isottæ eiusdem testatoris vxoris, legatúmque alimentorum eidem Isottæ relictum, legata pia, æs alienum testatoris, dotes Iuliæ & Lucretiæ filiarum testatoris, & melioramenta in bonis alienatis facta, & demum legitimam, quæ in præsente non excedit trientem, attento numero filiorum Andreæ fideicommittentis.

3 Contendebant vocati in primis nullam habendam esse rationem legitimæ, non ex eo quòd filius non conficiens inuentarium, vt in præsenti dicitur de Cæsare, amittat suam legitimam, quia secundùm veriorem opinionem, de qua per Gabriel. *cons.* 138. *numer.* 33. *volum.* 2. Osasch. *decis.* 30. Vasq. *de success. creat.* §. 8. *num.* 15. & alios allegatos per Grass. *de success.* §. *legitima*, *quæst.* 45. per omissionem inuentarij non impeditur, quin nedum legitima, sed & Trebellianica deducatur, sicut si inuentarium factum fuisset.

4 Sed de ea ratione, quia omisso inuentario cessat præsumptio. *l. cùm de lege*, vbi gloss. insignis *ff. de probat.* itaut filius, quæ de sua intentione sunt, teneatur probare dum excipit aduersùs fideicommissarium de credito legitimæ, & eius quantitate, cùm in hac parte sustineat partes actoris, vt in istis terminis post alios ponderant Did. *variarum resolutionum libro* 2. *cap.* 6. *num.* 4. Peregrinus *de fideicommiss. artic.* 39. *numero* 14. Garz. *patroc.* 60. *libro* 2. & idem sæpius videtur receptum in Rota, vt in Perusina bonorum de Herculanis 2. Iunij 1581. coram Brauo, in Romana legati 29. Aprilis 1613. coram R.P.D. Caualerio, & in Bononien. de Poëtis 4. Maij 1615. coram R.P.D. Vbaldo, ideo si de statu hæreditario non doceatur, quæ scilicet bona fuerint in hæreditate, & quòd alia bona non adfuerint, ex quibus filiis legitimam consequi non potuerit, inutilis dicebatur disputatio pro Leonibus, qui & præsumptione, & probatione carent.

5 Contrarium tamen prætendebant Leones, scilicet non egere aliqua probatione, cùm sint rei & possessores, & ex persona Cæsaris habeant fundatam intentionem, quòd non obstante fideicommisso possint detrahere legitimam de singulis rebus hæreditariis. *l. si patronus, in principio. l. si libertus*, §. *libertus, ff. de bonis libert.* Alexand. *in l. in ratione* 2. *in pr. num.* 6. *ff. ad l. falcid.* Gabr. *consil.* 138. *num.* 1. *volum.* 2. Seraphin. *decis.* 609. *n.* 6.

6 Et pro legitimis detractionibus per retentionem possent consequi satisfactionem in eisdem bonis vinculatis pro concurrenti quantitate rei possessæ.

7 Et qui dicit legitimam esse consumptam, vel detractiones non esse imputandas, eo quia alia bona fuerint in hæreditate, vel esse alienata per hæredes quæ extinguant creditum legitimæ, & detractiones excludant, ipsi incumbit onus probandi, per reg. *l. ei qui dicit. ff. de probat.* Peregr. *consil.* 12. *nu.* 37. *vol.* 1. *& de fideicom. art.* 35. *n.* 24. Honded. *consil.* 72. *n.* 6. *lib.* 1. Rot. *decis.* 633. *n.* 2. *part.* 1. *diuersor.*

8 Cæterùm quia pro DD. Cattaneis docebatur de alienationibus bonorum hæreditariorum factis per Cæsarem, itaut contra Leones vrgeat præsumptio. *l. Marcellus*, §. *res quæ*, vbi etiam Ias. *num.* 12. *ff. ad l. falcid.* Gabr. *in consil.* 138. *num.* 3. *volum.* 2. & per consequens illis incumbebat onus probandi insufficientiam bonorum alienatorum pro creditis & legitima, & è conuerso Leones probabant diuersa credita, ad quæ tenebatur testator, quæ æquipollere prædictis alienationibus, & præsumptionem tollere prætendebant. Ideo placuit Dominis in primis firmare alienationes, & solutiones respectiuè, & quantitatem earum, vt inde maturiùs deliberari possit, quæ ratio istius legitimæ, & aliarum detractionum esset habenda.

Incipiendo igitur ab alienationibus & creditis hæreditariis, probatur ex instrumento secundæ diuisionis, quòd Sixtus habuit ex bonis communibus cum Andrea eius fratre libras 11064. ex quibus promisit soluere Cæsari pro eius medietate libras 5532. prout postea ei fuerunt solutæ, vt ex instrumento solutionis patet, dum hæredes Sixti soluerunt Cæsari libras 4226. pro residuo librarum 5532. & quamuis diceretur hoc creditum potuisse creari cum Cæsare post obitum Andreæ, cùm de anno 1522. inita fuerit conuentio inter Andream & Sixtum super extrahendis pecuniis ex massa communi pro coadæquatione dotium filiarum nubilium, & de anno 1527. decesserit Andreas, & vsque ad annum 1535. durauerit communio inter Sixtum, & Cæsarem, quo medio tempore potuit contingere extractio pecuniarum ad eum effectum; tamen fuit responsum satis apparere creatum cum Andrea ex natura socialis conuentionis, quæ per mortem Andreæ dissoluta remansit. *l. adeò, & l. actione*, §. *morte, ff. pro socio*, itaut nedum redditus, & fructus Cæsaris non intrarunt massam, quia de eis particularis ratio reddenda erat per tutores Isottam matrem & Sixtum, & prout reddita fuit; sed neque intrare poterant, quia non supererant, ex quo propter mala tempora tutores coacti fuerunt stabilia alienare, vt legitur in secunda diuisione.

Præterea probatur peruenisse ad manus Cæsaris 9
libras 1500. ex pretio vnius possessionis venditæ pro libris 3000. nec videtur posse euitari, quin hæc bona pro ea parte essent de hæreditate Andreæ stante communione omnium bonorum inter Andream & Sixtum enunciata in eodem instrumento secundæ diuisionis, & venditione per Sixtum facta communi nomine, scilicet proprio, & Cæsaris, antequam subsequuta esset inter eos diuisio. Ex quibus intrat præsumptio quòd filius habuerit à patre quidquid habere reperitur, nisi contrarium probetur. Bald. *in l.* 2. *C. de patr. potest.* Crauett. *in rubric. ff. de legat.* 1. *num.* 43. Menoch. *consil.* 207. *num.* 12. Nec dissentit Surd. qui examinat hunc articulum *decis.* 339. quando, vt in præsenti, non effluxit longum tempus à die mortis testatoris ad diem diuisionis, & filius non confecit inuentarium, propterea nisi probantur de hæreditate, & bonis Marci Antonij, cessat allegata possibilitas ad æquiuocandam probationem deducta.

Peruenerunt etiam ad manus Cæsaris aliæ libræ 750. ex pretio retrouenditionis domus factæ Maluetiis pro libris 1500. quæ domus verè probatur de hæreditate Andreæ, ex assertione Cæsaris in instrumento concordiæ cum Ioanne de Maluetiis de anno 1543. quidquid incidenter dixerit Ioannes filius dicti Bartholomæi in actu retrouenditionis, quòd Cæsar conduxerit eandem domum de anno 1517. 20. Augusti.

Demum pro adequatione bonorum diuisorum inter Sixtum, & Cęsarem eius nepotem eidem peruenerunt per assignationem in prima diuisione libræ

bræ 225. quæ cùm deberentur ex causa permutationis bonorum à quodam Casciano Imolensi, de earum exactione non videtur dubitandum, cùm debitor non soluendo fieri non potuerit, attenta reali obligatione, & regressu ad bona permutata, & hæc partita vnà cum aliis suprascriptis constituit summam librarum octo millium.

10 Ex solutionibus verò, siue creditis, quæ ex persona Cæsaris opponuntur, Primò iustificatur creditum dotis maternæ eiusdem Cæsaris pro summa librarum 2000. & aliarum librarum 200. ad eandem matrem spectantium ex confessione Andreæ mariti in testamento, per quod Cattanei suum fideicommissum probant, nec censetur confusum per aditionem hæreditatis sine beneficio legis & inuentarij. *l. debitoris, C. de pactis. l. sui. §. in computatione, C. de iure deliberand.* quia creditum post aditam hæreditatem superuenit per mortem Isottæ matris, cui successit Cæsar. quo casu per imaginariam solutionem non confunduntur actiones, vt sæpiùs Rota distinxit inter hæredem creditorem ante, vel post aditam hæreditatem, signanter in causa Bononien. de Bonsignoribus die 20. Nouembris 1615. coram R. P. D. de Caualeriis.

Secundò probantur expensæ funeris saltem in scutis quinquaginta, quæ constituunt summam librarum 280. & Dominis visa est condecens.

Tertiò videbantur etiam excomputandæ pro aliqua parte illæ libræ 1500. ex pretio possessionis supradictæ venditæ pro summa librarum 3000. cùm legantur per Sixtum & matrem Cæsaris conuersæ, etiam in solutionem debitorum, onerum, & grauaminum relictorum per Andream, quæ in legitimæ extinctionem cedere non debent.

11 Et respectu dotis Iuliæ scutorum mille ad eam summam ab Andrea patre, & testatore taxatæ, non impugnatur per Cattaneos, sed pro maiori summa contendunt fideicommissarios non esse grauandos, ex quo grauatis non videtur concessa talis facultas stante præsumptione pro patre, vt condecenter filias suas dotauerit. Castrens. *consil. 275. num. 6. lib. 1.* Seraph. *decis. 940. num. 6.* cum aliis allegatis, quod tamen poterit particulariter disputari si Leones non acquiescant.

Cætera autem credita non videbantur Dominis iustificata.

12 Nam pro dote Lucretiæ sororis Iuliæ, & pariter testatoris filiæ, non probatur quòd euenerit casus nuptiarum in conditione per testatorem positus, vel quòd dos fuerit soluta, quæ necessaria sunt, cùm non præsumantur tanquam in facto consistentia, Bald. *consil. 219. lib. 2.*

13 Neque dicatur dotem prædictam omnino esse detrahendam siue euenerit casus nuptiarum, siue ante nuptias Lucretia decesserit, cùm testator voluerit, si accidisset casus mortis earum, vel alicuius earum ante diem legati, quòd infrascripti eius hæredes superlucrarentur omne relictum, quia potuit decessisse viuente testatore, vel mortuo Cæsare. in quibus casibus legatum vel caducum remanebat, *l. vnica. §. pro secundo, C. de cad. toll.* vel Cæsari nihil poterat dici quæsitum vt posset transferre ad suos hæredes.

14 Et vlteriùs substitutio de hæredibus testatoris non videtur restricta ad Cæsarem solùm, sed ad omnes futuros, cùm loquutus fuerit de hæredibus in plurali. Anchar. *consil. 392. numer. 3.* per *l. stipulatio ista, post princip. §. sin autem. ff. de verb. oblig.*

Et per consequens hæredes Cæsaris nihil acquirent, sed fideicommissarij, cùm dicantur hæredes Andreæ, quamuis per longam successionem testatori succedant. *l. fin. C. de hæredibus instituend. l. qui per successionem ff. de reg. iur.* Peregrin. post alios *consil. 19. num. 1. lib. 2.* 15

Similiter legatum alimentorum Isottæ vxoris testatoris non probatur quòd habuerit effectum, nisi simul ostendatur eandem Isottam acquieuisse conditioni appositæ per testatorem de conferendo dotes suas fauore alimentantium, & vlteriùs quatenus deberetur simile legatum non est absolutum quod ad debitum hæreditatis sit ponendum, quia annuum est, & vt teneatur desiderat aliquod indicium mentis testatoris, vt fuit ponderatum in causa Senogallien. prædij 18. Martij 1616. coram R. P. D. Andrea. 16

Et ita dicendum videtur de legato librarum 150. relicto Monialibus Sancti Bernardi, quia etsi constet de illius solutione, attamen vti distributum in sex annos, & singulis annis pro rata videbatur conuenire eandem rationem quæ de annuis legatis, vt scilicet de fructibus ab hærede sint persoluenda nisi colligatur mens testatoris contraria. 17

Legata pia non apparent soluta, & habent eandem difficultatem, vt de fructibus, non autem de substantia sint persoluenda.

Sepulchrum à testatore ordinatum cum impensa scutorum 100. neque illud probatur ædificatum, itaut pro prædictis in præsenti nihil videatur detrahendum.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Terracinen. Paludum. Veneris 10. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Ex summariis sume argumentum.

SVMMARIVM.

Consensus præstitus in vna re extenditur ad aliam, num. 1.

Sententia recipit passiuam interpretationem à iure communi, num. 3.

Nouatio censetur inducta per sententiam continentem quid incompatibile cum instrumento, num. 4.

DECISIO CCCCXXXIII.

Bis fuit coram me decisum contra nominatos in instrumento locationis tenutarum Plani, & Carrariæ in solidum esse faciendam executionem. Verùm ad nimiam Bonificatorum instantiam, cùm super eisdem causam denuo proposuissem, Domini steterunt in decisis. Nec obstat replicatio de nouatione respectu tenutæ Plani facta per sententiam bo. me. Cardinalis Platti, & sic ratione indiuiduitatis, etiam quoad Carrariæ tenutam censeri contractum innouatum, quia fuit responsum id posse locum habere, si Bonificatores totius contractus rescissionem intentassent. Verùm cùm ad Plani tenutam se tantummodo restrinxerint, & voluerint alteram Carrariæ retinere, videntur assensum præbuis- 1

ſe, quòd huiuſmodi fieret diuiſio, firmo in reliquis contractu remanente, vt fieri potuit. *l.ſi plura*, vbi gloſſ. *in verbo ædilitia,& l.penult.ff.de ædil.edict.*

2 Quod autem Bonificatores ad Plani tenutam ſe reſtrinxerint, apparet ex petitionis concluſione, ibi, *propterea dictam ceſſionem & reſpectiuè receptionem dictæ tenutæ Plani*, &c. nec non ex ſententia ibi Bonificatores, reſpectu dictæ tenutæ Plani ad aliquam penſionem minimè teneri.

3 Non obſtat Cardinalis Platti ſententiam eſſe intelligendam pro virili. Nam vltra deducta, reſpondetur ſententiam à iure communi paſſiuam interpretationem recipere. *l.Herennius,ff.de euict.l.miles, §.decem.ff.de re iudic.* Aym. *conſil.* 74 *num.* 9. Rota *deciſ.* 112. *num.* 2. *p.* 2. *diuerſ.* De iure autem Bonificatores in ſolidum erant condemnandi, cùm illorum obligatio reſpectu tenutæ Carrariæ firma remaneret.

4 Nec valet dicere nouationem fuiſſe factam, ex quo ſententiam reſpectu tenutæ Carrariæ mandat pro rata fructuum ſolui penſionem, quod cum inſtrumento dicitur incompatibile; contractus enim, quia reſpectu tenutæ Carrariæ non reſoluebatur, penſio debebat quoad illam firmari; neque per hoc totus contractus reſciſſus dicebatur. *d.l.ſi plura mancipia,& l.penul.ff.de ædil.edict.* Præterea quoad partem pretij remanentis, non videtur contractus innouatus, cùm implicitè illud in primo pretio contineatur. Et in omnem euentum reſpectu pretij nouatio fieri poterat, non reſpectu obligationis inſolidum, de qua nihil fuerat actum.

5 Non obſtat mandatum à R. P. D. Maggio fuiſſe relaxatum vigore ſententiæ Cardinalis Platti, non in executionem obligationis in ſolidum in inſtrumento contentæ in actis tunc temporis non exhibito, & per conſequens executionem hodie pro virili tantummodo eſſe faciendam. Quia ex iuribus pro communitate productis apparet, ante ſententiam Cardinalis Platti fuiſſe dictum inſtrumentum exhibitum, & ſucceſſiuè pluries in actis repetitum, vnde allegari non poteſt mandatum in vim huius inſtrumenti relaxatum non fuiſſe, cùm præſertim in ſententia liquidatoria Domini Maggij repetiatur clauſula, *quatenus opus ſit de nouo relaxamus*, ex quo clarè patet illud reſtrictum non fuiſſe ad mandatum vigore ſententiæ Cardinalis Platti emanatum. Denique omnis videtur ſublata difficultas, cùm vltimo loco præuia dicti inſtrumenti repetitione per me fuerit mandatum relaxatum.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana pecuniaria. Lunæ 13. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

De ſolutione facta à debitore, ſeu fideiuſſore, in quam cauſam facta cenſeatur.

SVMMARIVM.

Solutione eius quod debetur, omnis tollitur obligatio, num. 1. in fine.

Intereſſe non debetur extincto debito per ſolutionem, ibid.

Solutio dicitur facta in illam cauſam, in quam debitor declarauit, num. 2.

Solutio facta à fideiuſſore in dubio cenſetur facta pro extinguenda propria obligatione, ibid. in fine.

Fideiuſſoris ſolutione quando debitor principalis liberetur, numer. 3.

Obſeruantia ſubſequuta declarat in quam cauſam ſit facta ſolutio debiti, num. 4.

Mandatum Procuratoris non dicitur non ſeruare qui illud pignus adimplet, num. 5.

DECISIO CCCCXXXIV.

1 Domini de Palagiis, & Falconeriis, qui ſoluerant pro bo. me. Philippo Guicciardino ſcut. 12000. D. Carolo Barberino, receperunt die 17. Decembr. 1609. ab Octauio Bubalo ſcut. 5184. cum ordine, vt de iis darent creditum Philippo, *per farne ſua volontà ò del Reuerendiſſ. Monſig. Luigi Guicciardino ſuo fratello*, circa quam ſummam orta fuit dubitatio, de quo tempore cederet in extinctionem debiti Dominorum de Guicciardinis, an de dicto tempore factæ ſolutionis à Bubalo, an verò de tempore ſolidationis vltimæ factæ inter partes de anno 1615. Et Domini reſoluerunt, cedere in dictam extinctionem de hoc vltimo tempore ſolidationis; & ratio fuit, quia de tempore ſolutionis D. Octauius expreſsè mandauit, vt illa ſumma poneretur ad creditum Philippi Guicciardini, & vt ſeruaretur eius, vel fratris voluntas, vt dictum eſt, qui frater expreſsè ordinauit ſcut. 5184. poni, & teneri ſub cambiis, vt ibi dicitur, *per conto à parte Filip. Guicciad.* ad effectum, vt tam capitale, quàm lucra ſoluerentur eiſdem mercatoribus in extinctionem ſcut. 12000. & intereſſe decurrendorum, quæ fuerunt per ipſos mercatores ſoluta Barberino pro D. Philippo, vt latiùs in dicto ordine continetur, vnde apparet, quòd ſi Guicciardini voluerunt ſummam ſolutam à Bubalo retineri ſub cambiis eorum nomine, non potuit dicta ſolutio cedere in præſentem extinctionem debiti Guicciardinorum cum Palagiis, & Falconeriis, cùm implicent contradictionem hæc duo; quòd pecuniæ extinguant debitum, quo caſu eſſent effectæ creditorum, & quòd permaneant ſub cambiis nomine ipſorum debitorum, quod eſſe non poſſet, niſi pecuniæ eſſent de dominio debitorum. *l.vbi repugnantia*, & ibi Doctor. *ff.de regul.iur.* Et accedit etiam quòd in eodem ordine dicitur, *che tanto il capitale quanto gli vtili ſeguiſſero, deuono pagarſi à voi medeſſimi in eſtintione di ſcut.* 12000. *& intereſſi, che decorrerano.* nam ſi de tempore ſolutionis, ea cedere debuiſſet in extinctionem ſortis pro rata ſoluta, non potuiſſet in futurum pro dicta rata extincta currere aliquod intereſſe, cùm ſolutione eius quod debetur, omnis tollatur obligatio. *Inſtit. in princip. de oblig.* & deficiente ſorte, deficiant etiam vſuræ. *l.ſi conſtat.* vbi Doctor. *C.de compenſat.* vltra quòd illa verba in futurum concepta *deuono pagarſi in extintione,&c.* ſatis oſtendunt, extinctionem non fieri de præſenti.

2 Non obſtat partita in libris mercatorum annotata ſub die 10. Decembris 1609. in illis verbis, *diſſe pagarli per reſto, & final pagamento del denaro, che reſta debitore dell' amminiſtratione delle Dogane del patrimonio, & eſtintione delli ſc.* 3000. *& intereſſi decorſi delli ſc.* 12000. Quæ verba videntur ſonare in præſentem extinctionem, quia fuit reſponſum, tùm quòd ſtante declaratione præcedente ipſius ſoluentis, quòd expectaretur ordo Dominorum de Guicciardini, & ſtante ordine R.P.D. Guicciardini quòd pecuniæ

pecuniæ starent sub cambiis ad Philippi commodum, vt suprà est ostensum, cessabat facultas recipientis, in quam causam vellet solutam pecuniam cedere, sed illam à debitore electam debuit præcisè admittere. gloss. & Doctor. *in l.1.ff.de solut.* Rota *decis.679.num.7.part.1.diuers.* & fuit dictum in Anconitana pecuniaria 22. Iun. 1590. coram bon.mem. Cardinali Pamphilio, tum quòd illa verba, *per estintione*, commodè possunt intelligi de extinctione obligationis Bubali, qui tanquam fideiussor interesserat in summa sc.3000. pro Guicciardinis, non autem obligationis, & debiti Guicciardinorum, vt etiam indicant verba sequentia, *per laqual somma sua Signoria ciera obligato, & questo giorno si è leuato d'obligo* prout re vera fuit liberatus illa die per publicum instrumentum, cum clausula; *firmis remanentibus aliis obligationibus ad fauorem mercatorum factis tam à supradictis Guicciardinis, quàm ab aliis.* Illa enim verba partitæ clarè respiciunt obligationem Bubali, prout etiam fideiussor in dubio censetur soluisse pro extinguenda propia obligatione. Bart. *in l. Modestinus sub num. 4. vers. 2. casu*, & ibi Castr. *num. 3. ff. de solut.*

3 Et quatenus replicabatur, quòd immò per solutionem factam à fideiussore liberetur etiam debitor principalis, saltem ope exceptionis, ex allegatis pro Dominis Guicciardinis, placuit responsio data quòd secus sit, quin apparet, partes aliud voluisse facere. Bart. *in l. si quis reum, num. 1. & 2. ff. de lib. leg. l. fideiussoris*, cum ibi not. *ff. de pact.* Berol. *consil. 103. nu. 17. vers. præterea lib. 3.* prout in proposito apparet ex ordine Bubali ex partita mercatorum, & instrumento liberationis suprà relatis.

4 Et demum videbatur cessare difficultas ex obseruantia subsecuta, cùm mercatores retinuerint, vt priùs eorum creditum sc. 12000. sub cambiis ad damnum Guicciardinorum, & dicta cambia fuerint à Guicciardinis per plures annos approbata, necnon dictæ partita scut. 5184. posita sub cambiis ad commodum eorundem de Guicciardinis, & per eos admissa iuxta annotationem in conto à parte, & tandem visis omnibus partitis recambiatis, & discussis, factum fuit finale computum, & approbatum per eosdem Guicciardinos, vt in summario de Falconeriis *numero 6.* & facit in terminis Rota *dicta decis. 679. num. 7. part. 1.* & in Romana cambiorum 21. Aprilis 1586. coram Bubalo, vt in copia data.

5 Nec releuat, quòd ordo R. P. D. Guicciardini non videatur obseruatus per Pelagios, & Falconerios, qui non posuerunt in computo currenti scut. 35. Quia in reliquis scut. 5184. ordo fuit seruatus ad vnguem, ponen. & tenen. ea sub cambiis per conto à parte Philip. Guicciard. & licèt dicta scut. 35. inaduertenter etiam fuerint cambiata, non debet nocere mercatoribus, tum propter modicitatem summæ, ad *l. scio ff. de in integr. restitut.* tum quia id cessit in maius lucrum Dominorum de Guicciardinis, & vtique non dicitur mandatum non seruatum, qui illud pinguius adimplet. *l. si hominem. ff. mand.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 36. gloss. 2. num. 59.* Surd. *decis. 268. 268. numer. 25.* Rota *decis. 31. num. 1. part. 2. diuers.*

6 Vltimò, nec obstat prætensus error Dominorum de Guicciardinis, quia nec probatur, nec præsumitur, præsertim stantibus tot approbationibus, vt in dicta Romana cambiorum coram Bubalo.

Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. MARTINO ANDREA.

Romana fideiussionis. 13. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Simulatio contractus, quando præsumatur, & quibus coniecturis probetur.

SVMMARIVM.

Obligatus vti principalis principaliter, & insolidum, cum obligatione Camerali condemnatur æquè vti principalis debitor, etiam non excusso principali, n.1.

Contractus simulatus & factus in fraudem vsurarum exequi non potest, num.2.

Simulatio in contractibus per coniecturas, & præsumptiones sufficienter probatur, num.3.

Simulatio in contractibus, quoad effectum probandi esse in fraudem vsurarum per coniecturas, & præsumptiones probatur, num.4.

Præsumptiones & coniecturæ ad probandum simulationem debent esse efficaces & dilucidæ & coniecturæ legis & non hominis, num.5.

Simulatio contractus, & suspicio vsurarum non deducitur ex pacto de retrouendendo, quia tale pactum est vtroque iure permissum & licitum, num.6.

Simulatio contractus ex pretij modicitate iuncta cum pacto de retrouendendo benè deducitur, si tamen modicitas est vsque ad dimidium iusti pretij, num.7.

Pactum de retrouendendo minuit de vero valore vsque ad tertiam partem, & de hac habenda est ratio in consideratione modicitatis pretij ad effectum arguendi simulationem, num.8.

Pretij modicitas non dicitur interuenire, etiamsi res minoris ematur, quoties res emitur ad vitam, & à venditore decocto & sine fideiussione de euictione, num.9.

Simulatio contractus non deducitur ex eo, quòd venditor adhuc remanet in possessione, si superuenit titulus locationis, num.10.

Locatio incontinenti facta post venditionem eidem venditori ex se non arguit contractum simulatum aut vsurarium, num.11.

Simulatio non præsumitur, neque per coniecturas probatur, quoties nulla adest causa simulandi, num.12.

Simulationis suspicio excluditur ex præexistenti causa vera contrahendi, num.13.

Contractus duo perfectè & distinctè celebrati, vnus non infert ad simulationem alterius, num.14.

Locationi stare tenetur creditor per Saluianum interdictum immissus, num.15.

Euictio sequuta non liberat conductorem à præstatione pensionum, si euictio, facto, & culpa conductoris prouenit, puta quia ipse esset debitor euincentis, num.16.

Verba vndequaque, & quomodocumque sunt vniuersalia, & non admittunt restrictionem, num.17.

DECISIO CCCCXXXV.

Rota censuit decretum A.C. & R.P.D. Torelli ab eo deputati esse confirmandum, quia contra eius validitatem nihil adducitur, & de eius iustitia constat ex instrumento locationis domus pro scutis 300. annuis factæ Arronio, cui vti principalis principaliter, & insolidum accessit Ioann. Baptista, 1

qui propterea stante eius in forma Cameræ obligatione bene fuit ad solutionem pensionum condemnatus Bart. *in l. 2. num. 5. & in l. eandem. num. 5. ff. de duob. reis*, Castr. *in l. sed Iulianus in prin. ff. ad Maced.* Alex. *cons. 29. nu. 36. lib. 7.* Natt. *consil. 52. n. 1.* Mohed. *decis. 2. de fideiuss. cum simil.*

2 Nec obstare quòd iste contractus vti simulatus & factus in fraudem vsurarum exequi non poterat, Bald. *in l. fin. §. in computatione, num. 18. C. de iure delib.* Alex. *consil. 101 n. 5. lib. 3.* Socin. *consil. 27. num. 30. lib. 4.* Canar *de exeq. instrum. qu. 13.* cum aliis per Modern. *discept. forens. cap. 264. num 45.* & latiùs per Carol. de Graff. *in tract. de except. cap. 12. num. 1.*

3 Quæ simulatio deducitur ex pluribus coniecturis & præsumptionibus, de quibus hîc per informantes, & quæ sufficiunt secundùm magis communem opinionem ad eam proban. Bald. *in l. emptione. n. 3. C. plus val. quod agitur*, Castren. *consil. 58. n. 3. lib. 2.* Dec. *consil. 543. num. 13. & consil. 644. num. 4.* Crauett. *consil. 156. num. 7.* Ceph. *consil. 198 num. 16.* & plures alios cumulat Farinac. *de fal. & simulat. quæst. 162. n. 7.* quam etiam passim Rota sequitur, vt per Seraphin. *decis. 660. num. 3.* cum aliis allegat.

4 Idque etiam si agatur de simulatione in fraudem vsurarum, adhuc enim probatio præsumptiua sufficit. *cap. ad nostram*, vbi gloss. *in verbo quod patet, de empt. & vendit. cap. illo vos, de pignor.* & vtrobique Doct. Roman. *consil 423. num. 14. in fin.* Mantic. *de tacit. & ambig lib. 8. tit. 17. num. 6.* Castill. *controuers. iur. cap. 25 num. 22.* cum aliis per Farinac. *dict. quæst. 162. num. 102.*

5 Quia tales coniecturæ & præsumptiones debent esse efficaces & dilucidæ. Veral. *decis. 163. nu. 5 part. 3.* & fuit dictum in Rom. census 26. Nouembr. 1604. coram Illustrissimo Ludouisio apud Modern. *de oblig. Camer. decis. 150. numer. 5.* Imò requiritur vt sint coniecturæ legis, & non hominis, Bald. *consil. 21. numer. 2. ad fin vers. Nec sufficiunt lib. 4.* Aym. *consil. 145. num. 2. vers. quod tamen.* Verall. *vbi suprà, num 7.* Rota in Beneuentana donationis 27. Nouembris 1585. coram Gipsio.

6 Coniecturæ autem quæ pro simulatione istius contractus, & vsurariæ fraudis in medium afferebantur, omnes deductæ ex simulatione venditionis eodem die celebratæ correspectiuitate ad illam visæ sunt DD. satis leues, aut saltem non ita efficaces, & dilucidæ prout requiritur. Nam prima quæ deducitur ex pacto de retrouendendo ex se ad simulationem & vsuræ suspicionem non infert, cùm tale pactum suapte natura licitum sit vtroque iure. *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendit.* gloss. & Doctor. *in d. cap. ad nostram, & in cap. conquestus, de vsur.* Tiraqu. *de retract. conuent. in præfat. num. 2. & 3.* Honded. *latissimè consil. 33. num. 64 & seq. lib. 2.* Farinac. *de fals. & simul. quæst. 163. num. 20.*

7 Secunda coniectura ex modicitate pretij quæ iuncta cum pacto de retrouendendo sufficit ad probandam simulationem iuxt. opinionem quam Rota sequitur, vt per Cassad. *decis. 1. & 2. de vsur.* non subsistit; quia ad hunc effectum requiritur probatio modicitatis vsque ad dimidiam iusti pretij. Honded. *consil. 33. num. 62.* vbi de communi, Franc. Marc. *decis. 484. numer. 21. part. 1.* cum aliis allegatis in Bonon. de Ballis, 19. Martij, & 8. Iunij 1607. coram Reuerendiss. Lugdunen.

8 Et in constituenda ista dimidia iusti pretij habenda est ratio pacti de retrouendendo quod minuit de vero valore circa tertiam partem etiam ad arguendam simulationem, Tiraquell. *de retract. conuent. in præfat. num. 20.* Couarr. *lib. 3. var. cap. 10. num. 1.* Honded. *vbi supra, n. 63.* Riminald. iun. *consil. 218. n. 117.* Gramm. *decis. Lusit. 138. n. 2. & decis. 178. num. 9.* & dixit Rot. *in eadem Bononien.*

Quæ modicitas pretij hîc non concurrit, esto quòd domus reditus scut. 300. fuerint venditæ pro scut. 2000. & sic ad rationem 15. pro centenario tum ex supradictis, tum quia dicta venditio facta Coronato fuit ad vitam quinque eius filiorum, cum pacto quòd pretium deberet lucrari pro rata scut. 400. per mortem cuiuscumque, & valde erat contingens aliquem prædecedere, tum quia emebatur ab Arronio ferè decocto, prout euentus docuit, & sine aliqua euictionis fideiussione, nisi pro pensionibus ex contractu locationis, quæ omnia debent considerari ad æstimandum valorem, cúmque longè minorem reddunt. iuxt. trad. per Doct. *in l. 2. C. de rescind. vend.* Surd. *consil. 217. n. 31. vers. vltimò non obstat, in fin & num. seq.* 9

Tertia, quòd venditor remanserit in possessione, iuxt. *l. sicut, §. superuacuum. ff. quibus mod. pign. vel hypoth. solu* & ipsa cessat stante superueniente titulo locationis, Rom *consil. 304. sub num. 3. vers. secundò potest responderi*, cum aliis per Rot. *decis. 116. numer. 10. & 12 part. 2. diuers.* & fuit dictum in Romana simulationis venditionis 4. Maij 1601. coram Iusto in Ciuitatis Castelli bonorum 8 Februarij 1612. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Bononien. de Monterentiis 30. Martij 1607. coram bon. mem. Pegna. 10

Quarta, quòd statim sequuta venditione facta fuit locatio eidem venditori, non arguit ex se contractum simulatum, aut vsurarium, Alexand. *consil. 121. per tot lib. 5.* Crauet. *consil. 145. num. 4. vers.* & in terminis nostris. Modern. Bonon. *lib. 2. var. cap. 132. num. 12.* 11

Et tanto magis hæc sententia placuit Dominis, quia prædictæ & aliæ coniecturæ, de quibus hîc per informantes, etiamsi concurrerent in casu nostro, illæ non essent attendendæ, postquam nulla aderat causa simulandi, Bart. *in l. post contractum n. 2 ff de donat. & cons. 65 n. 4. lib. 1.* Anchar. *cons. 227. n. 3.* Ægid. *decis. 715. num. 2.* & pluries tenuit Rot. & signanter in vna Romana de Massis 13. Iunij & 4. Iulij 1601. coram bon. mem. Corduba, & in dicta Bononien. bonorum, de qua suprà, coram bon. mem. Pegna, & in eadem 2 Decembris 1613. coram R.P.D. meo Dunozetto, in qua plures, & vrgentiores coniecturæ adducebantur pro simulatione. 12

Non obstat quòd Arronius vrgeretur à creditoribus, quia cùm re vera potuerit sic contrahere, & ad effectum se liberandi ita contraxerit, & pretium deposuerit, ac creditoribus satisfecerit, omnis cessat suspicio simulationis. Crauett. *consil. 319. num. 9. in fin.* Rot. in d. Romana census, coram Illustrissimo Ludouisio apud Modern. de obligat. Camer. *decis. 150. numer. 10. vers. Non obstat.* Imò, vt ibi subditur *numero 12.* ista præexistens causa, quæ vera fuit, excludit suspicionem simulationis, vt in Fauentina bonorum 2. Aprilis 1571. coram bon. mem. Card. Lancellotto. 13

Postremò, Domini aduertebant quòd isti duo contractus fuerunt celebrati cum omnibus suis substantialibus, & fuerunt penitus distincti & separati: venditio enim fuit facta Coronato ad vitam quinque eius filiorum pro pretio scut. 2000. & locatio fuit facta Arronio ad quinquennium pro annua pensione 14

pensione scut.300. Vnde excluditur omnis simulatio & vsuraria prauitas, vt latè per Modern. Bonon. *vbi sup. d. cap.132. num.1.2.7. & 8.* vbi agit de duobus contractibus, & in casu in omnibus huic nostro simili, & obiecta tollit.

Excessiuitas autem pensionis non ad simulationem, & vsuram, sed potiùs ad iniustitiam pertinet, quæ nec etiam probatur, quia debet esse vltra dimidiam, & tunc agi vel ad rescissionem, vel ad supplementum, iuxt. text. *in l.2. C. de rescin. vend.*

15 Non etiam placuerunt deducta circa resolutionem contractus locationis ex immissione obtenta à sorore Fabij vigore Saluiani, tũ quia per talem immissionem plenum ius non dicitur acquisitum creditori, qui propterea tenetur stare locationi. *l. in venditione. §.1. ff. de bon. auth. iud. possid. l. si filiofamilias. §. si vir in quinquennium,* vbi Bart. *sub num.1. vers. Aut ei non est constitutum. ff. sol. matr.* Ias. *de communi in l. diuortio. num.34 ff eod.* Guidopap. *decis.480. nu.5. vers. 3. fallit,* cum aliis in Romana Casalis 1. Iulij 1602. coram Illustrissimo Ludouisio apud Modern. Roman. *de Saluian. interdict. decis.105. n.10.*

16 Tum quia dato absque veri præiudicio quòd verè fuissent euictæ domus, ita vt propterea non potuisset Arronius illis vti, cùm tale impedimentum processisset culpa & facto ipsius Arronij, qui erat debitor euincentis, teneretur nihilominus ad pensiones. *l. colonus, penult. §. fin.* vbi not. Bart. *ff. locat.* gloss. *in l. si vno. §. item cùm quidam, verbo personis, vers. si verò stetit per conductorem,* & ibi etiam Bart. Bald. Castrens. Fulgos. & Salic. *ff. eod.*

17 Nec releuat quòd impedimentum prouenerit ab Arronio vti hærede & venditore, sed non vti conductore, pro quo Ioanne Baptista fideiussit, quia Arronius & Ioannes Baptista in instrumento conductionis se obligarunt soluere illam pensionem scut.300. non obstantibus sequestris & aliis quibuscumque impedimentis vndequaque, & quomodocumque prouenientibus, &c. quæ verba sunt adeò vniuersalia, vt nullam restrictionem admittant, Dec. *cons.529. num.2.* Mandel. *cons.322. num.31.* Decian. *cons.3. num.132. & seqq. lib.1.* & comprehendunt omnia impedimenta etiam maiora expressis, Crescen. *decis.1. num. 3. cum duob. seqq. de priuileg.* etiam quæ impropriè dicerentur impedimenta, Surd. *cons. 453. num.8.* Menoch. *cons.324. num. 7.* itaut Coronatus videatur omni meliori modo sibi cauere voluisse pro pensionibus istarum domorum.

Ex quibus & aliis adductis per informantes ita decisum.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Fulginen. mercium. Lunæ 13. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Dominium rei emptæ acquiritur illi, qui nomine suo rem emi mandauit, & iuramentum calumniæ suppletur per terminos substantiales.

SVMMARIVM.

Venditæ rei dominium acquiritur illi cuius nomine, & comandante emptio facta fuit, n.1. in fine.

Iuramenti calumniæ omissio suppletur per obseruationem terminorum substantialium, n.3.

DECISIO CCCCXXXVI.

Dominis placuit decisio coram me sub die 12. Decembris præteriti, quòd videlicet confirmanda esset Auditoris Cameræ sententia, in qua Roncalli condemnantur, merces, de quibus agitur, vel earum pretium illis de Coymans venditoribus restituere, cùm ab ipsis dominium abdicatum non fuerit. Roncalli enim, quibus merces fuerunt transmissæ, ob mandati formam non adimpletam recusarunt eas recipere, nec potuit dominium acquiri Nauarolis, qui simplices tantùm mandatarij pro Roncallis extiterant, ex allegatis in decisione. Nec valet dicere Nauarolos emptores fuisse, non mandatarios, quia contrarium fuit probatum, & licèt pro istarum mercium emptione Roncalli cum Nauarolis, non autem cum illis de Coymans egerint, non tamen propterea sequitur dominium in Nauarolos fuisse translatum, cùm ipsi pro Roncallis huiusmodi merces transmitti curauerint, vt ex litteris productis apparet, ex quibus benè probatur Nauarolos mandatarios extitisse. *l. communis seruus. §. 1. ff. de acquir. possess. l. si Procurator. ff. de acquir. rer. domin. l.1. C. per quas personas nob. acquiritur.* Paris. *cons.47. n.16. lib.1.* Rot. Ianuen. *decis.127. n.8.* 1

Non obstat ex litteris eorumdem de Coymans probari venditionem fuisse factam Nauarolis. Cõtrarium enim potiùs arguitur, cùm in illis dictæ merces, vnà cum impensis ad eas necessariis fuerint à Coymans transmissę Roncallis, & quamuis in computo legantur hæc verba, *per conto de Nauaroli.* Ex hac tamen descriptione solùm infertur venditores fidem Nauarolorum sequi voluisse, non autem contractam inter ipsos fuisse emptionem, & venditionem, vt in simili fuit ponderatum in Colonien. seu Romana mercium prima Iunij 1612. coram R.P. D. Pamphilio. Quod ex litteris pariter illorum de Roncallis confirmatur, in quibus rogant ipsi Nauarolos pro mercium transmissione his verbis, *A farci restari ben seruiti,* quæ supponunt ad eosdem Roncallos merces fuisse transmittendas. Vnde si Coymans Nauarolis eas vendere intellexissent, ad ipsos, non autem ad Roncallos dictas merces transmisissent, quas propterea Nauaroli, cùm non receperint, nec ideo videre potuerint an mandati forma esset adimpleta, dici non potest ad ipsos dominium fuisse translatum. *l. nec vtile,* vbi Bartol. Bald. & alij, *ff. ex quibus caus. maior.* Ancharan. *consil. 351. num.1. versic. Ex hoc consequenter.* Castrens. *cons. 332. lib.2.* 4

Denique non obstat prætensa nullitas sententiæ Auditoris Cameræ ob omissum iuramentum de calumnia. Nam difficultas remouetur ex terminorum substantialium obseruatione, inter quos cùm vnus existat ad iurandum de calumnia, eo seruato tale iuramentum præstitum dicitur, vt Rota censuit in Romana seu Bonon. census 7. Maij 1601. coram Corduba, & in Romana rescissionis contractus 16 Martij 1590. coram Pegna, & in Lucana parochialis 12. Maij 1603. coram eodem. 5

R. P. D. PIROVANO.

Romana repetitionis pecuniarum. 13. Martij 1617.

ARGVMENTVM.

Quitantiæ liberant soluere debitum, etiam non probata vera numeratione, & expensæ liquidantur per leuiores probationes, & per scripturam priuatam, iunctis adminiculis.

SVMMARIVM.

Liquidatio quantitatis expensarum, præsupposito quòd debeantur, fit sufficienter per leuiores probationes, & creditur proprio libro scribentis circa quantitatem, n.1.

Confessio de recepto facta per creditorem liberat, nec opus est probare veram numerationem, n.2.

Quitantia particularis creditoris, etiam quòd formiter recognita non sit probat; si concurrunt adminicula, veluti substantia debiti, congruitas pretij, quòd aliàs non laborasset, necessitas soluendi certo tempore, n.3.

Scriptura informis & priuata ex iunctis adminiculis suppleri potest, n.4.

DECISIO CCCCXXXVII.

PRoposito dubio super releuantia partitæ scutorum 822. quæ in disputatione diei 4 Maij 1616. reseruata fuerat Domini solo Ioanne Baptista informante censuerunt esse iustificatam.

Constat enim de substantia operis, quia in relationibus, & mensuris factis super quantitate operis sub diebus 9. Decembris 1610. & 13. Ianuarij 1615. & ponderatis, ac præsuppositis in decisione die 27. Maij præteriti distinctæ sunt partitæ huius operis, & signanter in relatione Bonacinæ pro parte D. Octauij electi, in qua enunciantur Fontane Nicchie, Facchiate, pauimenti, & similia. pro quibus construendis iam fuit per peritos firmata quantitas calcis, & eorum relationes in supradicta decisione approbatæ sunt.

Constat etiam Ioannem Baptistam fuisse Magistrum domus bon. mem. Cardinalis Lanfranchi, & per manus illius operarios recepisse suas mercedes, vt concludunt testes dati, & quòd tota fabrica calculata per peritos facta fuit de tempore illius administrationis, vt in decisionibus 4. Martij 1616. & 27. Maij præteriti fuit ostensum, dum periti dixerunt, *Visto & considerato tutto quello che ha fatto fare detto Gio. Battista.*

1 Ex quibus dum firmatur hæredes bon. mem. Cardinalis teneri ad impensam illius operis, & debitores esse constituendos in positione calculorum, tunc in liquidatione quantitatis sufficiunt leuiores probationes, & quandoque proprio libro scribentis creditur circa quantitatem. Corn. *cons.* 318. *in fine vol.* 4. Surd. *decis.* 199. *n.* 5.

2 Ideo cùm Ioannes Baptista probet hanc quantitatem per confessionem creditorum, nec illi necessarium sit probare veram numerationem secundùm veriorem opinionem, de qua per Bart. *cons.* 160. incipit, *Titius promisit Sempronio.* Alex. *cons.* 90. *num.* 3. *lib.* 3. visum est Dominis sufficere.

3 Quamuis quitantiæ illæ priuatorum creditorum non sint formiter recognitæ, quia cum substantia debiti concurrunt congruitas pretij operariorum, & quòd illi sine mercede non laborarent, necessitas soluendi mercedes operariis in singulis hebdomadis, à quibus instrumenta non solent recipi, concurrit etiam iustificatio aliarum partitarum, quæ propter connexionem inferunt præsumptionem veritatis, ac demum istæ quitantiæ productæ fuerunt in iudicio criminali, quibus omnibus iunctis, fuit dictum standum esse huiusmodi receptis.

Ex quo scripturæ etiam informes & priuatæ, ex aliis adminiculis possunt suppleri. *l. instrumenta. C. de probat.* Guidopap. *decis.* 441. Achil. *decis.* 1. *de confess.* Rot. *decis.* 375. *part.* 1. *diuersorum.*

Et ita, &c.

R.P.D. REMBOLDO.

Pampilonen. parochialis. Veneris 30. *Martij* 1618.

ARGVMENTVM.

Narrata in gratia Papæ plenè, & concludenter sunt probanda cum suis qualitatibus, quia narrata censentur ad magis inducendum Principem. Irregularitas non contrahitur sine morte, aut mutilatione membri. Celebrans qui se credit absolutum ab excommunicatione cùm non sit, non dicitur celebrare in contemptum clauium, ac propterea non efficitur irregularis.

SVMMARIVM.

Narratiua gratiæ Principis plenè, & concludenter, & cum omnibus suis qualitatibus, cum quibus narratæ reperiuntur, iustificari debet, n.1.

Narratiua gratiæ præsumitur facta ad inducendum magis Principem ad concedendam gratiam, ac propterea necessaria est omnium narratorum verificatio, n.2. & ideo de consuetudine solent cassari verba illa, vel altera promissorum ab impetrante adiecta, ibid. in fine.

Irregularitas non contrahitur ex sola sanguinis effusione, sed necesse est quòd interueniat vel mors, vel membri detruncatio, n.3.

Excommunicationem canonis si quis suadente diabolo, *quamuis absoluere non possit Vicarius Episcopi, si tamen absoluerit, & absolutus sacerdos celebrauerit, non dicitur celebrasse in contemptum clauium, ac propterea propter bonam fidem non efficitur irregularis, num.4.*

Contemptus legis, siue clauium, tunc interuenisse dicitur, quando voluntas alicuius repugnat legi, & ex illa repugnantia procedit ad faciendum contra legem, itaut transgressioni causa sit ipse contemptus, ibid. in fine.

DECISIO CCCCXXXVIII.

MArtinus impetrato à S. D. N. merito de prouidendo sibi de Ecclesia parochiali, de qua agitur sub narratiua quòd Petrus dictæ parochialis Rector suæ salutis immemor irregularis existens Missas, & alia diuina officia celebrare non erubuit in contemptum clauium, perniciosumque exem-

exemplum, ac plurimorum scandalum obtinuit in partibus ad sui fauorem pronunciari, d. scilicet Petrum esse dicta parochiali priuandum, eandemque sibi conferendam.

Vnde causa in gradu appellationis mihi commissa, dubium proposui, an dicta sententia esset confirmanda, vel reuocanda, & Domini Petro tantùm informante reuocandam censuerunt, quia ex reuolutione processus apparet non fuisse per d. Martinum probatam prætensam Petri irregularitatem, ob quam dicta parochiali priuari debuisset, nec minus quòd in tali irregularitate existens Missas, & alia diuina officia, vt narratum fuit, celebrauit, quæ tamen singula eo quòd non agitur ad solam priuationem, seu depositionem Petri, sed ad effectum, etiam vt secuta illius priuatione, seu depositione d. parochialis Martino conferatur plenè, & concludenter, & cum omnibus suis qualitatibus, cum quibus narrata reperiuntur, iustificari debebant. *cap. licèt causam*, & ibi Doctor. *de prob. c. 2.* vbi post alios Ripa *num. 67. de rescript.*

2 Præsumitur enim dicta narratiua facta ad magis aggrauandum possessorem, & per consequens etiam ad inducendum Papam ad faciliùs contra eum procedendum, & concedendum gratiam. Ægid. *decis. 734. num. 7.* & propterea requiritur omnium narratorum verificatio. *cap. cùm olim*, vbi gloss. *in versic. ad omnia*, & ibi Abb. *num. 3. de rescript.* cùm præsertim id quoque suadeat forma Gratis, quæ ita concepta est, vt ex ea facilè coniici possit Papam voluisse impetrantem aggrauare ad probandum omnia relata ibi, præsertim attendentes quòd veris existendum præmissis, & ibi super eisdem relatis inquiras, & ibi si per inquisitionem eandem illas reperieris veritate niti, & etiam in practica seruari tradit Sarnen. *de subrog. collitig. quæst. 7. num. 6.* vbi quoque addit quòd in huiusmodi impetrationibus semper consueuerunt cassari illa verba, vel altero præmissorum, quando fuerunt ab impetrante addita, & fuit aliàs in causa Oscen. Archidiaconatus 19 Octobris 1601. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto resolutum.

3 Non obstat, quòd Petrus dicitur vulnus brachio Martini inflixisse, quia non propterea fuit effectus irregularis, cùm irregularitas ex sola sanguinis effusione non caussetur, sed necesse sit quòd interueniat vel mors, vel membri detruncatio, vt *in c. in Archipresbyteratu, de raptor. & in Clem. si furiosus, de homic.* Abb. *in c. 1. nu. 8. & seq.* & *ibid.* Card. Præpos. & alij, *qui cleric. vel vouent. matr.* &c. Nauarr. *in manuals cap. 27. num. 206. vers. 7. principaliter, & num. seq. & cons. 9. num. 2. de pœn. & remiss.* addit. ad Capellam Tolos. *decis. 208.*

4 Nec obstat, quòd fortè prætendatur Petrum post d. percussionem, per quam in excommunicationem canonis *si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4.* incidit, pluries celebrasse, quia hoc non probatur, & cùm constet d. Petrum illinc ad quatuor dies absolutionem à dicta excommunicatione obtinuisse, probari deberet quòd sæpiùs infra terminum dd. quatuor dierum celebrauerit, etiam quòd facultas Vicarij, qui ei d. absolutionem impertiuit, non sufficiens deprehenderetur, quia ad effectum, vt non possit dici celebrasse in contemptum clauium, sufficit quòd bonam fidem habuerit; contemptus enim tunc solùm interuenisse dicitur, quando voluntas alicuius renuit legi, & ex ea causa procedit ad faciendum contra legem, ita quòd transgressionis causa contemptus sit, vt post alios latè explicat Couarr. *in cap. alma mater, in prima part. §. 7. num. 6.* & fuit dictum in allegata Oscen. Archidiaconatus 18. Maij 1603. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Interamnen. vnionis. Veneris 7. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

In hac decisione defenditur vnio cuiusdam Ecclesiæ facta authoritate Apostolica à quibuseam nullitatibus obiectis, explicanturque in ea nonnulla notabilia, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Vnionis nullitatem allegans debet illam concludenter probare, n. 1. in fine.

Vnio authoritate Sedis Apostolicæ facta habet præsumptionem pro se, n. 2.

Obseruantia Parochianorum obscuras reddit probationes contrarias, ibid.

Valor beneficij probatur per testes deponentes de certa scientia, etiam quòd non deponant per non excessum, num. 3.

Subreptio non inducitur per taciturnitatem eorum, quæ Papam non retraxissent ad concedendum gratiam, num. 6. in fine.

Circiter *dictio quid importet, n. 7. in fine.*

Testes deponentes per verbum, credo, *nihil probant, num. 8.*

Testes examinati ad perpetuam rei memoriam sine citatione partis nihil releuant, ibid. in fine.

DECISIO CCCCXXXIX.

Capitulum & Canonici Ecclesiæ Cathedralis Interamnen. ob fructuum suæ mensæ tenuitatem preces Clementi VIII. porrexerunt, vt parochialem Ecclesiam Sancti Angeli eiusdem ciuitatis, quæ quadraginta circiter familias continebat, dictæ Capitulari mensæ perpetuò vniret, eiusque curam ad alias proximiores Ecclesias ipsius ciuitatis transferret. Et cùm Vicarius Interamnensis ad hoc vt litteris Apostolicis deputatus, præuia sententia dismembrationem, & vnionem huiusmodi ad effectum produxisset; fuit per Parochianos Eccesiæ sancti Angeli appellatum, & causa in Rota coram me introducta, dubium super hac vnione proposui, quam Domini responderunt non constare fuisse inualidam. Dicti enim Parochiani cùm super vnionis nullitate causam introduxerint, debebant concludenter illam probare. *l. verius. ff. de probationib. l. qui accusare. C. de edendo.* Bald. *cons. 270. in princ. lib. 1. & cons. 406. num. 1. lib. 4.* 1

Tanto magis, cùm interim donec fuerit probatum contrarium, pro vnionis validitate tanquam authoritate Sedis Apostolicæ factæ sit præsumendum. Bald. *in cap. 1. num. 7. de his qui feud. dare poss.* Abb. *cons. 41. num. 2. lib. 1.* Vlteriùs ad prædictam inualiditatem excludendam sat est Capitulo tanquam per longum tempus possessionis Parochianorum, probationes obscuras reddere. *cap. cùm sint* 2

partium, de reg. iur. in 6. Bald. *cons.* 79. *num.* 7. *lib.* 2. Alex. *cons.* 16. *n.* 30. *in fine lib.* 5.

3 Nec obstare videntur exceptiones contra dictam vnionem, & eius exequutionem adductæ. Et primò quòd valor Canonicatuum Ecclesiæ Interamnensis expressus non iustificetur. Contrarium enim apparet ex testibus pro parte Capituli examinatis de valore ex certa scientia deponentibus, qui propterea benè concludunt. Bart. *cons.* 102. *n.* 4. Alex. *cons.* 108. *n.* 10. *vers. & licèt dicat lib.* 2. Et quamuis illæ non deponant per non excessum, cùm tamen valor hoc modo narratus non fuerit, sed quòd vix ascenderet, sufficit illum eo modo quo fuit expressus iustificari. Put. *decis.* 245. *n.* 1. *lib.* 1. Verall. *dec.* 128. *par.* 1.

4 Non obstat Parochianos in processu super vnionis iustificatione citatos non fuisse. Nam constat de citatione facta Sanctesiis, qui mandatum ad hunc effectum habebant à Parochianis ad sonum campanæ congregatis.

5 Nec valet dicere vnionem fuisse mandatam executioni, non seruata forma, videlicet Ecclesiæ vnitæ, cura aliis parochialibus non assignata. Quia cessat obiectum ex Vicarij sententia, in qua fuit in specie assignatio facta Ecclesiæ sanctorum Philippi & Iacobi, & licèt Episcopus in vltima visitatione de anno 1614. declarauerit illam egere ampliatione, ad quam Parochianos etiam condemnauit: non per hoc tamen reddi debet nulla dicta vnio, iam per duodecim annos effectum sortita, absque eo quòd in assignatione Parochus tunc reclamauerit.

6 Non obstat pariter falsa expressio, quòd prædicta parochiali Ecclesia sancti Angeli vacante pro concursu faciendo, apposita non fuerint edicta: Nam illis etiam affixis cùm non appareat vllos extitisse contradictores, itaut per vnionem dici possit alicui præiudicium illatum, perinde est ac si edicta non fuissent apposita, & per consequens, cùm talis narratiua Papam ad concedendum non retraxisset, nullam vnionem reddere non debet. Ægid. *decis.* 4. *&* 115. Cassad. *decis.* 12. *in fine, de praben.* Put. *decis.* 17. *lib.* 3. Cæs. de Grass. *decis.* 8. *num.* 2. *de prabend.*

7 Denique non obstat iustificatum non fuisse, parochialem vnitam quadraginta circiter focularia non excedere. Capituli enim testes examinati pro vnionis executione de numero quadraginta vel quadraginta quinque familiarum deponunt. Vnde stante dictione *circiter* in narratiua quadraginta focularium apposita, quamuis deinde constet illa fuisse quadraginta quinque, non ideo minus dicta narratiua dici potest iustificata, ex traditis per Alex. *cons.* 88. *n.* 15. *lib.* 5.

8 Nec testes dati pro parte Parochianorum sunt attendendi, quia licèt primus de quinquaginta quinque familiis deponat, hoc tamen asserit per verbum *credo*, & per consequens nihil probat. Bald. *in l. solum, & l. testium. C. de testibus.* Afflict. *decis.* 381. *num.* 7. Alex. *cons.* 68. *in fine vers. Tertius testis, lib.* 2. Alij verò testes tanquam examinati lite pendente ad perpetuam rei memoriam & sine partis citatione, non releuant. Fulgos. *cons.* 137. *num.* 1. Federic. de Sen. *cons.* 237. *n.* 9. *vers. & si habet illum*, cum aliis per Gabriel. *tit. de citationib. conclus.* 1. *n.* 121.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Tiracen. capellæ. Veneris 7. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Est in Summario.

SVMMARIVM.

Beneficij verum valorem, & defectum expressionis probare tenetur qui impetrauit beneficium ob non expressionem, & tenetur probare de tempore prouisionis, num. 1.

Sententia sine actis non probat, & Rota sententias aliorum tribunalium non exequitur, nisi gustato bono iure, num. 2.

Beneficium non adiudicatur impetranti, qui non iustificauit gratiam suam, n. 3.

DECISIO CCCCXL.

Orta controuersia inter Io. Baptistam Galottum prouisum Apostolicum de beneficio de quo agitur, & Priorem & Confratres sancti Antonij oppidi Montis Mursi prætendentes illud esse de eorum iurepatronatus, dedi dubium cui esset adiudicandum? Et Domini omissis pro nunc iuribus confratrum, de quibus reseruarunt particulariter videndum; resoluerunt dictum beneficium non esse adiudicandum Galotto.

Cùm enim illud impetrauerit ob non expressionem veri valoris factam à Prospero antea prouiso de eodem beneficio, tenetur defectum dicti valoris tanquam fundamentum suæ gratiæ plenè & concludenter probare, & quidem de tempore prouisionis dicti Prosperi. Felin. *in cap. ad aurem num.* 17. *de rescript.* Caputaq. *decis.* 330. *n.* 1. *part.* 3. Cæs. de Grass. *decis.* 4. *num.* 3. *de sent. & re iudic.* Et fuit dictum in vna Bononien. Prioratus 9. Iunij 1606. coram me, quod tamen non fecit.

Nec ad hunc effectum sufficit eius gratiam fuisse per sententiam executoris canonizatam, quia dicta sententia non videtur attendenda, cùm detur sine actis, ex quibus iustificari valeat, & aliàs Rota non exequatur sententias aliorum tribunalium, nisi gustato bono iure illarum. Mohedan. *decis.* 11. *de re iudic.* Put. *decis.* 204. *&* 318. *lib.* 1. Seraphin. *decis.* 1123. *num.* 27.

Vnde cùm gratia dicti Galotti non appareat iustificata nec in valore, nec in aliis per eum narratis, non debet ipsi beneficium adiudicari, Felin. *vbi supra n.* 4. *vers.* 2. *conclusio.* Seraph. *decis.* 803. *n.* 1.

Et ita conclusum, &c.

REVERNDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Eugubina pensionis. Veneris 7. Aprilis 1617.

DECISIO CCCCXLI.

Impressa est post Posthium de manuten. decis. 309.

REVERENDISSIMO P.D. PAMPHILIO.

Gerunden. vini. Veneris 7. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Congrua ad quam summam taxari debeat in administrationibus solitis in titulum collatiuum conferri, & quid sit in congruæ taxatione attendendum.

SVMMARIVM.

Congrua in administrationibus quæ dantur in titulum collatiuum debet taxari, habita ratione administrationis, ex cuius causa illa debetur, num. 1. Vbi taxatur ad rationem 10. *pro centenario.*

Alimenta taxari debent habita ratione causæ ex qua illa debentur, ibid.

Congrua in taxatione attenditur quantitas fructuum administratorum, n. 2.

Domino est prius succurrendum de reditibus bonorum, quàm administratori, ibid.

Congrua debetur ad instar salarij, scilicet pro modo laboris, n. 3.

Congrua debetur illis, qui ex fructibus beneficiorum commodè viuere non possunt, n. 4.

Hospitalis fructus sunt distribuendi in alimoniam pauperum, n. 5.

Rector beneficij facit fructus suos, ibid.

Commodum debet taxari pro quantitate incommodi arbitrio iudicis, n. 6.

DECISIO CCCCXLII.

1 PRæpositi Ecclesiæ Gerunden. adiuerunt Signaturam pro obtinenda commissione causæ restitutionis in integrum aduersus rem iudicatam, quæ contra eos emanauerat super iustitia, & validitate statuti disponentis, quòd Præpositi in futurum teneantur tradere vinum in specie, iuxta mensuram antiquam, & quia illa fuit commissa in Rota, cum clausula *parito iudicato*, deducta tamen priùs congrua, proposito dubio quanta debeat esse huiusmodi congrua, supradicta die, Domini censuerunt, illam esse taxandam in quota ad rationem decem pro centenario reddituum administratorum, quia Præpositurræ, propter quas huiusmodi congrua debetur, non sunt beneficia Ecclesiastica, sed administrationes, quæ dantur in titulum collatiuum, & Capitulum est Dominus bonorum administratorum, vt fuit pluries in Rota decisum; ideoque pro congrua satis visum fuit, quòd Præpositi cõsequantur decem pro centenario, habita ratione administrationis, ex cuius causa illa debetur, iuxta *l. hec enim. ff. de suspect. tut. l. 2. §. ignominiæ. ff. de his qui not. infam.* cum aliis adductis per Ang. *cons. 357. nu. 5. vers. Sed vbi præstari debent*, vbi dicit, quòd alimenta debent taxari habita ratione causæ, ex qua illa debentur.

2 Nec visum fuit posse fieri aliam certam taxationem in quantitate huius congruæ, quia non constat de certa quantitate fructuum administratorum, quę tamen ad istum effectum solet attendi, vt per Rebuff. *de congr. num. 69.* & aliàs illorum liquidatio tanquam consistens in tot, & diuersis bonis Capituli, fuisset nimis longa, & dispendiosa, & ideo placuit esse faciendam in dicta quota, ne nimis præiudicaretur Capitulo, cui tanquam domino bonorum administratorum, est prius de illorum redditibus succurrendum, quàm Præpositis, iuxta not. per Natt. *cons. 387. n. 7 & seq.*

Præterea fuit etiam ponderatum, quòd alter ex dictis Præpositis singulo anno administrat per tres menses, alter duos, alij verò vnum pro quolibet: ideò tanto minus visa fuit certa quantitas indistinctè respectu omnium taxari posse, cùm vnus plus altero administret, & consequenter plus vni quàm alteri pro congrua debeatur, ad instar salarij, quod pro modo laboris debetur, *l. Seio. in princ. ff. de ann. leg.* Roman. *cons. 25. n. 2.* Surd. *cons. 66. num 5. & seq.* 3

Et ex his cessat, quòd huiusmodi congrua taxari debeat ad rationem illius quę debetur beneficiatis, & attenta qualitate personarum; quia id procederet, si Præpositurræ essent beneficia Ecclesiastica, & illorum ratione deberetur, sed hoc non subsistit, & propterea huiusmodi congrua visa fuit non posse aliter taxari, quàm attenta administratione, & aliis supradictis, præsertim quia per statutum Capituli auctoritate Apostolica confirmatum expressè cauetur, quòd Præpositurræ solis Canonicis conferantur, & non aliis, quo casu, cùm Præpositi habeant redditus Canonicatuum, tanto minus placuit habendam esse rationem congruæ beneficiatorum, quæ debetur illis, quæ ex fructibus beneficiorum commodè viuere non possunt, Rebuff. *de cong. n. 57.* 4

Nec obstant deducta in causa Rhegien. Hospitalis relata inter impress. *dec. 714. n. 7. p. 1. diuers.* quia dicta decisio loquitur in Rectore Hospitalis Ecclesiastici, quod datur in titulum beneficij, tunc enim Rector facit fructus suos, sicut de aliis beneficiis, ex latè ibi adductis. Aliud verò determinat in Hospitali, quòd datur in gubernium, & administrationẽ, quia tunc fructus illius in alimoniam pauperum distribuendi sunt, & sic ista decisio potius facit pro parte Capituli, quàm contra, quia bona, quæ administrantur per Prepositos, sunt Capituli, & ipsi priùs subueniendum est ex supradictis. 5

Minus obstat, quòd Administratoribus pro salario sufficiant quinque pro centenario, quia fuit per Dominos ponderatum, quòd Præpositurræ, de quibus agitur, licèt sint administrationes. vt fuit aliàs decisum, illæ tamen dantur in titulum collatiuum, & conferri consueuerunt personis qualificatis, & nobilibus, necnon Præpositi tenentur in se suscipere onus & periculum sterilitatis, & anticipatè portiones Capitulo soluere debent, qui propterea, sicut sentiunt maius incommodum, ita etiam maius commodum consequi debent, itaut congrua ad rationem decem pro centenario, saltem arbitrio iudicis debeatur, ad *l. secundùm naturam. ff. de reg. iur.* cum aliis suprà deductis. 6

Ex quibus ita decisum fuit.

REVERENDISSIMO P. D. DECANO.

Romana census 18000. *Veneris* 7. *Aprilis* 1617.

ARGVMENTVM.

Debitor qui promisit soluere pecuniam debitam creditoribus sui creditoris, soluendo creditoribus posterioribus sui creditoris nunquid liberetur, & quando sic soluendo dicatur in bona, vel mala fide.

SVMMARIVM.

Emptor promittens soluere pretium rei emptæ creditoribus venditoris soluendo bona fide liberatur pro quantitate soluta, num. 1. in fine.

Emptor promittens soluere creditoribus venditoris, si soluat posterioribus creditoribus culpa, & facto suo solutio ei non suffragatur, n. 2.

Emptor nunquid possit soluere pretium rei emptæ antequam sibi adimpleantur promissa in venditione, numer. 2. & 3.

Promittens soluere in diem, potest soluere etiam ante diei euentum, n. 2. in fine.

Debitor cui creditor delegauit solutionem faciendam suo creditori, nunquid possit soluere alteri quàm creditori delegato, n. 4.

Ordo scripturæ non spectatur, sed potiùs attenditur disponentium intentio, n. 6. in fine.

Soluens creditoribus sui creditoris posterioribus, nunquid liberetur si anteriores fuerunt negligentes, numer. 8. & 11.

Bona fides causatur ex qualibet verisimili causa, n. 10.

Error in facto causat bonam fidem, non autem in iure, ibid.

Mala fides dolum præsupponit, ibid.

Bona fides potius præsumitur, quàm mala, ibid. in fine.

Solutio facta per debitorem posterioribus creditoribus sui debitoris, an dicatur facta mala fide ex sola suspicione quòd adessent alij anteriores creditores, n. 11.

Clausulæ exequutiuæ non alterant dispositionem præcedentem. Declara vt n. 13.

Status præsens non inducit contingentiam de futuro, num. 14.

DECISIO CCCCXLIII.

1 Bis coram Illustrissimo Cardinale Ludouisio, & semel coram me, & nunc secundò resolutum fuit ad fauorem Excellentissimi D. Principis Peretti, habendam esse rationem scutorum trium millium solutorum Vrsinis venditoribus, cùm vigore conuentionis ijsismet Vrsinis solui potuerint, etiam, quòd in schedula debitorum data per Vrsinos scriptum fuisset: *Per pagare diversi debiti della casa scut.* 3000. ac etiam quòd postmodum constiterit adesse creditores anteriores, qui excludunt Excellentissimum D. Lotharium de Comitibus Ducem Poli, prætendentem sibi tanquam anteriori soluenda esse dicta scuta tria millia ex eo, quòd ipse D. Lotharius esset de comprehensis in schedula, & Vrsini sub fide Magnatum asseruissent, non adesse alios creditores, ac etiam quòd hodie d. D. Lotharius à creditoribus superuenientibus excludatur, quia cùm D. Princeps Perettus bona fide soluerit, dicta summa soluta ad eius fauorem ponenda, & computanda est, *l. fin. §. etsi præfatam,* vbi Bart. *in princ.* Castr. *num.* 4 *C. de iur. deliber.* cum aliis adductis in primis decisionibus, & præsertim in decisione facta sub die 5. Iunij 1615. coram me, quibus fuit additus Salyc. *in l. fin. in tertia oppositione, C. ad l. Iuliam maiest.* Gregor. Lopez *parte* 5. *n.* 14. *lege* 5. *gloss. fin.*

2 Neque est verum quòd Excellentissimus D. Princeps fuerit in culpa, & ideo solutio facta posterioribus creditoribus illi suffragari non potest, iuxta *l. videamus, in princ.* vbi gloss. *in verbo, suo nomine ff. locati*; quia culpa regulariter non præsumitur nisi probetur, Bart. *in cons.* 193. *lib.* 1. Alexand. *cons.* 100. *num.* 3 *lib.* 1. Siluan. *cons.* 46. *num.* 4. & 9 Aym. *cons.* 151. *num.* 11. Et quamuis culpa deduceretur ex quo d. Princeps non tenebatur soluere antequam Philippus Rauenna relaxaret affictum, & antequam per Beatricem, & Lucretiam præstaretur consensus, & expedirentur litteræ Apostolicæ Confirmationis, & derogationis fideicommissi, & ideo cùm non cogeretur soluere ante prædictarum conditionum adimplementum, solutio nihil valuit, *l. qui promisit ff. de cond. indeb. l. stipulatio ista* 38 *§. inter certam, ff. de verb. obl. l. sed et si ff. ad Treb.* tamen huic motiuo responsum fuit Excellentiss. Principem potuisse soluere ante dictarum conditionum adimplementa, cùm prædicta adimplementa ipsius fauorem respicerent, & est text. apertus *in l. post mortem suam. C. de fideic.* vbi rogatus restituere post mortem, potest restituere prius, & ratio est secundùm Salyc. *ibidem in princ. & num.* 6 *in fin.* quia illa conditio est apposita fauore grauati, & ita limitat regulam prædictam, gloss. *in d. l. sed si ante diem, in ver. quia non ita,* & pulchrè declarat idem Salycet. *præcitato num.* 6. & quòd prædicta vera sint satis patet, quia non fuit actum vt D. Princeps non solueret ante dictarum conditionum adimplementum, sed quòd cogi non posset ad soluendum, & in hoc stat æquiuocum partis, & propterea bene soluit, vt est textus *in l. quod in diem ff. de solut.* vbi, quod in diem quis debet, potest soluere die nondum adueniente. ibi, *Quod in diem certum promissum est, vel statim dari potest, totum enim medium tempus ad soluendum promissori liberum relinquitur.* Anton Gomez. *de qualit. contractuum, num.* 22. *vers. ex quibus infero, tom.* 2. *c.* 11.

Neque obstat quòd conditio, quòd expedirentur litteræ Apostolicæ confirmationis, & derogationis fideicommissi, respicerent etiam fauorem Dominorum Vrsinorum, cùm castrum non posset alienari sub pœna caducitatis: nam dictum fuit (quidquid sit de hoc quatenus subsisteret) non officere, quia alienatio fuerat facta reseruato beneplacito Apostolico, & non aliàs, & ideo prædicta conditio quòd obtineretur beneplacitum Apostolicum in ordine ad solutionem pecuniarum, non respicit Vrsinorum interesse, sed Principis tantùm, qui propterea potuit illi renunciare, & soluere ante adimplementum dictarum conditionum, vt *in d. l. post mortem*, & ex vulgari regula, quòd quilibet potest renunciare iuri suo, *l. si quis in conscribendo. C. de pactis,* vbi Iason. *in* 7. *not.* Abb. *cons.* 72. *col.* 2. *vers. sed iis minimè obstantibus lib.* 2. Cald. *cons.* 1. *num.* 2. *de transl. Prælat.* Et ex abundanti fuit dictum quòd conclusio prædicta non applicatur, quia procedit quando tres personæ possunt considerari, nempe mandans grauatus, & ille cui facienda est restitutio, vt in iuribus supracitatis: in casu autem nostro duæ personæ tantùm possunt considerari, videlicet Vrsini, & Princeps Perettus, quia, vt suprà dictum est, & fuit firmatum in aliis decisionibus, solutio erat facienda ipsismet Vrsinis, licèt pro soluendis debitis domus, vnde sufficit, quòd ipsi exegerint ante adimplementum dictarum conditionum, itaut Excellentiss. D. Princeps non dicatur fuisse in culpa, vt expressè colligitur ex d. textu *in l. sed si ante diem, in vers. planè ff. ad Trebell.* vbi dicitur, quòd adueniente die, vel conditione restitutio hæreditatis sustinetur secuta ratihabitione, vnde tanto magis dicendum est sustineri, cùm ipsimet Vrsini, qui conditionem apposuerunt, exegerint, qui etiam ex suprà allegatis fauori suo renunciare potuerunt.

Non

4 Non obstat, quòd ista fuit delegatio,& ideò non licuit D. Principi anticipare soluere in præiudicium creditorum, etiam quòd conditiones respicerent fauorem Principis, quia regula, quòd quilibet fauori suo renunciare potest, non habet locum quando agitur de præiudicio tertij, *l. vxorem. §. Seium, ff. de legat. 3. l. cùm pater. §. à filia, ff. de leg. 2.* Dec. *in l. cùm tempus, num. 1. vers. & ista conclusio, & num. 2.* vbi etiam Cagn. *n. 1. ff. de reg. iur.* Quia quicquid sit an hîc versemur in delegatione, motiuum posset considerari, si ex ipsamet solutione ante tempus aliis creditoribus præiudicium resultaret, vt quia conuentum fuisset quòd debita soluerentur, vel maritarentur puellæ de tali tempore, quia ex ipsamet solutione anticipata fit præiudiciũ creditoribus existentibus de tempore purificatæ conditionis, vel puellis existentibus nubilibus de tempore dictæ conditionis, vt optimè declarat Cagn. *in d. l. cùm tempus, n. 1. 2. & 3.* & ratio est, quia conditio non respicit merum grauati fauorem, sed tertij, vt post alios delarat idemmet Cagn. *d. n. 3.* At in casu nostro fuerunt dati creditores descripti in schedula, & D. Princeps promisit se soluturum adimpletis conditionibus suprà relatis, & sic istæ conditiones ex natura conuentionis respiciunt merum fauorem, & vtilitatem Principis, Rom. *in cons. 151. num. 1.* non autem creditorum, quia pecuniæ ex parte pretij quæ remanebãt in manibus ipsius Principis, erant sufficientes pro satisfactione omnium, & ita fuerat actum inter partes, & propterea per supradicta Dominus Princeps potuit soluere.

5 Minus etiam facit alia conuentio, videlicet quòd elapso mense Septembri, & prædictis non adimpletis Princeps dando schedulam bancariam esset liberatus, quare D. Princeps non potuit dare nouam formam contractui, cùm ipsimet contrahentes ad casum non adimplementi respexerint. Nam fuit responsum, quòd in casu nostro non est dare nouam formam contractui, sed cùm ex prædictis appareat, conditiones appositas, esse ad fauorem D. Principis, potuit illis renunciare, vt suprà ostensum est, soluẽdo creditoribus, eoque magis, cùm solutio, de qua agitur, ipsismet Vrsinis venditorib. facta fuerit, qui recipiendo pecunias acquieuerunt, & ratificarunt. *l. Paulus respondit. ff. rem rat. haber.* Dec. *cons. 586. n. 12. in fin. & n. 13.* Neque ex prædictis poterit fieri ius in eo, quòd D. Princeps de mense Septembri non dedit schedulam, quia illam dare non tenebatur, nisi in euentum in quem vellet habere fructus castri Numenti, iuxta terminos *l. curabit, C. de action. empt.* fuit enim expressè actum quòd consignata schedula ipse deberet habere fructus bonorum, Vrsini autem tenerentur ad solutionem interesse creditoribus, vt patet ex instrumento, ibi: *Quatenus verò elapso mense Septembris schedula bancaria de soluendo, &c. conuenerunt vt fructus tunc debiti currant ad damnum venditorum, & nihilominus fructus rei emptæ currant beneficio emptoris,* &c.

6 Secundò principaliter dicebatur quòd fuit actũ vt scuta septuaginta sex millia soluerentur creditoribus iuxta formam notulæ contentæ in folio, &c. quare cùm Dominus Princeps soluit posterioribus, soluit per gratificationem, ac proinde d. D. Dux Lotharius potest agere contra Excellentiss. D. Principem, & postea in subsidium contra posteriores creditores. *l. pupillus, ff. quæ in fraud. credit. iuncta l. si non expedierit. §. 1.* vbi Bart. *in fine, ff. de bon. auth. iud. possid.* Menoch. *cons. 25. num. 10. lib. 1.* Sed huiusmodi obiectio non placuit, quia aut est attendenda intentio contrahentium, & prædicta verba non possunt referri ad ordinem creditorum, vt priùs solueretur anterioribus, cùm Vrsini dedissent notulam creditorum ascendentium vsque ad summam scut. 76000. quæ summa erat residuum pretij, asserentes sub fide Magnatum non adesse alios creditores. quare cùm fuerit dictum quòd erãt tantùm tot creditores, quãtum erat summa remanens, & sic erat sufficiens pro omnibus, intentio contrahentium fuit vt illis satisfieret de dicta summa, non autem quòd in satisfactione anterioritatis ordo seruaretur. Aut est attendenda dispositio iuris communis, neque in hoc casu respectu D. Principis erat attendenda anterioritas temporis in satisfactione Vrsinorum, cùm pro omnibus creditoribus pecuniæ sufficerent, iuxt. *d. l. fin. §. & si præfatam, C. de iur. deliber.* vnde in solutione ordo anterioritatis minimè erat seruandus, cùm neque vigore contractus, neque ex dispositione iuris Princeps teneretur. *l. nec enim ordo, ff. de solut.* vbi quòd ordo scripturæ non spectatur, sed potiùs sumitur id quod agi videtur, *l. cùm pater. §. fide, ff. de legat. 2.* Signor. *cons. 256. num. 3. vers. Item ordo.*

Quod verò dicitur de gratificatione non est verum in facto, & gratificatio de tempore solutionis præsupponit duos, vel plures, ita ut vno omisso soluatur alteri, in præsenti autem casu post factas solutiones posterioribus creditoribus detectũ est adesse alios anteriores, de quibus tempore solutionis non constabat, accedit ad hæc assertio Vrsinorum, qui dixerunt pecunias pro omnibus creditoribus esse sufficientes. 7

Neque ex alio capite intrat quòd Excellentiss. D. Princeps soluerit per gratificationem, videlicet quia bona fides, in qua se fundat, videtur resultare ex eo, quòd soluit primò venientibus, & quòd anteriores fuerint negligentes, vt *in l. pupillus. ff. quæ in fraud. credit.* Seraph. *decis. 1074. num. 3. vsque ad finem,* & est alia decisio in causa Romana pecuniaria 13. Nouembris 1573. cor. fel. rec. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore, quæ videntur cessare in casu isto, cùm stantibus prædictis cõditionibus Princeps non posset cogi ad soluendum, vnde cessat prædicta diligentia, & negligentia, ex quibus causatur bona fides soluentis. Huic motiuo fuit responsum quòd materia, de qua *in l. pupillus ff. quæ in fraud. cred.* procedit ad effectum quòd anterior creditor non possit auocare pecunias solutas posteriori creditori, qui fuit diligens, & anterior fuit negligens. Afflict. *dec. 190.* Capic. *decis. 78.* cum aliis per Seraphinum *loco præcitato,* quæ conclusio non habet locum, quando vterque creditor venit, & debitor per gratificationem soluit secundo creditori, quia tunc potest anterior pecuniam auocare, vt per Iacobum de Aren. *in d. l. pupillus.* Castr. *cons. 447. num. 4. part. 1.* Phanut. *de inuent. part. 5. nu. 148.* & in istis terminis loquitur decisio Seraphini, quæ ponit alias declarationes, & decisio fel. record. Clementis VIII. Sed nos in istis terminis non versamur, quia Doct. *in d. l. fin. in §. & si præfatam, C. de iure deliber.* non mouentur simpliciter ex diligentia posterioris, & negligentia anterioris, sed etiam fundantur in bona fide soluentis, vt patet ex Bart. *ibid. nu. 2.* & iste est casus noster, quia Vrsini sub fide Magnatum asseruerunt non adesse alios creditores, & pecuniæ quæ remanebant in manibus Principis, sufficiebant pro omnibus, conditiones verò appositæ in ordine ad solutionem faciendam respiciebant solùm Principis fauorem, vni- 8

de potuit illas spernere. quare cùm bona fide soluerit, fuit liberatus, vt suprà dictum est, & latiùs in aliis decisionibus, & addebatur quòd si Princeps iuxta alias venditiones soluisset venditoribus simpliciter, non potuisset molestari respectu pretij soluti, vnde nimis durum videbatur quòd in hoc casu cùm soluerit Vrsinis, quibus ex conuentione erat soluendum, possit molestari propter additionem illam: *Per pagare diuersi debiti di casa*, cùm non possit constitui differentia inter istos duos casus, iuxta notata per Dynum *in cons. 17. per totum*, & præsertim *in fine*, Aretin. *cons. 5. n. 4. vers. Aduertat etiam*.

9 Neque prædictis resistit quòd coram Illustriss. D. Card. Mellino tunc Rotæ Auditore bis fuit resolutũ Excellentiss. D. Principem teneri soluere anterioribus. nam decisiones non loquuntur quoad descriptos in schedula, seu lista, vt scilicet priùs teneretur soluere prioribus, & postmodum posterioribus, sed loquuntur prout Rota illas intellexit coram me 5. Iunij 1615. vt scilicet teneretur soluere anterioribus, dum extabant pecuniæ ea ratione, quia habebant omnia bona præsentia, & futura hypothecata, & sic nomen ipsum debitoris, videlicet Excellentiss. D. Principem, & pecunias ipsas dum extabant, vt latè in prædicta decisione deductum est.

10 Tertiò principaliter dicebatur cessare bonam fidem, ex quo Princeps sciebat adesse alios creditores, & sic scut. 76000. pro omnibus non potuisse sufficere. Bart. *in l. si quis cùm haberet ff. quæ in fraud. credit. & in l si prius quàm, post n. 10. vers. fraus præsumitur. C. de iur. fis. lib. 10.* Gabr. *cons. 82. n. 5. vers. nec refert.* Sed hoc motiuum non officit, dum enim allegatur creditum DD. Lucretiæ, & Beatricis, tollitur obiectum ad effectum de quo agitur, quia vigore instrumenti curandum erat quòd istæ mulieres cederent iura, & illis satisfieret super aliis bonis, vnde ex scientia istius facti non oritur mala fides, sed bona, cùm deducatur satisfactio dictarum mulierum, & ad effectum bonæ fidei sufficiat causa verisimilis, qualis erat prædicta. Ægid. *cons. 7. num. 9. vers. 4.* vbi quòd error in facto, non in iure inducit bonam fidem. Quòd si allegetur fuisse conuentum quòd in euentum non adimplementi per totum mensem Septembris si Princeps faceret depositum, lucraretur fructus castri Numenti, interesse autem societatum, & censuum currerent ad damnum Vrsinorum, vnde videtur inferri quòd Dominus Princeps sciebat istud debitum; Respondetur (quidquid dicendũ sit an de dictis sc. 76000. fuerit aliquid solutum pro fructibus) si de hoc constaret, non releuare ad effectum vt mala fides Principis induceretur, quia Princeps nesciebat quòd Vrsini non deberent adimplere, & exinde pro fructibus creditores insurgerent, cùm enim Dominus Princeps Vrsinorum factum ignoraret, bona fide soluisse dicitur, quia mala fides dolum præsupponit, qui excluditur per ignorantiam. Ægid. *d. cons. 7. nu. 8* quæ conclusio procedit de plano in casu isto, ad cuius maiorem intelligentiam aduertendum est, quòd D. Princeps non erat principalis debitor, sed nomine Vrsinorum soluere tenebatur, & quatenus intraret delegatio, adhuc originaliter non erat principaliter debitor; quare sicuti si secundum communem vsum Vrsinis pretium incontinenti soluisset, in eo considerari non posset mala fides, sic non potest considerari cùm soluerit Vrsinis *per pagar diuersi debiti della casa*; & prædicta eo amplius procedunt, quia cùm mala fides ex obiectis non probetur, sufficit quòd D. Princeps alleget bonam fidem, quia præsumitur. *l. penult. C. de euict. l. si adulterium cum incestu. §. idem, ff. ad leg. Iuliam de adult.* Bart. *in l. 1. §. hoc interdicto, n. 12. ff. de itinere act. priu.*

11 Neque simpliciter est verùm, quòd ad malam fidem Principis inducendam sufficit quòd potuerit suspicari adesse alios creditores ex gl. *in l. fin. §. & si præfatam, in verbo satisfaciant, C. de iur. delib.* Valasc. *consult. 42. n. 38. in fin.* Quòd autem fuerit suspicatus, deducitur ex prædictis, scilicet ex conuentione de lucrandis, de soluendis respectiuè fructibus, & ex quo sibi cauit, non obstante quòd Vrsini affirmauerint sub fide Magnatum non adesse alios creditores, posset eis soluere. Huic obiectioni fuit responsum quòd gl. prædicta, & Valascus non dicunt quòd sola suspicio sufficiat, gloss. enim solùm dicit quòd hæres potest soluere legata, si putat legata deberi, alioquin tenetur aliis quasi dolo desierit possidere, & Valascus dicit quòd hæres confecto inuentario non liberatur soluendo venientibus, si scit alios adesse creditores, & quamuis *d. n. 38. in fin.* dicat, quòd nullus hæres soluit primò venientibus, quando de aliis creditoribus est suspicio, nisi præstita satisdatione non inde concludit, quòd sola suspicio causet malam fidem, & propterea dicendum est, cùm bona fides præsumatur, debere doceri de tali suspicione, quæ causet dolum, vt in his terminis dicit gl. *in d. §. & si præfatam*, suprà allegata, dum vtitur illis verbis: *si putat legata deberi, alioquin tenetur aliis, quasi dolo desierit possidere.* bene Ægid. *allegato cons. 7. nu 8.* dolus autem est suspicione quòd non adimpleretur, & ex quo possent adesse alij creditores, quod colligitur ex pacto prædicto, non potest argui, quia vt notum est, huiusmodi pacta ex abundanti apponuntur, vnde cum ista suspicio non sit violenta, non potest argui D. Princeps de dolo, itaut intret mala fides. gl. *in c. 1. in verbo conuictum 2. q. 1.* & bene gl. *in c. oues, in verbo suspicio 6. q. 1.* vbi quòd suspicioni temerariæ non creditur, & quòd probabilis inducit præsumptionẽ, violenta verò cõdemnationem: in casu autem nostro certum est quòd neque violenta, neque probabilis adest, cùm ex abundanti illa pacta fuerint apposita, & sic intrat responsio data in decisione Illustrissimi Ludouisij quòd illa pacta importent quòd Princeps habuerit pro possibili quòd omnia non adimplerentur, vel quòd adessent alij creditores, non autem pro necessario, itaut inde resultet mala fides. Et ex ista responsione cessat quod dicitur ex Aristotele *secundo Rhetor.* quòd nemo cogitat prouisionẽ, nisi aduersùs ea, de quibus timet, & ex metu procedit homines diligentiùs consultare, & quòd non datur metus, seu timor nisi de his, quæ sibi nocere posse quis credit. Quia & si prædicta vera sint, tamen non concludunt quòd ille, qui sibi cauit pro re ita clara sibi cauerit, vt si faciat aliquid præter id, pro quo sibi cauit, dicatur esse in dolo, & per cõsequens in mala fide, quando illud pro quo sibi cauit potest esse, & non esse, & per consequens contingit abesse, prout in casu nostro, quia quoad non adimplementum facile erat adimplementum obtinere, prout postea fuit obtentum; & quoad alios creditores operabatur assertio Vrsinorum sub fide Magnatum, quod non aderant alij creditores, vt bene ad rem nostram considerat Decian. *responso 93. nu. 87. lib. 2.* Bald. *in l. non hoc n. 6. in fin. & 7. C. vnde legit.*

12 Vltimo loco iterum inculcabatur quòd D. Princeps tenebatur reportare cautionẽ de restituendo prioribus & potioribus, ex quo Papa transtulerat hypothe-

hypothecas super isto pretio, & sic intrare textum *in l. pater dotem, in princ. & in §. cùm patri filius, vers. si forte per errorem. ff. de dot. præl.* Sed huic textui satis fuit responsum in alia decisione, cuius responsiones non impugnantur ab agentibus pro Excellentiss. D. Duce, sed solùm dicitur esse verum in facto, quòd hypothecæ fuerant per Papam translatæ super pretio soluendo creditoribus, quod tamen non est verum in facto, quia veritas est quod verbis expressis in dispositiua motus proprij Papa respectu horum creditorum, & aliorum, qui habebant aliquod ius, vel hypothecā super castro, illud vel illam transtulit super multiplici, non autem super pretio soluendo creditoribus, ibi, *Ne etiam vocatorum in fideicommissis & primogenitura prædictis, ac aliorum creditorum, & ius vndecunq; prætendentibus iuribus, & prætensionibus ex eisdem præmissis (videlicet ex derogatione fideicommissi, & liberatione ab hypothecis) nimium præiudicium inferri dicatur, fideicommissa, ac primogenituras huiusmodi, ac respectiuè hypothecas obligationes, & alia prædictorū iura in & super cast , seu oppido Silicis Vrsinæ quoad dignitatem Marchionatus, quoad alia iura super bonis, & pecuniis per eundem Michaëlem (videlicet D. Principē) pro cumulo fiendis, & consignandis, aliisque ex d. cumulo redigendis, & respectiuè emendis constituimus, & collocamus, ipsaque bona, & pecunias in locum castri, seu oppidi Numenti,* &c. *in omnibus substituimus, & subrogamus,* & sic apparet quòd Papa nullam habuit mentionem de pretio soluendo creditoribus, de quo ad prædictum effectum expressa mentio fieri debuisset, cùm ageretur de inducenda noua hypotheca, ex dispositione Papæ vigore subrogationis super dicto pretio, iuxta notata per Bald. *in cons. 36. n. 1. lib. 1.* & per Alex. *cons. 137. n. 18. & seqq. lib. 2.* & propterea istud pretium remansit in dispositione iuris communis, ad text. *in l. commodissimè, ff. de liber. & posth.* vt scilicet esset obligatum, dum extabat illis creditoribus, qui habebant bona præsentia, & futura hypothecata, vt latè fuit deductum in decisione vltimo loco facta.

8 Neque contrarium dici potest ex quo Papa in clausula *Decernentes,* &c. dicit quòd *Vrsinis, suisque heredibus, & successoribus, ac fideicommissariis, & ad primogenituram vocatis, necnon creditoribus, & c. ius, & actionem, aut quodcunque, & qualecunque iuris & facti remedium, seu recursum tam in petitorio, quàm in possessorio in castro Numenti, & c. ac iuribus, & c. venditis, vel ad illa, sed in pretio, & in bonis in solutum datis, & concessis, dandisque & concedendis, & quandocunq; inuestiendis,* &c. competere: ex quibus verbis, aut dicendum est quòd respectu pretij Papa declarauit quod de iure inerat, scilicet quatenus creditores haberent hypothecata bona præsentia, & futura, aut verò dicendum est, quòd ista verba tanquam posita in clausulis executiuis non alterant dispositionem præcedentem, in qua expresè pretium solummodo inuestiendum subrogatur, non autem soluendū creditoribus, Clem. 1. vbi Doct. *de præbend.* Dec. *cons. 193. n. 3. circa finem, vers. 2. respondetur,* Olasc. *dec. 164. n. 2.* Abb. *in c. cum vestris, n. 21. de concess. præben.* Couarr. *in rubr. de testam. part. 2. n. 39.* secundùm nouam impressionem, Verall. *decis. 83. n. 3.* Et hæc conclusio procedit etiam quando clausulæ executiuæ remanerent superfluæ si dispositionem non ampliarent, vt habetur *in d. Clem. 1. de præb.* & notatur *in l. qui Romæ. §. duo fratres, ff. de verb. oblig.* vbi Ripa *n. 6.* Iason. *nu. 37.* Crot. *n. 39.* Curt. iun. *in cons. 274. n. 49. vol. 3.* Neq; dici potest in hoc casu quòd licèt clausulæ executiuæ nō alterent, possunt tamen declarare dispositionem, ex Couarr. *loco præcitato,* quia hoc est verū quando verba dispositionis sunt dubia, vel possunt recipere interpretationem, vt fuit consideratum in causa Brixien. feudi 1. Iulij 1592. coram bon. mem. Card. Pamphilio, quod non accidit in casu nostro, cùm Papa in dispositiua expresè loquatur de pretio inuestiendo, vt suprà retulimus. & cessare videtur omnis difficultas, cùm habeamus dispositionem claram, dum Papa in clausulis executiuis dixit: *In pretio & in bonis in solutum datis, & concessis, dandis & concedendis, & quandocunque inuestiendis,* itaut hæc vltima verba *(quandocunq; inuestiendis)* referantur ad pretium, & multiplicem, & sensus sit super pretio, & bonis inuestiendis, vt nomine bonorum veniant fructus multiplices, qui erant inuestiendi, nullo enim pacto illud verbum *inuestiendis* potest verificari in pretio soluendo creditoribus, cùm nulla lege esset inuestiendum.

Denique non obstat, quòd subrogatio pro hypothecis inseruiat de vento, cùm bona Mantuę, & pretium inuestiendum pro multiplici remaneant subrogata in locum portionis subiectæ fideicommisso, & residuum remaneat liberum pro detractionibus. 14
Nam si hoc est verum, nō est in quo Dominus Dux conqueratur, quia esto quòd non fuisset facta venditio, adhuc tamen castrum & alia bona remanebāt subiecta fideicommisso, in residuo. & sic D Dux à fideicommissariis vocatis excludebatur, & tolli videtur omnis difficultas, quia gratia concessa fuit Vrsinis, qui contraxerunt debita, & qui si vixissent subgatio creditoribus satis profuisset, cùm, etiam quòd bona essent subiecta fideicōmisso, creditores reualere se potuissent contra fructus, & finito multiplici contra fructus ipsius multiplicis, & licèt Vrsini qui contraxerunt debita, obierint, non est tamen dicendum quòd gratia fuerit nullius momenti, cùm hoc fuerit euentuale, sed cōsiderandus est gratiæ status, scilicet quando Vrsini debitores viuebant, cum pręsens status non inducat contingentiam de futuro, Bart. *in l. inter stipulantem. § sacram, n. 7 ff. de verb. obl.* Neque etiam Dominus Dux Poli conqueri potest de gratia Papæ ex quo Numentum ab hypothecis liberauit, quia nihil aliud concessit domino Principi, nisi quietem, vt molestari non posset, & in reliquis ęquè bene consuluit creditoribus per subrogationem; vltra quòd totum id, quod erat multiplicandum, fuit acceptum ex fideicommisso pro creditoribus, & in omnem euentum ad nostrum tribunal iudicare non spectat an Pontifex creditoribus bene vel malè prospexerit; prout conqueri non potest, quòd dominus Princeps aliquibus posterioribus soluerit, quia sicuti si soluisset Vrsinis venditoribus, qui pecunias consumpsissent, conqueri non potuisset, ita conqueri non potest stante bona fide, cū posterioribus legitimè soluerit, vt suprà probatum est: tandem est additum ex suprabundanti hanc summam scut. 3000. licèt malè soluta fuisset, non spectare ad dominum Ducem, sed ad alios anteriores creditores, qui illum excludunt.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Viterbien. castrorum. Veneris 7. Aprilis 1617.

Exceptio dominij, & fideicommissi, an,

& quando retardet immissionem, ex l. fin. C. de edict. D. Adr. tollen.

SVMMARIVM.

Exceptio dominij non admittitur in iudicio possessorio, l. fin. C. de edict. D. Adr. toll. n. 1. *fallit quando de dominio constat clarè, & sine aliqua dubitatione, n. 2.*

Testator potest bona vni fideicommisso subiecta, supponere alij, & nouo fideicommisso, n. 2. in fin. & nu. 3. Vbi quando hoc fecisse censeatur.

Testator potest ad libitum grauare rem sui hæredis, n. 2. in fin.

Verbum aliis, *est implicatiuum similium, n. 3. in fin.*

Exceptio fideicommissi non retardat immissionem scripti hæredis, qui ex fideicommisso potest detrahere aut legitimam, aut dotem maternam, aut æs alienum solutum, num. 4. Vbi quòd hæc conclusio habet locum in hærede tam mediatè, quàm immediatè succedenti.

Remedium l. fin. C. de edict. D. Adr. *competit fideicommissario, ibid.*

Substitutus dicitur subrogatus in locum primi instituti, eo sublato, ibid. in fin.

Exceptio fideicommissi potest opponi aduersus agentem remed. l. fin. C. de edict. D. Adr. *quando deducitur in possessorio, vtputa quia concludat bona non comprehendi in fideicommisso. Declara vt n. 5.*

Dominium præsumitur ex possessione quando non agitur de canonizatione ipsius dominij, ibid.

Præsumptionum multiplicatio datur, quando vna descendit ab alia, ibid.

Remedium l. fin. C. de edict. D. Adr. tollen. *locum habet, probata possessione defuncti tempore mortis, ibid.*

Fideicommissi restitutionem operatur lis contestata cum hærede grauato.

DECISIO CCCCXLIV.

1 EXceptionem fideicommissi Honuphrij senioris non obstare Domino Valerio fuit conclusum, quia ipse Valerius agit remediis possessoriis, nempe Saluiano, & *l. final. C. de edict. D. Adr. toll.* & habet fundatam intentionem eo ipso quòd bona fuerunt possessa tempore mortis per Scipionem, & Georgium, qui fecerunt fideicommissum ad sui fauorem, vt aliàs fuit decisum in hac eadem causa: dicta autem exceptio fideicommissi Honuphrij senioris in effectu concernit dominium, quia per illam prætenditur probari quòd dicti Scipio, & Georgius non erant domini, & consequenter non supposuisse prædicta bona tanquam non sua fideicommisso, quod fecerant ad fauorem Valerij: exceptio autem quia concernit dominium, non admittitur in hoc iudicio possessorio. Seraph. *decis. 29. num. 3.* Rota in Romana Saluiani 13. Ianuarij 1603. coram bo. mem. Litta. & fuit coram me resolutum in causa Romana legatorum de Columna 27. Ianuarij 1614. & aliàs sæpe.

2 Et licèt ab hac regula recedatur quando hoc fit clarè, & sine aliqua dubitatione, secus si adesset aliqua dubitatio, quia tunc exceptio remittitur ad petitorium tanquam requirens altiorem indaginem. *l. 2.* vbi gl. & Doctor. *C. de edict. D. Adr. toll.* Ripa *in rubr. de pignor. n. 9. vers. defendo hanc,* Innoc. *in c. 2. de caus. poss. & propr.* Dec. *cons. 424. n. 2.* Natt. *cons. 532. n. 4.* Roland *cons. 1. nu. 73. vol. 1.* Menoch. *de adipisc. remed. 4. n. 747.* Peregr. *de fideic. art. 48. n. 29.* Honded. *cons. 17. n. 14. lib. 2.* Surd. *cons. 4. n. 36.* Put. *decis. 233. lib. 3.* Mohed. *decis. 9. de caus. poss. & propr.* Rota *decis. 34. n. 23. part. 2. diuers.* & in Romana Saluiani 13. Maij 1603. coram bon. mem. Litta. Visum autem fuit Dominis quòd exceptio dicti fideicommissi non sit clara, & indubitata, quia certum est, quòd dicti Scipio, & Georgius potuerunt subiicere nouo fideicommisso in præiudicium à se vocatorum bona quæ ipsi erant grauata restituere per fideicommissum Honuphrij senioris eisdem vocatis, potest enim testator ad libitum grauare rem hæredis sui. *l. filiusfam. §. cum pater. ff. de leg. 1.* Rom. *cons. 35. in fine.* Bellon. *cons. 9. à n. 9. vsque 13.* Couar. *in c. cùm filius n. 3. ff. de testa.* Paris. *cons. 2. n. 32. lib. 2.* Mandell. Alba. *cons. 73. n. 1. lib. 1.* Decian. *cons. 57. n. 9. vol. 1.* Menoch. *cons. 89. n. 62.* Peregr. *de fideicom. art. 6. n. 10.* Seraph. *decis. 848. n. 4.* Rota in Romana de Naris 14. Nouembris 1594. coram bon. mem. Pegna.

3 Quòd autem voluerit hoc facere suadetur ex eo quòd vnus ex fideicommissariis, nempe Georgius, nominatim subiecit nouo fideicommisso plura ex bonis relictis per Honuphriū seniorem, vnde quoad hæc nulla cadit difficultas quòd fuerunt subiecta nouo fideicommisso; quo verò ad alia non nominata, cū idem Georgius immediatè subiecerit quòd in omnibus aliis bonis ad se quomodocunq; & qualitercunq; spectantibus, & pertinentib. instituebat, oriebatur magna verisimilitudo, quòd etiam super non expresè nominatis voluerit constituere idem fideicommissum, etenim ex illa expressione apparet testatorem non fuisse alienum ab impositione noui fideicommissi super rebus antiquo fideicommisso subiectis: verbum autem *aliis*, ex sui natura potest hoc importare cùm sit implicatiuum similium expressis, vt in puncto consuluerunt Gabr. *cons. 85. n. 1. & 2. lib. 1.* Natt. *cons. 159. num. 30.* Menoch. *cons. 688. sub. n. 13. vers. 2. est coniectura.*

4 Præterea dato, & non concesso quòd Scipio, & Georgius noluerint supponere nouo fideicommisso bona Honuphrij senioris, adhuc videbatur non posse retardari immissionem, quia certum est dictis Scipioni, & Georgio competiisse multas detractiones ex fideicommisso Honuphrij senioris, nempe eorum legitimam, in qua non potuerunt grauari. *l. quoniam in priorib. C. de inoff. test.* dotes maternas, æs alienum solutum per testatorem, melioramenta à se facta, & similia: quando autem sunt faciendæ detractiones, exceptio fideicommissi non retardat immissionem hæredis scripti in posteriori testamento. Menoch. *de adipiscen. remed. 4. n. 638.* Gabr. *de fideic. conclus. 4. in fin.* Surd. *decis. 333. à n. 8. vsque ad finem post 4. librum consil.* & nouissimè Rota in Rom. de Marescottis 22. Iunij 1615. coram me. Et licèt prædicta iura loquantur de hærede immediato, qualis non potest dici D. Valerius, qui non succedit immediatè dictis Scipioni, & Georgio, cū priùs successerit Honuphrius iunior, à quo causam habet Excellentissimus D. Paulus Iordanus, attamen res videtur eadem in vtroq; casu, quia sublato de medio d. Honuphrio iuniori, D. Valerius substitutus habet priuilegia, d. l. fin. & vtilis Saluiani interdicti, cùm hæc remedia competant fideicommissario, vt fuit dictum in causa Montis Falisci fideicommissi 13. Maij 1603. coram Cardin. Pamph. & in Romana bonorum 10. Martij 1610. coram R. Attrebaten. & aliàs sæpe. Et propterea cùm habeant d. remedia, necesse est quòd illa habeant cum suis qualitatibus, & sic quòd non debeant retardari per exceptionem fideicommissi à quo

quo sunt faciendæ detractiones, ex suprà allegatis. facit quia sublato primo instituto, substitutus videtur subrogatus in locum dicti instituti à dictis Scipione, & Georgio per exceptionem fideicommissi Honuphrij senioris, stante eo quòd ex illo erant faciendæ detractiones, ita neque etiam debet retardari immissio secundo loco instituti, seu substituti, cùm sapiat naturam illorum, quibus fuit subrogatus, ad regulam *subrogatum*, cum sua materia, *de reg. iur.*

5 Non obstat, quòd immò prætendatur exceptionem fideicommissi Honuphrij senioris deduci in possessorio, cùm concludat non comprehensionẽ in fideicommisso, videtur enim quòd liceat dicere, fideicommissum de hac re non loquitur, aliàs liceret per viam possessorij cum vno fideicommisso occupare totum mundum, quia fuit responsum non posse dici quòd exceptio concernat possessorium. Et primò quoad bona expresè nominata res procedit de plano, vt suprà iam dictum est; quo verò ad nominata, res pariter videtur satis clara, quia eo ipso quòd testator illa possidet, præsumitur dominus, etenim quando non agitur de canonizatione dominij, ex possessione præsumitur dominium. Bart. *in l. quidam in suo, n. 4. ff. de condit. inst.* Alex. *cons.* 11. *col.* 2. *lib.* 4. Rota *decis.* 351. *n.* 3. *part.* 1. *diuers.* quòd si præsumitur dominium, necesse est etiam quòd præsumatur institutio, quia datur multiplicatio præsumptionũ, quando vna descendit ab alia. Honded. *cons.* 4. *n.* 95. *lib.* 1. Rota in Romana domus in Burgo 30. Martij 1591. coram bon. mem. Card. Mantica. Et hoc in effectu vult dicere illa commissima opinio, quæ habet pro obtinendo in remedio *l. final.* sufficere probare possessionem defuncti tempore mortis. nam aliàs sub prætextu non comprehensionis in institutione, vel fideicommisso res semper protraheretur ad proprietatem, dicendo quòd testator non erat dominus, & sic opus esset probare dominium testatoris, & non esset differentia an quis ageret remedio *dictæ l. fin. C. de edict. D. Adrian. tollend.* vel ex rei vindicatione. Vltra quòd dato & non concesso quòd modo prædicto liceret dare de non dominio testatoris, adhuc remaneret alia exceptio de detractionibus faciendis, quæ operatur, vt fideicommissarius non possit impedire immissionem scripti in posteriori testamento.

6 Non obstat, quòd ab hæredibus Honuphrij senioris sit in primis facienda restitutio verbalis Domino Vallerio, quia litis contestatio super restitutione operatur restitutionem fideicommissi, vt restitutio habeatur pro facta. Roman. *cons.* 392. *nu.* 12. 13. & 14. Dec. *in l. editu, n.* 7. *ff. de edendo.* Rot. *decis.* 450. *n.* 5. & 6 *part.* 1. *diuers.*

7 Minus facit quòd Dominus Paulus Iordanus tanquam hæres mediatus Honophrij iunioris vellet detrahere legitimam ex fideicommisso Georgij patris dicti Honuphrij iunioris. nam omisso an hoc possit retardare immissionem in octo vnciis restantibus ex hæreditate dicti Georgij, cessat difficultas, quia ex deductis per informantes pro dicto Valerio visum fuit, quòd dicta legitima fuerit consumpta per dictum Honuphrium iuniorem.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana vineæ. Veneris 7. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Possessio probatur per clausulam *Constituti*, per confessionem partis factam positionibus, per fructuum perceptionem, & per testes. Cætera vide in summariis.

SVMMARIVM.

Possessio probatur per clausulam Constituti, *etiam ad fauorem hæredum, num.* 1.

Possessio probatur per confessionem partis factam positionibus, ibid. vers. sed vlteriùs.

Possessio probatur ex perceptione fructuum, n. 2.

Possessio probatur per testes deponentes vidisse aliquem possidere, ibid. vers. nec non.

Confessio Procuratoris potest à principali reuocari, n. 3.

Emptor dicitur possidere titulo emptionis, etiam quòd venditor sibi reseruauerit dominium, & possessionem, num. 4.

Manutentio datur non solùm in possessione probata, sed etiam in rei commoditate, n. 5.

Decretum conditionale non purificata conditione locum non habet, n. 6. *in fine.*

DECISIO CCCCXLV.

Præposui denuò causam super decisis coram me, sub die 13. Iunij præteriti, quòd nimirum super vinea, de qua agitur, dandum esset mandatum de manutenendo Bartholomæo hæredi Antonij Sansfort. non Tarisio Cursori, qui ex persona Ioannis Mariæ Rotij veniebat. Et Dominis placuit decisio, non obstantibus in contrarium adductis, constat enim de Bartholomæi possessione, non solùm per instrumentum venditionis dictæ vineæ, cum clausula *Constituti*, ad fauorem Antonij emptoris & hæredum, quæ operatur, vt in Bartholomeum illius hæredem vera possessio fuerit translata. *l. quod meo*, vbi Doctor. *ff. de acquirend. poss. l. certè, §. ibi propriè possidere. ff. de prec.* Bero. *cons.* 158. *num.* 1. *lib.* 1. & *cons.* 41. *num.* 10. *lib.* 3. Honded. *cons.* 42. *num.* 37. *lib.* 1. Paris. *cons.* 33. *num.* 30. *lib.* 3. Surd. *cons.* 221. *nu.* 34. Tiraquell. *de constit. part.* 1. *num.* 54. & fuit dictum in Clusina Postæ Puteoli 27. Ianuarij 1603. coram Litta. Sed vlteriùs ex confessione Martiæ venditricis in positionibus in quibus ipsa dictum Bartholomæum asseruit possidere. *l. procuratore*, & ibi not. *ff. de interrogat. act.* Abb. *in cap. quamuis, num.* 4. *de re iud.* Aym. *cons.* 217. *num.* 9. & fuit dictum in Callien. fructuum 28. Februarij 1603. coram Illustriss. Ludouisio.

Probatur insuper eiusdem Bartholomæi possessio ex fructuum perceptione. *l. Titia*, vbi Doctor. *de solut.* Bald. *in l.* 3. *num.* 4. *vers. quæro qualiter. C. fin. regund.* Menoch. *de retinend. remed.* 3. *num.* 568. Corn. *cons.* 185. *num.* 4. *lib.* 3. Ruin. *cons.* 161. *num.* 13. *lib.* 4. Aymon. *cons.* 107. *num.* 2. *vers. secundò quia.* Nec non ex testibus de huiusmodi possessione deponentibus, ex quibus illa benè probatur. Bald. *in l. data opera, num.* 34. *vers. Item nota. C. de his qui accus. non poss.* & *in authent,* & *qui iurat. num.* 4. *C. de bon. authorit. iud possid.* Alexand. *cons.* 51. *nu.* 6. *lib.* 1. Dec. *cons.* 302. *num.* 19. *post med.* Ruin. *cons.* 168. *num.* 2. *lib.* 4. Balb. *in repetit. l. Celsus, in prima quæstione, num.* 4. *ff. de vsucap.* 2

3 Nec releuat Bartholomæi Procuratorem in positionibus negasse illius possessionem, quia d. cta confessio ad euitandam pretij solutionem emanauit, & fuit in omnem euentum reuocata, vt fieri potuit. Rot. *decis. 2. de confess. & decis. 19. de Procur. in nouis*. Gabr. *de confess. conclus. 4. n. 21.*

4 Non obstat venditionem fuisse factam cum expressa dominij & possessionis reseruatione, donec beneplacitum domini directi fuisset obtentum, & interim emptori vinea locata censeretur. Nam vltra quòd iste consensus fuit præstitus, & domino directo soluti fuerunt canones, vt ex iuribus productis apparet, ex hoc tamen non sequitur Bartholomæum titulo emptionis non possedisse. Riminald. sen. *cons. 318. num. 18. & cons. 177. num. 9.* & fuit dictum in Romana vineæ de Fabris 23. Iunij 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen. & in hac eadem causa 18. Iunij 1602. coram bon. mem. D. Pegna. Vt etiam ex quo Martia venditrix contra eundem egit pro solutione pretij, eumque allegauit emptionis titulo possidere.

5 Et in omnem euentum negari non potest rei venditæ commoditatem & detentionem penes Bartholomæum extitisse, in qua saltem ille veniret manutenendus. *l. Atilius*, vbi Castrens. *ff. de donat.* Couar. *practic. quæst. cap. 17. n. 5. ad finem.* Alex. *cons. 88. num. 22. lib. 5.* Dec. *cons. 302. n. 7.* & fuit dictum in Perusina releuationis indemnitatis 14. Iunij 1610. coram R. P. D. Pamphilio.

Non obstat per signaturam Sanctissimi fuisse rescriptum cum clausula *reiectis attentatis*, & constito de bono iure, quod prætenditur, fuisse probatum. Vt enim deductum fuit in decisionibus pro bono iure, debebat Tarisius de veritate crediti Martiæ, & de iustitia subhastationis docere, quod factum non apparet, cùm subhastatio fuerit attentata, ex allegatis in decisionibus, & Martiæ creditum, licèt per instrumentum venditionis probetur, non tamen de iusto vineæ pretio fuit doctum, quinimmò contrarium apparet ex decisionibus factis, & ita clarè patet, iuuari non posse decreto conditionali Tarisium, non purificata prius conditione. Put. *decis. 486. lib. 2.* Tanis *decis. 95.*

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana legati. Lunæ 10. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Legatum alimentorum familiæ factum prout viuens testator præstabat, quomodo intelligatur, & an etiam comprehendat habitationem.

SVMMARIVM.

Legatum alimentorum familiæ factum prout viuens testator præstabat, quomodo intelligatur, n. 1. & per tot.

Obseruantia subsequuta maximè operatur in interpretatione legati ambigui, n. 3.

Copula &, an & quando resoluatur in disiunctiuam, quando stet expositiuè pro, id est, & alia de interpretatione dictæ copulæ, n. 4.

Superfluum non dicitur quando fuit expressum id quod tacitè veniebat in dispositione, ibid. ad finem, vbi etiam quòd argumentum superfluitas est admodum tenue, & leue.

Legatum alimentorum an contineat habitationem, num. 6. & 9.

Legatum conditionale conditione non purificata non debetur, n. 7.

Oratio vbi in ea duo coniunguntur, omnia censetur pariformiter determinare, n. 8.

Relatiuum non restringit præcedentia, sed tantùm refertur ad totum suum antecedens. Declara, vt ibid. in fine.

DECISIO CCCCXLVI.

LAta fuit sententia per A. C. condemnatoria hæredum bon. mem. Cardinalis Deza, ad soluendum R. P. D. Varellæ vni ex eius legataris scuta nouem, quolibet mense pro habitatione domus, & vsu Coquinæ ac fœnilis, tāquam debita pro supplemento portionis victus per dictum Cardinalem eius familiaribus Hispanis in codicillis relictæ, sed commissa causa appellationis dd. hæredum in Rota DD. dixerunt illam esse reformandam ad scuta duo tantùm quolibet mense pro vsu Coquinæ.

Censuerunt enim non deberi habitationem domus, nec fœnile, seu pensionem pro eis. Nam Cardinalis in dd. codicillis mandauit quòd omnibus suis familiaribus Hispanis detur, dum Romæ moram traxerint, eadem portio victus post mortem ipsius codicillantis, quæ dabatur, & hodie datur ipso D. codicillante viuente; verba autem illa, *quæ dabatur*, referuntur ad portionem quam D. Varella solitus erat habere de tempore mortis dicti Cardinalis, vt de similibus verbis, *quæ viuus præstabat*, est tex. *in l. Mela 14. §. sed si alimenta*, & ibi not. Odofred. Alberic. & Goffred. *ff. de aliment. & cibar. legat.* etiamsi aliquo tempore in vita eiusdem Cardinalis illa habuisset, vltima enim præstatio est attendenda. *d. §. sed si alimenta, in fine*, & tradunt in eorum tractatibus, *de alimentis*, Bart. *num. 18. versic. circa quod.* Pontan. *cap. 17. num. 27.* Surd. *tit. 4. quæst. 18. num. 3. & quæst. 19. num. 10. & 11.* & Foller. *lib. 2. cap. 2. num. 25.* Alexand. *cons. 123. num. 4. vol. 2. & cons. 5. num. 7. vers. Pro hoc etiam, & num. 22. vers. non obstat vol. 5.* Menoch. *cons. 329. num. 16. & 31. & præsumpt. 6. num. 38. lib. 3.* Simon de Præt. *de interpr. vlt. volunt. lib. 4. fol. mihi 399. à tergo, num. 97. in fine, & fol. 427. numer. 48.*

De tempore autem mortis Cardinalis non solùm non probatur quòd domum & fœnile habuerit. Nam omisso quòd licèt de fœnili illius duo testes deponant, primus tamen nihil probat, vt infrà dicetur: secundus minus tanquam vnicus, & quoad habitationem constat potiùs de contrario, quia nunquam habuit mansiones in palatio de anno, vt supponitur, 1585. per Cardinalem empto, & per eum vsque ad obitum inhabitato, vt deponunt eiusdem testes, videlicet primus iuxta 13. secundus super primo in eius summario *num. 2.* & idem primus super quarto, & secundus iuxta 13. in dicto summario *nu. 3.* qui etiam secundus ibidem dicit D. Cardinalem retinuisse in dicto palatio partem familiæ pro eius persona necessariam, & pro alia parte cōduxisse domum à Montedoro, & D. Varellam conduxisse illam, in qua semper habitauit, & adhuc habitat, quod etiam clarè patet ex quitantiis pensionum dictæ domus sibi factæ ab anno 1387. vsque ad 1594. vt in summario hæredum, *n. 13.*

Et sua-

Et suadetur etiam, quia D. Varella ab obitu D. Cardinalis, vt dicitur, del 1600. vsque ad 1614. absque prædictorum prætensione, recepit solùm summam pecuniarum scutorum nouem taxatam ab exequutoribus testamentariis pro eius victu, & alia scuta noue pro rheda, quam obseruantiam deseruire pro interpretatione dicti legati quatenus ambiguum fuisset, tradunt DD. *in l. 1. C. de fideicommiss.* Aym. *consil.* 101. *sub numer.* 3. Menoch. *consil.* 349. *num.* 15. & tenuit Rota in hac causa pro eodem D. Varella contra dd. hæredes 6. Iunij 1614. coram R. P. D. meo Dunozet.

4 Non obstat quòd *dict. §. sed si alimenta*, loquatur quando verba legati sunt relata ad vnicum tempus per sola verba, *quæ viuus præstabat*, idcóque non videatur præsenti casui applicari, in quo duplex tempus, præteritum scilicet, & præsens, fuit expressum, & propterea ad hoc vt vtrumque verificetur, & vnum non remaneat superfluum, dici debeat in legato comprehensa non solùm portio de tempore mortis Cardinalis, sed etiam de illo tempore vitæ, quo D. Varella habebat habitationem & fœnile in eius palatio, & sic copula *&*, resoluatur in disiunctiuam, & stet ampliatiuè, ex allegatis. Quia responsum fuit quòd sicut dicta copula *&*, ad euitandam superfluitatem resoluitur in expositiuam, *id est*, quando ponitur inter duo substantiua idem significantia, Abb. *in c. 2. num. 6. vers. Aut extrema, de rescript.* & ibi Rip. *num.* 52. Felin. *numer.* 20. *vers. fallit secundò*, & Dec. plures allegans *num.* 50. Rota *decis.* 39. *num.* 7. *& seqq. part.* 2. *diuers.* cum aliis latè per Petrum Cened *sing.* 50. *num.* 5. Et tunc nihil addit, nec diuersam dispositionem inducit Calder. *cons.* 2. *vers. quod est verum, de verb. sign.* & hoc modo sæpiùs vsurpari solet, etiam apud sacram Scripturam, vt quamplurimis exemplis comprobat Salmer. in Prolegomenis & phrasibus eiusdem sacræ Scripturæ *Proleg.* 16. *pag. mihi* 408. & apud Latinæ linguæ scriptores, vt per Thesaur. eiusdem linguæ littera *&*. Ita eadem ratione videtur hoc modo resoluenda, quando est cum relatiuo inter duo tempora, quorum vtrumque idem importat, prout in proposito, vbi verba illa *quæ dabatur*, licèt præteriti temporis, de iure tamen referuntur ad tempus mortis, per *d. §. sed alimenta*, sicuti secundùm eius proprium significatum ad illud referuntur alia verba, *& quæ hodie datur*, quæ addita videntur per Cardinalem ad tollendum omnem ambiguitatem, & ad clariorem suæ mentis declarationem, quasi dixerit, Detur portio quæ in præteritum præstabatur, eo modo, quo de præsenti præstatur, & sic non possunt dici superflua, cùm ita fuerit expressum id quod tacitè veniebat. Alexand. *consil.* 27. *num.* 5. *lib.* 1. Rota in Romana dotis 11. Februarij 1583. coram bon. me. Cantucio, cum latè cumulatis per Surd. *cons.* 325, *n.* 14. Vltra quod argumentum superfluitatis esse admodum leue, & tenue, dixerunt Alciat. *in l.* 3. *n.* 3. *de legat.* 3. Cardin. Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib.* 3. *tit.* 6. *numer.* 8. *& lib.* 8. *tit.* 18. *num.* 23. *& lib.* 12. *tit.* 17. *num.* 39. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 14. *sub n.* 21. & Surd. *d. consil.* 325. *d. num.* 14. *in fine.*

5 Et quòd Cardinalis ita voluerit intelligere, suadetur adhuc, quia cùm etiam de tempore præterito D. Varella per decennium ante obitum Cardinalis non habuerit domum in eius palatio, non potest certè, & determinatè argui quòd voluerit se potiùs ampliatiuè referre ad tempus præteritum, de quo illa habuit, quàm ad illud, de quo non habuit. Immò dicendum est, quòd de hoc potiùs intellexerit, tum quia est conforme iuris dispositioni, *in d. §. sed alimenta*, tum etiam, quia aliàs incongruè loquutus fuisset, ponendo priùs illud tempus, de quo maior, quàm illud, de quo minor præstatio dabatur, & sic prius ampliationem, quàm ampliatum.

Minus obstare visum fuit quòd prædicta dicantur in legato comprehensa, quia D. Varella habitauit extra palatium Cardinalis ex accidenti, propter illius angustiam, & fabricam, ad text. *in l. testamento* 29. *ff. de alim. & cibar. leg.* quia in hoc textu certum erat quid fuisset aliis relictum, in casu autem nostro dubitatur, an habitatio relicta fuerit omnibus familiaribus, de quibus loquitur legatum, & præsertim illis, qui habitabant propriis expensis extra palatium. Vltra quod d. text. loquitur, quando legatarius aberat vel pro seruitio testatoris vt in illis verbis, *negotij sui gratia*, vt dicunt ibi gloss. magna Bart. *in princ. & in 1. notab.* vel de illius licentia & voluntate, vt dicunt ibi Odofred. & Alberic. in quibus casibus pro præsenti reputabatur, vt ibi per Bart. *vers. videtur.* & ita non videtur posse applicari, quia non constat quòd D. Varella maneret extra dictum palatium pro seruitio Cardinalis, nec de illius voluntate, ita quòd Cardinalis illum haberet pro præsenti, vt intelligunt DD. ibidem. 6

Non obstat quòd primus testis super quinto in dicto summario *num.* 3. dicat Cardinalem illi promisisse quòd statim finita fabrica denuò ei dedisset habitationem in dicto palatio, quia nihil probat, cùm sit vnicus, & de auditu & interessatus, ex quo ipse etiam venit ad causam tanquam vnus ex legatariis, & eadem prætendit, vt patet ex monitorio in summario hæredum *num.* 14. ad not. *in l. nullus. ff. de testibus*, cum vulgar. Et non concludit de promissione nisi finita fabrica, & sic cùm non constet eam fuisse completam ante obitum Cardinalis, immò pro D. Varella supponatur non fuisse finitam, dicta promissio euanuisset tanquam facta sub conditione, quæ non solùm non fuit purificata, sed deficit, ad *l. cùm ita legatum, & l. qui hæredi, §. fin. ff. de cond. & demonstr.* 7

Visum etiam fuit non obstare quòd si aliquibus ex comprehensis in dicto legato, dabatur habitatio, aliis verò non, tamen dici debeat Cardinalem voluisse eam omnibus pari modo relinquere, ex quo omnes in eadem oratione coniungit, ad textum *in l. à filio* 15. *§. fin. ff. de aliment. & cibar. legat.* Quia in hoc §. illa verba, *quæ præstabat*, non referebantur ad personas, & certum erat quòd licèt testator in vita cibaria non præstiterat, nisi tribus libertis, voluit tamen ea omnibus indistinctè in testamento relinquere, sed tantùm relata erat ad quantitatem, quam dictis tribus præstabat, & ideò non limitabant, nec restringebant nisi dictam quãtitatem, quæ erat antecedens, ad quod referebantur, vt declarat ibi gloss. *in verbo ab omnibus*, relatiuum enim præcedentia non restringit, sed refertur tantùm ad suum antecedens, vt per Odofred. Alberic. & Bart. *ibid.* Contrarium ergo dicendum esset, si omnibus libertis cibaria præstita fuissent, tunc enim eo modo, quo cuique præstabantur, dicerentur relicta, vt ex Bart. *ibi, vers. veritas est.* vbi dicit quòd relatiuum totum restringit, quando totum est suum antecedens, quod non erat in casu *dicti §. fin.* Cùm itaque in proposito omnibus in dicto legato comprehẽsis daretur aliqua portio, & sic etiam D. Varellæ, sequitur quòd vnicuique dicatur legata eo modo quo sibi 8

dabatur de tempore obitus Cardinalis.

Demum visum fuit non obstare decisionem bon.
9 me. Cardinalis Pamphilij in hac causa 30. Octobris 1602. in qua fuit resolutum in dicto legato comprehendi etiam habitationem, quia loquitur tantùm de illis, qui ipsam habebant, vt dicitur *ibi in fine*. Sed tollere videtur omnem difficultatem quòd D. Varella, (vt ex eius monitorio apparet) non petiit habitationem, nec fœnile, sed solùm pensiones pro eis à die obitus Cardinalis decursas, & in posterum decurrendas. Nullibi autem constat quòd Cardinalis vnquam huiusmodi pensiones pro illo persoluerit, immò quòd eas persoluere noluerit, patet, quia dum non habuit commoditatem eum retinendi in proprio palatio, ipse D. Varella conduxit domum propriis expensis, vt dictum est.

Et ita decisum circumscriptis in hac disputatio-
10 ne prætensis nullitatibus dictæ sententiæ pro parte hæredum, videlicet ex defectu iurisdictionis & mandati, de quibus actum non fuit.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Vallisoletana iurisdictionis. Lunæ 10. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Caducitas non incurritur propter controuentionem cum causa impedimenti.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum non denegatur vbi intrat læsio, num. 1.

Caducitatis pœna non incurritur propter contrauentionem non dolosam, sed toleratam, quamuis impedimenti coloratam, quamuis impedimenta non liberent ad obligatione & obseruantia, numer. 2. declara vt num. 5.

Probationem contra probationem, remanet inanis, si altera sit in genere, & cum paucioribus testibus, altera in specie cum pluribus, num. 3. declara vt num. 4.

Contrauentio iterata facit præsumi dolum & reddit contrauenientem indignum æquitate, num. 5.

DECISIO CCCCLXVII.

1 IN præterita disputatione censuerunt Domini contrauentionem respectu celebrationis Missarum particulariter esse examinandam, aliàs verò contrauentiones non obstare. Hodie disputata parte reseruata fuit resolutum eam pariter non obstare, & consequenter constare de causis restitutionis in integrum, quia per iniustitiam prioris sententiæ contrarium determinantis pars læsa remansit, & vbi intrat læsio, restitutio in integrum non denegatur. *c. 1.* vbi Abb. *num. 2. de restit. in integr.* Salyc. *in l. 1. n. 8. C. si aduersus rem iudic.* Rota *in antiquis, & nouis, decis. 1.* & sæpè fuit resolutum.

Constat enim ex testibus datis pro fratribus Trinitatis, si quando contigit fratres Capitulationibus contraueniſſe quoad celebrationem Missarum, & circa formam datam in celebrando eas, id eueniſſe aliquando de mense Augusti 1607. & 1608. propter impedimentum vindemiarum, & processionum, aut de voluntate & licentia Abbatissæ; ideò cùm contrauentio non fuerit peruersa & dolosa, sed tolerata, & cum causa impedimenti satis colorata, quamuis impedimenta non liberent fratres à vinculo obligationis & obseruantiæ; tamen ad effectum excusationis pœnæ caducitatis contractus visum est DD. sufficere. *l. plagis la 2. in verbo iucta, C. ad l. Flauiam.* Bec. *cons. 78. n. 28.* Honded. *cons. 105. lib. 1. n. 23.* cum aliis allegatis per Gabriel. *conclus. 8. num. 1. de maleficiis.*

Non obstat quòd super depositione prædictorum testium, qui moniales sunt, nullum possit con- 2
stitui fundamentum, dum non deponunt de adimplemento in specie, sed in genere; testes verò patronorum in specie de contrauentione affirmant, illæ sint pauciores numero, istæ maiores, itaut probatio fratrum conquassata remaneat. *cap. in nostra, vers. mandamus, de testibus,* Cæs. de Grass *decis. 13. de reiudicata.*

Quia vltra quòd eorum dicta videntur admini- 3
culari ex memoriali porrecto Sanctissimo, in quo ex 26. monialibus eiusdem ordinis & monasterij viginti duæ se subscripserunt veritati carentiæ culpæ dictorum fratrum, fuit etiam responsum non conquassari eorum dicta in attestatione impedimentorum, super quibus testes D. Eleonoræ non deponunt.

Non obstat quòd causæ impedimentorum, scili- 4
cet vindemiarum, & processionum, sunt friuolæ, & licentia Priorissæ non releuet, cùm talem facultatem à patronis non haberet, neque de iure illi permissa sit in præiudicium suffragij animarum.

Quia quidquid sit vt fratres liberari possint ab 5
onere suscepto, & conuento, quod in præsenti non prætenditur; ad effectum tamen excusationis euitandi pœnam visum est posse deseruire, per supradicta. Caueant tamen dicti RR. Patres ab iterata contrauentione, quia indigni erunt æquitate, *l. plagis, ff ad l. Flauiam,* propter dolum præsumptum ex scientia non releuantiæ causarum impedimenti & licentiæ, per quod excludi solet omnis excusatio. Crauett. *cons. 132 n 4.* Felin. *in cap. si autem, nu 1. fallen. 1. de rescript.* Cephal. *cons. 265. num. 8. vol. 2.*

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana spolij domorum. Lunæ 10. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione spolij materia, & in ea multa notanda explicantur, præsertim circa probationem primi, & secundi extremi circa probationem identitatis domorum, quòd iudex nulliter procedendo dicitur spoliare, quòd sententia est nulla, lata ad instantiam eius, qui non est Procurator, & quid si est lata ad fauorem minoris, vel in die sub qua citatio non cadebat, & an sufficiat citatum esse Procuratorem dictæ litis effectus.

SVM-

SVMMARIVM.

Spolij iudicium requirit vtriusque extremi probationem num.2.

Possessio instrumentalis censetur plenè probata, & suffragatur per solum instrmentum alio non possidente, numero 3.

Possessio rei conuenti probatur ex sustentatione litis, numer.4.

Identitas domus probatur per identitatem confinium, & sufficiunt duæ demonstrationes num.5.

Iudex non procedens ritè, & rectè, dicitur quem spoliasse, num.6.

Sententia lata instante eo, qui non est Procurator, dicitur nulla; quid si est lata ad fauorem minoris, numer.8.

Citatione facta vna die, si terminus seruetur in alia nulliter agi dicitur, num.9.

Possessio ab aliquo auferri non potest ipso non citato, numero 10.

Procurator dominus litis effectus citari an sufficiat ad sententiam, num.11.

Rescripti forma non seruata iudex procedens nulliter procedere dicitur, num.12.

DECISIO CCCCXLVIII.

1 IOannes Baptista, & Lauinia de Crucianis post motum iudicium super nonnullis domibus contra Christophorum Catinum mediante concordia lui cesserunt: sed Lauinia defuncta, rursus Ioannes Baptista contra eundem Christophorum egit coram Auditore Cameræ Et cùm à D. Locumtenente ille fuisset absolutus, Ioannes Baptista per viam appellationis causam introduxit coram R.P.D. Victorio, à quo lata ad ipsius fauorem sententia prioris D. Locumtenentis reuocatoria, obtinuit eidem rescribi, vt præfixo hæredibus Christophori iam defuncti termino ad docendum de appellatione, eiúsque legitima prosequutione, quo elapso, & nihil docto, suam sentétiam exequeretur. Hoc autem per D. Victorium præstito, fuit Ioannes Baptista in domorum possessionem immissus, & ea priuatus Beneuenutus Christophori nepos & hæres, qui deinde spolij causam introduxit coram R. P. D. Marchesano, à quo fuit ad ipsius fauorem pronunciatum.

2 Verùm causa appellationis ad Rotam coram me deuoluta, dubitaui an hæc D. Marchesani sententia confirmanda esset, vel infirmanda? Et Domini pro confirmatione responderunt; illius enim iustitia probatur, cùm de vtroque extremo, vt in iudicio spolij requiritur, constet, iuxta notat. per Doctor. *in cap. cùm ad sedem*, vbi Abb. *num.* 17. *de restit spoliat.* Bald. *in l.3.num.15. ad finem. C. si à non compet. iudice.* Alex. *cons.6.numer.5.lib.3.* Menoch. *de recuper. remed.* 15.*num.*383.

3 Primum extremum, videlicet Beneuenuti possessio, probatur ex instrumento, ex quo patet illum die 1. Decembris 1607. mortuo Christophoro ipsius patruo, domorum possessionem accepisse, quæ possessio licèt instrumentalis, alio tamen non possidente, suffragatur. *l. non idcirco* vbi Bald. *C. de fid. instrumentor. l. prædia ff. de acquirend. possess.* Menoch. *de retinend. remed.3.nu.575.* Put. *decis.360.n.8.lib.1.* Nec valet exceptio quòd Ioannes Baptista tunc possideret, quia hoc nullibi iustificatur. Nec idem iuuari potest instrumento dotali de anno 1575 cum clausula *Constituti*, ad fauorem Theophilę ipsius matris celebrato, cùm appareat semper Christophorum dum vixit, istas domos possedisse. tum ex instrumento transactionis inter ipsum & Ioannem Baptistam celebrato. tum ex monitorio, & immissione contra eundem Christophorum tanquam harum domorum detentorem executa, ex quibus illius possessio & successiuè Beneuenuti eiusdem hæredis non videtur posse controuerti.

Secundum extremum, & sic possessio hæredum Ioannis Baptistæ iam defuncti probatur ex litis sustentatione. Pontan. *de spolio lib.2.num.85.* & fuit resolutum in Bononien. spolij 15. Decembris 1600 coram bon. me. Cardinali Pamphilio. & in Romana spolij domorum 29. Ianuarij 1601. coram Illustrissimo Ludouisio. & vlteriùs ex immissione à dicto iudice obtenta, vt fuit resolutum in Romana spolij 1. Martij 1602. coram Litta. 4

Non obstat identitatem non probari, videlicet domos ab hæredibus Ioannis Baptistæ possessas illas esse, quæ à Beneuenuto Christophori hærede possidebantur, cessat enim obiectum per situationem, & alios confines, de quibus in dicto possessionis instrumento, in monitorio, necnon in sententia per eundem Ioannem Baptistam obtenta. Ex quibus bene probata videtur identitas, cùm ad hunc effectum duæ sufficiant demonstrationes. Bart. *in l. demonstratio falsa ff. de condict. & demonstrat.* Corn. *consil.61.num.19.lib.3.* Socin. *consil. 7.vers. tertiò probatur lib.1.* 5

Nec iudicis authoritas potuit spolium excludere. nam cùm ille ritè, & rectè non egerit, videtur tanquam priuatus, & de facto processisse, & propterea spoliasse. Roman. *cons.158 num.6.* Rip. *in l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de acquirend. possess.* Roland. *consil.6.num.11.lib.2.* Crauett. *cons.140.num.2.* Honded *consil.87.num.22.& seqq.lib.1.* Seraph. *decis.767.num.1.* 6

Constat autem de dictæ sententiæ nullitate, cùm illa fuerit lata instante quodam Angelo Marchetto, qui mandatum ad lites non habebat, sed tantummodo ad nonnullam pecuniarum quantitatem exigendam. Vnde parte opponente, cùm de legitimo mandato doctum non fuerit, sententia redditur nulla. *l. licèt*, vbi Doctor. *Cod de procuratoribus.* & ibi Castr. *num.4.cap. in nostra*, vbi Abb. *num.4.vers. idem nota, eod. tit.* Bald. *in l.3. in fine ff. de iudic.* 7

Nec valet dicere sententiam huiusmodi tanquam ad fauorem minoris latam subsistere, per *l. non eo minus. C. de procurat.* Cùm id non procedat vbi de mandato fuit oppositum, vt in casu nostro, quia tunc sententia etiam pro minore lata non sustinetur. Bald. *in cap.1.num.6. de rescript.* Ias. *in dicta l. non eo minus, in prima limitatione.* Franc. *in cap. ex parte, el 2. col.3. de appellat.* 8

Probatur insuper eiusdem sententiæ nullitas, velut non à die, sub qua cadebat citatio emanatæ. Ruin. *consil.136. num.1. lib.5.* Gabr. *de citat. conclus.1. ampliat.23.num.106.* & fuit dictum in Firmana Prioratus 15. Nouembris 1610. coram Reuer. Lugdun. 9

Dicitur etiam nulliter iudex processisse, cùm non citato Beneuenuto qui possidebat, sententiam fuerit executus. *l. de vnoquoque. ff. de re iudicata.* Abb. *in cap. ca. quæ. eod. tit.* Zabarell. *cons.139.num.1.& seq.* 10

Nec releuat citatum fuisse Procuratorem à dicto Christophoro constitutum vt dominum litis effectum, id enim quoad processus validitatem suffragatur, non autem pro sustinenda executione super 11

domibus postea facta, in quarum possessione cùm Benuenutus adesset, veniebat omninò citandus. Bald.*consil.*340.*lib.*2. Alex.*consil.*30.*nu.*16.*vers. quoad septimum lib.*5. cum aliis per Gabrielium *de citat. concl.*1.*n.*131.

12 Denique sententia fuit nulla tanquam non iustificata clausula *constito de re iudicata*, in commissione apposita, cùm intra legitimum tempus appellatum appareat, non seruata autem rescripti forma dicitur iudex nulliter procedere. Butrig.*in cap.final. numero* 7.*de restit.spoliat.* Dec.*in cap.prudentiam, numer.*20.*de offic.delegat.* Verallus *decis.*143.*num.*5.*versic. quia agens.parte* 3.

13 Ex quibus Rotæ visum fuit benè per Dominum Marchesanum fuisse super reintegratione in iudicio spolij ad fauorem Benuenuti pronunciatum, & per consequens illius sententiam esse confirmandam.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

***Romana census.* 14. *Aprilis* 1617.**

ARGVMENTVM.

Liberatio vigore rescripti Principis ad fauorem principalis debitoris non prodest fideiussoribus insolidum, & principaliter obligatis.

SVMMARIVM.

*Hæres & successor in bonis non differt à persona sui auctoris, num.*1.

*Exceptiones omnes quæ competunt principali ex rescripto principis pro eius idemnitate, concedi debent etiam fideiussori. num.*2. *declara vt num.*3. *&* 4.

Liberatio facta vni ex correis, non prodest alteri correo, qui in liberatione non numeratur, nu 3.

*Remissio facta debitori non impedit quominus fideiussores possint conueniri pro debito pro quo fideiusserunt, intellige de fideiussoribus, qui se principaliter, & insolidum obligauerunt, secus de fideiussoribus accessoriè obligatis, num.*4.

DECISIO CCCCXLIX.

RESolutum fuit mandatum esse relaxandum contra D. Octauianum pro sorte principali, quatenus non offerantur pecuniæ Catherinæ redactæ ex pretio Casalis.

1 Constat enim ex instrumento constitutionis census, & venditionis pro omnibus in eo contentis patrem D. Octauiani, cuius ipse est hæres, accessisse vti principalem, principaliter, & insolidum, cum obligatione Camerali, contra quem sicut agi poterat via exequutiua, ita contra eius successores & hæredes, cùm non differat à persona sui auctoris, Mohedan.*de procur.decis.vltim.* & sæpe fuit resolutum, vt in Romana vineæ 1. Iulij 1611. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Lugduen. & postmodum coram me in eadem causa 12. Decembris 1614. Vnde cùm euenerit casus resolutionis census, & pretium sit restituendum emptori ex forma instrumenti, potest compelli D. Octauianus ad consignandum pretium Catherinæ nunc agenti pro illius restitutione.

Non obstat quòd Sanctissimus in suo chirographo in forma motus proprij liberauerit Casale, super quo cẽsus fuerat impositus, & mandauerit cum eius pretio creditores satiefieri, etiam cogendo illos ad tale pretium recipiendum, & vlteriùs decreuerit Liuiam venditricem Casalis molestari non posse à creditoribus occasione dictæ venditionis, vt ideo exceptiones omnes, quæ cõpetunt principali ex rescripto Principis pro illius indemnitate & liberatione, eædem de iure videantur concedendæ fideiussori. *l. exceptiones la* 2.*§. rei autem ff.de exceptionibus.l.finali, ff.de pactis*, cum aliis allegatis. 2

Quia fuit dictum quòd chirographum emanauit ad liberandum Casale, & etiam Liuiam hæredem & venditricem à creditoribus, non autem ad liberandum fideiussores conreos, de quibus nulla mentio in chirographo, ad quos propterea non extenditur liberatio vel priuilegium venditori concessum. *l.liberationem,§ nunc de effectu, ff.de lib.legat. l.eadem,§.*3 *ff.de duob.reis.* Surd.*cons.*170.*n.*4. 3

Et bene conueniunt rationes aliàs deductæ in Romana de Falatri 8. Iunij 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen. & text.*in l.si præcedenti.§.Lucius, ff.mandati*, vbi remissio facta debitori, non impedit prosequutionem crediti contra fideiussores conreos, ex quibus cessant rationes regulæ de iuribus competentibus principali, vt fideiussori non sint denegandæ, quia in obligato accessoriè bene procedunt, propter extinctionem principalis obligationis, sed in conreo principali locum non habent, ex qua ratione certæ causæ potest vnus distingui ab altero absque consequentia liberationis. Bald. *in l. tam mandati, nu.*13. *C.de non numerata pecunia.* Marsil. *de fideiuss.in rubr.n.*320. Aretin.*in rubric. Instit. de exceptionibus, num.*13. 4

Quatenus autem Sanctissimus voluit creditores posse cogi ad recipiendum pretium, eadem ratione poterat Catherina obiectum euitare, vt scilicet de illis creditoribus intelligendum sit, qui ad Casale ratione eorum hypothecæ redirent, vt pro liberatione bonorum possint cogi ad pretium recipiendum, non autem de illis qui aliunde volunt consequi sua credita, quia hoc non respiciebat interesse emptoris, ad cuius fauorem emanauit chirographum supradictum.

Verùm quia Catherina offerebat se recipere pecunias ex pretio redacto ex venditione Casalis;

Domini noluerunt in resolutione addere conditionem illam, quatenus non offerantur pecuniæ, vt in principio fuit dictum.

Et ita, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

***Farfen.territorij. Veneris* 14. *Aprilis* 1617.**

ARGVMENTVM.

De tertio veniente ad causam pro suo interesse, quando dicatur omnia acta sua fecisse actiuè, & passiuè, & quando possit nouum inchoare iudicium.

SVMMARIVM.

Tertius ad causam veniens pro suo interesse fecisse dicitur

tur omnia acta sua actiuè, & passiuè, siue sciuerit litem agitari, siue non, numer. 1. & 2. vbi declaratur hæc conclusio.

Tertius veniens ad causam quando possit nouum iudicium inchoare, num. 3.

DECISIO CCCCL.

1 FVit die 1. Iulij 1612. coram bo. mem. Pegna firmatum, Illustrissimum Commendatarium Farfensem, qui de anno 1599. Montopolitanis adhærendo ad causam venerat, omnia fecisse acta sua ab anno 1562. gesta, de quo tempore dictum fuit huius litis initium esse computandum, & post alias deinde resolutiones coram me in ista causa factas, cùm Agentes Illustrissimi Commendatarij denuo super dicta decisione coram bo. me. Pegna voluissent audiri, dubio per me proposito, Rota censuit ab illa non esse recedendum. Nam licèt D. Commendatarius de anno 1599. ad causam venerit: quia tamen Montopolitanis adhærendo venit, omnia dicitur acta siue passiuè siue actiuè sua fecisse. Put. *decis. 71. lib. 3.* Achill. *decis. 13. de appellationibus*, cum aliis in decisione allegatis.

2 Non obstat Bart. *in l. si perlusorio, §. 1. num. 1. & 3. de appellat.* vbi distinguit, si tertius litem sciuerit agitari, & ad causam venerit, tunc illum acta sua facere; secus verò si litem ignorauerit. Quia contra Bart. nulla ratione habita scientiæ, vel ignorantiæ, sensit Innocent. *in cap. cum super, num. 6. de sentent. & re iudic.* vbi solùm considerat modum quo tertius venit ad causam: si enim, inquit, cum nouo libello venit, tunc acta illi non nocent: si autem venit in statu & terminis, tunc eidem acta & sententiæ præiudicant, & Innocentium ibi sequitur Anton. de Butr. *num. 18.* Angel. *in l. suspecta ff. de inofficioso testament.* Hanc quoque sententiam Rota semper fuit amplexa, vt per Cassad. *decis. 1. num 3 de exceptionib.* Put. *decis. 71. lib 3.* Crescent. *decis 1. de fid instrum.* Achill. *decis. 13. de appellationibus*, & fuit dictum in causa Cathinen. legitimationis coram Clemente VIII. in Montis Regalis iurisdictionis 1. Iunij 1602. coram Illustrissimo Mellino, & in Calaguritana beneficij della Guardia 6. Nouembris 1595. coram Illustrissimo D. Cardinali Pamphilio. Præterea distinctio Bartoli, de sciente, vel ignorante, procedit in tertio, ad quem principaliter defensionis causa pertinet. Nam si talis scit ipsius causam agitari, acta illi præiudicant: secus autem si ignorauit, vt declarant Couarr. *pract. quæst. cap. 13. sub num. 2.* Gagl. *lib. 1. obseruat. 71. n. 21.* & ita videtur intelligendus Bartolus *in dicta l. si perlusorio*, aliàs si distinctio de sciente, vel ignorante procederet, etiam in veniente ad causam, illius aduentus cum nouo libello non releuaret, ex quo sola illi præiudicaret scientia, quod non est dicendum, ex Innocent. & Butr. *in d. cap. cùm super, de sentent. & re iudic.*

3 Non obstat Illustrissimum Commendatarium non potuisse nouum inchoare iudicium, cùm defensionis causa principaliter ad illum non spectaret, ex Bart. *in dicta l. si perlusorio.* Non enim ibi quæritur Bartolus, an tertius possit nouum iudicium inchoare, sed an illum impedire posset, qui inchoauit, qui termini sunt inter se diuersi, ex eodem Bartol. & nihilominus hîc sufficit Illustrissimum Commendatarium in statu & terminis ad causam venisse, ad effectum vt omnia dicatur acta sua fecisse, ex allegatis.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Tullen. matrimonij. Lunæ 17. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Sponsalia siue iurata, siue non, effectuanda sunt per matrimonium, nisi subsit iusta causa, quæ in termino deduci, & probari debet, & odium ex iniuriis non sufficit: si quæ pars iniuriam accepit, illam remisit, & instat patrimonio.

SVMMARIVM.

Sponsalia inducuntur per verba reciprocæ promissionis de nubendo mediantibus signis, num. 1.

Sponsalia siue sint iurata, siue non, sunt effectuanda per contractum matrimonij num. 2.

Sponsalia an coactiuè effectuanda sint, quando allegatur iusta causa non nubendi, remittitur arbitrio iudicis, num. 3.

Impudicitiæ mulieris diffamatio est causa iusta recedendi à sponsalibus, n. 4.

Probationes non sunt denegandæ, vel coangustandæ, & iudex, qui eas denegat, grauare dicitur, ibid.

Exceptiones, & probationes admitti non debent post lapsos omnes terminos probatorios, quia illis tunc censetur renunciatum fuisse, num. 5. limita non procedere in causa matrimoniali, n. 6. & an extendatur ad sponsalia, vide num. 7.

Appellare debet à denegatione probationum, & ab vlteriori processu, qui vult admitti alias probationes, nec vult esse conclusum in causa, aliàs erit conclusum, ibi.

Probationi vlteriori renunciasse videtur qui instat pro sententia, ibid.

Sponsalia non effectuantur ex causa odij capitalis ob iniuriam, num. 8. limita nisi qui accepit iniuriam sit qui instet pro effectuatione illorum, per quod videtur iniuriam remisisse, ibid.

DECISIO CCCCLI.

FVerant in partibus latæ duæ sententiæ pro effectuatione sponsalium in fauorē Catherinæ contra Nicolaum, vna ab Ordinario Tullen. in prima, altera verò à Metropolitano Treueren. in secunda instantia: causa commissa in Rota, dubitaui, an sententiæ essent confirmandæ, & post plures propositiones huius dubij tandem Domini responderūt esse confirmandas. Nam satis constare videbatur de sponsalibus ex depositionibus quatuor testium pro parte Catherinæ examinatorum, nempe 2. 3. 4. & 5. qui vno ore deponunt fuisse præsentes, & audiuisse Nicolaum dicentem Catherinæ: Da mihi tuum monile pro confirmatione promissionum matrimonialium à me antea factarum, & ipsam illud quod collo gestabat accepisse, & in eius brachio posuisse dicendo, Illud tibi dono pro legalitate matrimonij, ipsúmque Nicolaum illud accepisse, & cùm ipsa ab eo petiisset, quid sibi reciprocè daret, ei respondisse, Habes meam fidem, quid amplius velles? Ego mallem cum quingentis dæmonibus damnari, quàm meam fidem frangere, & aliam, quàm te desponsare: ex quibus verbis reciprocæ promissionis probari 1

sponsalia non videbatur dubitandum, Sanch. *de matr. lib. 1. disp. 5. num. 1.* & vbi quòd etiam sufficit tacita repromissio per aliqua signa, *& disp. 16. nu. 5. & 22. per tot.* ex his autem resultat promissio de nubendo, in quo consistunt sponsalia, *lib. 1. & seqq. ff de spons.*

2 Stantibus igitur huiusmodi sponsalibus, videbatur Dominis quòd essent confirmandæ sententiæ de partibus, in quibus Nicolaus condemnatur ad contrahendum sub pœna excommunicationis, cùm regula stet pro Catherina, quòd scilicet sponsalia, siue sint iurata, siue non, sunt effectuanda per contractum matrimonij, iuxta text. *in cap. sicut, in cap. ex litteris il 2. & in cap. requisiuit, de sponsal.* Cardin. Seraph. *decis.* 1112. *num. 1. & 2.*

3 Et licèt ab hac regula recedatur, quando allegatur aliqua iusta causa non nubendi, quæ remittitur arbitrio iudicis, qui arbitrari debeat, an sit procedendum ad coactionem, ex plurimis allegatis *in d. decis.* 1112. *num. 4. & decis.* 1258. vbi in margine plures decisiones allegantur, & in specie *decis.* 497. *part. 1. diuers.* & fuit dictum in Vlixbonen. matrimonij 7. Ianuarij 1599. coram bo. me. Litta.

4 Et licèt allegata causa diffamationis, impudicitiæ & inflationis proposita per Nicolaum videatur iusta ad effectum recedendi à sponsalibus iuxta textum *in cap. quemadmodum, de iureiurand.* Vnde videbatur quòd iudex grauasset Nicolaum dum in sententia condemnauit ipsum ad contrahendum, nulla habita ratione articulorum additionalium, quos dederat, & sic denegando ei probationes, quę non sunt denegandæ, vel coangustandæ, ex adductis per Surd. *decis.* 153. *num.* 25.

5 Tamen respondebatur, quòd talis exceptio non fuisset per Nicolaum opposita in tempore, sed post lapsos omnes terminos probatorios, & post conclusum in causa, vnde non poterant amplius admitti probationes, quia eis censetur fuisse renunciatum. *cap. auditis, de procurat. cap. cùm dilectus*, vbi Felin. *in princ. de fid. instrum.* Matant. in Specul. *part. 6. vers. & etiam conclusio*, & not. *in l. admonendi ff de iureiur.*

6 Neque visum fuit obstare, quòd non procedat in causa matrimoniali, ex traditis per addentes ad Vestr. *lib. 4. cap. 4. n. 25. vers. Item regula*, & hoc fauore matrimonij Ioann. Andr. *in cap. ad hoc, n.* 18. *vt lit. non contest.* vbi etiam Felin. *numer.* 2.

7 Nam præterquam quòd aliqui ex Dominis dubitabant, an hæc limitatio esset extendenda ad causam sponsalium, respondebatur etiam partes ipsas habuisse causam pro conclusa, dum Nicolaus non solùm non appellauit à denegatione probationum, & ab vlteriori processu, quod tamen erat necessarium, vt per Cardin. Seraphin. *decis.* 383. *num.* 8. sed ipsimet Nicolaus, & Catherina personaliter vnà cum ipsorum Procuratoribus comparuerunt coram iudice, & ius fieri petierunt, & statim iudex in fauorem Catherinæ actricis sententiam tulit & promulgauit, vt apparet ex processu de partibus *fol.* 72. & sic videntur renunciasse vlteriori probationi. Cap. Tholos. *decis.* 146. & propterea videtur, quòd postea fuerint calumniosè petitæ probationes, ad protelandam expeditionem causæ. Rota *diuers. decis.* 322. *p.* 3. neque constat huiusmodi probationes fuisse de nouo petitas coram Metropolitano iudice secundæ instantiæ.

8 Demum non visa fuit obstare allegata causa odij Catherinæ contra Nicolaum ex querela contra ipsum porrecta super prætensa diffamatione, quæ ratio odij consideratur in dicta decis. Seraph. 1112. *n.* 5. quia hæc non visa fuit sufficiens ratio ad inducēdū odium capitale, præsertim cū ipsamet Catherina, quæ se prætendebat iniuriatam, agat pro executione sponsalium, & sic videatur remisisse omnem iniuriam, & Nicolaus in illo iudicio iniuriarum declarauerit se nunquam habuisse intentionem offendendi reputationem, honorem, & famam Catherinæ, quam declarationem iudex pronunciauit esse sufficientem, addendo, quòd Nicolaus tenet Catherinam pro filia bonæ vitæ, & honoris.

Et ideo conclusum fuit pro confirmatione sententiarum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana laudi, seu prætensæ participationis. Lunæ 27. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Institores & complementarij rationis bancariæ, an, & quando possint obligare dominum eiusdem rationis, & ex eorum confessione eius præiudicare.

SVMMARIVM.

Institores, & complementarij rationis bancariæ possunt declarare aliquem participem in dicta ratione, & eorum confessio probat contra dominum dictæ rationis, num. 1.

Confessio curatoris testametarij probat contra minorem, ibid. præsertim adminiculata, ibid.

Confessio Prælati adminiculata probat contra Ecclesiam, ibid. ante finem.

Institor, & complementarius rationis bancariæ potest obligare dominum eiusdem rationis. num. 2.

Curator minoris potest obligare ipsum minorem, ibid.

Confessio in præiudicium confitentis probat contra tertium num. 3.

Tutor debet gerere negotium pupilli non secus, ac proprium, ibid. in fine.

Sanguinis coniunctio tollit fraudis suspicionem, n. 4.

Hæres non potest impugnare declarationem factam à testatore defuncto, num. 7.

Minor maior factus non potest impugnare declarationem quam ratificauit in maiori ætate, ibid.

Supplicans censetur fateri omnia contenta in supplicatione, & commissione, ibid.

Institores & complementarij, nec non & curatores, non prohibentur pro veritate facere declarationem, & recognoscere bonam fidem, num. 8.

DECISIO CCCCLII.

Impugnabat Nicolaus vnus ex hæredibus q. Alexandri Doni resolutionem factam sub die 24. Februarij 1616. in qua Alberico solùm informante, firmatum fuit pro quibus rata, & tempore ipse deberet participare de Appaltibus, de quibus agitur. Ipso tamen 5. Decembris præteriti, & hodie particulariter audito, Domini steterunt in decisis. Placuerunt enim rationes de quibus in decisione, quòd videlicet Octauius, & Ricasolus vti institores, & complementarij insolidum rationis bancariæ potuerunt

tuerunt declarare dictam participationem Alberici, & illorum confessio probat contra Nicolaum vnum ex Dominis dictæ rationis, ad text. *in l. fin. ff. de institor.* Roman *singul.* 423. *num.* 1. Cephal. *conf.* 603. *nu.* 54. & dictum fuit in Romana domus inter easdem partes 7. Nouembris præteriti coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. Immò sufficeret sola confessio Ricasoli vti curatoris testamentarij ipsius Nicolai, & Procuratoris aliorum concuratorum adminiculata (vt infrà dicetur) qui etiam vti talis subscripsit prædictam apocham, vt per Natt. *conf.* 543. *num.* 20. & Rotam *decis.* 117. *num.* 4. *part.* 2. *diuers.* vt in simili confessio Prælati adminiculata probat contra Ecclesiam, Bellapertic. Cyn. Odofred. Alberic. Bart. Bald. & Salycet. *in auth. hoc ius porrectum. C. de sacrosanct. Eccles.* Ruin. *conf.* 142. *num.* 4. *vol.* 2. Natt. *d. conf.* 543. *sub d. num.* 20. & Rota in Toletana 3000. 10. Iunij 1596. coram Oradino, Card. Seraph. *decis.* 436. *num.* 7. *& decis.* 442. *num.* 2. *vers. Et hoc sine difficultate.*

2 Prout etiam ex obligatione eorundem Octauij, & Ricasoli, vti institorum idem Nicolaus obligatus remansit, ad *l.* 1. *in princ. & l. quicumque*, §. *non tamen, ff. de institor. & l. si institorem, cum ibi not. ff. si cert. pet.* Card. Seraphin. *decis.* 1139. *nu.* 4. *&* 5. etiam quòd tunc esset pupillus. *l. verum, & l. sed si pupillus, ff. eod.* Tanto magis, quia dicta ratio incepta fuit per Alexandrum eorundem Octauij, & Nicolai auctorem, & continuata iuxta dispositionem per eum factam in testamento, vt consideratum fuit in dicta Romana domus. Immò remansit obligatus ex obligatione solius Ricasoli curatoris, & Procuratoris concuratorum, vt suprà, perinde ac si ipsemet contraxisset, *l. apud Iulianum*, §. *pen. ff. ex quibus caus. in poss.* Surd. *decis.* 297. *num.* 5.

3 Adminicula autem, & verisimilitudines, quibus dicta confessio adiuuatur, latè ponderantur in alia decisione, & præ cæteris maximè vrgere visum fuit quòd facta est ab Octauio altero ex dictis hæredibus Alexandri, qui propterea si dicta participatio non fuisset debita Alberico, consequi debuisset lucra, seu vtilia vnius ex duobus solidis ad eius fauorem per ipsummet declaratis, & sic in proprium præiudicium fecisset talem declarationem, cui nec hodie etiam contradicit, ex quo fit vt nullus rationis color suadere possit quin debita esset dicta participatio, ad text. *in l. hæredes*, §. *non tantum, ff. famil. ercisc.* §. *fin. Instit. de societ.* & ibi gloss. *in verb. solet. in fin.* & bene Decian. *resp.* 29. *num.* 25. *vol.* 2. Sicuti etiam dicitur quando tutor gessit negotium pupilli, non secus ac proprium, per text. *in l. sine hærede*, §. *Lucius*, & ibi Odofr. *ff. de administr. tutor.* & in Bononien. redditionis 29. Maij 1610. coram bon. mem. Pegna, & in eadem 1. Iulij 1615. coram R. P. D. meo Verospio.

4 Et hinc etiam redditur admodum verisimilis confessio Ricasoli curatoris, qui videns Octauium in sui præiudicium facere dictam declarationem, iure potuit credere illam fuisse debitam, cum non esset præsumendum, quòd Octauius suum iactare voluerit, & tanto magis cùm dictus Octauius esset complementarius, Ricasolus verò auunculus Nicolai. Ex qua sanguinis coniunctione omnem fraudis suspicionem abesse præsumitur, *l. non solum, in princ. ff. de rit. nupt. & l. pen. C. quod fals. tut.* Menoc *præsump.* 40. *num.* 17. *lib.* 5. Et credendum est ipsos magis respexisse ad vtilitatem Nicolai, quàm Alberici extranei, vt etiam respectu solius Octauij consideratum fuit in alia decisione in hac causa 15. Decemb. 1614.

Et augetur verisimilitudo, quia ipsi dicunt in dicta apocha, quòd Marius pater Nicolai dum viueret, eisdem fecerat fidem de participatione Alberico data per Alexandrum, & de apocha super ea facta manu eiusdem Alexandri, cuius Originale (vt dicunt) *si era smarita*; quæ attestatio Marij adeò valuit penes Octauium, quòd illam in proprium incommodum obseruauit, faciendo dictam declarationem. 5

Non solùm autem dicta confessio, & declaratio est ex prædictis adminiculata, sed etiam arbiter, iuxta illam laudauit, tam in debitum, quàm in creditum Alberici, quod laudum Nicolaus postea maior effectus, sub die 13. Iunij 1613. ratificauit, constituendo etiam Octauium Procuratorem ad exigendum summam in eo contentam, vt *in dicto summario n.* 13. Immò ex ipsa quoque rei euidentia rectè iustificatur. Dictis enim Octauio, & Ricasolo bene constitit de laboribus, & industria Alberici, vt patet ex illis verbis prædictæ apochæ: *Et hauendo considerate le fatiche da lui fatte, così auanti che hauesse il complemento, come dopò ancora*, &c. pro quibus sine dubio recognitio debebatur. Vnde ipsi eam arbitrati fuerunt pro duobus solidis in viginti de vtilibus factis à die 1. Nouembris 1596. vsque ad obitum Alexandri, *defalcatone le perdite, & debitori cattiui*, cùm opera Alberici illis visa fuerit non minus pretiosa, & æstimabilis opera aliorum ministrorum, & institorum, quibus tam in vita, quàm post obitum Alexandri data fuit, etiam maior participatio, vt Palagio solidorum duorum cum dimidio vnà cum scut. 200. pro alimentis, vt *in dicto summario num.* 3. Guiduccio, & Ricasolo solidorum trium, vt *ibidem num.* 6. Immò eidem Alberico in prima renouatione rationis facta per Marium, & Octauium post obitum Alexandri, de anno 1600. similiter solidorum trium, & in alia del 1608 solidorum duorum cum dimidio, vt *in d. summario num.* 6. 6

Demum vltra plures actus positiuos gestos per Marium, ex quibus magis apparet de veritate dictæ declarationis Octauij, & Ricasoli ponderatos in alia decisione, quos Nicolaus tanquam illius filius, & hæres impugnare non potest, ex *vulgar.* consideratum fuit constare etiam de approbatione ipsius Nicolai, postquam fuit maior, itaut non potuerit, nec possit amplius contradicere, ad *l.* 1. *&* 2. *C. si maior fact. & l.* 3. §. 1. *ff. de minor.* & aliis omissis, vltra supradictam laudi ratificationem clarissima visa fuit ratificatio per eum, & Octauium facta 28. Februarij 1614. commissionis gratiosæ, in qua pro eorum parte narratum fuerat Alexandrum accepisse ad eius seruitium in banco Albericum, cum certa prouisione per aliquot tempus, & deinde de anno 1596. cum participatione vtilium, &c. vt *in dicto summario nu.* 14. quæ narratiua, seu confessio in dicta commissione facta plenè probat contra ipsos supplicantes, ad *l. cùm precum*, & ibi Bald. & Salyc. *C. de liber. caus.* accedente præsertim obligatione eorundem de restituendo pecunias, vnà cum cambiis, iuxta rescriptum in dicta commissione factum, *in dicto summario num.* 14. 7

Ex quibus cessat, quòd dicta declaratio fuerit fundata super simplici confessione dictorum institorum, & curatoris respectiuè, & quòd non potuerit fieri tanquam sapiens donationem, cùm constet quòd erat debita, & quod facta fuit pro recognitione bonæ fidei, quam dicti Complementarij, & curator facere non prohibebantur, *l. quoties*, §. *item si* 8

in temporali, ff. de admin.tut. & ibi Alberic. *in princ. & num.* 1. *vers. deinde nota, & l. à tutoribus*, vbi idem Alberic. *in fin.* & Odofr. *ff. eod.* & fuit tentum in Romana tutelæ 20. Maij 1596. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & in Romana de populis 5. Iulij 1599. coram Litta.

9 Prout etiam cessat, quòd eandem declarationem facere non potuerint, cùm non essent institores dictæ rationis del 1596. sed tantùm del 1608. quia effectus rationis del 1596. fuerunt ex particulari conuentione translati in illam del 1600. & successiuè de illa in dictam del 1608. vt *in dicto summario num.* 6. & in omnem casum sufficit declarationem fuisse factam à curatore.

10 Alia visa fuerunt vel sublata ex prædictis, & deductis in alia decisione, vel responsione non indigere. Et ideo Domini perstiterunt in resolutis, tanto magis, cùm agatur inter mercatores, inter quos bona fides debet exuberare, vt dictum fuit in dicta decisione in hac causa 15. Decembris 1614.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Perusina bonorum. Lunæ 17. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Possessor sine titulo, & ex primo decreto non facit fructus suos, & de euictioue agi non potest, nisi re euicta ablata effectualiter. cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Appellationis causa, si infra biennium non terminetur, dicitur deserta, num. 1.

Possessor sine titulo non facit fructus suos, num. 2. *in fine.*

Possessio capta per Balium sine licentia iudicis non suffragatur, num. 3. *vbi etiam quòd iudicis licentia non præsumitur.*

Possessio data à Balio in fauorem alicuius non suffragatur alteri, ibid. in fine.

Possessor ex primo decreto in actione personali non facit fructus suos, nisi iudex hoc expressè dixisset, num. 4.

Euictio non dicitur sequuta, nisi res fuerit ablata, & sic facta exequutione sententiæ latæ super euictione, nu. 5. *vbi præsertim quando lis fuit mota in Saluiano.*

Exequutione realiter non sequuta, de euictione agi non potest, num. 6.

Promittens in casu euictionis restituere pecunias pro quantitate euicta, non teneatur ad fructus, ibid.

Verbum ablatum, *importat ablationem, inuito eo, à quo res aufertur, num.* 7.

Mutatio tituli non præsumitur, ibid. in fine.

Sententia vna alteri contraria est nulla, num. 9.

Mandatum relaxatum in forma, intelligendum est prout de iure, ibid.

Compensatio habet vim solutionis, ibid.

DECISIO CCCCLIII.

1 Lata per A. C. de anno 1605. sententia ad fauorem illorum de Lupatellis, contra Venturinos condemnatos ad imputãdum in sortem fructus perceptos ex prædio sancti Martini, cõmissa causa appellationis dictorum de Venturinis in Rota, dubitaui, an constaret de re iudicata, & DD. affirmatiuè responderunt.

Quia non docetur de prosequutione, nec terminatione appellationis, nedum infra biennium, sed nec spatio annorum 12. & sic causa remansit deserta, *auth. qui. C. de tempor. appell. & cap. cùm sit Romana, del appell.* Nec contra eam opponitur aliqua nullitas, quæ possit impedire transitum in iudicatum.

2 De illius autem iustitia nulla fuit penes Dominos dubitatio, mandat enim fructus per Venturinos perceptos ex dicto prædio S. Martini hæreditario Raynaldi fideiussoris cedere in extinctionem crediti, quod habebant, seu habere prætendebant cum hæreditate dicti Raynaldi ratione prætensæ euictionis prædij Montis Cornu venditi dictis de Venturinis per Ludouicum de Lupatellis, pro qua euictione Raynaldus accesserat, & sic eo ipso iustificatur, quod Venturini non ostendunt dictum prædium sibi insolutum datum, vel adiudicatum fuisse pro eorum prætenso credito, iuxta not. per gloss. *in l. à diuo Pio. §. si super rebus, verb. integris. ver. nam missus,* & per DD *ibid. de re iudic.* & nihilominus dictum prædium S. Martini detinuerunt per multos annos, & illius fructus perceperunt, immò in Rota bis obtinuerunt resolui pro eorum manutentione, & propterea dictos fructus suos minimè fecerunt, & consequenter illi cesserunt in extinctionem eorum prætensi crediti.

3 Nec tenuta d. prædij capta per Nuncium, seu Balium publicum ad hunc effectum Venturinis suffragatur. Tum quia capta absque iudicis commissione, Ruin. *cons.* 102. *num.* 7. *in fin. vers. nec tenuta, vol.* 5. Honded. *cons.* 82. *num.* 12. *lib.* 1. ex quo talis commissio in actis non probatur, nec de iure presumitur, vt post Bart. & alios Alex. *in l. sciendum, num.* 45. *& seq. ff. de verb. oblig.* Ruin. *ibid. num.* 8. *&* 11. *vers. & similiter,* & Honded. *vbi suprà num.* 13. Immò ex iisdem actis contrarium conuincitur, ex quo Balius in relatione captæ per eum tenutæ dicti prædij Sancti Martini die 5. Februarij 1582. dicit se illam adeptum fuisse virtute sententiæ latæ Perusij 17. Martij 1580. Quæ declarat tantum Faustinam auctricem dictorum de Lupatellis teneri, & obligatam esse ad suscipiendum in se iudicium, & litem contra Ioann. Antonium emptorem, & illius nepotes motam in Saluiano super prædio Montis Cornu vendito dictis de Venturinis per Ludouicum, & sic lata fuit in actione merè personali, *§. omnium. vers. namque, & §. appellamus, Instit. de action.* Specul. *eod. tit. §. sequitur, num.* 5. non autem super immissione, aut cum relaxatione mandati de capienda possessione, tum etiam, quia, & si Balius cum licentia iudicis possessionem cepisset, tamen quia in illam non induxit Venturinos, illi non possunt dici esse in possessione ex primo decreto, Ruin. *d. consil.* 10. *num.* 11. *post med. vers. & quia nuntius,* per text. *in l. is cui. §. immissus. ff. vt in poss. legat.* & per Bart. *in l. si finita. §. Iulianus, num.* 21. *vers. quæro. ff. de damn. infect.*

4 Et nihilominus licèt ex primo decreto in actione personali Venturini fuissent inducti in tenutam dicti prædij, adhuc tamen nisi iudex expresse dixisset, de quo non constat. non fecissent fructus suos, sed illos in sortem imputare tenerentur, gloss. 1. *in l. Fulcinius. ff. quib. ex caus. in poss. eat. & in dicta l. si finita. §. si plures, in verb. prius, propè fin. vers. effectus primi decreti,* & ibi Bart. *in §. Iulianus, num.* 50. *ff. de damn. infect.* Cyn. *in l. cùm proponas, num.* 17. *vers. tamen in hoc. C. de bon. auth. iud. possid.* Papien. *in forma responsionis rei*

rei conuenti, *num.* 18. Afflict. *super constit. regn. lib.* 1. *rubr.*97.*de pœna contumaciæ,§.contumacem*, *nu.*3. quia non possent dici possidere, vt post plures relatos, Menoch.*de retinen.remed.*3.*nu.*168.*cum pluribus seqq.*

5 Nec releuat dictos fructus fuisse debitos vti recompensatiuos ratione fructuum amissorum ex dicto prædio Montis Cornu per Veturinos empto, & illis (vt dicitur) euicto ex æquitate, *l. curabit. C. de action. empt.* Quia omisso quòd non constat de prætensa euictione, quæ non dicitur sequuta nisi re ablata, & sic facta executione sententiæ latæ super euictione, *l.*4.*in princ.*cum ibi not.*ff. de action.empt.l.si seruus venditus, vers. vnde Iulianus, & l.habere licere, ff.de euict.l.qui rem.C.eod.* gloss.magna *in l.at qui natura.§.cùm me absente*, & ibi etiam Bart. *num.* 1. *vers. quia etiam.ff.de negot.gest.* Alex. *cons.*4.*num.*1.*vol.*3. & tanto minus si lis fuisset mota in Saluiano, quia cùm per illud sola detentio auocetur, vt per text.*in l. si cùm venditor.ff.de euict.* Caballin. *in eod.tract.*§.3.*qu.* 17.*num.* 152. & §.5. *num.* 44. agi non potest de euictione, Bart. *in l.*3.*num.* 1.*ff.de act.empt.* Socin. *cons.* 99.*num.*8.*vers.confirmatur hoc idem,vol.*2. & Cephal. 168.*num.*5.

6 Quin potiùs ex dicta sententia, cuius vigore per Balium fuit capta tenuta prædij Sancti Martini, apparet nullam sequutam fuisse euictionem, dum declaratur Lupatellos teneri, & obligatos esse ad suscipiendum in se litem motam contra emptores, & ideo euictione realiter non sequuta de illa agi non potest, *l.si plus.§.mota,ff.de euiction.l.qui rem.C.eodem.* Cardin.Seraphin.*decis.*321.*num.*4.& *decis.*723.*num.*3. Cessare visa fuit difficultas, quia Raynaldus fideiussor author dictorum de Lupatellis in casum euictionis præterquam à Faustina eius sorore promisit tantùm, quòd dictus Ludouicus restitueret pecunias pro quantitate euicta, & ideò non tenebatur ad fructus, *l.fideiussores magistratuum in prin.& in § Aurelio, & in l.si in pignore.ff. de fideiuss.* & in puncto tenuit Rota in Asculana, seu Ripan. pecuniaria 15. Martij 1606. coram Reuerendiss.D.meo Decano.

7 Nec obstat prætensa concordia super fructibus recompensatiuis, quia de aliqua non constat, quod sufficit pro responsione. Et additur præterea, quòd Venturinis ad probandam eorum possessionem dicti prædij & titulum illius coram A.C.producentes supradictam sententiam, & tenutam illius vigore captam, nec non locationes per ipsos factas de dicto prædio cum assertione, quòd illud fuit ablatum à Faustina tanquam de bonis Raynaldi fideiussoris Ludouici, referendo se ad dictam sententiam, vt in dicto summario Venturinorum, *nu.*3.& 4. quod verbum *ablatum*, importat, ipsa Faustina inuita, *l.*3.*§.non solum*, & ibi gloss.*in verb.abstulit.ff.de incend.ruin.& naufr.l.vulgaris in princ.ff.de furt.* ex hoc concludenter fateri videntur se non possedisse titulo donationis in recompensam, nec præsumitur mutatio tituli, *l.siue possidetis.C.de probat.l.si certis annis.C.de pact.*& vtrobique scribentes. nec aliqua nouatio, *l. vlt. C. de nouat.* cum aliis per Gabr. *eod.tit. concl.* 1.*in princ.* & Rot. *decis.* 456. *part.* 1. & *decis.*30.*num.*2.*part.*2. *diuers.*

8 Nec releuant testes in summario de Venturinis *num.* 5. quia etsi probent eos ex singulis annis percepisse ex dicto prædio tantam quantitatem fructuum, quantam amittebant ex prædio sibi euicto, non tamen probant dictos fructus datos fuisse in recompensam, quin potius illam excludunt, cùm asserant Venturinos illos percepisse propria authoritate à colonis, quibus dictum prædium ad laboritium locauerant. Quòd Ludouicus dederit huiusmodi fructus in recompensam, non probatur, & quatenus probaretur, non obstaret Lupatellis venientibus ex persona Faustinæ, non Ludouici, cui Faustinæ, vel eius successoribus Ludouicus nocere non potuit, *l.non debet.ff.de reg.iur.l.de pupillo.§.si plurium,ff.de nou.oper.nunc.*

Tandem non obstat, quòd sententia A.C.non reuocans primam sententiam Perusiæ, fuerit nulla, Cassad. *decis.*1. *num.*4. *de sequestr.poss. & fruct.* & fuit dictum in Perusina dotis 8. Aprilis 1607.coram bon. mem. Pegna, & in Bononien. beneficij 6. Iunij 1614. coram me. 9

Quia istæ sententiæ in nullo sibi contrariantur, immò ad inuicem se compatiuntur, illa enim, quæ lata fuit Perusiæ, condemnat Ludouicum, & Faustinam ad suscipien.litem, &c.& obseruanda omnia, & singula promissa in instrumento venditionis, declarando, quòd terminato iudicio, & lite mota contra Venturinos dictum instrumentum tanquam purum, & liquidum sit exequendum cum relaxatione mandati in forma, quod est intelligendum, prout de iure, *l.miles,§.decem,ff.de re iudic.* Alex.*cons.*46.*num.*3.*vol.* 5. Aym.*cons.*74.*nu.*9. Rot. *decis.*550.*nu.*5.*part.*1.*diuers.* Cardin.Seraphin.*decis.*984.*num.*4.& sic quòd sequuta euictione, & seruatis seruandis Ludouicus vel Faustina cogendi sint restituere pretium fundi euicti, sententia verò A. C. præsupponendo creditum de Venturinis contra Faustinam, & illius hæredes mandat in illud imputari fructus ex dicto prædio perceptos post sententiam latam Perusiæ, quæ compensatio habet vim solutionis, *l.si debitor.ff.qui pot.in pign.hab.*Bart.*in l.amplius non peti*, *num.*8.*ff.rem rat. haber.* Bald.*in l.*2.*num.*1. *C.de compensat.* Guido Pap. *decis.*567.*in princ.* Afflict. *decis.*121.*num.*4 Tiraq. *de retract.lign.§.*3.*gloss.*3.*num.*2.Rot.*decis.*84.*num.*2 *part.* 1.& *decis.*7. *num.*1.*part.*2. *diuers.* & sic vna sententia non est contraria alteri, in quibus terminis loquuntur in contrarium allegata. 10

Quo verò ad aliud caput sententiæ A. C. continen. liquidationem fructuum, illa non impugnatur à Venturinis, & nihilominus optimè iustificatur. Quantitas enim & qualitas dictorum fructuum deprehenditur ex septima positione Venturinorum, & depositionibus testium super illa, vt in summario de Lupatellis, *num.*6. Nam ex pluribus quantitatibus fructuum, quos dicunt Venturinos ex dicto prædio singulis annis percepisse, ducto calculo etiam ad rationem minoris quantitatis expressè completur summa in dicta sententia contenta.

Et ex his fuit ita decisum.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Bonon. de Lambertinis. Lunæ 17. *Aprilis* 1617.

ARGVMENTVM.

Præcedentia à sequentibus restringuntur, de natura & significatione dictionis *videlicet*, & copula *&*, de teste vnico, quòd adiuuetur ex dispositione aliorum testium; & quando testes inuicem contrarij dicantur.

SVMMARIVM.

Præcedentia verba limitantur, & restringuntur per sequentia, num.3.

Videlicet *dictionis natura est restringere, & declarare, num.3.& 4. vbi ampliatur hæc conclusio, etiam quòd adsit copula &.*

Copula &, secundùm pactorum contingentiam habet diuersas proprietates; & stat aliquando non copulatiuè, sed expositiuè, & declaratiuè; nec alterat proprietatem verbi immediatè sequentis; sed ab illo recipit declarationem, num.4.

Testis vnicus adiuuatur ex dispositione aliorum testium, num.5.

Testi testamentario facienti fidem de voluntate testatoris maximè creditur, ibid. in fine.

Testes non dicuntur contrarij aliis testibus, dicendo se non recordari, vel non audiuisse, aut se remittentes instrumento, num.6.

DECISIO CCCCLIV.

1 IN castro Podij Rognatici iurisdictionis DD. de Lambertinis adsunt duo palatia, vnum scilicet magnum pro habitatione dominorum, quod & Castrum appellatur: alterum verò paruum, fabricatum pro habitatione commissarij dicti loci, & pro iure reddendo. D.Imelda de Lambertinis in vim immissionis à Rota obtentæ in bonis hæreditatis Comitis Cæsaris pro legato scutorum 500. ad ipso sibi relicto, cœpit possessionem palatij magni, seu castri, tanquam de bonis hæreditariis dicti Cæsaris. Cùm autem ex aduerso Comes Guido Antonius prætenderet dictum castrum, seu palatium non esse de hæreditate Cæsaris, cùm fuerit sibi ab eodem prælegatum, & consequenter exequutionem quoad illud esse reuocandam, fuit die 18. Martij 1613. & 18. Maij præteriti pro reuocatione dictæ execuitionis resolutum: quibus tamen decisionibus cùm non acquiescerent Agentes D.Imeldæ, causam super eisdem tertio loco reproposui: & Domini attentis noniter deductis, à decisis recedendum esse dixerunt.

2 Quia prælegatũ factum à Cæsare Guidoni & M. Antonio, non fuit de palatio magno, seu castro, sed de palatio paruo, quod colligitur ex eo, quia verba prælegati ponderata in decisione conueniunt vtrique palatio, testator enim prælegauit palatium Podij Rognatici tentum, & possessum per dictum testatorem, & reseruatum sibi in donatione iurisdictionis alias facta tanquam liberum, & allodiale, quæ verba verificantur etiam in palatio paruo, cùm in donatione iurisdictionis testator sibi reseruauerit non solùm palatium magnum, sed etiam quæcumque alia ædificia & bona allodialia, & sic etiam hoc palatium Commissarij fabricatum, vt patet ex lapide marmoreo affixo parieti sub porticu dicti palatij.

3 Vnde ad tollendam hanc ambiguitatem, & discernendum de quo palatio testator senserit, recurrendum est ad verba immediatè sequentia, ibi, *& videlicet illud in quo residet Commissarius dicti loci pro iure reddendo, nuncupatus, Il Palazzo della Ragione,* ex quibus satis clarè demonstratur mens testatoris prælegandi palatium paruum, non autem magnum: quod, vt testes dicunt, nunquam fuit appellatum, *Il Palazzo della Ragione*, nec in eo residet Commissarius. Et quamuis verba præcedentia essent apta comprehendere dictum palatium magnum, tamen ex aliis sequentibus limitantur & restringuntur ad palatium paruum, propter dictionem *videlicet*, de cuius natura est restringere & declarare legata. Bart. *in l. quæsitum, §. si quis fundum, sub num.15. vers. aut fuit facta enumeratio. ff. de fund. instruct.* Paris. *cons.85. num.47. lib.2. & cons.17. num.38. lib.3.* Purpurat. *cons.465. n.3.* Bursat. *cons.9. num.18.* Menoch. *cons.21. nu.27. lib.1.* Surd. *decis.161. nu.8.*

Quod procedit etiam si dictionem *videlicet* præcedat copula *&*, quia nõ per hoc censetur vtrumq; palatium prælegatũ, cùm enim dictio *&*, secundùm factorum contingentias diuersas habeat proprietates, vt inquit Surd. *cons.113. n.47.* Gabr. *cons.90. nu.35. lib.1.* ac aliquando etiam stet expositiuè, & declaratiuè, Rip. *in c. ex parte, n.52. de rescript.* Ruin. *cons.56. n.1. & lib.1.* Rot. *diuers. decis.327. nu.3. part.2.* Non debet alterare proprietatem verbi *videlicet*, immediatè sequentis, sed potiùs ab illo recepit declarationem. Et certè si testator voluisse prælegare palatium magnum, sufficiebant verba præcedentia, nec erat opus subiungere alia sequentia, *& videlicet*, &c. quæ cùm illi non conueniunt, fuissent apposita superflua, & nihil operarentur. Et istam fuisse mentem testatoris probatur ex verisimilitudine resultante ex eo quòd cùm eisdem legatariis donasset solam iurisdictionem castri, sine aliquo ædificio in quo iurisdictio exerceri posset, vt expressè dicitur in donatione, videtur verisimile illis voluisse prælegare palatium paruum fabricatum pro iurisdictione exercenda, & retinendo Commissario, quod erat quasi pars iurisdictionis priùs donatæ. 4

5 Et è contra cùm tres hæredes sibi æqualiter instituisset, non est verisimile duobus ex illis tantùm voluisse prælegare palatium magnum, quia aliàs sequeretur absurdum, vt si tertius hæres se vellet conferre ad bona Podij Rognatici, communia cum aliis, non haberet vnde habitaret. Et omnis difficultas videbatur cessare ex depositione secundi testis clarè deponentis ita testatorem declarasse suam voluntatem, qui licèt sit vnicus, tamen cùm adiuuetur depositione 13. & 14. testium, qui aliqualiter etiam deponunt de dicta voluntate, negari non potest quin tollat omnem dubietatem dd. verborum si quæ adest, cùm præsertim sit testamentarius, quo casu testi etiam vnico plurimum tribuitur. Ruin. *cons.14. num.7. vers. præterea, lib.5.* Afflict. *decis.166. num.5.* Natt. *cons.95. nu.5.* Menoch. *de arbitrar. cas.105. nu.13.* Couar. *variar. resolut. lib.2. cap.13. num.11. vers. secunda conclusio.*

6 Nec obstat quòd fides horum testium diminuatur ex depositionibus aliorum contrarium deponentium, quia cùm illi solùm dicant se non recordari, vel non audiuisse, & credere, quòd si fuisset aliquid dictum, audiuissent, vel se remittunt testamento, non videntur contraria deponere.

7 Minus facit quòd prælegatum non possit verificari in domo Commissarij, quæ cùm sit parua, non potest dici palatium, quia contrarium patet ex planta & testibus, nec non inscriptione in prædicto lapide marmoreo apposita, ex qua elicitur quòd testator illam pro domo magna & palatio tenebat, cùm splendidis verbis significet ad quem effectum fuerit instructa, & illam appellat Prætorium & Curiam.

Et ex his fuit resolutum esse recedendum à decisis, &c.

R. P. D.

R. P. D. SACRATO.

Lauretana iurisdictionis. Veneris 21. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

In hac decisione adhuc defenditur, Episcopum Capellæ Lauretanæ habere iurisdictionem contra ministros eiusdem Capellæ in delictis extra Capellam commissis priuatiuè quoad Protectorem, & inde sumpta occasione, multa explicantur notanda de iurisdictione Episcopi Lauretani, & Protectoris illius Ecclesiæ, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Obseruantia subsequuta potens est in interpretatione constitutionum, num. 1. in fine.

Regula, singula si non possunt, multa collecta iuuant, maximè attenditur in materia probationum, num. 2. ad med.

Contentum non venit sub continente, quando contentum est nobilius continente, declara hanc conclusionem, vt ibid.

Farina nunquid veniat sub dispositione loquente de sacco, sub eod. num. 2.

Verba non attenduntur, sed intentio proferentis, ibid. in fine.

Ecclesiæ verbum intelligi potest largè, & strictè, quando, & quomodo largè, & quando, & quomodo strictè, num. 3.

Administratio Capellarum Ecclesiæ Cathedralis spectat ad Episcopum vnà cum Capitulo, num. 4.

Protectores Ecclesiæ deputari possunt à Pontifice etiam simplices Prælati, ne dum Cardinales, nu. 5. in fine.

Episcopi in his quæ spectant ad spiritualitatem habent maiorem potestatem, quàm Cardinales, num. 6.

Obseruantia constitutionis non suffragatur, nisi adsit patientia partis, contra quam deducitur, nu. 7.

Obseruantia difformis non suffragatur, sed vniformis tantùm, num. 8. & 9.

Rubrica constitutionis maximè attenditur ad interpretationem ipsius constitutionis, ibid.

DECISIO CCCCLV.

Proposui dubium, an esset recedendum à decisis in hac causa, sub die 23. Ianuarij 1617. iuncta prætensa hinc inde obseruantia, quod dubium videbatur habere duas partes. Prima erat, an verba Bullæ super erectione Cathedralis Lauretanæ, sine alia obseruantia comprehenderent Sanctam Capellam. Secunda erat, posito quòd sic, an constaret de tali obseruantia, quæ posset dare contrariam interpretationem prædictæ Bullæ, etenim certum est in interpretandis constitutionibus plurimum deferri obseruantiæ, *l. si de interpretatione. ff. de leg. cap. cùm dilectus, de consuetud.* Aym. *cons. 294. num. 6. vers.* 21. Rot. *decis. 503. & decis. 571. num. 3. part. 1. diuers.* Menoch. *cons. 276. num. 19.* Surd. *cons. 362. num. 40.*

Circa primam partem dubij visum fuit Dominis, quòd verba, & circumstantiæ, de quibus in Bulla erectionis, importent, quòd Sancta Capella fuerit comprehensa in erectione, iuribus, & rationibus, de quibus in prædicta decisione, vltra quæ fuit de nouo obseruatum, quòd Leo Papa Decimus hanc Sanctam Capellam in Collegiatam erexit, vt patet ex eius constitutione, in qua Ecclesiam de Laureto assiduis miraculis, & amplissimis ædificiis splendentem, vbi erat certus numerus Presbyterorum, volens condignis honoribus attollere, ipsam in Collegiatam erexit. Sixtus verò Papa Quintus in constitutione, de cuius interpretatione agitur, narrando quòd in oppido Laureti excellebat vna insignis Collegiata Ecclesia, sub inuocatione B. Virginis, Ecclesiam huiusmodi in Cathedralem erexit. Cùm igitur Sancta Capella fuerit per prius erecta in Collegiatam per Leonem X. & Sixtus Papa V. erexerit huiusmodi Collegiatam in Cathedralem, sequitur quòd & ipsa Sancta Capella fuerit erecta in Cathedralem. Nec dubitari potest quòd Leo non erexerit in Collegiatam Sanctam Capellam, cùm erexerit in Collegiatam illam Ecclesiam, quæ assiduis miraculis splendebat: Certum est autem quòd miraculis splendebat Sancta Capella, non autem ambitus murorum exterioris Ecclesiæ. Nec obstare visa fuerunt, quæ contra singula motiua decisionis deducta fuerunt. nam præterquam quòd per se satis leuia videbantur, non respiciebant omnia fundamenta simul iuncta, quia in materia probationum procedit regula, quæ singula non prosunt, multiplicata iuuant, iuxta not. *in cap. cùm causam, de probat.* cum aliis in decisione allegatis. Et respondendo ad nonnullam ex illis, quæ maiorem colorem habere videbantur, circa illud quod primo loco apponebatur, contentum non venire sub continente, quando contentum est nobilius, allegando exemplum de farina, quæ non venit sub dispositione sacci, & Bald. *de feud. tit. de cap. qui cur. vendit. num. 11.* fuit responsum Baldum non se fundare super maiori, vel minori nobilitate contenti, sed expendere naturam vocabuli, an sit apta comprehendere vtrunque, vt est in proposito casu, cùm appellatione Ecclesiæ veniant Capellæ in illa contentæ, ex allegatis in alia decisione: sed dato, & non concesso quòd non veniret de sui natura Sancta Capella, adhuc non officeret, cùm ex circumstantiis facti ponderatis in alia decisione appareat intentionem Pontificis fuisse directam in Sanctam Capellam, & propterea intrare conclusionem, non attendi in quem dirigantur verba, sed intentio, de quo *in l. seruo legato, §. si testator. ff. de leg 1.* Mandell. *cons. 273. num. 4.* & ibi addentes, Rota in Romana vigesimæ 11. Maij 1609. coram me. Præterea Bald. ex aduerso allegatus loquitur de contento separabili, vt est farina à sacco, vnde non videtur applicari in contento inseparabili, vt est Capella ab Ecclesia, per ea quæ de annexo, & accessorio inseparabili, trad. idem Bald. *ibid. num. 11.*

Circa aliud super quo instabatur, scilicet, quòd Papa discretiuè loquutus fuerit de Ecclesia, & Sancta Domo, cùm pro dote Ecclesiæ assignet tot ex prædiis Sanctæ domus, siue Capellæ, qui esset incongruus modus loquendi, quasi quòd Ecclesia sibi ipsi dotem daret, contra not. *in l. Vranius, ff. de fideius.* fuit dictum nomen Ecclesiæ posse intelligi largè, & strictè, nempe largè pro ipsa Episcopali Sede, quæ habet iurisdictionem in tota diœcesi, strictè verò pro ipsa Ecclesia materiali, in qua residet Episcopus, & in qua decantantur diuina officia, vt per Syluest. *in sua summa, verb. Ecclesia*, & docet communis 3

vsus loquendi: hæc autem materialis Ecclesia potest habere suos redditus separatos, & distinctos ab fabricam, Sacristiam, & similia, vt practicatur in multis Ecclesiis in Italia, & extra: dum igitur Papa loquitur de assignanda dote Ecclesiæ Lauretanæ, intelligit Ecclesiam largo modo, vt patet ex verbis antecedentibus, ibi, *ac pro Episcopi pro tempore existentis dote, quam ad summam 2000. scutorum declarat, &c. residuum verò 2000. scutorum pro dote dictæ Ecclesiæ Lauretanæ ex tot prædiis, & possessionibus dictæ Domus Lauretanæ, &c.* Vnde nil mirum si Ecclesia Lauretana tanquam in genere sumpta consideratur, vt quid diuersum à Sancta Capella, quæ in particulari sumpta habet suos redditus, quos Papa noluit in totum applicare mensæ Episcopali, sed remanere sub Protectoria ad effectuum, vt meliùs sustineretur decus illus sancti loci.

4 Tertiò, instabatur quòd Papa præsupposuit remanere Protectorem Sanctæ Capellæ, & penes eum sine dubio remanere administrationem redditūum, ex quo voluit Episcopum ex illius manibus recipere suam portionem. Vnde inferebatur Papam noluisse comprehendere Sanctam Capellam, quia si voluisset comprehendere, sine dubio remansisset extincta Protectoria, cùm administratio Capellarum Ecclesiæ Cathedralis spectet ad Episcopum, saltem cum suo Capitulo, Cæsar. de Grass. *decis.4.num.4.de his quæ fi.à Prælat.* cum aliis allegatis, & ideò sicut remansit administratio temporalium penes Protectorem, ita debuit remanere administratio spiritualium, cùm in Bulla non legatur aliqua distinctio, vel separatio. Pro resolutione istius difficultatis fuit sicut aliàs consideratum, non posse in proposito casu dici, quòd Papa noluerit in hac erectione derogare Protectoriæ, quia quidquid concessit nouo Episcopo in oppido Lauretano, totum abstulit à Protectoria, itaque hoc argumentum deductum à posteriori, non solùm non concludit, cùm manifestè detegatur fallax, ex eo quòd certum est Papam in multis, & quidem principalibus derogasse Protectoriæ, sed potiùs concludit contrarium: nam eo ipso quòd videmus Papam multam iurisdictionem spiritualem, quæ priùs competebat Sanctæ Capellæ, transtulisse in Sedem Episcopalem, nec apparet dictum Pontificem voluisse spoliare Sanctam Capellam, sed potiùs augere, fatendum est ipsam Sanctam Capellam fuisse comprehensam in erectione, quia aliàs Sancta Capella remaneret spoliata, & diminuta, vt ponderatum fuit alia decisione.

5 Et circa illud, quod modò dicebatur, imò Sanctam Capellam fuisse diminutam, cùm hoc modo subiiciatur Episcopo, qui regulariter est simplex Prælatus, cùm primo subiiceretur Cardinali; fuit responsum in primis, dignitatem Cardinalitiam esse tam accidentalem in Protectore, quàm in Episcopo, cùm possint Summi Pontifices ad libitum deputare Protectores simplices Prælatos, vt dicitur fuisse aliàs factum à Leone Papa X.

6 Secundò, in his quæ spectant ad spiritualitatem, de qua nunc agitur, maiorem potestatem habent Episcopi, quàm Cardinales, cùm possint Episcopi conferre Ordines sacros, & alia exercere in Sancta Capella spectantia ad ordinem Episcopalem, quæ non poterunt facere Cardinales, nisi aliàs, (quod est in illis accidentale) essent Episcopi. Tertiò, parallelus posset fieri data paritate terminorum, nempè si Sancta Capella sub Episcopo remaneret simplex Capella, vt est sub Protectore; sed cùm fiat caput Ecclesiæ Cathedralis, videtur quòd sit honorificentius esse talis sub Episcopo, quàm simplex Capella destituta Clero, & cultu, sub Cardinali Protectore, cùm maximè neque hoc modo remaneat destituta protectione Cardinalitia, cùm non negetur illam remanere in suis casibus sub Protectore, vnde per hanc erectionem multa priuilegia de nouo acquirit, & nulla amittit de antiquis.

Circa secundam partem dubij visum fuit Dominis non constare de obseruantia, quæ Bullæ posset dare interpretationem contrariam supradictis. Primò, quia obseruantia, quæ affertur per informantes pro Illustrissimo Protectore est multum controuersa, cùm semper Episcopi contradixerint, vt patet ex deductis pro parte Illustrissimi Episcopi, obseruantia autem debet esse cum patientia partis, contra quam deducitur, Paris. *cons.27.n.41.vol.1.* Seraph. *decis.381.num.14.& decis.748.nu.1.* Rot. *decis.301.nu.3. part.2.diuers.* & in Romana Concordiæ 21. Februarij 1610. coram R. P. D. Caualerio. 7

Secundò, quod multum mouit Dominos cùm hæc obseruantia deducatur ad effectum, ne Sancta Capella dicatur comprehensa in erectione, & ob id quoad iurisdictionem spiritualem habeatur tanquam separata ab Ecclesia Cathedrali Lauretana, esset probanda, itaut Episcopus Lauretanus in nullo vnquam se ingesserit in spiritualibus in Sancta Capella, sed imò fuerit iudicatus tanquam omnino exterus, aliàs vt obseruantia difformis, non suffragabitur, ex infrà allegandis, quod tantum abest, vt probetur, quod potiùs pro parte Illustrissimi Episcopi dantur plures actus contrarij, de quibus in eius Summario, sed signanter capitula aliàs facta inter Cardinalem Vastauillanum tunc Protectorem, & Episcopum Lauretanum, quibus tanquam proximioribus executioni multum videbatur deferendum, ex *cons.* Socin. sen. *6 num.6.lib.1.* in illis enim multa iurisdictio spiritualis in Sancta Capella conceditur Episcopo, quod non fuisset factum, si Sancta Capella minimè fuisset comprehensa in erectione Cathedralis, quia tali casu Episcopus nullam in illa debuisset habere præeminentiam, vel iurisdictionem, quinimò concordata, vt prætenditur, facta per bon. mem. Scipionem Cardinalem Lancellottum, in quibus se fundat Illustrissimus Protector, in rubrica quæ regulariter attenditur, iuxt. not. per Alex. *cons.1. nu.7. lib.4.* Paris. *cons.63 nu.95.lib 3.* Crauet. *cons.61.in princ.* manifestè indicant Sanctam Capellam comprehendi in erectione Episcopatus, etenim in illa Episcopus Lauretanus denominatur Episcopus illius Ecclesiæ, cuius Protector est Cardinalis, & propterea sicut Cardinalis sine dubio est Protector Sanctæ Capellæ, ita eiusdem Sanctæ Capellæ Episcopus Lauretanus erit Episcopus, vt æquiparatorum idem fiat iudicium, ad *l. idem iuris est.ff.ad l.Aquil.* Socin. sen. *d.cons.6.num.5.lib.1.* 8

Quòd autem Episcopus Lauretanus in dictis prætensis concordatis Cardinalis Lancellotti vocetur Episcopus eiusdem Ecclesiæ, cuius Cardinalis est Protector, patet ex rubrica, ibi, *Copia capitulorum factorum inter Illustrissimum D. Cardinalem Ecclesiæ Lauretanæ Protectorem, & Reuerendissimum D. eiusdem Ecclesiæ Episcopum,* & ibi, *Spectantia ad D. Cardinalem Protectorem Ecclesiæ Lauretanæ,* iuncta alia rubrica, ibi, *Spectantia ad D. Episcopum Ecclesiæ Lauretanæ;* & ex his patet non doceri de obseruantia, quæ excludat Sanctam Capellam, quia ad istum effectum deberet esse vniformis, itaut nullus actus posset dari 9

dari per quem diceretur Sancta Capella inclusa sub Episcopatu; ad effectum enim, vt obseruantia non suffragetur ei, qui se fundat in illa, sufficit quòd possit dici difformis, Bart. *in l.2.nu.22.ff.solut.matrim.* Alex. *cons.5.nu.7.lib.5.* Roland. *cons.13.n.2.lib.4.* Corn. *cons.296.num.6.vers.& licet, lib.4.* Rota *decis.19.part.2.diuers.* & in Lunen. Sarzanen. Capellaniæ 1. Martij 1602. coram me.

REVERENDISSIMO P.D. DVNOZETTO.

Romana pecuniaria de Columna. Veneris 21. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

In hac decisione defenditur quoddam mandatum Rotale à pluribus oppositis exceptionibus, & nullitatibus, & in ea plura notanda explicantur, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Mandati Procuratoris scientia & ratificatio præsumitur ex expensis factis ab eo in lite, num. 1.

Procurator nunquid possit consentire, vt credatur copia alicuius scripturæ, originali non producto, num. 2. vbi etiam, an possit consentire libro priuato.

Iuramentum calumniæ parte petente præstandum est, num. 3.

Protestatio nullitatis in iudicialibus reperiri debet in quolibet actu, ibid.

Iuramentum calumniæ omissum non vitiat, vbi constat de bono iure agentis, ibid.

Hæres, quòd quis sit alterius non præsumitur, nisi probetur, num. 4.

Minoris aditio hæreditatis sine solemnitatibus facta non valet, ibid.

Nullitas actus verificari debet ex præcedentibus, & non ex subsequentibus, ibid.

Abundans cautela non nocet, num. 5.

Forsan dictio non habet vim approbationis, ibid.

Nullitas defectu mandati respectu vnius alteri non nocet, num. 5. & 6.

Iudex potest mandatum relaxatum moderari, quando ex moderatione non oritur præiudicium partis, numero 7.

Cessio alicuius rei facta cum omnibus oneribus censetur facta cum onere soluendi fructus, num. 8.

Obseruantia subsequuta est vera interpretatio præcedentis contractus, ibid.

Hæres non potest impugnare assertionem factam à testatore, num. 9.

Solutio censetur facta ex causa præcedentis obligationis, num. 10.

Obligatio Cameralis trahitur ad bona præsentia, & futura, num. 14.

DECISIO CCCCLVI.

Contra mandatum Rotale opponebantur plures exceptiones tam nullitatis, quàm iniustitiæ, quibus non obstantibus Domini illud confirmandum esse censuerunt.

1 Prima nullitas ex defectu mandati illius, qui fuit citatus ad dicendum contra commissionem, & qui citationem nomine Dominæ Principissæ reproduxit. Verùm hæc nullitas visa fuit satis sublata ex actibus postea gestis in prosecutione litis tam acaiter in Rota agitatæ ante relaxationem mandati cum solitis expensis notabilis quantitatis, ex quibus fuit inducta scientia præsumpta, & ratificatio Domini Ducis, ac Dominæ Principissæ, itaut de insufficienti mandato hodie dici non possit. *l.vlt. C. de alim. pup. præstan.* fusè post Bart. & Bald. Tiraquell. *de præscript. gloss. 4. num. 59.* & in hac specie respondit Rota coram Seraphin. *decis.720. paulo ante numerum primum. vers. nec releuat.*

2 Secunda verò nullitas deducebatur ex eo quòd mandatum fuit relaxatum in vim simplicis copiæ, cui dicebatur non potuisse consentire eundem Procuratorem Domini Ducis sine speciali mandato, ex decis. in Romana pecuniaria 9. Decembris 1612. coram Illustrissimo Ludouisio; sed Domini iudicarunt dictum consensum sufficientem, cùm agatur de modico præiudicio, dum de facili possit recurri ad originale, & in Curia hoc passim fiat ad euitandas expensas, maximè, quia agitur solùm ad sustinendum iudicium sine præiudicio partis; secus verò cùm originale non reperitur, & prætenderetur pro parte Dominæ Principissæ standum esse dictæ copiæ ex solo consensu dicti Procuratoris, prout in casu decisionis coram Cardinali Ludouisio, in qua agebatur de consensu Procuratoris declarantis velle stare partitis cuiusdam libri priuati, qui de iure non probat pro scribente.

3 Tertia nullitas ex defectu iuramenti calumniæ non præstiti per Dominam Principissam, quod erat omnino præstandum, stante partis protestatione. Vestr. *in prax. lib.5. cap.2. num.15.* Rot. *decis.1. in addit. in fin. de iuram. calumn. in nou.* ex pluribus huic obiectioni fuit responsum, & primò ex decis. in Rom. seu Bonon. census 7. Maij 1600. coram Corduba, in qua fuit dictum de generali consuetudine sufficere mandatum generale ad lites. Secundò quia in aliis actibus subsequutis non fuit repetita protestatio, prout in iudicialibus requiritur. Mohed. *decis. 2. de iudic.* Caputaq. *decis.403. incip. pro testamento, par.2.* Seraph. *decis.1057. num.2.* Tertiò denique, quia ex decisionibus factis constabat de bono iure D. Principissæ, vt fuit dictum in Aprutina, seu Montis alti census 4. Iulij 1602. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno in Lucana parochialis 12. Maij 1603. coram bon. mem. Pegna in Marsicana Affictus 7. Maij 1612. coram R. P. D. meo Manzanedo, & in aliis causis.

4 Quarta nullitas deducebatur ex eo, quòd non fuerit citatus legitimus Procurator Domini Camilli cohæredis, sed hæc visa fuit cessare, dum de tempore iudicij moti contra Dominum Ducem non fuit oppositum adesse cohæredem, & de iure non præsumebatur. Bald. *cons.168. num.6. vers. series autem facti, lib.1.* & licèt post relaxationem mandati fuerit producta ratificatio aditionis facta à Domino Camillo, tamen vltra quòd fuit facta à minore sine solemnitatibus, prout videbatur requiri, ex allegatis per Tiraquell. *de leg. connub. glossa 5. numero 125.* non potest ex illa annullari mandatum antea legitimè relaxatum. Rota *decis. 100. num. 27. part. 1. diuers.*

5 Nec visum fuit obstare fuisse aliquando citatum Procuratorem Domini Ducis, vti Procuratorem

Domini Camilli, quia citatio fuit ad maiorem cautelam, quæ nocere non debet D.actrici, & relatiuè ad acta, in quibus Dominus Camillus fuit expressus pro asserto bonorum possessore, cum dictione *forsan*, ob quam non fuit approbatus pro possessore. *l. certum. ff. de confess.* Natt. *cons.45.nu.3.* Crauett. *cons.157. nu.9.* & in omnem euentum Domini dixerunt mandatum sustineri quoad personam D. Ducis legitimè citati. Seraph. *decis.327. num. 3.* & fuit firmatum in Romana de pinis 27. Ianuarij 1614. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

6 Nec obstant decisiones in Maceraten. hæreditatis 10. Decembris 1604. & 1. Iulij 1605. coram bo. me. Iusto, & Veneris 13. Maij 1616. coram R. P. D. meo Caualerio. nam ibi agebatur de executione facienda, quæ præiudicabat etiam non citatis: sed in hac facti specie agitur de exequutione mandati relaxati, & quòd debet exequi super portione D. Ducis legitimè citati in bonis per eum possessis, & in specie in bonis Passarani, & Gallicani, quæ exequutio potest fieri absque eo quòd præiudicetur D. Camillo in sua portione, Rot. *decis.59.num.2.& 5.part.2.* fuit dictum in Interamnen. de Paradisis prima Iulij 1605. coram R.P.D. meo Pamphilio in Perusina de Bigarzinis 13. Iunij 1607. coram eodem in Cesenaten. de Aldinis 14. Ianuarij 1611. coram R. P. D. meo Decano.

7 Quinta nullitas, quæ percutit iniustitiam ex capite excessus, dum fuit condemnatus D. Dux ad totam summam, visa fuit cessare, quia postquam in actis fuit dictum de dicta ratificatione Domini Camilli R.P.D. meus Remboldus exequi mandatum pro medietate tantùm contra portionem Domini Ducis mandauit, quod validè facere potuit, quia nullum adest præiudicium D. Ducis, ex Capyc. *decis.51.num. 7.vers.fuit notatum*, fuit dictum in vna Lucana expensarum 26. Februarij 1601. coram bon. mem. Iusto, in qua allegabatur etiam decisio in vna Perusina exequutionis 18. Decembris 1595. coram bo. me. Pegna.

8 Impugnabatur etiã iniustitia dicti mandati ex eodem capite excessus, quia D. Iulia non tenebatur nisi pro tertia parte, cùm essent tres sorores, quæ se obligarint in transactione ad fauorem D. Claricis, sed hoc obiectum apparuit satis sublatum in decisione R. P. D. mei Romboldi, quia aliæ sorores cesserunt bona Passarani, & Gallicani cum omnibus, & singulis honoribus, & sic per consequens cum hoc onere soluendi fructus tunc super dictis bonis ab eisdem sororibus apposito, ad notat. *in l.1.ff. de legat.1.* Surd. *cons.73.num.63 & decis.255. num.8.* quod & obseruantia subsecuta optimè declarauit, dum Domina Iulia per plures annos viuente D. Clarice illi soluit scuta 120. quolibet anno. *l. si de interpretatione ff. de leg. l. cùm de in rem ff. de vsur.* Bald. *in l. si de certis num.9. C. de pactis.* Gabr. *consil.164. num.7. lib.1.* Natt. *consil.287. num.7. lib.2.* Honded. *cons.35. num.44. & seq lib.2.*

9 Omnisque difficultas tollitur ex testamento D. Claricis, in quo dicit se esse creditricem scutorum 720. annuorũ super dictis bonis, quam assertionem sicut non potuisset impugnare D. Iulia hæres, *l. cum à matre. C. de rei vendic. l. si rem alienam. C. de pign.* Socin. *cons.249. num.29. vers. ex quibus indubitanter, lib.2.& cons.13.num.5.& 6.lib.3.* Dec. *cons.184.num.11. vers.& ad hoc facit*, cum aliis adductis in prima decisione Domini mei Remboldi, ita nec possunt impugnare hæredes D. Iuliæ.

Nec obstare visum fuit, solutionem non fuisse fa- 10
ctam à D. Iulia, sed à D. Martio, quia cùm solutio censeatur semper facta ex causa præcedentis obligationis, Bart. *in l. testium. ff. de verb. oblig.* Crauett. *cons.91.num.7.& cons.196.num.53.* Decian. *respons.52. num.41.& seq. lib.3.* & fuit dictum in Vibeuetana dotis Lunæ 7. Iunij 1610. coram Illustrissimo Ludouisio; dum non ostenditur aliqua obligatio ex persona proprij D. Martij, censendum est ipsum soluisse in vim dictæ obligationis D. Iuliæ vxoris, vti illius Procuratorem, & legitimum administratorem dictorum bonorum, maximè, quia ipse consensum præstiterat dictæ obligationi D. Iuliæ.

Prout, nec etiam visum fuit obstare quòd cessio 11
facta D. Iuliæ fuerit conditionalis quatenus pactum, & fideicommissum non fuisset validum. nam decisiones allegatæ super validitate fideicommissi præcesserant contractum, cuius vigore agitur, & ad effectum, ne bona Passarani, & Gallicani sint obligata ad fauorem D. Claricis, non sufficiunt dictæ decisiones, sed requiretur sententia, & res iudicata, vigore cuius D. Iulia fuisset illis bonis priuata; cuius tamen contrarium constat ex illius pacifica possessione, ac solutione fructuum tot annorum.

Secundò obiiciebatur iniustitia, ex eo quòd soro- 12
res non promiserunt soluere de proprio, sed solùm conuenerunt, vt per D. Claricem perciperentur fructus pro rata sui crediti ex dictis bonis. Hoc obiectum tolli visum fuit ex decisionibus in hac causa factis, quæ in effectu hoc firmant, necnon ex obseruantia subsequuta solutionis fructuum à D. Iulia per tot annos factæ.

Tertiò dicebatur mandatum iniustum, non præ- 13
cedente liquidatione, cùm in instrumento supradicti contractus non fuerit assignata quantitas ad summam dictorum scutorum septemcentum viginti, sed huic obiecto fuit optimè responsum in secunda decisione Domini mei Remboldi non fuisse necessariam aliam liquidationem, cùm fuerit facta ab ipsa Domina Iulia per solutionem dictæ summæ, & à D. Clarice in suo testamento, & in partitis suorum librorum productis, quam liquidationem impugnare non possunt hæredes *d. l. cum à matre*, & ex hoc etiam tollitur obiectio excessus, qui nec præsumitur, nec fuit pro parte D. Ducis concludenter ostensus, prout tollitur obiectio quòd per mortem D. Claricis cessasset solutio fructuum donationis propter nuptias, vt bene deducitur in dicta decisione R. P. D. mei Remboldi *in vers. nec obstat*, quòd saltem vltra quòd tanquam requirens altiorem indaginem, non potest retardare exequutionem obligationis Cameralis, vt fuit sæpissimè decisum.

Quartò allegabatur iniustitia, quia mandatum 14
fuit relaxatum contra supradicta bona, quæ non leguntur expresse obligata in instrumento dicti contractus, sed obiectum non procedit stante obligatione Camerali, sub cuius extensione veniunt bona D. Iuliæ præsentia, & futura, vltra alias responsiones datas per informantes.

Quintò opponebatur esse iniustum mandatum, 15
quia fructus dictorum bonorum fuerant priùs hypothecati, & assignati in dotem D. Iuliæ ipsi D. Martio, & D. Clarix promisit de sua dote soluere scuta octo millia; huic obiectioni fuit optimè responsum in prima, & secunda decisione R. P. D. mei Remboldi, obligationem ad fauorem D. Claricis fuisse factam cum consensu D. Martij, qui & pro

D. Iulia

D. Iulia ratione dictorum bonorum soluit per tot annos.

16 Quod verò dicitur competere D.Duci retentionem ratione prælegati scuta mille, Domini dixerunt huic obiectioni optimè satisfactum in secunda decisione, quòd D.Iulia censeatur tanquam hæres sibi satisfecisse.

17 Iniustitiam denique prætendebant ratione fideicommissi, super quo D.Martius transegerit, ac solutis quadraginta millibus reportauerit cessionem. Verùm huic obiectioni fuit responsum in prima decisione, adhuc non constare de fideicommisso, non obstantibus decisionibus super fideicommisso factis, quæ vt superiùs firmatum est, præcesserunt instrumentum dicti contractus & promissionis dictæ D.Iuliæ, vltra quòd exceptiones vti illi quidem non possunt retardare executionem obligationis Cameralis, & eo minus; quia, vt pluries dictum est, Dominus Martius in dicto contractu, & promissione interuenit, & illius vigore soluit fructum per tot annos.

Ex quibus, & aliis fortissimè deductis per informantes Domini confirmandum esse mandatum Rotale responderunt.

REVERENDISSIMO P.D. PIROVANO.

Lucana pensionis. Veneris 21. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Gratia reseruationis pensionis, cum decreto quòd si prouisus pensionem in vita, & quamdiu Capellaniam obtinuerit, realiter, & cum effectu non soluerit, eiusdem pensionis reseruationem nullam eo ipso decernimus, onus probandi pensionem esse solutam incumbere pensionario, non autem nouo titulari.

SVMMARIVM.

Gratia reseruationis pensionis, cum decreto quòd si prouisus pensionem in vita, & quamdiu Capellaniam obtinuerit, realiter, & cum effectu non soluerit, eiusdem pensionis reseruationem nullam ab ipso decernimus, onus probandi pensionem esse solutam incumbere pensionario, non autem nouo titulari, num.1. & per tot.

Gratiæ qualitates inhærentes, sicut etiam narrata, debent per partes iustificari, quia tendunt ad substantiandam gratiam, num.2.

Pensionarius non releuatur ab onere probandi qualitatem gratiæ, ex eo quòd sit in quasi possessione exigendi pensionem, quoties agitur petitorio, non possessorio, ibid.

Clausula resolutiua actus iam perfecti, non autem perficiendi, non facit actum conditionabilem sed purum, resoluendum tamen sub conditione, num.3.

Negatiua debet probari per actorem, qui se fundat in illa ad resolutionem actus, ibid. vers. Quo casu.

Decretum irritans operatur quòd qualitas gratiæ omnino sit inualida, siue pro modo, siue pro conditione sit apposita, num.4.

DECISIO CCCCLVII.

1 CVm dubitaretur de validitate pensionis de qua agitur, propter sequens decretum in litteris reseruationis appositum; *Nos enim si dictus Ludouicus pensionem præfatam in vita, & quamdiu Capellaniam obtinuerit, realiter, & cum effectu non persoluerit, eiusdem pensionis reseruationem nullam eo ipso decernimus*, incidit quæstio cui incumbat onus probandi negatiuam; vel affirmatiuam solutionis, nouo titulari, vel pensionario, quam Domini voluerunt particulariter examinare, & hodie super hoc dato dubio, senserunt onus probandi spectare ad pẽsionarium, quia huiusmodi clausula videtur apposita ad qualificandam gratiam pensionis respectu successorum, quæ pensio dum beneficium transit, debet esse in certo, non autem in dubio statu validitatis, vt exinde obligatio successorum teneat.

2 Qualitates verò gratiæ inhærentes sicut narrata per partes debent iustificari, cùm eodem modo tendant ad substantiandam gratiam. Cassad. *decis.* 10. *de rescript.* Seraph. *decis.* 870. *nu.* 1. Crescent. *decis.* 17. *de rescript.* Caputaq. *decis.* 39. *part.* 2. Neque ab huiusmodi onere potest releuari pensionarius ex quasi possessione exigendi pensionem, quia sæpissimè Rota tenuit quando agitur petitorio per titularem, vt obtineat sententiam super nullitate reseruationis pensionis, quod tunc non releuatur, ex quo tenetur exprimere & probare causam iuris percipiendi, ad cuius probationem non obligatur in iudicio possessorio, sed ad merum factum, quòd scilicet perceperit pensionem, vt in Veronen. pensionis 26. Iunij 1592. coram bon. mem. Cardinali Mantica, & in Salamentina pensionis 26. Martij 1593. coram Gipsio, quas Rota semper approbauit.

3 Non obstat quòd litteræ reseruationis non egeant iustificatione respectu narratorum, quia sine causa reseruata est pensio viuente titulari, neque cõditionales dici possunt, aut qualitatem inhærentem substantiæ gratiæ continεant, ex quo decretum legitur in clausula resolutiua actus iam perfecti, non autem perficiendi, quæ non faciat actum conditionalem, sed purum, resoluendum tamen sub conditione, secundùm gloss. *in l.* 2. *ff. de in diem adiect.* & latissimè declarat Menoch. *cons.* 388. *num.* 17. quo casu dicebatur onus probandi negatiuam pertinere ad titularem, qui dat de resolutione, iuxta decisionem Mohedani septimam, *de exceptionibus.*

4 Fuit enim responsum, etsi clausula prædicta videatur continere modum resolutiuum, quia tamen soluere pensionem in vita, & quamdiu beneficium obtinuerit, qualificat gratiam respectu successoris & libertatis beneficij, dum Papa aliàs similem gratiam non concessisset, nihil refert quòd verba sonent in conditionem, vel modum, qui omninò est adimplendus, propter decretum irritans. *cap. verum, de condit. oppos. l.* 2. *C. de his quæ sub mod.* Cassad. *decis.* 10. *num.* 7. *de rescript.*

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P.D. PIROVANO.

Romana pecuniaria 21. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Partita banci, quæ dat debitum Sempronio supra Titium, facit Sempronium debitorem, & Titium fideiussorem, & principalem.

SVMMARIVM.

Debitor quis efficitur ex mandato de soluendo, & ex receptione pecuniarum vigore mandati, num.1.

Debitor quis efficitur ad fauorem banci vigore mandati de soluendo, sed si mandatum est factum in executionem alterius mandati, mandans primus obligatur, non secundus, num.2. declara vt num.3. & seqq.

Mandatum de mutuando pecunias directum banco, non constituit debitorem, qui fecit mandatum, sed solum fideiussorem, & principalis debitor est mutuatarius, ibid.

Mutuum qui petit super tali fundo, hoc ipso hypothecat illum fundum; & vinculat rem adiectam, nu.4.

Mandatum de soluendo directum banco, cum declaratione quòd pecuniæ debent inseruire pro Titio, non obligat bancum ad sequendum personam Titij, nec ipsum Titium ad fauorem banci, sed huiusmodi declaratio potest inseruire principali mandato pro se releuando contra Titium, num.5.

Mutuus non est contractus de sui natura læsiuus, nu.6.

DECISIO CCCCLVIII.

DOmina Semidea de Cuppis solùm informante, resolutum fuit dandum esse mandatum de reintegrando, ex eo quòd ordines directi Guicciardino non constituerent eam debitricem eius summæ, de qua in pede ordinum: debito autem non subsistente, iniustè fuisse processum ad priuationem possessionis apothecarum, propter quod locus esse videbatur reintegrationi.

Cæterùm causa vtraque parte informante reproposita, censuerunt Domini non esse D. Semideam reintegrandam, nisi obstet statutum Vrbis 151. lib.1. de quo reseruarunt particulariter videre.

1 Creditum enim DD. de Guicciardinis bene iustificatur ex mandatis D. Semideæ & receptione pecuniarum, de quibus agitur, per quam D. Semidea effecta est debitrix. *l. Papinianus. ff. mandati. l. Stichum. §. si mandato tuo. ff. de solution.*

2 Non obstat quòd partitæ 3. 4. 5. non videantur constituere D. Semideam debitricem, etiam quòd solutæ fuerint de ordine eiusdem, dum in exequutionem alterius ordinis, nempe Pompilij de Cuppis, solutæ fuerunt, qui Pompilius ratione mandati, & non Semidea recipiens, remanet obligatus, per *l. si pupilli. ff. de solut.*

3 Quia dictum fuit difficultatem pendere ex qualitate mandati Pompilij de Cuppis. Nam si absolutum est de soluendo quantitatem pecuniarum D. Semideæ, benè procedit text. *in d. l. si pupilli*; si verò de mutuando eidem D. Semideæ, & tunc dicitur mandator datus qui tantummodo recipere debeat in periculo suo onus soluendi mutuum, vt dicitur *in l. si præcedente. §. Lucius. ff. mandati*, quod Dominis verius visum fuit, quia Guicciardinus in partitis banci scripsit, *Signora Semidea de Cuppis sopra Pampilio de Cuppis deue dare*, quæ verba inferunt solutiones esse factas sub fideiussione Pompilij, non autem vigore absoluti mandati, vt de stylo mercatorum fieri solet, & ita interpretatur ex fide mercatorum, quæ data fuit, & conuenit regulis iuris.

Quia sicut petenti mutuum super tali domo, vel fundo importat hypothecam, obligationem & vinculum rei adiectæ. *l. codicillis. §. instituto. ff. de legatis 2.* Roman. *cons.388. num.2. & singul.631.* Cremens. *sing.46.* Negus. *de pignorib. 4. membro 2. partis num. 164. vers. Vigesimus tertius casus*, ita petenti super personam Titij, vel Sempronij importat obligationem illius personæ eo consentiente, vel mandante. Et Bart. *in l. fundus quem. ff. de ann. leg.* dicit quòd si testator legat centum annua super tali fundo, quòd ex hoc censetur ille fundus expressè obligatus, quia tantum est dicere, lego super illo fundo, quantum, obligo illum fundum. 4

Donec igitur D. Semidea non docuerit de qualitate mandati absoluti, vel inherendum erit partitæ librorum banci, in quibus enunciantur verba, *sopra Pampilio*, vel dubia erit qualitas mandati, & ex ea non releuatur D. Semidea in hoc iudicio reintegratorio ad probandum iniustè fuisse constitutam debitricem in prædictis partitis.

Similiter non obstat quòd partitæ scutorum decem, & scutorum centum, quamuis sub fide sola eiusdem Dominæ Semideæ solutæ sint, nihilominus non videantur eam posse obligare, ex quo ordines declarant quòd illæ pecuniæ cedere habeant pro commodo Abbatis eius fratris, & consequenter vel remansit fideiussor, vel tanquam principalis, & vtroque casu obligare se non potuit absque solemnitate statuti prædicti.

Quia fuit responsum causam expressam in ordine posse quidem deseruire Dominæ Semideæ ad se releuandum contra Abbatem eius fratrem, sed non ad obligandum Guicciardinum, vt sequeretur personam illius pro quo pecuniæ seruire debent, ex quo cum illo principaliter nihil actum fuit, vt inde D. Semidea accedere posset, vt quoad validitatem principalis suæ obligationis pendet à resolutione partis reseruatæ, quamuis videretur Dominis esse vnum de illis casibus, in quibus mulier maior 25. lædi non possit. 5

Neque similis contractus mutui sit de sui natura læsiuus. 6

Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana pecuniaria. Lunæ 24. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Habes in Summario.

SVMMARIVM.

Obligatio fideiussoris non extenditur ad diuersa, nu.1.

DECISIO CCCCLIX.

FEdericus Tantuccius minister D. Horatij Sabelli, sub prætextu quòd D. Horatius haberet penes se ceras spectantes ad Albertinellium & Cambium mercatores Venetos, induxit D. Bartholomæum Ascornen. ad acceptandum litteras cambij ipsi à dictis mercatoribus directas, interim dicti mercatores

catores decoxerunt, & Horatius agnoſcendo bonam fidem, de ſuo dictas litteras cambij ſoluit, animo ſe reualendi ſuper dictis ceris, ſuper quibus, quia aderant ſequeſtra diuerſorum creditorum, & illorum occaſione potuiſſent Horatius moleſtari, ideo Bartholomæus promiſit ſuſcepturum in ſe omnes lites ſuper dictis ceris mouendas, & illum conſeruare indemnem in caſu quo cogeretur dictas ceras ſoluere, vel depoſitare. Quem caſum prætendens Horatius euenisse, egit contra Bartholomæum pro releuatione coram R.P.D.Taurello, à quo cùm ſententiam contrariam reportaſſet, cauſam appellationis mihi committi obtinuit, vnde propoſui dubium, an dicta ſententia eſſet confirmanda, vel infirmanda? Et Domini pro confirmatione reſponderũt.

1 Quia cùm obligatio releuationis facta à Bartholomæo ſit reſtricta ad ceras, quas Horatius habebat in ſuis manibus, & ad moleſtationes, & lites, quæ oriri poſſent occaſione ſequeſtrorum penes ipſum factorum ſuper dictis ceris de tempore apochæ, non poteſt D.Horatius contra illum agere niſi plenè, & concludenter probet moleſtationes ſibi fuiſſe illatas ſuper dictis ceris, & occaſione dictorum ſequeſtrorum: quod tamen nullatenus probauit. Licèt enim doceat ſe fuiſſe coactum deponere ſummam ſcutorum 1800. receptam à Fundatis, & Rolando *à conto del prezzo delle cere, & altre robbe mandate à detti Fondati & Rolandi* per mercatores Venetos; tamen dicta ſumma non prouenit ex pretio cerarum, de quibus in apocha, ſed aliarum, ad quas tanquam diuerſas non extenditur obligatio Bartholomai. Corn.*conſ.*141.*n.*6.*cum ſeq.lib.*3.Surd.*conſ.*127. *nu.*34.*& ſeq.*Rot.*deciſ.*741.*nu.*11.*part.*1. & depoſitum fuit factum non propter dictas certas, nec illarum ſequeſtra, ſed ob propriam obligationem Horatij, qui ob pretium aliarum cerarum receptum à Fundatis & Rolandis promiſit illos releuare indemnes, caſu quo dictum pretium euinceretur à creditoribus Venetorum, prout caſus euenit.

Quòd autem pretium depoſitatum non ſit cerarum de quibus in apocha, deducitur ex eo, quia apocha fuit facta 8. Martij 1614. & in ea dicitur ceras extare penes Horatium, & quòd de illis *non ſe nè era fatto il ritratto ancora.* Depoſitum verò loquitur de ceris, quæ nunquam extiterunt penes Horatium, nempe de illis quæ fuerant tràſmiſſæ recta via Fundatis & Rolandis, & de quibus *ſe nè era fatto il ritratto* per tres menſes ante apocham, cùm dicti Fundati, & Rolandi 28.Decembr.1613.de earum pretio creauerint creditores in eorum libris dictos mercatores Venetos. Præterea loquitur de pretio cerarum, *& de altre robbe*; apocha verò de ceris tantùm.

Neque dicatur dicta verba, *e d'altre robbe*, intelligi de bambacis & aliis acceſſoriis, quæ pro conſeruatione cerarum in capſis interponuntur, quia hæc non continentur in pretio quod tunc Horatius reſtituebat mediante dicto depoſito.

Et ex his pro confirmatione ſententiæ fuit reſolutum.

R.P.D. MANZANEDO.

Calaguritana ſepulturarum. Lunæ 24. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Habetur in Summario.

SVMMARIVM.

Clauſula Arbitrio, *&c. operatur vt omiſſo iuris rigore æquitas attendatur, num.*1.

*Citatio ad videndum pronunciari pro die iuridica, videtur nimis vaga, tamen valet, nec videtur coarctata ad primam diem, ſed iudex poteſt quandocumque ſub illa pronunciare, num.*2.

*Intimatio ſententiæ poſt prolationem, vt fit in partibus, remouet defectum nimis vagæ citationis ad ſententiam, num.*3.

DECISIO CCCCLX.

Poſt factam reſolutionem in hac cauſa 6.Aprilis 1615.ſententiam Prouiſoris Burgen. eſſe nullam ob defectum citationis ad ſententiam, ex quo iudex 31. Auguſti, quando concluſit in cauſa, mandauit citari partes ad ſententiam pro die iuridica, & ſententia fuit lata 3.Septembris, & ſic extra terminum citationis, cum dies iuridica intelligeretur pro prima die, ex ibi add..cis, fuit pro parte Dominici adita Signatura Sanctiſſimi pro ſanatione dictæ nullitatis, quæ reſcripſit arbitrio Rotæ.

Vnde dedi dubium, an intraret arbitrium? Et Domini hodie affirmatiuè reſponderunt.

Nam clauſula *Arbitrio*, &c. operatur, vt remiſſo iuris rigore, æquitas attendatur. Creſcen. *deciſ.*4. *num.*3. *de teſti.* qua quidem æquitate inſpecta ſatis rationi conſonum videtur vt ſuſtineatur ſententia quæ non patitur totalem defectum citationis, immò ille eſt ſatis turbidus, ex quo adeſt concluſio in cauſa formiter facta, cum intimatione ad videndum pronunciari pro die iuridica,

Quæ intimatio licèt videatur nimis vaga, tamen valet, & non videtur coarctanda ad primam diem, ſed iudex poteſt quandocumque ſub illa pronunciare, cùm ex hoc non inferatur partibus aliquod præiudicium, ex quo earum iura antequam concludatur in cauſa, iam ſunt audita & diſcuſſa, & ſolùm poſſet dicta intimatio vaga nocere quoad appellationem.

Quod tamen ceſſat ſtante intimatione ſententiæ, quæ fieri ſolet in partibus poſt illius prolationem, vt in puncto fuit reſolutum in vna Burgen.iuris ædificandi 18.Aprilis 1586.coram bo.me. Orano.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P.D. DVNOZETTO.

Hiſpalen. concordiæ. Lunæ 24. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Quaſi poſſeſſio adminiſtrationis Sacramentorum, quando, & quomodo cenſeatur probata ad effectum concedendæ manutentionis non probato titulo, & quadragenaria præſcriptione.

SVMMARIVM.

*Manutentio negari non poteſt probata poſſeſſione, tempore litis motæ, num.*1.

*Quaſi poſſeſſio adminiſtrationis Sacramentorum probatur per teſtes deponentes, vt num.*2.

Producens libellum censetur fateri contenta in libello, num. 3.

Manutentionis iudicium requirit non solùm probationem possessionis, sed etiam titulum cum quadragenaria præscriptione, quando actor habet contra se iuris resistentiam. declara vt num. 4. & 5.

Quasi possessio administrationis Sacramentorum à iure præsumpta offuscatur per testes deponentes contrarium, num. 5.

Obseruantia longi temporis dat fumum tituli colorati, etiam quòd instrumentum patiatur visibiles defectus, num. 6. declara vt num. 4. 5. & 7.

Patientia, & scientia præsumitur in his, quæ publicè, & palam fiunt, num. 8.

DECISIO CCCCLXI.

1 ORta lite coram Ordinario super administratione Sacramentorum, & iuribus parochialibus inter Rectorem, & beneficiatos Sancti Iacobi senioris ciuitatis Hispalen. & administratores hospitalis S. Enemergilij, intra cuius parochiæ fines situm est hospitale, lata fuit sententia per Ordinarium in fauorem dictorum ministrorum hospitalis, à qua cùm pro parte beneficiatorum fuerit appellatum, causa mihi commissa dubitaui cui dandum esset mandatum de manutenendo, quo dubio proposito Domini censuerunt intactis pro nunc aliis iuribus parochialibus, quoad administrationem sacramentorum dandum esse mandatum ministris dicti hospitalis, quia de tempore motæ litis reperiebantur in quasi possessione, vnde eis manutentio non potest denegari. §. *retinendæ. Instit. de interd. l. 5. §. huius autem ff. vti possid. l. 5.* vbi Bart. *num. 3. C. eod.*

2 Quæ quasi possessio hospitalis visa fuit probari ex secundo capite, & primò per testes, qui dantur in summario per extensum, qui deponunt de longæua possessione, dum dicunt se vidisse ministros hospitalis, Curatos videlicet, & Capellanos sacraméta non solùm infirmis, & seruientibus hospitalis, sed omnibus aliis, qui deuotionis gratia ad dictum hospitale confluunt de præsenti administrasse, distinctè loquendo, de singulis sacramentis, pœnitentia, sanctissima Euchatistia, & extrema vnctione, ex quibus necessariò colligitur quasi possessio. gloss. Bart. Alex. & Ias. *in l. stipulatio ista. §. hæc quoque. ff. de verbor. oblig.* Dec. *cons. 56. n. 4.* Seraphin. *decis. 1061. num. 1.*

3 Comprobatur secundò ex confessione D. Rectoris, & beneficiatorum in libello coram Ordinario porrecto, ex cuius lectura apparet quòd constituunt se actores, & fatentur ministros hospitalis esse reos, & possessores. Ang. *in l. non cogendum. §. si procurator. ff. de procur.* Contard. *in l. diffamari in quæst. num. 10. & seq. ff. de ingen. & manumiss.* cum aliis allegatis in vna Romana Communantiarum 15. Martij 1609. coram Reuerendissimo Lugdunense.

4 Nec obstare visum fuit maximum Rectoris, & beneficiatorum fundamentum, dum dicitur etiam in iudicio manutentionis requiri titulum cum quadragenaria, prout requiritur in præscribendo, quando ius vehementissimè resistit ei, qui prætendit possessionem contra illum, qui habet iuris assistentiam. *cap. 1.* vbi gloss. *de præscr. in 6. l. causam. de præscr.* Franc. *in cap. ad decimas num. 8. vers. quia, ex quo ius resistit, de restit. spol.* cum alleg. per informantes.

5 Huic enim obiectioni responderunt Domini quicquid sit in parocho ex sola assistentia iuris contrà competat manutentio, de quo multum sæpe Rota dubitauit, tamen in casu isto non posse Rectorem impedire manutentionem hospitalis, quia eius assistentia remanet offuscata per testium depositiones, quia longæuam hospitalis quasi possessionem probant. Innoc. *in cap. cum venissent. de restit. spol.* Abb. *in cap. 10. vt lit. pend. num. 8.* Couar. *pract. quæst. c. 17. num. 6.* & fuit decisum in Montis regalis iurisdictionis 4. Nouembris 1598. coram Pegna, & in Mediolanen. decimarum coram Reuerendissimo D. meo Decano 16. Decembr. 1605. & aliàs sæpè.

Vltra quòd pro parte hospitalis exhibetur instrumentum concordiæ, quod licèt plures visibiles defectus patiatur, tamen iuxta obseruantiam tanti temporis dat fumum tituli colorati. 6

Secundò, responsum fuit non posse applicari dispositionem *c. 1. de præscript. in 6.* quia magna constituitur differentia, quando ius vehementissimè resistit inter superiorem, & subditum decimarum, inter parochum & laicum, in quibus casibus possent procedere allegata per informantes pro Rectore: secus autem in hac propositi facti specie, in qua cessat illa vehemens iuris resistentia, imò quoad administrationem sacramentorum tantum abest vt ius resistat hospitalibus, quinimò defert consuetudini, & admittit præscriptionem ordinariam contra parochos in fauorem hospitalium, vt est text. expressus *in Clem. 9. contingit. §. fin.* & ibi gloss. Vitol. *num. 88. & seq. de relig. dom.* latè Modern. Bonon. *var. resol. lib. 1. c. 11. num. 45. & seq.* 7

Nec denique obstat quod dicitur hos actus possessorios per hospitale non iustificari factum cum scientia, & patientia Rectoris, & beneficiatorum, placuit in his responsio qua publicè, & palàm fiunt etiam semper præsumi patientiam, & scientiam, vt in terminis resoluit Rota in vna Cæsaraugust. deductionis 27. Nouembris 1613. coram R. P. D. Verospio, vltra quòd, vt dixi, datur fumus colorati præambuli. 8

Ex quibus ita fuit vtraque parte informante decisum.

R. P. D. RAMBOLDO.

Romana fideicommissi de Stephanellis. Lunæ 24. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

De detractione legitimæ, & Trebellianicæ ex bonis fideicommisso subiectis, & quando Trebellianica ex bonis alienari prohibitis detrahatur, multa notanda, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

Possessio probari potest per testes, num. 1.

Confessio testatoris in testamento nocet etiam hæredibus ibid. in fine.

Testes in vno iudicio examinati non probant in alio, nu. 2. vers. & primò.

Hæres non potest venire contra alienationem factam à defuncto testatore, ibid. vers. tertiò.

Trebellianica non detrahitur à successore non tanquam hærede, sed tanquam fideicommissario, nu. 3. & nu. 6.

Trebellianica censetur prohibita ex eo quòd testator in genere prohibuit suorum bonorum alienationem, nu. 4.

Tre-

Trebellianica detrahi non potest de rebus specialiter alienari prohibitis, num. 5.

Legitima censetur consumpta per alienationem factam à filio post mortem patris, num. 6. vers. & in omnem euentum.

Bona hæreditaria alienata non sufficere pro detractaionibus legitimis Trebellianica, allegans habet intentionem fundatam, transfertq; onus probandi contrarium in aduersarium, declara vt num. 7.

DECISIO CCCCLXII.

1 Dictum fuit Bruto, & fratribus de Stephanellis dandam esse immissionem in bonis, de quibus agitur. Nullam enim de fideicommisso inter partes controuersia erat, nec minus dubitabatur, quin ad fauorem dictorum d. fideicommisso locus factus esset, & quòd Tarquinia fideicommittens dicta bona possideret, abundè probatur, nedum per testes, qui bene concludunt de dicta possessione, iuxt. not. per Crau. *cons. 316. in fine. vers. sed illud.* Modern. *de fideic. art. 49. num. 14.* verum etiam ex testamentis Lucij Martij, & Octauij, & ex propria quoque confessione Rutilij tam in instrumento concordiæ, inter dictum Rutilium, & Alexium factæ, quàm in eius testamento, & hæc confessio nocet etiam illius hæredibus, Felin. *in c. si cautio, num. 25. extrà de fid. instrum.* Socin. *cons. 249. num. 29 in fin.* Bald. *in cons. 89. num. 3. lib. 1.* Aym. *consil. 125. num. 2.* Ruin. *consil. 126. num. 16. lib. 2.*

2 Nec obstat quod prætenditur solum dictorum bonorum fuisse in bonis q. Christophori aui Rutilij, qui omnia sua bona fideicommisso grauauit, ad fauorem descendentium, atque ideo saltem, quoad dictum solum, tanquam anteriori fideicommisso obnoxium, non potest dari immissio vocatis per testamentum Tarquiniæ, quia huic motiuo Domini multipliciter responderunt. Et primò quòd testes, qui ad probandum, quòd dictum solum fuerit in bonis Christophori, adducuntur vti examinati in alio iudicio, non probant in isto. Ruin. *cons. 14. num. 1. l. 2.* Put *decis. 166. l. 2.* Rot. *diuers. decis. 35. num. 7. part. 2.* Cardin. Seraphin. *decis. 967. num. 4.* Secundò, quòd dato, quòd probarent etiam in hoc iudicio, non videntur satis concludere, quòd solum à d. Christophoro possessum sit illud idem de quo nunc agitur. Tertiò, quòd cùm Octauius reliquerit dictum solum iure legati Tarquiniæ, & Tarquinia illud tanquam proprium fideicommisso supposuerit, non possunt ex aduerso venientes dictam alienationem impugnare, quia sunt hæredes hæredis d. Octauij, & dictæ Tarquiniæ, vulg. *l. cum à matre. C. de rei vendic. l. filiusfam. §. cum pater ff. de leg. 1. l. vnum ex familia. §. sed si vno. ff. de leg.* Cardin. Seraphin. *decis. 1157. n. 2.* cum similibus.

3 Minus prædictæ immissioni obstat exceptio detractionum faciendarum. Quo enim ad Trebellianicam, vltra quòd respectu portionis, quæ Hermeti obtigit, nulla competit Margaritæ, nec aliis hæredibus Rutilij detractio, quia Rutilius non successit Hermeti tanquam hæres, sed tanquam fideicommissarius, *l. 1. §. denique,* & ibi gl. *in vers. secundò quartam, & l. mulier. §. fin. & l. ex asse. ff. ad Trebell.* Peregr. *de fideicom. art. 3. num. 5. vers. qui autem,* cum aliis adduct. per Card. Mantic. *de coniect. vlt. vol. l. 7. tit. 11. sub nu. 3. vers. hoc amplius, & num. seq.*

4 Cessat etiam quo ad vtramque portionem, Hermetis sc. & Rutilij, d. Trebellianicæ detractio, quia censetur à testatrice prohibita nedum eo ipso, quòd fuit inductum inter vocatos reciprocum fideicommissum, & prohibita in genere quæuis alienatio, Gabr. *ad Trebell. concl. 9. num. 9. & 10.* Card. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib. 7. tit. 12. sub num. 13. vers. sed communis doctorum schola,* cum pluribus seq. & fuit dictum in Bonon. de Mangiolis 16. Iunij 1606. coram R. P. D. meo Decano, sed etiam quia in specie prohibita reperitur alienatio bonorum, de quibus agitur: vnde subintrat regula, quòd de re specialiter alienari prohibita, non potest detrahi Trebell. *Auth. sed & in ea,* & ibi Bald. & alij, *C. ad l. falcid.* Aret. *cons. 19. num. 9. ad med. vers. amplius dico, & cons. 37. num. 10. vers. maximè, quia testator.* Rom. *cons. 206. num. 1. vers. 1. quia,* & ibi Mandos. qui testatur de communi *in vers. non detrahitur.* latè Rol. *cons. 9. nu. 15. lib. 4.* Paris. *cons. 126. num. 34. & l. 1.* Petr. *de fideicom. qu. 8. num. 329. vers. contrariam tamen.* Guidopapæ *decis. 52. n. 2.*

Et quamuis regula ista limitetur vt locum non habeat quando alia bona non extant, hæc tamen limitatio in proposito non applicatur, quia præterquam quòd huiusmodi probatio, quòd alia bona non extent, incumbit hæredi, vt infrà dicetur, constat etiam in casu isto, quòd Tarquinia vltra bona de quibus agitur habuit dotem scut. 1500. 5

Et eadem quoque ratione tollitur exceptio detractionis legitimæ. nam respectu portionis Hermetis d. detractio non competit Rutilio, quia vt dictum est, ipse non est hæres dicti Hermetis grauati, Gabr. *cons. 46. in fin. lib. 1.* Petr. *de fideicom. qu. 15. nu. 114. vers. contra tamen.* & in omnem euentum tam respectu portionis dicti Hermetis, quàm etiam Rutilij fuit dicta legitima consumpta per alienationem domus magnæ pro dote Tarquiniæ hypothecatæ à dicto Rutilio, & Hermete factam, ad not. *in l. Marcellus. §. res quæ. ff. ad sen. consult. Trebell.* Paris. *cons. 17. nu. 31. & seq. & cons. 18. nu. 208. & seq. l. 2.* Peregr. *de fideicom. art. 39. num. 4. vers. effectus autem est.* 6

Non obstat, quod dicitur alienationem domus pro dictis detractionibus non sufficere, quia regula quòd allegans bona non sufficere habet intentionem fundatam, & transfert onus probandi contrarium in aduersarium, iuxt. gl. *in l. cum de lege. ff. de probat.* Aym. *cons. 19. sub num. 18.* procedit vbi pro negante concurrit aliqua præsumptio, secus autem vbi illa deficit, & ita prædictam gl. intelligunt & notabiliter declarant Bart. Alex. Ias. & alij omnes *in l. fin. §. licentia, C. de iure delib.* Gabr. *cons. 118. num. 7. lib. 1.* Natt. *cons. 199. num. 8. & 9.* ac propterea cum in casu isto non solum non militet aliqua præsumptio pro hæredibus dicti Rutilij, ex quo dictus Rutilius nullum confecit inuentarium, pro quo solet præsumi, sed potius ex deductis pro fideicommissario verisimile reddatur alienationem omnes prędictas detractiones absorbere, probatio quòd dicta alienatio non sufficit incumbit hæredibus dicti Rutilij, vt in terminis hæredis qui inuentarium non confecit, consuluit Natt. *d. cons. 199. num. 11. & cons. 238. num. 8.* Ruin. *cons. 81. sub num. 4 lib. 5.* Gabr. *d. cons. 118. num. 7. lib. 1.* & eandem opinionem latè probat Couar. *var. resol. lib. 2. cap. 6. num. 4.* Peregr. *de fideic. art. 39. nu. 14.* Ferrant. Garz. *patrocin. 60. per tot. lib. 2.* quos secuta est Rot. in vna Perusina bonorum de Herculanis 2. Iunij 1581. coram Brauo, & nouissimè in causa Romana legati 29. Aprilis 1613. coram R. P. D. meo Caualerio, & in alia Bononien. de Poëtis 4. Maij 1615. coram R. P. D. meo Vbaldo. 7

REVERENDISSIMO P. D.
VEROSPIO.

Placentina bonorum. Lunæ 24. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Emphyteotica res si alienetur irrequisito domino, ad dominum deuoluitur, nisi hæc caducitas remissa fuerit tacitè, aut expresè remissa dicatur.

SVMMARIVM.

Emphyteusis Ecclesiæ, si fuit alienata ab emphyteota irrequisita Ecclesia, ad Ecclesiam reuertitur, num. 1.

Emphyteusis caducitas commissa ob alienationem irrequisito domino directo censetur remissa per receptionem pensionis, ibid. Item per nouam inuestituram, ibid.

Instrumentum facit rem claram, & probationem probatam, ibid. in fine.

Emphyteoticæ rei alienatio, & inuestitura fieri non potest per habentem generale mandatum, sed requiritur mandatum speciale, num. 2.

Consequens qui vult, velle etiam dicitur necessarium antecedens ibid. in fine.

Mandatum generale cum libera, censetur datum Procuratori cui concessa est facultas quod facere possit quæ potest ipse principalis, num. 3.

Mandatum Procuratoris si dubium est declaratur ab obseruantia subsequuta, numer. 4.

Nouatio censetur inducta per concordiam, & transactionem, ibid. in fine.

Emphyteusis datur pro minori pensione, quàm locatio, num. 5.

Testes non reddentes sui dicti sufficientem probationem nihil probanti, bid. vers. nec reddunt.

Transactio & concordia facta cum Ecclesia & obseruata per 40. annos præsumitur facta ad vtilitatem Ecclesiæ, ibid. vers. cùm præsertim.

Læsio in transactione regulari debet secundùm dubium litis euentum, qui difficilis est probationis, num. 6.

Ecclesiarum rerum alienationis solemnitates numquid requirantur in transactione facta cum Ecclesia, numer. 7.

Solemnitates requisitæ in alienatione bonorum Ecclesiæ præsumuntur adhibitæ ex cursu 40. annorum numero 7. vers. & nihilominus. & num. 8. vbi de eadem materia.

DECISIO CCCCLXIII.

1 IN decisione coram me sub die 26. Iunij 1615. firmatum fuit constare in bonis de quibus agitur de Ecclesiæ dominio, cum reseruatione vt videretur an ius prælationis ad Ecclesiæ fauorem intraret. Quo dubio per me proposito, Domini fuerunt negatiuam partem amplexi. licèt enim de iure communi, per text. *in l. fin. C. de iur. emphyt.* & ex eo pacto in harum terrarum inuestitura de anno 1528. cõstet Ecclesiam esse præferendam; tale tamen ius apparet in alienatione de anno 1531. non solùm tacitè fuisse ab eadem Ecclesia remissum per plurium canonum receptionem ab emptoribus huc vsque solutorum. Menoch. *consil. 507. num. 13. lib. 6.* Gabr. *consil. 88. num. 14 lib. 1.* Dec *consil. 409 num. 11. & consil. 486. num. 10.* Grat. *consil. 121. num. 10. lib. 2.* Crescen. *decis. 125. aliàs 2 de locato.* Corbul. *de caus. priuat. ob alienat. limitat. 13.* Gabr. *de præsumpt. conclus. 1. num. 2.* Menoc. *eod. tract. lib. 3. præsumpt. 132. numero 48.* Verùm etiam expresè per eorundem bonorum inuestituram dictis emptoribus factam, vt in inuestituræ instrumento legitur, quod rem claram & probationem probatam facit. Bart. *in l. 1. num. 8* vbi Ias. *num. 10. de oper. nou. nunciat.* Aym. *consil. 10. nu. 7.* Paris. *consil. 170. num. 8. lib. 4.* Alex. *consil. 37. num 16. lib. 2.*

Nec releuat fuisse factam inuestituram per Abbatiæ conductores, qui dictum ius remittere non valebant, ex *l. final. C. de iur. emphyt.* Nam huius legis dispositio procedit solùm in habente generale mãdatum: per eum autem, qui speciale mandatum habet, fieri potest alienatio. Ancharan, *consil. 63. num. 3. & 4.* Corbul. *de caus. priuat ob alienat. limitat. 16.* necnon caducitatis iam incursæ remissio. Corbul. *de caus. priuat. ob non solution. canon. limit. 21. num. 16.* Nec autem conductores videntur speciale mandatum habuisse, cùm expressa fuerit illis data facultas inuestiendi, & reinuestiendi tam deuoluta bona, quàm non deuoluta, ex quo dicitur iisdem pariter concessa potestas declarandi, an commendator vellet in emptione præferri, cùm in mandatis qui vult consequens, necessarium etiam velit antecedens. *l. ad rem mobilem. ff. de procurat.* Mantic. *de tacit. & ambig. lib. 7. tit. 15. num. 29.* 2

Nec valet dicere hanc inuestiendi facultatem esse intelligendam, vbi nollet Ecclesia præferri, quia cùm fuerit etiam conductoribus indultum vt id facere possent, quod ipse dominus voluisset, censetur iisdem generale mandatum, cum libera facultate absque dicta restrictiua concessum. Bart. *in l. procurator num. 5. ff. de procurat.* Ias. *in l. si procurator num. 3. ff. de procuratoribus num. 11. C. eodem.* Afflict. *decis. 305. n. 4.* quæ facultas dicitur mandati specialis vim habere. *l. Procurator cui generaliter lebera. ff de procurat.* Ias *in l. si quis iniqui. §. si procurator, num. 13. ff. quod quisque iuris.* Cotta *in memor. in verbo Procurator generalis.* Alex *consil. 133. numer. 4. & 5. lib 6.* Abb *in cap. intelleximus, numer. 11. de iudic. & in cap. exposit. num. 18. de dilat.* Felin. *in cap. nonnulli. §. sunt etiam alij num. 3. de rescript.* 3

Stante præsertim obseruantia subsecuta, cùm post consensum alienationi præstitum Commendatarius nunquam reclamauerit, sed per Procuratores & Abbatiæ conductores fuerint ab emphyteota renouato canones exacti, vnde mandatum ex hac obseruantia quatenus dubium esset declararetur. Paul. de Castr. *consil. 347. num. 4. versic. 3. præsumitur lib. 1.* Socin. *consil. 25 num. 25. lib. 1.* Aym. *consil. 221. num 8.* & in omnem euentum, cùm ob alienationem de anno 1562. inter Commendatarium, & Saluinum emptorem inita fuerit concordia respectu præcedentis prælationis, dicitur inducta nouatio. Bald. *in rubric. de transactionibus, num. 10. & seq.* Dec. *consil. 400 col. penult. in fine.* Gabr. *de nouat. conclus. 1. num. 61.* Honded. *consil. 55. num. 13 & 14. lib. 1.* 4

Nec obstat huiusmodi concordiam fuisse Ecclesiæ læsiuam, tanquam bona pro maiori pretio alienari potuerint, vt probare videtur ex testibus Illustrissimi Commendatoris. Nam vltra quòd nullam illi constituunt differentiam inter emphyteusim, & locationem, pro qua tamen maior pensio soluitur. Bald. *in cap. littera, num. 2. de dilat.* Aretin. *consil. 55. n. 4. versic. responde.* Roland. *consil. 96. num. 25 & seq. & consil.* 5

consil. 44. *lib.* 1. Nec reddant vt requirebatur sui dicti rationem sufficientem. Cagnol. *in l.* 2. *num.* 246. *C. de rescind. vend.* Rota *decis.* 189. *num.* 3. *versic. Non reddunt part.* 1. *diuersorum.* Cùm præsertim spatio quadraginta annorum dicta concordia fuerit obseruata, quo casu fortior debet adesse probatio, tanquam ibi præsumatur vtilitas, Abb. *consil.* 41 *sub num.* 3. *lib.* 1. Dec. *consil.* 341. *num.* 11. Paris. *consil.* 24. *num.* 5. *& 6. lib.* 1. Ias. *consil.* 54. *numero* 19 *lib.* 1. & fuit dictum in Romana prætensæ deuolutionis domorum 26. Martij 1590. coram Cardinali Pamphilio, & in Romana domus in Burgo 30. Martij 1590. coram Cardinali Mantica.

6 Respondetur tamen hîc de læsione non constare, cùm ad eam probandam dubius litis euentus debeat attendi, qui difficilis est probationis. Seraph. *decis.* 638. *numer.* 9. Rota *decis.* 235. *in princip. part.* 2. & fuit dictum in Romana domus 13 Decembr. 1611. coram R. P. D. meo Damasceno, & in Romana domus in Burgo 30. Martij anni 1590. coram Cardinali Mantica.

7 Non obstat in dicta concordia solemnitates adhibitas non fuisse in alienatione bonorum Ecclesiæ requisitas. Non enim illæ videbantur necessariæ; cùm bona prædicta solita essent alienari. Couarr. *variar. resolut lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 4. Ruin. *consil.* 41. *nu.* 34. *&* 40. *lib.* 1. Roman. *consil.* 70. *num.* 1. Clar *in* §. *Emphyteusis, quæst.* 6. Rota *decis.* 170 *part.* 1 *diuersorum.* & nihilominus tanti temporis spatio dictæ solemnitates præsumuntur interuenisse. Alexand. *consil* 79 *numero* 4. *lib.* 1. Dec. *cons.* 36. *num.* 8. *vers. Vltimò non obstat. consil.* 409. *num.* 1. *&* 2. Gabr. *cons.* 88. *n.* 14. *lib.* 1. Gabr. *de præsumpt. conclus.* 1. *in* 2. *limitat.* & fuit dictum in allegata Romana domus in Burgo 30. Martij 1590. coram Cardinali Mantica.

8 Nec releuat hîc esse detrahendum tempus Prælati alienantis, ex decisionibus allegatis: nam istæ loquuntur ad effectum præscriptionis, non pro solemnitate præsumenda, quo casu dictum tempus non detrahitur. Seraphin. *decis.* 1027. *num.* 13.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Neritonen. habitus. Lunæ 24. *Aprilis* 1617.

ARGVMENTVM.

Stylus fori attendendus, & sine compulsorialibus authenticari potest instrumentum ab officiali ad id deputato.

SVMMARIVM.

Stylus fori vbi causa vertitur attendi solet, numer. 3. *in fine.*

Instrumentum authenticare, & publicare etiam sine compulsationibus potest officialis ad id deputatus, num. 4.

DECISIO CCCCLXIV.

1 CVm sub die 23. Ianuarij præteriti fuisset coram me firmatum Scipionem Massam, qui cupit ingredi Religionem Hierosolymitanam, teneri solùm acta prioris instantiæ super nouis probationibus facta transportare. Dubium successiuè proposui, an hæc essent integrè transportata, necnon in forma probanti? Et Rotæ visum fuit in vtraque dubij parte affirmatiuè respondendum. Primò enim pro integra actorum transportatione præsumitur, adeò vt alleganti contrarium onus incumbat probanti, Bart. *in rubric. ff de nou. oper. nunciat. num.* 8. vbi Ias. *num.* 8. Rota *decis.* 64 *num.* 4. *part.* 1. *diuersorum* & fuit dictum in Romana Capellaniæ 7. Iulij 1596. coram Orano, quod à religione probatum non apparet.

Neque releuant pro illius parte deducta, quòd videlicet in sententia fiat mentio de nonnullis instantiis, exceptionibus, & replicationibus, quæ in actis non reperiuntur. Nam cessat obiectum ex quo in ciuitate Mileuitana acta non scribuntur in iudiciis, ex allegationibus & probationibus verbo solùm adductis procedatur, vt in religionis stabilimentis continetur. 2

Nec valet dicere stabilimentum loqui de iudiciis, quę inter ipsos Religionis fratres aguntur. Vltra quòd sub stabilimento videtur etiam casus noster includi, cùm lis agatur inter Scipionem, qui se fratrem prætendit, & Religionem; quæ fratrum est multitudo. Concurrit etiam hîc ratio per statutum expressa, ne videlicet fratres in iudiciis distrahantur, & ad idem tendit rubricæ generalitas, ibi, *forma che si osserua nelli iudicij dell' ordine nostro.* Dicitur in omnem euentum hoc etiam fieri consueuisse in aliis causis illius tribunalis, de quo stylo fuit aliàs doctum in alia Meliten. coram Cardinale Seraphino decisione 1390. de iure autem fori stylus vbi causa vertitur, solet attendi. *l.* 3. *in fine. ff. de testib.* Dec. *consil.* 402. *num.* 11. Marsil. *sing.* 1. 8. Ægid. *decis.* 78. *num.* 81. 3

Quo verò ad secundam dubij partem iura visa fuerunt in forma probanti, cùm sententia tanquam ex registro Conciliorum per officialem ad id deputatum extracta sufficienter probet. Purpurat. *in authent. si quis in aliquo. C. de edendo,* & fuit dictum in Calaguritana Capellaniæ 1. Iulij 1591. coram Orano, & in Salamantina annuæ præstationis 22. Iunij 1615. coram R. P. D. meo Dunozetto. Processus etiam testium, in quo nouæ probationes continentur, est subscriptus à Io. Baptista Pauello Secretario Prioratus Baiuli, vbi factæ fuerunt dictæ probationes, qui Secretarius tanquam ad hoc deputatus potuit sine compulsorialibus illum in authenticam formam tradere. Feder. de Sen. *cons.* 119. *in fin.* Alex. *cons.* 209. *lib.* 2. Ruin. *cons.* 56. *num.* 5. *lib.* 1. *& cons* 69 *in princip. eod. lib.* Cassador. *super reg. decis.* 14 *n.* 3. & fuit dictum in Barcinonen. Prioratus 28. Nouembr. 1607. coram Iusto, & in Romana iurispatronatus 26. Iunij 1600. coram Illustrissimo D Cardinali Ludouisio. 4

Non obstat dicti Ioannis Baptistæ Secretarij manum recognitam non fuisse, nec eundem probatum esse talem, qualem ille se facit. quia tollitur obiectum ex facto, cùm iuxta solitam & consuetam formam hæc in Curia fuerint recognita. 5

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Senogallien. census. 24. *Aprilis* 1617.

ARGVMENTVM.

Episcopus contra Ecclesias subditas de iure

habet intentionem fundatam pro Cathedratico, pro censu non.

SVMMARIVM.

Episcopus in Cathedratico habet intentionem fundatam de iure contra Ecclesias sibi subditas ratione visitationis, seu procurationis, num. 1.

Ecclesia subdita Episcopo ad euitandum debitum Cathedratici, debet probare indebitum vel per solutiones factas, vel per consuetudinem non soluendi, n. 2.

Episcopus pro censu non habet intentionem fundatam, immò resistentiam iuris, ideo debet probare vel immemorabilem, vel quadragenariam cum titulo, num. 3.

Libri rationum non faciunt fidem, si non appareat quòd sint custoditi in loco publico ad id deputato, & per officiales & quòd pro publicis sint habiti, atque illis soleat adhiberi fides, num. 4.

Annua præstatio fauore mensæ Episcopalis contra Ecclesias subditas probatur per solutiones per decennium, quia solutiones per decennium sufficiunt pro titulo, n. 5 declara n. 6.

Ecclesia contra Ecclesiam non acquirit titulum sine beneplacito Apostolico, num 6.

Cathedraticum fauore Episcopi de iure est duorum solidorum pro qualibet Ecclesia, tamen de consuetudine potest augeri, n. 7.

DECISIO CCCCLXV.

Causa super eisdem proposita, Domini dixerunt constare de debito ad quantitatem Cathedratici debitam de iure communi, in reliquis non constare.

1 Pro credito enim Cathedratici D. Episcopus habet fundatam intentionem de iure contra Ecclesias sibi subditas ratione visitationis, seu procurationis vsque ad duos solidos, *cap.* 1. 10. *quæst.* 3. *cap. conquerente, verbo duos solidos de offic. ordin.* & tradunt Hostien. *in summa eiusdem tit. §. nunc autem.* Pauin. post alios *tract. de visitat. part.* 1. *q.* 5. *nu.* 13.

2 Ideo Ecclesia parochialis ad euitandum debitum grauata remanet onere probandi indebitum, vel per solutiones iam factas, vel per consuetudinem non soluendi, in qua probatione cùm Rector defecerit, Dominus Episcopus debet obtinere, *cap. cùm venerabilem, cap. auditis, de præscriptionibus.* Capycius *decis.* 189. *n.* 7.

3 Pro censu autem habet Ordinarius resistentiam iuris contra se, ex *cap. prohibemus, de censibus*, vbi nouæ collectæ prohibentur à Prælatis imponi cum decreto irritanti, & per consequens D. Episcopus necesse habet probare pro fundamento suæ intentionis, immemorabilem scilicet, vel quadragenarium, cum titulo, *c.* 1. *de præscriptionibus in* 6. Abb. *in cap. peruenit num.* 4. *vers. primo casu, aut allegatur, de censibus.* Couar. *in reg. possessor.* §. 4. *num.* 5. *vers. quoties aduersus præscript. de reg. iur. in* 6.

4 In casu autem de quo agitur, talis probatio non affertur, quia testes dati non concludunt quadragenarium de visu, nec alia requisita, de quibus per gloss. *in cap. primo, in verbo memoria, de præscript. in* 6. Partitæ extractæ ex libris particularibus Episcopi non releuant, quia non sunt vniformes, & continuatæ, sed interpellatæ, & quod magis est, fides illis non videtur adhibenda, cùm libri non appareant custoditi, & conseruati in loco publicè deputo per publicos officiales, & quòd pro publicis fuerint habiti, & ab omnibus fidem adhiberi solitam, prout necessarium est Bald. *in l. exemplo, num.* 2. *C. de probationib.* Dec. *in cap. causam de probationibus.* Craueit. *cons.* 158. *num.* 4. Gabr. *cons.* 200. *num.* 10 *lib.* 2. Nec contrarium coarctant testes dati, dum dicunt, quòd isti libri fuerunt reperti in domo Cardinalis Rusticucij, qui non est locus publicus, neque persona enunciata est publica.

Non obstat quòd si non ratione census, saltem tanquam annuæ præstationes deberent sustineri, pro quorum titulo sufficiunt solutiones per decennium. Alex. *in l. si certis annis, n.* 7. *C. de pactis.* Couarr. *in reg. possessor. part.* 2. §. 4. *n.* 2. Felin. *in cap. ad Apostolicam, n.* 3. *vers. prædictis adde, de simonia.* 5

Quia partitæ librorum loquuntur de censu, & annuo censu, non autem de annua præstatione, vltra quòd contra aliam Ecclesiam similis titulus non acquiritur absque beneplacito Apostolico, quod in præsenti neque probatur, neque potest præsumi, cùm non doceatur de continuato tempore, & vniformi solutionum. 6

Non obstat dum dicitur hanc solutionem fuisse factam pro Cathedratico, quod etsi de iure sit duorum solidorum pro qualibet Ecclesia, *cap. placuit* 10. *quæst.* 3. tamen de consuetudine potuit augeri. Abb. *in cap. olim causam, ante n.* 2. *de censib.* 7

Quia fuit responsum quòd in dictis libris non legitur causa aut titulus Cathedratici, sed census. Et quamuis aliqui testes conentur confundere hos terminos, dum dicunt pro Cathedratico, seu censu; tamen eorum depositio est fundata super dictis libris, in quibus nullum verbum de Cathedratico.

Et ita fuit resolutum vtraque parte informante, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Hispalen. concordiæ. Lunæ 24. *Aprilis* 1617.

ARGVMENTVM.

Manutentio vt concedatur, an requiratur titulus cum quadragenaria, quando ius vehementissimè resistit.

SVMMARIVM.

Manutentio danda est possessori tempore motæ litis, numero 1.

Testes deponentes super administratione sacramentorum, quomodo debeant deponere, n. 2.

Confessio facta in libello probat contra libellantem, numero 3.

Manutentionis iudicium an requirat titulum cum quadragenaria, quando ius vehementissimè resistit ei qui prætendit possessionem, n. 4 5. & 6.

Manutentio an concedatur ex sola assistentia iuris communis, num. 5.

Quasi possessio administrationis Sacramentorum nunquid requirat scientiam, & patientiam eius de cuius interesse agitur, num. 7.

Scientia, & patientia præsumitur in his, quæ publicè, & palàm fiunt, ibid.

DECI-

DECISIO CCCCLXVI.

1 ORta lite coram Ordinario super administratione Sacramentorum & iuribus parochialibus inter Rectorem & beneficiatos S. Iacobi senioris ciuitatis Hispalen. & administratores hospitalis S. Emergilij, intra cuius parochiæ fines situm est hospitale, lata fuit sententia per d. Ordinarium in fauorem dd. ministrorum hospitalis, à quo cum pro parte beneficiatorum fuit oppositum, causa mihi commissa, dubitaui cui dandum esset mandatum de manutenendo? quo dubio proposito Domini censuerunt intactis pro nunc aliis iuribus parochialibus quoad administrationem Sacramentorum dandum esse mandatum de manutenendo ministris d. hospitalis, quia de tempore motæ litis reperiebantur in quasi possessione, vnde eis manutentio non potest denegari. §. *retinendæ. Inst. t. de interd. l. 5. §. huius autem. ff. vti possid. lib. 5.* vbi Bart. *num. 3. C. eod.*

2 Quæ quasi possessio hospitalis visa fuit probari ex duplici capite, & primò per testes qui dantur in Summario per extensum, qui deponunt de longæua possessione, dum dicunt se vidisse ministros hospitalis, curatos videlicet, & Capellanos Sacramenta non solùm infirmis & seruientibus hospitalis, sed omnibus aliis qui deuotionis gratia ad hospitale confluunt, de præsenti administrare, & 20. & amplius annis antea administrasse distinctè loquendo de singulis Sacramentis pœnitentiæ Sanctissimæ Eucharistiæ, & extremæ vnctionis, ex quibus necessariò colligitur quasi possessio. gloss. Bart. Alexand. & Ias. *in l. stipulatio. §. hoc quoque. ff. de verborum obligat.* Dec. *consil. 56. numer. 4.* Seraph. *d. 1061. numer. 1.*

3 Comprobatur secundò ex confessione D. Rectoris & beneficiatorum in libello coram Ordinario porrecto, ex cuius lectura apparet quòd constituunt se actores, & fatentur ministros hospitalis esse reos & possessores. Angel. *in l. non cogendum. §. si priori. ff. de procur.* Contard. *in l. diffamari. in quæst. num. 10. & seq. ff. de ingen. & manumiss.* cum aliis allegatis in vna Romana Communantiarum 25. Martij 1609. coram Reuerendiss. Lugdunen.

4 Nec obstare visum fuit maximum Rectoris & beneficiatorum fundamentum, dum dicitur etiam in iudicio manutentionis requiri titulum cum quadragenaria, prout requiritur in præscribendo quando ius vehementissimè resistit ei, qui prætendit possessionem contra illum, qui habet iuris assistentiam, *cap. 1.* vbi gloss. *de præscript. in 6. l. causam, de præscript.* Franch. *in cap. ad decimas num. 8. in vers. quia ex quo ius resistit, de restit. spol.* cum alleg. per informantes.

5 Huic obiectioni responderunt Domini, quicquid sit an parocho ex sola assistentia iuris communis competat manutentio, de quo multum semper Rota dubitauit, tamen in casu isto non posse Rectorem impedire manutentionem hospitalis, quia eius assistentia remanet offuscata per testium depositiones, quo longæuam hospitalis quasi possessionem probant. Innoc. *in cap. cùm venisset, de restit. spoliat.* Abb. *in cap. 1. vt lit. pend. num. 8.* Couarr. *pract. quæst. cap. 17. num. 9.* & fuit decisum in vna Montis regalis iurisdictionis 4. Nouembris 1598. coram bo. mem. Pegna, & in Mediolanen. decimarum coram Reuerendissimo Decano 16. Decembris 1605. & alias sæpissimè. Vltra quòd pro parte hospitalis exhibetur instrumentum concordiæ, quod licèt plures & visibiles defectus patiatur, tamen iuncta obseruantia tanti temporis dat fumum tituli colorati.

Secundò responsum fuit non posse applicari dispositionem *cap. 1. de præscript. in 6.* quia magna constituitur differentia, quando ius vehementissimè resistit, vt in materia iurisdictionis inter superiorem, & subditum, decimarum inter parochum & laicum, in quibus casibus possent procedere alleg. per informantes pro Rectore: secus autem in hac propositi facti specie, in qua cessat vehemens illa iuris resistentia, quinimo quoad administrationem sacramentorum tantum abest vt ius resistat hospitalibus, quinimo defert consuetudini, & admittit præscriptionem ordinariam contra parochos in fauorem hospitalium, vt est text. expressus *in Clem. 9. contingit. §. fin.* & ibi gloss. & Vital. *num. 88. & seq. de relig. dom.* latè Modern. Bononien. *var. resol. lib. 1. c. 11. num. 45 & seq.* 6

Nec denique constat quod dicitur hos actus possessorios per hospitale non iustificari factos cum scientia & patientia Rectoris & beneficiatorum enim placuit responsio in his quæ publicè & palàm fiunt, etiam superpræsumi scientiam & patientiam, vt in terminis resoluit Rota in Cæsaraugustana dedicationis 27. Nouembris 1613. coram R. P. D. meo Verospio: vltra quod vt dixi datur fumus tituli colorati præambuli. 7

Ex quibus fuit ita vtraque parte informante decisum.

R. P. D. BVRATTO.

Beneuentana domus. Veneris 28. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Instrumentum transumptum non legitimè extractum non plenè probat, sed tantùm indicium facit, nisi concurrant adminicula, & præsumptiones, de quibus in hac decisione.

SVMMARIVM.

1 *Instrumenti transumptum non legitimè extractum non plenè probat, sed tantùm facit indicium; iunctis tamen adminiculis, & præsumptionibus dicitur in forma probanti, nu. 2. & seqq. vbi ponuntur adminicula.*

Instrumenti transumptum quòd ex originali fuerit extractum probant plures coniecturæ, de quibus nu. 3.

Notarius potest instrumenti à se rogati in publicam formam particulam tantùm necessariam tradere absque eo quod totius instrumenti transumptum extrahat, num. 4.

Obseruantia subsequuta multum operatur in probatione transumpti non legitimè extracti, num. 6.

Confessio authoris non potest impugnari à successore titulo emptionis, num. 7.

Sententia etiam non iustificata ex actis facit aliquod adminiculum, quando non agitur de illius exequutione, num. 8.

Notarii scriptura, seu instrumentum manu non intelligibili scriptum, an, & quando probet, numer. 9.

DECISIO CCCCLXVII.

1 Domini persistendo in resolutione facta coram R.P.D.meo Pamphilio 28 Iunij 1613. dixerunt transumptum testamenti quondam Ioannis Iacobi esse in forma probante, consequenter esse probatam substitutionem ad fauorem Ecclesiæ sancti Spiritus vocatæ ad domum,& apothecam de quibus agitur, cuius casus euenit per mortem Desiatæ legatariæ qui est effectus dubij in propositis. Et in primis suppositum fuit constare de existentia testaméti dicti q.Ioannis Iacobi,in quo hæredes instituit Antonius eius fratrem,& Io.Baptistam nepotem,& de pluribus legatis in eo factis, & solùm per mortem dicti Ioannis Iacobi fuisse confirmatum,ac vti hæredes successisse, & de solutione, ac executione respectiuè plurium legatorum in eo contentorum, de quibus infrà, quæ nec in dubiũ reuocari possunt nec reuocari videntur ex parte illorũ de Carissimis.

2 Quo sic firmato, quatenus dici posset, citra tamen veri præiudicium, exemplum testamenti pro dicta Ecclesia exhibitum non fuisse legitimè extractum,& ideo solum & de per se non plenè probare, sed tantùm indicium facere.Hostien.*in c.fin in fine, de fid.instr.*Bald.*cons.*204.*n.*7.*vol.*3.post not.communiter per scriben.*in auth.si quis in aliquo,* vbi Alex.*n.*6. *in fine decis.*Ianuen 15.*n.*14. Tamen iunctis adminiculis & præsumptionibus plena illi potest præstari fides,Hostien.*in d.c.*1.*in fin.*Bald.*cons.*400.*nu.*5.*vers. præterea lib.*4. Verall.*decis.*234.*n.*2.*part.*1 Io.Paul.*dec.* 69.*de fid.instr.in manuscript.*Card.Seraphin.*dec.*1192. *n.*2.d.decis.Ianuen.15 *n.*14. Menoc.*cons.*394. *nu.*35. & Rota in Vratislaten.matrimonij 27. Nouemb.1609. coram R. P. D. meo Caualerio.

3 In proposito autem visum fuit concurrere adminicula, coniecturásque, & præsumptiones sufficientes ad præstandam fidem dicto transumpto ex sequentibus.

Primò namque illud habet annum,mensem,diem, indictionem, Pontificatum, locum, & locum loci conditi testamenti, numerum testium requisitum, hæredum institutionem,cum subscriptione Antonij Feltri Not. de eo rogati, & sic omnia substantialia, ex quibus resultat illud fuisse extractum ex originali exhibito del 1593. coram Vicen. Beneuentano eius iussu præcedente ad instantiam vnius ex Canonicis dictæ Ecclesiæ per Franciscum Arrigonum Custodem Rogitun. dicti Antonij defuncti, & per duos testes, optimè recognitos, deponentes etiam de Notoriatu,fide,& legalitate dicti Antonij Idémque transumptum concordat cum instrumento legatorum factorum Menichellæ vxori,& Ioan.Francisco nepoti testatoris per dictum Antonium viuentem publicato & dato extra, in quo inserta est institutio dictorum Antonij & Ioan. Baptistæ, & quòd fuit propria manu dicti Antonij scriptum, & subscriptum,cum signo tabellionatus, & in iudicio productum, & super quo ad fauorem dd. legatariorum pronunciatum,vt in summario dictæ Ecclesiæ *num.*1.& de cuius instrumenti fide dubitari non potest,vt *in d auth.si quis in aliquo,*testantur Alex.*n.* 5. *de communi.* Iacobin. *num...* Decius *num.*15.*&* 16. & Bolognet. *num.*18.

4 Nec quicquam facit quòd in eo non contineantur legata aliarum personarum, & præsertim dictæ domus & apothecæ, quia illud fuit factum ad instantiam, dictorum Menichellæ & Ioan. Francisci tantùm,vt in eo expresse dicitur, quo mediante experti sunt in iudicio,nec necesse habebant totum testamentum producere,immò Notarius non tenebatur edere,nisi particulam legatorum & institutionis hæredum.Bart.*in l.*2.§.*fi. ff quemadm. test. aper.*& *l. argentarius.*§.*edi.ff de edend.*not.scriben.*in rubr.ff.de nou.oper.nunciat.*& præsertim Alex.*n.*37.Bolognet.*n.* 144 Dec.*cap.ex epistola n.*288.*& nu.*292. *de prob.* Præsertim ad euitandum maiorem impensam mercedis not. si dedisset totum testamentum authenticum, cum aliis legatis, vt est notissimum, immò in dicto instrumento idem Notarius attestatur dicta legata fuisse sumpta ex illo testamento inter cætera legata in eo contenta.

Secundum adminiculum resultat ex instrumento reuocationis legatorum, de quibus in dicto testamento,ad instantiam Lucæ mariti dictæ Desiatæ ac hæredum prędictorum facto(vt declaratum fuit)fabricato, & ex confessionibus dictæ falsitatis factis per dictos hæredes in causa criminali in tribunali Gubernatoris Beneuentani reiteratis in precibus porrectis pro obtinenda gratia ab huiusmodi delicto,ad quam admissi fuerunt,cum compositione pecuniaria, & ex sententia in dicto tribunali lata super dicta falsitate,de quibus omnibus in dicto summario *num.*6.7.8.9.10. *&* 11. quæ licèt inter alios, faciunt tamen aliquale adminiculum ad coadiuuandam fidem transumpti.Put.*decis.*349.*n.*2.*l.*2.*in nouis.* 5

Tertiò ex obseruantia contentorum in dicto testamento, iuxta tenorem transumpti in pluribus aliis partibus, præsertim ex aditione hæreditatis illius vigore facta per dictos hæredes scriptos ex productione legatorum in iudicio per dictos Menichellam, & Ioannem Franciscum pro illorum consecutione & pronuncia ad eorum fauorem secuta, & possessione capta,vt in proces.de partibus *fol.*110. *&* 111. ex productione similiter legati scutorum 45 dictæ Ecclesiæ sancti Spiritus facti, & illius solutione. 6

Ac similiter traditione domus & apothecæ facta per dictos hæredes dictæ Desiatæ legatariæ,de quibus omnibus in summario dictæ Ecclesiæ *num.*5.10. *&* 15. & in dicto instrumento memorati in dicta concordia in processu *fol.*120. *& seqq.* Tandem ex quitancia facta inter dd. Antonium & Ioannem Baptistam hæredes ex dicto testamento de omnibus bonis hæreditatis hinc inde pro æquali portione, de qua in dicto processu *fol.*91.à tergo. Obseruantia autem huiusmodi multam tribuit fidem dicto transumpto,licèt non solemni. Bald. *dicto consil.* 400.*nu.* 5.*lib.*4. Aym. *consil* 40. *numer.*16.*&* 17. *& consil.* 66. *num.*10.*&* 11 *& consil.*150.*in princip.& in tract.de antiquit.tempor.part.*1.*in* 4.*limitat.numer.*17.*&* 18. Cardin.Seraphin.*dict decis.*1192.*num.* 2. Rota *decis.* 598. *num.*5 *& decis.* 375.*num.*4. *part.* 1. *diuersorum.* & latè cumulat Marc. Ant. Genuen. *tract. de script. priuat. lib.*1.*cap.*4.*num.*74.*& seq* & in specie in testamento, in Amerina bonorum 23.Februar.1587. coram bon. me. Cardinali Pamphilio. Et de obseruantia ex solutione legatorum decis.Flor. Magon.58. *n.*21. *&* 22. Aym.*vbi suprà de antiq.tempor.num.*16.*versic. vel producitur,*pro quibus facit decis.Rotæ 636.*num.*2. *part.* 1.*in nouis.*

Quartò magis in specie de legato domus & apothecæ facto in dicto testamento dictæ Desiatæ ex eius confessione mediante Lucæ eius viro,& Procuratore in instrumento concordiæ initæ cum hæredibus del 1569. in summario *numer.*12. In quo expressè dicitur 7

dicitur fuisse factum relictum dictæ domus & apothecæ in dicto testamento ad fauorem dictæ Desiatæ, quinimmò hæredes tradidisse in dicta concordia ex alio instrumento ibi memorato celebrato del 1567. 11. Octobris quod est registratum in process. primæ instantiæ *fol.*120. *& seqq.* in dicta concordia de nouo ceditur ad cautelam liberè eisdem Desiatæ & Lucæ, cum remissione scutorum sex annuorum in dicto primo instrumento reseruatorum dictis hæredibus. Confessio autem dictæ Desiatæ & Lucæ eius viri, non potest impugnari per dictos de Carissimis illius successores titulo emptionis, ad vulgat. doctrin. Bart. *in l. si superatus. ff. de pignorib.* cum pluribus per Peregrin. *de fideicomm. ff. art.* 53. *num.* 36. quod est indubitatum; quia huiusmodi confessio præcedit emptionem dd. de Carissimis, quæ fuit dell.... vsque ad quod tempus dd. domus & apothecæ fuerunt possessæ per dictam D. siatam legatariam, & Lucam coniuges, consequenter talis confessio nocet Marcellæ successori eorundem de Carissimis.

8 Substitutio autem dictæ Ecclesiæ post mortem Desiatæ in dicto testamento iuxta dictum transumptum, probatur ex confessione Antonij vnius ex dd. hæredibus in dicta causa criminali, & ex dicta sententia in eadem causa lata, per quam fuit declaratum domum, & apothecam huiusmodi spectare ad dictam Ecclesiam in vim dicti testamenti, post obitum tamen Desiatæ. Quæ sententia fuit approbata per dictos hęredes, mediantibus precibus porrectis pro obtinenda gratia, ad quam admissi fuerunt cum pecuniaria compositione, & fuit etiã lata cum dd. de Carissimis & Marcella eorum successore, vt ex eius lectura. Nec visum fuit DD. opus esse illam iustificare ex actis, tum quia modò nõ agitur de illius exequutione, sed de adminiculanda fide dicti transumpti, in quo legitur dicta substitutio ad fauorem Ecclesiæ; tum etiam quia datur in summario *nu.* 16. quædam receptio vnius ex Carissimis dicti processus criminalis, & licèt pręmissa fortè non sufficerent de per se ad probandam dictam substitutionem, tamen longè superabundant pro adminiculis & præsumptionibus vehementibus, ex quibus DD. induxerunt eorum animos ad præstandum fidem dicto transumpto.

9 Non obstat, quòd subscriptio Cochiliæ Notarij, qui fecit transumptum, non sit legibilis, quia licèt in omnibus perfectè legi non possit; attamen satis ex verbis quæ legi possunt, & signo apposito subscriptioni substantia & veritas illius colligitur, licèt cum difficultate, quod sufficit, ad gloss. *in l.* 1. §. *si rosæ, in verbo muribus. ff. de bonor. possess. secund. tabul.* & gloss. *in capit. fin. in verbo iustam causam, de fid. instrum.* Bald. *in l.* 1. *numer.* 4. *C. eodem.* Et quamuis hodie non possit legi, sufficit tamen quòd esset intelligibilis tempore productionis illius. *l. vnic. ff. si tabul. testament. ex tabul.* & ibi gloss. *in verbo probatas.* Bart. *numero secundo.* Pelin. *in cap. ex his numero decimosexto. versicul. nota nono, de fid. instrument.* cum allegatis per informantes, prout verè talis erat cùm fuerit pro tali recognita à tribus testibus in Curia examinatis diebus 9. Nouembris, & 4. Decembris 1612. maximè cùm signum prædictum sit conforme aliis signis politis in instrumentis per Cochiliam publicatis.

Ex quibus ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Panormitana Archipresbyteratus. Mercurij 28. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Gratia in qua narratiua continet negatiuam non iuris tertij, iustificanda est per se fundantem in ea.

SVMMARIVM.

Gratia iustificari debet etiam in negatiua narrata, num. 2.

Negatiua coarctata ad acta, improbabilis est sine actorum integra transportatione, n. 2.

Ordinarij assertioni super negatiua translata in gratia standum non est, num. 4. *Declara vt n.* 5.

Negatiua probanda est per se fundantem in ea non præsumptiuè, sed plenè, n. 7. *Vbi præsertim quando agitur de præiudicio tertij.*

Ius tertij quod non constet dici non potest donec potest de contrario apparere, n. 8.

Læsio non dicitur sufficienter probata sine transportatione, & visione actorum, n. 9.

DECISIO CCCCLXVIII.

Domini dixerunt gratiam *si neutri* per Nicolaum impetratam non esse iustificatam quoad non ius Iulij collitigantis. Illud enim deducitur ex capite nullitatis concursus, & collationis parochialis, de qua agitur ad fauorem dicti Iulij per Ordinarium factæ ob non seruatam formam à Sacrosancto Concilio Tridentino, & constitutione sanctæ memoriæ Pij V. in prouisione parochialium præscriptam. Quæ negatiua debuit per Nicolaum pro iustificatione dictæ suæ gratię concludenter probari, ad Bart. communiter receptum *in l. in illa. ff. de verbor. obligat.* Et de negatiua concursus, Rota in Aretina parochialis 15. Iunij 1593. coram Orano cum pluribus de simili negatiua ad iustificandam gratiam, in Astoricen. parochialis 9. Maij 1616. coram me. 1

Et tamen cùm sit coarctata ad acta dicti concursus visa fuit DD. improbabilis sine illorum transportatione & inspectione, prout de negatiua continente defectum citationis ad sententiam, vel similem, Bart. *in l. hi qui ad ciuilia, in fin. C. de appellat. & in l.* 1. *ff. si tut. vel curat. appellau.* DD. *in l.* 4. §. *condemnatum. ff. de re iudic.* & præsertim Hercul. *num.* 7. 8. *& seqq.* Card. Seraph. *decis.* 280. *n.* 20. 2

Et maximè quando datur de nullitate coram alio iudice, quàm eo, qui iudicauit, Rip. *in dicto §. condemnatum, sub num.* 12. & ita etiam videtur sensisse Rota in Bracharen. parochialis de Moreyra 11. Ianuarij 1602. coram bon. mem. Iusto, in qua cum præsupposito quòd acta essent integrè transportata (vt dicitur in principio decisionis) resolutum fuit, gratiam *si neutri* esse iustificatam quoad non ius collitigantis, quia de illo constabat ex actorum reuolutione. 3

Non obstat quòd probatio dictæ negatiuæ resultet ex sola productione collationis Ordinarij facta 4

per Iulium absque eo quòd docuerit fuisse obseruatam formam Concilij & d. constit. in quo non videtur standum soli assertioni Ordinarij, iuxta decisiones in Fesulana gratiæ *si neutri* 27. Ianuarij 1563. coram Robusterio, & in Pampilonen. parochialis de Aguero 12. Ianuarij 1609. & 7. Iunij 1610. coram Reuerendissimo Attrebaten. Et sic Nicolaus videatur habere præsumptionem iuris pro se, quæ sufficere possit ad transferendum onus probandi in Iulium aduersarium, ad *l. generaliter. §. si petitum. in fin. ff. de fideicomm. libert. l. fin. in princip. ff. quod met. caus.* cùm pluribus per Menoch. *præsumpt. 33. n. 2. lib. 1.*

5 Omisso enim, an standum sit assertioni Ordinari etiam circa obseruantiam dictæ formæ, & tanto magis contra Nicolaum, qui nititur dicta gratia *si neutri*, vt in similibus terminis illi standum esse, tenuit Rota in Placentin. Canonicatus 14. Ianuarij 1600. coram Illustrissimo Domino Cardin. Lancellotto, præsertim, quia idem Nicolaus hodie prosequitur contradictionem factam concursui, & collationi, nec appellationem ab ea interpositam.

6 Responsum fuit quòd quatenus etiam præsumptio non staret pro prouisione Ordinarij, tamen nō inde sequitur quòd illa stet pro Nicolao, adeò vt in Iulium transferatur onus probandi contrarium, immò etiam si Nicolaus haberet iuris pręsumptionem pro se, tamen cùm non sit talis, qua fundet intentionem de iure communi, non transfert onus probandi in aduersarium, Cardin. *decis. 1249. num. 3.* & ita obseruat. Rota, vt per eundem *decis. 1422. num. 10. & seq.*

7 Maximè quia cùm fundet intentionem suam in huiusmodi negatiua, non sufficit præsumptiua probatio, sed plena requiritur, ad *decis.* Achill. *1. de prob.* quam sequuta est Rota in Agrigentin. prætensæ illegitimitatis 15. Decembris 1589. coram Orano, & in Comen. decimarum 8. Iunij 1612. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. præsertim cùm agatur de tertij præiudicio, Abb. *in cap. cum in iure, num. 2. vers. sed hac ratio*, & ibi Barbat. *num. 2. versic. Item cum agatur, de offic. deleg.* Afflict. *decis. 345. nu. 6.* Menoch. *præsumpt. 36. in fin. lib. 1.*

8 Decisiones autem Fesulana & Pampilonen. de quibus suprà, non videntur applicari, sed potiùs retorqueri. Nam in Fesulan. expressè supponitur gratiam anteriorem collitigantis ex reuolutione actorum non fuisse iustificatam, & cum hoc præsupposito, fuit dubitatum, an illa posset impedire canonizatoriam gratiæ *si neutri*, alterius collitigantis, & idem quoque firmatum fuit in dictis duabus Pampilonen. vt ex lectura ipsarum, & præsertim primæ, in qua respondendo d. decisioni Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto in Placentin. Canonicatus, dicitur quòd in d. Pampilonen. negatiua obseruantiæ formæ probata erat ex actorum reuolutione.

9 Cùm itaque in casu isto talis negatiua firmari non possit ex hac reuolutione actorum, quia non sunt transportata, vtique nec dici potest illam fuisse probatam, ex illis enim posset de contrario constare, & trita est conclusio, quam Rota sequitur, quod nōn potest dici constare de non iure, donec potest de contrario apparere, Ægid. *decis. 103.* Bero. *in cap. in litteris, nu. 43. vers. 2. quia, de restit. spol.* Rot. *decis. 510. num. 4. part. 1. & decis. 269. num. 6. part. 2. diuers.* cum aliis in Virdunen. Abbatiæ 22. Iunij 1615. coram me, sicuti nec dici potest sufficienter probata læsio sine transportatione, & visione actorum iudicij, quod tempore factæ transactionis pendebat, vt fuit dictum in Algaren. dismembrationis 24. Nouembris 1616. coram R. P. D. meo Remboldo.

Et tanto magis dixerunt DD. de negatiua dictæ 10 obseruantiæ constare debere ex actis, quia Nicolaus commisit causam appellationis ab electione Ordinarij, non solùm ratione prætensi irrationabilis iudicij, sed etiam ex dicto capite inobseruantiæ formæ Concil. & Constit. & ideo sicuti non poterat procedi ad confirmandum, & infirmandum huiusmodi electionem in causa appellationis, nisi transportatis, & visis actis, iuxta idem Concilium *sess. 24. c. 26.* Ita nec etiam dici potest iustificata gratia, *si neutri*, sine dd. actis, hoc enim modo appellans posset per indirectum obtinere victoriam sine actis primæ instantiæ, quod DD. visum fuit absurdum.

Ex quibus etiam patet tanto minus dictam gratiam posse dici iustificatam sine actis, si Nicolaus deduceret non ius Iulij ratione prætensi irrationabilis iudicij.

Et ideo ita decisum.

REVERNDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Cordub. decimarum. Veneris 27. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

Est in summario.

SVMMARIVM.

Priuilegium concessum militiæ, & hospitali, non suffragatur hospitali subsistenti sine militia, nec à militia dependenti, n. 1.

DECISIO CCCCLXIX.

DOmini perstiterunt in decisis, nempe priuilegium Clementis VIII. non suffragari hospitali fratrum Sancti Ioannis, cùm emanauerit ad fauorem militiæ SS. Lazari, & Mauritij ac hospitalium ab illa dependentium, quale non est istud quod regitur à dictis fratribus, & à dicta militia non dependet ex rationibus & fundamentis in decisione adductis. 1

Quibus visum fuit non obstare Bulla fel. record. Pij IV. in qua narrata origine hospitalitatis leprosorum S. Lazari Hierosolymitani, & variis exemptionibus illi concessis, præsertim à Nicolao III. super exemptio decimarum discretiuè loquendo de hospitalitate, & militia, tandem confirmat omnes exemptiones illis concessas, & sic etiam exemptionem decimarum à Nicolao III. ratione solius hospitalitatis tributum. Quia vltra quòd etiam Pius IV. fuit contemplatus vtrumque simul, nempe militiam, & hospitalitatem, cùm coniunctim de illis loquatur, vt ibi: *Nos igitur volentes hospitalitatem S. Lazari eiúsque militiam, ad miserabilium pauperum leprosorum vtilitatem, & contra piratarum & infidelium Christianæ Religionis inuasiones instaurare, augere,* &c. & ibi, *constitutionem, & erectionem hospitalis & militiæ huiusmodi,* &c. *priuilegia eisdem hospitali, & militiæ concessa approbamus,* &c. & rursus ibi, *nec omnino aliquis ex hospitalis & militiæ S. Lazari,* &c. *decimas soluere teneatur.*

Respon-

Respondebatur, Bullam Pij IV. de per se solam non esse attendendam, cùm fuerit reuocata per sanctæ mem. Pium V. vt fuit in specie resolutum in hac causa 8. Martij 1610. coram R. P. D. meo Pamphilio, & tanquam confirmatam per Clementem VIII. non suffragari hospitali, quia etiam admissa lectura partis aduersæ, quòd loquatur discretiuè de hospitali & militia, tamen fuit confirmata vnà cum aliis concessionibus Summorum Pontificum quoad hospitalia annexa militiæ, & ab ea dependentia, ex adductis in decisione, & ex his quæ hodie circa Breue ponderantur de nouo per informantes pro Capitulo, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. decimarum de Varesio 28. *Aprilis* 1617.

ARGVMENTVM.

Scriptura antiqua supra centum annos, habens requisita probat etiam sine recognitione.

SVMMARIVM.

Scriptura habens signa publicis instrumentis conuenientia, scilicet mensem, diem, annum, indictionem, testes, clausulam, actum, &c. suscriptionem Notarij & signum, non indiget recognitione, si habeat datam supra centum annos, & ex inspectione apparet quòd sit originalis, n. 1.

Bulla Apostolica antiqua censetur esse originalis, & non transumptum, si habet plumbum, chordulas sericas, & reliquas solemnitates Bullarum, n. 2.

Instrumenta originalia sine solemnitatibus & lite pendente, possunt per Notarios rogatos tradi, & exemplari, n. 3.

Scripturæ antiquitas non probatur per solam datam supra centum annos, sine aliis adminiculis, numer. 4.

Declara de scriptura, quæ oculariter inspici non possit; secus verò de scriptura quæ per iudicem potest inspici, quia iudicis inspectio pro sufficienti adminiculo est, n. 5.

Notarius se in subscriptione pro Notario enuncians, etiam si non dicat se rogatum de instrumento, fidem facit, n. 6.

DECISIO CCCCLXX.

CAusa super eisdem reproposita die 13. Martij præteriti, dictum fuit vt iura super quorũ forma probanti cadebat disputatio, producerentur in actis, quia productio facta in partibus non videbatur posse sustinere. Hodie parito mandato Dominorum, & iterum suscepta disputatione, censuerunt standum esse in decisis quoad species scripturarum, quæ præmissæ fuerunt in eadem decisione diei 27. Ianuarij præteriti, dempta scriptura sexta, quæ est solutionis collectarum factæ per Præpositum de anno 1326. quæ à Notario subscripta non reperitur. Et vlteriùs vndecima quæ est transumptum instrumenti anni 1478. ac transumptum edicti Galeatij Vicecomitis cum denunciationibus facti s per Consules locorum plebis Varisij nouissimè productum, quæ dixerunt non esse in forma probanti, vti extractæ lite pendente, & parte non citata.

Omnes enim scripturæ prædictæ sunt productæ, & habent signa publicis instrumentis conuenientia, nempe, diem, mensem, annum, indictionem, testes, clausulam, actum, &c. subscriptionem Notariorum, eorumque signa quæ enumerantur per gl. *in l. generali, C. de Tabell. lib.* 10. neque egent recognitione quòd publica manu scriptæ fuerint, cùm habeant datam supra centum annos, & ex aspectu sint antiquissimæ & originales, vt censuerunt Domini eis oculariter inspectis, quæ propterea non sunt in statu recognitionis, vt in alia decisione fuit dictum & probatum ex Put. Afflict. Seraph. & aliis decisionibus Rotalibus tunc allegatis. 1

Bulla autem hæc Gregorij IX. habet plumbum, chordulas rubri, croccique coloris, & cæteras solemnitates in Bullis Pontificiis apponi solitas, quæ indicant scripturam esse originalem, non autem transumptum, & illi fidem adhibendam. Puteus *decis.* 210. *n.* 19. *lib.* 1. 2

Et attenta noua productione, cessant appositæ exceptiones de interlineaturis, omissione signi tabellionatus, de successore in officio, de facultate extrahendi & publicandi instrumenta prædicta, quia non agitur de scripturis registratis in processu de patribus, prout in prima decisione agebatur ad earum formam probantem sustinendam ex non oppositione facta in termino citationis ad dicendum cõtrà, sed de originalibus instrumentis productis, carentibus talibus defectibus, & per Notarios rogatos traditis, & exemplatis, quæ sine solemnitate & lite pendente possunt ab eisdem Notariis exemplari. Bart. *in auth. si quis in aliquo in secunda oppositione. C. de eden.* Roman. *cons.* 105. *num.* 3. Rot. *in nou. de fid. instrum.* Caputaq. *decis.* 351. *in princ. part.* 2. & eadem Rota confirmauit in Mediolanen. decimarum S. Donati coram me 23. Ianuarij 1602. 3

Non obstat, quòd eadem iura non recognita habentur tanquam priuatæ scripturæ, quibus in iudiciis nulla fides solet adhiberi, vt in decisione Carthaginen. pensionis 16. Iunij 1606. coram R. P. D. Manzanedo, & vlteriùs talis recognitio suppleri non possit, ex antiquitate supra centum annos, dum sola data sine adminiculis, non probet antiquitatem. Put. *decis.* 186. *lib* 3. quod etiam dicitur firmatum in Mediolanen. decursus aquarum 19. Decembris 1608. coram Illustrissimo Cardinale Ludouisio. 4

Quia fuit responsum quidquid sit in scripturis quæ oculari inspectione videri non possunt, vt sine adminiculis sola data non admittatur, secus tamen quando, vt in præsenti, fuerunt Dominis ostensæ, quia tunc pro adminiculo sufficit iudicium & religio Dominorum, Seraph. *decis.* 2077. Put. *decis.* 9. *de fid. instrument.* cum allegatis in prima decisione. 5

Nec releuare visum fuit quòd in aliquibus ex prædictis instrumentis Notarij in eorũ subscriptionibus dicant, hanc chartam tradidi & scripsi, quæ verba non videantur sufficere ad probandum rogitum; nisi asserant se fuisse de illis rogatos. Quia dum se enunciant Notarios in subscriptione, & de stylo Rotæ illis credatur, donec probetur contrarium, Verall. *decis.* 245. & *decis.* 266. *part.* 2. sufficit quòd eis tanquam Notariis scripturæ fuerint traditæ. Roland. *cons.* 44. *num.* 44. *lib.* .... quem Rota in his terminis coram me sequuta est in Mediolanen. iurispatronatus 23. Februarij 1615. 6

Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana de Mazzatostis. Veneris 28. Aprilis 1617.

ARGVMENTVM.

De clausula *Constituti*, an & quando per eam transferatur possessio, præsertim si fuerit apposita in contractu conditionali.

SVMMARIVM.

Constituti *clausula transfertur possessio, n.2. Ubi etiam quòd sufficit ad effectum manutentionis.*

Possessio censetur probata quando coloni aliquem recognoscunt in dominum, & sic per traditionem, n.3.

Possessio probatur ex perceptione fructuum, casalium cultura, custodis appositione, & alijs quæ à veris dominis fieri consueuerunt, num.3. vers. concurrente præsertim.

Constituti *clausula apposita in contractu conditionali, ipsa etiam reputatur conditionalis, pendenteque conditione possessionem non transfert, n.4.*

Donatio quando dicatur conditionalis, & quando pura, num.5.

Donatio si sine filiis decesserit dicitur conditionalis, & suspensiua de tempore mortis, n.5.

Clausula Constituti *purificata conditione retrotrahitur, nisi illo medio tempore fuerit alteri ius quæsitum, num.6.*

DECISIO CCCCLXXI.

1 QVondam Iulius Mazzatostus, de anno 1614. donauit inter viuos omnia sua bona R.P.D. Mario Bonauenturæ, cum clausula *Constituti*, reseruatis sibi ad effectum testandi scutis ducentis, cuius donationis vigore D. Bonauent. possessionem bonorum donatorum fuit assecutus, quam vsque ad Iulij obitum continuauit. Postea verò Fratres de Castro in vim alterius donationis Carolo ipsorum patri de anno 1606 cum clausula pariter *Constituti* facta, cùm se quoq; prætenderent possidere, causa coram me introducta, dubitaui an illis esset dandum mandatum de manutenendo? Quod Rota censuit dandum non esse, cùm de illorum possessione non doceatur.

2 Instrumentalis enim de anno 1616. per Procuratorem capta, illis non suffragatur tanquam D. Bonauent. in possessione tunc temporis existente. *l. clam possidere, §. qui ad nundinas de acquir. possess.* Seraph. *decis.* 732. *n.*2. Quòd autem esset in possessione D. Bonauentura, probat ex clausula *Constituti* in donatione de anno 1614. ad ipsius fauorem apposita, per quam vera possessio dicitur translata. *l. quod meo*, vbi Doct. *ff. de acquir. possess.* Afflict. *decis.* 139 *num.*9. Bero *cons.* 158. *num.*1. *lib.*1. Surd. *cons.* 221. *n.*34. Hond. *cons.* 42. *num.*27. *lib.* 1. Aym. *cons.* 207. *num.* 1. *in fine.* Paris. *cons* 33. *num.*30 *lib.*3. Tiraquell. *de constit. part.*1. *num.*54. etiam ad affectum manutentionis, vt fuit dictum in Clusiua postæ Puteoli 27. Ianuarij 1603. coram Litta.

3 Et vlterius de dicto anno 1614. constat de actuali eiusdem Bonauenturæ apprehensione, quæ possessio vsque in præsentem diem fuit continuata cum recognitione colonorum, vt testes pro illa examinati deponunt. Menoch. *de retinend. possess. remed.* 3. *num.*561. *& seqq.* Bellam. *decis.* 104. Afflict. *decis.* 321. *circa medium*, Concurrente præsertim fructuum perceptione, casalium cultura, custodis appositione, & alijs; quæ à veris dominis fieri consueuerunt; vt ex eisdē testibus apparet, ex quibus vera D. Bonauenturæ possessio dicitur probata. *l. Titia*, vbi Bart. *de solut. l. litibus, C. de agric. & censib. lib.*11. Socin. *cons.* 13. *num.*14. *l. b.*4. Aym. *cons.* 107. *num.*2. Cæs. de Grass. *decis.* 10. *de caus. possess. & propriet.*

4 Non obstat clausula *Constituti* in præcedenti donatione de anno 1606. ad fauorem Caroli de Castro, per eundem Iulium facta, cuius vigore prætendunt isti Caroli hæredes anteriorem habere possessionem. Nam dicta donatio fuit conditionalis, & per consequens tale fuit constitutum in illa oppositum. Pendente autem conditione donatariis non potuit acquiri possessio. Dec. *cons.* 246. *num.*3. *vers. quantum verò.* Natta *cons.* 372. *num.*6. Socin. iun. *cons.* 94. *num.* 17. *lib.*2. Tiraq. *de constit. part.* 2. *ampliat.* 15. *num.*3 *&* 4. Menoch. *cons.* 388. *nu.*35. Honded. *cons.* 18. *num.*13 *lib.*2.

5 Quòd autem donatio fuerit conditionalis, apparet ex verbis in eadem appositis, nimirum *cum conditionibus, ac modis infrascriptis, & non aliàs, &c. donauit*, &c. videlicet quòd præsens donatio firma maneat, valeat, vt teneat, si, & quatenus ipse Dominus Iulius moreretur sine filiis legitimis & naturalibus, & ibi ita & semper quòd deficiat linea descendentium ipsius donantis, donatio transeat recta linea ad dictum Carolum, eiusque filios, ex quibus clarè patet non esse puram donationem, sed conditionalem, quatenus donator sine filiis decederet. Vnde tanquam concepta sub conditione suspensiua de tempore mortis donantis purificanda non potest dici firma, neque suum effectum sortiri nisi dicto tempore adueniente. Menoc. *d. cons.* 388. *&* 35. Honded. *cons.* 18. *n.*64 *& seq. lib.*2.

6 Non obstat clausulam *Constituti* purificata conditione retrotrahi ad diem donationis in fauorem Caroli de Castro factæ: quia non potest id procedere, cum alteri medio tempore fuerit ius quæsitum. Honded. *cons.* 18. *n.*66. *& seq. lib.*2. Menoch. *cons.* 388. *n.*34. 55 *&* 56. In casu autem nostro satis patet R.P. D. Bonauenturæ fuisse ius & possessionem dictorum bonorum acquisitam per donationem ipsi cum clausula *Constituti* postea factam, quæ stante prioris donationis conditione licitè fieri voluit. Menoch. *d. cons.* 388. *n.*34. Dec. *cons.* 246. *n.*3. Honded. *cons.* 18. *num.*66. *lib.*2.

R.P.D. VBALDO.

Firmana laudi. Veneris 4. Maij 1616.

ARGVMENTVM.

Laudum, seu transactio an, & quando rescindatur sub prætextu enormissimæ læsionis.

SVMMARIVM.

Socij omnes pro virili tenentur ad debitum contractum pro

pro societate, non autem is solus, qui debitum contraxit, num. 1.

Epistola probat contra scribentem, non autem pro scribente, nisi fuerit acceptata, n. 2. & 3.

Læsio rescindens laudum debet esse enormissima, vbi idem in transactione, n. 5.

Laudum æquiparatur transactioni, ibid.

Læsio in contractu transactionis iudicatur inspecto dubio litis euentu, ibid.

DECISIO CCCCLXXII.

1 LIcèt in hac causa Rota bis resoluerit esse standũ laudo lato à q. Plinio de Melis, & à partibus approbato, vt in decisionibus coram me factis 7. Nouembris 1614. & 18. Maij 1615. quia tamen pro parte hæredum Scæuolæ prętendebatur eum in dicto laudo fuisse læsum: Dubitaui, an constaret de læsione Scæuolæ ex ipso laudo. quod dubium fuit negatiuè resolutum. Nam læsio deducitur ex eo quòd Scæuola fuit in laudo condemnatus ad florenos 700. acceptos ad censum ab Eustachio, necnon ad fructus dicti census, & tamen cùm debitum illud esset contractum pro societate inita inter ipsum Scæuolam, Daganellum, & Antonium, videbantur omnes socij condemnandi pro virili, non autem solus Scæuola, iuxta textum *in l. omne æs alienum, ff. pro socio*, cum aliis allegatis.

2 Hoc tamen non obstante, dicebant Domini laudum iustificari, & non continere læsionem, quia Scæuola recepit totum pretium dicti census, vt dicitur in eodem laudo, & constat ex computo per ipsum Scæuolam dato, & ex epistola ad Paganellum directa, quæ contra scribentem probat. *l. publica, §. vlt. ff. depos.* Doct. *in l. admonendi*, vbi Ias. *in repetit. num.* 111. & Rip. *num.* 133. *ff. de iureiuran.* Menoch. *de arbitr. casu* 94. *n.* 9.

3 Nec releuare visum fuit quòd dicatur idem pretium census fuisse erogatum in emptione frumenti ad vtilitatem societatis, tum quia id non benè iustificatur ex dictis calculo & epistola Scæuolæ, quibus non videtur standum ad ipsius fauorem. gloss. *in d. l. publica. §. vlt. ff. depos.* Menoc. *vbi suprà n.* 6. Nec constat de retentione epistolæ facta per Daganellum, & eius acquiescentia, cùm immò appareat de continua contradictione stante lite, quæ adhuc durat. Nec releuat prætensa confessio Daganelli coram arbitrio, quia solùm asserit Scæuolam ponere in suo calculo se ex pretio census emisse salmas grani 161. vt in summario hæredum Scæuolæ *n.* 10. Tum quia subductis rationibus habiti, & expensi apparet ipsum adhuc remanere debitorem societatis in floren. 656. vt dicto summario *n.* 9. & fit mentio in ipsa laudo.

4 Nec obstat, quòd non sint ponendi ad ipsius debitum floreni 750. panis dati, habita fide de pretio, quibus detractis ipse remanet creditor in florenis 93. vt ex relatione periti à Rota electi apparet, quia quidquid dicendum sit de dicta relatione, respondebatur quòd ex ipsomet computo Scæuolæ, & clarius ex instrumento inter socios celebratos de anno 1581. constare videtur quòd aliqua saltem pars pretij dicti panis peruenit ad manus Scæuolæ, & in eodem instrumento fuit data facultas iudici arbitrandi pro rata summæ nõ exactæ, ad quę pertineret solutio dicti census: vltra quòd nõ constat de mandato, vel ratificatione Daganelli vendendi panẽ ad credentiã, vt dicitur: nec testes quicquã probant quo ad Daganellũ, sed solùm de permissione Antonij tertij socij.

5 Ex quibus videbatur non iustificari læsio saltem ex eodem laudo, præsertim cùm requiratur læsio enormissima, vt in transactione. Corn. *cons.* 166. *num.* 5. *lib.* 1. *& cons.* 27. *sub num.* 11. *lib.* 4. Cagnol. *in l.* 2. *num.* 80. *C. de rescinden. vendit.* Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 26. *tit.* 9. *num.* 29. cum aliis congestis in vna Romana domorum 10. Iunij præteriti coram me, cui transactioni æquiparatur laudum emologatum, gloss. & Doctor. *in l.* 2. *C. comm. vtriusque iud.* Caccialup. *in tract. de transact. quæst.* 3. *sub num.* 8. *&* 9. Paris. *cons.* 46. *num.* 16. *& cons.* 89. *nu.* 10. *lib.* 1. Cagnol. *in d. l.* 2. *num.* 85. Dec. *cons.* 60. *num.* 3. *& seqq.* Honded. *cons.* 61. *num.* 12. *lib.* 1. Et fuit latè firmatum in vna Romana executionis laudi 26. Iunij 1613. & in eadem causa 2. Maij 1614. coram me, & læsio esset consideranda, habita ratione ad omnia alia capitula ipsius laudi, & inspecto dubio litis euentu. Bart. per illum text. *in l. Lucius, §. fin. num.* 3. *ff. ad Trebell. & in l. si quis cum aliter, num.* 5. *ff. de verb. oblig.* Seraph. *decis.* 638. *& decis.* 865. *num.* 1. cum aliis adductis in dicta Romana domorum coram me, & fuit firmatum in hac causa 7. Nouembr. 1614. ad quem effectum erat opus dicere, quòd Scæuola multo plus vltra dimidiam habiturus fuisset, si ante laudum emologatum vsque ad sententiam diffinitiuam litigasset. Aym. post relatos, *cons.* 151. *num.* 27. & alia etiam consideranda essent, de quibus Abb. *cons.* 64. *num.* 3. *part.* 1. quæ cùm non fuerint probata, nec articulata, Domini concluserunt ex supradictis, non constare de læsione.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Collen. hæreditatis. Veneris 5. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Est magistralis & singularis decisio, exactè docens quando, & ex quibus domicilium, & incolatus contrahatur in aliquo loco.

SVMMARIVM.

Domicilij proprij mutatio non præsumitur, n. 2.

Fides communitatis fidem non facit, ibid.

Fides communitatis sine subscriptione, & sigillo nihil probat, n. 3.

Domicilij præcipuum signum est retentio domus in loco, ibid.

Domicilium continuandi in loco originis animus dignoscitur ex aditione hæreditatis in eodem originis loco, ibid. in fin.

Domicilium contrahendi animus habitatione decennali præsumitur, num. 5. & 6. Vbi declaratur, dummodo fuerit continua, aliàs secus.

Domicilium contrahendi animus quomodo probetur per testes, num. 7.

Domicilium contrahendi animus nunquid probetur ex eo quòd quis in vno loco vxorem ducit, ibid.

Domicilium non dicitur contrahere in Curia Aduocatus qui curiam sequitur, n. 8.

DECISIO CCCCLXXIII.

FVit in hac causa primo loco sub die 26. Februarij 1616. resolutum constare quòd Marietta

eſſet neptis ex fratre Marij defuncti, de cuius ſucceſſione agitur. Poſtea verò 10. Iunij eiuſdem anni, quòd non eſſet ab huiuſmodi ſucceſſione excluſa per Petrum Franciſcum eius fratrem, nec ex ſtatuto originis ciuitatis Collen. nec Vrbis, vbi ſita ſunt bona, de quibus fit controuerſia. Quam ſecundam reſolutionem Domini præcedente etiam alia propoſitione ſub die 20. Februarij præteriti, hodie in omnibus confirmarunt. Et quo ad primam partem, quòd non eſſet excluſa per dicta ſtatuta, placuerunt rationes, & authoritates in deciſione adductæ.

2 Quo verò ad ſecundam partem prætenſi incolatus Petri Franciſci in Vrbe, ſuper qua tantùm partes videntur ſe hodie reſtrinxiſſe, cùm regulariter non præſumatur mutatio proprij domicilij, ex allegatis per Menoch. *præſumpt.42.num.12.lib.6.* Dominis vltra deducta in eadem deciſione, viſum fuit dictum incolatum non fuiſſe probatum: ad hoc enim vltra duos teſtes nulliter examinatos, & propterea non attendendos, adducuntur ſolùm depoſitiones aliorum duorum teſtium, & atteſtatio in ſcriptis ciuitatis Collen.

3 Atteſtatio autem, omiſſo quòd tanquam in forma ſimplicis fidei extraiudicialis nec de iure, nec de ſtylo Rotæ eſt attendendum, præſertim cùm nullam habeat ſubſcriptionem, nec ſigillum, nec etiam fuerit recognita, licèt dicatur facta ſub nomine Prioris, & Vexilliferi. Nihil concludit de venditione ſtabilium, ex quo nulla in ea ſpecificantur, & tamen plura ſunt relata per primum teſtem eiuſdem Petri Franciſci, iuxta 10. Quin potiùs in ea dicitur illi remanſiſſe domum in dicta ciuitate communem cum aliis Fratribus, quàm dictus teſtis vbi ſuprà dicit eſſe *aſſai buona, & di valuta di mille fiorini in circa.* Domus autem retentio eſt præcipuum ſignum retentionis domicilij, gloſſ. *in l.2. in verb. conſtituerint, C. de incol. lib.*10. & poſt alios Menoch. *conſ.329. num.36. verſ. & eſt tertia coniectura.* Et comprobatur, quia (vt conſideratum fuit in alia deciſione) idem Petrus Franciſcus, & Fratres de anno 1603. (& ſic per quinquennium poſt eius diſceſſum è dicta ciuitate, iuxta dictam atteſtationem) adierunt hæreditatem Marij, & illius inuentarium confecerunt, citatis etiam fœminis, & obtinuerunt illas declarari excluſas vigore ſtatuti. Ex quibus clariſſimè conſtat de animo Petri Franciſci non deſerendi dictum domicilium originis, non autem perpetuò in vrbe permanendi, & nunquam recedendi, qualis ad contrahendum incolatum requiritur, *l. ciues*, & ibi gloſſ. & Bart. *C. de incol. lib.*10. gloſſ. *in l.1. in verb. incolam, C. de municip. eodem lib.* Gabr. *conſ.189. num.20. & pluribus ſeqq. lib.1.* cum aliis in Tudertin. ſeu Roman. nullitatis obligationis 4. Iulij 1614. coram me.

4 Et quatenus huiuſmodi atteſtatio concluderet diſceſſum Petri Franciſci ex dicta ciuitate decennio & vltrà elapſo, & venditionem bonorum, & non ſolutionem grauaminum ſolui ſolitorum per habitatores, quæ videri potuerunt per officiales, & alios dictæ ciuitatis; non tamen poteſt concludere fuiſſe contractum domicilium in Vrbe, vel alio loco, quod ab iis videri non potuit, vt de ſe patet.

5 Nihil etiam faciunt prædicti teſtes, ex quibus prætenditur probari habitationem Petri Franciſci in Vrbe, & quòd non ſolùm verbis, ſed etiam factis declarauerit eius animum contrahendi in ea domicilium, & incolatum. Nam habitatio non probatur ſaltem decennalis, prout requiritur, gl. *in dicta l.2. in verb. Conſtituerint, in fin. C. de incol. lib.*10. Odofr. *in l. ciues, in fin. verſ. ſimplex ergo, C. eodem.* Menoch. *dicto conſ.329. num.34.* & alij per eundem, *de arbitr. lib.2. centur.1. caſ.86. num.15.* & fuit dictum in deciſione facta ad fauorem Portiæ 25. Maij 1611. coram Reuerendiſſimo Attrebaten. Nullus enim ex eis recordatur de tempore quo Petrus Franciſcus cœpit in Vrbe habitare, vt dicunt primus ſuper primo, ſecundo, & quarto, & iuxta 12. & ſecundus iuxta 12. & ſuper primo, vltrr quod primus ſuper primo, deponit tantùm de auditu per publica voce, & fama tra li paeſani. Et ſuper primo, & ſecundo, & iuxta 12. dicit ſe veniſſe ad Vrbem de menſe Nouembr. 1594. & Petrum Franciſcum poſt ipſum; & nihilominus Marius obiit dell' 1602. vt eſt in confeſſo apud partes, & ſic nõ poteſt dictam decennalem habitationem concludere, imò illa excluditur de tempore obitus dicti Marij, de quo deberet eſſe completa, ad hoc, vt Mariettæ auferri potuiſſet ius ſucceſſionis iam acquiſitum ad ea quę dicta fuerunt in alia deciſione, *ſub verſ. non obſtat prætenſus incolatus, in fin.*

6 Sed quatenus etiam habitatio per decennium probata eſſet, non tamen ſufficeret, cùm non probetur continua, prout deberet, iuxta gloſſ. *in d.l.2. verb. commeat. C. de incol. lib.*10. Cyn. *in l.2. verſic. quod verum credo, & in fin. verſ. tamen iſta aſſidua conuerſatio, C. vbi ſenat. vel clariſſim.* Angel. *in l. lex Cornelia, num.7. verſ. & attende, ff. de iniur. & conſ.27. num.2. verſ. item non ex capite,* Roland. *conſ.97. num.52. verſ. dummodo tamen, lib.3.* Flamin. Rub. *conſ.6. n.36.*

7 Minus ex dictis teſtibus probatur animus contrahendi dictum domicilium, & incolatum. Non ex verbis, quia ſecundus iuxta 16. & 17. expreſsè deponit Petrum Franciſcum ſibi nunquam dixiſſe, *di hauer animo di fermarſi in Roma, ne mi hà parlato mai di tal coſa.* Et ſolùm primus iuxta eadem dicit; *Ha monſtrato ſempre di ſtar molto volentieri in Roma, & mi ha detto di voler ſtar ſempre à Roma*; ſed ſubdit quòd nõ recordatur præcisè de temporibus, de quibus hæc dixit, & ſic non percutit tempus ante obitum Marij, prout deberet ex ſupradictis. Non etiam ex factis, quia dicti teſtes non deponunt, niſi quòd duxit vxorem in Vrbe, quæ coniectura (quidquid ſit in muliere, quæ etiam in ciuitate ſui viri fit ciuis ſolùm quo ad domicilium habitationis, vt poſt allegatos Honded. *conſ.6. num.4. vol.2.*) in viro non concludit, vel ſaltem eſt ſatis obſcura, & controuerſa, & quòd non inducat ciuilitatem, nec incolatum in loco vxoris tenent Abb. *conſ.100. propè fin. verſ. nec etiam obſtat. part.2.* & Iaſon. *conſ.77. col. fin. propè fin. verſ. nam capere vxorem, vol.3.* Pręſertim non concurrunt, & præcipuè tranſlatione bonorum Petri Franciſci ex patria ad Vrbem, & emptione aliorum bonorum in Vrbe, quas potiſſimum in propoſito conſiderant præcitati DD. & alij per Menoch. *præſumpt.42. num.14. lib.6.* & per Rotam in Romana officij Scriptoriæ 21. Iunij 1591. coram Reuerendiſſimo Peruſino.

8 Dicit etiam primus, iuxta decimumtertium, & decimumquartum, (vt conſideratum pariter fuit in alia deciſione,) *credo che veniſſe à Roma come fanno gl' altri à tentar ſua fortuna, &c. & ſi meſſe à far il Procuratore de poueri carcerati.* Ex hoc tamen ſolum quòd Curiam ſequutus fuerit non videtur poſſe dici incola Vrbis, vt de Aduocato ſequente Curiam Maceraten. dixit Pariſ. *conſ.53. num.83. lib.3.* à quo non

non videtur dissentire Rota in dicta Romana officij Scriptoriæ.

Et ideo ex his DD. steterunt in resolutis.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Leodien. census. Veneris 5. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Depositum verbale non suffragatur; nec debitor potest esse depositarius rei debitæ, nisi de mandato iudicis.

SVMMARIVM.

Depositum debe. esse reale, & non verbale, & tale quod per ipsum abdicetur dominium à deponente; & quòd creditor ad sui libitum possit pecunias depositatas accipere, num. 2.

Debitor potest esse depositarius rei debitæ de mandato iudicis, aliter secus, n. 4.

DECISIO CCCCLXXIV.

1 IOannes de Berto habita ab Emanuele, & Melchiore cessione iurium sibi competentium super dominiis de Hermale, & Elini, constituit se illorum debitorem in annuo redditu florenorum 200. super dictis dominiis; & quia D. Melchior & Emanuel habebant pignoratum in manibus Matthæi quoddam ipsorum dominium pro florenis 3570. ideo eodem die celebrarunt aliud instrumentum in quo Ioannes promisit dare pecunias pro luitione dicti dominij in diminutionem prædicti annui redditus quoties fuerit à Melchiore requisitus. Ioannes prætendens se depositasse pecunias ad effectum reluendi dictum dominium, & consequenter diminuisse annuum redditum, recusabat illum integrè soluere. Vnde super hoc orta controuersia, emanarunt duæ sententiæ contrariæ, à quarum vltima ad fauorem Melchioris lata, cùm fuisset appellatum, fuit per signaturam causa mihi commissa cum clausula sine retardatione solutionis quo ad medietatem arbitrio Rotæ. Vnde proposui dubium, an intraret arbitriũ? Et Domini non intrare responderunt, cùm illud reguletur à iure, & de iure Melchior & Emanuel veniant manutenendi in exactione dicti annui redditus, ex quo de eorum quasi possessione de tempore motæ litis constat, ex positionibus Ioannis, & quitantiis quæ dantur.

2 Nec prædictis obstare videtur depositum factum à Ioanne, cùm non sit reale, sed verbale, & sine pecuniæ interuentu. Nam ipsemet Ioannes confitetur se habere 4000. vel 5000. flor. ad effectum luendi dominium, offerens illos distribuere secundùm ordinationem feudalem aulæ, & eo respectu se constituit depositarium & capsorem, vnde non suffragatur cùm depositum debeat esse reale, & tale quòd per ipsum abdicetur dominium à deponente, & quòd creditor ad sui libitum posset pecunias depositatas accipere. Bart. *in l. si solutorum, num. 5. ff. de solut.* Castrens. *in l. acceptum, num. 12.* & ibi Bald. *num. 24. in fine. C. de vsur.* Alex. *cons. 78. num. 29. & 30. lib. 5.* Negusant. *5. part. principali. 3. memb. in 2. illius parte, n. 10.* Gabr. *cons. 57. n. 6. lib. 1.*

3 Vltra quòd Ioannes non poterat deuenire ad dictum depositum, cùm ex pacto expresso teneretur redimere dictum dominium, quando Melchior ad hoc illum requireret, de qua requisitione nullatenus constat.

4 Nec facit quòd debitor possit esse depositarius rei debitæ, sunt decis. Seraphin. 394. *num. 3.* quia id intelligitur de mandato iudicis, vt ibi dicitur, de quo non constat in casu nostro.

5 Minus obstat quòd Melchior fuerit vsus dicto deposito, allegando contra possessorem dominij reluendi, quòd pecunia erat in promptu, & depositata penes Ioannem, quia quidquid sit de hoc, cùm dominium non fuerit redemptum, & dictum depositum non esset sufficiens, non videntur Melchior & Emanuel ex eo solo quòd allegarunt dictum depositum priuandi eorum quasi possessione exigendi annuum redditum, quem voluerunt diminui in casu tantùm, quo Ioannes relueret dictum dominium cum effectu, quod non fuit factum, vt suprà dictum est, &c.

REVERENDISSIMO P.D. PIROVANO.

Esina fideicommissi. 7. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Valor bonorum ad effectum detractionis legitimæ probatur per æstimationem & per alienationem factam.

SVMMARIVM.

Legitima quando venit detrahenda, attenditur valor bonorum de tempore petitionis, seu detractionis, quia debetur in corporibus, n. 1.

Æstimatio de communi partium consensu facta, est modus receptissimus probandi verum valorem bonorum, num. 2.

Alienatio in tantam summam facit probationem indubitatam valoris rei alienatæ, quia pretium conuentum in dubio præsumitur verum, num. 3. donec de contrario appareat, n. 4.

Testis à parte inductus non magis probat pro inducente quàm contra, nu. 5.

DECISIO CCCCLXXV.

FIrmata quantitate bonorum in hæreditate, de qua agitur, consistentium, supererat videre de valore illorum, ad effectum ponendi rationem in detrahenda legitima & Trebellianica, ideo dubitaui ad quem valorem ascendat hæreditas Antonij Francisci, & Florio tantummodo informante, fuit resolutum ascendere ad florenos 13157.

1 Præsuppositum enim fuit, quòd in detrahenda legitima valor bonorum attendi debeat de tempore petitionis, seu detractionis, cùm debeatur in corporibus, & ita bona augeantur ad beneficium filij, sicut ad beneficium hæredis crescunt. Cæs. de Grass. *decis. 6. & 10. de testam.* quam sequuti sunt Domini in Maceraten. bonorum 11. Aprilis 1603. coram bon. mem. Iusto, & in ciuitatis Castelli fideicommissi 11. Decembris 1615. coram R.P.D. Pamphilio.

2 De tempore autem detractionis petitæ constabat bona hæreditaria pro parte non esse alienata, &

pro parte alienata. Non alienata probantur ascendere ad florenos 5700. ex laudo dato & acceptato, in qua enunciatur æstimatio in eam summam de communi partium consensu per æstimatores facta, qui modus probandi valorem receptissimus est, & validus. Alex. *in l. pretia rerum, num. 6. ad l. falcidiam.* Cagn. *in l. 2. num.* 258. *C. de rescind. vendit.* Lup. *in l. 2. comment. 2. §. 5. num.* 142. *C. de pact. inter emptor. & vendit.*

3 Alienata verò probantur esse valoris florenorum 7457. per instrumenta publica alienationum, quæ de per se respectu probationis facti, quòd scilicet in eam summam sequuta fuerint alienationes, faciunt probationem indubitatam secundùm Bald. *in l. interest, num. 2. C. de solut.* Surd. post alios *decis.* 246. *num.* 19.

4 Et quo ad veritatem iustitiæ pretij donec de contrario non appareat, interim probant cùm pretium conuentum præsumatur in dubio verum. Bald. *in l. per diuersas, num.* 13. *in fine. C. mandati.* Roland. *cons.* 92. *num.* 17. *lib.* 2. Honded. *cons.* 31. *num.* 52. *lib.* 1.

5 Quo verò ad animalia & mobilia nihil fuit determinatum, quia probatio valoris deducebatur ex vnico teste ab aduersa parte inducto, qui non magis probat pro inducente, quàm contrà, secundùm opinionem quam seruat Rota.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Firmana prædij. Mercurij 10. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Fundus datus in solutum marito pro dote promissa in pecunia, quando alienabilis sit.

SVMMARIVM.

Dotalis fundus datus in solutum pro pecunia promissa alienari potest, n. 2. Amplia vt n. 3.

Fundi dotalis dominium censetur translatum in maritum, & propterea efficitur alienabile quando adest pactum quòd vxor in casu restitutionis dotis possit vsque ad integram solutionem tot de viri bonis accipere, n. 3. Vbi etiam multo magis, quando marito fuit data expressa licentia alienandi dictum fundum.

Fundus dotalis nunquid alienari possit quando expressè fuit dictum quòd dictus fundus stare debeat pro fundo dotali, n. 4.

Dotalia nuncupantur omnia ea, quæ in dotem data fuerant. Declara, vt ibid. in fine.

Mulieris contractus factus in alienando dotalem fundum, vel etiam consentiendo alienationi factæ per maritum, nunquid requirat solemnitates constitutionis Marchiæ requisitas in contractibus mulierum. num. 5.

DECISIO CCCCLXXVI.

1 De anno 1583. fuit inter Octauiam de Scipionibus, & Felicem de Felicibus matrimonium contractum cum promissione dotis florenorum mille & sexcentorum, quorum quingenta soluere promisit Bernardinus Octauiæ pater: ad residuum autē se Quintus, & Manilius Octauiæ fratres obligarunt, qui propterea Felici prædium in solutum dederunt, cum pacto supplendi, vel restituendi quidquid facta illius estimatione ad integram dotis solutionem deficere, vel superesse contigisset, quod prædium fuit conuentum, vt esset pro fundo dotali. Postea Felix vnà cum Octauia prædium huiusmodi Manilio vendidit, & sic successiuè in quosdam de Piccarellis illud alienauit, contra quos Octauia cùm insurrexisset, prætendens nullam fuisse primam venditionem, velut de fundo dotali inalienabili factam. Causa coram me introducta, dubitaui super iuribus dictæ venditionis, quam Domini fuisse validam responderunt.

2 Nam prædium Felici datum fuit in solutum pro florenis mille centum & sexaginta quatuor pro vxoris dote, in pecunia promissa, quo casu potuit illud alienari, cùm maritus proprietarius & prædij dominus existeret. *l. quoties, & l. cùm in dotem, C. de iure dot.* Honded. *cons.* 41. *num.* 4. *& seq. lib.* 1. Surd. *decis.* 99. *num.* 9. Couarr. *practic. quæstionum cap.* 28. *num.* 1. Corn. *cons.* 15. *nu.* 5. *lib.* 2. Roland. *cons.* 86. *num.* 7. *lib.* 4. Afflict. *decis.* 270. *nu.* 2. Seraph. *decis.* 1332. *n.* 1.

3 Tanto magis, quia pro dotis restitutione nulla de hoc prædio facta fuit mentio, sed expressè partes conuenerunt, vt mulier vsque ad integram dotis solutionem tot posset de viri bonis accipere. Vnde clarè patet in maritum fuisse dominium prædij translatum, quod propterea fuit alienabile. Honded. *cons.* 41. *lib.* 1. Natta *cons.* 650. *num.* 4. *& 11. vers. quos quidem.* Couarr. *practic. quæst. dicto cap.* 28. *num.* 4. *in fine.* Rub. Alexand. *cons.* 5. *num.* 5. *& seq.* Tob. Non. *cons.* 52. *per tot.* Roland. *cons.* 92. *num.* 15. *lib.* 2. & fuit dictum in ciuitatis Castelli dotis 18. Aprilis 1614. coram R. P. D. meo Remboldo. Additur facultas marito data prædium cum licentia patris, & mulieris fratrum alienandi, quo casu non censetur illud pro fundo dotali traditum. Bero. *cons.* 63. *num.* 11. *lib.* 3. Tob. Non. *cons.* 52. *num.* 4. Paris. *cons.* 71. *num.* 3. *lib.* 2.

4 Non obstat in eiusdem prædij consignatione fuisse expressum, illud stare debere pro fundo dotali, & sic vti tale esse iudicandum. Nam stantibus prædictis, verba *pro fundo dotali*, &c. præ hypotheca, & dotis assecuratione, veniunt interpretanda. Honded. *dicto cons.* 41. *num.* 18. *lib.* 1. Cephal. *cons.* 351. *nu.* 37. *& seq. lib.* 3. & fuit dictum in Interamnen. fundi dotalis 20. Februarij 1589. coram Cardinale Plato, & in Romana domus 12. Decembris 1615. coram Reuerendissimo D. meo Decano. Licèt enim regulariter iuxta communem loquendi vsum omnia in dotem data nuncupentur dotalia, non tamen pro fundo dotali semper illa stare dicuntur. Hond. *dicto cons.* 41. *num.* 18. *lib.* 1. Cephal. *cons.* 351. *num.* 33. *& seq. lib.* 3.

5 Nec releuat, adhibitas non fuisse solemnitates in contractibus mulierum iuxta Marchiæ constitutionem requisitas, quia non erant illæ necessariæ, & licèt in venditione mulieris consensus interuenerit, eo tamen opus non erat, cùm venditio de re propria facta fuerit à marito, qui propterea venditor principalis dicebatur. Salicet. *in authent. si qua mulier, num.* 9. *C. ad Velleian.* Aret. *in §. item, num.* 18. *Instit. de except.* Honded. *cons.* 45. *num.* 20. *lib.* 1.

R.P.D.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana legati. Mercurij 10. *Maij* 1617.

ARGVMENTVM.

Mendicantium monasteria, an, & quomodo, & ad quem effectum possint retinere, & acquirere bona stabilia, & quid præcipuè de Iesuitarum professa Societate.

SVMMARIVM.

Societas Iesuitarum emittit votum paupertatis, & ideò inter mendicantium ordines connumeratur, n. 1.

Societas Iesuitarum licèt inter mendicantes connumeretur, potest tamen capere legatum etiam stabilium, non ad possidendum, sed ad vendendum, num. 2. *& per tot.*

Religiosi mendicantes monachi aliqui sunt ex regula, & aliqui ex propriis constitutionibus mendicantes. Ex regula non sunt capaces legati stabilium, nec ad retinendum, nec ad vendendum: mendicantes autem ex constitutionibus, sunt capaces legati ad vendendum, licèt non ad retinendum, n. 4.

Iesuitarum Societas inter mendicantes connumeratur non ex regulis aliorum mendicantium, sed ex propria eorum fundatione, & ex constitutione fundatoris, ibid.

Habere *verbum, siue ad dominium, siue ad possessionem referatur, semper intelligitur cum effectu, & in perpetuum, n.* 5.

Habuisse non dicitur qui statim restituit, ibid.

Paria sunt, rem alicui datam non esse, & non remanere aliquo tempore penes eum cui datur, ibid.

Retinere *verbum, præsupponit necessariò antecedentem acquisitionem, n.* 6.

Constitutiones, & statuta confirmata à Papa dicuntur Papalia, ibid. in fine.

Priuatio præsupponit habitum, n. 7.

Alienatio rei dicitur necessaria, si facta est ab eo, qui alienatam rem retinere non potest, ibid.

Leges, & constitutiones interpretationem recipiunt ab earum declarationibus, n. 8.

Mendicantium monasteria an, & quomodo vigore Concilij Tridentini possint immobilia possidere, numer. 10.

Legata interpretanda sunt eo modo, & ad illum effectum, quo legatarius capere potest, n. 11.

DECISIO CCCCLXXVII.

Resolutum fuit per Dominos legatum census scutorum 2000. in sorte à q. Clarice factum, deberi domui professæ Ven. Societatis IESV legatariæ, non ad effectum retinendi (quod nec ipsa prætendit,) sed consequendi ex eius venditione æstimationem in eius necessitates & pios vsus conuertendam.

Quamuis enim sit mendicans, & votum paupertatis emittat, Gabr. *conf.* 28. *vol.* 1. Mandos. *de privileg. ad instar. quæst.* 10. *gloss.* 11. *num.* 18. *in fin.* Molin. *de iustit. & iur. tract.* 2. *disputat.* 139. *colum.* 2. *versic. tam professi.* Menoch. *conf.* 1014. *num.* 42. Azor. *Instit. moral. part.* 1. *cap.* 23. *quæst.* 11. Gratian. *discept. forens. cap.* 202. *num.* 44. Molfes. *in comment consuetud. Neap. tom.* 2. *part.* 4. *de success. ab intestat. quæst.* 64. & per sanct. mem. Pium V. fuerit talis declarata, & inter alios mendicantium ordines connumerata, immò illis principaliter exequuta in eius Bulla 7. Iulij 1571. de qua meminit Menoch. *dicto consil.* 1014. *num.* 14. & 15. & quæ fuit confirmata per litteras aliorum Summorum Pontificum, de quibus infrà, & in specie quoad mendicitatem per fel. record. Gregorium XIII. in eius litteris de vsu facultatum sub die 3. Maij 1575. & in aliis de facultate alienandi 18. Decembris 1576. Adeò vt etiam ex propriis constitutionibus non possit aliqua bona stabilia, vel redditus priuatim, vel in communi habere.

Tamen potest capere legatum etiam stabilium, non ad possidendum, sed ad vendendum, quia istud non infringit mendicitatem, nec votum paupertatis, ad gloss. vulgar. *in cap.* 1. *in verbo domum, de relig. domib. in* 6. quam sequuntur communiter scribentes *in l. Iulianus, §. constat, de legat.* 2. *& in cap. filius, de testament.* & eam esse communiter receptam testantur Gabriel *dicto cons.* 28. *num.* 3. Nauarr. *in comment.* 2. *regul. num.* 50. *vers. si autem aliorum,* & Menoch. *præsumpt.* 120. *num.* 5. *lib.* 2. qui etiam pluribus relatis dicit veram; & communem *dicto cons.* 1014. *num.* 14. & vltra allegatos per eum illam quoque tenuerunt plures alij relati per Honded. *cons.* 61. *num.* 2. *lib.* 2. Azor. *dicta quæst.* 11. Gratian. *dicto cons.* 202. *num.* 42. Leonard. Less. *de iustit. & iur. lib.* 2. *cap.* 19. *dubitat.* 5. *num.* 54. *vers.* 8. *fratres minores.* Caball. plures etiam de communi allegans *cons. decisiu.* 16. *num.* 16. *part.* 2. & sequuta est Rota apud Than. *decis.* 10. & Gomes. *decis.* 34. *in manuscript.* Put. *decis.* 279. *lib.* 1. secundùm nouissimam impressionem, vbi dicitur glossam *in dicto cap.* 1. *de relig. domib. in* 6. esse communiter approbatam, & nouissimè in Romana hæreditatis 5. Maij 1593. coram bon. mem. Card. Mantic. Idem Mantica *de tacit. lib.* 25. *tit.* 6. *num.* 58. 2

Immò de consuetudine communiter obseruari testantur, Baldus *cons.* 232. *colum.* 2. *vers. nec obstant verba, & versic. finaliter, lib.* 2. Decius *cons.* 559. *num.* 5. *versic. & consil. supradicto,* Cuman. *cons.* 169. *colum.* 2. *versic. His tamen non obstantibus,* Put. Gomes. & Mantica *in decis. allegatis,* & Gabr. *de legat. conclus.* 1. *n.* 34. 3

Nec obstat distinctio inter mendicantes ex regula, & mendicantes ex propriis constitutionibus, vt primi nullo modo capere possint, secundi verò ad supradictum effectum, de quo per Clar. *in §. testamentum quæst.* 29. Capr. *cons.* 24. *num.* 12. *&* 13. Gabriel *dicta conclus.* 1. *num.* 33. Grass. *dicta quæst.* 7. & Emanuel Roderic. *quæst. canonic. & regul. tom.* 2. *qu.* 125. *artic.* 1. *in princ. fol.* 350. Quia imò hæc distinctio facit pro decisione, cùm prædicta Societas non militet sub aliqua ex regulis aliorum mendicantium, sed sub propria à suo fundatore facta, & per eum latiùs in suis constitutionibus explicata; ex Nauarr. *vbi suprà,* refert Menoch. *dicto consil.* 1014. *sub. num.* 14. ex quibus regula & constitutionibus, per quas demandatur mendicitas, & iuxta quas Societas fuit etiam verè mendicans declarata (per Pium V. vt expresè legitur in dictis eius litteris sub dato 7. Iulij 1571.) In quibus non prohibetur acquisitio annuorum redditUum & stabilium, sed tantùm possessio, & retentio in communi, & 4

in particulari, vt legitur in formula inſtituti dictæ Societatis Sanctæ Sedi Apoſtolicæ ſub Iulio III. oblata, & in eius conſtitutionibus *parte 6. cap. 2. per totum*, vbi agitur de illius paupertate, & præſertim *num* 5. littera E. vbi idem fundator dictam regulam & formulam declarando ſtatuit quòd quidquid ſtabile illi donatū fuerit, teneantur eo quamprimum ſe exuere, ac vendere, vt pauperibus Societatis, vel externis ſua in penuria ſubueniatur. Quæ declaratio non ſolùm non repugnat verbis regulæ & conſtitutionis annuos redditus, & poſſeſſiones habere prohibentis, ſed eſt etiam ſecundùm propriam, & germanam illorum ſignificationem.

5 Verbum enim *habere*, ſiue ad dominium iuxta eius proprietatem, ſiue ad poſſeſſionem referatur, ſemper intelligitur cum effectu. *l. habere* 188. *& l. nomen* 164. *in fine*, *ff. de verbor. ſignif.* cum latè allegatis per Honded. *conſ.* 69. *n.* 1. *vol.* 1.

Et perpetuò, vt in puncto ita intelligendum eſſe conſtitutiones quæ prohibent habere poſſeſſiones, tradit Calderin. *conſ.* 46. *in fine*, *de teſtament.* & ita etiam dictum verbum *habere*, declaratur *in Clementin. exiui*, *de paradiſo*, *de verbor. ſignific.* vt dicit Corn. *conſ.* 117. *num.* 8. *volum.* 2. & in propoſito ſic quoque explicant DD. ſequentes gloſſ. *in dicto cap.* 1. *de relig. domib. in* 6. ſuprà allegati in principio. Vnde etiam habuiſſe non dicitur, qui ſtatim reſtituit. Marſil. *ſingul.* 177. *num.* 2 Bimius *conſ.* 65. *num.* 11. *volum.* 1. & facit quòd vbi res non remanet aliquo tempore penes eum cui datur, perinde eſt ac ſi data non eſſet. *l. qui ſic*, 55. *ff. de ſolutionibus*, *l. final.* §. *final.* *C. de bon. quæ liber.* cum aliis per Phanuc. *de lucr. dot. gloſſ.* 8. *num.* 66. qui loquitur in terminis legati, quod non eſt penes legatarium permanſurum. Et ita conſtitutio prædicta dicitur tantùm reſiſtere retentioni, non autem acquiſitioni ad dictum effectum, & hoc modo iidem DD. declarant regulas mendicantium quibus prohibentur habere ſtabilia.

6 Et hæc confirmantur ex illis verbis, *Nec ad vlla bona ſtabilia retinenda ius aliquod ciuile acquirere*, &c. poſitis in ſupradicta formula inſtituti Iulio III. oblata, & ab eodem confirmata. Verbum namque *retinere*, præſupponit ex neceſſario antecedenti acquiſitionem. Voluit ergo fundator in regula, vt Societas poſſet annuos redditus, & poſſeſſiones acquirere, ſed teneretur quamprimum data temporis opportunitate illa vendere, vt expreſſit in dicta declaratione. Declarationes autem eandem vim habent, quam ipſamet regula, & conſtitutiones, tum quia ſunt factæ ab eodem fundatore, vt legitur in illarum procemio, & refert Menoch. *dicto conſ.* 1014. *ſub dicto num.* 18. tum quia fuerunt per Sedem Apoſtolicam confirmatæ. Primò videlicet per Paulum III. in ſuis litteris 5. Kalend. Octobris 1540. & pridie Idus Martij 1543. in quibus expreſsè conceditur authoritas huiuſmodi conſtitutiones condendi, & tam factas, quàm faciendas mutandi, alterandi, ſeu in totum caſſandi, & aliàs de nouo condendi, quæ poſtquam factæ, alteratæ, & mutatæ fuerint, de nouo confirmantur. Deinde per Iulium III. 12. Kalen. Auguſti 1550. & 22. Octobris 1552. Gregorium XIII. Kalen. Februarij 1582. & Kalend. Iulij 1584. Gregorium XIV. 4. Kalend. Iunij 1591. & per S.D.N. Paulum V. pridie Nonar. Septembris 1606. per quorum litteras confirmantur inſtitutum, conſtitutiones, ac ſtatuta, & decreta facta, & facienda, itaut propterea dubitari non poſſit de validitate dictarum conſtitutionum, debeantque cenſeri Papales, Rota *deciſ.* 452. *ſub num.* 1. *part.* 1. *diuerſor.* Card. Seraph. *deciſ.* 1170. *num.* 3. in Balneoregien. bonorum 30. Octobris 1589. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in Romana ſeparationis thori 2. Decembris 1605. & 16. Ianuarij 1606. coram Reu. Lugdunen. & in aliis pluribus.

Tertiò dum Gregorius XIII. 12. Decembris 7
1576. & Nonis Auguſti 1582. per eius litteras à ſupradictis ſucceſſoribus confirmatas, conceſſit Præpoſito Generali dictæ Societatis facultatem alienandi ſub certis modo, & forma, quæcumque bona ſtabilia eiuſdem Societatis domorum profeſſarum, & Collegiorum. Ex hoc enim videtur in neceſſarium antecedens acquiſitio ad effectum prædictum permiſſa, cùm priuatio præſupponat habitum, vt conſiderat in propoſito Menoch. *vbi ſuprà num.* 19. *in fine*, aliàs inepta & fruſtratoria fuiſſet relata dictarum litterarum diſpoſitio, quod nullo modo dicendum eſt. Et licèt dictæ ſolemnitates requiſitæ non eſſent in alienatione bonorum Societatis, & domorum profeſſarum, quia cùm retinere non poſſint, alienatio dicitur neceſſaria, vt in terminis tradunt Bald. *in authentic. ſi qua mulier*, *num.* 15. *verſic. ſed ſi ponamus*, *& in authentic. hoc ius porrectum*, *num.* 24. *in fine. verſic. adde poſt omnia*, *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Marſil. *ſingul.* 132. Corn. *dicto conſil.* 117. *num.* 13. *vol.* 2. Rimin. iun. alios referens de communi, *conſ.* 341. *num.* 13. *lib.* 3. Redoan. *de reb. Eccleſ. non alienand. in rubric. de caſibus in quibus fit alienat. rer. Eccleſ. ſine ſolemnit.* §. *item bona fratrum*, *fol. mihi* 243. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 4. *titul.* 7. *num.* 57. tamen ad tollendam omnem ambiguitatem, & venditionem facilitandam dictus Summus Pontifex Gregorius XIII. id voluit expreſsè & pleniùs declarare, vt legitur in eius litteris ſupradictis.

Ex quibus etiam patet nullam vim fieri poſſe in 8
prima formula inſtituti Societatis Paulo III. oblata, & per eum confirmata, in quo videbatur prohibita acquiſitio ſtabilium, quia illa erat obſcura & indiſtincta, vnde poſtea per eundem fundatorem exactiùs, & diſtinctiùs fuit explicata, & declarata, ac Iulio III. oblata, & per eum confirmata, prout etiam ab eodem fundatore in conſtitutionibus, & declarationibus ſupradictis, quæ ſolùm attendendæ videntur, ad text. *in l. ſi de interpretatione*, *ff. de legib.* & expreſsè legitur in procemio Bullæ eiuſdem Iulij III. ex quo cauſa finalis deſumitur, & in dicta formula inſtituti, in quibus additum fuit verbum *retinenda*, ita vt non videtur prohibita acquiſitio, ſed tantùm retentio, vt dictum eſt ſuprà.

Et ideo in ſpecie hanc Societatem & domum 9
eſſe capacem acquiſitionis ſtabilium, ad effectum illa vendendi, & ex eorum pretio propriis neceſſitatibus prouidendi, vt ſuprà dictum eſt, tenuerunt Nauarr. Menoch. Gratian. *in locis ſuprà citatis*, & Rota in dicta Romana hæreditatis coram Cardinali Mantica in fine, & nouiſſimè Iulius Nigronus *in comment. regularum communium dictæ ſocietatis*, *in explicat, tituli partic.* 3. *ſub num.* 7. *pag. mihi* 76. & ſentit Gabr. *dicto conſ.* 28. *in princ. & num.* 6. *&* 12. & Mandoſ. *de priuileg. ad inſtar.* §. 11. *num.* 12. Et hanc opinionem approbauit etiam obſeruantia ſubſequuta, cùm dicta domus fuerit hactenus abſque controuerſia hoc modo admiſſa ad hæreditates, & relicta ſtabilium, vt in domo profeſſa Mediolani teſtatur

ſtatur Menoch. *dicto conſ.* 1014. *num.* 21. & in domo profeſſa Vrbis, de qua agitur, plura recenſeri poſſent exempla, & præſertim hæreditatis q. Ioannis Baptiſtæ Macharani, cuius partem in qua fuerat inſtituta lis, acta in Rota coram bon. mem. Litta, conſequuta fuit: iſtius autem obſeruantiæ vis eſt notiſſima, & de ea latè Menoch. *ibid. n.* 20.

10 Non obſtat renunciatio facta per dictam ſocietatem diſpoſitioni ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de regular.* per quam conceditur monaſteriis etiam mendicantium licere immobilia poſſidere, de qua per Molin. & Molfeſ. *vbi ſuprà.* Quia intelligitur quoad hoc vt poſſit habere, & perpetuò poſſidere ſtabilia, non autem vt capiat ad vendendum, vt benè declarat Menoch. *dicto conſ.* 1014. *nu.* 28. Quod comprobatur ex conceſſionibus alienandi ſibi factis poſt dictum Concilium & confirmatis, vt ſuprà, quæ fruſtratoriæ fuiſſent, ſi prohibita diceretur acquiſitio, vt fuit pariter ſuprà conſideratum.

11 Nec facit quòd legatum fuerit factum ſimpliciter, non ad dictum effectum vendendi, quia eſt interpretandum eo modo, quo ſocietati licitum eſt capere, ſicque ad dictum effectum vendendi, vt ſuprà gloſſ. *in dicta Clementina, exiui de paradiſo, de verbor. ſignif. in verbo proinde, colum.* 5. *verſic. ſi autem modus non fuit adiectus,* & ibi Card. *num.* 11. *verſic. ſi autem modus,* & Anchar. *num.* 13. *verſic. quandoque fratribus relinquitur.* Bart. *in authent. excipitur, num.* 2. *verſic. puto autem. C. de bonis quæ liber.* Abb. *conſ.* 64. *num.* 8. *part.* 2. Et ita etiam in ſimili relicto declarauit ſacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinaliũ ſacri Concilij Tridentini interpretum ſuper *dicta ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de regular.* & ſine dubio attentis verbis teſtatricis, quæ reliquit cenſum de quo agitur, non ſolùm amore Dei, ſed etiam cum clauſula, *omni meliori modo,* quæ facit actum valere eo modo quo poteſt, ex vulgaribus.

Quia tamen plures detractiones prætendebantur, reſeruatum fuit videre, an obſtent, & dictum quòd interim firmetur ſtatus hæreditatis.

Et ita deciſum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Fauentina Canonicatus. Mercurij 10. *Maij* 1617.

ARGVMENTVM.

De iuſtificatione gratiæ Apoſtolicę ſuper beneficio patronato.

SVMMARIVM.

Litteræ patentes Ordinarij probant ordinem, & originem eius qui illas habet, n. 1.

Litteræ Apoſtolicæ prouiſionis defuncti probant quòd ille haberet beneficium, & obitus illius probatur per teſtes de auditu & publica voce, & fama, n. 2.

Iuſpatronatus probatur ex illius fundatione cum confirmatione Apoſtolica, n. 3.

Ordinarij ſententia pro exiſtentia iuriſpatronatus multum probat, quia Ordinarij non ſolent admittere iuſpatronatus ſine admodum claris probationibus, ibid.

Beneficij valor non præſumitur mutatus ſpatio paucorum annorum, n. 4.

DECISIO CCCCLXXVIII.

PRo informante fuit reſolutum, nempe gratiam Brunori eſſe iuſtificatam. Quòd enim ipſe ſit ſacerdos, & oriundus ex oppido Brixighellæ, probatur ex litteris patentibus Ordinarij. Feli. *in cap. poſt ceſſionem, num.* 3. *&* 15. *de probationibus.* Rot. *deciſ.* 1. *eod. tit. in nouis.* Grammat. *deciſ.* 81. *num.* 1. & ex teſtibus deponentibus de certa ſcientia, & de publica voce & fama, Ægid. *deciſ.* 114. Rota *deciſ.* 14. *de probationibus, in antiquis.* 1

Quòd autem Marcellus fuerit prouiſus de iſto Canonicatu probatur ex litteris eius prouiſionis & quòd obierit de menſe Iunij, ſeu Iulij præteriti, ex teſtibus de auditu, & publica voce & fama, qui ſufficiunt, Mohed. *deciſ.* 1. *de probat.* Put. *deciſ.* 266. *lib.* 3. Cæſ. de Graſſ. *deciſ.* 14. *num.* 2. *de præbend.* 2

Iuſpatronatus verò probatur ex illius fundatione cum confirmatione Apoſtolica, necnon ex ſententia Vicarij Fauentini lata citato Procuratore fiſcali ad fauorem patronorum, cui multum tribuendum eſt, cùm Ordinarij nõ ſoleant admittere iuſpatronatus, niſi illius probationes claræ afferãtur. Rot. *deciſ.* 11. *de iurepatronatus in nouis.* Put. *deciſ.* 172. *lib.* 1. *& deciſ.* 243. *lib.* 2. Seraph. *deciſ.* 1141. *num.* 8. Et quòd illud ſpectet ad agnatos, ex deciſione in hac cauſa facta 27. Maij 1616. coram me, & quòd illi præſentauerint Brunorem, patet ex inſtrumento præſentationis illius. 3

Tandem valor Canonicatus non excedens ducatos 24. de Camera, probatur ex primæua illius erectione facta de anno 1611. in qua fuit aſſignata dos ſcutorum 30. monetæ pro præbenda, qui valor ſpatio paucorum annorum non præſumitur mutatus. 4

Et ita concluſum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana conſignationis ſchedulæ. Mercurij 10. *Maij* 1617.

ARGVMENTVM.

Argumentum habes in ſummario.

SVMMARIVM.

Fideicommiſſoria bona quando fideicommiſſo per Papam derogatum eſt ad effectum ſatisfaciendi creditores anteriores, ſtatim facta derogatione effecta ſunt creditorum, num. 2. *nec illis præiudicari poteſt à poſterioribus creditoribus, n.* 3.

Priores creditores prius ſatisfaciendi ſunt, quàm poſteriores, num. 4. *in fine.*

DECISIO CCCCLXXIX.

ALphonſus Sabatinus, cùm eſſet ære alieno grauatus, obtinuit à Sanctiſſimo facultatem pro ſolutione debitorum alienandi vſque ad certam ſummam bona fideicommiſſo q. M. Antonij Sabatini ipſius patrui ſubiecta, cum certis tamen pactis, & conditionibus, inter alia, dummodo Ludouici ipſius filij conſenſus accederet. Qui deinde cùm in omnibus iuxta formam Breuis aſſenſum præſtitiſ- 1

set, & successiuè mediante venditione quarundam domorum hæc summa de dicto fideicommisso fuisset extracta, idem Ludouicus & Olympia eius mater postea volebant huiusmodi pecunias consignari creditoribus in venditionis instrumento descriptis, ad quorum fauorem ipsi reperiebantur obligati. Et cùm se anteriores creditores opposuissent, de consensu partium dubium in Rota proposui, an pecuniæ iuxta expressionem factam in instrumento creditoribus essent consignandæ? Et fuit per Dominos negatiuè responsum. Quia partes conueniri non potuerunt in præiudicium creditorum anteriorum, quibus per derogationem Sanctissimi cum assensu per Ludouicum præstito ius fuerat quæsitum.

2 Dicta enim bona pro summa in derogatione cōtenta à fideicommisso distracta, statim ad fauorem creditorum effecta fuerunt libera, quibus propterea debebat iuxta ipsorum ansianitatem satisfieri, ex latè deductis in causa Romana census 18000. 26. Nouembris 1601. & 5. Maij 1603. coram Illustriss. Domino Cardinali Mellino.

3 Non obstat Ludouici consensum fuisse conditionalem, quatenus videlicet pretium, de quo agitur, in primis & ante omnia creditoribus solueretur, ad quorum fauorem ipse, vel Olympia eius mater erant obligati. Nam id procederet, si ante huiusmodi assensum alius iuxta formam Breuis purus & simplex non intercessisset, per quem cum anterioribus creditoribus illicò fuisset ius quæsitum, nullo modo potuit illis ex subsequenti præiudicium inferri. *l.1. & l.licèt. C.qui potior. in pignor. hab.* Federic. de Senis *cons. 45. in fine*, & habetur in allegata decisione Romana census 18000. coram Illustrissimo Domino Cardinali Mellino.

4 Nec releuat primum Ludouici assensum ad Breue Sanctissimi relationem habere. Hoc enim Breue restrictum non apparet ad creditores, pro quibus Ludouicus erat obligatus. Vnde eo ipso quòd iuxta illius formam assensum præstitit, consensisse videtur ad fauorem creditorum anteriorum, cùm Breue secundùm iuris ordinem intelligatur, *cap. causam, quæ. de rescript.* Anchar. *cons. 404. num. 3.* Roman. *cons. 320. num. 4* Et prius de iure creditoribus anterioribus, quàm posterioribus debeat satisfieri, *cap. qui prior. de reg. iuris in 6. l. 2. C. qui pot. in pign. habeant.*

R. P. D. MANZANEDO.

Romana casalis. Veneris 12. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Locator vendens durante locatione rem locatam, tenetur ad interesse, si conductor vult continuare.

SVMMARIVM.

Locator qui vendidit rem locatam durante locatione, & transtulit in emptorem dominium rei, tenetur conductori ad interesse, n. 1. Declara vt n. 2.

Actus positiui probant animum conductoris, quòd nolit continuare locationem, n. 3.

DECISIO CCCCLXXX.

Dubitaui an hæredes Nigroni teneantur ad interesse? Et Domini negatiuè responderunt, licèt enim locator, qui durante locatione per venditionem rei locatæ dominium in emptorem transtulit, teneatur conductori ad interesse, *l. si in lege, §. colonus*, vbi gloss. *l. si fundus, §. nam & si colonus, ff. locati.* 1

Tamen hoc procedit, quando conductor vult continuare in conductione, & impeditur ab ipso locatore, vel emptore. *l. si merces, §. qui fundum*, vbi gloss. *verbo prohibitus, d. §. nam & si, ff. locat. l. nihil, in fin.* iuncta gloss. *de legat.* Paris. *cons. 40. num. 3. lib. 1.* Ruin. *cons. 65. num. 2. lib. 1.* Menoch. *cons. 55. num. 14. lib. 1.* Caputaq. *decis. 180. n. 2. & 183. part. 1.*

In præsenti autem casu non solùm non docetur quòd conductor voluerit continuare, nec minus quòd locator, seu Excellentissimus Dominus Princeps Perettus emptor illi impedimentum præstiterit, quòd immò potiùs apparet de contrario ex testibus à parte aduersa examinatis, dicentibus se nescire, an Dominus Princeps dederit vllam molestiá conductoribus. Et primus deponit quòd de anno 1606. quo fuit venditum casale, conductores vendiderunt seminata, & boues, ac equos, quos tenebant in parte dicti casalis, ab illo remouerunt.

Quibus accedit, quòd de mense Nouembris eiusdem anni fideiussor Petrucij principalis conductoris & authoris Turlini solidauit computa cum bon. mem. Cardinali Pinello Procuratore locatoris, & narrata dicta venditione facta D. Principi confessus fuit per talem venditionem locationem fuisse finitam, per quos actus positiuos negari non potest conductores non habuisse animum continuandi in locatione, sed emptioni acquieuisse.

Quibus non obstat, quòd Turlinus reclamauerit, & egerit contra Principem pro reintegratione ad possessionem, & fundo conducto, quam obtinuit, quia talis sententia fuit postea in gradu appellationis per Rotam declarata nulla & iniusta, vt in decisione 9. Maij coram me facta.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Ciuitas Castelli census. Veneris 12. Maij 1617.

DECISIO CCCCLXXI.

Impressa est post Censium de censib. decis. 239. & post Duard. eod. tract. decis. 239.

R. P. D. PIROVANO.

Interamnen. pecuniaria. Veneris 12. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario num. 1.

SVMMARIVM.

Error in calculis ad effectum recedendi ab instrumento iurato, debet concludenter probari per allegantem, n. 1. maximè si non sit expressus, & patens in calculo, n. 2.

Societas

Societas officij potest transferri per cessionem iurium, etiam non mutato periculo vitæ, num. 3.

Confessio probat contra confitentem, & illi præiudicat, nisi doceatur de errore, num. 4.

Error sufficienter probatur, si docetur aliter rem se habeat, num. 5

Scripturæ productæ probant contra producentem, numero 7.

DECISIO CCCCLXXXII.

IN transactione sequuta vsque de anno 1595. inter Realdum, Federicum, & Ludouicum hæredes, & filios Martinangeli Fatroli ex vna, & Equitem Fannium Spadam, ex altera, super calculis cuiusdam affictus inter eos vti socios respectiuè positis enunciatur partita scutorum 200. quæ dicitur accepta, ad societatem officij super officio eiusdem Equitis Fannij, & per eum exposita pro commodo affictus, mediante persona Siphonij Spadæ eius fratris, quæ extinctio cùm prætendatur per hæredes Martinangeli facta translatiuè per iurium cessionem in Fannium, non autem extinctiuè, & eorum patri fuisse superlucratam societatem, dum ipse recognouit bonam fidem, Hieronymus verò Grassus, qui dedit pecuniam ad societatem, decesserit ante diem transactionis, nempe 16. Martij 1592. inde dubitatum fuit,

An societas scutorum 200. ad fauorem Hieronymi Grassi sit extincta solutione, vel potiùs superlucrata, ita vt non debuerit poni ad debitum dictorum de Fatrolis, & non sit standum in ista parte instrumento.

Et esse standum instrumento fuit resolutum.

1 Aduerterunt enim Domini quòd Fatroli veniunt contra solidationem computorum per viam transactionis, prætextu erroris ex superlucratione societatis causati, qui error ad effectum recedendi ab instrumento iurato, debet concludenter probari ab allegante. Bart. *in l. non fatetur, n. 9. ff. de confess.* Corn. *consil.* 250. *num* 7. *volum.* 4. Crauett. *consil.* 255. *numer.* 5. Surdus *decis.* 104. *num.* 18. Vitalin. *de clausul. vers. non errore ductus, num.* 64.

2 Maximè quando non est expressus & patens in calculo, vt in præsenti. Tob. Non. *cons.* 63 *num.* 20. Bero. *quæst. familiar. quæst.* 105. *num.* 4.

3 Huiusmodi autem probatio non datur, quia etsi dici possit Siphonium acquisiuisse, iura societatis à Hieronymo Grasso translatiuè, non autem extinctiuè, dum cessionem iurium reportauit, & in eius locum positus fuit, cum clausula, *ad habendum, tenendum*, &c. quæ iura transire potuerunt non mutato periculo vitæ Hieronymi, vt ponderatum fuit in simili casu coram bon. mem. Cardinali Blanchetto in Romana condictione indebiti 16. Maij 1579. ac etiam appareat Hieronymum decessisse ante diem transactionis, nempe de mense Martij 1592.

4 Tamen ex quo in instrumento transactionis dicti hæredes confessi fuerunt se bene scire quòd ista societas scutor. 200. contracta cum Hieronymo Grasso fuerat extincta per Fannium de eius propriis pecuniis mediante persona Siphonij eius fratris, ista confessio omnino probat contra eos, & præiudicat, nisi doceatur de errore. *l. generaliter, C de non numerata pecunia.* Crauett. *cons.* 175. *num.* 1. Rimin. iun. *cons.* 103. *num.* 28. & 29.

5 Non obstat quòd sufficienter doceatur de errore, dicendo rem aliter se habere. *l. de ætate.* § *fin. l. cùm de indebito ff. de probat.* Bart. *in l. non fatetur, nu.* 10. *ff. de confess.* Aliter autem rem se habere dicebatur probari ex instrumento enunciato in concordia, ad quod se retulit Fannius pro verificanda extinctione, dum in eo neque societas extinguitur, neque pecuniæ solutæ enunciantur Fannij, sed eiusdemmet Siphonij soluentis.

Ad prædicta enim fuit responsum quòd error nihilominus non remanet concludenter probatus, 6 quia vtrumque poterat contingere, scilicet prout narratum fuit in instrumento cessionis, & quòd dicti hæredes aliunde scirent quòd de pecunia Fannij, & eo mandante extinctio fuerit facta per Siphonium, saltem tanquam reintegratum ab eodem Fannio, quod etiam Dominis multum verisimile visum fuit, quia nedum præsens societas, sed & multæ aliæ fuerunt contractæ per Siphonium procuratorio nomine Fannij eius fratris, & in instrumento concordiæ Fannius assumpsit in se onus extinguendi tres societates in summa scutorum 800. & de ista nullum verbum, quæ tamen si extincta non fuisset, debuisset fieri aliqua mentio de ea ad exonerationem Martinengeli principalis debitoris, cui intererat in computis liberari, ac demum ex notulis Siphonij, ac Fannij colligitur reintegratio, quæ tanquam productæ per dictos hæredes, debent contra eos probare. Felin. *in cap. cùm venerabilis, num.* 23. *de except.* Crauett. *consil.* 201. *num.* 5. & 6. Caputaq. *decis.* 187. *part.* 1.

Atque ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Elboren. fructuum. Lunæ 12. *Maij* 1617.

ARGVMENTVM.

Bona fides ex quibus causetur ad excusandum beneficij possessionem à restitutione fructuum ob non expeditas litteras intra sex menses, iuxta formam decreti litterarum Apostolicarum.

SVMMARIVM.

Gratia Pontificis cum decreto, quòd intra sex menses inducatur priuatio ipso iure ob non impetratam prouisionem à Sede Apostolica, non suffragatur impetranti, nisi dicta noua prouisione impetrata, nu. 1. *vbi tamen quòd prouisus non tenetur restituere fructus, quando non fuit negligens in constituendo Procuratorem ad impetrandam talem prouisionem, eidémque Procuratori iura Cameræ soluerit, & num.* 2.

Credulitas qualibet, & qualibet causa inducit bonam finem ad excusandum ne prouisus teneatur restituere fructus. ibid.

Triennalis possessio cum titulo colorato excusat prouisum à restitutione fructuum, ibid. in fine.

DECISIO CCCCLXXXIII.

DOmini perstiterunt in decisis, ex rationibus, & fundamentis in decisione adductis. Quibus visum fuit non obstare quòd in indulto Pij IV. inducatur priuatio ipso iure, ob non impatratam nouam prouisionem intra sex menses à Sede

Apostolica, & propterea Didacus non possit iuuari titulo institutionis obtentæ ab Episcopo, vel prouisione Apostolica, quam habuit post sex menses, & adductis in decisionibus Veronen. pensionis 1. Iulij 1592. & 30. Octobris 1595. coram Illustriss. Cardinali Mellino. Quia hodie nō agitur de sustinenda dicta constitutione, nec prouisione Apostolica, sed tantùm de excusando Didacum à restitutione fructuum, qui cùm in tempore dederit mandatum ad expediendum litteras, & pecunias necessarias transmiserit, potuit credere negligentiam Procuratoris in non expediendo in tempore sibi non præiudicasse, cùm præsertim illinc ad paucos dies post dictos sex menses expeditio fuerit facta, & fuerint soluta iura Cameræ, cuius fauore principaliter dictum decretum emanauit.

2 Et licèt prædicta non sufficerent ad saluandum à nullitate dictum titulum, sufficiunt tamen ad illum colorandum, & ad excusandum Didacum à restitutione fructuum, ad quem effectum sufficit quælibet credulitas, & causa, ex qua vel inducatur bona fides, ex adductis in decisione, vel saltem mala excludatur. Bec. *consil.* 95. *numer.* 15. *versicul. est etiam aduertendum*. Surd. *consil.* 115. *num.* 7. Peregrin. *de fideicommiss. articul.* 49. *num.* 117. Decis. Pedemont. 160. *num.* 8. Cassad. *decis.* 6. *sub num.* 9. *de præbend.* & prædictum decretum priuationis cùm non sit clausum in corpore iuris, nec super certo corpore beneficij, sed super certo genere beneficiorum, non discolorat prædictum titulum coloratum quem habebat Didacus, nec illius triennalem possessionem. Chisan. *decis.* 44. Cassad. *decis.* 1. *num.* 2. *de restit. spoliat.* Put. *decis.* 180. *num.* 4. *lib.* 3. *& decis.* 50. *num.* 3. *libro* 1. Gabriel *conclus.* 3. *num.* 15. *de clausul.* Rota *decisione* 75. *numer.* 1. *lib.* 1. *part.* 3. *& decis.* 56. *lib.* 2. *part.* 5. *diuersorum*.

3 Ad decisiones autem Veronen. pensionis respondetur, illas non applicari casu nostro, cùm in prima reseruetur videri, an esset locus excusationi, quia decretum, de quo ibi, non est pœnale: in proposito autem decretum priuationis est pœnale, quia principaliter fuit factum fauore officialium Cancellariæ, & in pœnam volentium defraudare illorum iura, quæ pœna non debet habere locum in Didaco, qui, vt suprà dictum est, in tempore transmisit mandatum ad expediendum, & pecunias necessarias, & multa alia concurrunt pro illius excusatione ponderata in decisione, quæ non aderant in casu dictarum decisionum.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Perusina successionis. Lunæ 13. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Statutum excludens præsertim fœminas dotatas à successione fratris, an, & quando comprehendat forenses.

SVMMARIVM.

Nepotes tam ex fratre, quàm ex sorore, succedant in capita, & non in stirpes, num. 1.

Statutum excludens fœminas dotatas à successione fratris, nunquid comprehendat forenses, numer. 2. & per tot.

Statutum regulariter forenses non comprehendit, ibid.

DECISIO CCCCLXXXIV.

Fvit de anno 1615. die 1. Decembris coram me resolutum ad successionem Camillæ de Oliuis ab intestato, tam Paulum ex fratre, quàm Domitium & Honorium ex sorore nepotes in capita, non in stirpes esse admittendos. Quia sicut dictæ Camillæ omnes erant in pari gradu coniuncti, ita æqualiter omnes ad eiusdem hæreditatem succedere debebant, agnationis & cognationis discrimine sublato, ex allegatis in decisione. 1

Verùm cùm hæreditas prædicta consisteret in nonnullis bonis in territorio Assisij existentibus, dubium successiuè proposui, an dicti loci statutum fœminas dotatas à successione fratris excludens obstaret Domitio & Honorio, tāquam ex sorore ipsius Camillæ descendentibus. Et Domini fuerunt negatiuam partem amplexi, ipsi enim Paulus, Domitius & Honorius, vti forenses, non comprehenduntur Assisij statuto, cuius intentio fuit suorum ciuium dumtaxat, non autem exterorum agnationibus prospicere. Alexand. *consil.* 41. *lib.* 7. Ias. *consil.* 80. *numer.* 2. *vers. sed præmissis, lib.* 2. Socin. *consil.* 28. *nu.* 5. *lib.* 4. Cror. *in l. omnes populi num.* 244. *in fin. vers. sed hæc ratio. ff. de iustit. & iur.* Socin. iun. *consil.* 80. *num* 9. *lib.* 4. *& consil* 49 *num.* 3. *&* 4. *lib.* 4. Ruin. *consil.* 195. *num.* 5. *versic. nec etiam, & consil.* 200. *num.* 12. *lib.* 2. Hondedeus *consil.* 5. *num.* 13. *in princ. & consil.* 11. *num.* 22. Marzar. *consil.* 15. Peregr. *consil.* 90 *num.* 13. Put. *decis.* 31 *lib.* 2. *in nouis*, Rota *decis.* 673. *num.* 2 *part.* 2. *diuersor.* & resolutum fuit in Camerinen. hæreditatis 29. Ianuarij 1588. coram bo. mem. Cardinali Pamphilio in Balneoregien. bonorum 2. Iunij 1591. coram eodem, & in causa Collen. hæreditatis 20. Iunij præteriti coram R. P. D. meo Buratto. 2

Nec statutum potest habere locum, nisi eidem copulatiuè bona & personæ subiaceant, vt fuit dictum in eisdem Camerinen. hæreditatis, & in Balneoregien. bonorum coram Cardinali Pamphilio in ciuitatis Castelli hæreditatis 10. Maij 1606. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio, & in allegata Collen. hæreditatis coram R. P. D. meo Buratto. Quod similiter procedit etiam, si defuncta statuto subiaceret, dum illi, inter quos de successione agitur, sint forenses; cùm in huiusmodi successionibus per statutum ab intestato delatis non veniat habenda ratio defuncti, sed vocatorum. Alexand. *consil.* 44. *numero* 15. *lib.* 5. & in allegata Camerinen. & Balneoregien. coram Cardinali Pamphilio. 3

Nec obstant Doctores contrarium sentientes, quia vel non loquuntur, vbi omnes qui succedere debent, sunt forenses, vt in casu nostro, sed quando vnus tantummodo est forensis, alter subditus, vel procedunt in diuersis terminis, vt per informantes, qui omnibus sigillatim respondent. 4

Et ita decisum fuit Honorio, & Domitio solùm informantibus, &c.

R. P. D. VBALDO.

Florentina pensionis. Mercurij 17. Maij 1617.

ARGV-

ARGVMENTVM.

De priuilegio Conclauistarum transferendi pensiones vsque ad summam scutorum centum, ad quæ extendatur, & quomodo intelligatur.

SVMMARIVM.

Translatio pensionis facta vigore priuilegij Conclauistarum est nulla, exhibito coram exequutore solo transumpto priuilegij absque originali, numer. 1.
Facultas transferendi pensiones vsque ad certam summam non extenditur vltra illam summam num. 3.
Ordo scripturæ attenditur ad declarandum voluntatem deponentis, ibid.
Transferendi pensiones facultas data Conclauistis non extenditur ad pensiones semel translatas, num. 4.
Translatio pensionis dicitur odiosa, & ideo restringenda, num. 4 & 6.
Pensionem amittit Clericus contrahens secundum matrimonium, & sic bigamiam, etiam quòd habet indultum retinendi pensionem cum matrimonio, quia non extenditur ad bigamiam, num. 5 & 6.
Pensionem retinendi facultas data in aliquo casu non extenditur ad translationem, num. 7.
Transferendi pensionem facultas data intelligi debet erga personas capaces, num. 8.
Episcopus non potest retinere pensiones sibi reseruatas ante promotionem ad Episcopatum sine speciali dispensatione Apostolica, num. 8.

DECISIO CCCCLXXXV.

1 FVit responsum pro parte informante, nempe sententiam A.C. esse confirmandam, quæ fuit lata pro nullitate translationis pensionis scutorum 60. de qua agitur. Primò, quia non fuit exhibitum coram Canonico executore priuilegium originale: sed transumptum tantùm priuilegiorum Conclauistarum fel. rec. Clementis VIII. vt patet ex lectura translationis, vnde translatio fuit nulla, vt fuit dictum in Tuden. beneficij 9. Ianuarij 1595. coram Corduba, & in Carthaginen. translationis pensionis 19. Iunij 1606. coram R.P.D. meo Manzanedo.

2 Nec releuat exhibitio transumpti authentici facta coram A.C. quia non constat fuisse illud, quod enunciatur exhibitum coram executore, qui aliàs sine illo, vel originali nullam habebat iurisdictionem, Put. *decis. 344. num. 2. lib. 2.* Crescen *decis. 13. de concess. præben.* & fuit dictum in dicta Carthaginen.

3 Secundò, quia priuilegium Clementis concessum Conclauistis, fuit restrictum ad facultatem transferendi pro summa ducatorum 100. tantùm, vnde cùm in translatione primo loco, fuerit narrata pensio scutorum 100. super fructibus mensæ Episcopalis Melfiten. sequitur, vt per eam dicatur consumpta facultas transferendi, nec possit in vim illius sustineri alia translatio scutorum 60. auri de qua agitur, licèt eodem contextu facta; attenditur enim ordo scripturæ ad declaran. voluntatem disponentis. *l. quoties. ff. de vsufruct. l. generaliter. §. quid ergo. ff. de fideicom. liber. cap. mandato, de præben. in 6.* cum aliis per Mantic. *de coniecturis vltim. volunt. lib. 6. tit. 13. nu. 11.* præsertim quando, vt hîc, dispositio non potest verificari in pluribus, benè Surd. *consil. 450. numer. 57. lib. 3.*

Mouebantur Domini tertio loco, quia ista pensio fuit aliàs translata à Bartholomæo in Iacobum, de anno 1592. vnde non videtur potuisse Iacobus eam denuo transferre, prout fecit, quamuis ipse etiam esset Conclauista, nisi ostendatur priuilegia comprehendere etiam pensiones semel translatas; cùm aliàs nimis prorogaretur seruitus beneficij, & translatio pensionis dicatur odiosa, & ideo restringenda, Sarnen. *in reg. de infirm. resign. quæst. 16.* Caputaq. *decis. 100. num. 6. part. 3.* 4

Quartò, quia Iacobus contrahendo secundum matrimonium, fuit effectus bigamus, quo casu amisit pensionem sibi vti Clerico reseruatam, *cap. 1.* vbi Doctor. *de bigam. cap. vnic. eod. tit. in 6.* cum aliis per Paris. *de resignat. lib. 4. quæst. 4. numer. 17. & sequen.* & ideo non potuit in alium transferre, *l. nemo plus iuris. ff. de reg. iur.* 5

Non obstat priuilegium Conclauistarum, quia de bigamis non loquitur, & ideo non potest Iacobo suffragari. 6

Nec facit indultum fel. record. Leonis XI. quia præterquam quòd non videtur loqui de pensione antiqua scutorũ 60. de qua agitur, iam extincta per bigamiam; sed solùm in eo reseruatur ad fauorem Iacobi pensio scutorum 100. eíque conceditur, vt possit retinere aliam pensionem similem scutorum etiam 100. cessat difficultas, quia indultum loquitur de retentione, non autem de translatione, de qua tanquam odiosissima erat facienda specialis mentio, Caputaq. *decis. 303. num. 7. & seqq. part. 2. & decis. 100 num. 2. & seqq. part. 3.* Rota *decis. 1312. part. 3. diuersorum.* 7

Nec displicebat etiam motiuum, quòd in omnem euentum facultas transferendi, debebat intelligi erga personas capaces, cuiusmodi non est Episcopus, qui nec potest retinere pensiones sibi reseruatas ante promotionem ad Episcopatum, sine speciali dispensatione Apostolica, ex constitutione Iulij II. de qua Put *decis. 18. de pens. in nouis.* Rota *decis. 233. nu. 1. part. 1. diuers.* Gabr. *consil. vltim. num. 1. lib. 2.* cum aliis allegatis in dicta Carthaginen. translationis pensionis coram D. Manzanedo. 8

Et ita fuit decisum.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Leodien. pactorum matrimonialium. Mercurij 17. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Ponuntur in hac decisione tres casus, in quibus sententiæ nullitas non obtenditur, quando causa est commissa arbitrio Rotæ, reiectis nullitatibus.

SVMMARIVM.

Testes examinati parte non citata, probant si fuerunt examinati cum interrogatoriis datis à parte arbitrio Rotæ, num. 1.
Citatio ad videndum pronunciari, decerni, & ordinari prout iuris fuerit, habet vim citationis ad sententiam arbitrio Rotæ, num. 2.

Procuratoris mandati defectus suppletur ex comparitione principalis, & illius scientia, num. 3.

DECISIO CCCCLXXXVI.

1 Fvit ab Officiali Leodiense Ioannes Selis condemnatus ad solutionem florenorum nouem millium, tanquam eos in matrimonij subsidium promisisset, dum Michael eius filius Mariam Arnoldi Octauiam filiam duxisset vxorem, verùm interposita per Ioannem appellatione, & causa coram me introducta, dum ille dictam sententiam nullam esse prætenderet, Arnoldus adita Signatura Sanctissimi, obtinuit mihi rescribi, vt reiectis arbitrio Rotæ nullitatibus in causa procederem. Vnde proposito per me dubio, fuit resolutum esse locum arbitrio. nam quoad nullitatem ex defectu citationis ad videndum iurare testes, cùm illi examinati fuerint cùm interrogatoriis partis, intrat arbitrium, ex quo nihil vltrà pars circa diligentias examinis facere potuisset, Put. *decis.* 301. *lib.* 3. cùm præsertim interrogatoria totam articulatam materiam amplectantur, iuxta quam similiter testes deposuerunt. Accedit non adesse penitus huiusmodi defectum, sed iurasse tantummodo testes ea die, sub qua citatio non cadebat, vnde faciliùs intrare debet arbitrium.

2 Quo verò ad nullitatem ex defectu citationis ad sententiam, dicitur illam quidem esse insanabilem, dum totalis defectus interuenisset, verùm in casu nostro facta fuit citatio ad videndum pronunciari, decerni, & ordinari prout iuris fuerit, vnde non videtur talis omnino defectus adesse, cùm per dicta verba pars fuerit admonita iudicem pronunciare voluisse, & quamuis de rigore iuris hæc citatio pro sententiæ validitate non sufficeret, cùm specialis ad eam audiendam requiratur, stante tamen arbitrio, quod de rigore iuris minuit, illa sustinetur. Cresc. *decis.* 4. *num.* 3. *de restit.* Seraph. *decis.* 4154.

3 Excipiebatur vlteriùs de dictæ sententiæ nullitate ob mandati defectum ex vtraque parte, verùm quoad Ioannem, cessat difficultas, cùm illius mandatum in actis reperiatur; pro altera verò parte adest productio iurium, & scientia principalis, quòd huiusmodi lis per talem, tanquam ipsius Procuratorem agebatur, adest vlteriùs eiusdem principalis comparitio citra Procuratoris reuocationem, ex quibus mandatum satis arguitur. And. *decis.* 551. Peregrin. *decis.* 53. & 58. *part.* 1.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Mantuana iurispatronatus. Mercurij 17. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus competit Ecclesiæ, de cuius bonis fit fundatio, vel dotatio, nec dotis augmentum inducit iuspatronatus, nisi prima dos redacta sit ad non esse.

SVMMARIVM.

Beneficium quodlibet, & qualibet Ecclesia præsumitur libera nisi contrarium doceatur ex dotatione, vel fundatione, &c. num. 1.

Ecclesiæ de cuius bonis fit fundatio, seu dotatio beneficij, competit iuspatronatus illius, num. 2.

Iuspatronatus ex priuilegio competens per Concilium Tridentinum est sublatum, num. 3.

Dotis augmentum non facit acquiri iuspatronatus, nisi doceatur primam dotem redactam esse ad non esse, num. 4.

Præsentationes effectum sortitæ per centum annos faciunt præsumi iuspatronatus ex fundatione, & dotatione, dummodo fuerint continuata, num. 5. declara vt num. 6.

Præsentationes effectum sortitæ per centum annos faciunt præsumi iuspatronatus, nisi constet de titulo inualido, ibid.

DECISIO CCCCLXXXVII.

Visum fuit Dominis non constare de iurepatronatus DD. de Gonzaghis, quia vltra præsumptionem iuris, quòd quælibet Ecclesia & beneficium præsumatur liberum, nec contrarium doceatur ex dotatione, aut fundatione, aut aliis modis à Concilio præscriptis. Caputaquen. *decis.* 30. *numer.* 2. *part.* 2. Seraph. *decis.* 1353. *numer.* 1. Roch. *de iurepatronat. in verbo construxit, quæst.* 20. *numer.* 29. *vers. Ergo arbitror*, & fuit dictum in vna Toletana iurispatronatus 18. Martij 1602. coram bon. mem. Corduba. 1

In casu nostro pro parte Reuerendissimi Episcopi Mantuani docetur de dotatione & fundatione Canonicatus, de quo agitur, facta per Vbertum eius antecessorem de anno 1409. 11. Ianuarij ex bonis feudalibus Ecclesiæ Mantuanæ ad eam deuolutis, in qua fundatione licèt iuspatronatus fuerit reseruatum familiæ de Vbertis, à qua isti de Gonzaghis prætendunt descendere; tamen talis reseruatio non potuit fieri in præiudicium Ecclesiæ, cui competit iuspatronatus, propter dotationem factam de ipsius bonis. *cap. Apostolicos in fine.* vbi gloss. *verbo construxisse* 12. *quæst.* 2. Abb. *in cap.* 3. *numero* 12. *de Eccles. ædificand.* Roch. *de iurepatronat. verbo Ecclesiam fundauit, num.* 8. & *in verbo dotauit num.* 16. Lambertin. *de iurepatronat. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 8. *artic.* 7. per totum. 2

Non obstat quòd Innocentius VIII. confirmauit dictum iuspatronatus, quia si attendamus dictam confirmationem pro validitate reseruationis iurispatronatus illud remanebit ex priuilegio, cùm, vt suprà dictum est, de iure communi non posset acquiri nisi Ecclesiæ, vt fuit dictum in Compsan. iurispatronatus 23. Ianuarij 1605. coram bo. me. Litta, & consequenter censetur sublatum per Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 9. 3

Minus obstat quòd Archidiaconus Vbertus de anno 1593. dotauerit hunc Canonicatum de variis bonis, quæ hodie ascendunt ad valorem ducatorum 20. annuorum, cum reseruatione iurispatronatus Francisco de Vbertis eius nepoti, & eius descendentibus masculis; quia cùm Canonicatus esset etiam sufficienter dotatus ab Episcopo, vt supradictum est, per dictum augumentum dotis non fuit acquisitum iuspatronatus, nisi doceatur dictam primam dotem redactam esse ad non esse. Roch. *de iurepatronat. verbo dotauit quæst.* 3. *numer.* 5. Rot. *decis.* 457. *numero* 18. & 528. *numer.* 2. *part.* 1. Gonzalez *super reg.* 8. *gloss.* 18. *num.* 53. 4

Non

5 Non obstat præsentationes effectum sortitæ per spatium centum annorum factæ ab istis de Vbertis, ex quibus prætenditur iuspatronatus præsumi ex fundatione,& dotatione,quia illæ sunt tantùm duę, vnà scilicet de anno 1515. altera de anno 1524. & ab inde citrà non dantur aliæ, nisi prouisio Apostolica facta de anno 1606. cum consensu Dominorum de Gonzaghis; & derogatione iurispatronatus, quæ cùm non sit continuata cum dictis præsentationibus,sed admodum remota, cum illis non potest cõiungi ad complendum centenarium,quia datur alia prouisio Apostolica fel.record. Clementis VIII. facta de anno 1601.tanquam de libero,ex qua apparet de statu intermedio libertatis.

Vltra quod cùm ex supradictis constet de titulo inualido, cuius vigore fuerant factæ dictæ præsentationes,illæ non suffragantur. Paris. *de confid.quæst.* 28.*n.*140. Gonzalez *vbi suprà num.*48.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Bononién. fideicommissi de Manzolis. Luna 22. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Ex summariis sume argumentum.

SVMMARIVM.

Ipse, ipsa, ipsum *dictio,& pronomen personalissimum est,num.2.in fine.*

Renunciatio stricti iuris est, ibid.

Verba præsentis temporis non trahuntur ad tempus futurum, ibid.

DECISIO CCCCLXXXVIII.

1 POst factam vltimam decisionem in hac causa die 22. Ianuarij præteriti, in qua fuit resolutum DD. Com. Ranutiis dandam esse immissionem super castro sancti Martini vigore fideicommissi q. Comitis Melchioris de Manzolis senioris,iuxta decis. aliàs factam coram Illustrissimo D. meo Cardinali Ludouisio sub die 30. Martij 1612. vt causæ finis imponeretur, dubitatum fuit pro qua portione danda esset immissio;& cùm DD.Comites de Manzolis multa obiecissent, suscitassent varias difficultates,non solùm super constitutione huius portionis;sed etiam super vltima decisione, Domini tantummodo resoluerunt standum esse in decisis quoad immissionem, de quota autem mandauerunt aliàs videri.

2 Strictè igitur ad immissionem petitam quoad portionem Guidotti & Armij iam fuit resolutum die 20. Februarij 1615. transactionem factam die 2. Iulij 1575.allegatam pro parte DD.de Manzolis non obstare immissioni petitæ à DD.Ranutiis quoad dictas portiones. Præcipuum autem fundamentum decisionis fuit illud,quia renunciatio facta per Comitem Hieronymum patrem Ranutiorum, & per Barbatiam fideicommissarium ad fauorem Manzolorum fuit, de ipsorum parte tantùm,ponderando dictionem *ipsorum* personalissimam, & naturam renunciationis, quæ est stricti iuris, & clausulam spectan. & pertinen. quæ cùm sit præsentis temporis, non videbatur posse trahi ad portiones, quæ postea superuenire poterant per mortem Guidotti & Armij,vt in dicta decisione.

3 Contra huiusmodi motiua replicabatur hodie pro parte DD.de Manzolis, immò dictam renunciationem debere referri etiam ad portionem Guidotti, quia tempore quo fuit facta, tam Hieronymus, quàm alij transigentes habebant dictam portionem Guidotti. Nam de anno 1574. & sic ante dictam renunciationem,quæ fuit de anno sequenti, alij confideicommissarij fecerant diuisionem bonorũ quondam Comitis Melchioris in quatuor partes, & quia iam Guidottus mouerat litem super dicta hæreditate pro sua rata quam prætendebat per mortem Luparis fratris sui vterini; ideo Domini diuidentes conuenerunt, vt casu quo Guidottus dictam ratam euinceret, tũc damnum esset commune inter ipsos, & interim expensæ litis contra Guidottum fierent communi nomine. Hinc Manzoli apparere dicebant diuidentes, & inter se diuisisse etiam portionem Guidotti, & consequenter quando postea in transactione facta de anno 1575. dixerunt se cedere portionem ad se spectantem, & pertinentem ad fauorem illorum de Manzolis, virtualiter & implicitè comprehenderunt etiam dictam portionem Guidotti, quæ ad ipsos spectabat saltem de facto, cùm eam possiderent,& super ea sustentarent litem,& sic cessare videbatur motiuum illud, quo ius Guidotti esset detectum post transactionem, & quòd transactio non porrigitur ad ius postea superueniens.

4 Verùm ad hæc pro parte Ranutiorum respondebatur in dicta decisione non fuisse diuisum castrum sancti Martini,neque Comiti Hieronymo fuisse assignatam partem aliquam illius portionis quæ prætendebatur per Luparum,seu per Guidottum,immò fuerat expresse conuentum, quòd castrum, & palatium Bononiæ possideretur communiter & pro indiuiso, & quòd diuiderentur ad omnem voluntatem partium. Et licèt in dicta diuisione de anno 1574.adsit clausula,omnem ratam, & partem quam ipsi habent & habituri sunt in castro sancti Martini, tamen adest alia conuentio vt diuisio fieri debeat ad omnem partium voluntatem, vel alicuius earum.

5 Dicebatur insuper illam clausulam, *& habituri sunt*,quatenus comprehenderet portionem Guidotti esse repetitam in alia transactione facta de anno sequenti 1575.quo est restricta & limitata ad portionem spectan. & pertinen. vt in decisione ponderatum fuit. Nec erat verisimile Comitem Hieronymum voluisse concedere portionem, quam non habebat, sed sibi obuenire poterat ex persona Guidotti super quibus mota fuerat, & in omnem euentum talis concessio non poterat comprehendere dictam portionem,nisi quatenus obuenisset Hieronymo viuenti per præcedentiam Guidotti, cuius contrarium euenit.Vnde talis concessio fuisset de iure conditionalis,& conditio defecit.

6 Quo verò ad portionem Armij, super quã opponebatur de transactione facta die 30. Martij 1575. quæ est registrata in alio instrumento facto die 2. Aprilis eiusdem anni,respondebatur Armium cessisse sub conditione beneplaciti Apostolici intra certum tempus impetrandi cum pacto resolutiuo, vt in decisione sub die 29.Aprilis 1616.fuit dictũ. Et licèt subsequatur aliud pactum, quòd cessio Armij remaneat valida ad fauorem Comitis de Manzolis, & ipsi sint reintegrandi de scut. 500. eidem solutis,

tamen istud fuit pactum inter Armium, & Manzolos, neque consensus Comitis Hieronymi vltra vitam suam nocuit eius hæredibus venientibus ex personis propriis vti fideicommissariis. Ex quibus, & aliis deductis in decisionibus supradictis Domini steterunt in decisis: de quota autem videbitur particulariter, vt Domini ordinarunt.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Reatina de Nobilibus. 22. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Caducitatis pœna non incurritur ex obligatione generali bonorum, neque ex illorum alienatione ex iusta causa, quamuis vtrumque prohibeatur.

SVMMARIVM.

Alienatione prohibita per testatorem sub pœna caducitatis, si fuerint bona alienata, intrat caducitas, & bona veniunt restituenda vocatis n.1. declara vt n.2.

Caducitas in pœnam comminata à testatore in casum contrauentionis non incurritur sine dolo in contrauenienda, & qualibet causa excusat à dolo, ibid.

Actum prohibitum faciens quem putabat permissum, non punitur num.3.

Caducitatis pœna non habet locum contra pupillum propter factum tutoris, num.4.

Extensio in pœnalibus non permittitur, num.5.

Contrauentio probanda est per eum, qui se fundat in illa ad inducendam pœnam caducitatis, num.6.

Obligatio generalis bonorum non inducit caducitatem, etiamsi prohibita sit, quia in generali obligatione non veniunt bona prohibita alienari, etiamsi obligans non habeat alia bona, quia obligatio intelligitur de bonis per eum in futurum acquirendis, num.7.

Alienatio facta contra dispositionem testatoris si habeat initium coactiuum, non inducit pœnam caducitatis, num.8.

Alienatio ex iusta causa nullam inducit contrauentionem, saltem excusat à pœna caducitatis, num.8.

DECISIO CCCCLXXXIX.

Censuerunt Domini non esse locum caducitati, nec per consequens petitæ immissioni per Syluestrum in bonis & hæreditate primogenituræ.

1 Quia etsi multæ contrauentiones allegentur contra Ioannem Baptistam, tam in omittendo, prout sunt non confectio inuentarij intra bimestre, & non celebrare exequium quolibet anno, prout mandauit testator sub pœna caducitatis, quàm etiam in committendo circa quamplures alienationes bonorum similiter sub pœna caducitatis prohibitas, ex quibus intrare deberet caducitas per testatorem comminata, & bona vocatis essent restituenda. *l. cùm pater. §. libertis, & l. peto. § fratre. ff. de legat. 2. l. prima, cum ibi notatis. C. de iis quæ pœna nom.* Grauett. *consf. 1. num. 3. lib. 1.*

2 Tamen, quia Ioannes Baptista iustis de causis tuetur allegatas contrauentiones, visum est posse excusari à pœna priuationis bonorum, dum qualibet causa soleat excusare à dolo, & pœna.

Itaut faciens actum, quem putat permissum, licet reperiatur prohibitus, non puniatur. Bald. *consil. 243. in fin. lib. 4.* Crauett. *consil. 8. num 31. lib. 1.* Honded. *consil. 58. num. 39. lib. 1.* 3

Quo igitur ad omissionem inuentarij intra bimestre post mortem testatoris, dicitur quòd de eo tempore Io. Baptista adhuc natus non erat, quo casu ex persona propria cessat contrauentio, & ex facto alieno, tutoris scilicet, vel vsufructuariæ, de iure pœnæ caducitatis locus esse non potest. Bald. *in l. 1. C. de iis quæ pœnæ nom.* Gabr. *consf 105. n. 12. lib. 1.* & neq; testatorem id voluisse colligitur, dum restrinxit præceptum conficiendi inuentarium ad eum, ad quem directè, & propriè ex forma testamenti tale onus spectare potest, quod non conuenit tutori, vel vsufructuariæ, quibus caducitas nocere non potest. 4

Et quamuis testator voluerit repeti inuentarium adueniente casu substitutionis, itaut voluntas testatoris videretur adimplenda saltem de tempore habili, statim quo hæres inuentarium conficere potuisset. Tamen cùm versemur in pœnalibus, huiusmodi extensio non videtur permissa. Crauetta *consf. 205. num. 31.* Becius *consf. 102. num. 31.* Surd. *consil. 386. n. 28. lib. 3.* 5

Secunda verò contrauentio celebrandi exequium ex parte Syluestri agentis ad caducitatem, non fuit probata, prout necessarium est ad fundandam eius intentionem. *l. qui accusare. C. de eden. l. ei qui dicit. ff. de probat.* Decian. *consil. 53. numer. 1. lib. 2.* 6

Tertia contrauentio deducitur ex constitutione dotis scutorum 6000. facta per eundem Ioan. Baptistam ad fauorem propriæ vxoris 2. Iunij 1612. Sed neque ex sola obligatione bonorum videtur causata caducitas, quia in generali bonorum obligatione non censentur comprehensa bona prohibita alienari. *l. obligatione generali, ff. de pignoribus.* Nat. *consil. 516. n. 3.* Clar. *in § feudum, qu. 31.* Thesaur. *decisf. 193. n. 3.* dicens procedere etiam quòd obligans non habere: alia bona, quia potest intelligi de bonis per eum in futurum acquirendis. 7

Postrema contrauentio, quæ consistit in alienationibus bonorum primogenituræ, & probantur sequutæ & consummatæ, & eam Domini existimarunt, non sufficere ad sustinendam caducitatem, cùm habeat initium coactiuum & necessarium, dum Io. Baptista ex laudo fuit declaratus debitor Antonij eius patris occasione dotis maternæ, & codicilli eiusdem testatoris in scutis 4500. quæ cùm essent soluenda ex bonis primogenituræ & pro extinguendo ære testatoris, nulla contrauentio potest considerari, propter iustam causam alienandi. *l. filiusfamilias. §. diui il 2. ff. de legat. 1.* Molin. *de primogenit. lib. 1. cap. 10. num. 2.* & Surdus *decisf. 62. num. 2.* Vel saltem sufficere debet ad excusandum eum à pœna caducitatis, dum credere potuit sibi licere, & hac de causa posse alienare. 8

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Romana bonorum. Lunæ 22. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

De muliere in contractu dotis, quòd non tenea-

teneatur adhibere ſtatutarias ſolemnitates, & quòd poſſit pro filia dotanda ſe inſimul cum viro obligare. cætera videas in ſummario.

SVMMARIVM.

Decretum iudicis habet pro ſe præſumptionem validitatis donec contrarium probetur, num.2.

Mulieris contractus requirit conſanguineorum præſentiam, eorum ſcilicet, qui non habent intereſſe, nu.3.

Mulier in contractu dotis non tenetur adhibere ſtatutarias ſolemnitates, num.4.

Clauſula, omni meliori modo, *operatur actum valere eo modo quo poteſt, num.5.*

Ratificatio coram iudice habet vim ſubſcriptionis, numero 6.

Mulier pro filia dotanda, nunquid poſſit ſe obligare inſimul cum viro, num.7.

Pactum de futura ſucceſſione quando valeat, num. 8.

DECISIO CCCCXC.

1 TArquinius Cabalutius, & Camilla ipſius vxor, Liuiam communem filiam nuptui tradiderunt Equiti Antonio Paneratio, cui promiſerunt D. Fuſcum Camillæ fratrem daturum pro dote ſcuta quatuor millia, necnon eidem pro dotis complementis tertiam bonorum ſuorum, tam præſentium, quàm futurorum, poſt ipſorum obitum conſignandam promiſerunt, ſuper quibus fuit confectum inſtrumentum cum authoritate iudicis, & ob conſanguineorum defectum cum interuentu curatoris ad id ſpecialiter deputati mortuo Domino Fuſco fuerunt à dictis coniugibus aliæ pariter duæ communes filiæ nuptui traditæ, videlicet Hieronymo Torrelæ & Lucio Calderino, cum promiſſione dotis ſcutorum octo millium pro quolibet, & tertiæ partis omnium bonorum poſt eorundem obitum conſignandæ. Cùm verò dicta Camilla nuper obierit; filiabus æqualiter inſtitutis hæredibus; Eques Antonius in primis, & ante omnia ſcuta quatuor millia de bonis hæreditariis prætendebat, prout Hieronymus & Lucius habuerunt, qui è contra excipiebant Equitem prædictum ſcuta quatuor millia à D.Fuſco habuiſſe, ac proinde bona Camillæ inter ipſos eſſe æqualiter diuidenda, non obſtante inſtrumento dotis, & promiſſionis tertiæ partis bonorum, quod nullum aſſerebant, ob non ſeruatam formam ſtatuti Vrbis in contractibus mulierum adhibendam.

2 Vnde ſuper hoc dubio per me propoſito Domini contractum eſſe validum cenſuerunt, cùm in eo adhibitæ reperiantur ſolemnitates in contractibus mulierum, ex ſtatuto *cap.* 151. *lib.* 1. requiſitæ, videlicet curationis authoritas in defectum conſanguineorum, & iudicis decretum, pro cuius validitate præſumitur, donec contrarium probetur. Menoch. *de præſumpt. lib. 2. præſumpt. 75. num.* 12. Surd. *deciſ.* 231. *num.* 2.

3 Non obſtat Dominum Fuſcum Camillæ fratrem, qui Romo tunc aderat, in contractu adhibitum non fuiſſe. Quia cùm ipſe haberet intereſſe, ex quo per capitulorum ſubſcriptionem debitum ſcutorũ quatuor millium agnouerat, non potuit ad authorizandam Camillæ perſonam interuenire, quia regulariter conſanguinei non adhibentur, dum agitur de illorum intereſſe. Tiraquell. *de legib. connubialib. in gloſſ.8.num.*114. Alex.*conſ.*106. *num.2. ad finem. lib.*1. Iaſ.*in l.prima.§.fuit quæſitum, num.4.ff.ad Trebellian.* prout etiam idem in ſupradicto ſtatuto diſponitur.

4 Præterea nec dictæ ſolemnitates in iſto caſu neceſſariæ videbantur, quia ſtatutum loquens de contractibus mulierum, dotis cauſam tanquam ſpecialiter priuilegiatam non comprehendit. Salic.*in l fin. in 4.notab.C.de iur.* Neguſan.*de pignor.part.8.memb.*1. *num.*23. Cephal.*conſ.*13.*num.*43. Natt.*conſ.*32.*num.*16. Tiraquell. *de retract.lignag.§.1.gloſſ.14.num.*91. Rota Florent.*deciſ.*86.*num.*4. Gabriel.*de leg.& conſtit.concluſ.*1.*num.*10. & tenuit Rota in Senogalien. dotis 10. Martij 1599. coram Illuſtriſſimo Lancellotto. & in terminis ſtatuti Vrbis Put. *deciſ.* 160. *lib.* 3. in nouis. Verall.*deciſ.3.lib.3.& deciſ.*199.*lib.*3. & fuit dictum in Romana euictionis palatij 27. Martij 1588. coram Cardinale Blanchetto.

5 Nec valet dicere voluiſſe partes iuxta dictum ſtatutum contrahere, quo non ſeruato contractus remanet inualidus, etiamſi aliàs ſuſtineri potuiſſet. Nam vltra quòd hîc ſeruatæ fuerunt ſolemnitates, non ſubſiſtit in facto, partes illis adſtringi voluiſſe, cùm in contractu fuerit appoſita clauſula, *omni meliori modo, &c.* quæ operatur illum eo modo quo poteſt valere ſuſtineri. Caputaq. *deciſ.*91.*num.*5.*part.*1. Aym. *conſ.*141.*num.3.& conſ.*301.*col.fin.* Cephal.*conſ.* 41.*num.*16.*lib.*1. Ruin. *conſ.*11.*num.*16.*lib.*2.

6 Non obſtat Camillam ſe obligaſſe, tanquam ex capitulis matrimonialibus ipſa teneretur, & ſic ex falſa cauſa; nam dicta capitula per eandem ſubſcripta non reperiuntur. Cùm enim illa coram iudice prædicta capitula ratificauerit, perinde eſt ac ſi eadem ab initio ſubſcripſiſſet. *l.final. C.ad Macedon.l. ſi pecunia.C.de negot.geſtis, l.ſemper, verſ.ſed ſi quis ratum habuerit.ff.de reg.iur.* & in omnem euentum ſatis apparet de illius obligatione, cùm ad cautelam in contractu denuo ad huiuſmodi dotem & tertiam partem bonorum præſentium & futurorum ſe obligauerit.

7 Nec releuat mulierem etiam pro communi filia dotanda non poſſe cum viro ſimul obligari, ex Alex. *in l.1.num.39.ff.ſolut.mat.* & aliis allegatis. Quia contraria opinio magis communiter eſt recepta; illius videlicet obligationem ſubſiſtere. Bald.*in l.1.ſub nu.1.verſ. quartum decimum.ff ſolut. matrim.* Socin.*conſ.* 80.*num.*27.*lib.*4. Ruin.*conſ.*194.*nu.*6.*lib.*1. Bald. Nouell.*de dote, part. 6. priuileg.3. ad finem, & priuileg.*12. *num.*2. Franciſc. Marc.*quæſt.*108.*num.*8. *part.*1. Aluar. Valaſc. *conſult.*127.*n.*2.*cum ſeq.* Put.*deciſ.*160.*lib.*3.

8 Non obſtat promiſſionem tertiæ partis bonorum fuiſſe inualidam, ex *l. pactum quod datali. C. de pact.* Nam dicta lex in pacto loquitur ſuper futura ſucceſſione, & quando vel tota hæreditas, vel eius quota eſſet promiſſa: ſecus autem vbi fuit promiſſa quota bonorum, vt in caſu noſtro; tunc enim promiſſio ſuſtinetur. Bellon. *conſ.5.ſub nu.16.verſ.non obſtat tertiò.* Pariſ. *conſ.*26. *num.*85. *&* 103. *lib.* 2. Dec. *in l.pactum quod dotali ſub num.* 10. *verſ.* 2. *limitatur. C. de pact.* Oſaſch. *deciſ.*100. Craſſ. *de ſucceſſ.§.ſucceſſio ab inteſtato, qu.9.num.16.verſ.contrarium verò.*

R. P. D. CAVALERIO.

Auenion. ſalarij. Lunæ 21. *Maij* 1617.

ARGVMENTVM.

Statutum à Sede Apoſtolica confirmatum præſumitur vſu receptum, neque tollitur

per non vsum, seu contrarium vsum, nisi data scientia & patientia Pontificis.

SVMMARIVM.

Constitutio, seu statutum per non vsum, vel contrarium vsum, non tollitur stante decreto irritanti, nisi probata scientia, & patientia superioris, num.2.

Statuti contrarius vsus, seu non vsus, non præsumitur, & ideò alleganti non vsum, seu contrarium vsum incumbit onus probandi, dicto num.2.

DECISIO CCCCXCI.

1 ROta non denegauit Presbyteris perpetuis manutentionem super exactione prætensi salarij, sed postquam fuit strictè, etiam super iustitia informatum, iuxta ordinem Dominorum, facta fuit resolutio pro scholaribus temporalibus, videlicet sententiam Reuerendissimi Vicelegati esse confirmandam, in qua pronunciatum & declaratum fuit quatuor Presbyteros prædictos teneri, & obligatos esse celebrare in Capella Collegij Missas, & diuina officia, iuxta dispositionem statutorum, absque eo, quod ratione harum functionem quicquam percipere valerent, præter ordinarios redditus aliorum Collegiatorum, donec Collegium peruenerit ad meliorem fortunam. nam hæc sententia visa fuit recipere iustificationem à statutis iuratis, & auctoritate Apostolica confirmatis, quæ fuerunt condita per Sacristam Ecclesiæ Vasionen. cum confirmatione subsecuta Sixti Quarti felicis mem. ea enim tanquam honestissima & respicientia cultum & seruitium diuinum satis iustificabant sententiam pro ipsorum obseruantia latam.

2 Neque videbatur refragari assertus non vsus, vel contrarius vsus, quia præterquam quòd non præsumitur, & cum alleganti incumbit onus probandi. Cardin. Seraphin. *decis.*113. & 153. respondebatur insuper quòd stante decreto irritanti oportebat etiam probare contrarium vsum cum scientia, & patientia Superioris, Dec. *cons.*534. *num.*9. Put. *decis.*1. *in fin. lib* 1. & cùm sint statuta facta de ordine Papæ, & ab ipso confirmata, censentur Papalia, vt in Balneoregien. bonorum 3. Decembris 1589. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, in Romana separationis thori 2. Decembris 1605. & 26. Iunij 1606. coram Reuerendissimo Lugdunen. & cùm sint facta pro bono regimine, & gubernio Collegij, & fuerunt promulgata, habentur pro effectuatis & vsu receptis, & ideo non potuerunt tolli per non vsum, vel per contrarium vsum, non data scientia Papæ, ex deductis in Romana concordiæ Sancti Petri 11. Ianuarij & 22. Febr. 1610. coram me.

3 Quo verò ad alteram partem sententiæ, in qua declaratur Presbyteros prædictos pro celebratione dictorum diuinorum officiorum quicquam percipere non debere, præter ordinarios redditus aliorum Collegiatorum, donec Collegium peruenerit ad meliorem fortunam, vt dictum est, visa fuit etiam iusta, habito similiter respectu ad dicta statuta, in quibus nulla fit mentio dictæ perceptionis.

Et ideo conclusum fuit sententiam esse confirmandam pro parte informante.

REVERENDISSIMO P.D. BVRATTO.

Parmen. Canonicatus, & beneficij Lunæ 22. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Incompatibile est retinere duos Canonicatus: & quando sine dispensatione Apostolica possit quis retinere Canonicatum, & simplex beneficium.

SVMMARIVM.

Incompatibile est retinere duos Canonicatus, num.1. vbi etiam quòd sine dispensatione Apostolica quis retinere non potest Canonicatum & simplex beneficium. declara, vt num.3.

Gratia in ipsa narratiua plenè, & concludenter iustificanda est, num.2.

DECISIO CCCCXCII.

PEtrus Martyr impetrauit à Sede Apostolica Canonicatum, de quo agitur, prætextu quòd Camillus, qui fuerat de eo prouisus ab Ordinario, post adeptam illius possessionem non dimiserit alium Canonicatum, & Vicedominatum, quos similiter obtinebat Ecclesia Placentina, sed omnes per duos menses, & vltra absque dispensatione Apostolica insimul retinuerit, contra *cap. de multa, de praben. Extrauag. execrabilis, §. qui verò. eodem titulo in 6.* & Sacr. Conc. Trident. *sess.*7. *cap.*4. *de reformat.* Prout etiam impetrauit aliud beneficium simplex, de quo pariter agitur, eo quòd dictus Camillus illud absque dispensatione Apostolica obtinuerit, cùm tamen haberet dictum Canonicatum, & sic congruum beneficium, contra formam eiusdem Sac. Conc. *sess.* 24. *c.*17. *de reform.* 1

2 Ante verò expeditionem literarum dictæ impetrationis, idem Camillus obtinuit causam, & causas iactationis, & iactationum, cum clausula, *quam, & quas*, in forma in Rota committi, & deinde mihi dirigi literas prædictas eo procurante expeditas, sed cùm Petrus vlterius iustificationem suæ gratiæ non prosequeretur, Camillus verò cuperet se ab huiusmodi prætensione liberari, dedi dubium, an ei esset danda absolutoria, quod sine difficultate fuit per Dominos affirmatiuè resolutũ, ex vulgata regula *l. qui accusare. C. de edendo.* Nam respectu Canonicatus Petrus non iustificauit narratiuam fundamentalem gratiæ, videlicet quòd Camillus vtrumque Canonicatum, & dictum Vicedominatum vltra duos menses simul retinuerit, quæ tamen erat plenè, & concludenter iustificanda, iuxta doctr. Io. Andr. communiter receptam *cap.* 1. *vt lit. non contest. in* 6. quam in specie narratiuæ non dimissionis sequuta est Rota Astoricen. parochialis 9. Maij 1616. coram me.

Quo verò ad beneficium simplex, vltra quòd decretum Sac. Conc. *dicto c.*17. quòd vnum tantùm beneficium singulis conferatur, non inducit incompatibilitatem respectu adeptionis, sed retentionis tantùm, prout ita fuisse per sacram congregationem Concilij declaratum, & in Rota resolutum, testatur Cardi- 3

Cardinalis Seraph. *decis.774.num.2.* & plures declationes, & decisiones refert Garz. *de benef. part.11.cap. 5.num.260.* & quamplurimis sequentibus. Non probatur quòd Canonicatus Parmen. sit sufficiens pro honesta sustentatione dicti Camilli, provt loquitur Sac.Conc. *dicto cap.17.* & talis sufficientia probanda est, inspecta qualitate personarum, nobilitate Ecclesiæ, & ciuitatis, & illius consuetudinis, & aliis similibus circumstantiis, de quibus per gloss. *in c. cùm adeo.17. in verbo sufficientem, de rescript. & in c.1. 21. quæst. 1. in verbo necessitatem. vers. dico hæc omnia.* Sylu. *de benef. part.1. quæst.5. num.227. & seq.* Rebuff. *in tract. de congr. port. num.80. vers. & non potest*, & latè Menoch. *de arbitr. cas.216. nu.12. & seqq. lib.2. contr.3.*

Et ideò fuit, vt suprà, decisum, Camillo tantùm informante.

R.P.D. MANZANEDO.

Corduben. decimarum. Lunæ 21. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Decimæ non soluuntur à Religiosis de animalibus, horto, & noualibus, & an leprosi sint exempti à solutione decimarum.

SVMMARIVM.

Decimæ non soluuntur à religiosis de animalibus, horto, & noualibus, de his quæ deseruiunt pro vsu monasterij, & de animalibus per ipsos suis expensis nutritis, non de his quæ dant aliis nutrienda, num.1.

Leprosi communiter viuentes, & congregati simul sunt exempti à decimis, num.2. declara vt num.3.

Priuilegium concessum leprosis super exemptione decimarum, non extenditur ad hospitale, in quo curantur leprosi, & alij etiam infirmi, ibid.

DECISIO CCCCXCIII.

1 FVit in hac causa resolutum 23. Iunij 1614. exceptis gregibus, horto, & expensis, sententias in hac causa latas esse in reliquis conformes, cùm ad soluendum decimas gregum hospitale fuerit condemnatum solùm per duas sententias Rotales, vnde quoad dictos greges proposui dubium, an dictæ sententiæ essent confirmandæ, vel infirmandæ? Et Domini responderunt quoad greges nutritos à fratribus pro vsu hospitalis, illas esse infirmandas, quoad alios verò confirmandas. Et mouebantur, quia licèt Religiosi, quales sunt hodie fratres Ioannis de Deo, administratores istius hospitalis, non teneantur soluere decimas de noualibus suis, horto, & animalibus, per text. *in c. ex parte il 1. de decim.* Tamen hoc procedit in his tantùm, quæ deseruiunt pro vsu monasterij, vt expresè declarat ibi Abb. *num.8.* Io. de Anania *num.2.* Anchar. *num.2.* Rebuff. *de decim. q.14. circa finem*, & in animalibus quæ ipsimet Religiosi nutriunt suis sumptibus, non autem in illis, quæ dant aliis nutrienda & tenenda. *Clem.1.* vbi gloss. *verbo animalibus, & verbo tenenda, de decim.* Abb. *in dict. c. ex parte, in fine*, & ibi Anchar. *num. 2. vers. istud etiam*, & Henric. Boic. *nu.2. vers. quod intelligе.* Butr. *in 3. notab.* Rebuff. *vbi suprà num.57.* vbi dicit quòd si dentur aliis tenenda, & custodienda, requiritur quòd vesperi reducantur ad monasterium. Quibus non obstat quòd dispositio *d. c. ex parte*, sit reuocata per text. *in c. super, eodem tit.* Quia ille text. loquitur quoad decimas prædiales, non autem gregum, circa quos nihil innouauit, vt expresè sensit Butr. *in d. c. ex parte, propè finem, vers. relinquitur ergo.*

Minus facit text. *in c.2. C. de Eccles. ædifican.* in quo leprosi non tenentur soluere decimas, nec de hortis, nec de nutrimentis animalium suorum, quia quoad hoc vt sit locus exemptioni, de qua in illo textu, leprosi debent communiter viuere, & simul congregati stare, vt ex illius lectura apparet, quod non verificatur in hospitali de quo agitur, in quo licèt curentur etiam leprosi, quando ad illud accedunt, tamen adsunt etiam alij infirmi laborantes cæteris morbis, neque ex eo quòd hi leprosi retinentur separati ab aliis, videntur constituere corpus separatum, quia id fit ad euitandum contagium. 2

Vnde cùm priuilegium *d. cap.2.* sit speciale in leprosis, non videtur extendendum ad huiusmodi hospitale commune leprosis, & aliis infirmis. Quò verò ad alios greges, placuerunt Dominis rationes, & fundamenta deducta in decisionibus Reuerend. Attrebaten. 10. Maij 1604. & R. P. D. meo Pamphilio 8. Martij 1610. in hac causa factis, & ideo exceptis dictis gregibus nutritis per fratres pro vsu monasterij, quoad alios fuit resolutum pro confirmatione sententiarum Rotalium. 3

REVERENDISSIMO P.D. ANDREA.

Hispalen. præeminentiarum. Lunæ 22. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

De statuti obseruantia nonnulla notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Instrumenti, seu scripturæ copia extracta lite pendente sine iudicis authoritate parte non citata, & sine alicuius subscriptione, nihil probat, num.2.

Statutum passiuam recipit interpretationem à iure communi, nu.1. in fin.

Statuto mentionem facienti de consuetudine, vel obseruantia, an standum sit, num.3.

Obseruantia statuti non suffragatur, quando de ea constat post tempus conditi statuti, tunc enim non releuat tanquam nimis remota, num.4.

Obseruantia statuti, vt ex ea censeatur acquisitum nouum ius, an requiratur quadragenaria subscripto, an verò sufficiat decennalis, num.5.

Præcedentia statuto dari potest, num.6.

Capitulum vnà cum Episcopo in concernentibus diuinum cultum, & seruitium Ecclesiæ, habet facultatem statuendi, ibid.

Frequentiùs quod accidere solet, attendendum est, non quod rarò accidit, num.8.

Obseruantia vario modo sequuta remanet sub dispositione iuris communis, ibid.

DECISIO CCCCXCIV.

IAm fuit firmatum in binis decisionibus in hac causa factis, Coadiutores, nec de iure, nec vigore literarum Coadiutoriæ debere gaudere eorum 1

prætensa prærogatiua, & antianitate. Sed quia in vltima decisione fuit reseruatum videri, an obstarent statuta cum eorum obseruantia, propterea illo proposito die 22. Maij 1617. Domini dixerunt statuta non obstare.

2 Nam quod attinet ad statutum antiquum anni 1478. vltra quòd illius scriptura non est in forma probanti, sed simplex copia extracta lite pendente, sine iudicis authoritate & parte non citata, ac sine alicuius subscriptione, vel approbatione, & neque apparet à quo, & vnde fuerit extracta, iux. notata per Doct. *in authentic. si quis in aliquo, C. de eden. & in cap. fin. de fid. instrum.* tam obscuris & inuolutis verbis conceptum legitur, vt vix colligi possit aliquis certus illius sensus. Illa enim verba (quod Coadiutoribus obseruetur prout hactenus obseruatum fuit antiquitas quam lucrantur proprietarij moderniores sui ordinis) possunt dupliciter intelligi, vel comparatiuè, vt sicut lucrantur proprietarij inter se, ita lucrentur Coadiutores, vel dispositiuè & in concursu cum proprietariis; ideò cùm statutum prædictum ex aliquo actu ante Concil. Trident. non declaretur, remanet dubium & obscurum, ita vt super eo non videatur aliquod fundamentum posse constitui, vel si constituendum est, potiùs de antiquitate inter Coadiutores videtur accipiendum, quod est conforme iuri communi, ex latè traditis in aliis decis. à quo iure communi statuta passiuam recipiunt interpretationem. Bart. & Doct. *in l. 1. §. lex falcid. ff. ad leg falcid.* Ægid. *decis.* 723. *nu.* 19. Rot. *decis.* 512. *num.* 5. *part.* 1. *diuers.*

3 Nec releuat, quòd statutum huiusmodi refert antiquam consuetudinem Ecclesiæ, & obseruantiam, vt patet in illis verbis, quod eis obseruetur, prout hactenus obseruatum fuit, &c. cui standum est absque alia probatione. iux. *cons.* Paris. 25. *num.* 17. *vers. prout etiam, lib.* 1. Quia cùm obseruantia relata sit super eo quod obscurè fuit expressum, remanet eadem difficultas incertitudinis, arg. *text. in l. in testamento, ff. de condit. & demonstr.*

4 Si verò attendatur obseruantia subsequuta, nulla talis affertur pro parte Coadiutorum, quæ eis suffragari possit. Nam aut illa deducitur pro interpretatione dicti statuti, & cùm de ea non doceatur nisi ab anno 1588. & sic post centum annos, & vltra, à die quo dicitur conditum dictum statutum, propterea pro illius interpretatione tanquam nimis remota non releuat. Socin. *in cons.* 60. *num.* 2. *lib.* 1. Rot. *decis.* 756. *num.* 8. *vers. Ad tertium, in fin. part.* 1. *& decis.* 39. *nu.* 12. *part.* 2. *diuers.* Card. Seraph. *decis.* 1410. *num.* 7. & fuit dictum in Orthonen. locationis 14. Aprilis 1606. coram Reuerendiss. Lugdunen. & in Seguntina dimidiæ annatæ 22. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Manzanedo. Vltra quòd non apparet, quòd actus qui dantur fuerint facti in vim dicti statuti antiqui, prout erat necessarium. Ruin. *cons.* 104. *num.* 15. *vers. Non obstat insuper, lib.* 5. Rota in d. Orthonen. locationis coram Reuerendiss. Lugdunen.

5 Aut verò dicta obseruantia allegatur ad effectum, vt ex ea censeatur nouum ius acquisitum Coadiutoribus. Et circumscripto pro nunc, an esset necessaria quadragenaria, etiam dato absque veri præiudicio quòd decennalis sufficeret, in hoc casu tantùm effluxit biennium à prædicto anno 1588. vsque ad annum 1590. quo per Capitulum fuit conditum statutum, & ab Ordinario confirmatum, in quo disponitur, quòd Coadiutores non acquirant neque lucrentur aliquam antianitatem cum aliquo beneficiato proprietario, exceptis Coadiutoribus dignitatum, & quòd sedeant nouissimi in ordine.

De cuius statuti validitate non potest dubitari, cùm statuto præcedentia dari possit. Rip. *cons.* 5. *n.* 11. *de constitut.* & Capitulum vnà cum Archiepiscopo in concernentibus diuinum cultum, & seruitium Ecclesiæ facultatem habeat statuendi. gloss. *in cap.* 2. *verbo, statutum, de verb. signif. in* 6. Doct. *in cap. cum omnes,* vbi Felin. *num.* 9. *& seq. de constit.* Calderin. *cons.* 2. *num.* 2. *eod. tit.* cum aliis per Seraphin. *decis.* 538. *num.* 1. Stante maximè illius obseruantia non solùm decennali, quæ sufficeret, cùm dictum statutum sit conforme dispositioni iuris communis, ex deductis in aliis decisionibus: sed etiam vicennali, vt patet ex testibus eorundem Coadiutorum in Rota examinatis, qui omnes deponunt de certa scientia, & de visu, à tempore sui ingressus fuisse semper obseruatum, quòd proprietarij præcedunt omnes Coadiutores non habuerunt, nec habent aliam præcedentiam, nisi inter ipsos, & quamuis illi subiungant de duobus vel tribus qui præcesserunt, hoc tamen dicunt fuisse de particulari Papæ priuilegio, non in vim statuti. Vltra quòd Ioannes Martinez fuit vnus ex Coadiutoribus admissis ante dictum nouum statutum, quod fuit expresè conditum sine præiudicio Coadiutorum iam tunc admissorum, & Franciscus Porres non constat de quo tempore fuerit admissus, & potest esse quòd ante annum 1590. 6

7 Non obstat, dictum modernum statutum factum fuisse cum aliquorum Capitularium contradictione: acta enim quæ dantur ex aduerso non probant aliquam saltem releuantem contradictionem, tum quia fuerunt gesta post tres dies à dicto statuto, seu decreto communi omnium voto sine aliqua contradictione facto, tum quia Pimentel Cantor non contradixit super antiquitate non danda Coadiutoribus in futurum, sed super sedibus dignitatum habendis per Coadiutores, tum quia contradictio Ioannis Martinez Coadiutoris fuit irreleuans ex quo dicta ordinatio facta fuit sine illius præiudicio, & quod difficultatem remouet, statutum fuit exinde semper obseruatum, etiam ab illis qui contradixerant, & per consequens à contradictione recessum.

8 Postremò, vbi dictum modernum statutum, & eius obseruantia pateretur aliquam difficultatem, animaduerti debet esse attendendum id quod frequentiùs vsitatum est, & non quod raròaccedit. *l. nam ad ea, ff. de legib.* Dec. *cons.* 11. *num.* 12. Rota in Conchen. beneficij. 14. Nouembris, 1611. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno, exceptis autem illis duobus, vel tribus Coadiutoribus qui præcesserunt proprietarios, alij omnes Coadiutores, exceptis Coadiutoribus dignitatum, semper inter se ipsos, & post omnes proprietarios sedere consueuerunt. Et in omnem euentum, quòd constaret omnia esse incerta, & vario modo obseruata res ista, non sub statuto antiquo, de cuius certa intelligentia, & relatione ad illud non apparet, ex suprà adductis, sed sub dispositione iuris communis esset remansura. Bart. *in l.* 2. *num.* 22. *ff. solut. matrim.* Alex. *cons.* 5. *num.* 7. *lib.* 5. Crauet. *cons.* 861. *num.* 5.

Et ita conclusum vtraque parte informante statuta non obstare, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana euacuationis. Mercurij 24. Maij 1617.

ARGV-

ARGVMENTVM.

De duabus locationibus factis eidem personæ quænam præualeat, & attendenda sit, multa notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Impugnans instrumentum in eo amplius se fundare non potest, num.1.

Regula quòd vnumquodque dissoluitur eodem modo, quo ligatum est, num.2.

Locatio conditionalis conditione deficiente habetur pro non facta, ibid. in fin.

Conditio inserta in instrumento dicitur pars ipsius instrumenti, num.3.

Obseruantia declarat voluntatem contrahentium, nu.4.

Tacitum operari non debet plus quàm expressum, nu.7.

Contrauentio locationi censetur remissa per receptionem pensionis ad formam dictæ locationis, num.8.

DECISIO CCCCXCV.

1 PRætendentibus duobus locis piis, videlicet, Venerabili Archihospitali S. Iacobi incurabilium, & Venerabili Societati Beatæ Mariæ de Laureto de Vrbe, Dominis pro indiuiso Domus, seu Hospitij ad signum Vrsi, quòd Franciscus Baratellus eius inhabitator, & conductor, teneretur euacuare, fuit primò resolutum negatiuè contra Hospitale, videlicet, non esse dandum illi mandatum de euacuando contra Baratellum, vt in decisione 26. Ianuarij, 1615. Et proposito eodem dubio ad instantiam Societatis, fuit pro ea resolutum affirmatiuè 2. Decembris 1615. & rursus 2. Decembris 1616. Et cùm tertiò idem proponeretur, Domini mandarunt, vt reuideretur decisio prædicta contra Hospitale emanata, die 26. Ianuarij 1615. à qua hodie recedendum putarunt; quia potissimum fundamentum decisionis, fuit prætensa reuocatio primæ locationis factæ Baratello 1. Maij, 1596. cum renunciatione iuri inquilinatus, per alteram factam Vrsulæ, & eius viro 5. Nouembris eiusdem anni, vnde non videatur posse Hospitale agere ad euacuandum contra Baratellum ex instrumento primæ locationis, quam reuocauit, vel impugnauit, *cap. ex eo, de reg. iur. in 6.* prout latiùs in dicta decisione.

2 Hoc autem fundamentum visum est non subsistere, quia immò dicta prima locatio non fuit reuocata, neque ex parte Hospitalis, neque ex parte Baratelli. Non ex parte Hospitalis, quia nec potuisset ab ea recedere sine consensu Baratelli, tum per regulam quòd vnumquodque eo modo dissoluitur, quo ligatum est *l. nihil tam naturale. ff. de reg. iur.* tum quia sumus in contractu nominato, *l. ab emptione. ff. de pact. l. sicut. C. de act. & oblig. l. inciuile. C. de rei vendic.* & voluntas regulatur a potestate. *cap. cum super, de offic. deleg. l. Lucius Titius. §. Imperatores. ff. ad municip.* cum aliis per Surd *cons. 431. num. 41. & seq. lib. 3.* Nec omninò voluit recedere sine dicto consensu, vt patet, tum ex narratiua secundæ locationis, in qua Agentes pro Hospitali præsupponunt, Baratellum recessisse à prima locatione, offerendo alia scuta 350. pro eleemosyna, vltrà aliàs oblata, licèt re vera non recesserit, vt ex infrà dicendis apparebit, quàm ex conditione expressè apposita in secunda locatione, sub illis verbis, *ogni volta, che Francesco hauerà consentito all' instromento della locatione, che hanno fatto hoggi li Guardiani di S. Iacomo de gl' Incurabili dell' Hosteria dell'Orso, à Madonna Orsola, e Lorenzo Colombo suo marito.* Vnde cùm conditio non extiterit, quia Baratellus nunquam consensit dictæ locationi, immò eam semper impugnauit, sequitur vt secunda locatio, tanquam deficiente conditione habeatur pro non facta, *l. pecuniam quam. ff. si cert. pet. l. item quia. §. 1. ff. de pact.* Rota apud Seraph. *decis. 838. num. 6. & decis. 47. sub num. 7. vers. cum autem. part. 1. diuers.* cum aliis allegatis.

Nec refragari videtur, conditionem fuisse appositam in schedula mercatoris, data pro parte Vrsulæ, quia cùm fuerit in eodem instrumento inserta, dicitur pars ipsius instrumenti, ad *l. fundi partem. ff. de contr. empt.* cum aliis per Surd. *cons. 217. num. 6. lib. 2.* Mantic. *de tac. lib. 3. tit. 15. numer. 49.* Nec subsistit, quòd conditio fuerit apposita pro maiori cautela mercatoris, quia ipsius non intererat, quòd Baratellus consentiret, vel non consentiret, secundæ locationi, cùm se releuare deberet contra Vrsulam, & Columbum, sed ipsorum contrahentium, ad hoc vt dicta locatio sortiri posset effectum, prout nec sortita est ob defectum prædictæ conditionis. 3

Quòd autem ex parte Baratelli non fuerit recessum à prima locatione, patet, tum ex commissione causæ iactationum, & molestationum statim habita notitia secundæ locationis, tum ex oblatione, & deposito pensionis tempore conuento, tùm ex productione instrumenti primæ locationis, necnon ex manutentione obtenta, & demum ex actuali pensionum solutione, & receptione per Hospitale, iuxta quantitatem contentam in prima, non autem in secunda locatione, vsque ad annum 1612. Quæ obseruantia bene declarat voluntatem contrahentium fuisse adhærere primæ locationi, non autem secundæ, *l. sed Iulianus. §. proinde. ff. ad Maced.* Aym. *cons. 294. vers. 21.* Surd. *cons. 140. num. 43. & seqq. lib. 1.* cum aliis per Peregr. *de iur. fisc. lib. 1. tit. 2. num. 99.* & per Mantic. *de tacit. lib. 2. tit. 1. num. 5.* 4

Ex quibus tollitur etiam, quod dicitur in decisione, videlicet, quòd Franciscus inhabitauerit domum potiùs vigore laudi, & iuris competentis Vrsulæ, vigore secundæ locationis, in cuius locum videtur ipse successisse, quia cùm ipse soluerit pensiones ad rationem scutorum centum annuorum, & non ad rationem scutorum 140. iuxta formam secundæ locationis apparet, iunctis maximè aliis prædictis, quòd ipse inhabitauit vigore primæ locationis, ex allegatis per Rot. *decis. 262. nu. 1. part. 2. diuers.* & apud Seraphin. *decis. 643. num. 5.* 5

Præterea, & hoc valde mouebat Dominos, nihil referre videbatur ad effectum euacuationis de quo agitur, an Baratellus inhabitauerit domum vigore locationis ipsi factæ ab Hospitali, vel vigore locationis factæ Vrsulæ, quia vtraque locatio facta est cum expressa relatione ad locationem factam per Franciscum de Fortis, Antonio Picciono, cum omnibus pactis, & conditionibus in ea contentis, & in ea adest expressum pactum de euacuando finita locatione, & non obstante quolibet decreto Cameræ, & priuilegio inquilinatus, vt fuit latiùs deductum in duabus decisionibus ad fauorem Societatis Beatæ Mariæ factis. 6

Nec obstant quæ dicuntur de tacita reconductione, quia falsum est, eam non esse adscribendam 7

pacto in locatione apposito, vt intelligatur prorogata de sex mensibus in sex menses, non facta disdicta, cùm motiuum recessus à prima locatione, in quo fundatur decisio, cessat, ex supradictis: vltra quòd impossibile est, quòd Baratellus ex prætensa tacita locatione plus iuris acquisiuerit, & sic ius inquilinatus, quàm acquisierit per expressam, in qua dicto iuri renunciauit, cùm non plus operetur tacitum, quàm expressum, ad *l.cùm quid.ff.si cert.pet.* Et hoc tanto minus in præiudiciam societatis consociæ in domo de qua agitur, vt fuit consideratum in hac causa 2. Decembris, 1615.

Demum nec obstat mandatum factum in personam Columbi ad litigandum cum Baratello, quia fuit tantùm verbale, nec vnquam pro parte Hospitalis fuit deuentum ad aliquem actum litis, vt fuit ostensum per informantes, & in omnem euentum, quatenus aliqua contrauentio posset in hoc considerari, illa censeretur remissa per receptionem pensionis ad formam primæ locationis, cum aliis suprà deductis, Castren. *in l.si merces. §.si vicino, vers. item quando.ff. locat.* cum aliis per Modern. *discept. forens. cap.247.num.24.& cap.302.num.20.& seq.*

8 Ex quibus Domini recesserunt à decisis, firmantes dandum esse Hospitali mandatum de euacuando stante pacto, de quo in instrumento primæ locationis 1. Maij 1596. à quo non fuisse recessum, fuit vt suprà conclusum.

REVERENDISSIMO P.D. BVRATTO.

Meliten. Canonicatus, seu beneficiorum.
Mercurij 24. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Possessio beneficij capitulariter capta dicitur Canonicè adepta, & de insania, seu dementia, quòd non præsumatur, præsertim Notario asserente quem sanæ mentis.

SVMMARIVM.

Possessionis instrumentum sufficit ad manutentionem, non constito quòd alius possideret, num.1.

Possessio beneficij capta hora Missarum cum assignatione stalli in choro, & Capitulo dicitur benè adepta, nu.2.

Possessio beneficij dicitur benè capta per professionem fidei factam coram Canonicis capitulariter congregatis, ibid.

Possessio præsumitur continuata vsque ad tempus motæ litis, ibid.

Possessionem amittit quis non possidendo per decem annos, num. 3. dementia, seu insania non præsumitur, num. 4.

Notario asserenti quem sanæ mentis creditur, ibid.

Officiales Datariæ habent præsumptionem pro se, ibidem in fine.

Insania, seu dementia nunquid probetur per dationem curatoris, num.5.

Possessorium summariissimum manutentionis d in eum- rit iustitiam, vel iniustitiam possessionis, se solum factum attenditur, num.6. idum, &

Possessio triennalis facit præsumere titulum val sufficientem, ibid.

Possessio posterior præsumitur clandestina, & consequenter non manutenebilis, num.7.

DECISIO CCCCXCVI.

FVit resolutum manutentionem in possessione seu quasi Canonicatus & beneficiorum, de quibus agitur, esse concedendam Io. Micio, de illius enim possessione constat ex publicis instrumentis de ann. 1603. quæ sufficiunt, non constito quòd alius tunc possideret, ex doctrina Bart. *in l.prædia.ff.de acquir.possess.* quam indistinctè Rota sequitur ad quemcunque effectum, etiam manutentionis, vt millies dictum fuit, & nouissimè in Elnen. Camerariæ 13. Martij præteriti, coram me. 1

Et talis possessio respectu Canonicatus negari non potest, quin illi fuerit acquisita. nam vltra quòd fuit capta hora Missarum solemnium cum assignatione stalli in choro & loci in Capitulo, quæ ad illius adeptationem sufficiunt, But. & Immol. *in c.in literis de restitutione spoliat.* Rom. *cons.482.nu.2.* Idem Ioannes postea vti modernus Canonicus dicti Canonicatus fecit professionem fidei coram Capitulo & Canonicis capitulariter congregatis, & sic constat de consensu, & approbatione Capituli, quæ optimè dictam possessionem iustificat. Innoc. *in dicto c.in literis.* Cassad. *decis.8.sub num.1.de causa possess.& propr.* & Pont *de spol.lib.2.cap.15.num.156.vers.nec propterea*, & respectu tam dicti Canonicatus, quàm etiam beneficiorum præsumitur vsque ad tempus motæ litis continuata. Abb. *in c.cùm ad sedem, nu.16. de restitutione spoliat.* Rot. *dec.4.de probat.in nou.* cum pluribus per Menoch. *præsumpt.64. per tot. lib. 6. & remed.3.retinenda, num.557.* 2

Nec obstat quòd Marianus, qui resignauit ad fauorem Ioannis, esset mente captus de tempore resignationis, & sic non amiserit possessionem, & consequẽter illa non potuit acquiri eidem Ioanni. Quia quicquid sit an furiosus possit animo perdere possessionem, tamen spatio annorum 14. de quibus non possedit nec per se, nec per alium, illam perdidit, cum longum tempus, seu decennium ad hunc effectum sufficiat, secundùm opinionem Bart. *in l.si is qui 27.ff.de acquir.possess.num.2.in fin.& ibi* Ang. *vers. sed licet.* Castr. *in fin.* contra Rom. Cum. & Immol. 3

Et in omnem casum in proposito nihil probatur de prætensa dementia, quæ non præsumitur, ad text. cum ibi notatis, *in l.nec codicillos.C.de codicillis,* cum cumulatis per Menoch. *præsumpt.45. num.19. & 20. lib. 6.* præsertim cùm in dicta resignatione facta in curia contrarium asseratur, videlicet sanus Dei gratia corpore, mente & intellectu, & in sua firma rectaque loquela persistens. cui assertioni in dubio standum est saltem ad transferendum onus probandi in dicentem contrarium, vt de simili assertione Notarij facta in testamento tradunt Alex. de Neuo *cons.37.num.2.& 3.* Decian. *cons.51.nu.41.vol.4.* Hond. *cons.78.num.58.in 2.* Præsertim quia præsumitur pro officialibus Datariæ. Mandos. *ad reg.27.qu.20.num. 9.& 10.& facit decis.* Achil. *412.alias vnica, super regulis de mutat.* & probatio fieri debet de tempore dictæ resignationis, vt per Paris. *de resignatio. lib. 3. qu.8.num.21.* 4

Nec obstat prætensa datio curatoris, de qua in summario Francisci *num.1.* quia non subsistit tanquam facta ab inquisitore absque requisitis, de quibus per textum *in l. fin. §. ex inuentario. C. de curatore furios.* & non tanquam dementi, sed quasi dementi, & sic 5

& sic dicto inquisitori non constitit illum verè fuisse furiosum, ad *l. id tempus. ff. de vsucap. l. quasi. C. de non numerata pecunia*, cum similibus.

6 Sed in omnem euentum exceptio huiusmodi respicit petitorium, & altiorem requirit indaginem dicti Ioannis, in hoc tamen summariissimo attenditur solum factum, nec quæritur de iustitia vel iniustitia possessionis. Rot. *decis.* 507. *nu.* 3. *part.* 1. in Romana pretij Fiani, 4. Februar. 1602 coram bo. me. Pegna, & in aliis. Maximè quia stante possessione triennali Ioannis intrat etiam præsumptio tituli validi & sufficientis, iuxta regulam de triennali, & latè allegatos per Gonzal. *ad reg.* 8. §. 7. *procem.* 142.

7 Demum non obstat prætensa possessio Francisci, del 1616. tanquam prouisi ab Ordinario per obitum dicti Mariani, quia stante anteriori possessione Ioannis præsumitur clandestina, & consequenter non manutenibilis, *cap. licet causa de probationibus*, Bart. *in l.* 1. §. *quod ait num.* 1. *ff. vti possidetis.* Rota *decis.* 363. *num.* 4. *part.* 1. Card. Seraph. *decis.* 1606. Ex quibus ita decisum.

R. P. D. ANDREA.

Mediolanen. decimarum de Carlatio. Mercurij 24. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Decimæ spectantes ad Ecclesiam matricem nunquid transeant ipso iure in Ecclesiam parochialem nouiter erectam, & à matrice dismembratam. Quid de iure communi, & quid vigore Concilij Tridentini. cætera habes in summario.

SVMMARIVM.

Decimæ ad Ecclesiam matricem pertinentes non transeunt vigore Concilij Tridentini in parochialem Ecclesiam nouiter erectam, sed remanent apud Ecclesiam matricem, nisi eas Episcopus nouo parocho ad præscriptum Concilij assignauerit, licet secus sit de iure communi, num. 1.

Concessa iurisdictione cum reseruatione quorundam casuum, cætera omnia præter reseruata concessa censentur, num. 2. *&* 3.

Exceptio an, & quando firmet regulam in casibus exceptuatis, ibid.

Argumentum à contrario sensu an, & quando valeat, ibidem.

Inclusio vnius an, & quando sit exclusio alterius, nu. 3.

Fides simplices licet ex se fidem non faciant, probant tamen concludentibus adminiculis, num. 4.

Obseruantia subsecuta declarat quid in præcedenti dismembratione Ecclesiæ fuerit actum, num. 5.

Episcopus in assignatione, & taxatione decimarum debet considerare qualitates, & circumstantias loci beneficij, personarum, onerum, & alia de quibus, num. 6.

DECISIO CCCCXCVII.

1 Stante declaratione Sacræ Congregationis Concilij interpretum super *sess.* 21. *cap.* 4. *de reformat.* quòd decimæ ad Ecclesiam matricem pertinentes non transeunt ipso iure in parochialem Ecclesiam nouiter erectam, sed remanent apud Ecclesiam matricem, nisi eas Episcopus nouo parocho ad præscriptum Concilij assignauerit, facilis visa fuit resolutio dubij, quòd sit recedendum à decisis sub die 18. Martij 1616. Quia dum in ista erectione non leguntur assignatæ decimæ Ecclesiæ filiali, in necessarium consequens, illæ remanserunt Ecclesiæ matrici, & sic cessat principale fundamentum decisionis quòd facta erectione nouæ parochialis ex causa necessaria statim illa fundauit intentionem super decimis infra suos limites aduersus Ecclesiam matricem. Hoc enim procedit attento iure communi, ex deductis in decisione, secus ad præscriptum Concilij, cui standum est.

2 Nec obstat, quòd in erectione fuerint reseruatæ primitiæ Ecclesiæ matrici, & sic decimæ debent censeri translatæ in parochialem, argumento sumpto à contrario sensu, & ab inclusione vnius ad exclusionem alterius, vt in decisione, & hic per informantes pro Rectore, qui exempla allegant, quòd concessa iurisdictione cum reseruatione quorundam casuum, cætera omnia dicuntur concessa, ex Dec. *cons.* 197. *num.* 3. *vers. tertio ad præfatam*, & Paris. *cons.* 8. *nu.* 8. *& seq. lib.* 1. Quia huiusmodi argumenta non procedunt ad correctionem iuris communis. Abb. *in cap. Raynaldus num.* 18 *ad fin. de testam.* Mantic. *de coniect. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 15. vbi de communi. Vltra quòd in casu Dec. & Paris. concessio iurisdictionis omnia comprehendebat, quod non est in casu nostro, quia reseruatio primitiarum, & erectio in parochialem, ex se non continet assignationem decimarum nouæ parochiæ, nisi illa fiat.

3 Præterea argumentum ab inclusione, ex *l. cum prætor, ff. de iudic.* cum simil. non procedit quando illud, de cuius exclusione agitur, est inclusum alia via. Dec *cons.* 110. *num.* 6. *vers. secundò quòd licet.* vnde cum alia via, & ex dispositione Concilij non facta aliter assignatione nouæ parochiali decimæ remanerent Ecclesiæ matrici, non concludit argumentum. Postremo illi non est locus vbi repugnat verisimilis mens disponentis. Socin. iun. *cons.* 121. *num.* 22. *lib.* 1. Menoch. *cons.* 14. *num.* 14. *vers. tertio ex verisimili mente, & cons.* 106. *nu.* 232. *vers. imò hac in re, & in terminis reseruationis.* Bec. *cons.* 111. *n.* 36. *vbi post* Crauet. *cons.* 297. *nu.* 7. *vers. octauo respondeo.* tradit optimam rationem, quòd non est verisimile voluisse disponentem excludere alias res per reseruationem vnius, cùm voluerit ius suum conseruare, ne inducta ad augmentum operentur diminutionem, & benè etiam Mandel. *cons.* 164. *num.* 3.

4 In proposito autem constat de intentione tam Ordinarij, quàm Præpositi excludendi Rectorem ab istis decimis, quia in decreto dismembrationis postquam fuerunt reseruatæ primitiæ Ecclesiæ matrici, sequuntur hæc verba, *E che il popolo mantenghi del suo il Curato*, quod ostendit decimas non fuisse ei assignatas, & licet hoc possit intelligi in subsidium, quòd portio assignata ex fructibus Ecclesiæ matricis non sufficeret pro noua parochiali iuxta aliam declarat *Sacra Congreg. super d. cap.* 4. *sess.* 21. satis est quòd non probetur assignatio, & cessat difficultas ex obseruantia subsequuta, cum post dictam dismembrationem Præpositi pro tempore, & non Rectores semper decimas exegerint, vt fuit firmatum in decisione super mandato de manutenendo ad fauorem Præpositi, & Canonicorum, vigesimatertia Iunij 1614. coram me, & vltra ibi adducta hodie dantur fides duorum sacerdotum, qui post dictam dismembrationem fuerunt Rectores loci Carlatij per sex annos, & vltra, & attestantur quod toto

dicto tempore integra decima, & primitia dicti loci fuit exacta per Præpositum Coadiutorem, & Scholasticum pacificè & quietè, nec vllam partem habuit Rector, & quòd ipsi pro dote & congrua beneficij eorumque sustentatione receperunt singulis annis à communitate & hominibus Carlatij scuta 60. anni comprehensis redditibus, & fructibus bonorum stabilium, quibus dicta Ecclesia Carlatij dotata reperitur, quæ simplices fides licet ex se non sufficiant, concurrentibus tamen adminiculis, de quibus in dicta decisione, & quod sint factæ à sacerdotibus medio iuramento, & de facto proprio, ac in re non solùm verisimili, sed etiam conformi dismembrationis decreto plenam fidem faciunt. Verall. *decis.* 234. *part.* 1. & fuit dictum in *Mediolanen. Cambiorum* 10. *Martij* 1606. *coram Reverendiss. Attrebaten.*

5 Huiusmodi autem obseruantia declarat quid in præcedenti dismembratione fuerit actum. *leg. sed Iulianus,* §. *proinde, ff. ad Maced.* Castr. *cons.* 347. *num.* 4. *lib.* 1. Crauett. *cons.* 101. *num.* 3. & *cons.* 211. *nu.* 8. Gabr. *cons.* 66. *num.* 24. *lib.* 2. Rota *decis.* 571. *num.* 3. *part.* 1. Et cum sit interpretatiua, non autem inductiua noui iuris, sufficit aliquando ita obseruatum fuisse, nec indiget præscriptione. Crauett. *cons.* 201. *num.* 11. & *seq.* Put. *decis.* 283. *nu.* 3. *lib. p.* Crescen. *decis.* 1. *de constit.* Seraphin. *decis.* 1410. *num.* 17.

6 Non obstat alia ratio quod eo ipso quod Archiepiscopus erexit istam nouam parochialem cum certis finibus, & limitibus, assignando tales limites videtur assignasse non solum onus intra illos sacramenta administrandi, sed etiam commodum percipiendi emolumenta, hoc enim, vt supra dixi, habet locum in terminis iuris communis, secundum consil. *Calderin.* 2. *de decim.* cum aliis allegatis in decisione: secus attenta dispositione Concilij, ad cuius præscriptum competens portio ex fructibus Ecclesiæ matricis arbitrio Episcopi assignari debet, cum enim ad istum effectum Episcopus debeat considerare qualitates, & circumstantias loci, beneficij, personarum, onerum, & alia, de quibus per Rebuff. *de congr. port. quæst.* 8. *per totam.* Surd. *de alim. tit.* 4. *quæst.* 23. *num.* 43. & *seq.* Rota *decis.* 5. *num.* 2. *part.* 2. *diuers.* atque ita proportionabiliter hanc competentem portionem assignare satis apparet ex sola distinctione limitum assignationem huiusmodi non fieri, nisi etiam sequatur arbitrium Episcopi in considerandis omnibus supradictis, atque in facto, & assignatione decimarum opus esse.

Et ita conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO.

Romana pignorum. Mercurij 30. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Hebræi bancherij, & fœneratores in Vrbe possunt tutè super pignoribus ad alios spectantibus mutuare vigore capitulorum, nec tenentur restituere pignus, ipsis non soluta sorte principali cum vsuris eorumque libris, quid, quantum, & quando credatur.

SVMMARIVM.

Hebræi bancherij, & fœneratores in Vrbe possunt tutè super pignoribus ad alios spectantibus mutuare vigore capitulorum, nec tenentur restituere pignus ipsis non soluta sorte principali cum vsuris, num. 1.

Dolus in Hebræis bancheriis, & fœneratoribus non præsumitur, nisi probetur, ibid. in fine.

Libris Hebræorum, bancheriis, & fœneratoribus nunquid credatur, num. 2.

Libris argentariorum creditur, & quinam sint hodie isti argentarij, vbi quid si in illis non sit seruata forma præscripta in capitulis, num. 3.

Correspectiua non dicuntur capitula, quando sunt inter se distincta, & separata, vbi ampliatur hæc conclusio etiam quòd initio capituli adesset dictio item, nu. 4. *& num.* 5. *vbi de eadem materia.*

Expressum quod non fuit, habetur pro omisso, quando præsertim disponens id quod voluit expressit. nu. 5. *in fine.*

Forma non adimpleta non corruit dispositio non habens decretum irritans, num. 6.

Rubrica declarat nigrum, ibid.

Reformatio alicuius dispositionis præsupponit ipsam dispositionem fuisse, ibid.

Vsuras exercendi facultatem Iudæis Papa non concedit, sed tantum tolerat, vt possint mutuare sub vsuris seruatis capitulis, quæ pro tempore dantur, & quæ nullam inducunt tolerantiam, ibid. in fine.

DECISIO CCCCXCVIII.

Qvidam proxeneta gemmas, quas ab aliquibus receperat, vt vendi curaret oppignorauit Hebræis, quibus post obitum proxenetæ nonnulli prætendentes se esse dominos vnionum, & margaritarum litem intulerunt: causa extra Rotam discussa declaratum fuit per sententiam, quæ transitum fecit in iudicatum, Hebræos non teneri ad restitutionem pignorum, nisi soluta prius sorte principali, & vsuris, & præterea licuisse illis distrahere pignora iuxta formam capitulorum: postmodum cum mihi commissa fuisset causa restitutionis in integrum, pluries dubitaui an dominis vnionum, & margaritarum ita quadriennij lapsus obstaret, vt amplius audiendi non essent, sed cum nunquam potuisset capi resolutio tandem die 10. Martij ordinarunt Domini quòd strictè informaretur super bono iure, & causa semel atque iterum opposita resolutum fuit constare de bono iure Missanorum Hebræorum, & per consequens de malo iure aduersariorum. Ratio decisionis sumpta fuit ex cap. 16. Reformationis, in quo expresè per hæc verba disponitur. *Item, che se l'Hebreo banchiero ignorantemente prestasse sopra pegno che fosse robbato, in tal caso sia tenuto il vero padrone restituire al banchiero la sorte principale senza vsura, purche il Christiano habbia fatta diligenza tra gli Hebrei di ritrouare il furto fra vn mese, & subito trouato riscuotere la cosa furata, e non riscotendola sia tenuto non solo alla restitutione della sorte principale, ma ancora dell'interesse da correre dal giorno che fosse ritrouato il furto, ma non hauendo fatto diligenza di trouarlo fra vn mese dal dì che fu impegnato sia tenuto alla restitutione della sorte principale, & interesse, però tutto questo s'intenda purche il banchiere Hebreo non sia in fraude, ne consapeuole del furto, che in questo caso sia castigato oltra all' esser tenuto alla restitutione del pegno senza sorte principale, & interesse;* vnde stante isto capitulo cum dolus, &

& fraus non probentur, nec de iure præsumantur, *l.quoties.§.qui dolo.ff.de probat.* Alciat.*de præsump.reg.3.præsumpt.40.nu.1.*cum aliis per Menoch.*præsumpt.27.nu.1.lib.1.* meritò constat de bono iure dictorum Hebræorum.

2 Neque obstat, quod ex aduerso obiicitur oppignorationem non probari ex libris Hebræorum, cùm hi libri pro scribente non probent, quia contrarium statutũ est *in cap.10.Reform.*vbi legitur. *Item si debba dar fede à quelli libri de banchieri, quali saranno tenuti secondo la forma ch'à loro sarà data, & scritti in lingua Italiana, e che saranno approuati dal nostro Auditore, ò da personne perite da essere elette da lui, al quale diamo piena facoltà di poter per Natale ogni anno eleggere, e dar loro il modo, e forma secondo la quale habbino à tener detti libri, dichiarandosi che detta approuatione si deue far prima, che si cominci à scriuere il libro, nel quale non si possa scriuer prima, sotto pena di scudi dua, altrimente non faccino fede alcuna.* Quæ omnia cùm fuerint adimpleta, nulli dubium est, quòd liber probat etiam pro Hebræo scribente. Stracca *de mercatura, secunda par.n.64.* Munnos de Escobar *de ratiociniis c.11.n.14.* ea ratione, quia eorum fides de publico est adprobata, ex tex. *in l.quædam.§.nummularios.ff.de edendo*, vbi Bart. Menoch.*lib.2.de arbitrar.cas.91.n.8.* sic libris argentariorum fides adhiberi solebat, vt cõstat ex textu *in l.4.6.& 8.ff.de eden.* tam contra, quàm pro, vt *in l.argentarius 20. eod. tit.* qui argentarij erant priuati fœneratores priuatam negotiationem exercentes, & loco mercatorum habebantur, quæstum namque aut in permutandis, aut fœnerandis pecuniis faciebant, licèt eorum munus esset publicum, secundùm Ias. Zas.& Oras.*in l. Prætor ait.ff.de eden.* Matienzum.*in l.1.gloss.7.tit.18. lib.1. recompilat. num.* 4. Munnos de Escobar *loco præcitat.num.1.& seqq.*

3 Minus etiam facit quòd Hebræorum libris credendum non est ex eo, quòd non fuit seruata forma c.13.in quo disponitur. *Item che siano obligati scriuere al libro la qualità del pegno più essentiale come fino, ò grosso, nuouo, ò vecchio, & il colore, e volendo il Christiano metter li sigillo, ouero contrasegno l'Hebreo nol possi ricusare, e nel libro, e nella poliza, ò bolletino da darsi come di sopra ne habbi da far mentione, sotto pena di scudi quattro per ciascuna volta, & essendo il pegno di oro, ò di argento, ò gioie, ò altra materia pretiosa, oltre altre qualità, e circonstanze sopradette, vi si debba scriuere il peso, & il numero loro, sotto pena di scudi venti per ciascuna volta contrauenisse, contro liquali non si possa procedere; se non quando il padrone facesse querela*; quia fuit responsum sufficere, quòd fuerint seruatæ qualitates ca.10. ex quibus fides adhibetur libris, nam *c.13.*non tangit qualitatem an fides sit adhibenda, vel non adhibenda libris, sed solùm tangit interesse partis, vt faciliùs cognoscantur qualitates rei restituendæ ne oppignorantes defraudentur, per ea, quæ notat Salyc. *in l.tutores num.11.ff.de administr.tutor.& curat.* Mayner. *in l.quo tutela.nu.59.ff.de reg.iur.* quod etiam manifestè colligitur, cùm ex forma capituli ad querelam partis tantùm agi possit ad pœnam.

4 Neque est verum quòd dictum c.13. tangat etiam fidem librorum, cùm ista capitula sint inter se correspectiua, quia ista correspectiuitas non adest; vt fuit resolutum 17. Maij 1604. coram Illustrissimo Mellino, cùm quodlibet capitulum sit de per se distinctum, & separatum; & quamuis dictum cap. 13. respicere videatur tolerantiam mutuandi, non tamen respicit fidem librorum, prout in simili videmus, quòd sub titulis iuris Canonici & iuris Ciuilis adsunt plura capitula & leges correspectiuæ ad rubrum, non tamen capitula, & leges sunt correspectiuæ inter se, vt vnicum capitulum, & vna lex alteri dicatur inesse; quod procedit etiam si dicta capitula sumant initium à dictione, *Item*, quæ non operatur quin capitula dicantur esse diuersa, vt *in l.item apud,ff.de iniur.& in l.item si vnus, ff.de pactis*, gloss. *in rubr.Instit.de rer.diuisione.*

Denique non obstat quòd saltem ista capitula sunt correspectiua ad tolerantiam mutuandi, & ideo non seruato vna capitulo cessat tolerantia mutuandi, Aym.*cons.230.num.2.*& pleniùs *cons.279.in fine*, vnde casus remanet in dispositione iuris communis secundùm quòd Domini vnionum, & margaritarum possunt illas absque alia solutione recuperare; nam huic motiuo dupliciter responsum fuit. Et primò quòd fortè procederet, si *cap.13.*respiceret substantiam tolerantiæ mutuandi, sed cùm respiciat tantùm quoddam accidens concernens interesse partis, vt suprà dictum est, non seruato illo accidenti, non tollitur tolerantia mutuandi, sed illud contrafactum improbatur, itaut pœna exigi possit, *l. huius, ff. de action. empt.l.rogasti, §.fin.ff.si cert.petat.* Corn.*cons.120.nu.6.lib.1.* Socin.senior.*cons.253.num.13.lib.1.* & bene facit Zasius *respon.12. lib.1.* & quòd verissima sint prædicta, satis patet ex eo, quia quando superiores voluerunt ex aliqua contrauentione pignus amitti, vel inobedientes priuari tolerantia vlteriùs mutuandi, id expresserunt, vt patet ex *cap.20.* vbi legitur, *Item si ordina che quando si cercasse qualche pegno, che si pretendesse essere stato impegnato sensa consenso delli veri padroni, sia tenuto il banchiero vsare la sua diligenza, laqual diligenza sia di monstrare il libro di quel tempo chè si demandasse al nostro notaro, ouero altro per nostra commissione, sotto pena di vn scudo per ciascheduna volta, laqual diligenza vsata se si trouasse poi il banchiero in fraude di hauer hauuto detto pegno senza scriuerlo in libro incora in perdita del pegno, e di scudi 25.per ciascheduna volta.* & ex *cap.36.*vbi dicitur; *Item che contrauenendo li detti banchieri à qual si voglia delli sudetti capitoli, nel qual non sia specificata pena ò di perder la facolta di poter imprestare, ò altre pene da imporsi ad arbitrio nostro, &c.* quare si in casu *cap.13.*disponens voluisset quòd Hebræus pignus amitteret, vel hoc esset reseruatum in facultate superioris, id expressisset, sicut expressit in supradictis duobus casibus, Anania *cons.22. vers. est etiam multum ponderandum*, Anchar.*cons.120.nu.4.* Alex.*cons.38.num.6.vol.1.* Cardin.Mantic. *de coniect. vlt.volunt.lib.11.tit.14.num.10.* 5

6 Secundò principaliter responsum fuit Hebræos eo ipso quo à Camerario deputantur argentarij, seu vt vulgo loquuntur, bancherij recipere tolerantiam mutuandi, non autem à dictis capitulis, quæ solùm dant certam formam, qua non seruata, cùm non habeant decretum irritans, non vitiatur tolerantia pignorandi, gloss. *in Clement.1. verb.inhibentes, de iurepatron.* & propterea licèt non fuerit seruatum *cap.13.* sufficit quòd fuerint seruata alia capitula, ex quib.pignus rei alienæ sustinetur, cùm ista capitula, vt dictum est, non sint inter se correspectiua. Quòd autem Hebræi non recipiant tolerantiam mutuandi ex dictis capitulis, patet ex ipsa rubrica, quæ declarat nigrum. Roman.*cons.120 num.5.vers. quoad secundum*, Anchar.*cons.271.num.3.* Alexand. *cons.13. num.8.lib.3.*& inscribitur.*Capitoli, e riforma delli banchieri Hebrei ridotta à 18. per cento l'anno*; & in nigro habetur; *Cum sicut accepimus aliàs bo.me. Aloysius Cornelius, &c. eiusque prædecessores diuersa capitula prout*

temporum necessitas exigebat, bancheriis Hebrais in Vrbe nostra commorantibus, super modo, & forma eorum exercitium concernentia concesserit,&c.& ibi idem Camerarius reducendo, & moderando omnia capitula vsque in hodiernum diem facta eosdem bancherios Hebræos reformando facit, & condidit capitula infrascripta, & in primo capitulo habetur: *che quanto è tollerato alli banchieri Hebrei sia chiaro ad ogni persona*, &c.& ibi, *riducendo e moderando tutti gli altri capitoli fatti sino al presente giorno, e riformando li detti Hebrei banchieri habbiamo riformato, & moderato à maggior chiarezza li seguenti capitoli.* Vnde certum est istam reformationem præsupponere quòd aliunde quàm ex dictis capitulis Hebræi habeant tolerantiam mutuandi, Anchar. *cons.152. num. 2. vers 2. probatur, lib. 6.* alioquin si non habuissent aliunde, reformari minimè potuisset, Alex. *cons.6. in princ. lib. 6.* neque dicendum est, quòd prædictam facultatem habeant à similibus capitulis Cardinalis Cornelij & aliorum, quia hoc non videtur verum cùm præcedentia capitula contineant similia verba, prout suprà relata, ex quibus apparet quòd Hebræi habent aliunde, quàm ex capitulis tolerantiam mutuandi, vt patet ex prædictis verbis vltimorum capitulorum, ibi: *Capitoli, e riforma delli banchieri Hebrei.* & hoc expresse legitur in primo capitulo, in quo nedum dicitur quòd Hebræi bancherij, sed etiam capitula reformantur, & prædicta patent etiam euidentissima ratione, quia solùm illi, qui habent patentes pro bancheriis tolerantur, vt possint mutuare, & tolerantia sit cum prædictis capitulis, non autem Princeps dat facultatem mutuandi sub vsuris, vt egregiè declarat Fr. Sixtus Medices *de fœnore Iudæorum lib. 2. c. 7. 9. & 10.* & propterea eo ipso quo Hebræus deputatur bancherius, toleratur, vt possit mutuare sub vsuris seruatis capitulis, quæ pro tempore dantur, & quæ nullam, vt dixi, tolerantiam inducunt.

Et ita, conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana mercedis. Mercurij 31. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Habetur in Summario.

SVMMARIVM.

Exequutio non fit etiam pro summa liquida pro eo qui tenetur reddere rationem de alia maiori quantitate, quia vel præsumitur satisfecisse sibi, vel fiet compensatio in partitis, in quibus potest remanere debitor, num.1. declara vt num.2.

Compensatio non intrat pro summa soluta ad computum expensarum litis, num.3.

DECISIO CCCCXCIX.

FVit resolutum mandatum esse exequendum, seu relaxandum pro scut. 125. Nam isti de Signoribus fuerunt per sententiam Illustrissimi Cardinalis Lancellotti inter cætera condemnati ad soluendum Manzono scuta 150. pro salario trium annorum, & cùm in eius locum fuisset subrogatus Illustrissimus Cardinalis Ludouisius in exequutionem dictæ sententiæ, relaxauit mandatum pro dicta summa in vim commissionis executorialis eidem Illustr. Lancellotto directæ: vnde cùm ex decisionibus coram dictis Illustrissimis Cardinalibus, & coram me factis, constet de iustitia dicti mandati, & Manzonus habuerit scuta 25. in causam per Rotam declarandam, quam hodie Domini dixerunt esse istam mercedis, dictum mandatum videtur exequendum, seu relaxandum pro residuo, quod est scutorum centum vigintiquinque.

Quibus non obstat quòd Manzonus tenetur reddere rationem de scutis 6000. sibi assignatis ad exigendum, pro quibus prætendit sex pro centenario, & ideo interim non sit facienda exequutio pro dicta summa scutorum 150. etiamsi sit liquida, cùm vel præsumatur satisfactum. Afflict. *decis.13. num.16.* vel possit remanere debitor in aliis partitis, cum quibus esset facienda compensatio. Gabr. *cons. 61. num.16. lib.2.* 1

Quia negatur quòd Manzonus teneatur reddere rationem de dictis scutis 6000. cùm illa ad ipsius manus non peruenerit, erat enim simplex sollicitator, seu Procurator ad exigendum, & solummodo citabat debitores, & alios actus iudiciales contra eos faciebat vsque ad actualem solutionem, quæ postea fiebat ipsis de Signoribus creditoribus, non autem Manzono, sed solummodo tenetur ad effectum consequendi scuta sex pro centenario liquidare summam exactam ex dictis scutis 6000. vt dicitur in decisione coram me facta 7. Nouemb. præteriti, & interim quod fit dicta liquidatio, non potest impediri exequutio pro summa scutorum 150. debita ex alia causa, quæ nulla indiget liquidatione. 2

Minus obstat quòd Manzonus vltra dicta scuta 25. habuerit alia scuta 28. de ordine Rotæ, quia, cùm illa habuerit pro expensis litis, non intrat compensatio. Boër. *decis.324. num.3.* stante præsertim commissione directa Illustrissimo Cardinali Lancellotto, cum clausula, *Constito de paupertate*, & subministratis expensis litis. 3

Cætera autem quæ adducuntur de expensis litis, in quibus Manzonus fuit condemnatus in sententia Illustrissimi Cardinalis Lancellotti, & quòd Illustrissimus Ludouisius non potuerit relaxare mandatum ad fauorem Manzoni in vim dictæ sententiæ, à qua ipse appellauerat, tolluntur, ex decisionibus factis coram Domino Ludouisio 16. Martij 1612. & coram me, quæ non est opus hîc repetere.

R. P. D. BVRATTO.

Pistorien. beneficij. Mercurij 31. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Sententia quãdo dicatur notoriè iniusta ad effectum, vt reputetur nulla, & exequutionem non mereatur, & quando præsertim dicatur notoriè iniusta, si ex actis non iustificatur. est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Nullitas sententiæ probanda est per eum, qui nullitatem allegat, num.1.

Sententia quæ in iudicatum transit, habet præsumptionem pro se, si est vnica: multo magis si res indicata est inducta per tres conformes, ibid. ad finem.

Senten-

Sententia ex actis iustificata est notoriè iniusta. declara vt nu. 2. vbi quòd qui dicit sententiam non iustificari ex actis, probare debet.

Sententiam non iustificari ex actis probari non potest, nisi per integram transportationem actorum, ibid.

Sententia non potest dici notoriè iniusta, nisi prius constet de illius iniustitia, num. 3.

Sententia non dicitur notoriè iniusta, nisi notorietas aliquo colore offuscari non possit, num. 5.

Sententia notoriè iniusta exequutionem non meretur; ibid. in fine. declara vt nu. 6.

Sententia quæ non iustificatur ex actis, potest etiam aliunde iustificari, num. 6. & 7.

DECISIO D.

1 Tenuerunt Domini non esse reuocandas ex capite nullitatis tres sententias conformes ad fauorem Gabrielis, in partibus latas; per quas fuit pronanciatum, ipsum tanquam præsentatum ad beneficium de quo agitur, à veris, & indubitatis patronis, & in quasi possessione præsentandi existen. esse instituendum: præsentationes verò de aliis, inter quos Rodulphus, & ab aliis factas, reiiciendas. Nam Rodulphus tanquam actor tenetur probare nullitatem per eum principaliter propositam, ex vulg. & in specie in sententia, text. *in c. præsentia, de renunc. & in cap. cùm super, de re iudic.* Ioan. Andr. ad Specul. *de exeq. sent. §. postremò. vers. incip. § seq.* Bart. *in l. 1. nu. 16. C. quand. prouoc. non est necess.* cum pluribus per Vant. *de nullit. tit. à quo, & quibus, &c. nu. 2. & 5.* Maximè cùm tendat ad dictas sententias; vnà cum exequutione subsequuta, reuocandas, & pro illis præsumatur: si enim vnica, quæ transiuit in iudicatum, habet pro se presumptionem, *cap. cùm inter, & c. sicut, de re iudic.* Capic. *dec. 16. in princ.* Rot. *decis. 636. n. 1. part. 1. diuers.* Menoch. *lib. 2. præsump. 67. n. 48* Multo magis tres conformes, subsequuta præsertim earum exequutione, ad *l. 1.* cum ibi not. per Angel. *in princ. C. ne lic. in vna eademq. caus. & c. Clement. vt calumniis, de re iudic.* Put. *decis. 198. nu. 1. lib. 1. in nouissim.* & facit decisio in Barbastren. pecuniaria 1. Iulij 1616. coram R.P.D. meo Andrea.

2 Nec obstat quòd dictæ sententiæ vti ex actis non iustificatæ sint notoriè iniustæ, & consequenter nullæ, etiamsi ad acta se expresse non referant. Abb. *in c. inter cæteras, n. 10. & 11.* & ibi Felin. *in 3. conclus. n. 10. de re iudic.* cum aliis in Romana officij 3. Ianuarij 1608. coram bon. mem. Sotto. Nam huiusmodi negatiua, quòd non sint ex actis iustificatæ sententiæ (quæ tanquam fundamentum intentionis Rodulphi esset ab eo concludenter probanda, ad communem doctrinam Bart. *in l. in illa. ff. de verb. obl.*) & ex prædictis non potest iustificari nisi per ipsum integer processus, & omnia acta exhibeantur, Rot. *d. decis. 636. in princ. & n. 3. p. 1. diuers.* Card. Seraph. *decis. 290. n. 20. & decis. 1307. nu. 3.* & fuit etiam dictum in Romana domus de Cansachis 20. Maij 1589. coram bo. me. Card. Blanchetto. Quod tamen non fecit: in processu enim per eum producto non legitur rogitus actuarij causæ primæ instantiæ productionis omnium processuum formatorum, del 1592. & 1600. super confirmatione donationis iurispatronatus, & illius canonizatione; quæ productio facta fuit pro parte Gabrielis 7. Septembris 1609. coram Vicario Pistorien. in præsentia Procuratoris dicti Rodulphi, vt in secundo summario dicti Gabrielis, *num. 2.* & eadem die adnotata super dictis processibus per eundem Notarium.

Ex quo etiam cessat oppositio, quòd fuerit productio verbalis; & nihilominus ex dictis processibus, & actis non solùm deducuntur talia, ex quibus excluditur prætensa iniustitia; sed plura etiam (vt Dominis visum fuit) considerabilia pro iustificatione dictarum sententiarum, tam circa pertinentiam iurispatronatus, quàm possessionem, seu quasi, præsentandi, latè, & copiosè cumulata in responso Caballi Assessoris 126. *part. 2.* & in motiuis auditorum Nuncij Florentini, in dicto summario, *nu. 5.* Ideoque non potest dici constare de notorietate, nisi prius firmetur substantia; & sic iniustitia, Contard. *ad l. vnic. C. si de moment. possess. limit. 9. nu. 35 & 36.* Cauall. *decis. 81. nu. 6. part. 1.* & facit Bald. *cons. 465. num. 1. & 2. part. 4.* & fuit dictum in Anconitana bonorum 29. Februarij 1616. coram me. 3

Quæ notorietas requiritur ad hoc, vt iniustitia causet nullitatem, vel illi æquiparetur, vt *in dicto cap. inter cæteras,* tenet Butr. *in fin.* Abb. *dicto nu. 10. & 11.* & Apostill. ad eum, Cardin. & Alex. de Neu. *nu. 3. & 4. in fin.* Imol. *col. 2. vers. tamen dict. Ant.* Ioann. de Anan. *in fin.* & Felin. *num. 5. & seqq.* idem Imol. *in Clement. 1. sub n. 12. eodem tit.* Bero. *in cap. quoniam contra, num. 241. de probat.* Contard. *dicta limit. 9. num. 8. & 9. & num. 42. & seqq.* Surd. *cons. 405. sub num. 16. & seqq.* Cauall. *dicto cons. 81. num. 2. & 3.* Menoch. *lib. 1. præsumpt. quæst. 79. num. 3. & 4. & lib. 2. dicta præsumpt. 67. num. 51.* & conueniunt omnes Rotæ decisiones ad id allegatæ. 4

Talis autē debet esse huiusmodi notorietas quòd aliquo colore velari, & offuscari non possit, Butr. *in cap. in præsentia, nu. 8. vers. si autem iudex, & vers. non placet, de renunciat.* & ibi Imol. *nu. 50. vers. tertio & vltimo casu,* Corn. *cons. 10. sub nu. 3. lib. 4.* Felin. *in dicto cap. inter cæteras, nu. 7.* Ripa. *in l. 4. §. condemnatum, nu. 17. vers. quam sententiam. ff. de re iud.* Contard. *dicta limit. 9. nu 34.* Vant. *de nullit. ex defectu process. num. 118. cum pluribus seqq.* Cephal. *cons. 201. nu. 10. & cons. 202. nu. 18. lib. 2.* Surd. *dicto cons. 405. n. 23. 24. & seqq.* Caual. *dicto cons. 81. nu. 4.* & ita etiam tenuit Rota in Toletada matrimonij 27. Iunij 1569. coram Grato, relata *in decis. 85. nu. 4. part. 1. diuers.* & coram Seraphino *in decis. 616. nu. 8. & 9.* in Rauennaten. bonorum 15. Aprilis 1575. coram Robusterio, & in Bononien. bonorum de Buccamatiis 20. Iunij 1586. coram Orano, in Roman. de Bombellis 31. Maij 1613. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno. in Nepesina laudi 13. Februarij 1615. coram R.P.D. meo Caualerio, in dicta Anconitana bonorum 29. Februarij 1616. & 14. Aprilis præteriti coram me, & in dicta Barbastren. pecuniaria coram R.P.D. Andrea. Nam contra notorium admittitur exceptio ad elidendum actiones agentis, licèt non perimatur substantia veritatis. Bald. *in l. final. num. 40. vers. & sic contra notorium. C. de edict. D. Adrian. &c.* Quæ tamen notorietas, in proposito adesse dici non potest, ex prædictis; & ita etiam tacitè videtur confessus Rodulphus, dum acceptauit rescriptum commissionis causæ nullitatis iudici Synodali Pisarum, cum clausula *parito iudicato;* eoque vsus fuit illud producendo, & illius vigore causam prosequen. cum dicta clausula; si enim prætendere potuisset notoriam iniustitiam, verisimiliter reclamasset pro impedienda exequutione, cùm notoria iniustitia impediat exequutionem etiam trium conformium. Gabr. *cons. 28. nu. 4. lib. 2.* & rei iudicatæ, vt videtur sensisse Rota in Corduben. decimarum de Marthos 13. Martij 1581. coram bon. me. Cardinali Blanchetto. 5

Vltra quòd dictæ sententiæ possunt etiam iustificari ex aliis antiquis, & nouis probationibus; immò ex noua causa, *l.1.§.1.ff. quæ sent. sin. appell.* Bart. *in d. l. 1. num. 16. C. quando prouoc. &c.* Caputaq. *decis. 120. num. 2. part. 3.* & sententia etiam ex actis non iustificata, non habetur pro notoriè iniusta, nisi quando ex aliis non iustificatur. Put. *dec. 391. lib. 1. in nouissim.* quam sequitur Seraphin. *decis. 701. nu. 3.* vel quando non potest ampliùs iustificari. Idem Seraphin. *decis. 734. num. 4.* maximè cùm non agatur de illis exequendis; quo casu maturiùs esset procedendum. Idem *dicta decis. 290. num. 21.* sed de illis sustinendis Put. *decis. 391. num. 1. & 2.* Achil. *decis. 7. in fin. de re indic.* & sentire videtur Gabr. *dicto cons. 28. num. 7.* & Rota in dicta Romana officij coram Sotto.

7 Demum cùm dictæ sententiæ non se referant expressis verbis, & per modum causæ dispositiuæ ad acta vbi etiam non essent ex illis iustificatæ, non possent dici notoriè iniustæ, itaut reddantur nullæ, vel pro nullis habeantur, iuxta opinionem Abb. & Felin. *in dicto cap. inter cæteras, suprà allegatorum.* nam Rota illam non sequitur, sed tenet quòd hoc casu habeantur pro validis, iuxta gloss. *in l. 1 in verbo, vel transactio;* & ibi Bart. *num. 2. & 3. C. de error. calculi,* & Bald. *sub num. 5.* Alex. *in l. rei iudicatæ, §. 1. num. 6. vers. sed contrarium. ff. solut. matr.* & de magis communi Vrsil. ad Afflict. *decis. 28. num. 6. vers. & similiter non obstat, & num. 7.* Contard. *dicta limit. 9. nu. 59. vers. non puto.* Gabr. *tit. de sentent. conclus. 10. num. 5.* Put. *dicta decis. 391. in princ.* Et fuit dictum in Anconitana assecurationis 1. Iulij 1602. coram Reuerendiss. D. meo Decano. & in Firman. Altaris 5. Iunij 1606. coram Reuerendissimo Lugdunen. Et de obseruantia Rotæ testatur Gabr. *d. cons. 28. num. 3. vers. verum.* Illas tamen reuocat, quando ex actis sunt notoriè iniustæ, nisi aliunde iustificentur, vel possint iustificari; iuxta superiùs adducta; & declarauit Rota 12. Ianuarij 1543. in vna Toletan. matrimonij coram Puteo, vt dicitur *in additione ad supradictam eius decisionem 391.* & sentiunt Gabr. *dicto cons. 28. nu. 2. & 3.* & Card. Seraph. *decis. 251. in fin.*

Et ideo ex his fuit vt suprà decisum.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana domorum. Mercurij 31. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Dominium concludenter probandum est per agentem rei venditione, & quando concludenter probatum dicatur.

SVMMARIVM.

Dominium concludenter probandum est per agentem rei vendicatione, num. 1.

Dominium rei emphyteoticæ probatur per solutionem canonis, num. 3.

Liber extractus ex archiuo Capituli plenè probat contra Capitulum, ibid.

Testes probantes dominium quomodo deponere debeant, num. 6.

DECISIO DI.

1 PRo vlteriori causæ de qua agitur discussione, cùm sub die prima Iunij 1615. fuisset coram me decisum, sententiam vltimo loco latam respectu domorum in duobus primis capitibus positarum esse confirmandam. Postea dubitaui an tandem confirmata esset respectu aliarum quinque tertio loco expressarum? Et quoad quatuor domos fuit negatiuè resolutum, cùm respectu illarum Capituli dominium esset concludenter probandum, cùm ad rei vendicationem ageretur, vt fuit in hac eadem causa decisum.

Ad hoc autem dominium probandum, duo dantur instrumenta, alterum concessionis cuiusdam situs ad ædificandum domum Iacobo de Manghinis de anno 1502. factæ. Alterum quo fuit idem situs de anno 1551. Bartholomæo de Rocchis per hæredem dicti Menghini concessus; quæ instrumenta dominium non probant. *l. ad probationem, C. locati.* Bart. *in l. legato, n. 2. ff de adimen. legat.* Verall. *decis. 280. part. 1.* & fuit dictum in Nucerina emphyteusis 8. Februarij 1608. coram Reuerendiss. Attrebaten. 2

Non concurrente præsertim canonis solutione. Rot. *decis. 1366. num. 3. part. 3.* de qua solutione respectu quatuor domorum non apparet. licèt enim soluatur canon 15. Carlenorum, ex iuribus tamen productis, & præsertim ex libro censuali Capituli pro vna tantùm domo in plancta *sub num. 25.* designata, hîc soluitur. Qui liber tanquam ex Capituli archiuo extractus plenè probat, *cap. ad audientiam, de præscriptionib. authent. ad hæc, de fide instrumentor.* Boër. *decis. 105. nu. 11.* Gemin. *cons. 117. nu. 2.* Rom. *cons. 319.* Tanto magis contra Capitulum, à quo fuit ille productus. Bart. *in l. scripturæ, C. de fide instrument. & in l. quod debitori, C. de solutionib.* Crauett. *cons. 201. nu. 6. & cons. 77. num. 8.* 3

Non obstat fines in dictis instrumentis expressos aptos esse istas etiam quatuor domos comprehendere, quia dominium per solam finium designationem probatum non dicatur. Afflict. *decis. 262. nu. 4.* Clar. *in §. feudum, quæst. 18.* & fuit dictum in allegata Nucerina emphyteusis. Concurrentibus præsertim in casu nostro pluribus, ex quibus arguitur illum tantummodo situm fuisse concessum, vbi fuit vnica domus ædificata, vt in plancta *sub nu. 26.* 4

Et primò in dictæ concessionis instrumento legitur ad ædificandam domum, pro qua summa centum ducatorum erat eroganda, quæ respondet impensis pro domuncula faciendis, vt etiam idem ex modico canone quindecim Carlenorum soluendo comprobatur. Præterea in concessione de alio situ facta Mariæ & Colomæ de anno 1543. in plancta *sub num. 28.* pro termino à duobus lateribus dantur domus Bartholomæi de Rocchis propè situm, de quo agitur. Vnde satis apertè colligitur in eodem loco Bartholomæum ante dictam acquisitionem de anno 1557. alias domus habuisse. Quod etiam coadiuuatur ex pluribus aliarum domorum locationibus intra dictos fines ab eodem Bartholomæo factis ante instrumentum anni 1557. Vnde sub illo dici non possunt huiusmodi domus comprehensæ, & hoc sufficit ad excludendam intentionem Capituli, vt videlicet non dicatur totum concessum, quod intra fines designatos includitur. 5

Dantur vlteriùs testes nouiter examinati, qui deponunt huiusmodi domus longè ante annum 1557. fuisse contractas, & per consequens ante soli concessionem Bartholomæo factam. Qui testes cùm per harum domorum inspectionem deponant, & bonam reddant sui dicti rationem, concludenter probant. Bart. *in l. de ætate, nu. 11. de minor.* Menoch. *de arbitrar. casu 117. n. 1. & de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 51. num.* 6

num.68. Alex. *consil.116. in fine lib.1.* Aretin. *consil.142. num.21. ad medium.*

7 Nec valet dicere illas per Menglinum Ecclesiæ conductorem ædificari potuisse, & de anno 1557. easdem cedi Bartholomæo. Nam cessio de solo ad ædificandum loquitur, vt in concessione Menglino facta exprimebatur. Et vlteriùs pro eodem canone 15. Carelenorum, vnde colligitur totum situm quem ab Ecclesia Menglinus habuerat, fuisse in dicta cessione comprehensum. Accedit istas quatuor domus insignibus carere super Capituli domibus apponi consuetis, vt patet ex domo in plancta *sub num.26.* designata, quod pro adminiculo saltem inseruit, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Conchen. decimarum de Guascena. Mercurij 31. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Decimæ grossæ si priùs debebantur, & non minutæ, si fructus, qui priùs conficiebant decimas minutas, nunc seruntur in magna quantitate, vt multum creuerint, succedunt in locum decimarum grossarum.

SVMMARIVM.

Immemorabilis debet probari per testes de visu per longum tempus, de auditu à maioribus, & quòd non viderunt, aut audiuerunt contrarium, & quòd extat publica vox, & fama, numer. 1. & aliàs, vt numer. 4. & 5.

Decimæ grossæ si priùs debebantur, & non minutæ, si fructus qui priùs conficiebant decimas minutas, nunc seruntur in magna quantitate, vt multum creuerint, succedunt in locum decimarum grossarum. quia mutatio fructuum non mutat obligationem præstandi, quando ius est reale, & fundatum super terris, num. 2. limita vt numer. 3.

Præscriptio decimarum grossarum non intrat, si fructus, qui priùs erant minuti, sint effecti grossi. si non probetur quod solitus sit percipere decimas de fructibus cum illa qualitate postquam sunt effecti grossi, & abinde sit lapsum tempus legitimum, numero 5. in fine.

Parochus habet intentionem fundatam de iure super decimis terrarum intra limites suæ parochiæ, numer. 6. declara vt ibid.

Præscriptio est ad mensuram possessionis, quia tantum præscriptum, quantum possessum, ibid.

DECISIO DII.

1 PRopoposito dubio an Cantor deberet participare de decimis croci, & olei, Domini affirmatiuam sunt amplexi, quia ab immemorabili tempore eius antecessores ratione præstimonij Ecclesiæ de Guascuena Cantoriæ annexi participarunt de decimis grani, tritici, hordei centeni, auenæ, carnium & agnorum, & sic de decimis grossis, vt constat ex pluribus testibus formiter examinatis super secundo articulo deponentibus de visu à 40. annis & citrà, & de auditu à maioribus, & quòd nunquam viderunt, aut audiuerunt contrarium, & quòd de prædictis fuit & est publica vox, & fama, quæ sunt requisita immemorabilis, iuxta gloss. communiter receptam *in cap.1. de præscript. in 6.* Paris. *consil. 27. numer.96. lib.1.* Gabr. *de præscript. conclus.1. num.81. & seqq.* Couarr. *in reg. possessor. 2. part. §.3. num 7.* Molin. *de primogen. lib. 2. cap 6. num.3.* Balb. *de præscript. 2. part. partis princip. quæst.6. num.24.* Put. *decis.12. lib.3.* Seraph. *decis.1102. num.2.*

Vnde cùm hodie coloni omisso semine tritici, & aliarum specierum in eisdem locis cœperint serere crocum, & loco vinearum oliuas plantare, ita vt crocus & oleum, quæ antea inter decimas minutas reputantur, multum creuerint, & effectæ sint decimæ maiores, sequitur, quòd etiam Cantor debeat participare de decimis istorum fructuum tanquam subrogatorum in locum aliorum, quos priùs percipiebat, cùm illius ius sit reale fundatum super terris decimalibus, & mutatio fructuum non possit mutare obligationem præstandi decimas. *cap. cùm in tua, de decim.* & ibi Host. per illum text. *numero 1. vers. & secundum istos.* Ioan. Andr. *post princip.* Butr. *numer. 5. vers. vnde dicitur,* Abb. *num 5.* Balb. *vbi suprà 2. part. principali quæst. 2. num. 17. vers. pariter qui præscripsit.* Rebuff. *de decim. quæst.14. num.18.* Couar. hanc dicens communem pract. *cap 37. num.5.* & fuit resolutum in Conchen de Minaya 1. Iulij 1591. & Conchen. decimarum de Villanueua 5. Maij 1600. coram bon. me. Cardinali Pamphilio, & in Conchen. decimarum dell'Infantado 5. Decembris 1612. & 10. Maij 1613. coram Domino meo Pirouano, & in eadem 11. Martij 1616. coram D. meo Andrea, & aliàs sæpe. 2

Quibus non obstat quòd ex eisdem testibus videatur dictas decimas deberi Cantori ratione seminis, non autem ratione terrarum, quasi nullæ terræ sint propriæ decimatoriæ respectu Cantoris, & propterea non sit locus subrogationi, quia contrarium probatur ex dictis testibus super quarto articulo expressè deponentibus, dignitatem Cantoriæ, & præstimonium de Guascuena illi annexum, semper fuisse in quieta & pacifica possessione habendi pro decimatoriis omnes terras, & hæreditates tertiariæ dicti oppidi, & sic istud ius decimandi Cantori competens, vt suprà dictum fuit, conuincitur esse reale, &c. 3

Minus obstat, quòd vnus ex testibus deponentibus super immemorabili non deponat quòd maiores ita audiuerunt à suis maioribus, quia hoc non est de requisitis necessariis glossæ, vt patet ex illius lectura, vltra quòd super hoc deponunt cæteri testes. 4

Nec faciunt testes deponentes decimas croci, & olei semper fuisse perceptas à Rectore absque eo quòd viderint vnquam de eis participasse Cantorem, & quòd Rector videatur præscripsisse dictas decimas. Quia pro parte Cantoris non controuertitur istas decimas fuisse perceptas per Rectorem, sed tantùm dicitur quòd à 40. annis & citrà cœperunt ita paulatim augeri, vt à modico tempore sint effectæ decimæ grossæ, & non possint amplius hodie reputari minutæ, ac ratione prædictæ subrogationis sibi debeantur, vnde non sufficit testes deponere simpliciter de dicta perceptione decimarum per Rectorem, nisi etiam deponant in illa magna quantitate, & postquam sunt effectæ decimæ grossæ, de quo cùm nullum verbum dicant, nihil probant, vt fuit consideratum in dicta Conchen. coram D. meo 5

Andrea. Et præscriptio cessat ex prædictis, & quia inspecto tempore à quo istæ decimæ sunt effectæ grossæ, non adest tempus sufficiens ad illam inducendam, vt fuit dictum in alia Conchen. decimarum de Villanueua 12. Decembris 1608. coram Iusto.

6 Non obstat quòd cùm Rector habeat intentionem fundatam de iure communi super decimis prædiorum existentium intra limites suæ parochiæ, Cantor qui est in possessione percipiendi decimas grani,& aliarum specierum, non possit prætendere istas croci,& olei,cùm tantum præscriptum, quantum possessum gloss. inauditis, *verb. interceptione, de præscript.* vbi Doctor. Gabr. *de præscript. conclus. 2. nu.* 1. Quia respondetur hoc casu Rectori iuris assistentiam non suffragari, stante prædicta immemorabili, ex qua Cantor potest allegare ius coæquale ex titulo quem velit, & priuilegio Pontificio sibi magis proficuo, & bene viso, ad text. & ibi gloss. *in verbo non extat memoria, in cap. super quibusdam. § præterea. de verborum signific.* Gabr. *consil. 164. num.* 13. *lib.* 1. Cephal. *consil.* 558. *num.* 19. Honden. *consil.* 79. *num.* 10. *& seq. lib.* 1. Put. *decis.* 205. *numer.* 2. *&* 3. *lib.* 1. Achil. *decis.* 4. *de inrepatron.* Mohedan. *decis.* 3. *eod. tit.* & in puncto fuit dictum in vna Legionen. decimarum 22. Maij 1615. coram me.

Et ita fuit conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Hispalen. primitiarum. Mercurij 13. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Iudex remissoriè recusari non potest ab eo, qui illum petiit, & de testibus pauperibus, & vilibus, quòd eorum depositiones coadiuuantur ex depositionibus aliorum testium ex numero, & adminiculis.

SVMMARIVM.

Iudex remissoriè recusari non potest ab eo, cuius Procurator illum sibi dari petijt, num. 2.

Testis ebrius vt non probet debet probari ebrietas tempore examinis, ibid.

Testes pauperes, & vtiles coadiuuantur ex depositionibus aliorum testium ex numero, & adminiculis, numero 3.

DECISIO DIII.

1 DVbitaui, an obstent nullitates examinis, & aliæ exceptiones contra personas testium oppositæ, & Domini dixerunt, exceptionem recusationis contra primum iudicem non obstare, & similiter non obstare exceptiones contra personas testium non beneficiatorum, & quoad exceptionem recusationis, ex eo moti sunt, quia ex deductis apparet, quòd post recusationem pro parte D. Archiepiscopi contra iudices in remissoria deputatos, factam, habitus fuit recursus ad Rotam, per quam ex pluribus ex vtraque parte nominatis pro parte D. Archiepiscopi, de consensu partium, primo loco deputati fuerunt Guardianus S. Francisci, & Ministri monasterij Sanctissimæ Trinitatis, pro parte verò beneficiatorum, Prior Sancti Iacobi de Spata, & eius Subprior, seu Vicarius, & quilibet eorum in solidum, & stante absentia Prioris Sancti Iacobi, & Guardiani Sancti Francisci, deputatio fuit præsentata ministro Sanctissimæ Trinitatis, & Subpriori Sancti Iacobi, qui onus acceptarunt, & propterea benè coram ipsis ad exequutionem Remissoriæ processum fuit, non obstante recusatione contra Subpriorem, quia cùm ipse fuisset primo loco per Procuratorem beneficiatorum in Curia nominatus, & de consensu Procuratoris Archiepiscopi per Rotam deputatus, & de nouo post recusationem in partibus oppositam, instante eodem Procuratore Archiepiscopi, ab eadem Rota confirmatus, non potuit postmodum per Zamudium nomine eiusdem D. Archiepiscopi recusari, iuxta *auth. offeratur. C. de lit. contest.* & faciunt trad. per Ias. *in l. apertissimi, num.* 2. *C. de iud.* cum aliis adductis in hac causa coram bon. mem. Cardinali Seraphino *decis.* 897. *num.* 2. *&* 4. & in causa Toletana iuris decimandi de Capilla 2. Iunij 1603. coram bo. mem. Cardinali Pamphilio, maximè quia, vt patet ex reuolutione processus, huiusmodi recusationes in partibus fuerunt admodum frequentes, & perpetuæ contra omnes iudices, vt etiam considerauit Rota *in dicta decis.* 897. *num.* 5. coram bo. me. Cardinali Seraphino.

Quo verò ad exceptiones contra personas testium non beneficiatorum, Domini censuerunt non obstare ebrietatem contra primum, & quintum, & quòd alij sint pauperes, & viles; nam quoad ebrietatem illa non probatur de tempore examinis, prout probari debet, iuxta not. per Bald. & alios *in cap.* 1. *in fin. de testib.* & trad. Aymon. *consil.* 269. *num.* 5. paupertas verò non detrahit de fide testium, qui aliàs sunt honestæ, & probatæ vitæ *cap. si quis testium*, vbi glos. & Bald. *num.* 5. *de testib.* Gabr. *eod. tit. consl.* 18. *n.* 1. *&* 4. Aym. *cons.* 249. *num.* 11. *vers.* 2. cum aliis adductis in causa Veneta illegitimitatis 17. Iunij 1601. coram bo. me. Cardinali Pamphilio. 2

Et in omnem euentum, fuit etiam per Dominos consideratum, quòd depositiones istorum coadiuuantur ex aliis testibus in prima instantia examinatis, vnà cum aliis adminiculis pro parte beneficiatorum ponderatis, & inter alia concurrit etiam numerus ipsorum testium, de quibus agitur, qui supplet illorum defectus, gloss. *in l.* 3. *§.* 1. *verb. numerus,* & ibi Doct. *ff de test.* cum aliis cumulatis per Gabr. *eod. tit. concl.* 6. *num.* 1. & fuit dictum in causa Valentina professionis relata inter impressas *decis.* 289. *nu.* 2 *part.* 1. *diuers.* & aliàs sæpe, præsertim in hoc iudicio summariissimo, in quo exceptiones contra personas testium de facili non admittuntur, ex deductis in causa Hostien. littoris maris, relata inter impressas *decis.* 28. *num.* 4. *&* 9. *part.* 1. *diuers.* & in causa Nucerina beneficij 6 Februarij 1609. coram R. P. D. meo Caualerio, & aliàs sæpe, & ita decisum quoad exceptionem recusationis contra primum iudicem, & exceptiones contra personas testium non beneficiatorum, de aliis verò Domini dixerunt quòd particulariter videatur. 3

R. P. D. PIROVANO.

Salamantina pensionis. Vltima Maij 1617.

ARGVMENTVM.

Pendente appellatione per rescriptum signaturæ

gnaturæ commissa arbitrio Rotæ non est locus executioni.

SVMMARIVM.

Causa semel facta appellabilis, remanet semper appellabilis, tam pro actore, quàm pro reo, vt inter litigantes seruetur æqualitas, num. 1.

Executioni locus non est, quando locus est appellationi, donec diffinitiuè cognitum fuerit de iuribus sententiarum, num. 2.

Verba teneri, & obligatum esse, *in sententia aliàs per se executiua respiciunt viam ordinariam num.* 3.

Via executiua præsupponit causam esse indubitatam, nec licere partibus super ea contendere propter exequutionem paratam, num. 4.

Sententia quæ transiuit in iudicatum, propter non interpositam appellationem, non remanet in statu rei iudicatæ, si per signaturam fuit admissa appellatio arbitrio Rotæ etiam quoad effectum suspensiuum, n. 5.

Obligatio Cameralis apposita in pensione semper retinet naturam suam, & transit in translatum contra titularem, n. 6. *declaratur num.* 7. *in fine.*

Via ordinaria quando electa est non licet variare, & interim cessat virtus obligationis Cameralis, n. 7.

DECISIO DIV.

1 Censuerunt Domini intrare arbitrium pro retardatione solutionis pensionis, quia sententia Rotalis reuocat sententiam Nuntij, à qua fuit appellatum, & causa semel facta appellabilis semper durat appellabilis, dum eo ipso quòd actori licet appellare à prætenso grauamine primæ sententiæ, debet etiam licere reo à contraria sententia reuocatoria appellare per eandem prætensi grauaminis rationem, ad hoc vt inter litigantes seruetur æqualitas, per *reg. non debet. ff. de reg. iur. & cap. non licet, eodem tit. in* 6. Rota *decis.* 132. *n.* 1. *part.* 2. *diuersor.*

2 Et cùm sit locus appellationi, non videtur esse locus exequutioni, donec de iuribus sententiarum diffinitiuè cognitum sit, ex quo per appellationem effectus illarum suspenditur.

Præterea eadem sententia Rotalis declarauit Ioannem teneri & obligatum esse ad solutionem pensionis, quæ verba totum negotium diffiniunt canonizando validitatem & substantiam pensionis, & respiciunt viam ordinariam, in qua de meritis pensionis partes oriuntur.

3 Non autem exequutiuam, quæ præsupponit causam esse indubitatam, nec licere partibus super ea contendere, propter exequutionem paratam, quam habet instrumentum. Contard. *de momentan. possess. limit.* 14. *num.* 5. & dictum fuit in Cesenaten. de Cacciaguerris 9. Martij 1598. coram bo. me. Peregrino, & in Parmen. Datij 4. Iunij 1612. coram Reuerendiss. Decano.

4 Non obstat quòd sententia Rotalis transierit in rem iudicatam, ob non interpositam appellationem, & ideo esse procedendum ad legitimam exequutionem, postquam seruati fuerint termini ad docendum de appellatione.

5 Quia sententia post emanatum rescriptum non est in statu rei iudicatæ, dum per signaturam est admissa appellatio, etiam quoad effectum suspensiuum arbitrio Rotæ; ideo consequentia vlterioris processus allegari non potest, nisi in quantum de iure ad legitimam exequutionem sit procedendum, firma remanente appellatione, cui locum non esse iam suprà firmatum fuit.

Demum nec etiam obstare videbatur quòd stante sententia Rotali canonizatoria pensionis, possit hodie procedi exequutiuè vigore obligationis Cameralis, quæ semper retinet naturam suam, & transit in translatarium ad præiudicium titularis debitoris pensionis, secundùm terminos decisionis in causa Papien. pensionis 11. Decembris 1606. coram Episcopo Attrebaten. 6

Quia sibi imputare debet translatarius qui viam ordinariam elegit petendo canonizationem translationis pensionis, qua electa non licet variare, Rom. *cons.* 133. Contard. *in l. vnic. limit.* 14. *n.* 5. *C. si de moment. poss.* & ideo commissa causa appellationis, vel restitutionis in integrum quæ retardat, cessare interim debet virtus obligationis Cameralis, donec diffinitiuè fuerit cognitum de validitate translationis. Et ita fuit resolutum, &c. 7

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Mediolanen. pensionis 31. *Maij* 1615.

ARGVMENTVM.

Habetur in summariis.

SVMMARIVM.

Sententia lata validitas probatur ex reuolutione processus, num. 1.

Scriptura magis probat, quàm testes, quoties ambo concurrunt, num. 2.

Expensæ probandæ sunt per libros administrationum, non per testes, numer. 3.

Transactiones non solùm per defectum solemnitatum solent rescindi, sed etiam ex iniustitia, & læsione, etiamsi sint à Sede Apostolica confirmata, infirmari, num. 4.

DECISIO DV.

In repropositione dubij super remissoria petita per Canonicos, fuit dictum quòd datis articulis pro probatis ex parte beneficiatorum officialium, disputaretur in negotio principali, & cùm hoc præsupposito dato dubio, an sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda, affirmatiuè fuit resolutum, præterquam quoad pensiones decursas, de quibus fuit reseruatum particulariter videre.

Constat enim de validitate istius sententiæ ex reuolutione processus, nihilque contra eam opponitur: de iustitia autem patet ex decisionibus in hac causa factis, quæ datæ fuerunt, neque ex suppositione articulorum aliquid releuare visum fuit, per quod transactiones à nullitate & læsione saluari possint. 1

Nam quoad primum articulum, in quo continetur quòd ante transactionem anni 1585. fabricatæ fuerunt habitationes valoris scutorum sex millium pro beneficiatis ex pecuniis, quæ iam applicatæ erant pro fabrica Canonicorum, dicebatur non pertinere ad transactionem, ex responsionibus datis in decisionibus in hac casa facta sub die 13. Iunij præteriti, dum neque ab ipsius Canonicis, sed à Sancto Carolo, qui de fructibus Bisati liberè disponere po-

terat, talis impedsa processit, neque super ea fuit transactum in dicto instrumento anni 1585.

Ex secundo pariter, & tertio articulis nihil releuans colligebatur, quia etsi præsupponatur quòd vltra habitationes quæ remanserunt beneficiatis, pro eis solutum fuerit quindennium in summa scutorum 500. & vigore etiam prædictæ concordiæ cœperunt gaudere fructibus bonorum de Bisate, qui pro toto secundo quinquennio ad commodum, & vtilitatem fabricæ canonicorum cedere debebant, & ad scuta quatuor millia computato quindennio ascendebant: tamen in hac parte cadebat læsio ponderata in decisionibus in hac causa factis, dum quindennia ex fructibus bonorum vnitorum soluenda essent, & pensio applicata mensæ beneficiatorum non debebat sola sustinere onus fabricæ, sed simul cum fructibus Prioratus Caluenzani mensæ residentiali Canonicorum vniri, ideo probando prædicta ex eodem instrumento transactionis, non est tollere læsionem, sed illam confirmare, posteaquam apparet fructus Caluenzani à iugo contributionis fuisse subtractos, sola beneficiatorum pensione remanente pro commodo fabricæ.

2 In quarto articulo similiter non potest firmari aliqua releuantia, concordia enim sequuta de anno 1602. nihil de nouo tribuit beneficiatis respectu damnorum hospitij, sed est exequutoria antecedentis diuisionis earundem domorum, de qua in instrumento anni 1587. per Archiepiscopum authoritate Apostolica facta, nec testibus aliter deponentibus credendum esset, quia in concursu magis scripturæ, quàm testibus standum est. *l. census, ff. de probat.* glos. *in cap. 3. loco, in verbo testium, eod. tit.* Roman. *cons.* 319. *num.* 1.

Nec vim faciebat responsio data quòd assignatio, seu diuisio esset conditionalis, quatenus Canonicis maior pars necessaria non fuisset pro domibus Canonicalibus, quia non propterea in dicta concordia apparet remissa aliqua pars ipsis necessaria, sed relaxatum quod ad eos non pertinebat in exequutione præcedentis instrumenti, & potiùs ex dilatione tanti temporis in exequendo videtur aliquid remissum de interesse beneficiatorum, quàm de commodo Canonicorum concessum.

3 Quinti articuli irreleuantia videbatur etiam clara, ex deductis in decisione 13. Iunij præteriti in hac causa facta; legitur enim in transactione conuentio quòd beneficiati teneatur ad id quod impensum fuerit per Canonicos fabricerios pro beneficiatis, vel cum eorum interuentu, non autem ad æstimationem valoris fabricæ. Vnde neque per testes aliquid est probandum, sed per libros administratorum, vt dicebatur in eadem decisione, ex Ias. & aliis allegatis, & vlteriùs aduertebatur quòd stante obligatione beneficiatorum circa id quod impensum fuisset, non potest impensum considerari tanquam quod super eo transactum fuerit ad excludendam læsionem, sed pro eo, quod adhuc remaneat in obligatione, nec beneficiati excomputare recusant, cum propriis retentis, & non exactis.

Sextus articulus respicit interesse Canonicorum, quòd scilicet non receperint pensiones, sed eas exegerit Thesaurarius fabricæ, & fabrica semper fuerit administrata per fabricerios deputatos, vt ideo in sententia condemnari minimè potuerint; verùm quoad prædicta iam fuit dictum esse particulariter videndum.

4 Septimus articulus & octauus ad sustinendam transactionem præsuppositi subsistente læsione, quæ ex prædictis sublata non apparet, nihil releuare videbantur ad effectum, de quo agitur; qui transactiones ne dum per defectum solemnitatum solent rescindi, sed etiam ex iniustitia & læsione earundem; etiam si sint à Sede Apostolica confirmatæ, possunt infirmari. Couarr. *variar. resolut. lib. 2. cap. 10. num. 2.* Rota *decis.* 178 *n. 2. part. 2. diuersorum.* & sæpe fuit resolutum. Atque ita releuantia cessante pro confirmatione sententiæ fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Romana legitimæ. Mercurij 31. Maij 1617.

DECISIO DVI.

Impressa est apud Merlin. de legitim. decis. 59.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Ciuitatis Castellanæ Canonicatus. Die Veneris 2. Maij 1617.

ARGVMENTVM.

In materia mandati de manutenendo multa singularia, & notanda in hac decisione explicantur, & præsertim de iudice, & exequutore mixto nulliter procedente, quod possessionem manutenibilem non tribuit.

SVMMARIVM.

Possessio probatur ex publico instrumento aliorum existente in possessione, num. 1.
Possessio posterior manutenibilis non est, num. 2.
Possessio data à iudice, nulliter procedente, manutenibilis non est, ibid.
Exequutor parte non citata non potest exequutionem decernere, num. 3.
Litteræ Apostolicæ non dicuntur productæ, quando producens eas secus reportat, num. 4.
Sententia iudicis præcipitanter data, nulla, & inualida est, num. 5.
Exequutor mixtus, & non merus quis dicitur per clausulam amoto, *&c. num. 6. vbi propterea quòd ordinem iuris assumendo partes iudicis seruare debet.*
Appellatio datur à decreto exequutoris mixti, numero 7.
Attentata pendente termino ad appellandum data, reuocanda sunt, ibid.
Possessorium iudicium prius terminandum est, quàm petitorium, & in possessorio non admittuntur exceptiones respicientes petitorium, num. 8.

DECISIO DVII.

1 Domini pro Petro informante responderunt, dandum scilicet ipsi mandatum de manutenendo, de cuius possessione anteriori capitulariter capta constat ex publico instrumento, quod sufficit alio non existente in possessione. Menoch. *retinend. remed.*

remed.3.n.575. Rota diuersor.363.*num.*1.*part.*1.cum aliis in se deductis in vna Regien. beneficij 15. Nouembris 1613.coram me, in qua multæ decisiones allegantur.

2 Non obstat possessio Angeli, quia tanquam posterior non est manutenibilis.*cap.licet causam*,& ibi DD.*de probat.*Rota *decis.19.num.1.part.2.diuersorum*; & quamuis capta reperiatur auctoritate iudicis, Angelo tamen suffragari non potest, cùm iudex nulliter & attentatè procedens non priuet possessorem legitima possessione.*l.4.§.condemnatum*, *ff. de re iudic.*cum vulgaribus,& ita Petrus, qui non habuit se pro spoliato, & animo pristinam possessionem retinuit, iure potest petere manutentionem. Put. *decis.*419.*in fin.lib.*2.cum vulgaribus.

3 Nullitas clarè apparet ex eo, quia Angelus obtinuerat sibi prouideri de Canonicatu, de quo agitur, tanquam vacante per incapacitatem Petri, qui cùm non fuerit citatus, omnia gesta per iudicem executorem corruunt, & præcipuè executio facta. Achill. *decis.3.de re iudic.*Put.*decis.*91.*lib.*3.Seraph.1314.*num.*2.cum similibus.

4 Secunda nullitas deducitur; quia constat Angelum nunquam exhibuisse litteras Apostolicas, nisi verbaliter; & animo eas reportandi, prout actualiter reportauit, & ideo cùm exhibitio & productio non fuerit realis; perinde est ac si litteræ nunquam fuissent exhibitæ. Corn.*consil.*218. *num.*4.*lib.*1. Roman.*cons.*156.*numer.*3.

5 Nulliter etiam iudex processit, quia eadem die & hora, qua dictæ litteræ ipsi fuerunt præsentatæ, & ita nimis præcipitanter concessit immissionem, Put.*decis.*344.*lib.*1.Gabr.*cons.6.num.* 6. *de sentent.* & fuit sæpissimè decisum.

6 Et quod omnem tollit difficultatem, nullitas & attentata clara ex eo resultant, quia cùm ageretur de impetratione certo modo, iudex non erat merus executor, sed mixtus, quia impetratus fuerat Canonicatus per incapacitatem Petri, cum clausula, *amoto*, quæ facit executorem mixtum Abb. *in cap. de caetero,num.*8.vbi Felin.*num.*9.*de re indicat.* sicque tenebatur executor iuris ordinem seruare,& assumere partes iudicis. Abb.*in cap.pastoralis*, §.*quia verò,n.*3.*de offic.deleg.* & tenuit Rota in causa Zamonen. confraternitatis 14.Iunij 1591. coram Giptio, & aliàs sæpe.

7 Quod cùm iudex non fecerit, immò de facto sine iustificatione gratiæ, & litterarum Apostolicarum immiserit dictum Angelum in possessionem, adsunt attentata clarissima, debuit enim deferre appellationi, quia ab aius decreto, seu sententia dabatur appellatio. Guido Papæ *decis.* 70. *numero* 3. Cardin.*consil.*63. *in princip.* Rota *decis.*32. *de rescript. in antiquis.* & *decis.* 30. *in rescript. in nou.* Vnde omnia gesta per dictum iudicem pendente termino præscripto à iure ad appellandum dicuntur attentata. *cap.non solùm de appellat.in* 6.*cap.2. vt lite pendente*, vel saltem reuocari debent per viam nullitatis, Cæsar de Graffis *decis.* 2.*nu.*5. *de appellat.* cum aliis allegatis in vna Siragusana beneficij 19. Martij 1597. coram Illustriss. Pamphilio, & multoties fuit decisum.

8 Quæ narrantur in gratia Angeli, & dici possent de pœna exilij ab Vrbe & eius districtu indicta dicto Petro, respiciunt petitorium & merita causæ interim cùm agatur in summariissimo iudicio,& momentanea possessione eo prætextu retardari non debet, priùs enim possessio, quàm Canonica institutio est discutienda.*cap.in litteris.de restitut. spoliat.* cùm prædo etiam spoliatus sit restituendus. *l.1.§. qui à me.ff de vi.*& *vi armat.l.vlt.ff.de acq.poss.l.*10.*ff de donat.inter vir.*& *vxor.*

Et ita conclusum informante tantùm Petro in maximam Angeli sæpius citati,& non comparentis contumaciam,&c.

R. P. D. SACRATO.

Caualicen. Canonicatus. Veneris 2. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

De Legato Auenionen. nunquid habeat facultatem admittendi resignationes ad fauorem certæ personæ,& cum reseruatione pensionis pro resignante, & quando dicatur constare de vacatione beneficij per resignationem.

SVMMARIVM.

Vacatio beneficij per resignationem dicitur probata per mandatum ad resignandum, subsequuta resignatione per Procuratorem, num. 1.

Resignatio beneficij ad fauorem certæ personæ, & reseruatione pensionis pro resignante admitti non potest à Legato de Latere, & multo minus ab eius Vicelegato, n.2.fallit nisi eidem Legato à Papa fuissent datæ speciales facultates sic admittendi resignationes. ibid.

Vicelegato non censentur translatæ speciales facultates Legati.ibid.declara vt dicto numer.2.in fine.

Facultas data à Legato admittendi resignationem, nunquid importet facultatem conferendi, ibid.

DECISIO DVIII.

Placuit Dominis Canonicatum, & præbendam, de quibus agitur, esse adiudicandam Iacobo Farriolo, quia constat de prouisione illi facta per Dominum Vicelegatum Auenionen. de cuius Vicelegati potestate in conferendis beneficiis legationis Auenionen. apparet ex facultatibus datis in summario Iacobi; narrata verò in dicta prouisione visa fuerunt iustificata: nam de vacatione per resignationem quondam Ioann. Francisci docetur ex mandato ad resignandum facto per dictum Ioann. Franciscum sub die 4. Iunij 1615. cum subsecuta resignatione per Procuratorem ad hoc constitutum, & reseruatione pensionis ad fauorem resignantis iuxta formam dicti mandati: ius autem resignantis non controuertitur, cùm Ioannes aduersarius illum magnifaciat. Quòd verò Iacobus sit Doctor pronepos resignantis,& Canonicatus non excedat ducatos de Camera 160. vt hæc omnia fuerunt narrata in prouisione, bene deponunt testes dati in summario Iacobi. 1

Non obstat quòd mandatum ad resignandum fuerit ad fauorem certæ personæ, & sub conditione reseruationis pensionis pro resignante, quod genus resignationis non potest admittere Legatus de Latere, ex allegatis. Item quòd resignans obierit infra duos dies post resignationem, vnde obstet regula de viginti, cui non potest derogare Legatus de Latere, & multò minus Vicelegatus, in quem non censentur 2

translatæ istæ facultates speciales, ex allegatis, quia primùm visum fuit cessare ex facto, cùm fuerit exhibitum secundùm mandatum ad resignandum liberè, & non ad fauorem certæ personæ: cætera autem visa fuerunt cessare ex lectura facultatum concessarum per S.D.N. Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Cardinali Burghesio moderno Legato Auenionen. cum substitutione facta per dictum Illustrissimum in personam Reuerendiss. Vicelegati, qui fecit collationem, de qua agitur; etenim dicto Illustrissimo Burghesio fuerunt datæ omnes facultates, quas habuerunt quicunq; antecessores Legati. Certum est autem, quòd Cardinalis de Ruere anterior Legatus habuit facultatem admittendi resignationes cum reseruatione pensionis, vt in illius facultatibus datis in summario Iacobi, *num.*13. & licèt facultas admittendi resignationem non importet facultatem conferendi, Abb. *in cap. cùm ex iniuncto, n.* 7. *de hæret.* hoc nihil interest, quia facultas conferendi non capitur ex hac facultate, sed Legatus illam habet aliunde. gloss. *in cap. deliberamus.* §. *prohibitum. de off. delegat.* Item Cardinalis de Claramont, aliàs Legatus Auenionen. habuit facultatem derogandi regulis Cancellariæ, vt in summario Iacobi *num.* 2. quod etiam obseruatum in multis prouisionibus cum similibus derogationibus factis, vt in summario Iacobi, & sic potuit derogare regulæ de viginti, quantum ad facultates Vicelegati dictus Illustrissimus deputauit illum cùm omnibus suis facultatibus, & deputatio fuit confirmata per S.D.N. Vnde sine dubio tota potestas Illustrissimi Legati fuit communicata Reuerendissimo Vicelegato.

Et ita tentum, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Auersana bonorum. Veneris 2. Iunj 1617.

ARGVMENTVM.

De Procuratore fiscali per calumniam instigante, quando teneatur ad damna, & interesse.

SVMMARIVM.

Procurator de gestis iudicialiter non tenetur de suo, sed tenetur dominus cui attribuuntur omnes actus iudiciales, num. 1.

Fisci Procurator tenetur de suo proprio ad damna, expensas, & interesse, si per calumniam instigauit, dummodo constet de mera calumnia, secus de præsumpta tantùm, num. 2.

Accusator non probando accusationem præsumitur in dolo, num. 3. *vbi quòd hoc fallit in officiali qui sollicitudine sui officij, & non odio accusati accusare præsumitur.*

DECISIO DIX.

1 CVm Curia Episcopalis Auersana, & Cæsar eius Promotor fiscalis fuissent per tres conformes condemnati ad restituendum quæcumque bona, & pecunias Pompeio ablata, Cæsar pro eius interesse adiuit Signaturam, à qua causam committi obtinuit R.P.D. Castaneo quoad bona sua, & personam propriam simpliciter. In reliquis patito iudicato, qui D. Castaneus ad Cæsaris fauorem pronunciauit eum absoluendo. Vnde causa appellationis mihi commissa, dubitaui an illius sententia esset confirmanda, vel infirmanda? Et Domini pro confirmatione responderunt, cùm de eius iustitia appareat, ex eo quia licèt ad instantiam Cæsaris vti Procuratoris fiscalis à Pompeio fuerint prædicta bona ablata, tamen ipse non tenetur ad illorum restitutionem de proprio, quia Procurator de gestis iudicialiter non tenetur de suo, sed tenetur dominus, cui attribuuntur omnes actus iudiciales. *l. Plautius, ff. de procurator. l.* 4. *in princip.* vbi Bart. & alij omnes, *ff. de re iudic.* Guido Papæ *decis.* 86. *in fine*, Socin. *consil.* 154. *n.* 4. *lib.* 2. Natt. *consil.* 641. *num.* 3. *&* 4. Aym. *in praxi*, §. 31. *limitat.* 21. & sic Pompeius nullam habet actionem contra Cæsarem, cùm præsertim contra ipsum fuerit semper actum tanquam Procuratorem fiscalem, quo casu non censetur condemnatus nomine proprio, sed procuratorio. gloss. *in l. quæcumque, verbo Procurator. ff. de procurator.* Bald. *in l.* 1. *in fine, ff. de sentent. & interlocutor. omnium iudicum.*

Quibus non obstat quòd Cæsar indebitè Pom- 2
peium vexauerit per calumniam in tribus instantiis contra eum instigando, quo casu fisci Procurator tenetur ad damna, expensas, & interesse de suo proprio. Bertazol. *consil.* 361. *num.* 2. *lib.* 2. cum aliis allegatis. Quia id procederet in vera calumnia, & quando de ea expresè appareret, puta si constaret quòd scienter, & dolosè instigauerit; sicut verò est in præsumpta, à qua necessitas officij eum excusat. Mil. *in praxi criminal. proseq. in denunciat. form. nu.* 117. Clar. *in pract. crim. quæst.* 62. *nu.* 4. *circa finem.* Gail. *pract. obser.* 90. *nu.* 5. Tenin. *cautel.* 1. *n.* 17. *in fine*, testans se plu-
ries ita vidisse seruari. 3

Et licèt regulariter actor, siue accusator præsumatur in dolo, & calumnia, eo ipso quòd non probat accusationem per eum propositam, gloss. *in cap. calumniam, verbo victori de pœn.* Natt. *consil.* 108. *num.* 5. Couarr. *pract. cap.* 27. *numer.* 3. *versic. sextò condemnatio.* Tamen hoc facit in officiali, de quo lex bene præsumit, censetur enim potiùs motus iure & solicitudine sui officij, quàm odio accusati, vt in puncto post Paul. de Ghisland. *in tractatu de relax. carcer. tit. de calumn. cap.* 2. *incip. quæro an eo ipso*, tradit Farinac. *in sua praxi criminal. quæst.* 16. *num.* 22. *circa*
medium. 4

Minus facit quòd Cæsar ex proprio facto se obligauerit de stando iuri, & iudicatum soluendo, & ad hunc effectum fideiussorem dederit, quia hæc obligatio fuit facta ex eo quòd Pompeius ipsum accusauerat de contrauentione inhibitionis A.C. in quo iudicio fuit admissus vt audiretur, data cautione de stando iuri, & iudicatum soluendo, & fuit postea absolutus, vnde eius, & fideiussoris obligatio non potest extendi ad hanc causam diuersam, quæ nihil habet commune cum dicta causa contrauentionis iam finita ad fauorem Cæsaris.

Et ita fuit conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Fauentina pecuniaria. Veneris 2. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Arbitrio vnius stare promittens non tenetur

tur ſtare arbitrio alterius,& quid ſi arbiter non arbitretur, & de fideiuſſore qui ſe obligauit vt principalis, principaliter, & in ſolidum, an retineat naturam fideiuſſoris.

SVMMARIVM.

Arbitrio vnius ſtare promittens, non tenetur ſtare arbitrio alterius,n.1.

Arbitrio alicuius ſtare promittens, ſi inde non arbitretur, an teneatur ſtare arbitrio alterius,n.2.

Fideiuſſor accedens, vt principalis, principaliter, & in ſolidum, conueniri poteſt non excuſſo principali: nititur tamen fideiuſſor ſi in contractu non habet intereſſe,n.3

DECISIO DX.

1 DOmini perſtiterunt in deciſis, ex rationibus, & fundamentis in deciſione adductis. Et præcipuè ex eo quòd cùm Eranus fideiuſſor promiſerit ſoluere pretium mercium venditarum, iuxta declarationem faciendam per Paſqualinum, non potuit condemnari, ex declaratione facta per alium peritum, ex ibi allegatis. Quibus non obſtare viſum fuit quòd prædicta procederent ſi in Paſqualinum fuiſſet remiſſa declaratio pretij mercium, & ſic ſubſtantia contractus, quod opponebatur non fuiſſe factum, cùm pretium eſſet certum ex liſta conuenta inter partes, & inſerta in inſtrumento, & quoad illud non eſſet opus arbitrio Paſqualini. Reſpondetur enim quòd pretium conuentum in liſta, eſt omnium mercium communnium exiſtentium in apotheca, non autem rei venditæ. Nam Ioann.Baptiſta vendidit Blaſio portionem ſuam, ac omnia iura & prætenſiones, quas ipſe ſuper ſocietate habebat circa participationem maioris lucri, & alia quorum pretium erat incertum, & ideo illius declarationem, & ſic ſubſtantiam contractus partes remiſerunt in Paſqualinum, vt patet ex verbis ipſius inſtrumenti, ibi, *ad declarandum quantum importet pretium dictorum iurium, vt ſuprà venditorum.*

2 Non obſtat conſ. Roman. 502. quia ille loquitur quando ex præcedenti contractu inter partes inito clarè conſtare poteſt de eo quod fuit remiſſum in arbitrium tertij, tunc enim, licèt ille non arbitretur, nihilominus fideiuſſor remanet obligatus. Curt. iun. *conſ.* 36. *ſub num.* 36. *verſic. nec præmiſſa*, qui ita Roman.declarat, & ſubiungit, quòd ſi ille aliter diceret, loqueretur contra text expreſſum *in l.* 3. *ff. indic. ſolui.* ſecus autem eſt in caſu noſtro, in quo non eſt omninò clarum & certum ex aliquo contractu præcedenti ius & prætenſio Ioannis Baptiſtæ ſuper ſocietate, nec quanti æſtimandum eſſet tale ius per ipſum venditum vt ſuprà dictum eſt.

3 Minus obſtat quòd Eranus non ſit fideiuſſor, cùm acceſſerit tanquam principalis principaliter & in ſolidum,& ideo non intrent adducta in deciſione, quia reſpondetur quòd talis clauſula operatur vt fideiuſſor æquè, ac principalis conueniri poſſit ab initio, non excuſſo principali, & alios ſimiles effectus, vt per Decian. *conſ.* 72. *num.* 5 *lib.* 2. Pariſ. *conſ.* 110. *num.* 76. *lib.* 1. Non autem efficit vt is qui verè pro alio interceſſit, & nullum in negotio habet intereſſe, non dicatur fideiuſſor, quantumcumque dicat ſe principaliter obligare. Decian. *conſ.* 7. *num.* 5. *in fine.* Purpurat. *conſ.* 600. *num.* 6. Surd. *conſ.* 436. *num.* 15. *lib.* 3. *& deciſ.* 308. *num.* 5 Ruin. *conſ.* 140. *num.* 8. *in fine lib.* 1. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 16. *tit.* 1. *num.* 1.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Tudertina penſionis. Veneris 2. *Iunij* 1617.

DECISIO DXI.

Impreſſa eſt apud Poſthium de manuten. deciſ. 303.

REVERENDISSIMO P.D. PIROVANO.

Vercellen. penſionis 2. *Iunij* 1617.

ARGVMENTVM.

De confeſſione Procuratoris, quando noceat principali, & an poſſit diuidi.

SVMMARIVM.

Manutentio non denegatur quoties conſtat de poſſeſſione,num.1.

Confeſſio Procuratoris in iudicio emanata, ſolet domino præiudicare,n.2.

Confeſſio Procuratoris reuocari non poteſt per dominum, ſi dominus ex pòſt ratificauit geſta Procuratoris, quia ſic facit actus ſuos,num.3.

Confeſſio Procuratoris poteſt ſeparari, & ſi in ea contineatur error, poteſt acceptari, reiecta qualitate erroris,n.4.

Teſtes informiter examinati, ſi non probationem faciunt, ſaltem ſufficiens adminiculum, & implent probationem imperfectaam,n.5.

Merita cauſæ non tractantur in ſummariiſſimo iudicio retinendæ,n.6.

DECISIO DXII.

FVit reſolutum non intrare arbitrium pro retardanda ſolutione penſionis, ſed D. Franciſco dandam eſſe manutentionem, vbi enim conſtat de poſſeſſione, regulariter decretum manutentionis non denegatur, vulgato §. *retinendæ, Inſtit. de interdict.* neque conſtituitur aliqua differentia, quod pronuntiatum fuerit per ſchedulam, vel per decretum fuerit proceſſum, quia ſemper conſtito de poſſeſſione datur manutentio ad ſtatum in quo quis reperitur, vt firmatum fuit in cauſa Piſtorien. penſionis 3. Iunij 1606. coram Illuſtriſſimo Cardin. Ludouiſio. 1

Poſſeſſio autem Comitis Franciſci videtur probari ex confeſſione Procuratoris D.Epiſcopi, ex ſæpius per eum repetitis proteſtationibus, quòd intendebat repetere hactenus indebitè ſoluta, ſtante reſolutione tituli penſionis per ingreſſum religionis, quæ tanquam emanata in iudicio, ſolet domino præiudicare. Oſaſch. *deciſ.* 134. *num.* 3. & 4. Rot. *deciſ.* 196. *in* 1. *part.* 1. 2

Nec reſponſio videtur tuta, quòd illa fuerit 3

confessio Procuratoris, quæ domino non præiudicat, possit quandocumque reuocari, quia ex pòst Dominus Episcopus ratificauit omnia gesta per eundem Procuratorem, atque ita fecit omnes suos actus Procuratoris, & per consequens confessionis. Ægid. 299. *num.* 5. Put. *decis.* 171. *num.* 2. *lib.* 3. & vlteriùs expressam addidit confessionem in actu appellationis, vbi narrando grauamina dixit, quia liberatus non fuit à solutione pensionis nullius & extinctæ, neque etiam partem aduersam damnauit ad restituendum quicquid per errorem fuerat resolutum.

Nec referre videtur quòd illa verba sint exceptiua, & præsuppositiua, quæ non inferant confessionem, aut voluntatem confitendi, nisi quatenus aliquid solutum absque errore probetur, vel saltem ad solutiones patri D. Comitis facta referenda esset, quæ non releuant contra successionem titularem, dum in beneficialibus non est legitimus administrator filij.

4 Quia prædicta verba non exceptiuè in actu appellationis, sed dispositiuè narrata videntur, neque adeò qualitas erroris connexa est cum ipsa confessione, quin possit separari, potest enim confessio acceptari reiecta qualitate erroris. Crauet. *cons.* 150. *num.* 4. *&* 5. Rot. *decis.* 802. *num.* 4. *part.* 1. *diuersorum.* nec debet restringi ad particulares, solutiones cùm sit indefinito modo probata, & apta comprehendere solutiones vltra expressas, & productas in actis.

5 Et prædictis omnibus accedebant testes, quamuis informiter examinati, deponentes ipsis vti Procuratoribus pensionarij D. Episcopum soluisse, & item solutiones factæ patri pensionarij, tam ab Episcopo præcessore, quàm ab illius hæredibus, quæ omnia pro sufficienti adminiculo deseruire visa sunt Dominis, & posse implere imperfectam probationem. *l. instrumenta, C. de probationibus.* Guid. Pap. *qu.* 441. Achil. *de confess. decis.* 1. Rota *decis.* 375. *num.* 1. *parte* 1. *diuersor.*

6 Quæ autem dicuntur de extinctione pensionis propter ingressum Religionis Equitum Sancti Mauritij, & Lazari, respiciunt merita causæ, quę non solent tractari in summariissimo retinendæ, & interim determinanda est manutentio distinguens actorem à reo. Caputaq. *decis.* 223. *& decis.* 317. *part.* 2.

Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana vineæ & Saluiani. 5. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Saluianum interdictum datur pro dote, pro dotis augmento, & pro donatione propter nuptias.

SVMMARIVM.

Instrumentum publicum facit probationem indubitatam regulariter, n. 1.

Saluiani requisita sunt creditum, hypotheca, & possessio, quibus probatis non denegatur immissio, numer. 1. *&* 2.

Locatio probat possessionem inter dominum, & locatorem, n. 2.

Dotis augmentum, & donatio propter nuptias à pari procedunt cum ipsa dote, n. 3.

Possessori datur retentio pro melioramentis, n. 4.

Creditor potest anteriori creditori offerre, & soluere quod liquidum est ad remouendum impedimentum immissionis, & pro illiquidis sufficit satisdatio, numer. 5.

Immissio non datur pro dote, nisi pro ea summa quæ superest de alienatione fundi dotalis, n. 6.

Enuntiatiua non praiudicat tertio, dum super ea dubitari contingit, n. 7.

Expensæ factæ in colendo fundo, super quo datur immissio, ante omnia restituendæ sunt per nouum possessorem, num. 8

DECISIO DXIII.

CEnsuerunt Domini intrare Saluianum pro dote, & donatione propter nuptias Olympię super vinea de qua agitur.

Concurrunt enim omnia requisita in Saluiano, 1
nempe creditum verum Olympiæ firmatum in particulari decisione diei primæ Iunij 1616. ex publico instrumento dotali, quod regulariter solet facere probationem indubitatam, *l. cum precibus. C. de probationib.* Grammat. *decis.* 103. *in princ.* Seraph. *decis.* 1134. *num.* 2. Et similiter ex eodem instrumento probatur hypotheca ne dum generalis, sed indiuidua super præsenti vinea; possessio verò Bartholomæi mariti debitoris, ac eiusdem retentio per Petrum, & nunc hæredes suos, probatur ex eodem instrumento.

Et ex alio locationis in eundem Petrum, quæ ad- 2
huc durat, & inter dominum & locatorem absolutè possessionem probat. Rot. *in antiq. decis.* 1. *de fid. instrum.* Tiraq. post multos *de iure constituti* 3. *par. num.* 22. Gabr. *cons.* 31. *num.* 9. *lib.* 1.

Augmentum verò siue donatio propter nuptias, 3
& illa est certa, cùm proueniat ex statuto vrbis, *cap.* 131. *lib.* 1. & de ea prout de dote est dicendum, Bald. *in l. vbi adhuc, num.* 54. *C. de iur. dot.* Neguf. *de pignoribus, par.* 2. *memb.* 4. *n.* 64.

Non obstat exceptio melioramentorum, & 4
eorundem liquidatio seruatis seruandis per peritos electos in scutis respectu vineæ 297. & respectu domus in scutis 218. pro quibus datur possessori retentio, *l. arca. ff. de condit. indeb.* Capyc. *decisio.* 17. *numero septimo.* Franc. *decis.* 38. *per totam.* Rota *decis.* 112. *in fine parte* 2. *diuersorum*, & sæpiùs fuit resolutum.

Quia respectu melioramentorum vineæ offer- 5
tur solutio, & in renitentiam depositum eiusdem summæ, iuxta formam secundæ relationis; quo verò ad melioramenta domus offertur satisdatio, stante quòd adhuc non constat de concludenti liquidatione facta in termino præfixo de ordine Rotæ eiusdem hæredibus, nec relationes de illis loquuntur, & vtrumque de iure solet admitti dum creditor potest creditori anteriori offerre & soluere quod liquidum est ad remouendum impedimentum immissionis, *l.* 1. *l. prior. C. qui pot. in pignor. hab. l. secundus. C. de pignorib.* Afflict. *decis.* 16. *num.* 4. Neguf. *de pignorib.* 1. *parte* 31. *memb. quinta partis principalis*, & pro illiquidis sufficit satisdatio, *l. statuliber.* 5. *ff. de stat. liber.*

Non obstat, quòd ex quinque locis Montium, 6
quæ fuerunt data pro fundo dotali cum facultate alienandi, non probentur vendita nisi duo, itaque

itaque pro aliis tribus non possit dari immissio cessante credito dotis in ea summa, prout fuit ponderatum & resolutum in causa Imolen. Saluian. interdicti 5. Decembris 1601. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, quia Olympia detracta prædicta summa, petit immissionem, nec vlteriùs illius petitio se extendit.

7 Demum non obstat quòd hæredes Petri sint anteriores pro scutis 390. solutis illis de Angelis ex pecuniis eidem Bartholomæo mutuatis, pro quibus pariter potest impediri immissio, & dari debeat retentio dictis hæredibus, quia anterioritas talis crediti non iustificatur, dum non constat, quòd Syluester de Gusman, qui cessit iura Angelis, esset creditor Bartholomæi mariti Olympiæ, nisi per quãdam enuntiatiuam, quæ tertio creditori non præiudicat, dum contigit super ea dubitari principaliter. Vltra quòd si de pecuniis mutui fuit solutum Angelis, cùm illæ essent debitoris, iura non potuerunt acquiri Cortesiis, sed ipsi Bartholomæo, vt resolutum fuit in Romana Casalis 1. Iulij 1602. coram Illustrissimo Cardinali Ludouico inter impressas per Stutelium 105. *num.* 8.

8 Expensæ verò culturæ præsentis anni non fuit dubitatum quin debeantur, & ante omnia sint restituendæ, probata earum quantitate ne locupletetur nouus dominus, vel possessor cum aliena iactura, vt dicit Bald. *cons.* 175. *n.* 3. *lib.* 2.

REVERENDISSIMO P.D. CAVALERIO.

Romana domus, & aromatariæ. Lunæ 5. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Si instrumentum venditionis contineat plures res venditas distinctis, & diuersis pretiis, nunquid reputetur vnica venditio, an verò plures.

SVMMARIVM.

Venditionis instrumentum, in quo sunt vendita plures res pretiis distinctis, & diuersis, non vnicam venditionem, sed plures venditiones dicitur continere, n. 3.
Declara, vt n. 4. *& seqq. per tot. decisionem.*
Conditio significatur per ablatiuum absolutum, n. 3.
Conditio debet præcisè, & realiter adimpleri, ibid. in fin.

DECISIO DXIV.

1 CÆsar Magnolus emerat à Iulio Pocobello domum cum apotheca, & aliis pertinentiis sitam in Platea rotunda, necnon aromatariam quæ in eadem apotheca exercebatur, cum omnibus bonis rebus & massaritiis in ea existentibus; hanc autem venditionem dictus Iulius fecit respectu domus & eius membrorum & iurium supradictorum pro pretio scutorum mille monetæ, respectu autem aromatariæ eiusque bonorum & massaritiarum pro pretio æstimando per peritos à partibus eligendos, quod quidem pretium siue pretia dictus Cæsar promisit soluere hoc modo, videlicet de præsenti scuta duo millia & quingenta similia in manibus, &c. & si valor bonorum, & massaritiarum excesserit scuta 1500. monetæ residuum soluere promisit in termino duorum annorum proximorum, &c. & interim quòd dictum residuum non solueret, promisit loco pensionis dictæ domus, & damnorum & interesse lucri cessantis, & damni emergentis soluere d. Iulio scuta sex pro centenario, &c. quatenus verò bona, & massaritiæ d. aromatariæ æstimatæ non constituant summam scutorum 1500. promisit Iulius restituere Cæsari id quod solueret vltra valorem & æstimationem dd. bonorum. Item fuit conuentum quòd liceat Iulio venditori infra duos annos proximè futuros redimere dict. domum pro eodem met pretio scut. mille, aromatariam verò & massaritias in ea existentes pro pretio, vt suprà, per peritos declarando, restitutis dd. scutis 1500. ac etiam eo quòd pluris d. bona æstimata fuerint, cum expresso pacto & conuentione quòd Iulius redimere possit pro vsu & seruitio proprio, & non aliàs, aliter, nec alio modo, & aliàs, vt in instrumento producto in actis, &c.

Paulo ante finem duorum annorum Iulius volens redimere domum & apothecam tantummodo, non autem aromatariam, conuenit Cæsarem coram R.P.D. Locum tenente A.C. coram quo excipiente Cæsare se non teneri restituere nisi integram domum & apothecam cum aromataria, recepto integro pretio soluto fuit lata sententia absolutoria pro Cæsare contra Iulium, commissa autem causa appellationis in Rota dubitaui an sententia esset confirmanda, vel infirmanda, & causa pluries proposita tandem resolutum fuit sententiam esse confirmandam. 2

Licèt enim regula videretur esse contra Cæsarem, quòd si in vno eodemque instrumento venditæ sint plures res pretiis in singulas res diuisis, censeantur esse plures & diuersæ venditiones, *l. cum eiusdem. l. si plura. ff. de adil. edict.* cum aliis adductis per Tiraq. *de retract. lignag.* §. 23. *gl.* 1. *nu.* 20. quòd hîc videtur fuisse obseruatum, cùm domus fuerit vendita pretio scutorum mille, aromataria verò pro pretio per peritos æstimando. Nihilominus verba pacti de redimendo videbantur etiam esse clara pro Cæsare, dum in eo exprimebatur per ablatiuum absolutum talem redemptionẽ fieri debere restitutis scut. 1500. ac etiam quòd pluris æstimata dicta bona fuerint. nam talis ablatiuus absolutus importat conditionem præcisæ obseruan. *l. eu. ctu ff. de vsur. l. à testatore. ff. de cond. & demonst.* & not. Doct. *in rub. ff. sol. matr.* & ideo Domini censebant Cæsarem non teneri retrouendere, nec domum, nec aromatariam nisi impleta sibi hac conditione restitutionis scut. 1500. vt in puncto Decian *cons.* 10. *in fin. lib.* 1. & talis conditio debet præcisè & realiter intelligi & adimpleri, ex adductis in Romana donationis de Massis 27. Martij 1577. coram fel. rec. Clem. VIII. quæ est dec. 433. *par.* 1. *diu. n.* 2. 3

Respondebatur secundò supradictam regulam non habere locum quando apparet contrahentes voluisse celebrare vnicam tantùm venditionem, ex latè deductis per Tiraq. *d. gl.* 1. *num.* 23. *& seq.* Card. Mantic. *de tacit. & amb g. conuent. lib.* 2 *tit.* 3 *num.* 15. *& seqq.* Hic autem multa pro Cæsare allegabantur, ex quibus apparebat partes voluisse facere vnicam venditionem tantùm, & ad hoc considerabatur, contrahentes vsos fuisse verbo venditionis in numero singulari vt ibi: *hanc autem venditionem, &c.* & inferiùs, *& casu quo tempore venditionis & redemptionis, &c.* vbi notabatur etiam respectu redem- 4

ptionis contrahentes loquutos esse in numero singulari, quam coniecturam in simili causa multum ponderat & exornat Decian. *cons.1. n.1. vers. tamen si venditio, & num 5.6. & 7. & 38. lib 5.* vbi dicit manifestam mentem contrahentium tali casu elici ex verisimilibus coniecturis.

5 Præterea supradicta regula quòd sint plures venditiones quando res & pretia sunt distincta, non habet locum quando ex coniecturis apparet partes alias non fuisse vendituras & empturas respectiuè, vt est text. express. *in dict. l. cùm eiusdem. ff. de ædil. edict.* Decian. *dict. cons.1. num.11. num.38. in fin. & seq.* Dec. *cons. 421. num.4.* Signorol. *cons.53. num.1.* Card. Mantic. *dict. tit.3 num.15.* Quod autem in casu proposito Cæsar non fuisset empturus solam domum sine aromataria, satis Domini putabant colligi, quia sola domus non potuisset afferre talem vtilitatem Cæsari aromatariam exercenti, quam afferre poterat iunctam cum aromataria, vt sensu patet, qui est verus modus coniecturandi, vt per Decian. *dict. cons.1. num.12.* presertim habita ratione auiamenti propter locum vbi sita erat, nempe in Platea Sanctæ Mariæ Rotundæ.

6 In quorum corroborationem considerabant etiam aliqui ex Dominis, quòd si venditio solius domus pro pretio scut. mille fuisset perfecta, vt Iulius prætendit, non posset sustineri pactum illud quòd æstimatis massaritiis vltra scuta 1500. emptor teneretur soluere 6. pro centenario pro illo pluri, cùm certum sit soluto pretio domum spectare ad emptorem, & non teneri amplius quicquam soluere loco pensionis, vnde apparere dicebant contrahentes habuisse illud pretium scut. 1500. & illud plus quòd massaritiæ fuissent æstimatæ pro pretio integro, & donec persolueretur currerent fructus loco pensionis, neque fuit admissa illa responsio quòd verba illa loco pensionis essent erronea.

7 Neque visum fuit obstare quod dicebatur pro parte Iulij ad ostenden. animum Cæsaris de emenda sola domo sine aromataria, ex eo quia statim Cesar vendidit aromatariam cuidam Hortensio sine domo, quia respondebatur Cæsarem locasse etiam domum dict. Hortensio, & insuper fuisse inter ipsos conuentum quòd casu quo Hortensius non posset frui domo, puta quia Iulius vellet eam redimere prout in præsenti redimere intendit, eo casu teneretur retroemere ab Hortensio aromatariam etiam casu quo lapso tempore adimen. Iulius nô redemisset, & Cæsar, & Hortensius non concordarent circa locationem domus, ex quibus apparebat semper fuisse habitam rationem domus insimul cum aromataria, non autem distinctè, & sic obiectum retorquebatur.

8 Et autem quæ dicebantur super eo quòd Cæsar non possit retrouendere aromatariam tanquam alteri venditam, ab ipso tollebantur, ex supradicta responsione. Sed hæc vnà cum alio motiuo quòd Cæsar habuit scut. 1500. pro aromataria ab Hortensio administratore bonorum Iulij, & hæc de pecuniis ipsius Iulij non visa fuerunt DD. facere ad præsens dubium, sed ex rationibus supradictis, resolutum fuit sententiam esse confirmandam.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Leodien. fideicommissi. Lunæ 5. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Immissi in possessionem ex *l. fin. C. de Saluiano interdicto*, non datur contra non possessorem, pluraque alia notanda in materia huius immissionis, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Immissio in possessionem dari non potest contra eum, qui non possidet, n.1.

Possessio rei conuenti probatur ex sustentatione litis cum adminiculis, Declara vt n.2.

Immissio in possessionem dari non potest contra mortuum, num.3.

Vsufructus consolidatur cum proprietate ad fauorem vxoris mortuo viro, ibid.

Immissio in possessionem dari non potest contra bonorum possessores non citatos, ibid. vers. non potest.

Testis examinatus tempore feriarum sine iudicij decreto dicitur nulliter examinatus, n.5.

Possessio non probatur ex eo quòd quis citatus fuerit, num.6.

Immissio in possessionem ex l. final. C. de Saluiano interdicto, *non datur illi, qui semel à sua possessione cecidit, num.7.*

Via executiua, & sic obligatio Cameralis dicitur vulneratam per sententiam absolutoriam, n.8.

DECISIO DXV.

Cornelia de Vos, & eius filij, cùm obtinuissent mandatum de immittendo in possessionem bonorum de quibus agitur, & amouendam esse Barbaram relictam q. Ioannis Thomæ eorundem bonorum emptoris, causa coram me introducta, dubitaui an dictum mandatum contra Barbaram esset relaxandum? & fuit negatiuè resolutum. Nam de Barbaræ possessione non constat, & sic non potest ad eam relaxandam illa condemnari, neque contra eandem decerni mandatum de immittendo, *l. sin autem, in princ. ff. de re iudicat.* gloss. *in §.1. in verbo possideat. Instit. de actionib.* vbi Ias. *num.22.* 1

Non obstat possessioem ex litis sustentatione, cum adminiculis probari, licèt enim Barbara fuerit ad huiusmodi causam citata, nunquam tamen comparuit, & sic dicta præsumptio locum habere non potest. 2

Non obstant testes vltimo loco examinati de Barbaræ possessione post obitum Thomę viri vsque ad annum 1613. deponentes, tum quia cùm illa obierit, non potest contra eandem relaxari mandatum. Verall. *decis.140. part.3.* cum aliis per Socin. *cons.99. num.11.* Tum quia post obitum sui viri possedit eadem vti vsufructuaria, vnde ipsa mortua consolidatio cum proprietate vsufructu. Natta *cons.419. num.3.* Gabriel *cons.124. num.4. & 5. lib.2.* Nec etiam potest contra Thomæ filios, vel alios bonorum possessores ipsis antea non citatis mandatum relaxari, Bald. *cons.340. lib.2.* Alexand. *cons. 30. num. 16. vers. quoad septimum lib.5.* Gabr. *de citatione conclusione 1. num.131.* 3

Nec valet dicere contra intrusum lite pendente, absque alia citatione relaxari posse mandatum. Nam hîc de intrusione non constat, & dum filij Thomæ

Thomæ possident, stante huiusmodi consolidatione, dici non possunt intrusi, sed legitimi possessores, ex allegatis.

5 Rursus primus testis non probat, vti feriarum tempore, & absque iudicis decreto nulliter examinatus. Castr. *in l. si quando, num. 4. C. de testib.* Mascar. *de probat. conclus. 5. n. 91.* Secundus pariter de Barbaræ possessione respectu domus tantummodo testatur; de aliis verò bonis deponit de auditu, & ita sufficienter non probat.

6 Nec releuat citatio contra hæredes Barbaræ facta, non enim inde sequitur illos esse bonorum possessores, immò contrarium ex supradictis apparet, stante consolidatione vsusfructus cum proprietate per eiusdem Barbaræ obitum, vnde non videtur immissio dari posse contra proprietarium possessorem illius iuribus non discussis, cùm Barbaræ vsufructuariæ contumacia proprietario vero possessori nocere non debeat. Roman. *cons. 54. n. 5.*

7 Vlteriùs ex quo Cornelia fuit aliàs in istorum bonorum possessione, non competit eidem amplius in vim legis finalis immissio, quæ illi non datur qui semel existit in possessione. *§. adipiscendæ. Instit. de interdict.* Menoch. *de adipiscen. remed. 4. nu. 506.* Seraph. *decis. 1286. n. 4.*

8 Denique cùm fuerit contra eos qui petunt immissionem pronunciatum, vulnerata dicitur via executiua, adeò vt amplius executiuè procedi non valeat. Rot. *decis. 132. n. 1. part. 2. diuersor.* & fuit dictum in Anconitana assecurationis 1. Iulij 1604. coram R.P.D. me Decano, &c.

REVERENDISSIMO P.D. DVNOZETTO.

Romana pecuniaria. Lunæ 5. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Creditor quando habet in manibus debitoris pecunias, numquid propria authoritate possit illas sibi ipsi soluere, & isto casu, an tunc pecuniarum dominium in eundem creditorem transferatur.

SVMMARIVM.

Identitas pecuniarum præsumitur ex identitate summæ, temporis, formæ, & aliis, de quibus, n. 2.

Pluralitas summarum non præsumitur nisi probetur, ibid. in fin.

Creditor habens pecunias debitoris in suis manibus, potest eas retinere, & sibi ipsi soluere, nu. 3. Declara vt num. 4.

Pecuniæ dominium transfertur per traditionem earum, & commixtionem cum suis pecuniis, n. 3. Declara vt num. 4.

Dominium, & possessio nunquam acquiritur ignoranti, & absenti, nisi per Procuratorem, n. 5.

Dominium rei possessæ, vt acquiratur, requiritur animus, & intellectus possidendi, n. 5.

Donatæ rei sine acceptatione, dominium non transfertur in donatarium, ibid.

Mandati fines ad vnguem seruandi sunt, n. 6.

Dominium nō acquiritur ab existente in mala fide, ibid.

Pecunia mala fide consumpta condici potest ac si extaret, ibid.

Ratificatio retrotrahitur, quando medio tempore ius fuit alteri quæsitum, num. 7.

Nullum quod est, nullum potest producere effectum, n. 8.

Paria sunt, actum non fecisse, & illum non legitimè fecisse, ibid.

Clausula, omnesque alios, *inducit litis pendentiam, quoad habentes interesse citatos, n. 9.*

DECISIO DXVI.

POstquam visum fuit Dominis mandatum A. C. in fauorem D. Ducis Cæsarini contra Serenissimum Electorem Coloniæ fuisse nulliter attentatum, & pro plus debito relaxatum. Agentes pro d. D. Electore prætendentes pecunias vigore dicti mandati sequestratas reperiri adhuc penes D. Robertum primum, ad quem per litteras cambij ab Hispania in Vrbem fuerunt transmisse, actionem direxerunt contra D. Robertum, vnde dubitaui vtrùm D. Robertus ad earum pecuniarum solutionem teneretur? quo dubio proposito, Domini affirmatiuè responderunt. 1

Et primò existimarunt non posse controuerti, quin pecuniæ, quæ continentur in litteris Cambij Ioannis Lucæ Palauicini, quæ spectabant ad d. D. Electorem, sint ipsæmet, quas D. Robertus sibi ipsi applicare declarauit in satisfactionem crediti, quod habebat cum bon. mem. Duce Iuliano Cæsarino, concurrit enim identitas summæ in scut. 4278. solidis 3. den. 7. auri in auro, & sic non solum in scutis, etiam in solidis & denariis. Deinde concurrit forma litterarum, scilicet quòd dictæ pecuniæ soluendæ erant cum interuentu Excellentissimæ D. Liuiæ vxoris d. D. Ducis cum absque coniecturis diei, mensis, & anni, quæ simul iuncta probant identitatem, *l. qui aliena. ff. de acquir. hered. l. quædam mulier. ff. de rei vend.* Bart. *in l. triticum,* & ibi Doctor. *ff. de solut.* Alciat. *de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 24.* cum multis allegatis in decisione Seraph. 1093. stante maximè, quia non præsumitur pluralitas summarũ, nisi probetur. Bald. *cons. 344. lib. 2.* cum aliis per Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 15 n. 8.* 2

Secundò non reuocarunt in dubium propositionem firmatam ab informantibus pro D. Roberto, licitè posse creditorem pecunias debitoris sui, quę ad eius manus peruenerunt, sibi ipsimet soluere, & ita solutas non posse auocari à creditore debitoris, per eum, qui prætendit se vel anteriorem, vel dominum illarum pecuniarum fuisse. Afflict. *decis. 290.* Ioseph. Perus. *decis. 45. num. 20.* Menoch. *cons. 25. nu. 1.* Seraph. *decis. 174. num. 3.* fusè Couarr. *pract. quæst. cap. 29. num. 2.* Quicquid enim sit in aliarum rerum traditione, id speciale est in pecunia, vt facta traditione & commixtione transferatur dominium, etiamsi res esset aliena. *l. alieni nummi. ff. de solut.* gloss. & Bart. *in l. singularia. ff. si cert. pet.* 3

Verùm non ideo fuisse liberatum D. Robertum Domini censuerunt, quia hæc conclusio tantummodo videtur habere locum, quando ipsemet debitor soluit pecuniam suo creditori in eam causam, tunc enim efficitur illius, qui recipit per commixtionem irreuocabiliter, & desinit esse in dominio debitoris; secus verò, quando creditor ex se sibimet soluit, absente & ignorante debitore, quia tunc non transfertur dominium deficiente termino habili, nempe scientia & consensu debitoris, & sic non sufficit sola traditio. *l. nunquam nuda. ff. de acq. rer. domin.* cum aliis per Surd. alleg. *cons. 4. num. 41. vol. 1.* 4

& quamuis Robertus habeat exceptionem retentionis, & compensationis, anterior tamen & præcipuè dominus potest auocare d. pecuniam re integra, ab eo qui est debitor, dum adhuc dominium non est translatum, deficit enim causa commixtionis, & consumptionis, potestque eam condicere ab eo, qui locupletior factus est ex re sua, *l. si eum*, & ibi Cuiac. ad African. *ff. de reb. cred. l. si ipsa. ff. quod met. caus. l. vlt. ff. de neg. gest.*

5 Quæ conclusio in hoc casu habet locum, quia bon. mem. Dux Iulianus, cui directæ erant litteræ cambij, & soluendæ pecuniæ, nec eius hæredes eo præmortuo vnquam agnouerunt istas pecunias fuisse suas, & ita earum dominium penes eos, nec per momentum stetit, cum ignoranti & absenti nunquam acquiratur dominium, sicuti nec possessio, nisi fortè per Procuratorem. *l. 1. C. per quas person. l. 1. §. per procuratorem. ff. de acquir. possess.* Requiritur enim animus & intellectus possidendi ad effectum vt dominium rei possessæ acquiri possit. *d. l. 1. §. caterùm, & §. hac qua, eod. tit.* qui animus non potest dari in absente & ignorante. *l. 2. C. de seruit. & aqua.* Potuisset enim Dux Iulianus vel eius hæredes huiusmodi litteras cambij non acceptare, nec poterant ad id cogi, cùm etiam rei donatæ sine acceptatione dominium, vel possessio non transferatur penes donatarium absentem. *l. absenti. ff. de donat.*

6 Deinde cùm expresè in dictis litteris cautum esset, vt D. Duci Iuliano soluerentur istæ pecuniæ, cum interuentu tamen D. Liuiæ eius vxoris, sine cuius cuius consensu non poterat hæredibus soluere, dominiumque earum in eos transferre, nec per cōsequens sibimet Robertus satisfacere, & cùm ipse fines mandati ad vnguem deberet seruare. *l. diligenter. ff. mand.* Anchar. *cons. 75. in princ.* Alexand. *cons. 6. num. 3. lib. 4.* aliàs diceretur ipsum Robertum mala fide pecuniam receptam commiscuisse cum sua, & tunc sibi dominium non acquisiuisse. *l. sed etsi pater, in fin. ff. ad Macedon.* Dyn. *in l. de eo. §. si quis. ff. ad exhib.* quem sequitur Bart. *in d. l. si alien. ff. de solut.* Pecunia si mala fide consumpta, potest condici perinde ac si extaret. *l. obligari. §. pupillus il 1. ff. de aut. tut. l. Cassius. ff. de solut. §. admonendi. Instit. quibus alienare licet.* gloss. *in l. si filius, in verb. condictione ff. si cert. pet.* Iason. *in l. rogasti. §. fin. ff. si cert. pet. num. 5.* vbi ait fingi pecuniam extare, & ideo æquè ac si extaret, vindicari posse, cum aliis allegatis per Surd. *d. cons. 4. n. 43.*

7 Non obstat ratificatio subsecuta D. Ducis moderni, & Ducissæ eius matris, quæ retrotrahitur, sufficitque vt postea interuenerit. *l. fin. ff. ad Macedon.* Iason. *in l. si quis mihi bona. §. iussus. ff. de acq. hared.* Thesaur. *decis. 7. num. 2. & 3.* Quidquid enim sit, vtrùm ad præstandum hunc consensum necessariæ fuissent quoad D. Liuiam solemnitates statutariæ, placuit DD. responsio, hanc ratificationem factam fuisse post motam litem contra ipsummet Robertum contestatam, & ita medio tempore ius quæsitum fuit D. Electori, qui non habuit dominium suum pro abdicato ex mandato nullo & iniusto, & iure merito exigit pecunias suas exactas à D. Roberto, quas ipse Robertus exegit à D. Ioan. Luca Palauicino, prout appellatur ex instrumento in actis producto, in quo expresè promittit indemnem se redditurum D. Io. Lucam Palauicinum, in euentum quòd ista solutio sibi facta non subsisteret.

8 Ex quibus appellat ratificationem istam tanquam nullam & attentatam haberi pro non scripta & non facta, cùm nullum iuris effectum actus iste nullus producere potuerit. *l. 4. §. condemnatum*, vbi Doctor. *ff. de re iudic.* Paria enim sunt actum non fecisse, & illum inutiliter & minus legitimè fuisse factum. *l. non putaui. §. non quanis.* vbi Bart. *ff. de offic. præsid. l. quoties. ff. qui satisd. cog.* & Nicolaus *de appell.* & proinde cùm nunquam istæ pecuniæ fuerint effectæ DD. de Cæsarinis debitorum D. Roberti, possunt hodie ab Electore vero domino vindicari, aut condici, licèt à D. Roberto consumptæ perinde ac si extarent, ex supradictis.

Nec placuit DD. quod dicitur vigore clausulæ *omnésque alios*, non esse inductam litis pendentiam cum D. Roberto, qui fuit citatus vigore commissionis. nam cùm de eius euidentissimo interesse hodie constet, ex supradictis, quippe qui pecunias istas, in quibus dominium nunquam acquisiuit, retinet sine dubio, ipse perinde ac si nominatus esset in dicta commissione comprehenditur, & postquam fuit citatus ab illa die, omnia per ipsum acta remanent attentata. Vestr. *in prax. Rom. Cur. lib. 4. cap. 2.* fusè Lancell. *de attent. post inhib. 2. part. cap. 20. in præfatione quæst. 4. num. 94. & 95.* vbi decisionem in fortioribus terminis allegat. 9

Nec etiam obstat quod dicitur adhuc pendere litem contra DD. Cæsarinos, contra quos non fuit prolata sententia; non enim agitur ad repetendum indebitum solutum, sed prætenditur pro parte Electoris nunquam dd. pecunias fuisse solutas DD. de Cæsarinis saltem legitimè, & ita easdem hodie remanere penes d. debitorem. Quæ dicuntur de legitimatione personarum, ea satis fuerunt sublata ex decisionibus in hac causa factis, coram R. P. D. Cauallerio, quàm coram me. Et ita decisum vtraque parte informante. 10

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Hieracen. iurispatronatus. Lunæ 5. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

De concedenda, vel non concedenda remissoria, multa notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Probationes angustari non solent, n. 1.
Remissoria secunda concedi non solet, nisi ex aliqua causa & cessante calumnia, n. 2. Vbi ponitur causa concedendi secundùm remissoriam.
Iura non in forma probanti, licet non probent, faciunt tamen adminiculum, n. 3.
Remissoria an sit concedenda in tertia instantia, n. 4.
Remissoria an sit concedenda in regno Neapolitano, in quo est timor subornationis testium, n. 5.

DECISIO DXVII

FVit sub die 17. Februarij præteriti coram me decisum testes pro parte Principis Hieracen. inductos immemorabilem super iurepatronatus, de quo agitur, non probant. Vnde cùm pro noua remissoria Princeps instaret, dubio per me proposito, fuit resolutum illam pro nouis testibus in curia prius 1

priùs nominandis esse concedendam, cùm probationes coangustari non soleant, *l. quoniam. C. de heretic.* Ægid. *decis.556.*

2 Et licèt regulariter secunda remissoria non concedatur, concurrente tamen aliqua causa, & cessante calumnia denegari non consueuit. Sarnen. *decis.82.lib.1.* Anton. Augustin. *in tit. de remiss. §. 9.* & fuit dictum in Aquen. pensionis 2. Iunij 1610. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Pampilonen. decimarum 23. Iunij 1600. coram Cardinali Pamphilio. Vbi pro causa fuit consideratum, etiamsi testes in aliquo deficerent de veritate, tamen materiæ articulatæ ex illorum depositionibus constitisse: in casu autem nostro licèt firmatum fuerit non probare testes omnia ad immemorabilem requisita, nonnuli tamen ex eo solùm reiecti fuerunt quòd ætatem 54. annorum non haberent. Alij duo, nimirum 5. & 11. respectu ætatis habilis, quamuis in aliquo deficiant, de illius tamen veritate ex aliorum testium depositionibus apparet, quorum dicta coadiuuantur, etiam ex præsentationibus vltra 50. annos ex illius Episcopi attestatione, quòd nimirum hæc beneficia de iurepatronatus Marchionum Hieracentium existant, cui attestationi plurimum solet Rota deferre. Put. *decis. 243. in fin. lib.2.* Seraph. *decis.1141.num.8.*

3 Et licèt fuerit in decisione firmatum, non constare dictas præsentationes effectum habuisse, vt etiam dictum fuit, Principis iura non esse in forma probanti. Hæc tamen concurrentibus suprà relatis pro adminiculo deseruiunt ad effectum nouam cōcedendi remissoriam, vt fuit dictum in Meten. monasterij 19. Februarij 1596. coram Iusto, & in dicta Pampilonen. decimarum 23. Iunij 1600. coram Cardinale Pamphilio.

4 Non obstat nos esse in tertia instantia, & in aliis duabus in partibus agitatis non fuisse pro immemorabili factas probationes, quæ tamen ibi de facili fieri potuissent, & sic induci calumniæ suspicionem. Nam id potuit euenire, quia pars crederet ad suam probandam intentionem satis esse scripturas, quas habebat, vt etiam ipse Metropolitanus iudicauit, & ad hanc præsumptam calumniam excludendam sufficit ex probationibus factis constare de releuantia, & materiæ articulatæ veritate. Caputaq. *decis.56.nu.3.part.3.* & fuit dictum in Meten. monasterij 19. Februarij 1596. coram Iusto, & in Pampilonen. decimarum 23. Iunij 1600. coram Cardinale Pamphilio.

5 Non obstat subornationis timor, cùm testes examinandi sint de Regno Neapolitano, ex Grammat. *not.14.num.11. & 12.* Grammaticus enim fuit in hoc à Rota sæpiùs reprobatus, vt in Neapolitana computorum 10. Maij 1610. coram Reuerendissimo D. Damasceno, & in aliis decisionibus.

6 Nec releuat didicita fuisse dicta testium, & sic non posse ad nouum examen deueniri, quia cùm summarium tantummodo fuerit in curia datum Procuratori, non autem principali, dici non potest iuxta Booz sententiam de publicatione constare. Seraph. *decis.6088. n.2.* & fuit dictum in Pampilonen. decimarum 23. Iunij 1600. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio, & in Senogallien. prædij 11. Decembris 1600. coram Corduba.

R.P.D. COCCINO.

Montisfalisci fideicommissi. Lunæ 5. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Cippo familiæ, & proximiorum nomine, an, & quando in substitutionibus veniant fœminæ, & quando testator fauorem agnationis respexisse dicatur.

SVMMARIVM.

Cippi verbum intelligitur de stipite agnationis, & sic nomine cippi venit fœmina, num.1. Vbi præsertim quando non constat de contraria mente testatoris. Declara vt n.9. & 10. vbi de eadem materia.

Fœmina licèt agnatos non procreet, nec filij fœminarum suæ matris agnationem præseruent, ipsæ tamen fœminæ agnatæ sunt, n.1.

Cippi nomine veniunt etiam fœminæ, quando testator non respexit ad fauorem agnationis, ibid. in fine.

Familiæ nomine veniunt etiam fœminæ, quando testator non respexit ad agnationem, n.2.

Proximiorum appellatione veniunt etiam fœminæ, quando testator non respexit ad agnationem, n.3.

Substitutus pluribus institutis, vno deficiente illi pro portione succedit, n.5.

Testator vocando fœminas, non censetur respexisse ad fauorem agnationis, n.6.

Testator non dicitur considerasse fauorem agnationis, quando hoc non dixit, n.7.

Testatorem respexisse fauorem agnationis probatur coniecturis, ibid. Amplia vt ibidem, & n.8.

DECISIO DXVIII.

Nicolaus de Rubeis in suo, quod condidit, testamento Gratiosam, Faustam, & Iuditham eius filias pro æquali portione hæredes vniuersales instituit, & in euentum in quem aliqua ipsarum quandocunque sine filiis obiisset, voluit sua bona reuerti ad cippum, & ad familiam de Rubeis, & ad proximiores de dicta familia; quare cùm Iuditha sine filiis obierit condito priùs testamento, quæsitum fuit in Rota, an Fausta deberet succedere, & bis affirmatiuè fuit resolutum ex eo capite, quòd Fausta ex præsumpta mente testatoris substitutum excludit; sed quia conclusio non habet locū quando factum est testamentum ex allegatis in vltima decisione, & notat additio ad Baldum *in l. penult. C. de impub. & aliis substit. in littera A.* ideo cùm compertum fuisset Iuditham suum condidisse testamentum, tertiò proposui causam, & Domini pro maiori parte propter aliam rationem steterunt in decisis, & Faustam succedere debere concluserunt. etenim licèt testator voluerit quòd in euentum obitus sine filiis bona reuerterentur ad cippum, & ad familiam de Rubeis, & ad proximiores de d. familia; tamen cùm non respexerit ad agnationem, vt infrà probabitur, siue attendatur verbum, *cippus*, siue verbum, *familiæ*, siue verbum, *proximiores*, veniunt fœminæ, ac proinde Fausta tam sub nomine cippi, quàm familiæ, & proximiorum includitur. Et quidem quod verbum, *cippus*, intelligatur de stipite agnationis, docet Angel. *in fin. in princ.* Castrens. *num. 7. C. de verb. signif.* Socin. sen. *cons.49. num. 1. vol. 1. & cons. 51. num.2. vol.2.* Card. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.8. tit.12. num.24. vers. secundum est etiam.* Peregr. *de fideicommiss. art.22. num.29.* Honded. *cons.75. nu.7.*

lib.1. qui alios allegat, & præterea licèt fœmina agnatos sibi non procreet, nec filij fœminarum in suę matris agnatione perseuerent, l. pronunciatio. ff. de verb. signif. Bald. in l. vnica n.7. & 8. C. quando non petent. part. tamen ipsa fœmina agnata est, & quousq; ipsa viuit, nomen familiæ, & agnationis, & cippum domus conseruat, & propterea venit appellatione cippi, cùm non constet de contraria mente testatoris, Paris. cons. 31. num.1. & seqq. & cons. 53. n.29. & seqq. & num.32. lib.3. Antonius Cioffus cons. 84. num.1. & 2. & hoc dictum optima ratione comprobatur, quia nomen cippus, non est nomen legale, Corn. d. cons. 273. nu.5. lib.4 immò appellatur nomen rusticorum. Angel. Mantica, & Peregr. locis præcitatis & propterea meritò comprehendit etiam fœminas, si testator non respexit ad agnationem, quod si fecisset, mens ipsius tanquam regina esset attendenda, Socin. iun. cons. 110. n.10. Ang. cons. 223.

2 Quantum verò attinet ad nomen familiæ, in hoc casu, in quo testator non respexit ad agnationem, certum est fœminam quousque ipsa viuit, conseruare nomen familiæ, & agnationis, & ideo venire appellatione familiæ, Alex. in cons. 55. n.5. vers. præterea etiam filia d. Joannis lib.3. Ias. in cons. 142. num.24. in fin. vers. Lucia fit, de agnat. lib.3. Alex. cons. 53. num.8. in fin. vers. non obstat lib 6. Ias. lib.2. num.206. ante medium, vers. filia verò, & in fine vers. qualitas agnationis, C. de iur. emphyt. Socin. iun. in cons. 30. n.51. lib.1. & cons. 2. n.4. & cons. 268. n.21. & 56. vol.2. Cephal. cons. 134. nu. 47. vol.1. Gagnol. in l. fœmina n.7. ff. de reg. iur. & optimè Corn. in cons. 230. num.11. vol.3. Paris. cons. 51. n.12. & seqq. lib.2. latè Cardin. Mantica de coniect. vlt. vol. lib.8. tit.12. n.2.

3 Quantum denique attinet ad nomen, proximiores, non est dubitandum, cùm testator non respexerit ad agnationem, quin sub nomine, proximiores, veniant etiam fœminæ, Bald. cons. 6. num.1. lib.2. Rub. Alexand. cons. 106. num.4. Curt. iun. cons. 49. nu. 7. §. accedit, lib.1.

4 Et prædicta omnia procedunt etiam quòd fœminæ nuptæ sint extra familiam. l. voluntas, vbi Bald. n.2. C. de fideicom. Decius cons. 287. n.12. Corn. cons. 230. n.3. & n.11. lib.3. Socin. iun. cons. 2. n.63. lib.2. Ceph. cons. 53. n.86. Gabr. cons. 195. lib.1. Mantic. de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit.12. n.7. vt fuit dictum in causa Romana de Micinellis 10. Iunij 1603. coram Illustriss. Card. Seraphino.

5 Corroboratur prædicta conclusio duplici fundamento. nam primò certum est, quòd si Iuditha non fecisset testamentum ex præsumpta mente testatoris, ex verbis ipsiusmet vocationis, quemlibet substitutum exclusisset, Peregr. de fideicomm. art.13. n.32. & 46. & 48. Menoch. præsumpt. 186. nu.16. lib.4. Decian. cons. 1. n.128. lib.2. Mantic. de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit.5. n.18. Rot. decis. 141. n.1. & seqq. part.1. & fuit dictum in decis. in hac causa factis, in quibus fuit expresè responsum ad verba illa distributiua; & si aliqua substituit cippum, ex Ripa in l. hæredes mei, §. cùm ita, n.118. & seqq. ff. ad Trebell. & ex aliis ibi allegatis, & propterea dicendum est cùm testator in ista vocatione non respexerit ad agnationem, quòd sicuti Fausta ex præsumpta mente testatoris quemlibet substitutum excluderet, si Iuditha testamentum non condidisset; ita etiam Fausta debeat censeri vocata in substitutione expressa, cùm verba sint apta comprehendere fœminas, ac proinde Faustam, ex allegatis per Card. Mant. de coniect. vlt. vol. lib.3. tit.3. n.9. & seqq.

Secundò, prædicta sententia corroboratur, quia certum est testatorem non respexisse ad agnationē, cùm vocauit fœminas, & idem esse dicendum cùm vocauit cippum, & familiam, & propterea fœminæ censentur vocatæ sub nomine cippi, & familiæ, vt vocationes inter se correspondeāt, cùm verba in testamento posita apta sint comprehendere fœminas, vt superiùs dixi & notat Ruin. in cons. 187. nu.1. lib.1. Paris. cons. 23. n.64. lib 1. Ceph. cons. 396. n.101. & seqq. & fuit in simili dictum coram me in causa Romana emphyt. 28 Nouemb. 1603. 6

Quòd autem testator non respexerit ad agnationem, satis patet ex præscriptione, quæ oritur ex quo testator hoc non expressit, Dec. cons. 511. n.6. ante medium, Soc. iun. cons. 117. post n.25. lib.1. Bero. cons. 122. n. 5. ad fin. cum seqq. lib.2. Gabr. cons. 97. n.18. lib.1. Ceph. cons. 527. n.32. & dixit Rota in causa Romana fideic. 29. Martij 1610. coram Illustrissimo Ludouisio. Et licèt possit ex coniecturis constare testatorem respexisse ad agnationem, Socin. iun. & Gabr. loc. cit. tamē in hac facti specie cessat omnis difficultas, cùm testator instituerit filias fœminas, ex quo colligitur non respexisse ad agnationem, Mantic. de coniect. vlt. vol. lib.6. tit.15. n.9. Aym. cons. 306. Surd. cons. 370. n.4. Molin. de primog. Hispan. lib.3. c.5. n.50. vbi quamplures allegat; quæ conclusio procedit etiam quòd post fœminas vocauerit cippum domus, Paris. cons. 35. n.14. & seqq. vol.3. & dixit Rota in causa Romana fideicom. de Grachis 26. Nouemb. 1587. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & in alia Assisien. hæred. 31. Maij 1616. coram Illustrissimo Lugdunen. & est de mente Molin. loco præcit. post alios per eum relatos, dum vult quòd si testator vocauit fœminas etiam quòd aliquando vocauerit masculos, quòd non censeatur respexisse ad agnationem. 7

Insuper prædicta conclusio procedit etiam quòd adsit statutum exclusiuum fœminarum, licèt de hac sententia posset dubitari, si priùs instituisset masculos, & deinde substituisset cippum, quo casu fœminæ non venirent, nisi post masculos. Bart. in l. si iurisiurandi. §. si liberi, n.5. ff. de oper. liber. Curt. iun. cons. 31. num.3. & fuit dictum in causa Romana domus S. Ludouici 27. Nouembr. 1600. coram bon. mem. Pegna, tamen cùm instituerit fœminas, & sic cum constet de contraria mente testatoris, recedendum est à coniectura statuti. Mant. de coniect. vlt. vol. lib.6. tit. 10. n. 14. & fuit dictum in causa Romana emphyt. 18. Maij 1601. coram me, vbi subiungitur quòd de facili receditur ab ista coniectura, iuxt. cons. Corn. 91. n.1. lib.1. & 202. n.9 vol.3. & Aym. 250. n 2. & cessat omnis difficultas, quia non adest statutū exclusiuum fœminarū propter extraneos de familia, & proprietate ex statuto nulla potest desumi coniectura. Socin. sen. cons. 55. post n.1. vers. sed in casu nostro. lib.3. Socin. iun. cons. 158. n.51. lib.2. Curt. iun. cons. 49. n.10. Ceph. cons. 46. n. 19. vers. non obstat itaque. & dixit Rota in causa Montisfalisci hæreditatis 14. Maij 1564. coram bo. mem. Card. Seraph. & in alia Romana fideicom. 29. Martij 1610. coram Illustrissimo Ludouisio. 8

Neque obstat quòd appellatione cippi non veniant fœminæ, vt expresè in his terminis voluit Corn. in cons. 55. nu.6. lib.1. vbi in illo casu prout in nostro institutę erant fœminę, & substiturus cippus, & aderat etiam in illo casu prout in nostro statutū exclusiuum fœminarū propter masculos, quod ponderat idem Corn. in cons. 6. Viuius dec. 10. n.3. & seqq. Nam fuit responsum consilium Cornei, & decisionē Viuij bene procedere si testator respexisset ad agnationem 9

tionem, ad quam cùm non respexerit, dicendum est, quòd appellatione cippi veniant fœminæ, vt patet ex Parisio suprà allegato, & dixit Rota in causa Nucerina prædij 24. Nouemb. 1595. coram bon. mem. Card. Mant. *in vers. neque obstat quod hac verba ad cippum domus*; & Menoch. *in cons. 549. n. 12. vers. 4. & vlt. vol. 6.* intelligit Corneum, vt eius dictum procedat quando testator institutis filiis masculis, exclusisq; filiabus dotatis substituit ipsis filiis decedentibus sine filiis cippum domus, & meritò, quia ratio Cornei, & Viuij adaptari non potest, quando testator nõ respexit agnationem. nam mouentur ex eo, quia testator, cùm ad cippum domus bona redire voluerit, dicitur ipsum cippum vocasse, atq; ita eos in quibus firmamentum & stabilimentum domus, ac proinde eius conseruatio consistit: porrò fœmina non est stabilimentum & conseruatio domus & familiæ, sed finis, & cum ea extinguitur, quæ quidem verissima sunt, sed nõ tollunt quin fœmina sit de stipite, quod sufficit in hoc casu, cùm testator non respexerit ad agnationem, vt suprà conclusum est; insuper addo rationes, quas afferunt Corn. & Viuius, esse Doctorum mox citandorum, qui tamen docent nomine cippi non comprehendi fœminas, quando testator respexit ad agnationem.

10 Neque verum est quòd infiniti Doct. contrariam sententiam doceant, & Rot. etiam contrarium tueatur, vt ex aduerso contenditur. nam est aduertendũ quòd Doctores citati vel loquuntur in diuersis casibus; vel loquuntur quando testator respexit ad conseruationem agnationis. etenim Francus *in cap. si pater n. 111. vers. 11. de testam. in 6.* intelligendus est, licèt hoc non expresè dicat, sed colligitur ex ratione, quando testator respexit ad agnationem, mouetur enim ex eo, quia, vt ipse dicit, fœminæ non possunt leuare faldam domus & casatæ, quod est verum, si testator respexisset ad agnationem, vt suprà dictum est, Corn. *cons. 26 num. 4. in fin. & num. 5. lib. 4.* expresè loquitur quando masculus est institutus, & postea substituitur cippus, vt patet *num. 3. & 4.* & in eisdem terminis loquitur *in cons. 41. num. 8. & seqq.* vt patet *num. 2. & in cons. 273. num. 4. in fin. & nu. 5. lib. 4.* Curt. iun. *in cons. 72. num. 6.* Dilectus *de art. testan. caut. 22. n. 2. de substit.* dum dat cautelam vt cippus substituatur, quando testator vult bona conseruari in agnatione, expresè loquitur quando testator respexit ad agnationem, Gozad. *cons. 79. num. 6.* Paris. *cons. 53. num. 29. & num. 36. lib. 3.* Menoch. *cons. 549. num. 12. lib. 6.* Honded. *cons. 75. num. 7. lib. 1.* vt expresè patet *nu. 19. vers. quod in casu*, qui omnes loquuntur quando aliquo modo testator respexit ad agnationem; decis. verò Nucerina fideicom. 16 Ian. 1595. coram bon. mem. Card Mant. fuit declarata 24. Nouembr. eiusdem anni, vt habeat locum quando testator respexit ad agnationem, Mant. denique & Peregr. *locis pracit.* videntur referre contrarias Doctorum variè sentientium opiniones.

11 Denique non obstat quòd nomen familiæ denotet agnationem, *l. pronunciatio. § fœmina. ff. de verb. signif. cum alleg.* per Card. Mant. *de coniect. vlt. vol. lib. 8. tit. 12. num. 9.* quia hoc non operatur vt fœmina non censeatur vocata, cùm sit de agnatione, vt suprà conclusum est, & cessat ratio ex qua posset dici exclusa, videlicet si testator respexisset ad agnationem, quo casu per fœminam agnatio conseruari non potuisset, vt ex traditis per Cardinalem Manticam loco proximè allegato colligitur.

Et ita conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana fideicommissi de Vezzijs. 9. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

De recognitione instrumenti publici, & quæ requirantur.

SVMMARIVM.

Scriptura non dicitur sufficienter recognita quæ fuit comparata cum alia scriptura, si non constat quòd scriptura cui comparatur, sit certa & indubitata, n. 1.

Scripturæ certitudo haberi non potest per comparationem, n. 2.

Scriptura cum adminiculo vnius testis facit legitimam probationem pro certificatione illius scripturæ, nu. 3. Declara vt n. 4.

Testis vnus de circunstantia scripturæ per similitudinem non facit semiplenam probationem, sed requiruntur duo, n. 4.

Apocha priuata requirit exactiorem probationem recognitionis, quàm instrumentum publicum, pro quo probando sufficiunt duo testes quòd recognoscunt instrumentum, & quòd est manu talis Notarij, n. 5. Declara vt num. 6.

Instrumentum publicum recognoscitur per leuiorem probationem, quæ tamen debet esse concludens & perfecta, n. 6.

Scriptura publica an sit per comparationem sufficienter recognita, relinquitur arbitrio iudicis, nu. 7. Declara vt num. 8.

Arbitrium de arbitrio non debet dari, ibid.

Scripturæ comparatio potest fieri ad acta alterius iudicij, si scriptura illa est indubitata, n. 9.

DECISIO DXIX.

Censuerunt Domini scripturam de qua agitur non esse sufficienter recognitam, quia scriptu- 1
ra cum qua fuit præsens examinata non est certa, & indubitata, prout necessarium est. *l. comparationes. C. de fid. instrum. auth. ad hac, eod. tit.* Grauet. *cons. 216. n. 18.* Curt. sen. *in l. admonendi, nu. 114. ff. de iureiurand.* Ruin. *cons. 70 n. 4. vol. 4.* Menoch. *de arbitr. cas. 114. n. 29.* Natt. *cons. 632. n. 5.*

Monasterium enim Sanctæ Ceciliæ in actis produxit plura instrumenta Petripauli de Amodeis, cum quibus erat facienda comparatio, quæ in causa vertente inter Capitulum, & Canonicos S. Nicolai in Carcere ex vna, & monasterium S. Cosmati de Vrbe, fuerunt recognita per duos peritos per comparationem cum aliis publicis instrumentis eiusdem Petripauli existentibus in archiuo Capitolino, & mox per vnum testem, qui formiter examinatus recognouit manum, & characterem, & personam dicti Notarij prędefuncti, ac denique eadem recognitione stante lata fuit sententia pro Capitulo.

Et tamen verum est, quòd certitudo scripturæ ha- 2
beri non potest ad hunc effectum per comparationem. Ita text. *in d. l. comparationes.* ibi, *sine comparatione litterarum* & rationem reddit Menoc. *de casu 114.*

*num.*30. quia res in infinitum tenderet, & arguendum esset de similitudine litterarum ad aliam similitudinem, non autem ad certam scripturam, prout requirunt exempla posita *in l. comparationes, & in auth. ad hæc*; quæ ponderantur per Nattam *cons.* 632. *n.*5. & Ruin. *d. cons.*70. *n.*4. *vol.*4.

3 Non obstat, quòd scriptura, cum qua fuit facta comparatio, habeat adminiculum vnius testis, quod solet facere legitimam probationem ad certificandam scripturam. Salyc. *in l. comparationes, numer.* 22. *versic. Et erit bonum argumentum, C. de fid. instrumentorum.* Ang. *in auth. de instrument. caut. & fide. num.*4. *in fin. vers. si vero.* Vi fill. ad Afflict. *decis.* 181. *num.* 12. Natt. *cons.*632. *num.*3. & hoc etiam admittit Menoch. *d. cas.*114. *n.*25. quamuis de prædictis non faciat mentionem Ruin. *cons.*46. *n.*8. *lib.*4.

4 Quia omnes loquuntur de teste deponente de facto coram se celebrato, prout est quando vidit scribere, vel subscribere, vel quando præsens fuit confectioni instrumenti, non autem de teste recognoscente simpliciter manum, tanquam habente illam bene notam. qui casus multum inter se differunt ad concludendam probationem, cùm vnus tāgat substantiam facti, & probet semiplenè, vt dicit Abb. *in c.*2. *de fid. instrum.* & Salyc. *in d. l. comparationes, d. n.*22. alter verò circunstantiam, nempe similitudinem litteræ, per quam infertur ad substantiam, & duobus testibus debet probari ad perfectionem semiplenæ. Gabr. *de probat. concl.*1. *n.*3. *& seqq.*

5 Et si dicatur quòd idem debet operari ad semiplenam constituendam testis deponens super circunstantia similitudinis litteræ, asserendo habere notam manum, prout testis super veritate facti, ex quo non versamur in recognitione priuatæ schedulæ, quæ exactiorem desiderat probationem, sed in recognitione instrumenti publici, pro quo sufficiunt duo testes dicentes quòd recognoscebant instrumentum, & quòd eorum iudicio erat manu talis Notarij, iuxta decis. Putei *primam, de fid. instrumentorum.*

6 Potest responderi, etsi recognitione instrumentorum leuior probatio sufficiat, illa tamen debet esse concludens & perfecta in sua specie. Bald. *in l. spadonem §. qui vera. ff. de excus. tutor.* quæ talis ista esse non videtur, dum circunstantia similitudinis, vel cognitionis litteræ vnico teste tantùm probatur, cùm plures desideret, vt iam dictum est.

7 Non obstat, quòd vbi agitur de comparatione litterarum, scripturæ publicæ relinquantur arbitrio iudicis, an plena, vel semiplena fides sit adhibenda, Menoch. *d. cons.*114. *n.*25. quod arbitrium dicebatur debuisse intrare pro sustinenda veritate scripturæ, cum qua fuit facta comparatio, dum vltra comparationem & testem super cognitione manus attenta illa comparatione fuerit etiam pronuntiatum, & sententia exequutioni demandata.

8 Quia fuit responsum de huiusmodi arbitrio non esse agendum in præsenti ad sustinendam certitudinem scripturæ in illo iudicio inter alios agitato, in quo Ecclesia Beatæ Mariæ non interfuit, nec potest illi præiudicare toto tit. res inter alios acta, sed de comparatione in iudicio communi & præiudiciali inter ipsas partes, aliàs possit dari arbitrium de arbitrio vsque in infinitum, quod non supponunt præcitati Doctores.

9 Neque contrarium dicit Salyc. *num.*12. dum vult quòd comparatio possit fieri ad acta alterius iudicij, quia semper præsupponit scripturam esse indubitatam secundùm Mandos. express. *in d. l. comparationes, & auth. ad hæc. C. de fid. instrum.* quæ in præsenti non iustificantur. Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Callien. iuris conferendi. Veneris 9. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

De iure conferendi Canonicatum habentem annexam præbendam, an spectet ad Episcopum, vel Capitulum.

SVMMARIVM.

*Capitulum acquirere non potest ius conferendi beneficium temporale. Declara vt n.*2.

Præbenda censetur spiritualis quando est applicata Canonicatui non habenti aliam præbendam, ibid.

*Ius conferendi ad hoc vt acquiratur, attenduntur principaliter bona, ex quibus constituitur præbenda, de cuius collatione agitur, n.*3.

*Præbenda Canonicatui applicata nunquid conferri debeat ab Episcopo, vel Capitulo, num.*4. *Vbi præsertim quando in applicatione præbendæ fuit apposita clausula;* sine præiudicio Capituli, *& n.*5.

*Facultas conferendi data à Episcopo in præsentia Capituli censetur data ab ipso Capitulo, n.*6.

Possessio beneficij, & Canonicatus dat in præsentia Capituli, censetur data ab ipso Capitulo, ibid. in fine.

*Legatus dicitur iudex ordinarius intra limites suæ legationis, n.*7.

DECISIO DXX.

Reuerendissimus Episcopus Calliensis cùm decisionem impugnaret coram me sub die 6. Martij præteriti factam, quòd videlicet Capitulum esset manutenendum in quasi possessione conferendi Canonicatum, & præbendam Sancti Cypriani, aliàs plebis Sancti Bartholomæi, de anno 1615. vacantem, denuò causa per me proposita Domini steterunt in decisis, cum præsupposito tamen, quòd iura probantia istius Canonicatus identitatem sint in forma probanti. 1

Nec releuat huiusmodi præbendam fuisse dicto Canonicatui post illius erectionem & collationem applicatum, & sic censeri quid temporale, vnde inferebatur Capitulum ius conferendi Canonicatum acquirere non potuisse. Nam vltra quòd eodem contextu facta fuit applicatio, quæ præbenda spiritualis censetur, cùm præsertim aliam Canonicatus non haberet. *c. dilecto, ante finem, de præben.* Abb. *in cap. maioribus, ante n.*4. *eodem tit.* Imol. *in Clementina si iusta, n.*8. *vers. quærit vlterius, eod. tit.* & fuit dictum in Iporregien. præbendæ 23. Ianuarij 1608. coram R. P. D. Manzanedo. 2

Ad effectum tamen requirendi ius collationis attenduntur principaliter bona, ex quibus huius Canonicatus præbenda constituitur. Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulturana, n* 8. *de electionib.* Cassad. *decis.*22. *de præb.* Rota *decis.*17. *n.*5. *part.*2. diuersorum. 3

Nec obstat Canonicatum ad se præbendam vti quid accessorium trahere, & consequenter illius collationem ad Episcopum simul & Capitulum spectare, 4

spectare, ad quos de iure Canonicatuum collatio pertinet; hoc enim procederet vbi de bonis communibus præbenda esset instituta. Cassad. *d. decis. 21. sub num 1. de præben.* Rota *decis. 17. num. 5. part. 2. diuersor.* In casu autem nostro fuit Canonicatui annexa probenda desumpta ex parochiali Sancti Bartholomæi, cuius collatio ad solum antea Capitulum spectabat, ad quod propterea dicitur Canonicatus collationem tantummodo pertinere, Abb. *in c. subiectum, num. 3. de iurepatron.* Roch. *de iurepatr. in verbo Honorificum, num. 8. in fine versic. Item bene facit*, Seraphin. *decis. 1444. num. 11.* Stante præsertim clausula, quòd huius præbendæ applicatio sine Capituli præiudicio facta censetur, ex allegatis in decisione.

5 Nec valet dicere clausulam *sine præiudicio*, in incompatibilibus non procedere, qualis est præbendæ applicatio, cum eiusdem collationis reseruatione, quia contrarium est verius, cùm non sit incompatibile, præbendam applicare Canonicatui, & eius sibi collationem reseruare. Seraph. *decis. 1444. n. 11. & 12.*

6 Non obstat hanc applicationem fuisse factam per Domitium de isto Canonicatu tunc temporis prouisum, qui talem facultatem non habebat. Quia cùm illa facta fuerit in præsentia Capituli habentis applicandi facultatem, ab eodem Capitulo factum censeatur. Butr. *in c. dilecto num. 17.* vbi Abb. *num. 10. de præben.* Vt in simili de possessione dicitur tradita per Capitulum habens conferendi facultatem, quo idem operatur ac si ab ipso Capitulo fuisset facta collatio. Rot. *decis. 6. num. 2. de concess. præben. in nouis.* Rot. *decis. 987. lib. 3. part. 3. diuersor.*

7 Non obstat replicatio quòd Capitulum huiusmodi collationem non iure proprio fecerit, sed vigore facultatis à Legato de latere sibi concessæ, qui Legatus erat Ecclesiæ Calliensi tanquam intra limites suæ legationis ordinarius. Gambar. *de offic. legat. lib. 8. num. 6.* Nam Dominis placuit responsio in decisione data quòd Breue fuerit impetratum pro obtinenda facultate Canonicatum erigendi, non pro facienda illius collatione. Cùm enim Capitulum esset in possessione dictam plebem conferendi poterat etiam Canonicatum, cui plebs fuerat vnita, conferre, ex allegatis.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana repetitionis pecuniarum. 9. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Expensæ factæ præsumuntur factæ per debentem facere ex officio, sed probanda est quantitas præcisa si obscurantur præsumptiones.

SVMMARIVM.

Expensas repetens, duo tenetur probare, factas fuisse in ea quantitate, & factas fuisse ab ipso, n. 1.

Expensas fecisse præsumitur, qui tenebatur facere ex officio suo, n. 2.

Expensarum liquidatio fit sufficienter per leuiores probationes, per præsumptiones scilicet, & coniecturas, num. 3. Vide & declara num. 4.

Præsumptiones geminatæ vna super aliam, non dantur etiam in casu quando sufficiunt leuiores probationes, præsumptionum enim concursus non datur, ibid.

Expensarum præcisa quantitas probanda est, quando præsumptiones obscurantur, n. 5.

DECISIO DXXI.

IN successiua disputatione dubitaui, an partitæ scutorum 500. & 800. de quibus in dubio, sint iustificatæ. Et non esse iustificatas fuit resolutum.

Quia Ianuarius in hoc iudicio repetitionis pecuniarum duo tenetur probare, quòd expensum fuerit in ea quantitate, & ab ipso, secundùm doctrinam Bartol. *in l. cùm seruus 104. num. 3. ff. de verb. obligat.* 1

Et quamuis hoc postremum soleat præsumi, si constat quòd agens impensam tenebatur facere, vt animaduertit idem Bart. & confirmauit Bald. & Salyc. *in l. vlt. C. de alim. pub.* post Neuizan. *cons. 19. num. 9.* Alba. *cons. 2. num. 1.* & alios refert Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 11.* & Ianuarius in præsenti, iuuare possit huiusmodi præsumptione, dum ab eo vti Magistro domus similes impensæ lignorum pro vsu domus, & hordei pro pabulo equorum erant faciendæ, & computa viuenti Cardinali inita idem comprobare videntur. 2

Tamen deficit iustificatio quantitatis, quia non fuit probatum quæ mensuræ lignorum emptæ fuerint, neq; numerus rubrorum hordei, aut quid præcisè necessarium esset, pro vsu domus Cardinalis ad vtrumque.

Non obstat quòd probata substantia crediti expensarum in earum liquidatione soleant admitti leuiores probationes, per præsumptiones scilicet, & coniecturas. Surd. *cons. 94. n. 26.* Natt. *cons. 101. num. 2.* cum aliis allegatis, & dictum fuit in hac causa 13. Martij præteriti. 3

Quia neque similes probationes datæ fuerunt, non enim releuans coniectura est assertio ipsius Ianuarij fundata in verisimilitudine necessariæ, & ordinariæ impensæ domus, quia istæ essent duæ præsumptiones nempe præsumere solitum consumendi quantitatem, & præsumere ab ipsomet Ianuario fuisse impensum, quod non admittit Bart. *in d. l. cùm seruus*, nec de iure datur concursus præsumptionum. *l. 1. C. de dot promiss.* cum gloss. *in verbo dotem*, latissimè Oddo *cons. 38. n. 80.* 4

Sed probanda est præcisa quantitas, vel saltem à solito annorum præcedentium, si agatur de vsu lignorum; si verò de consumptione hordei, numerus equorum probandus est, quia quotidie potest augeri, & minui, & hæc probatio eo concludentior desideratur, quia certum est quòd bon. mem. Cardinalis habebat partem lignorum, & hordei in palatio, quæ deducenda est ex ordinaria impensa, & de illius quantitate ad hunc effectum constare debet; & vlteriùs exhibiti fuerunt per D. Octauiam libri nuncupati *della Dispensa, & squarcia foglio*, in quibus apparet dispensatio lignorum, & hordei per tempora in minori quantitate, quàm fuerit præsuppositum in duabus partitis, de quibus in dubio, quæ omnia obscurant præsumptionem allegatam, quatenus de ea aliqua ratio esset habenda. 5

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Bononien. pecuniaria de Maluetiis. Veneris Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Fructus dotis restituendæ debentur à die interpellationis.

SVMMARIVM.

Fructus dotis restituendæ debentur à die interpellationis, num. 2. in fine, & per sequestra facta inducta dicitur iudicialis interpellatio, ibid.

DECISIO DXXII.

1 CVm fuisset in hac causa resolutum 1. Iunij 1615. fructus dotis non deberi tam quoad secundum tempus, incipien. post lapsum quatuor annorum, quibus hęredibus viri fuit ex speciali pacto data dilatio ad restituendam dotem, quàm quoad tertium, incipien. à die mortis Pompiliæ, quæ successit de anno 1590. & Agentes D. Portiæ non acquiescerent quo ad dictum secundum tempus dictæ resolutioni, causam super eisdem proposui. Et Domini in decisis standum esse dixerunt, præterquam à morte Hieronymi vsque ad mortem Pompiliæ, de quo tempore fructus deberi responderunt, & quoad primam partem resolutionis mouebantur ex rationibus & fundamentis in decisione adductis, vbi visum fuit sigillatim etiam responderi omnibus his, quæ in contrarium hodie adducuntur.

2 Quo verò ad secundam partem mouebantur, quia post mortem Hieronymi quæ successit de anno 1588. Pompilia constituit Procuratorem Paulum inter alia ad recuperandum bona sua, tam dotalia, quàm extradotalia, cum facultate substituendi, & Paulus substituit Raymundum Ferrum, qui comparuit coram magistratu Bononien. cum narratiua prætensionum Pompiliæ super dote, & fructibus, de quibus intendebat satisfieri, & obtinuit sequestra super bonis Æmilij & Hieronymi. Et licèt, vt in decisione dicitur, hæc sequestra fuerint obtenta absque citatione partis, tamen eis fuerint postea confirmata in iudicio formiter introducto coram Vicelegato Bononiæ in vim commissionis obtentæ à DD. de Maluetiis contra omnes creditores Hieronymi, & specialiter contra Pompiliam, negari non potest quin sit inducta iudicialis interpelatio pro consequenda ista dote nomine Pompiliæ, & consequenter post dictam mortem Hieronymi vsque ad mortem Pompiliæ fructus debeantur, cùm fuerit seruata forma statuti Bononiæ *in rubr. de dot. restituen. §. ordinarius, vers. insuper ad istum effectum requiremis vel interpellationem, vel litem.*

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Turritana computorum. Veneris 9. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Nouatio non censetur facta, nisi expresè dicatur, & in dubio pro non nouatione iudicandum.

SVMMARIVM.

Instrumentum facit probationem probatam, num. 1. in fine.

Nouatio non censetur facta, nisi expresè partes eam fecerint, num. 3. Vbi etiam quòd in dubio est facienda interpretatio vt nouatio excludatur.

DECISIO DXXIII.

INter Capitulum Ecclesiæ Turritanæ, & Iosephum Mugicam inita fuit conuentio, vt in emptione mercium pro Ecclesiæ Turritanæ paramentis Iosephus in ciuitatibus Ianuæ & Florentiæ quatuor mille Patacconos impenderet, constituentes ad rationem monetæ Sardiniæ libras decem mille & octoginta; ad rationem verò monetæ Ianuensis longè maiorem summam: vnde fuit inter eosdem conuentum, vt lucrum ex reductione proueniens à libra Ianuensi ad libram Sardam inter ipsos æqualiter diuideretur. Pacto tamen adiecto, quòd periculum huiusmodi mercium in se Iosephus reciperet, nec non ad id faceret necessarias impensas. Postea Capitulum cùm prætenderet dictum lucrum Iosepho, vel eius hæredibus non deberi, causa in Rota introducta, sententiam per contradictas obtinuit, quæ cùm fecisset transitum in iudicatum, commissa mihi causa restitutionis in integrum, & dubio per me proposito, fuit resolutum constare de causis dictæ restitutionis, cùm Iosephi hæredes indebitè videantur à lucro, de quo agitur, exclusi contra pactum appositum in instrumento, quod probationem probatam facit. Bald. *in l. Imperator num. 13. ff. de stat. homin.* Iason. *in l. 1. num. 10. de nou. oper. nunciat.* Verall. *decis.* 421. *nu.* 1. Franc. Marc. *decis.* 511. *num.* 2. *p.* 2.

Dato autem grauamine, vel læsione restitutio in integrum non denegatur. Rota *decis.* 1. *de restit. in integ. in nouis, & decis.* 1. *eod. tit. in antiquis.* Ægid. *decis.* 38. *post med. & decis.* 334. Verall. *decis.* 94 *par.* 3.

Non obstat prædictum lucrum non apparere, non enim apud partes mercium emptio controuertitur, & per consequens fuit lucrum subsecutum, quòd à reductione prouenit librarum Ianuensium ad libram Sardam.

Nec valet dicere fuisse à dicto instrumento recessum per aliud postea factum cum Gauino, cui demandauit Capitulum istorum bonorum emptionem ipso Iosepho consentiente. Quia respondetur dici non posse fuisse inductam nouationem, & recessum à primo instrumento, cùm hoc expresè partes non egerint. *l. fin.* vbi gloss. & Doct. *C. de nouat.* Bero. *cons.* 197. *n.* 1. *lib.* 1. Rota *decis.* 30. *n.* 2. *part.* 2. Thesaur. *decis.* 125. *n.* 9. Cephal. *cons.* 351. *n.* 23.

Et in dubio est interpretatio facienda, per quam nouatio excludatur, Bar. *in l. penult. ff. de praetor. stipul.* Alciat. *cons.* 119. *in fine.* Decian. *cons.* 11. *num.* 34. *& seq. lib.* 1.

Et tanto magis in casu nostro, cùm omnia in secundo instrumento contenta cum primo se compatiantur. Bal. *in l. fin. in princ. C. de nouat.* Cagnol. *in l. fin.*

*l.singularia,num.*120.*ff.si cert.pet.*Rota *decis.* 265.*n.*5. *par.*1. Nam licèt in primo instrumento Iosephus onus assumpserit dictas merces emendi, conuenit tamen vt per alium etiam id expedire valeat, vnde secundum instrumentum cum Gauino videtur potius factum in vim dictæ facultatis adimplendæ per alium, quàm pro prioris instrument rescissione; cùm præsertim in secundo nulla fiat mentio de aliis conuentionibus, videlicet de periculo harum mercium, quod in se Iosephus assumpserat vnà cum impensis ad hoc necessariis, ob quam causam fuit illi dimidium istius lucri promissum, & cùm ab huiusmodi oneribus Iosephus liberatus non appareat, nec respectu lucri dici potest à primo instrumento recessum, ex allegatis.

5 Præterea satis manifestè constat noluisse partes à conuentione super lucris facta recedere per instrumentum postea cum Capitulo celebratum, cuius vigore poterat Iosephus patacconos quadringentos ad bonum computum lucrorum ad se spectantium retinere.

6 Non obstat in secundo instrumento grauatum fuisse Capitulum ipsi Gauino soluere dimidium mercedis, quia non inde resultat recessus à primo instrumento. Potuit enim hoc velle Capitulum ex alia causa, aliàs indebitè Iosephus in residuo salarij dicti Gauini grauatus remaneret, nec illam pro illo compensationem habuisset, & ex Gauini opera lucrum ex dictis causis Iosepho debitum tolli non debet. Nec valet exceptio quòd non appareat Iosephum in se periculum mercium suscepisse, nec fecisse necessarias impensas, cùm enim constet huiusmodi merces ad Capitulum peruenisse, præsumitur id factum illius impensis & periculo, qui tenebatur. *c.quicumque* 12 *quæst* 4 *cap. vt præteritæ, de electionib.* Oldrad.*consil.*38.*num.*2.

R. P. D. VEROSPIO.

Imolen. hæreditatis. Lunæ 12. *Iunij* 1617.

ARGVMENTVM.

Residui verbum appositum in quitantia, importat integram debiti solutionem, & numeratio pecuniæ per quæ verba in instrumento apposita probata censeatur.

SVMMARIVM.

*Instrumentum facit probationem probatam,num.*1.
Residui *verbum importat integram debiti solutionem appositum in quitantia,num.*2.
Numeratio pecuniæ probatur per illa verba, actualiter habuit, & recepit coram me, *num.* 3.
*Ratificatio actus facti per Procuratorem habet vim mandati,num.*4.

DECISIO DXXIV.

Dvbio per me proposito, an constaret de dote Flauiæ Naldæ, & pro qua summa, Domini censuerunt illius constitutionem in scutis mille aureis probari ex istrumento dotali, sicut pariter de solutione scutorum septingentorum quinquaginta dictum fuit constare ex diuersis partitis ad huius dotis computum solutis, & ex pluribus instrumentis in vim dotis apparet, quæ probationem probatam faciunt. Bald.*in l.Imperator,n.*13 *ff.de stat.homin.* Ias.*in l.*2.*num.*10.*ff.de nou.oper. nuntiat.* Franc. Marr. *decis.*511.*num.*2.*part.*2.

Quo verò ad residuum, videlicet de summa scutorum ducentorum quinquaginta, solutio probatur ex instrumento quitantiæ factæ per Antonium Rigum Procuratorem Faustinæ, quæ tutrix & curatrix erat Artemisiæ relictæ à Dionysio Flauiæ marito, in quo instrumento illi de Naldis pro integra dote aureorum mille Flauiæ debita liberantur, & idem Procurator tunc actualiter pro huius dotis residuo integram debiti solutionem, probant Doct. *in l.*2.*C.de hæredib.inst.* Ias.*consil.*100.*num.*3.*lib.*4. Rota Ianuen.*decis.*16.*num.*9. Seraphin.*decis.*544.*num.*2. & fuit dictum in Vrbeuetana dotis 7. Iunij 1610. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio. 2

Non obstat confessionem de recepto probationem non facere. Nam illa concurrentibus adminiculis, & promissione dotis, vt in casu nostro, solutionem probat. Ruyn.*consil.*183.*in fine lib* 1. Afflict.*decis.* 402.*per totum* Crauett.*consil.* 40.*num.*1. Cephal.*cons.* 131.*numer.* 9.*lib.*1. Cùm præsertim de recepto ad modicam quantitatem reducatur, & Notarius attestetur pro maiori summa fuisse actualiter factam solutionem, vt ex illis verbis ibi, *quem dictus Procurator actualiter habuit, ac recepit coram me,* quæ veram probant numerationem, vt fuit resolutum in Cæsaraugustana pensionis 21. Iunij 1599. coram Pegna. 3

Nec releuat de mandato Faustinæ tutricis in personam huius Procuratoris ad effectum quitandi nõ apparere, cùm enim illa post huiusmodi liberationem à Procuratore factam dicta scuta 70. ab ipso recepta, expressione illa esse pro residuo, & integra dotis solutione ipsius Flauiæ, satis apparet eandem tutricem Procuratoris factum ratificasse, *l.fin. C.ad Maced.l.si pecuniam.C.de negot.gest. l. semper. versic. sed si quis ratam habuerit.ff.de reg.iur.* Rot.*decis.*13.*nu.* 2.*de concess.præben.in nouis.* Achil. *decis.* 17. *de Procurat.* Paris.*cons.*47.*num.*30.*&* 32.*lib.*1. 4

Nec potest in dubium reuocari tutricis confessionem tam in minoris fauorem, quàm in præiudicium sustinere. Natta *consil.* 543.*n.*18. Surd.*decis.*229.*num.*22. Tanto magis cùm illa sit verisimilis. Surd. *decis.*55. Faustinæ verò tutela probatur ex deputatione de ipsa per iudicem facta, vt per instrumentum, quod tutelam probat Bald *in l fin.numer.* 12. *& seq.C.de re iudic.* Mascard.*de probat.conclus.*1193.*num.* 1. & fuit dictum in Nepesina tutelæ 6. Iunij 1616. coram me. 5

R.P.D. BVRATTO.

Perusina hæreditatis. Lunæ 12. *Iunij* 1617.

DECISIO DXXV.

*Impressa habetur apud Add.ad Mascard.de probat.post conclus.*824.

R.P.D. PIROVANO.

Romana administrationis Fundaci. Lunæ 12. *Iunj* 1617.

ARGVMENTVM.

Habes num.1. in summario.

Si

SVMMARIVM.

Peritorum relationi de partium consensu electorum, & à iudice deputatorum in iudicio standum est omnino, num. 1.

Peritus quando assumit in sua relatione magis partes iudicis, quàm periti, eius relationis nulla est habenda ratio, num. 2. vide ibi.

Peritus, cuius industria & fides electa est, non potest alium subdelegare, num. 3. declara vt num. 4.

Peritus potest deputare alium ad nudum ministerium, puta ad scribendum, sicut delegatis non prohibetur subdelegare Notarium ad nudum factum ad recipiendum dicta testium, ibid.

Perito standum est in rebus pertinentibus ad scientiam suæ artis, num. 5.

DECISIO DXXVI.

IN decisione diei 14. Decembris anni 1615. fuit dictum, quòd dum quaterni de capsa reportarentur per Cassinum in libro principali in fine cuiuslibet anni, adhuc capsa crescebat in certa summa; & cùm augumentum præsupponeretur causatum ab erroribus & omissionibus ponendi partitas ad introitum, & seu in debitum capsæ, antequam daretur eidem capsæ creditum ad exitum, dicebatur stante prætensa quantitate errorum quòd maior quantitas pecuniarum debuisset remanere in capsa ad communem sociorum vtilitatem, vt propterea ex hoc argumento, & aliis præsumptionibus teneretur Cassinus reddere rationem de erroribus, de quibus in partitis manu eiusdem Attilij Cassini conscriptis.

Ad remouendum præsuppositum fuit petitum per Cassinum, vt periti deputarentur pro veritate habenda circa errores, quod factum fuit, & primus peritus, qui fuit D. Ambrosius Puteobonellus, in sua relatione post discursum, & non facta examinatione computorum, vt ipse asseruit, existimans necessarium non esse attentis rationibus per eum in sua relatione deductis, eius fuit sententiæ, vt Cassinus liberaretur ab onere reddendæ rationis de partitis, quas propria manu in maiori quantitate tam ad exitum, quàm ad introitum conscripserit.

Ab huiusmodi relatione fuit reclamatum per Albanos, ex eo quòd peritus munus suum omiserit in examinando errores, & quòd suum non erat, in iudicando assumpserit, & exinde ad electionem secundi periti fuit deuentum cum particulari rescripto, vt in primis corrigeret errores libri capsæ *d'entrata, & vscita*, ac etiam libri nuncupati *il Mastro* postea videret habito respectu ad verum computum pecuniæ deficerent, & suam relationem faceret. quod optimè fuit obseruatum per D. Octauium Costam in secundum peritum electum, & per extensum inserta leguntur computa in ipsa relatione, ex quibus dixit peritus pecunias non deficere, quia partitis respectiuè introitus & exitus partibus præsentibus adnotatis augmentum capsæ reperiebatur ad communem sociorum vtilitatem in scutis 1208. bol. 56. quod non ab erroribus causatum existimabat, sed ab augumento scutorum auri in dies proueniente.

Et Albinis adhuc non acquiescentibus, eo quòd errores quartæ & quintæ speciei, seu qualitatis non fuerint extensi in relatione, & correcti & positi ad introitum capsæ, prout de aliis factum fuerat, & in quibus dicebatur totam difficultatem versari de ordine Dominorum, iussus est secundus peritus de prædictis dare rationem, qui addendo suæ relationi, & rationes & iudicium suum explicauit, declarando *stari bene, & non essere errori.* His stantibus & suscepta de nouo disputatione super eisdem,

Censuerunt Domini à decisis esse recedendum.

Ex relationibus enim tollitur fundamentum principale decisionis, quod augmentum ab erroribus fuerit causatum, & ratio placuit Dominis, quia si augmentum ab erroribus causatum non fuit, sed ab aggio monetarum, vel potuerit ab eo causari, vt asserit secundus peritus, inde sequitur vel imperfecta probatio, quæ non releuat Albanos, vel manifesta vtilitas societatis, non autem damnum, quo casu Cassinus magis veniret laudandus de fide, & probitate, quòd augmentum non leuauerit de capsa, cùm esset in facultate sua hoc facere, quàm notandus de præsumptione fraudis, aut grauandus extraordinaria probatione, quæ capseriis tantummodo indubitatis conuenire videtur, & qualem non esse capsiaum, iam fuit per duas decisiones resolutum.

Nec dubitandum videtur de concludenti probatione, quæ ex peritorum relationibus resultat, quia quando de partium consensu & à iudice deputantur, vt in præsenti factum fuit, regulariter eorum iudicio standum est, gloss. *in l. item. si vnus §. principaliter, & verbo auctoritate, ff. de recept. arbitr.* Rot. *decis.* 107. *num.* 6. *part.* 1. *diuers.* & aliàs sæpe fuit resolutum. & in Romana affictus 8 Martij 1604. coram Cardinali Ludouisio in Bononien. professionis 9. Decembris 1611. coram R. P. D. Vbaldo, & coram me in Vrbeuetana statuæ 16. Decembris 1611. 1

Non obstant ea, quæ deducuntur contra relationes de excessu, & primò dum periti magis partes iudicum, quàm peritorum assumpserunt, vt ideo de illis nulla sit habenda ratio. *cap. cùm dilecta, de rescript.* Alexand. *consil.* 11. *numer.* 4. *lib.* 7. cum aliis allegatis.

Quia dum primò declaratur non adesse errores, quicquid inde hoc supposito dixerint de liberatione Cassini, vel consequutione ad fundamentum non existentiæ errorum, dictum videtur, vel non vitiat relationes, quæ positæ sunt in expressione facti, quod est separabile à dispositione iuris, & individuis vtile per inutile non vitiatur.

Non obstat secundus excessus in subdelegando, Bartholomæum Fornelium, dum esset electa fides & industria secundi periti, non poterat alium subdelegare. *cap. is cui. de offic. deleg. in* 6. Honded. *consilio* 55. *numero* 77. *lib.* 1. Rota *de offic. delegat. decis.* 8. *in nouis.* 2

Quia deputatio fuit ad nudum ministerium, & ad scribendum præsentibus partibus in partitas, in quibus prætendebant errores, quod delegatis prohibitum non videtur ad instar subdelegationis Notarij ad nudum factum recipiẽdi dicta testium. Rota *in nouis decis.* 3. *de offic. delegat.* & sæpe fuit firmatũ. 3

Non obstat tertius excessus, quòd secundus peritus non correxerit errores, prout à Rota cõmissum fuerat, sed illos corrigere omisit sub prætextu quòd non essent errores per rationes in relatione additionali expressas, quod iudicium perito non conueniebat, sed Rotæ emendato priùs quaterno capsæ. Placuerunt enim Dominis rationes ponderatæ in relatione additionali, quæ cùm à iudicio periti emana-

emanauerint, & in pertinentibus ad eius peritiam existimarunt, illis credendum, & acquiescendum, prout de iure conuenit. §. *quod autem, in authentic. de non alienand.* Aretin. *in* §. *præterea quod per alluuionem. Inst. de rer. diuis.* & post alios Surdus *consil. 126. nu. 16. & decis. 83. num. 10. & decis. 146. num. 21.*

Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana pecuniaria. Lunæ 12. *Iunij* 1617.

ARGVMENTVM.

Quando creditor constitutus Procurator ad exigendum censeatur sibi satisfecisse, & an correspectiuitas instrumentorum liberet fideiussorem.

SVMMARIVM.

Instrumentum cum obligatione Camerali habet executionem paratam, num. 1.

Fideiussor accedens obligationi modificatæ intelligitur accedere eo modo, quo est modificata conuentio, num. 2. declara, vt num. 3.

Correspectiuitas instrumentorum resultat ex identitate temporis, Notarij, & testium, quæ tamen non attenditur, nisi inter ipsos principales si posterius instrumentum factum est absente fideiussore, qui accessit primò, num. 4.

Procurator ad exigendum & qui exegit non præsumitur sibi satisfecisse de suo credito, si reddit rationem de exactis num. 5.

Procurator ad exigendum, qui potuit sibi satisfacere de suo credito, si non satisficit, sibi imputet, nec potest agere contra fideiussorem, num. 6. vide, & declara vt infra.

Omnia, verbum hoc est generale, & nihil excludit, num. 7.

Superfluitas satis excluditur quoties dispositio potest aliquo casu operari, num. 8.

DECISIO DXXVII.

1 FVit per Dominos resolutum, sententiam deputati per A. C. esse infirmandam, cùm enim obligatio D. Euandri fideiubentis tanquam principalis principaliter, & in solidum pro summa scutorum 540. ad fauorem D. Pompilij sit clara, & de illa constet per instrumentum publicum, non debebat illum absoluere, sed procedere ad exequutionem dicti instrumenti, quod ratione obligationis Cameralis habet executionem paratam. Cassad. *decis. 1. de mut. petit.* Gabr. *consil. 63. n 8 lib. 1.* Menoch. *de arbitr. cas. 17. num. 5.* Gallet. *ad form. oblig. Cameralem part. 1. quæst. 2. num. 11. & 12.*

2 Quibus visum fuit non obstare quòd Abbas de Cuppis principalis debitor eodem die, quo Euander se obligauit, & coram eisdem Notario, & testibus constituerit Procuratorem irreuocabilem, & tanquam in rem suam dictum D. Pompilium ad exigendum omnes fructus suæ Abbatiæ, & consequenter ratione correspectiuitatis vnum instrumentum censeatur alteri inesse, & intuitu talis mandati censeatur Euander se obligasse, cùm fideiussor accedens obligationi modificatæ intelligatur accedere eo modo, quo est modificata conuentio. *l. inter creditorem*, cum ibi notatis per Bald. *ff. de fideiussor.* Vnde cùm Pompilius dicto mandato non fuerit vsus, non possit contra Euandrum agere, qui non aliàs se obligasset nisi dictum mandatum interuenisset.

Quia text. *in dicta l. inter creditorem*, loquitur quando fuit expressè conuentum inter creditorem, & debitorem, quòd debitor non conueniretur nisi vendito pignore, & in euentum quòd illud venderetur minus debito, residuum solui deberet, cui obligationi modificatæ accessit fideiussor: vnde optimè ibi dicitur fideiussorem non teneri, nisi ad illud residuum, quod superest, si pretium pignori non sufficit, quod non applicatur casui nostro, in quo obligatio debitoris fuit simplex absque aliqua modificatione, & illi etiam simpliciter accesserunt fideiussores. Neque talis modificatio desumi valet ex dicto mandato procuræ, cùm sit deuentum ab instrumento obligationis fideiussorum. 3

Et licèt ex identitate temporis & Notarij ac testium posset fortasse resultare aliqua correspectiuitas inter Abbatem, & Pompilium, illa non videtur adesse respectu fideiussorum, cùm dictum mandatũ fuerit factum separatim ab obligatione eorum, & ipsis absentibus & ignorantibus, qua diuersitate instrumentorum & materiæ stante, cessat correspectiuitas, etiam quòd vno eodémque tempore actus sint gesti. Menoch. *præsumpt. 12. num. 39. lib. 6.* 4

Minus facit quòd cùm vigore dicti mandati Pompilius exegerit fructus Abbatiæ longè excedentes huiusmodi creditum, præsumatur de illis sibi satisfecisse, quia huiusmodi præsumptio cessat ex quo illos consignauit Abbati, & de eis rationem reddidit, vt apparet ex calculo ab ipso Abbate, & testibus subscripto, in quo Pompilius remansit creditor scutorum sexdecim. 5

Neque etiam facit, quòd cùm vigore dicti mandati posset sibi satisfacere, si non id fecit, sibi imputet, & non possit amplius agere contra fideiussorem. *l. debitor. de negot. gest.* Respondebatur enim dictum mandatum non fuisse simplex & absolutum, itaut ad sui libitum posset Pompilius dictos fructus retinere, sed fuisse modificatum, vt de omnibus exigendis teneretur sequi ordinem, & voluntatem Abbatis constituentis, vnde cùm non posset sibi indistinctè satisfacere, non potest in eo aliqua culpa & negligentia considerari, ex quo de tali ordine & voluntate Abbatis vt sibi satisfaceret non apparet, immò ex prædicto computo inter ipsos solidato absque illa mentione huius crediti constet de contrario, & consequenter non intrat dispositio text. *in d. l. debitor.* qui non procedit quando sicut in casu nostro, creditor habuit iustam causam non retinendi pecuniam sibi debitam, vt expressè ibi probatur *in vers. si verò iustam causam.* 6

Vltimò non obstat quòd dicta clausula mandati debeat intelligi, vt postquam Pompilius sibi de suo credito satisfecisset, de illo residuo quod supererat in magna quantitate, teneretur sequi voluntatem Abbatis, quia si aliter diceretur, dictum mandatum in rem suam fuisset superfluum. Respondetur enim huiusmodi interpretationem repugnari generalitati illorum verborum, de omnibus exigendis, &c. quæ nihil excludunt. *l. Iulianus, de leg. 2.* 7

Et superfluitas cessat ex quo dictum mandatum satis fuisset operatum, quando Abbas non declarasset suam voluntatem, quòd sibi pecuniæ consigna-

rentur, quo casu illas potuisset Pompilius retinere, & ad excludendum superfluitatem sufficit dispositionem posse aliquo casu operari. Surd. *consil.* 271. *num.* 47. Cephal. *consil.* 104. *num.* 17. Dec. *consil.* 34. *numer.* 31.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Romana spolij de Cruciariis. Lunæ 12. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

Adiudicationes plures pro vno credito, si sint diuersæ, & diuerso tempore factæ, non coniunguntur ad probandam excessiuitatem.

SVMMARIVM.

Renunciatio inducitur per instantiam factam de noua in solutum adiudicatione, num. 1.

Adiudicationes in solutum diuersæ, & diuerso tempore facta, & de pluribus rebus, non coniunguntur ad probationem excessiuitatis, quia tot sunt, quot res ipsæ, num. 2.

Adiudicatio in solutum sustinetur etiam quòd res sit maioris valoris, quàm creditum, sed tenetur ad restitutionem eius quod superest, num. 3.

DECISIO DXXVIII.

FVit in hac causa resolutum 18. Martij 1616. adiudicationem factam Faustinæ esse excessiuam, & reuocandam in totum, cùm pro eius credito scutorum 210. fuerit sibi adiudicata domus scutorum 157. & duo census scutorum 16. constituen. scuta 200. nec non quædam vinea non parui valoris. Verùm quia tunc non informauerat pars Venerabilis Archiconfraternitatis Sanctissimæ Trinitatis, ad quam deuenit dicta domus, ideo ad illius instantiam causam super eisdem proposui.

Et Domini attentis iuribus de nouo productis à dictis recedendum esse dixerunt, cùm respectu domus nullus adsit excessus, quia creditum Faustinæ erat scutorum 210. & addita tertia parte pluris scutorum 70. iuxta formam statuti Vrbis *cap.* 192. *lib.* 1. est in totum scut. 280. & valor domus adiudicatæ est scutorum 157. vt apparet ex illius æstimatione, & sic non æquiualet dicto credito.

Nec obstat quòd vltra domum fuerint adiudicati census & vinea, quia dictæ adiudicationes fuerunt factæ diuersis temporibus. Nam quo ad vineam licèt die 28. Februarij 1575. iudex mandauerit illam adiudicari Faustinæ vnà cum domo; tamen dictum decretum non habuit effectum, cùm vinea nũquam fuerit æstimata, nec etiam fuerit secuta actualis adiudicatio & possessio, vnde respectu solius domus fuit postea 5. Septembris eiusdem anni facta æstimatio, de qua suprà, & per Faustinam anno sequenti 1576. in statum pro noua adiudicatione dictæ domus, nulla facta mentione vineæ, quam obtinuit, & illius vigore possessionem cepit.

Nec facit fides cuiusdam Notarij attestantis quòd die 14. Nouembris 1575. Faustina ratificauit possessionem aliàs captam per Ioannem Dominicum Fabrum de dicta domo, & vinea, quia illa non est de actis. Et cum, vt suprà dictum est, non constet de æstimatione dictæ vineæ, nescitur illius valor, & sic non potest diiudicari, an adsit excessus, nec potest apparere de validitate dictæ adiudicationis, & possessionis ratificatæ, nisi exhibeantur integra acta illius iudicis.

Vltrà quòd Faustina instando postea pro noua domus adiudicatione, recessisse, & omnibus inde sequutis renunciasse videtur, ad *l. pacta nouissima*, vbi DD. *C. de pact.* & certè si vsque tunc possessionem domus & vineæ habuisset, frustrà institisset iterum pro domus adiudicatione, nec de nouo illius possessionem cepisset. 1

Quo verò ad census, illi fuerunt adiudicati de anno 1577. de mense Maij, & sic per annum post domum. Vnde cùm non sit vnica adiudicatio, sed diuersa, & diuerso tempore facta, non potest deseruire ad probandum excessiuitatem adiudicationis domus, Ruin. *consil.* 65. *in princip. lib.* 4. cùm præsertim in dicta adiudicatione non exprimatur causa pro qua fiat, & sic discerni non possit an fuerit facta pro credito dotis, cùm potuerit etiam fieri pro expensis taxatis, pro quibus bo. me. Cardin. Seraphinus relaxauerat mandatum scutorum 100. ad fauorem dictæ Faustinæ. 2

Et in omnem euentum quatenus census adiudicati fuissent pro credito dotis, & essent maioris valoris, quàm residuum creditum Faustinæ. Nihilominus adiudicatio sustineretur, & solummodo Faustina teneretur illud plus restituere. *l. fin.* & ibi Bald. *n.* 4. *C. de iur. dom. impetr.* Ruin. *consil.* 160. *num.* 25. *lib.* 2. Bursat. *consil.* 184. *n.* 28. vbi de communi. Afflict. *decis.* 218. *n.* 1. & fuit dictum in vna Romana subhastationis 2. Iunij 1614. coram R. P. D. meo Vbaldo. 3

Non obstat quòd domus fuerit adiudicata pro scutis 157. tantùm, sub falso prætextu quòd census super ea impositus esset valoris scutorum 150. cùm tamen, vt apparet ex illius instrumento, sit tantùm scutorum 100. quia quicquid de hoc sit, adiudicatio domus non continet aliquam summam, pro qua sit facta, sed simpliciter fit ad computum crediti cum tertia parte pluris, iuxta statutum, & admisso, quòd à valore domus essent detrahenda tantùm scuta centum, adhuc illius valor non æquiualet credito Faustinæ, cùm deficiant scuta 73.

Ex quibus Domini à decisis recesserunt, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Britonien. Saluiani. Lunæ 12. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Habetur in summario.

SVMMARIVM.

Transactio fieri non potest à Procuratore sine mandato, nec sufficit generale, sed requiritur speciale mandatum, num. 1.

Compensatio vim solutionis obtinet, & qui non est obligatus ad solutionem, non potest compelli ad compensationem num. 2. *in fine.*

Executio Cameralis obligationis retardari non potest per partitas illiquidas, num. 3.

DECI-

DECISIO DXXIX.

DOmini in decisione 20. Februarij præteriti firmarunt in scutis 4574. creditum D. Bernardinæ, & pro eo dandam immissionem ex Saluiano censuerunt.

Hodie causa repropositâ idem affirmarunt, quia partitæ in diminutionem dicti crediti adductæ ad effectum de quo agitur releuare non videbantur.

Prima enim partita scutorum 1000. quæ dicitur vigore transactionis soluta Baldinuccio pro recuperatione prædij Molinellæ comprehensi in venditione bonorum facta per Alexandrum Saluagianum Stephano Saminiato, & ad quam tenebatur ipsemet venditor, & nunc D. Bernardina vti hæres Alexandri mediante persona Leonoræ Calderinæ, videbatur Dominis ad debitum & in diminutionem supradictæ summæ non esse ponendam.

1 Quia transactio non legitur facta cum Leonora Calderina, aut D. Bernardina, sed cum Vincentio Merenda earundem mulierum asserto Procuratore, de cuius mandato non constat, quod tamen speciale ad transigendum requiritur. *l. transactiones. Cod. de transact. l. mandato generali, ff. de procuratoribus*. Berouius *cons. 76. n. 17. lib. 1.* Roland. *consil. 26. num. 11. lib. 2.* Socin. iun. *consil. 39. num. 8. lib. 1.*

2 Aliæ duæ partitæ, quarum vna scutorum 250. dicitur soluta Iesuitis, & altera scutorum 250. Sassatellis, verè non probantur debitæ per D. Bernardinam, quia inter liquidas in calculo Guidotti positæ non reperiuntur, neque accollatæ fuerunt per Saminiatum in instrumento emptionis bonorum, vt inde pro exequutione mandati suscepti bona fide extinctæ dici possent. ideo sicuti D. Bernardina ad solutionem prædictarum adstringi non posset, eodem modo nec ad compensationem, quæ vim so-
3 lutionis obtinet.

Postrema verò scutorum 475. pro fructibus census, & altera pro fructibus prædij Molinellæ eadem responsione & fortiori tolluntur, cùm dubitari non possit, quin inter illiquidas partitas positæ fuerint, quæ non retardant exequutionem obligationis Cameralis & rei iudicatæ, vt dictum fuit in alia decisione.

Non obstat calculus Adelasij, qui videtur contrarius calculo Guidotti, dum Saminiatus creditor, nō autem debitor, in eo reperitur, prout præsupponitur in computis Guidotti, quia patet de eo nunquam habitam fuisse rationem, dum causa in gradu appellationis à mandato relaxato per R. P. D. Bilium fuit commissa R. P. Benino, qui reuocauit mandata super calculo Guidotti fundata: sed eadem reuocatio per Rotam fuit sublata, & hodie causa est in statu rei indicatæ.

Præterea in calculo Adelasij ponuntur in creditum Saminiati fructus annorum quinque prædij Molinellæ in summa scutorum 1817. cùm tamen Rota dixerit coram R. P. D. Ortembergo 23. Iunij eiusdem anni non esse iustificatum, cuius culpa euictio, vel impedimentum sequutum fuerit, atque ita patet vel erroneum, vel iniustum, vt meritò de eo non fuerit habita ratio.

Et ita, &c.

R. P. D. ANDREA.

Meliten. pensionis. Lunæ 19. *Iunij* 1617.

ARGVMENTVM.

Pensio reseruata super beneficio quod non est in rerum natura, nulla, & inualida est, nec isto casu induci potest quasi possessio exigendi pensionem.

SVMMARIVM.

Clausula Arbitrio, &c. dat facultatem examinandi nullitatem pensionis ad effectum illam retardandi, numero 1.

Pensio imposita super beneficio quod non est in rerum natura nulla, & inualida est, num. 2.

Pensio æquiparatur vsufructui ibid.

Vsusfructus constitui non potest, vbi nulla datur proprietas, ibid.

Accidens sine subiecto esse non potest, ibid. in fine.

Ecclesia non erecta in titulum, impetrari non potest ibid.

Quasi possessio exigendæ pensionis non inducitur à non habente titulum in beneficio pro quo pensionem soluit, num. 5.

Quasi possessio exigendi pensionem transit in successorem beneficij, num. 6.

DECISIO DXXX.

DVbitaui an intraret arbitrium pro retardanda solutione pensionis? Et intrare fuit resolutum. 1
quia stante dicta clausula, videtur data facultas examinandi illius validitatem. Seraphin. *decis. 674. nu. 4.* & fuit dictum in Mediolanen. pensionis 5. Decembris 1603. coram Reuerendissimo Lugdunen. Satis autem hîc videtur constare de nullitate pensionis, quia datur magnus fumus de non existentia beneficij, super quo fuit reseruata pensio ex indulto Clementis VIII. concesso cum fratribus Beatæ Mariæ de Gratia summario Monasterij *num. 6.* in quo indulgetur vt Ecclesia prædicta non possit erigi in titulum perpetui beneficij, aut tanquam tale beneficium impetrare.

Vnde si tale beneficium non est in rerum naturá, 2
per consequens nec super eo potuit imponi pensio, quia illa æquiparatur vsufructui. Cardin. *in Clement. 1. § eadem, n. 4. de suppl. negl. Præl.* Gig. *de pensionib. quæst. 8. n. 2.* Mohedan. *decis. 4. nu. 7. de locat.* Rot. *decis. 401. num. 4. part. 1. diuersorum*, & clarum est non posse constitui vsumfructum, vbi nulla datur proprietas. *l. 1. & 2. ff. de vsufruct. § constituitur. Instit. eod.* & sicuti Ecclesia non erecta in titulum non potest impetrari. Seraphin. *decis. 1095. num. 2. & seq.* ita neque potest vti beneficium pensione grauari, quia esset dare accidens sine subiecto, quod nec natura, nec ius admittit. *l. eius qui in prouincia, § si stipulatus*, vbi Doctor. *ff. si cert. pet.*

Non obstat clausula indulti, dummodo Ecclesia 3
in titulum Ecclesiastici beneficij erecta, seu concedi solita non sit, quia non constat, prout constare debet, vnquam alias fuisse erectam, & in titulum concedi solitam, nec fumus qui dicitur dari ex testibus aliquo modo elicitur, & in contrarium datur fides vniuersitatis S. Martini summario *num. 7.*

Nec releuat pensionarium esse in quasi possessio- 4
ne exigendi pensionem, quia quidquid sit an probetur solutio facta per Iosephum, de quo aliqui ex Dominis satis dubitabant, non constat quòd Iosephus

sit titularis Ecclesiæ quam possident fratres Sancti Francisci, non vti successores illius qui consensit, & soluit pensionem, sed vigore donationis sibi factæ ab vniuersitate cum consensu Episcopi & Capituli, summario *num.3.4.& 5.*

5 Vnde illa solutio tanquam facta à non habente titulum in beneficio, non potuit constituere pensionarium in quasi possessione exigendi contra tertium. Rota *decis.* 184.*num.1.part.1. diuersorum*, & in Pacten.pensionis 5. Decembris 1584. coram bo.me. Cardinali Pamphilio,& in Visen.pensionis 28. Nouembris 1614.coram me.

6 Præsertim,vt dixi, quia non fuit probatum quòd Monasterium sit successor iuris, vel possessionis in beneficio,super quo dicitur reseruata pensio, prout erat necessarium, ad hoc vt illa peti posset à Monasterio, iuxta *decisionem* Achill. *primam de pension.* & ita non applicatur decis. Guido Pap 629. cum aliis allegatis super eo quòd virtus quasi possessionis exigendi transeat contra successorem in beneficio,quia fratres non sunt tales successores,nec possident Ecclesiam in titulum,sed in proprietatem,cui propterea solutio facta à tertio,non potest præiudicare, vt in dicta Pacten.& aliis vbi suprà.

7 Vltimò neque obstat exequutionem fuisse cœptam,& sic cessare arbitrium,ex allegatis, quia hoc intelligitur quando iudex rectè & ritè processit, secus si nulliter & iniustè,vt fuit resolutum in Gerunden.beneficij 2. Iunij 1602.& Celsonen. præceptoriæ 14. Maij 1604. coram Reuerendissimo Decano, & in Tarraconen. parochialis 4. Februarij de eodem anno coram bo.me. Litta.

Ex quibus ita conclusum fuit intrare arbitrium,&c.

R.P.D. COCCINO.

Romana census scutorum 20000. Lunæ 19. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Legatæ rei ad certum vsum destinatæ, id quod superest spectat ad hæredes,quando legatarius à testatore fuit deputatus in legato merus exequutor, & quando legati exequutor dicatur merus, vel mixtus.

SVMMARIVM.

Legatæ rei ad certum vsum destinatæ, id quod superest spectat ad hæredes, quando legatarius à testatore fuit deputatus in legato merus exequutor num.1.

Exequutor legati dicitur merus,& non mixtus, quando legati onera procedunt,& subsequatur relictum, ibid.

Exequutor legati censetur mixtus,& non merus, quando legatum, & illius fructus excedunt onera imposita. declara vt num.2.

Subrogatus sapit naturam illius,in cuius locum subrogatur,num.4.in fine.

DECISIO DXXXI.

1 Bis fuit resolutum Antonium Gallum fuisse relictum per testatricem merum executorem, & per consequens censendum esse talem Scipionem à Tulsa, in eius locum ab eadem testatrice subrogatum, & sic quod superest ex relicto adimpleta volantate testatricis spectare ad hæredes,iuxta textum *in l pecunia.vbi glossa 1.& seqq ff.de aliment. & cibar. legat.*cum allegatis in prædictis decisionibus. Ratio autem quare Antonius sit censendus merus executor,consistit in eo quòd testatrix existens in sanitate post iam testamentum conditum,scripsit inter alios vnum codicillum, in quo voluit plura præstari annuatim ex suis censibus,& postea subiunxit;& vt dictus legatarius quem nominat, & esse vult Antonium Gallum, possit voluntatem suam adimplere, & facere quantum suprà disposuit, relinquit dicto legatario omnes suos census, qui de tempore sui obitus reperirentur;cùm enim præcedant onera, & postea subsequatur relictum, Antonius censendus est merus executor,non autem mixtus, vt est casus expressus *in l. Lucius Titius,§.à te peto ff.de legat.2.* & ibi aduertit Castren.Cumanus,& alij, vt fuit consideratum in aliis decisionibus, & prædicta etiam coadiuuantur ex adminiculis,& coniecturis ponderatis in dictis decisionibus.

Neque obstat quòd prædicta videantur cessare ex quo fuerunt relicta scut. 20000. quorum fructus longè excedunt onera imposita Antonio,quare censendus est mixtus executor, per ea quæ notat Bart. *in l.Pamphilio.§.dicas, de legat.3.* Nam placuit responsio data in vltima decisione, scilicet quòd codicillus fuit factus in sanitate, & quòd testatrix superuixit per plures annos, & in dispositione habuit relationem non ad census, quos tunc habebat, sed ad illos,qui reperirentur tempore sui obitus, & sic cùm potuissent redimi; & propterea decrescere, ad quod respexit testatrix, cùm,vt dictum est, legauerit census,qui de tempore sui obitus reperirentur, non potest ex magnitudine redditum colligi aliqua coniectura quòd testatrix voluerit Antonium esse mixtum executorem, cùm dicta magnitudo non esset certa, si consideratur quòd à die codicilli vsque ad diem obitus census redimi poterant. 2

3 Neque facit quòd etiam census poterant augeri, & certum est quòd habita consideratione ad census, qui de tempore scripti codicilli reperiebantur, magnitudo redditum excedebat; nam fuit responsum, quòd cùm ex prædictis, & ex aliis pluribus consideratis in primis decisionibus constet testatricem voluisse Antonium esse merum executorem, prædicta non officiunt, quia testatrix non reliquit illos census,quos habebat dum scripsit codicillum, nisi quatenus reperirentur de tempore sui obitus, qui poterant, & non poterant reperiri,& cùm hoc esset euentuale, ex hoc non potest elici coniectura quòd voluerit Antonium esse mixtum executorem, & licèt non prouiderit in casu quo tot census reperirentur,non inde potest elici, quòd voluerit Antonium esse mixtum executorem,cùm ex modo relinquendi constet ipsum fuisse merum, & sic quod superabundabat spectabat ad hæredes, vt suprà dictum est.

4 Neque obstat quòd testatrix nedum legauerit census qui reperirentur tempore sui obitus,sed subiunxerit:*e remanghino affetti per le sopradette quantità*, vndè apparet quòd voluerit residuum spectare ad Antonium, quia fuit responsum istam consequentiam non probari. nam cùm ex aliis appareat Antonium esse merum executorem, dicendum est residuum spectare ad hæredes,itaut sensus sit: respectu meræ executoriæ census remaneant affecti pro concurrenti

currenti quantitate, & quod tollit omnem difficultatem, est, quòd post obitum Antonij onus illi iniunctum, iniunxit executoribus testamentariis, & vsa fuit similibus verbis, quòd redditus remaneant affecti pro concurrenti quantitate; quare sicuti residuum non spectabat ad executores, ita dicendum est non spectasse ad Antonium, ex regula quòd subrogatus sapit naturam illius in cuius locum fuit subrogatus, *l. si eum. §. qui iniuriarum. ff. si quis caution.* & fuit ponderatum in vltima decisione.

5 Neque est verum quòd subrogatio executorum erat intelligenda quoad onus executionis, firma in reliquis remanente emolumento ad fauorem hæredum Antonij, quia iste intellectus esset sumendus, si clarum esset Antonium fuisse mixtum executorem; sed cùm hoc non sit clarum, imò appareat de contrario, cùm præcedant onera, & postea sequatur relictum, vt *in d. §. à te peto*, satis est ad excludendam coniecturam, quæ deducitur ex verbis illis; *è remanghino affette per le concorrente quantità*, quòd idem disposuerit quoad executores subrogatos in locum Antonij, ad quos tamen certum est quòd residuum non spectabat.

6 Minus etiam obstat, quòd testatrix in euentum extinctionis voluerit pecunias reinuesti pro concurrenti quantitate, quia istud onus nedum iniunxit Antonio, sed etiam executoribus ad quos autem spectaret residuum, non expressit, sed venit ex interpretatione iuris, vt *in casu d. §. à te peto*, in quo non fuerat expressum, ad quem spectaret residuum, & propterea cùm appareat Antonium fuisse merum executorem, residuum dempta quantitate necessaria, quæ erat inuestienda, spectat ad hæredes, vt supra dictum est.

7 Ex quibus (licèt aliàs pleniùs deductis in prioribus decisionibus) videtur satisfactum obiectionibus factis pro parte Domini Marchionis in memoriali particulari, quem propterea Domini tertio loco, vt eimorem gererent, super articulo bis deciso voluerunt audire, quamuis pluries, ac pluries eius agentes citati fuerint ad informandum, & expectati. Quare cùm per longum tempus informare neglexerint, semperque quæsierint dilationes, quas nedum quater & sex, sed pluries superiori, & hoc etiam anno habuerunt, visum fuit causam amplius in longum non esse protrahendam.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Veliterna beneficij. Lunæ 19. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Gratia impetrationis beneficij iustificari debet omnibus narratis in ea, & quomodo probetur ætas supplicantis, origo Clericatus, & valor beneficij per non excessum.

SVMMARIVM.

Ætas probatur ex libro baptizatorum Parochi, nu. 1.

Publica vox & fama probat quem esse natum in aliqua ciuitate, num. 2.

Clericatus probatur ex litteris patentibus Episcopi, numero 3.

Litteræ dimissoriæ nunquid possint concedi à Vicario Episcopi, ibid.

Publica vox & fama sufficit pro iustificatione narratorum in gratia, num. 5.

Valor beneficij per non excessum quomodo probetur, nu. 6.

Supplicationis verba non attenduntur, sed litteræ expeditæ, num. 7.

DECISIO DXXXII.

Dubitatur an gratia Nicolai sit iustificata? & Domini affirmatiuè responderunt. Nam quòd Nicolaus de mense Februarij anni 1615. quo illam obtinuit, esset in decimo tertio suæ ætatis anno, vel circa constitutus, probatur in eo quòd natus fuerat de mense Septembris 1602. vt patet ex partita extracta ex libro Parochi, in quo baptizati describuntur, qui probat ætatem. Caputaq. *decis. 314. part. 1.* Seraph. *decis. 1138. num. 2.* & fuit dictum coram me in causa Pistorien. Archidiaconatus 17. Iunij anni 1615. & aliàs sæpe. 1

Quòd verò Nicolaus sit oriundus è ciuitate Veliterna, probatur per testes, qui deponunt de publica voce & fama, quæ sufficit. Angel. *cons. 194. nu. 1.* Roër. *decis. 13. num. 16. vers. & quomodo probetur*, & fuit dictum in causa Tirasonen. Canonicatus 24. Maij 1602. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio. 2

Clericatus probatur ex litteris patentibus Episcopi Signini, qui in eas asserit se Nicolaum præuio examine idoneum repertum, & admissum ad primam clericalem tonsuram, cum litteris dimissoriis sui Ordinarij ritè promouisse. Oldrad. *cons. 215. nu. 9.* Mohedan *de renunciat. decis. 21. nu. 2.* Cæsar. de Grass. *decis. vnica, nu. 5 de præsumpt.* Litteræ autem dimissoriæ apparent concessæ per D. Pizzechium, qui per bon. me. Cardinalem Episcopum legitur deputatus Vicarius generalis in ciuitate Veliterna, cum speciali facultate concedendi huiusmodi litteras; quas etiam de iure vti Vicarius generalis ipso Cardinali absente concedere poterat. *cap. cùm nullus, de tempore ordinat. in 6.* & fuit dictum in causa Ripana Capellaniæ 12. Iunij 1579. coram bo. me. Bubalo. 3

Nec obstare quòd per eundem Cardinalem Episcopum fuerit concessa ampla facultas Domino Antonio de nobilibus, etiam litteras dimissorias ad ordines quoscumque subditis concedendi, nec non Vicarium generalem in prædicta ciuitate eligendi, & deputandi, & per eum iam deputatum amouendi, & remouendi, quia non constat, quòd Dominus Bizochius per Cardinalem, seu ipsum Dominum Antonium fuerit amotus, ideoque licèt etiam dictus Dominus Antonius haberet facultatem litteras huiusmodi loco ipsius Cardinalis concedendi; tamen cùm interim Dominus Bizochius esset Vicarius generalis, sequitur quòd absente Episcopo, & Domino Antonio, qui morabatur in Vrbe, bene potuerit eas concedere, ex supradictis. 4

Quòd Iacobus resignans aliunde vnà cum pensione scutorum 50. monetæ super fructibus beneficij resignati sibi reseruata commodè viuere valeret, probant testes, qui dantur pro parte Nicolai, qui dicunt quòd Iacobus vltra dictam pensionem scutorum 50. & aliud simplex beneficium, de quo fit mentio in litteris, habebat etiam bona patrimonialia, & Canonicatum in Ecclesia Veliterna, & deponunt de publica voce & fama, quæ sufficit pro iustificatione narratorum, iuxta notissimas decisiones, Rot. *decis. 113. & seq.* Put. *decis. 29. lib. 1.* cum similibus. 5

6 Valor obtenti, quòd non excedat duc. 24. & beneficij, de quo agitur, quòd non excedat ducatos 70. remanet probatus per eosdem testes, qui deponunt valorem annuum dicti beneficij secundùm communem existimationem non excedere ducat. 24. & 70. prout in litteris narratum fuit, & reddunt bonam rationem, quia sunt de dicta ciuitate, & deponunt de publica voce & fama, quæ similiter ad probandum valorem per non excessum, sufficit. Ægid. *decis.* 675. *&* 684. Caputaq. *decis.* 277. *num.* 7. *part.* 1. & fuit sæpissimè decisum.

7 Nec obstare quòd in supplicatione post narratiuam valoris ducatorum 70. expressi per non excessum fiat reseruatio pensionis ad fauorem resignantis super fructibus eiusdem beneficij, cum narratiua quòd illi ascendunt ad ducat. 70. quia placuit responsio quòd cùm in litteris expeditis super gratia Nicolai, de qua agitur, valor fuerit expressus solùm per non excessum litteræ, ad istum effectum sunt attendendæ, non autem supplicatio. Cæsar. de Graff. *decis.* 1. *num.* 8. *de probat.* & faciunt deducta in causa Bonon. Canonicatus 19. Martij 1590. coram bon. me. Cardinali Pamphilio.

8 Neque releuare, quòd si valor non probetur, per non excessum reseruatio pensionis remanet ab initio nulla, vnà cum reseruatione: quia fuit responsum quòd modò agitur de iustificatione gratiæ ipsius Nicolai, in qua valor est solùm per non excessum narratus, qui propterea remanet sufficienter probatus, & alia de validitate, vel inualiditate reseruationis pensionis, & consequenter resignationis visa fuerunt extra dubium.

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Meten. professionis. Luna 19. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

De professione monialis, quando facta censeatur metu reuerentiali.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum non datur non docto de læsione, num. 1.

Professio monialis in monasterio quando dicatur facta metu reuerentiali, num. 2.

Verbum forsan *est dubitatiuum, num.* 3. *in fine.*

Professio solemnis per susceptionem habitus, an differat per professionem tacitam ad effectum, vt dicatur facta metu reuerentiali, num. 4.

Verba naturaliter exprimunt certum mentis conceptum, ibid. in fine.

Simile quod est, idem non est, num. 5.

Professio dicitur metu facta quando in susceptione habitus fuit facta protestatio à moniali, & postea sæpius repetita, ibid.

DECISIO DXXXIII.

1 Post latam sententiam in Rota in fauorem D. Renatæ de Florenuilla pro nullitate professionis pro parte DD. Annæ, & Franciscæ sororum dictæ Renatæ, recursu habito ad Signaturam causa restitutionis in integrum, prout iuris, mihi commissa, proposito dubio vtrùm constaret de causis restitutionis in integrum? DD. negatiuè responderunt. Moti sunt ea ratione, quia de iure non datur restitutio in integrum, nisi docto priùs de læsione, quæ in hoc casu adesse non potest, cùm constet de validitate & iustitia sententiæ Rotalis, & quoad validitatem lata fuit seruatis seruandis, præuiis citationibus, mandatis & iurisdictione, omnibusque requisitis.

De iustitia satis superque constat ex tribus decisionibus in hac causa coram R. P. D. meo Vbaldo factis, in quibus causa maturè per triennium discussa, ex multis rationibus decisum fuit non constare de tali professione, quæ dictæ Renatæ possit obstare. Quibus non obstat quòd dicitur multum differre inter tacitam professionem resultantem à simplici habitus indifferentis delatione, & eam quæ inducitur ex solemni susceptione veli distincti, quæ æquiparatur professioni expressæ. Primo enim casu sufficit metus reuerentialis; in secundo verò requiritur metus cadens in constantem virum, ad excludendam præsumptionem surgentem ex susceptione habitus, qui deferri non solet, nisi à professis. argumento *cap.* 1. *de his qui vi metúsve caus.* & ibi Abb. *num.* 14. & Henric. Boic. *dicto cap.* 1. *num.* 3. quę doctrina Abb. dicitur militare in nostro casu, cùm probetur per testes dictam Renatam suscepisse velum album à nouitiis gestari solitum à Sacerdote, præsente Abbatissa, & postea anno probationis elapso velum nigrum monialibus professis dari solitum cum eadem cæremonia. 2

3 Huic enim obiectioni pluribus modis responderunt DD. & primò consideratis verbis ipsiusmet Abbatis visum fuit ipsum dubitatiuè loqui, vtitur enim his verbis, *credo posse dici,* & sub finem dicti numeri 14. vtitur hoc verbo, *forsitan*, quod est dubitatiuum. *l. Gallus, §. forsitan, ff. de liber. & posthum. l. & si quis, §. fortassis, ff. de relig. & sumpt. funer. l. arboribus, §. vlt. ff. de vsufruct.*

4 Secundò responderunt, omnes quasi Canonistas, nulla facta differentia susceptionis habitus solemnis, interpretatos fuisse *dictum c.* 1. *de his quæ vi metúsve caus.* vt locum habeat in omni professione tacita, quæ inducitur per delationem cuiuscumque habitus, & inter eos id expressè tradunt Innocent. *in dicto cap.* 1. *num.* 3. claris verbis, quæ quasi eadem reperit Ioann. Andr. *num.* 9. Hostiens. *num.* 12. Butr. *num.* 15. vbi expressè loquitur de deferente habitum professorum. Imol. *num.* 16. qui ita debere intelligi dictum cap. 1. expressè tradit his verbis, allegando rationem diuersitatis quòd verbalis professio certitudinaliter arguit, seu demonstrat professionem, quia verba naturaliter exprimunt certum conceptum mentis. argument. *l. Labeo, §. Tubero, ff. de supellect. legat.* & ideo tunc standum est professioni expressæ, nisi iustus metus interuenerit & probetur, sed receptio habitus non infert per necesse mentem certam profitendi, sed præsumptam solùm à iure, quæ præsumptio semper per contrariam eliditur argum *cap. transmissa, qui filij sint legit.* cum ibi not. *cap. cùm inter, de elect.*

5 Considerabant tertiò, etiamsi daretur susceptionem veli solemnem æquiparari professioni expressæ, non ideo sequi esse expressam; omne enim simile non est idem, ex regula Philosophorum, semperque comparationes & similitudines claudicant, & in effectu, cùm desint concepta verba, remanet semper

per professio præsumpta, & non expressa, licèt forsan solemnis veli susceptio requireret probationes clariores, quæ satis superque concludentes adesse apparet ex testibus & rationibus ponderatis in dictis decisionibus coram Domino meo Vbaldo factis, in quibus dicitur sufficere protestationem in susceptione dicti habitus antea, postea, & semper sæpiùs repetitam à dicta Renata, & probatam ad annullandam huiusmodi professionem præsumptam, vt in terminis consuluit Bald. *cons.* 206. *lib.* 4 Honded. *cons.* 78. *num.* 25. *lib.* 2. Rot. *decis.* 206. *num.* 21. *part.* 2. *diuers.* cum multis aliis alleg. in præteritis decisionibus.

6 Quæ dicuntur ab informantibus pro dictis sororibus Renatæ quoad delationem veli nigri post obitum auiæ per annum, & vltrà, ea penitus tam in iure, quàm in facto satis superque sublata sunt in decisione in hac causa facta die Lunæ 25. Maij 1615. & fusissimè in vltima decisione coram dicto D. Vbaldo, Lunæ 13. Februarij 1617. quæ rursus ponderata placuerunt DD. & omnem tollere penitus difficultatem visa sunt.

Et ita decisum vtraque parte informante.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Mediolanem. iurispatronatus. Veneris 19. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Nepotum appellatione veniunt nepotes ex fratre, ex communi vsu loquendi.

SVMMARIVM.

Nepotum appellatione veniunt nepotes ex filio ex proprietate sermonis, & ex communi vsu loquendi veniunt nepotes ex fratre, num. 1.

Communis vsus loquendi an præualeat proprietati verborum, attenduntur præsumptiones, & coniectura, nu. 2. *vide coniecturas, num.* 3.

Parentum appellatione, quando non agitur de ascendentibus, neque de cognatis, veniunt agniti, qui transuersales dicuntur, siue strictè, siue largè fiat interpretatio, num. 4.

DECISIO DXXXIV.

Recessum fuit à conclusione firmata in decisione diei 28. Nouembris præteriti, quòd Cortesellæ teneantur probare se esse de agnatione effectiua fundatoris.

1 Nam etsi vera sit conclusio præsupposita in supradicta decisione, quòd appellatione nepotum veniunt ex proprietate sermonis nepotes ex filio, *l. Iureconsultus, §. nepos, ff. de gradib. affinit.* Bald. *in l.* 2. *C. de success. edict.* Attamen & Altera est verissima, quòd secundùm communem vsum loquendi veniunt etiam nepotes ex fratre. Dec. *in l. fin. num.* 12. *C. de success. edict.* Alex. *cons.* 49. *num.* 8. *lib.* 1. *& cons.* 5. *num.* 10. *in fin. lib.* 3. Dyn. *cons.* 16. *num.* 9. *vers. Præterea posito.*

2 Et iste vsus loquendi si non præualet omnino proprietati verborum, vt aliqui voluerunt præualere, quos recusat Cardin. Mantic. *de coniect. vlt volun. lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 1. saltem visus fuit ex traditis per eundem in fine dicti tituli secundùm præsumptiones & coniecturas mentis fundatoris posse comprehendere etiam ex fratre nepotes.

Et mouebantur Domini ex eo quòd in pagina fundationis legitur quòd electio fiat præsentibus tribus ipsius fundatoris parentibus: in codicillis autem repetuntur illi parentes propinquiores in quorum præsentia eadem ordinatio facta esse debet & immediatè nominantur, ibi, *Volo vt sint Aliprandus Subdiaconus fil. q. Petri, & Algysius fil. q. Mauroni, & Benedictus qui & Rosi filius q. Ioannis, nepotes mei: post autem meum decessum vnusquisque eorum in vita sua eligat de suis parentibus propinquioribus de paterna parte, &c.* Ex quibus verbis patet quòd nepotes non fuerunt designati pro descendentibus, quorum nulla mentio habetur, quæ tamen fieri solet vbi contigit de eis habendam esse rationem ad diff. etiam transuersalium, vt aduertit Menoch. *consil.* 424. *numero* 3. *lib.* 5. 3

Sed pro parentibus fuerunt enunciati, quorum appellatione postquam in præsenti non agebatur de ascendentibus, neque de cognatis, veniunt omnes coniuncti iure agnationis, taliter à fundatore qualificatæ, Corn. *cons.* 56. *num.* 7. *& cons.* 153. *num.* 1. *volu.* 1. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 4. *num.* 31. qui transuersales dicuntur siue propria, siue larga interpretatione vtamur, *l. penult. vnde legit. & Instit. de legit. agnat. tut. & de legit. agnat. success.* Menoch. *eod. cons.* 424. *num.* 2. & 8. & stante hac possibili transuersalium comprehensione, visum est Cortesellos non esse grauandos ad probandum se esse de agnatione affectiua fundatoris. 4

Non obstat quòd ista possibilitas sufficienter excludatur ab obseruantia deducta ex inscriptione, ac sententia Milonis Archiepiscopi Mediolani, & præsumptionib. admissis in aliis decisionibus ad firmandam qualitatem gentilitiam, in quibus iuribus patroni enunciantur agnati descendentes dicti Reuerendissimi Rozi fundatoris.

Quia dictum fuit prædictas enunciationes stringere probationem quo ad prælationem descendentium, quatenus adessent, sed eis cessantibus non excludere effectiuos descendentes ab ipsis nepotibus ex fratre, vel fratribus, qui possunt contineri in eadem agnatione, ex verbis fundationis, quod videtur optimè etiam probatum ex eisdem iuribus, dum sententia Milonis admittit patronos ex nepotibus Rozi legitimè descendentes ex paterna linea; inscriptio verò immediatè nominat illos de Cortesella agnatos descendentes dicti Domini Benedicti Rozi.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Auenionen. fideicommissi. Lunæ 19. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Iudicium vniuersale super immissione in possessionem totius hæreditatis impedit iudicium singulare, in qua petitur eiusdem hæreditatis pars, seu vsusfructus, & substitutio, seu legatum, & instrumentum conditionale locum non habent, nisi euenerit casus conditionis.

SVMMARIVM.

Iudicium vniuersale immissionis in possessionem totius hæreditatis facit vt non possit intentari particulare iudicium in tertiam partem eiusdem hæreditatis, nu.3. vbi etiam quòd quando singulare iudicium mouetur à tertio lite pendente super vniuersalis hæreditatis petitione inter duos,

Iudicium vniuersale dicitur quando quis petiit immissionem in possessionem totius hæreditatis, num 4.

Iudicium vniuersale non dicitur quando quis petit vsumfructum hæreditatis sine proprietate, ibid.

Gaudere verbum restrictum ad tempus vitæ, solum vsumfructum importat, num.5.

Consolidatio vsusfructus cum proprietate fieri non potest, nisi quando fuisset relictus nudus vsusfructus à proprietate separatus, ibid.in fine.

Substitutio conditionalis facta in defectum filiorum masculorum non habet locum, nisi probato defectu institutionum, & sic purificata conditione. ibid.

Legatum conditionale locum non habet, nisi conditione purificata, ibid.

Exceptio de iure tertij nunquid retardet immissionem ex l.fin.C.de edict. D.Adrian.tollen num.7.

Actore non probante reus absoluitur, ibid.vers.quilibet enim reus.

Instrumentum, seu obligatio conditionalis, conditione non liquidata exequutionem non meretur, ibid.in fine.

Filius consequi non potest legatum ex testamento ab ipso impugnato tanquam inofficioso, num.8.

DECISIO DXXXV.

1 Nicolaus, Antonio, & Bartholomæo suis filiis mente captis hæredibus in eius vltimo testamento institutis sine filius masculis descendentibus substituit vulgariter, pupillariter, exemplariter, & per fideicommissum primos liberos masculos filiarum eorundem Antonij & Bartholomæi, necnon primos liberos masculos Gilettæ, Ludouicæ, & Gabrieliæ ipsius testatoris filiarum, & in euentum quòd aliqua ex dictis filiabus nullum haberet masculum, voluit quòd tunc illa, eius vita durante, gaudeat portione, quam eius liberi masculi consequuti fuissent si in rerum natura extitissent. Mortuis dictis Antonio, & Bartholomæo, sine prole, dicta Gabrielia eorum soror præuia aditione totius hæreditatis prætextu quòd careret liberis masculis substitutis, & quòd substitutio exemplaris non potuerit fieri nisi de se vti sola superstite ex sororibus dictorum mente captorum, iuxta dispositionem *l.humanitatis, C.de impuber.* Et quòd propterea dicta substitutio in quota sublata dicta exemplari traheretur ad totam hæreditatem; ideo coram Tribunali Auenionen. petiit immissionem in possessionem illius, ex remed. *l.fin. C. de edict. D. Adrian.* vel ex alio quocunque sibi proficuo.

2 Et eandem immissionem petiit Henricus dictæ Gabrieliæ ex filia nepos in possessionem tertiæ partis dictæ hæreditatis, prætendens se comprehensum in dicta exemplari facta ad fauorem primorum masculorum filiarum testatoris. Et lata sententia super manutentione in summarissimo ad fauorem Hectoris, & Francisci reorum conuentorum, & filiorum respectiuè dictarum, Gilettæ, & Ludouicæ prædefunctarum; per quam etiam fuit declaratum ad vlteriora, prout de iure proceden. esse in remedio *dicta l.fin.* seu alio possessorio per eosdem Gabrieliam, & Henricum in actis respectiuè intentato. Causaque in gradu appellationis pro eorum parte interpositæ introducta coram Illustriss. D.Cardinali Burghesio Legato, dicta Gabrielia petiit immissionem pro tertia parte sine præiudicio aliarum duarum, & dubio per me proposito, illam non esse conceden. Domini responderunt.

3 Primò, quia pendente d.iudicio super immissione in possessionem totius hæreditatis per Gabrieliam moto, non potuit intentari particulare iudicium super dicta tertia, sed illud debet silere, *l.non distinguemus.§.si is faciat.* & ibi gloss. Odofr. Albert. Bart.& Bald.*ff.de arbitr.l.si quis libertatē*, vbi omnes, *ff.de petit.hæred.* cum aliis per Olasc. *decis.74. num.1.* quæ iura non sunt correcta per *l.fin.C.eod.* quæ procedit quando iudicium singulare mouetur à tertio pendente vniuersali super hæreditate inter duos, non quando vniuersale pendet inter partes, prout hoc inter Gabrieliam actricem, & dictos Hectorem, & Franciscum possessores, quia tunc debet silere iudicium singulare, vt *in d.§.si is faciat.* not. Alber. Bart. & Bald *& in d.l.si quis libertatem*, Bart. *num.12.vers. oppono*, & ibi Bald. *in add.num.4.* Castr. *num.3. vers. differentia & num.12.circa fin. & in d.l.* Cyn *num.6. vers.quid dicemus*, & Bald. *num.4.vers.vlterius oppono*, Salicet. *nu.3.in 5.opposit.* Ne contingat bis idem ventilari, Bald. *in d l.si quis libertatem, num.4.in addit.* & ratione perplexitatis, & incompatibilitatis euitandæ, idem Bald.& Salyc. *in d.l.fin.*

4 Quòd autem primum iudicium à Gabrielia intentatum sit vniuersale, est indubitatum, quia vti hæres in solidum petiit immissionem in possessionem totius hæreditatis, sicuti dicitur de petitione ipsius hæreditatis, quæ est actio vniuersalis, *l.item videndum §.fin.& l.sed & si, §.fin.ff.de pet.hæred.l.1.in princ.*& ibi gloss. *in verb.de vniuersitate.ff.de rei vend.* Speculat. *in tit.de act.seu pet. in §. sequitur videre, in princ.lib.2.part.1.* Maran.in Specul. *p.4.in 4.dist.iudiciorum, num.1.* Prout dubitari non posse videtur, iudicium hodie motum esse particulare, quia Gabrielia prætendere non potest proprietatem dictæ tertiæ partis in defectum eius filiorum masculorum, cùm in hoc casu relictum contineat tantummodo vsumfructuum, & adsint substituti in proprietate totius hæreditatis, quod & ipsa supponit, & consequenter sumus in relicto certæ rei, & Gabrielia dici non potest habere titulum hæreditarium, & vniuersalem, sed singularem, ex not.per Bart. *in l.quoties, num.2.vers.dico sic.C.de hæred.inst.* & ibi Bald. *num.2. 3.& seq.*& Salyc. *num.8.*

5 Et quòd fuerit ei solus vsusfructus relictus, patet ex illis verbis, *Tunc cùm casus huiusmodi substitutionis venerit, voluit, &c. gaudere eius vita duran. &c.* illud namque verbum *gaudere*, restrictnm ad tempus vitæ solum vsumfructum importat secundùm cōmunem, à qua non esse receden. testatur Menoch. *præsumpt.133.num.12.lib.4.*& de qua etiam idem *cons. 352. num. 18.* cum pluribus in similibus verbis, per Mantic. *de coniect.vlt.volunt. lib 9.tit.2.num.29.vers. quod sanè intelligendum est*, Surd. *de alim.tit.2.q.1.n.9. & seq.* Castil. *de vsufruct. cap.50. num.12.* & Rota in Rom. apothecæ profumariæ 11. Martij 1613. coram R. P. D. meo Vbaldo. Et omnem difficultatem submouent sequentia verba vid. *Ita tamen quòd ipsis filiabus defunctis, seu filia defuncta dicta pars, seu portio bonorum cum sua consolidetur proprietate*, consolidatio enim fieri non posset, nisi nudus vsusfructus fuisset relictus

relictus à proprietate separatus, Castr. post Bart. *in l. Titia, cum testamento, §. Titia, cùm nuberet, num. 1. in fin. vers. quandiu viueret, de leg. 2.* Peregr. *de fideicomm. art. 32. nu. 76.* Laderch. *cons. 32. num. 8.* & fuit dictum in Bononien. de Monterentiis 23. Ianuarij præteriti coram R.P.D. meo Dunozeto.

6 Secundò principaliter, quia dictum relictum est conditionale tanquam factum in defectum filiorum masculorum filiarum Antonij, & Bartholomæi mentecaptorum hæredum institutorum, & in defectum filiorum masculorum filiarum testatoris. Et ideò non competit immissio nisi probetur casum substitutionis euenisse, Bart *in d. l. fin. num. 9. vers. ad vnum,* & ibi Zacchard. *num. 211. & 212.* vbi de fideicommissario, & de substituto conditionali post gloss. Azon. Rofr. specul. & Alberic. *num. 10. in fine.* Menoch. *d. remed. 4. num. 212. & 255.* Personal. *de adipiscen. nu. 290.* Sicuti nec competit hæredi conditionali conditione pendente, vt post citat. Alber. & alios Menoch. *vbi suprà num. 309.* Nec ex legato conditionali agitur nisi conditione purificata, *l. si scriptum, §. fin. de legat. 2. cum vulg.* Liquidatio autem conditionis est facienda illis citatis qui lædi possunt, Curt. iun. *in d. l. fin. num. 43.* & ibi Zucchard. *num. 211.* Personal *vbi suprà, num. 191. in fin.* & facit Bald. *in d. l. fin. num. 48.* Tanto magis Henrico si prætendat se primo loco vocatum ad exclusionem Gabrieliæ, quia vbi hoc verum esset, præferri deberet in immissione, iuxta *l. 1. & ibi omnes. C. de edict. D. Adr. &c.* & cùm super purificatione, vel defectu conditionis, seu conditionum pendeat causa inter d. Henricum & Gabrieliam, necnon dd. Hectorem, & Franciscum. Imò idem Henricus petat immissionem in dicta tertia parte per Gabrieliam prætensam tanquam vnus ex liberis dictæ Gabrieliæ, & in substitutione exemplari comprehensus, huiusmodi iudicium dicitur præiudiciale, nec potest in eo procedi, non vocato dicto Henrico, cùm diuersæ, imò contrariæ possent sequi sententiæ, quod esset absurdum, vt per Bald. *in l. cùm Papinianus 14. num. 2. vers. dixi tertiò, C. de sent. & interloc.* Felin. *in cap. 1. sub num. 6. vers. ne continentia causæ, de præscript.* Ossasc. *decis. 74. num. 8. in fin. & in fine ipsius decisionis.*

7 Nec obstat quòd ista videatur exceptio de iure tertij, quæ non retardat immissionem, Alex. *in dicta l. fin. num. 13. circa med. vers. secus si allegat. C. de edict.* Peregrin. *de fideicommiss. artic. 48. num. 46.* Quia vltra quòd Henricus est in causa, & formaliter deducit ius suum petendo immissionem, exceptio videtur de iure proprio possessorum, vel saltem de non iure gentis, cùm concludat non solùm conditionem non esse purificatam, sed defecisse, & consequenter hypothecæ defectum, sine qua non competit Saluianum, Surd. *decis. 157.* Ideoque impedit immissionem, Zuccard. *in dicta l. fin. nu. 332.* Menoch. *dicto remed. 4. nu. 595.* quilibet enim reus infringit actorem quando non probauit suam intentionem, Bald. *in dicta l. fin. nu. 49. vers. aut non contradictor,* & ibi Curt. *nu. 41. vers. quando dicens hoc esse ex se clarum,* & facit Castren. *in l. si cui. colum. 2. vers. sed illud habet locum, C. de non num. pecun.* & fuit dictum in Anconitana bonorum 4. Iulij 1614. & 16. Nouemb. 1616. coram R.P.D. meo Manzanedo. Ex quo etiam sequitur pendente iudicio liquidationis d. conditionis testamentum non debere gaudere priuilegio executiuo, sicuti de instrumento trad. Bald. *in l. 2. nu. 27. vers. modo quæro,*
8 *C. de execut. rei indic.* Surd. *decis. 27. nu. 8.*

Tertiò, quia Gabrielia prætendens substitutionem exemplarem de aliis, & non de se factam esse nullam, petiit immissionem vti hæres vniuersalis, & sic impugnauit testamentum paternum, cùm alij essent substituti, ideò non potest se fundare in eodem testamento, petendo ex eo dictam tertiam, quasi testator verisimiliter non reliquisset si cogitasset de impugnatione, etiamsi impugnatio fiat iure permittente, iuxta dispositionem *dicta l. humanitatis,* vt in terminis *Authent. ex causa, C. de liber. præter.* quòd filius non possit consequi legatum ex testamento per eum querelato gloss. *in l. maximum vitium, in verb. totius substantiæ, C. eodem, & in dicta auth. ex causa not.* Bart. *num. 19. vers. quæro quid,* Bald. *num. 60.* Salycet. *nu. 14. circa med. qui de communi.* Angel. *num. 7.* Ias. *nu. 14. & 15,* Curt. iun. *nu. 19.* & eam in iudicando, & consulendo esse tenen. Cagnol. *n. 116.* Rom. *cons. 526. nu. 10. in fin.* & Gozad. *cons. 49. nu. 19.*

Ex quibus patet immissionem non esse hodie Gabrieliæ conceden. in possessionem dictæ tertiæ partis, neque ex remedio *dicta l. fin.* neque ex Saluiano, licèt illud secundùm opinionem quam Rota seruat competat legatario. 9

Et ita Domini vnanimiter censuerunt, &c.

R. P. D. RAMBOLDO.

Romana pecuniaria. Lunæ 19. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

In hac decisione respondetur nonnullis nullitatibus oppositis aduersùs mandatum relaxatum vigore instrumenti, & in ea plura, & diuersa explicantur notanda, de quibus in summario, & præsertim quòd mandatum Procuratoris præsumitur ex coniecturis in eadem decisione enumeratis.

SVMMARIVM.

Mandatum Procuratoris præsumitur ex commissionibus obtentis ex sustentatione litis cum magnis laboribus, & expensis ex disputationibus factis coram iudice ex productione iurium, & scientia domini, de quibus, num. 1. 2. & 3.

Procurator nunquid possit consentire standum esse simplici copia instrumenti, num. 4.

Substitutio Procuratoris facta à Procuratore generali habente facultatem substituendi, non tollit præsumptionem mandati procura, ibid.

Nullitates opposita contra mandatum non operantur stante iustitia mandati, num. 5.

Correspectiua dicuntur instrumenta quæ vnico contextu stipulata fuerunt, & vnum alteri inesse censetur, num. 6.

Confessionem defuncti in testamento factam hæres impugnare non potest, ibid.

Fideicommissi exceptio non impedit exequutionem instrumenti, num. 9

DECISIO DXXXVI.

Placuerunt decisiones in hac causa factæ, non obstantibus eisdem exceptionibus nullitatis, & iniustitiæ oppositis, & sublatis in tribus decisionibus. 1

Et quoad nullitatem ex defectu mandati Procuraroris, in qua potissimum insistebant informantes pro Domino Duce. Placuit responsio data in decisione, quòd quidquid sit, an ex sola substitutione facta à Procuratore cesseantur ratificata antea gesta, cessat nullitas ratione mandati præsumpti, ex commissionibus obtentis ex sustentatione litis cum tot laboribus, & magnis expensis tam in informando Signaturam, quàm in disputationibus factis coram R. P. D. meo Remboldo, ex productione iurium, præcipuè cum dicta productio importat notabilem expensam, vt in hoc casu præsumi mandatum tradidit Bart. *in l. vulgo, in fin. ff. de admin. tut.* Roman. *cons.* 486. *num.* 11. Crauet. *cons.* 80. *num.* 5. Caput. *decis.* 183. *num.* 3. *part.* 2. Seraph. *decis.* 933. *nu.* 2. *& decis.* 973. *nu.* 4. fuit dictum in Nicoteren. donationis 22. Iunij 1601. coram Illustrissimo Mellino, in Bononien. pecuniaria, seu bonorum 1. Martij 1602. coram Illustrissimo Ludouisio, in Ceneten. parochialis Lunæ 19. Iunij 1606. coram Reuerendissimo Lugdunen.

2 Ex expensis autem mandatum præsumi testatur Cassad. *decis.* 3. *num.* 4. *de procur.* Cæsar de Grass. *decis. vlt. de procur.* Crescen. *decis.* 1. *aliàs* 15. *de præsumpt.* & alij allegati in illa decisione, & fuit dictum in dicta Nicoteren donationis, in Pampilonen. præeminentiarum. Veneris 14 Aprilis 1606. coram R. P. D. meo Manzanedo, in Ceneten. parochialis. Lunæ 27. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Lugdunensi, & in aliis causis.

3 Ex scientia enim Domini mandatum præsumi, tradit Innocent. *in cap. ex parte Decani, num.* 2. & ibi Abb. *nu.* 2. *circa med um de rescript.* Castr. *cons.* 1. *nu.* 1. *lib.* 1. B signet. *decis.* 13. *de procur.* latè Afflict. *decis.* 308. *num.* 6. 7. *&* 8. Rota *decis.* 38. *&* 39. *de procur. in nou.* & fuit dictum in dicta Bononien. Vnde hoc casu omnibus prædictis concurrentibus non visum fuit posse dari de defectu mandati.

4 Et ex his sequitur talem Procuratorem, qui consensit standum esse simplici copiæ, habuisse ad id sufficiens mandatum, nec substitutio facta à Procuratore generali, qui habebat facultatem substituendi, tollit prædictam præsumptionem mandati procuræ, vt fuit dictum in Cremonen. pensionis 26. Ianuarij 1609. coram Reuerend. D. meo Damasceno.

5 Ex quibus etiam, & aliis fusiùs deductis in decisione visum fuit cessare penitus omnes nullitates appositas, vel saltem reddi adeò turbidas, vt minimè attendendæ veniant, stante præsertim iustitia mandati. Rota *diuers. decis.* 702. *in princ. part.* 1. Seraph. *decis.* 933. *in fin.* De iustitia verò clarè constat, ex tribus decisionibus, nec visum fuit obstare D. Iuliam non teneri vigore transactionis, nisi pro tertia parte, quia placuit responsio data in decisione, ipsam recepisse vnico contextu, tenutas Passarini, & Gallicani, cum omnibus oneribus, & sic cum onere soluendi dotem, & quartum dotale, quod onus tunc fuerat super dictis tenutis impositum, ex allegatis in decisionibus.

6 Nec visum fuit refragari, prædicta verba, cum oneribus, non legi in instrumento celebrato, cum D. Flaminia, quia dum instrumenta omnia fuerunt stipulata vnico contextu, censentur correspectiua, & vnum alteri inesse, *l. si ventri, §. vltimo,* & ibi gloss. *ff. de priuil. credit.* Alex. *cons.* 90. *num.* 8. *vers. nec habent obstare, lib.* 3. Crauett. *cons.* 298. *sub num.* 13. Gabr. *de præsumpt. concl.* 13 *num.* 28. Mantic. *de tacit. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 50. Sed omnis difficultas visa fuit sublata ex obseruantia subsequuta, dum sola Domina Iulia, & pro ea D. Martius soluit integros fructus, quod & declarauit D. Clarix in suo testamento, quam declarationem non potest D. Iulia eius hæres, nec d. Dux hæres Iuliæ impugnare, *l. cùm à matre, C. de rei vendic.* cum similibus in decisione allegatis.

Non etiam visum fuit obstare assignationem fuisse factam in tot fructibus dd. tenutarum Gallicani, & Passarani pro rata dictæ dotis, & quarti, & propterea non potuisse relaxari mandatum absque præcedenti liquidatione. Nam placuit responsio, non fuisse necessarium, cum adesset in effectu facta à partibus per solutionem ad summam scut. 720. vt constat ex libris D. Claricis, qui dum fuerunt appositi in inuentario, non possunt ab eius hærede impugnari, & eo minus accedente declaratione eiusdem Claricis facta in testamento, quæ dictam liquidationem videtur approbasse, & ratam habuisse. Et licèt replicaretur non potuisse partes facere talem vniformem taxationem: tamen placuit responsio data in aliis decisionibus, obiectum procedere vbi adesset excessus, de quo hîc nullo modo constat, cùm taxatio parum excedat quatuor pro centenario, & tamen Rota apud Cæsar. de Grass. *decis.* 1. *de vsur.* admisit ad rationem quinque, stante maximè prædicta obseruantia. 7

Alia exceptio iniustitiæ deducebatur ex eo quòd in summa, pro qua fuit facta assignatio, sunt comprehensa scut. 3500. donationis propter nuptias, quæ per obitum Claricis erant restituenda illius filiabus, & per consequens cessare fructus debuissent. Verùm placuit responsio aliàs data in secunda decisione R. P. D. mei Remboldi, quòd dum pro dote, ac donatione propter nuptias fuerunt assignati allegati fructus ex dictis tenutis Gallicani, & Passarani, non potest dici per obitum Claricis cessare obligationem soluendi fructus D. Flaminiæ, quæ remansit creditrix pro sua portione dictorum fructuum, non solùm dotis, sed etiam donationis propter nuptias. 8

Demum nec visa fuit obstare toties repetita exceptio fideicommissi ad fauorem Francisci, & cuius ratione dicitur dictum Martium fuisse coactum soluere scuta 40000. nam & in aliis decisionibus fuit responsum non constare de fideicommisso, non obstantibus decisionibus factis ante transactionem, nec etiam constare de solutione dictorum scutorum 40000. & ita in omnem euentum, quatenus etiam constaret. Tamen cùm esset detrahenda legitima Sciarræ, ex qua dos Claricis restitui debet, & illa fuerit assignata super suis tenutis, consentiente D. Martio, non videtur hodie posse impugnari, quod semel fuit approbatum, maximè cùm agatur via executiua, & istæ exceptiones fideicommissi, de quo non adhuc constat, & lis pendet coram R. P. D. meo Vbaldo, requirant altiorem indaginem. 9

Reliquæ omnes obiectiones visæ fuerunt Dominis sublatæ ex responsionibus datis in tribus præcedentibus decisionibus, tam coram R. P. D. meo Remboldo, quàm coram me factis, quæ rursus maturè consideratæ, & ponderatæ placuerunt Dominis. 10

Et ita decisum vtraque parte informante.

R. P. D. COCCINO.

Barchinonensis parochialis de Mataro. Lunæ 20. Iunij 1611.

DECISIO DXXXVII.

Replicata est suprà in 1. parte recent. decis. 342.

REVE-

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Toletana pensionis. Veneris 23. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Solutio pecuniarum facta de pecuniis alterius, præsumitur facta de mandato illius, cuius erant pecuniæ concurrentibus coniecturis, de quibus in hac decisione.

SVMMARIVM.

Quasi possessio exigendæ pensionis inducitur per probationem vnius solutionis, nu.1. vbi tamen exactio pensionis fuerit facta de tempore motæ litis.

Solutio facta nomine alterius, habet præsumptionem mandati, nu.2. concurrentibus tamen coniecturis, de quibus d. nu.2. & 3.

Renunciatio fieri non potest à Procuratore non habente specialissimum mandatum, nu.4.

DECISIO DXXXVIII.

1 FVit resolutum D. Priori Angliæ dandum esse mandatū de manutenendo, quia ex partitis, quæ dantur apparet quòd pensio ducatorum mille aureorum, de qua agitur, ad eius fauorem reseruata super fructibus Prioratus Castellæ, fuit illi integrè soluta absque vlla onerum deductione pro anno completo, sub die vltima Aprilis 1607. & rursus pro altero completo sub die vltima Aprilis 1609. ex quibus duabus solutionibus satis dicitur D. Prior constitutus in quasi possessione dictam pensionem integrè exigendi, cùm etiam ad istum effectum sufficiat vnica solutio. Doct. *in cap. cum Ecclesia Sutrina*, vbi Ripa *n.53. de caus. possession.* Rom. *cons.311. n.7.* & fuit dictum in causa Lucana pensionis relata inter impress. *decis. 196. nu.2. part.1. diuers.* & aliàs sæpè, & propterea in ea manutenen. licèt ante dictum annum 1607. minus integrè illam exegisset, quia nihilominus ex dictis duabus solutionibus absque vlla onerum deductione sibi integrè factis satis dicitur constitutus in quasi possessione exigendi de tempore motæ litis, quod attenditur ad istum effectum. §. *hodie, Inst. de interd.* Verall. *decis.* 1906. & fuit dictum in causa Mediolan. decimarum 9. Iunij 1610. coram R.P.D. Pirouano.

2 Nec obstare quòd istæ duæ solutiones sint factæ per Pallauicinum administratorem magni Prioris in dicto prioratu Castellæ, de cuius mandato non constat, quia concurrentibus coniecturis Rota seruat *decis.2. de caus. poss. & propr. in antiq.* quòd in soluente præsumatur mandatum, cùm solutio sit actus qui verisimiliter absque eo expediri non solet, vt ex tradit. per Cassad. *decis.3. num.4. de procurat.* Felin. *in cap. sicut, sub num.31. in fin. de re iudicat.* Aym *de antiq. tempor. part. 2. num.65.* & alios allegatos in istis terminis, fuit dictum in supradicta Lucana pensionis relata inter impress. *decis.197. sub nu.4 part.1. diuers.* & in causa Regien. pensionis 11. Decembris 1587. coram bo. me. Cardinali Pamphilio.

3 Coniecturæ autem in casu isto deducuntur, nedum quia pensio fuit reseruata libera, immunis, & exempta ab omni, ex quocunque onere tam ordinario, quàm extraordinario, ita vt integrè absque vlla onerum deductione soluendum videatur, ex adductis in causa Monopolitana pensionis 13. Iunij 1597. coram bo. me. Orano, & coram me in causa Valentina subsidij 22. Maij 1615. & consequenter ex præcedenti obligatione solutio faciliùs præsumatur facta de mandato magni Prioris, vt fuit ponderatum *in dicta decis.196. num.4. part.1. diuers.* & in dicta Regien. pensionis, sed etiam quia ministri per magnum Priorem deputati ad soluenda computa eiusdem Pallauicini administratoris pro dictis annis 1602. & 1609. ambo in eorum solidationibus dictas duas partitas pro dicta pensione solutas eidem administratori accepto tulerunt, quod verisimiliter non fecissent, nisi ipsosmet ordines, seu mandata dicti magni Prioris in eisdem partitis enunciata vidissent, iuxta notata per Aym. *cons.61. num.9.* Alex. *cons.80. sub num.2. vers. item in quantum lib.4.*

Minus obstare solutiones cum deductione onerum vltimo loco Procuratori eiusdem Prioris Angliæ factas, quia dictus Procurator habebat solum mandatum ad exigendum pensiones, non autem ad faciendum deductionem, seu renunciationem pro rata onerum, in qua propterea ei præiudicare non potuit, cùm non constet de alio speciali mandato, prout requiritur & traditur per Franc. *in cap. qui ad agend. §. fin. col.3. vers.32. de procurat.* 4

Et ita decisum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana de Mazzatostis. Veneris 23. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Agitur in hac decisione de donatione eiusdem rei duobus facta, an prior, vel posterior præferenda sit in iudicio Saluiani interdicti, & in ea explicantur multa notabilia, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Immissio in vim vtilis Saluiani datur donatario habenti instrumentum Camerali obligatione vallatum, & cum hypotheca bonorum donantis, num.1.

Saluianum interdictum datur etiam contra tertium possessorem, ibid. ante fin.

Hypotheca probatur ex instrumento, ibid. in fine.

Possessio probatur per testes, qui dicunt vidisse, aliquem possidere, num.2.

Possessio probatur ex eo quòd quis super bonis possessis censum imponit, ibid. vers. quæ similiter.

Constituti clausula possessionem probat, ibid. vers. Quæ similiter, & num.3.

Possessio probatur per actualem apprehensionem possessionis, ibid.

Possessio rei conuenti probatur per sustentationem litis, ibidem.

Conditio non retrotrahitur, quando ante purificationem est alteri ius quæsitum. declara vt nu.4. & 6.

Conditio quando dicatur suspensiua, & quando non, n.4.

Donatio quando dicatur pura, & quando conditionalis, ibidem.

Donatæ rei dominiū nunquid translatum censeatur, quando donator sibi vsumfructum reseruauit. ibid. in fine.

Conditio an significetur per verba, cum modis, conditionibus, &c. num.5.

Hypotheca anterior præfertur posteriori, nu.6. in fine.

Bonorum præsentium, & futurorum appellatione nunquid veniant bona alteri donata, num.9.

Periurium non est præsumendum, nec quòd quis in illud incurrere voluerit, ibid. vers. cùm præsertim.

Exceptio fideicommissi non impedit immissionem ex Saluiano interdicto, vers. nam vltra quod.

Tertius nunquid possit impedire immissionem ex Saluiano interdicto, num.10. in fin.

DECISIO DXXXIX.

1 POst decisionem coram me sub die 28. Aprilis præteriti factam, quòd videlicet R.P.D. Mario Bonauenturæ dandum esset mandatum de manutenendo respectu bonorum à quondam Iulio Mazzatosto illi donatorum, Fratres de Castro, cùm in vim primæ donationis ab eodem Iulio ipsorum patri factæ peterent in iisdem bonis immissionem, Dubium super hoc propositum; quod ad eorum fauorem fuit resolutum. Constat enim de validitate huius prioris donationis, obligatione Camerali vallatæ, necnon de hypotheca bonorum Iulij pro dictæ donationis obseruantia; quo casu concurrentibus extremis, immissio in vim vtilis Saluiani conceditur. Oldrad. *cons.114. in fine.* Gabr. *cons.141. num.7. & cons. 46. num.1. lib.1.* Rota *decis.44. num.4. part.1. diuersor.* Menoch. *de adipiscen. remed.3. num.17.* Etiam quòd contra tertium possessorem agatur. Menoch. *de adipiscen. remed.3. num.55. & 57.* Surd. *cons.131. num. 2. & decis.174. num.17.* Seraph. *decis.933. num.3.* Rota *decis. 34. num.24. part. 2. diuers.* & de hypotheca ex ipsius donationis instrumento constat. Roland. *consil. 14. num.13. lib.1.* Honded. *cons.7. nu.13. lib.2.* Seraph. *decis. 757. in princ.*

2 De Iulij verò possessione ex testibus pro D. Bonauentura examinatis apparet, qui deponunt illum de tempore dictæ donationis huiusmodi bona possedisse. Castren. *cons.163. nu.1. lib.2.* Menoch. *de adipisc. remed.4. num.161.* Alex. *cons.51. num.6. lib.1.* Dec. *cons. 301. num.19. post med.* Ruin. *cons.168. num.2. lib.4.* Bald. *in repetit. l. Celsus in 1. quæstione num. 4. ff. de vsucap.* Pontan. *de spolio lib.2. num.94.* Seraphin. *decis.1061. num.1.* Cæsar de Graff. *decis.14. de restit. spoliat.* Quæ similiter possessio colligitur ex censibus à dicto Iulio super eisdem bonis ad Domini Bonauenturæ fauorem impositis, necnon ex clausula *constituti*, in secunda donatione per eundem Iulium apposita, quæ possessionem etiam contra dominum Bonauenturam constitutarium probat. Angel. *in l. quædam mulier num.2. de rei vendicat.* Tiraquell. *de constit. part.3. limitat. 1. nu.20.* Rota *decis.766. num.11. part.1. diuers.* & fuit dictum in Romana de Incoronatis 20. Febru. 1617. coram R.P.D. meo Vbaldo.

3 Alterum extremum, videlicet possessio D. Bonauenturæ probatur ex eadem clausula *constituti*, ad eius fauorem apposita, necnon per actualem possessionis apprehensionem, vt dictum fuit in decisione, licèt ad hoc sola litis sustentatio sufficeret. Caputaq. *decis.369. part.2.* Cæsar. de Graff. *decis.4. de restit. spoliator.* Seraph. *decis.435. num.3.*

4 Non obstat priorem donationem fuisse conceptam sub conditione suspensiua, & ea pendente donatorem potuisse in alium bona transferre, nec donationem conditione purificata retrotrahi posse in tertij præiudicium, cui medio tempore fuit ius quæsitum. Nam dicta donatio concepta non videtur sub conditione suspensiua, cùm immò pura videatur, resoluenda tamen, si Iulius cum filiis decessisset, ex illis verbis, nimirum, *donauit titulo donationis irreuocabilis, quæ dicitur inter viuos, merè, purè, liberè, simpliciter, & perfectè, & ex aliis quòd præsens donatio firma maneat ac valeat & teneatur*, &c. stante præsertim, quòd sibi donator vsumfructum reseruauit, vnde videtur fuisse dominium translatum, quod exigit perfectam, & puram donationem. Socin. *cons.118. num.18. lib.2.* Tiraquel. *de iure constit. ampliat.36. nu.2.* Put. *decis.215. num.3. lib.3. in nouis.*

Nec ad inducendam conditionem visum fuit obstare verba, *cum modis, conditionibus*, &c. in donatione apposita, quia pactum etiam, & conuentionem in contractu puro illa significant. *l.2. C. de pact. inter empt. & vendit.* Tiraquell. *de retract. conuent. §.2. gloss. 1. num.76.* Seraphin. *decis.714. nu.11.* & fuit dictum in Romana donationis 26. Martij 1603. coram Illustrissimo D. Cardinale Ludouisio.

Præterea licèt fuisset concepta donatio sub conditione suspensiua, cùm tamen illa sit casualis, vtì respiciens donantis obitum cum filiis ad fauorem primi donatarij retrotraheretur in tertij præiudicium, cui medio tempore fuisset facta traditio. Paris. *cons.11. num.83. & seq. lib.1.* Gabr. *cons.141. num.8. lib.1.* Castren. *cons.446. lib.2. nu.1.* Mantic. *de tacit. lib.11. tit.23. nu.29. & lib.14. tit.46. num.19.* Ias. *in l. Stipulatio ista nu.1. in med. ff. de verbor. oblig.* Negusant. *de pignorib. part.8. membr.3. nu.1. in fine.* Præsertim ratione hypothecæ super dicti Iulij bonis ad fauorem eiusdem primi donatoris constitutæ. *l. qui balneum. §.1. vbi gloss. ff. qui pot. in pign. habeant.* Oldrad. *cons.114. nu.4.* Negusan. *de pignorib. part.5. memb.1. nu.9. in decima sexta ampliatione.* Gabr. *cons.141. nu.8. lib.1.* Paris. *d. cons.11. vbi supr.* Mohedan. *decis.1. de pignoribus.* 6

Vnde non obstat Menoch. *allegato cons.388. nu.54. & seq.* Ille enim de conditione potestatiua loquitur, non de casuali, vt in casu nostro. Prout nec in contrarium facit Honded. *alleg. cons.18. nu.53. lib.2.* cùm loquitur solummodo ad effectum translationis possessionis in vim clausulæ *constituti*, de qua hodie non agitur, cùm petatur immissio. 7

Non obstat Dec. *cons.246. nu.3.* & Rip. *respons.20. tit. de donationib. lib.3.* qui sentiunt pariter donationem non retrotrahi. Nam illi videntur communiter reprobati, vt testatur Turret. *cons.49. nu.19. vers. Quibus non videtur obstare illud celebre Decij responsum.* Paris. *d. cons.11. num.83. lib.1. & cons.69. num.132. lib.1.* Gabr. *cons.141. num.8. lib.1.* Paul. de Castr. *cons.446. nu.1. lib.2.* & loquuntur in omnem euentum in restitutione respectu pensionis, & dominij, non respectu hypothecæ, cuius vigore donatio etiam in alterius præiudicium, cui medio tempore fuit res tradita, retrotrahitur. *d. l. qui balneum. §.1. vbi gloss. ff. qui pot. in pign. hab.* cum aliis suprà allegatis. Vlteriùs illi loquuntur in conditione suspensiua potestatiua, non autem casuali, vt aduertit Paris. respondendo Decio, & Ripæ *d. cons.11. n.91.95.97. & 102.* vbi benè dictum obiectum diluit. 8

Præterea secunda donatio ad fauorem D. Bonauenturæ præiudicare non videtur primæ donationi Carolo de Castro factæ, cùm secunda possit dici restricta ad vigesimam partem & scuta 50. quæ sibi donans in prima donatione reseruauit. Quando enim Iulius denuo Bonauenturæ donauit in genere, solùm expressit omnia bona præsentia & futura: sub hac autem generalitate comprehensa non videntur bona priùs alteri donata. *l. quintus. §. argento. de auro & argento. leg.* Bart. *in l. codicillus. §. instituto, num. 5. de legat.2.* Rolan. *consil.71. num.28. lib.2.* Cephal. *consil.* 9

*consil.*516.*num.*13.& 17. Surd.*decis.*93.*num.*20.Rimin. iun. *cons.*344.*num.*7. & 9.*lib.*4 Cùm præsertim sub iuramento donans promiserit dictæ primæ donationi non contrauenire : vnde quatenus illa voluisset includere, incidisset in periurium, quod non est præsumendum, Honded. *cons.*44. *lib.*2.*num.*52.& 53. Guidopap.*decis.*463.

10 Non obstat exceptio pro parte D.Lauiniæ matris D.Bonauenturæ, videlicet per obitum Iulij sine filiis fuisse purificatum ad ipsius fauorem in bonis de quibus agitur fideicommissum. Nam vltra quòd exceptio fideicommissi non impedit ex vtili Saluiano immissionem, vt fuit dictum in causa Florentina domus 23. Iunij 1610.coram Illustrissimo Lancellotto, & in Romana Saluiani 28. Maij 1598 coram Orano Paleott. *decis.*674. *num.*7. *part.*3. & in alia Romana Saluiani 13.Ianuarij 1603 coram Litta.

Cùm tamen ipsa sit tertia, nec possideat, & plena sit possessio, non potest immissionem impedire, cùm nec illius ius lædatur, & contra istos de Castro postea valeat experiri. *l.si à quo.C.de rei vendicat.*Felin. *in cap.cùm super, sub num.*17.*de re iudic.* Couarr. *practicar.quæst. cap.*16. *sub num.*2. Cæs. de Grass. *decis.*3. *num.*4.*de verbor.significat.*

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Hispalen. Canonicatus. Veneris 23. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Gratia beneficij collati à Papa præuentiua iustificatione non indiget, & vota Canonicorum extra Capitulum data, nunquid augeant numerum eligentium.

SVMMARIVM.

*Gratia præuentiua, facta scilicet in mense, in quo Papa, & Ordinarius habent collationem, non indiget iustificatione, num.*1.

*Collatio facta à maiori parte Capituli præferenda est collationi factæ à minori parte, & an vota extra Capitulum lata augeant numerum eligentium, nu.*2.& 3.

*Papa si præuenit in gratia, non datur concursus tituli, num.*4.

DECISIO DXL.

1 A Resolutione facta sub die 13. Februarij præteriti Domini non recesserunt pro conceden. immissione Ioanni in possessionem Canonicatus, & Præbendæ, de quibus fuit prouisus à Sanctissimo. Nam secunda gratia, super qua nititur, non indiget alia iustificatione tanquam merè præuentiua, cùm sit concessa sub narratiua vacationis in mense ordinario, per quam solam expressionem conijcitur intentio Papæ præueniendi, vt fuit firmatum in decisione, & Papa sciuerit collationem simultaneam Archiepiscopi, & Capituli, & de tempore gratiæ nullam fuisse per eos factam prouisionem, & ideo alicui minimè fieri præiudicium; prout etiam quòd non erat deuoluta collatio ad Sedem Apostolicam, sed durabat tempus, infra quod poterat sequi concordia pro collatione, & quòd nihilominus Capitulum vnanimiter dederat electionem pro discordata, eamque ad Sedem Apostolicam remiserat, & Papa tanquam habens omnia iura in scrinio pectoris optimè nouit, quòd ex dicta discordia non orietur reseruatio, quod colligitur, etiam quia non fuit apposita clausula, Dummodo collatio ad nos hac vice pertineat, sed aliàs, dummodo tempore datæ præsentium non sit alicui specialiter ius quæsitum, quæ solet apponi vbi Papa concurrit cum Ordinario, vt considerauit Rota in Paderbonen. Canonicatus 29. Maij 1610.coram Reuerendissimo D.meo Decano, & ideo Papa non se restrinxit ad dictam discordiam inter Archiepiscopum, & Capitulum, nec ista fuit causa finalis, sed tantùm impulsiua gratiæ, vt ex decisione bon.mem.Cardinalis Blanchetti in alia Hispal portionis, & in alia Cardinalis Seraphini in decisione citatis, & nihilominus dixerunt DD.d discordiam esse satis iustificatam ex actis Capitularibus, in quibus actum fuit de consentien. vel non, in nominatum ab Archiepiscopo pro facien. simultanea collatione, & 21. Ianuarij de communi omnium consensu resolutum collationem discordatam, & ad Sanctissimum remitten. & sic cùm Archiepiscopus in vnum consenserit, Capitulum verò dissenserit, hæc fuit vera discordia, ad gloss. *in Clem.*1. §. *dudum. in verb. discordia. de iureiuran.*sufficit autem narratiuam dictæ discordiæ esse semiplenè probatam, vt in specie dictum fuit in dicta Hispalen. portionis coram Cardinali Blanchetto 18.Martij 1596.

Non obstat quòd Antonius fuerit electus à maiori parte Capituli, cùm Canonici essent in totum 27. 2
& ipse fuerit electus à duodecim ex votantibus in Capitulo, & à tribus aliis extra Capitulum, qui (vt dicitur) fuerunt eiecti, & sic à quindecim, qui faciunt maiorem partem, vt ex Innoc.*in cap.in Genesi, de elect.* Nam subsistit responsio, de qua in decisione, quòd dicta tria vota extra Capitulum data, non augent numerum eligentium, quicquid sit ad viden. an electus habuerit maiorem partem Capituli, vt concordando opiniones, tradit Abb. *in d.cap. in Genesi. num.* 11. & sequitur Petr. de Bais *in direct. elect. part.*3.*cap.*7.*num.*3.& 4. Vnde si attendamus primum scrutinium, in quo Antonius habuit decem vota ex 24.siue secundum, in quo habuit duodecim vota, semper est verum quòd non habuit maiorem partem, cùm ad istum effectum illi tres contempti non sint computandi in numero.

Alterum verò fundamentum, quòd dd.tres Canonici (vt dicitur) contempti, siue eiecti, sint nume- 3
randi ad effectum videndi, an discordia fuerit declarata à maiori parte Capituli, non applicatur: nam vltra quòd non verificatur eos fuisse eiectos, nec probatur quòd vbi eiecti fuissent, potuerint ad augendum numerum dare vota extra Capitulum, & exempla in contrarium adducta possent fortè procedere ad effectum, vt actus in congruo loco, vel tempore factus ab impedito posset dici validus ad acquisitionem, vel conseruationem proprij iuris, non tertij, maximè quia ex parte Ioannis nullum fuit præstitum impedimentum. Respondetur, quòd quatenus etiam dd. tres essent computandi in numero, ex decreto facto 8. Ianuarij constat, quòd ex Canonicis 24.congregatis quindecim fuerunt in voto, quòd prouisio haberetur pro discordata, nouem autem in contrarium. Qui nouem videntur tantùm remansisse pro Antonio; & sic computatis etiam illis tribus, qui votarunt pro eo extra Capitulum, non habuit nisi vota duodecim, & cõsequenter non maiorem partem, quæ solùm constituebatur à dd.

quindecim votis, quæ fuerunt pro discordia, iuxt. declarat. Abb. & Petri de Bais *vbi suprà*, immò non tantùm prædictæ quindecim vota, sed omnium Capitularium videntur fuisse pro dicta discordia, quia in alio Capitulo celebrato die 21. eiusdem mensis Ianuarij collatio fuit de communi consensu ad Suam Sanctitatem, vti discordatum remissa, vt dictum est.

Non obstat etiam prætensa appellatio per dd. tres Canonicos interposita: quia ab ea postea recesserunt per vota data extra Capitulum, *cap. sollicitudinem, cum ibi not. de appell.* Tanto minus dixerunt DD. Antonium posse impedire immissionem, cùm non solùm non sit legitimus contradictor, sed nec aliquem habeat titulum, fuit consideratum in vltima parte decisionis, & patet etiam, quia stante præuentione Papæ, de qua suprà, non datur concursus tituli, vt per Card. Seraphin. *decis.* 1426. *num.* 3. In aliis etiam gratia visa fuit benè iustificata, vt in decisione, tantò magis, quia ex aduerso non controuertuntur.

Et ideo DD. steterunt in decisis, vt suprà.

R. P. D. RAMBOLDO.

Perusina pecuniaria. Veneris 23. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Relationi periti super æstimatione alicuius rei standum est contra eum, qui peritum elegit, & qui errorem allegat, illum plenè & concludenter probare debet.

SVMMARIVM.

Testibus pluribus magis credendum, quàm paucioribus, num. 1.

Error calculi plenè, & concludenter probandus est ab allegante, num. 2.

Confessio facta positionibus plenè probat contra confitentem, ibid. in fin.

DECISIO DXLI.

1 Domini steterunt in decisis die 28. Februarij præteriti. Quod enim ad primam oppositionem ex parte D. Gratiani calculo, de quo agebatur, factam, placuit responsio, quòd scilicet calculator non solùm iuxta æstimationem tertij, & depositionem testium calculauit, & quòd æstimatio primi periti potiùs, quàm aliorum attendi debeat. Tum quia dictus peritus fuit ab eodem D. Gratiano electus: tum quia dicta æstimatio magis est conformis depositioni testium à dicto etiam D. Gratiano inductorum, & quorum iudicio vti plurium magis quàm vnius standum videtur. *cap. in nostra*, & ibi gloss. *de testibus. c. licèt causam, post med. vers. Ex præmissis, de probat. cap.* 1. *de arbitris in* 6. *& l. si plures*, & ibi gloss. *ff. eodem tit.* Soc. *cons.* 105. *sub num.* 6. *lib.* 3. Nec non obstat quòd dicti testes sint nulliter examinati, quia vltra responsiones in alia decisione datas, fuit dictum obiectum in facto non subsistere, cùm immò constet fuisse examinatos à iudice ad hoc specialiter subdelegato, citato Domino Lucio, & adhibito hinc inde interprete.

2 Secunda etiam oppositio visa fuit Dominis in dicta decisione sublata, & ad id quod replicabatur, non fieri mentionem medietatis petij terræ, fuit responsum, non propterea dici posse probatum errorem, consequentia enim, non fuit facta mentio medietatis ergo æstimatum fuit integrum petium non tenet, cùm tamen error plenè, & concludenter ab allegante probandus esset. Aym. *cons.* 255. *nu.* 5. Surd. *cons.* 14. *num.* 9. *& decis.* 104. *num.* 18. Cardin. Seraphin. *decis.* 931. *in fine.* & quòd medietas sola æstimata fuerit, benè comprobari videtur ex eo quòd dictum petium fuit æstimatum florenis 800. & sic iuxta valorem medietatis dicti petij, vt idem met Gratianus in positionibus fassus fuit *cap.* 1. & ibi gloss. *de confess. in* 6. Crauett. *cons.* 217. *num.* 9. & fuit dictum in Romana redditionis computorum 7. Februarij 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo.

3 Minus obstant responsiones ad tertiam oppositionem in dicta decisione datæ, quod non habebat componendi credito census pretium Sylnæ Farneti; quia in facto prætensio ista non iustificatur, & si non omnes census per Gratianum soluti fuerunt ad ipsius creditum in dicto calculo positi, hoc euenit culpa ipsius Gratiani, qui dictas solutiones non allegauit, non calculatoris, ac propterea poterunt facta dictarum solutionum sufficienti probatione & liquidatione etiam in posterum apponi. Eadem ratione tollitur etiam replicatio ad responsionem 8. oppositioni, quia Hieronyma cessit iura talia, qualia super bonis, quæ loco pignoris detinebat pro sua dote, & cum onere huius hypothecæ, dicta bona donata fuerunt, ac propterea Gratianus, qui tenebatur hæc bona ab isto onere liberare, non potest prætendere aliquod interesse pecuniarum pro dicta dote solutarum.

4 Quoad nonam oppositionem dictum fuit respectu vini anni 1612. nihil fuisse positum ad debitum Gratiani. Et in reliquis DD. transierunt cum responsionibus in dicta decisione datis, quæ visæ fuerunt tam in facto, quàm in iure subsistere.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Ratisbonen. Canonicatus. Veneris 23. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Habes num. 1. & 8. in Summario.

SVMMARIVM.

Remissoria concedi non debet, quando articuli sunt irreleuantes, num. 1.

Immemorabilis probata habet vim priuilegij, num. 2. *declara vt num.* 3.

Immemorabilis probatio non admittitur, quando constat de initio consuetudinis, ibid.

Consuetudo & statutum possunt stare simul, sicut non est incompatibile quòd statutum disponat idem quod ius commune, num. 4.

Verbum statuimus inducit nouum ius, quod antea inductum non erat, num. 5.

Exceptiones requirentes altiorem indaginem, non admittuntur quando agitur de exequutione litterarum Apostolicarum cum gratiosa subrogatione iustificatis litteris, num. 6.

Titulorum paritas concurrentibus prouisis Apostolicis in simuli

simili gratia efficit vt non exequutiuè, sed de ordinariè sit procedendum, num.7.
Gratia in forma dignum, *est conditionalis, num.8.*
Titulorum paritas non censetur in prouisis Apostolicis, si alter habet litteras cum gratiosa subrogatione,& alter in forma dignum, *ibid.*
Immissio non datur in beneficio ex gratia Apostolica, quæ aliunde expectat iustificationem, ibid.
Capitulum est legitimus contradictor respectu habilitatum prouisorum Apostolicorum, num. 9.

DECISIO DXLII.

DVbium propositum duas habet partes, an scilicet Ioanni Roggio sit danda remissoria, & si non, an Henrico sit danda immissio? & quoad remissoriam fuit negatiuè resolutum: de immissione autem fuit reseruatum videre in particulari disputatione.

1 Est enim absolutum quòd remissoria concedi non solet, quando articuli non releuant, ne frustrà concedatur dilatio, cuius expectatio & finis potius dispendium, quàm commodum vtrique parti afferre potest. Cassador. *decis.2.dilat.* Caputaq. *decis.66.& 68.part.3.* Seraphin.*decis.1364.num.2.*& sæpe fuit resolutum.

Irreleuantia probatur, quia primus & secundus de nobilitate, sunt extra quæstionem, dum Henricus non obtinuit Canonicatum, nec petiit admitti vti nobilis sanguine, sed vti graduatus, cùm in eo Capitulo sint distincti si duo ordines nobilium,& Doctorum, eodem modo non pertinet quartus concernens familiaritatem Cardinalium, quia de ista qualitate non fuit obiectum, neque concurrit in Henrico aliqua familiaritas.

Tertius verò articulus continens requisita quinquennalis studij doctoratus, & praxis, adhuc quoad primum & secundum requisitum non releuant, quia in actis iustificantur tam ex testibus, quàm ex litteris patentibus doctoratus, nec pro parte prouisi, aut Capituli concludentior probatio desideratur.

2 Sola praxis videtur habere colorem releuantiæ, super qua si immemorabilis probetur, videtur posse allegari priuilegium Apostolicum. *cap.1. de præscriptionibus in 6.*Carlin.*cons.88.num.2.*Gabr.*de præscrip. conclus.1. numer.1. & numer. 62.* Put. *decis. 58. & 205.lib.1.*

3 Verùm neque respectu istius qualitatis visum est intrare releuantiam, quia probatio immemorabilis non admittitur vbi constat de initio consuetudinis, vt in præsenti ex statutis eiusdem Ecclesiæ Ratisbonen. Couarr. *in reg.possessor.part.2. §.3. ante numer.8.* Olasc. *decis.101.num.31.* Molin. *de primog. lib. 2.cap. 6.num.64.*

4 Nec vrgebat responsio data quòd de aliquo statuto non apparet quòd saltem per Roggium, aut Capitulum productum fuerit, aut inconueniens non esse quòd adsit consuetudo, & statutum, prout non est incompatibile quòd statutum idem disponat quod ius commune. Castr. *cons.94. in fin. lib.1.* quia etiam quòd non fuerit productum, sufficit quòd per Capitulum fuerit allegatum, quando denegauit possessionem Henrico.

5 Compatibilitas etiam tollitur ex verbis eiusdem statuti, ibi. *statuimus per præsentes quòd de cætero,* &c. Nam per verbum *statuimus*, inducitur nouum ius antea non inductum, Felin.post alios *in cap.decernimus num.10.de iudic.*& verbum *de cætero* propriè denotat quod antea non seruabatur.*cap.de cætero,de testibus, & c.de cætero, de transactionibus.*

Denique dicebatur remissoriam non esse dandam, 6
cùm agatur de exequutione litterarum Apostolicarum cum gratiosa subrogatione, quæ dum sunt iustificatæ, vt in præsenti proceditur ad earum exequutionem, reiectis exceptionibus requirentibus altiorem indaginem ad instar.*l.final.C.de edict.D.Adr.tollen.*Mohed.*decis.5.& 13.vt lit.pend.* Put.*decis.294.in noua impress.lib.1.* Menoch.*de retin.remed.3.n.58.*

Neque dicatur prædicta procedere, quando non 7
venit alius concurrens, habens similem gratiam: secus quando adest alius prouisus Apostolicus, qui possideat, vt in præsenti, quia tunc propter paritatem titulorum dicebatur ordinariè, non autem exequutiuè esse procedendum, vt per Bart.*in l.fin.nu.21. C.de edict.D.Adrian.toll.* Rota in Celsonen. Canonicatus 1.Iunij 1602. coram Reuerendissimo Decano, & in Caputaquen. beneficij 23. Martij 1609. coram Reuerendissimo Lugdunen. & in Sabien. beneficij 24.Martij 1601.coram bo.me.Pegna.

Quia Roggius non potest contendere cum Hen- 8
rico de paritate tituli, quia non habet similem gratiosam subrogationem, neque talem titulum, per quem in immissione posset obtinere, dum illa est conditionalis in forma *dignum*, & ex alio fonte & causa deducitur, scilicet propter inhabilitatem primi prouisi, quæ dum non constat propter iustificationem gratiæ Henrici, per consequens titulus non est sufficiens ad effectum immissionis, cùm expectet aliunde suæ causæ iustificationem. Zuccard. *in d.l. fin.n.375.vers.2.* Verall. *decis.346.num.4.part.2.* quod etiam fuit ponderatum & firmatum in causa Tirasonen. Capellæ 13. Martij, & 7. Aprilis 1606. coram R.P.D. meo Pamphilio, & priùs in Montis Falisci Capellæ 30 Ianuarij 1606. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.

Non obstat quòd saltem Capitulum dicatur legi- 9
timus contradictor respectu habilitatum, vt dicitur resolutum in causa Pacen. Canonicatus corã R.P.D. meo Manzanedo die 30. Aprilis 1610 & ideo quoad Capitulum remissoria non videatur deneganda. Quia fuit dictum etiam quod in hac causa posset esse legitimus contradictor, tamen obstare irreleuantiam materiæ articulatæ, quæ stante remissoria semper denegatur, vt suprà dictum fuit, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana legitimæ. Veneris 23. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Legitima debetur nepotibus in bonis aui, mortuo patre in vita aui, & succedunt ex propria persona, & si sint quinque, est semis.

SVMMARIVM.

Legitima debetur nepoti in bonis aui,& ingreditur in locum patris prædefuncti auo superstite, num.1.
Legitima potest detrahi non obstante prohibitione detractionis, si fuerit prohibita sub modo alternatiuo cũ legato loco legitimæ, nisi constet de acceptatione legati, n.2.

Legitima grauari non potest, & omne onus impositum reiicitur, num.3.

Legitimæ detractionis prohibitio comprehendit tantummodo alienationes inter viuos, non dispositionem in vltima voluntate, num.4.

Alienationis, & venditionis prohibitio, non includit dispositionem in vltima voluntate, num.5.

Legitimæ portio nepotibus debita in bonis aui, quando veniunt ex propria persona sublato patre, viuente auo, si sint numero quinque, est semis totius hæreditatis, num.6.

Fœmina, quamuis à statuto excludatur stantibus masculis quia numeratur ad augendam legitimam debitam fratribus masculis, quia talis exclusio est ad ipsorum fauorem & commodum, num.7.

DECISIO DXLIII.

Dvbium proposui an Clementi debeatur legitima, & quatenus debeatur, quanta sit? Et quoad vtramque partem pro D. Anna tantùm informante, fuit resolutum, nisi Clemens habuerit legatum scutorum ducentorum.

1 Est enim certum, quòd Clementi ex propria persona debetur legitima in bonis Antonij Mariæ Cremonæ eius aui, tam ab intestato iuris dispositione, quàm ex testamento, cùm fuerit in ea ab eodem auo institutus, tanquam ingressus in locum Bernardini eius patris, qui prædecessit, adhuc patre eius, siue auo, respectiuè superstite. §.*illo, authent. de triente & semisse*. Salicet.*in auth nouiss.num.5.& ibid.*Ias.*num.51. C.de inoffic.testam.* Menoch. *cons.681.num.25.* & post alios hoc ipsum firmauit Rota in Romana legitimæ 21.Ianuarij 1614.coram R.P.D. Verespio.

2 Non obstant prohibitiones detractionis legitimæ, quæ leguntur in testamento eiusdem aui. Quia si de prima agatur, quæ concepta est per modum alternatiuum, cum legato scilicet scutorum ducentorum, & vinculo legitimæ, vel institutionis in sola legitima, secundum cautelam Durantis *de arte testandi tit. caut.31 nu.6.* & hanc non præiudicare Clementi fuit præsuppositum, nisi constet de acceptatione legati, vt iam dictum est.

3 Si verò de secunda agendum est, vt eam dicamus factam fuisse ad onerandam, & grauandam legitimam Clementis, huiusmodi grauamen semper à lege improbatur & rejicitur. *l. quoniam in prioribus. l. scimus.§.repletionem.C.de inoffic.testament.*& latissimè comprobat Grass.*de success.ab intestat.§.legitima quæstione 38.num.2.*

4 Si autem præsupponatur facta in vtilitatem Clementis, vti minus industriosi, & non idonei, pro administrandis propriis bonis, & hoc casu quatenus etiam esset temporalis, & non perpetua, vt in præsenti, comprehenderet tantummodo casum alienationis inter viuos, non autem dispositiones per viam vltimæ voluntatis, qui est casus de quo agitur. Rub. Alexandrin *consil.27.in fine.* Abb.*cons.226. num.32.lib.2.*

5 Et optima quidem ratione, quia prohibita venditione, & alienatione, nunquam censetur inclusa dispositio per viam vltimæ voluntatis. Osasch.*decis. 50.num.10.* Gabr. *de fideicomm. conclus. 10. num. 27.* Honded.*cons.13.num.12.lib.2.*

6 Quo verò ad secundam partem dubij, cùm isti nepotes viuo Antonio Maria eorum auo ingressi sint locum patris mortui, & ex propria persona veniant, & sint quinque, conclusum fuit portionem legitimæ ascendere ad semissem.§.*hæc nos.auth.de triente & semisse. auth. nouissima. C. de inoffic.testam.* Peregr. post alios, *de fideicommiss.art.36.num.39.*

Nec duæ fœminæ quæ inter dictos nepotes reperiuntur, possunt diminuere commodum masculorum, quamuis illæ sint à statuto exclusæ, cùm talis exclusio sit ad ipsorum masculorum fauorem. Paris. *cons.36.num.29.vol.2.* Grass.*in §.legitima quæst.7.nu.5.* Rot.*decis.266.part.1.diuers.*& in aliis causis sæpè fuit firmatum. 7

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Meten. Semicanonicatus. Veneris 23. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

De iustificatione gratiæ, & probatione Clericatus originis, & diœcesis valoris per non excessum mortis, & vacationis, & nunquid semicanonicatus præsumatur perpetuum, & collatiuum, an verò officium, vel stipendium amouibile, & ad nutum.

SVMMARIVM.

Clericatus censetur probatus per litteras patentes ordinarij, num.1.

Origo alicuius probatur per testes, ibid.

Beneficij valor per non excessum quomodo probetur in Germania, num.2.

Mors probatur per testes de visu, qui præsentes fuerunt quando quis fuit sepultus, num.3.

Vacatio benificij probatur per confessionem partis venientis ex eadem vacatione, & per testes deponentes de illius possessione per quatuor annos cùm perceptione fructuum, num.4.

Semicanonicatus cùm sit beneficium sæculare, præsumitur perpetuum & collatiuum, non autem amouibile ad nutum, num.5.vbi quòd hoc fallit nisi contrarium plenè, & concludenter probetur.

Beneficij qualitas quæ sit inspicitur vltimus status, ibid.

DECISIO DXLIV.

GRatiam Dominici esse iustificatam Domini resoluerunt. Constat enim de Clericatu ex litteris patentibus Ordinarij. Rot.*decis.1.de probationib. in nou.* Felyn. *in c. post cessionem num. 3. & 15. eod. tit.* Grammat. *decis. 81. num.1.* & ex duobus testibus de illo deponentibus, qui etiam probant dictum Dominicum esse oriundum ex diœcesi Tullen. & de anno 1615. & sic dempore vacationis fuisse præsentem in curia. 1

Valor quòd non excedat 24. non videtur indigere alia iustificatione, ex quo de generali consuetudine Germaniç solitum est ita exprimi valorem Canonicatuum, vt testes deponunt, & fuit dictum in vna Colonien. Canonicatus 29. Martij 1610. coram R. P. D. meo Decano, & in Argentina Canonicatus 4.Iulij 1612.coram me. 2

De obitu Francisci in mense Martij constat pariter ex testibus de visu, & qui fuerunt præsentes eius sepulturæ. 3

Vacatio autem ex persona D.Francisci vltra confessionem 4

fessionem partis aduersæ venientis ex eadem vacatione. Put. *decis.* 171. *num.* 1. *lib.* 3. Ægid. *decis.* 268 probatur per dictos testes deponentes de illius possessione per quatuor annos, cum perceptione fructuum, ex qua possessione triennali verificatur vacatio. Caputaq. *decis.* 26. *part.* 1. Paris. *de resignat. lib.* 11. *quæst.* 6. *à num.* 96. Put. *decis.* 185. *lib.* 2. Rot. *decis.* 779. *lib.* 3. *part.* 3. *diuersor.*

5 Quibus visum fuit non obstare quòd iste semicanonicatus videatur simplex officium, vel stipendium amouibile ad nutum duarum dignitatum, nempe Decani & Cercatoris Ecclesiæ Meten. vt apparet ex illius erectione de anno 1393. & ex deputatione facta tanquam de officio amouibili de anno 1406. & depositione, & priuatione facta de anno 1401. vnius ex istis stipendiariis in summario Claudij *num.* 2. & ideo non veniat sub reseruatione Apostolica Gonzalez *super reg.* 8. *gl.* 5. §. 6. *num.* 9. & non intret gratia Dominici in d. reseruatione fundata. Quia fuit responsum quòd cùm semicanonicatus sit beneficium seculare, præsumitur de sui natura perpetuum & collatiuum. *cap.* 1. & ibi gl. *verbo perpetui, de Capel Monach. in* 6. Lap. *allegat.* 9. *num.* 3. Cassad. *decis.* 4. *num.* 2. *de præbend.* Mandos. *super reg.* 3. *quæst.* 11. *num.* 2. Paris. *vbi suprà lib.* 11. *quæst* 3. *n.* 92.

Et ideo manualitas esset per partem aduersam plenè & concludenter probanda, vt fuit dictum in vna Pacen. Capellaniæ 22. Iunij 1609. coram R. P. D. meo Caualerio, quod non fecit, quia probationes allegatæ non sunt visæ Dominis ita claræ, cùm sint admodum antiquæ & remotæ, quæ non attenduntur, ex quo ad dignoscendam qualitatem beneficij inspicitur vltimus status, iuxta quem fuit prouisum, & illum sufficit pro iustificatione gratiæ probare. Put. *decis.* 206. *lib.* 1. Rota *decis.* 14. *vers.* Sed omnes de iurepatronatus, in antiquis. *& decis.* 197. *num.* 9. *part.* 2. diuersorum. Ferret. *consil.* 132. *numer.* 10. Seraphin. *decis.* 1229. & fuit dictum in vna Ferrarien. Prioratus 17. Martij 1608. coram bon. mem. Pegna, qui vltimus status est vti de beneficio perpetuo, cùm in prouisionibus modernis nulla fiat mentio istius manualitatis, sed disponatur tanquam de beneficiis perpetuis.

6 Et cessat omnis difficultas ex testibus expresè deponentibus in Ecclesia Meten. adesse duos semicanonicatus, eósque esse perpetuos & distinctos à stipendiariis, quorum dicta videntur corroborari ex declaratione Capituli facta ad instãtiam Francisci Gerardini vltimi possessoris semicanonicatus, de quo agitur, petentis an posset promoueri ad titulum illius, cùm aliqui dubitarent esse officium amouibile. Cui Capitulum respondit posse hoc facere, sicut fecerunt alij sui antecessores; ex quo resultat Capitulum habuisse dictum semicanonicatum pro beneficio perpetuo, cùm aliàs si esset stipendium temporale, non possit quis ad titulum illius promoueri. Paris. *de resignat lib.* 2. *quæst.* 6. *numer.* 2. Gonzales *vbi suprà, gloss. num* 42.

REVERENDISSIMO P. D.
PAMPHILIO.

Ferrarien. decimarum. Veneris 23. *Iunij* 1617.

ARGVMENTVM.

Laici sunt prorsus incapaces decimarum sine authoritate Sedis Apostolicæ sunt tamen capaces fructuum decimalium, & quando.

SVMMARIVM.

Decimarum incapaces omnino sunt laici, nisi interueniat Sedis Apostolicæ authoritas, num. 1. *vbi amplius, quòd quasi possessio exigendi decimas per annos* 30. *ipsis non suffragatur.*

Decimalium fructuum laici capaces sunt, num. 2. *declara vt num.* 3.

Beneplacitum Apostolicum, vbi fuit reseruatum, contractus sine beneplacito Apostolico celebratus est ipso iure nullus, num. 3. *&* 4.

Remissoria vbi fuit data, non est expectanda ad impediendam sententiæ prolationem, quando probationes in ea facta non releuant, num. 4.

DECISIO DXLV.

PRo Illustrissimo D. Cardinale Episcopo informante, nempè inuestituras, de quibus agitur, factas per Cardinalem Estensem, non esse validas, quia illæ sunt factæ ad fauorem laicorum, qui sunt omnino incapaces iuris decimandi, quod est spirituale. *cap causam quæ*, vbi Abb. Felyn. & alij, *de præscript.* Præsertim post Concil. Lateranen. de quo *in cap. prohibemus, de decim. & in cap. cùm & plantare, de priuileg.* Rebuff. *de decim. quæst.* 13. *numer.* 78 *& seq.* & fuit dictum in causa Mediolanen. rescissionis permutationis 21. Maij 1597. coram bo. me. Cardinali Pamphilio, & sæpè in aliis causis; itaut in concessione decimarum, & iuris decimandi laicis facien. sit adeò necessaria authoritas Sedis Apostolicæ, vt non sufficiat immemorabilis, absque fama priuilegij vel recognitione feudali, vt not Ioan. Andr. & alij *in cap. cùm Apostolica, de his quæ fiunt à prælat.* Felin. *in d. cap. causam quæ num* 3. *de præscript. & in c. cùm contingat, sub num.* 4 *vers. si tamen de for. compet.* & fuit dictum in Toletana iuris decimandi 27. Aprilis 1584. coram bo. me Cardinali Bianchetto, & in dicta Mediolanen rescissionis permutationis, vbi fuit etiam dictum, quòd præsumpta confirmatio ex lapsu 30. annorum, & vltrà, cum obseruantia respectu istius iuris, propter incapacitatem laici nihil operatur, ex deductis in causa Placentina decimarum 31. Ianuarij 1586. coram bo. me. Bubalo. 1

Nec supradictæ inuestituræ videbantur posse intelligi de fructibus decimalibus, quorum laicus est capax. Rota *decis.* 2. *de iudic. in nou.* Quia immò illæ expresè loquuntur non solùm de decimis, & fructibus decimalibus, prout percipiuntur de manu Rectoris, sed etiam de ipso iure decimandi, quod est spirituale, & consistit in perceptione decimarum propria auctoritate, de manu colentium prædia, Abb. *in cap. litteras num.* 2. *de iuram calum.* Couar. *var. resolut lib* 1. *cap.* 17. *numer.* 5. & fuit resolutum in dicta Nouarien. decimarum 28. Maij 1593. coram bo. me. Cardinali Arigonio, & in dicta Mediolanen. rescissionis permutationis. 2

Neque refragari, quòd dictus Cardinalis Estensis aliàs habuerit à fel. record. Gregorio XIII. facultatem infeudandi decimas, & iura decimandi quibuscumque personis sibi benè visis; nam præterquam, quòd contra eam plura per informan. adducebantur; fuit per Dominos responsum, quòd in casu isto cessat difficultas ex lectura ipsarum inuesti- 3

turarum, in quibus fuit expresse reseruatum beneplacitum Apostolicum, cum clausula, *& non aliàs, aliter, nec alio modo*, &c. quo casu clarè apparet dictum Cardinalem concedentem noluisse vti illa facultate, sed voluisse nouum beneplacitum omninò adhiberi. nam ista clausula operatur, vt beneplacitum Apostolicum censeatur reseruatum pro forma, itaut si non adhibeatur, inuestituræ sustineri non possint, etiam quòd aliàs non esset necessarium, vt fuit dictum in causa Comen. locationis 20. Martij 1600. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, & in causa Camerinen. transactionis 19. Nouembris 1604. coram Illustriss. D. Cardinali Ludouisio, & aliàs sæpè.

4 Et ex his etiam cessare visum fuit, quòd Domino Comiti fuerit concessa remissoria ad probandum per testes, quòd eius antecessores per tempus immemorabile decimas, de quibus agitur, possederint; quia vltra quòd terminus remissoriæ iam à pluribus diebus est elapsus; placuit responsio, quòd cùm non obstan. huiusmodi possessione, beneplacitum in casu isto esset necessarium, vti reseruatum cum dicta clausula, *& non aliàs, aliter, nec alio modo*, &c. probationes illius respectu sunt irreleuan. & consequenter non sunt expectan. iuxt. decis. Verall. 66. *part.* 3.

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana extinctionis censuum. Lunæ 26. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Mulier ad effectum annullandi obligationem debet concludenter probare se non esse cautam.

SVMMARIVM.

Mulieris contractus remanet validus, & firmus in eius præiudicium, si constat quòd aliunde mulier releuatur ab obligatione, num. 1.

Decretum iudicis super obligatione mulieris præsumitur iustum, & validum, & allegans iniustitiam imputat iudici, quam concludenter probare tenetur, num. 2.

Inuentarium probat non adesse alia bona tempore mortis, sed non concludit quòd defunctus non habuerit alia bona antea, quæ fuerint alienata, num. 3.

DECISIO DXLVI.

RESolutum fuit standum esse in decisis, ex eisdem rationibus & fundamentis. Promissio enim, & obligatio D. Liuiæ ad fauorem emptorum census valida est, propter decretum iudicis, & aliis solemnitatibus adhibitis de iure & forma statutorum Vrbis *c.* 31. *lib.* 1. in contractibus mulierum requisitis, & veritas causæ, propter quam fideiussit, iustificatur dum asserit se cautam super aliis bonis, & vltra tenutam lacus, super qua census fuerunt impositi, apparet ex instrumento dotis D. Liuiæ adesse alia bona, nempe castrum Petræ fortis, partem castri Scarpæ, ac alia stabilia ex hæreditate matris Caroli eiusdem D. Liuiæ mariti.

Propterea data facultate D. Liuiæ releuandi se ab obligatione, remanet contractus firmus, & validus ad illius præiudicium. Seraphin. *decis.* 1187. & firmatum fuit in decisione Romana Saluiani interdicti 15. Decembris 1614. coram R.P.D. meo Pamphilio, in qua aliæ decisiones referuntur. 1

Non obstant deducta ad probandum ipsam non esse cautam super bonis sui viri, quia huiusmodi negatiua concludenter non probatur, prout necessarium est, ex quo pro decreto præsumitur quòd fuerit iustum & validum. Gabr. *de sent. conclus.* 5. *in princ.* & allegans iniustitiam, culpam iudici videtur imputare, quæ plenè & concludenter probanda est. Bart. *in l. si quis ex argentariis.* §. *prætor. ff. de edend.* Crauett. *consil.* 80. *num.* 20. Surd. post alios *consil.* 39. *num.* 9. 2

Quamuis igitur detur inuentarium de hæreditate & bonis Septimij viri eiusdem D. Liuiæ, & validum præsupponatur, & in ea descripta tantummodo reperiebantur bona castri Fortis, castri Scarpæ & tenutæ Laghi, bonaque castri Scarpæ alienata vsque de anno 1588. fuerint ab eodem Septimio Domina Liuia consentiente & renunciante respectu suorum iurium dotalium; pars verò bonorum castri Scarpæ dicatur permutata & incorporata in tenuta Laghi, atque ita ex eodem inuentario dicatur colligi negatiuam, alia scilicet bona non extare.

Tamen negatiua respectu bonorum maternorum Septimij probari non potest, quia inuentarium probat quidem non adesse alia bona in hæreditate Septimij de tempore eius mortis, sed non concludit quòd ante alia bona non extarent, cùm potuerit Septimius habuisse materna, & ante mortem alienasse absque consensu & renunciatione D. Liuiæ, super quibus adhuc duraret euictio, & veritas causæ posset iustificari. Præterea ex pretio castri fortis emptus fuit census à Valerio Vrsino pro summa scutorum 765. qui adhuc extat, & datur instrumentum constitutionis illius, & alia scuta mille quingenta, & quinquaginta duo, ex eodem pretio recepta fuerunt manualiter & in contanti à Carolo eiusdem D. Liuiæ filio, ipsa pro omni suo iure consentiente, quæ cùm possibile sit quòd reinuestita fuerint pro cautione tam emptoris, quàm ipsius D. Liuiæ, negatiua etiam non implicationis debebat probari ad concludendam falsitatem causæ. 3

Non obstat quòd census exigi non possit, cùm hæreditas Valerij Vrsini non sit soluendo, vt notorium est.

Quia non excussa hæreditate prædicta, & fideiussoribus datis in constitutione census, & aliis suprà ponderatis non verificatis, nunquam constare poterit Dominam Liuiam non esse cautam ad effectum annullandi prætensam obligationem ex defectu causæ.

Et ita, &c.

R.P.D. PIROVANO.

Romana transactionis. 26. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Vsusfructus patri debitus in bonis aduentitiis filij, potest per testatorem prohiberi, non solùm expressè, sed & tacitè, per coniecturas, & quæ sint coniecturæ.

SVMMARIVM.

Transactioni obstat remedium l.2.C.de rescind.vendi. *num.*1.

*Læsio in transactione sic probari debet, vt sit etiam habito respectu ad dubium litis euentum, num.*2.

*Vsusfructus patri debetur de iure in bonis aduentitiis filij, num.*3. *declara vt num.*4.

Vsusfructus expressè & tacitè per coniecturas prohiberi potest per testatorem ne patri debeatur de bonis filio relictis, & tunc per filium præstandus non est, ibid.

*Vsusfructus censetur ademptus, quoties adimitur administratio patri, non enim sine administratione debetur, num.*5.

*Pater habet administrationem à iure in bonis filij, etiam quòd per testatorem dati sint curatores, quia simul compatiuntur, num.*6. *declara vt num.*7. *& seq.*

*Vsusfructus censetur prohibitus patri, si testator mandat pro victu filij expendi centum, residuum inuestiri, quia sic videtur interdicta fructuum perceptio, & si fructuum perceptio sit interdicta vsque ad certum tempus, elapso illo tempore adhuc durat prohibitio, quia attenditur initium exclusiuum, num.*8.

*Vsusfructus patri censetur prohibitus super bonis filij, si testator in testamento legatum patri fecerit, ex quo prouisum videtur, vsusfructus patri non debeatur, num.*9.

DECISIO DXLVII.

1 CEnsuerunt Domini obstare transactionem in casu de quo agitur. Quamuis enim vera, & approbata sit conclusio, vt in transactione locum habeat remedium *l.2. C. de rescind. vendit.* de qua per Bart. *in d.l.2. num.* 7. *& in l. si quis cum aliter, num.* 5. *ff. de verb. oblig.* & eam sæpè tenuit Rota, reprobato Alexandro contrarium sentiente *in consil.*42. *numer.* 11. *lib.*1. vt in Romana deuolutionis domorum 26. Martij 1590. coram bo. me. Cardinali Pamphilio, & in Romana domus 3. Decembris 1601. coram R. Archiepiscopo Damasceno; nouissimè verò ac pleniùs confirmatur in Romana domorum 10. Iunij 1615. coram R. P. D. meo Vbaldo.

2 Læsio tamen non videtur probata secundùm terminos eiusdem legis, habitóque respectu ad dubium litis euentum, prout necessarium est secundùm Bart. *in d.l. si quis, num.* 5. *ff. de verb. oblig.* Crauett. *consil.* 151. *num.* 27. Menoch. *consil.* 401. *n.* 156. Honded. *consil.* 34. *num.* 55. *lib.* 2.

3 Nam fundamentum læsionis ponitur in vsufructu patri de iure debito in bonis aduentitiis filij, per *l. fin. C. de bonis quæ lib.* & prout sunt ista de quibus agitur, dum proueniunt ab auo materno. *l. qui in aliena. §. interdum ff. de acquiren. hæred.* Surd. post alios *consil.* 116. *num.* 3. *&* 4. Seraphin. *decis.* 201. *num.* 20. eo autem subsistente dicebatur clarè liquere de læsione enormissima, dum renunciatum fuit per Antonium patrem vsufructui valoris scutorum 1100. pro anno scutis 200.

4 Cæterùm regula prædicta solet recipere declarationem, quando ne dum expressè, sed etiam tacitè, ex coniecturis colligi potest, quòd vsusfructus patri sit prohibitus. Ita Bart. declarando *auth. excepit. Cod. de bonis quæ liber. in l. si vsufructus. §. si ita. ff. quando dies leg. ced.* Dec. *consil.* 318. *num.* 5. *in fine.* Boër. *decis.* 193. *num.* 2. Molin. *de primogen. lib.* 1 *c.* 19. *num.* 30. Gabr. *consil.* 118. *num.* 12. *lib.* 1. Surd. *consil.* 116. *numer.* 51. *&* 143. *numero* 20. *lib.* 1.

Coniecturæ autem & plures & ingentes visæ sunt Dominis in præsenti concurrere, & prima dùm testator reliquit hæredi scripto actores & curatores, per quos patri adimebatur administratio bonorum; cui enim adimitur administratio, adimitur & vsusfructus, qui cum administratione transit. *l. Imperator. ff. ad Trebell.* & per illum text. ita concludunt ibidem Castren. *numero* 4. Alexand. *numer.* 6. Bero. *consil.* 139. *num.* 17. *&* 18. *vol.* 2. Boër. *decis.* 61. *num.* 17. 5

Nec consequentia prædicta destruitur ex allegata compatibilitate curatorum cum iure administrandi à lege delegato patri in bonis filij, per *l.* 1. *§. parentes. C. de bonis maternis,* quasi cumulatiuè, & non priuatiuè sint dati, vt *in l. propter latè diffusum. C. in quib. caus. tut. hab. l. propter litem. § fin. ff. de excus. tutor.* 6

Quia neque Ioann. Baptista alia bona habebat, neque in testamento dati fuerant respectu diuersorum effectuum, sed in omnibus, & ad omnia, vt legitur in testamento, quæ verba non admittunt diuisionem, aut cõcursum in administratione, & quamuis text. *in l. Imperator,* videatur loqui in patre cui fuerat interdicta administratio propter dissipationem bonorum filij, & in hunc sensum conueniant Boër. Bero. & alij suprà allegati, quæ ratio, etsi in præsenti considerari non possit, tamen ratio est eadem in consequentia, quamuis non eadem in causa; consequens enim est, cui adimitur administratio, adimitur vsusfructus: causa autem potest esse diuersa, vel quia intrat dilapidatio, vel quia testator ita mandat, & vtraque est sufficiens pro remouenda administratione, vnde desumitur consequentia. 7

Secunda coniectura deducitur ex eo quòd testator voluit hæredem habere tantùm scuta 300. vsque ad ætatem annorum 25. residuum verò inuestiretur pro fideicommisso, ex hac limitatione redituum colligitur interdicta fructuum perceptio in residuo, scilicet tanquam destinato ad augendam hæreditatem; in parte verò scut. 300. tanquam sufficienti pro alendo hærede tantùm. Nec obstat quòd filius iam maior factus transegerit, & adhuc esset sub patria potestate, cuius ratione patri competebat plenissimus vsusfructus. Crauett. *consil.* 84. *num.* 7. Surd. *consil.* 259. *num.* 1. Nec vlteriùs duraret limitatio redituum, quo casu dicebatur iura patriæ potestatis posse exerceri, impedimento sublato ex fine prohibitionis. Ad prædicta enim fuit responsum quòd in coniecturanda voluntate testatoris ponderatur initium exclusiuum vsusfructus in patre, hoc modo quòd sicuti voluit quòd si pars hæreditatis staret pro congrua sustentatione solius hæredis vsque ad ætatem annorum 25. idem voluerit de tota hæreditate post dictum tempus cessante prohibitione. 8

Tertia coniectura colligitur ex legato scut. 50. Antonio patri facto, cui cùm prouisum fuerit, videtur testator voluisse quòd patri non acquireretur vsusfructus Bart. *in l. si vsusfructus. §. si ita quis. ff. quando dies leg. ced.* & quamuis legatum non sit annuum, & per consequens tenue, nec respondeat quantitati vsusfructus, nihilominus non tollit separatam prouisionem, in qua residet coniectura voluntatis testatoris, vt filius haberet plenam hæreditatem. 9

Et ex prædictis videbatur satis apparere de vo-

luntate testatoris, ne vsusfructus patri acquireretur, vel saltem ad eum statum causa reducta, vt incertus esset illius euentus, quo casu bene tenet transactio in quantitate scutorum 200. conuenta, præsertim inter patrem & filium, vt ponderatum fuit in Romana domorum 10. Iunij 1615. coram R.P. D. Vbaldo.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Bisignanen. pensionis. Lunæ 26. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Alimenta, & sumptus litis debentur constito de paupertate, & præsumptione boni iuris: paupertas autem benè censetur probata per votum paupertatis, à quo quis per promotionem ad Episcopatum non liberatur. De vi, effectu & materia clausulæ in reseruatione pensionis apposita; dummodo remaneant mille pro Episcopo: nonnulla notanda de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Alimenta & sumptus litis debentur litiganti data eius paupertate, & præsumptione boni iuris, num. 1.

Pensio reseruata ad effectum vt pensionarius se decentius alere possit æquiparatur alimentis, ibid. in fine.

Episcopus non liberatur à voto paupertatis per promotionem ad Episcopatum, num. 6.

Pensio reseruata, dummodo mille remaneant libera resignatario, si non iustificetur, non infligitur reseruatio, sed pensio reducibilis est, num. 3.

Solutio præsumitur facta de mandato eius cuius erant pecuniæ solutæ, quando est soluta notabilis pecuniarum quantitas, num. 4.

Papa præsumitur informatus de sufficienti valore in collatione Ecclesiarum, n. 6.

Pensio reseruata cum clausula, dummodo remaneant mille pro Episcopo, *an & quando faciat reseruationem conditionalem, num. 7. vbi etiam quæ probatio sufficiat pro iustificatione huius clausulæ.*

Clausula arbitrio iudicis, *temperat rigorem iuris, quando est concessa iudici aliàs iurisdictionem habenti, num. 8.*

Alimentorum taxatio, & æstimatio plurimum, iudicis arbitrio remissa est iuxta personæ qualitatem, & conditionem, num 9.

DECISIO DXLVIII.

1 Responsum fuit per Dominos esse locum arbitrio, itaut Reuerendissimus modernus Episcopus Bisignanen. teneatur subministrare Reuerendissimo Fratri Bernardo, olim eiusdem Ecclesiæ Episcopo, alimenta, & sumptus litis, cùm concurrant paupertas, & præsumptio boni iuris, iuxta tradita per Couar. *practicar quæst. cap. 6. sub num. 6.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 35. num. 2. 4. & 32.* Surd. *de aliment. tit. 1. quæst. 110 num. 8. & quæst 120 num. 3. & seqq.* Cardin. Seraphin. *decis. 1098. num. 1.* & vt quotidie per Rotam seruatur; maximè cùm pensio, de qua agitur, fuerit reseruata ex causa resignationis factæ in manibus Sanctissimi per eundem Fratrem Bernardum ad fauorem q. Ioan. Iacobi, ad hoc vt dictus Fr. Bernardinus statum suum iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentiùs tenere valeat, & ad id prouidendum de alicuius subuentionis auxilio. quæ pensio propterea alimentis æquiparatur, vt ex Roman. *consil.* 388 *num. 3.* dixit Crescen. *decis. 3. num. 5. de solutionibus.*

De paupertate non fuit dubitatum, & nihilominus illa bene probatur ex testibus deponentibus tam ante promotionem ad Episcopatum, quàm post illius resignationem factam dicto q. Io. Iacobo de anno 1607. immò de ea expresè constat ex eo solùm, quòd idem Fr. Bernardinus est Regularis professus Ordinis Prædicatorum, & sic mendicantium, & consequenter emisit votum paupertatis, à quo non fuit liberatus per proportionem ad Episcopatum, iuxta doctrinam Sancti Thomæ 2. 2. *quæst. 185. artic. 8.* & est text. *in can. de Monachis 16. quæst. 1.* & ibi gloss. *in verbo discedere,* & Ioan. de Turrecrem. *num. 2. & 3.* Franch. *in cap. quorundam n. 6. de electionib. in 6.* Ias. *in l. si quis mihi bona § seruus municipium n. 4. ff. de acquiren. hæred.* & tradunt ferè omnes summistæ, Armilla *in verbo Monachus num. 6.* Pisanell. *in verbo Religio §. 1. Vtrùm Religiosus factus Episcopus,* Thabien *in verbo Episcopus n. 7.* & Azor. *Instit. moral. lib. 12 cap 7. quæst. 2. part 1.*

De præsumptione autem boni iuris satis apparere visum fuit, cùm in dicta resignatione Ecclesiæ fuerit ex consensu resignatarij per Sanctissimum reseruata annua pensio scut. 1050. Et licèt addita fuerit clausula, *Dummodo scuta mille monetæ Neapolitanæ eidem resignatario libera remaneant.* Illa tamen quatenus non iustificaretur, non infringit reseruationem, sed pensio esset reducibilis, itaut resignatario remaneant dicta scuta mille. Rom. *consil. 369. à num. 25. vsque ad 30.* & tenuit Rota *decis. 1160. lib. 3 part. 3. diuersor.* Crescen. *decis. 17. aliàs 233. de rescript.* in Vicentin. pensionis 28. Iunij 1591. coram Cardinali Mantica; in Lucana pensionis 17. Februarij 1592. coram Orano, & in Campanien. pensionis 22. Iunij 1609. coram Iusto, in quibus etiam aliæ referuntur, & post alios tradit Paris *de resignat. beneficiorum lib. 6. q 2. n. 144.* cum cumulatis per Garz. *de benefic. part. 1. c. 5. n. 419. & seqq.*

Sed nihilominus plura cócurrunt, ex quibus Dominis visum fuit resultare sufficientem præsumptionem quòd remaneant etiam dicta scuta mille, non obstante solutione pensionis, & sic sufficientem boni iuris præsumptionem. Et primò solutio scutorum 840. bol. 97. ad computum dictæ pensionis facta in primo anno pro dicto Episcopo Io. Iacobo resignatario in summario Fr. Bernardini *num. 2.* Quę tanquam summæ notabilis, præsumitur facta de illius mandato, & de eius pecuniis, vt in terminis de soluente pensionem nomine alterius. Cardin. Mantic. *de tacit. &c. lib. 7. tit 6. numer. 3.* quem refert Gratian *discept foren. 296 sub numer. 20.* Quam ipse verisimiliter non fecisset, nisi valor fuisset pro pensione sufficiens, vulgata, *l. cùm indebito. ff de probat.* & considerauit Rota in Neritonen. pensionis 7. Aprilis, & 3. Iulij 1606. coram Illustrissimo D. Cardinali Ludouisio. Et licèt facta fuerit sine præiudicio iurium Episcopi soluentis, tamen visa fuit sufficiens, cùm non agatur ad constituendum pensionarium in quasi possessione exigendi, sed ad ostendendum præsumptio-

ſumptionem boni iuris pro ſubminiſtratione alimentorum.

5 Secundò quia poſt mortem dicti Epiſcopi Ioan. Iacobi reſignatarij, idem Epiſcopus Fr. Bernardus, præuia verificatione annui redditus Eccleſiæ pro annis 1607.1608.& 1609. vt in dicto eius ſummario *num*.3. obtinuit ſibi à Reuerendiſſimo Nuntio Neapoli conſignari in tribus vicibus ſcuta 1800. vt in dicto ſummario *num*.4.

6 Tertiò accedit etiam quòd Sanctiſſimus præſumitur informatus de ſufficienti valore ex proceſſu ſolito fieri in collatione Eccleſiarum Epiſcopalium, ne nimis grauentur, vt conſiderauit Rota in Carpentoraten. penſionis 15. Martij 1601. coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Lancellotto, & in Cremonen. penſionis 23. Ianuarij 1612. coram R. P. D. meo Caualerio. Et hîc ex teſtibus ad inſtantiam dicti Epiſcopi reſignatarij examinatis in collatione ſibi facta conſtitit valorem annuum aſcendere ad ſcuta 2500. in circa, detractis tamen duabus aliis penſionibus antea reſeruatis.

7 Nec obſtare viſum fuit clauſulam, Dummodo remaneant mille pro Epiſcopo, quæ facit reſeruationem conditionalem, & donec iuſtificetur nullum ius tribuit, vt fuit dictum in Aretina penſionis 24. Maij 1599. coram Litta. Quia hîc non agitur (vt dictum eſt) ad effectum ſolutionis penſionis (prout in dicta Aretina) ſed ſolùm ad effectum præſtationis alimentorum, & ſumptuum litis, in quo plena probatio non requiritur, ſed ſufficit vel ſemiplena. Gabr. *conſ*.25.*n*.2 *lib*.1. Surd. *de aliment. dict. tit*. 1. *qu*. 112. *num*.21. Ac etiam vnus teſtis, vt poſt Bart. & Couarr. Surd. *ibid. num*.22.

Vel aliud, ex quo ſuſpicari poſſit victoriam ad actorem pertinere. Alciat. *de præſumpt. reg*.3. *præſumpt*. 9. *num*. 9. *&* 10. latè Cephal. *conſ*.127. *num*.11. *verſic. ad tertium*.

8 Quæ tanto magis procedere viſa ſunt, ſtante clauſula *arbitrio*, quæ conceſſa iudici aliàs iuriſdictionem habenti temperat iuris rigorem, vt per Rot. in Romana Cottiuij 6. Martij 1606. & in Romana aperitionis oris 8. Martij 1613. coram R. D. meo Damaſceno, & in Narnien. confinium 7. Aprilis 1608. coram R. D. meo Decano.

9 Quia verò in taxatione, & æſtimatione alimentorum plurimum iudicis verſatur arbitrium, *l. fin. C. de ordin. cogn*. Aym. *conſil*.189. *nu*.10. Benintend. *deciſ*. 43. *n*.2. & poſt alios quos allegant Menoch. *de præſumpt. lib*.1. *dicta quæſt*.35. *num*.35. *& de arbitr. lib*.2. *centur*.2. *caſu* 169. *verſic. ſimile etiam, & nu*.11. Surd. *de alimentis tit*.4. *quæſt*.23. *num*.41. qui loquitur in alimentis præſtandis lite pendente, & Rota in Romana bonorum de Ceulis 19. Martij 1585. coram Orano, & in aliis paſſim. Ideo Dominis attenta (prout ſecundùm prædictos attendi debet in hac materia) qualitate, & conditione perſonæ dicti Epiſcopi Io. Bernardi, viſum fuit arbitrari dicta alimenta, & ſumptus litis ad annuam ſummam ſcutorum 400. À die tamen petitionis, cùm aliàs videatur eum non poſſe viuere cum decore. Præſertim, quia ipſe ab anno 1610. citrà, de quo prouiſus fuit modernus Epiſcopus, nihil penitus percepit.

Et ita deciſum.

R. P. D. PIROVANO.

Lucerina cenſus 26. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Scriptura, quando dicatur legitimè extracta, & eſſe in forma probanti.

SVMMARIVM.

Scriptura ad hoc vt legitimè extracta in vim compulſoriæ cenſeatur, quæ ſolemnitates requirantur, num.1.

Scriptura ſi non ſit extracta à ſuo originali, ſed ab alio exemplo non probat, etiam ſi primum exemplum ſit ſolemniter extractum n.2. *vide n*.3.

Inſtrumenta in actis producta non faciunt fidem, niſi recognita ſit identitas manus Notarij, n.4.

Notario ſucceſſori in officio, aſſerenti ſcripturas repertas fuiſſe in originalibus ſui anteceſſoris creditur eodem modo, prout de exemplatis à propriis originalibus, num.5.

Scriptura etiam informis probat ſi fuerit exemplata præſente Procuratore ex aduerſo, & non opponente, num.6.

Scriptura quòd ſit de officio alicuius Notarij, & extracta ex eius actis, & authenticata illius manu, poteſt probari per depoſitionem teſtium, n.7.

DECISIO DXLIX.

Dictum fuit ſub die 18. Decembris 1615. iura non eſſe in forma probanti, quia coram iudice compulſore omiſſa fuerat citatio ad videndum iurare teſtes ſuper recognitione ſcripturarum, ſed cum iterata compulſatione, prætenderetur ſeruatam eſſe prædictam ſolemnitatem, denuo ſuſcepi eandem diſputationem, in qua Domini reſponderunt, iura eſſe in forma probanti. 1

Conſtat enim de legitima extractione, dum facta fuit vigore compulſorialium, partiſque citatione, ad videndum exhiberi notam ſcripturarum extrahendarum, & inſtrumenta, aliáque iura in ea notata extrahi, & collationari, executa die 5. Octobris pro die 10. eiuſdem menſis, quo facta fuit dicta exhibitio, extractio, & collatio, & exinde die 15. eiuſdem menſis, fuit exequuta alia citatio ad videndum accedi ad officia Notariorum pro dicta exhibitione facienda, & earundem ſcripturarum recognitione, iurare teſtes pro die 17. eiuſdem menſis, qua die fuerunt omnia adimpleta, ex quibus dubitari non poteſt de forma probanti ſcripturarum productarum ſecundùm praxim curiæ, de qua per Veſtr. *lib*. 6. *cap*.1. *num*.14. & in multis deciſionibus recepta, vt in Abulen. iuriſdictionis 17. Iunij 1585. coram Orano, & in Vicentina feudi 26. Februarij 1597. coram Corduba, & in montis Regalis iuriſdictionis 14. Nouembris 1597. coram bon. memor. Pegna. 2

Non obſtat quòd ſcripturæ prædictæ non ſint extractæ à ſuo originali, ſed ab alio exemplo, quæ non probant, etiam ſi primum exemplum fuerit ſolemniter extractum ab originali. Couarr. *practicar. quæſt. cap*.21. *n*.4. 3

Quia aduertendum eſt quòd inter ſcripturas compulſandas adſunt inſtrumenta publica & proceſſus, & quoad inſtrumenta ex facto ſoluitur obiectum, quia iudici fuerunt exhibita per Iulium Auerſanum in eius officio originalia Nicolai Antonij Burentini cum inſcriptione, Hic eſt liber Protocolli mei Notarij Nicolai Antonij Surentini anno 1549. & 1550.

in quo fuit repertum instrumentum 9. Maij 1550. per Spataforam productum, & in officio Io. Baptistæ de Porta fuerunt præsentata eidem iudici duo Protocolla Consalui Calefacti, vnum de anno 1565. & 1566. & alterum de anno 1567. & 1568. in quibus fuerunt reperta instrumenta 17. Decembris 1565. & 4. Maij 1568. similiter per Spataforam producta.

4 Neque releuans exceptio videbatur quòd originalia prædicta non fuerunt recognita esse eorumrundem Surentini & Calefacti, quia non agitur de instrumentis quæ prætendantur exemplata ab eisdem Notariis, vbi potest dubitari quòd Legalitas personæ publicæ ab aliis simili auctoritate carentibus fuerit immutata, vel falsè supposita, quæ propterea egent recognitione identitatis manus, vt per Oldrad. *cons.* 227. *num.* 6. & ponderatum fuit in causa Iacen. portionis 12. Ianuarij 1604. coram Illustrissimo Mellino, & in Carthaginen. translationis pensionis 19. coram R.P.D. Manzanedo, & in Perusina bonorum 22. Iunij 1605. coram Reuerendissimo Episcopo Lugdunen.

5 Sed de instrumentis à successore in officio traditis, cuius assertioni statur, quòd illa inter scripturas originales sui antecessoris repererit, Seraphin. *decis.* 1334. *nu.* 4. Et eodem modo creditor prout de exemplaris à propriis originalibus crederetur. Zabarell. *consil.* 72. *num.* 7. & de stylo creditur quando Notarius in sua scriptione asserit se Notarium, vel successorem in officio, vel extraxisse ab aliquo originali, cùm asserat ea quæ ad eius officium pertinent. Caputaq. *decis.* 245. *&* 246. *part.* 2. & fuit firmatum in causa Mediolanen. decimarum Sancti Donati 23. Ianuarij 1612. coram me.

6 Præterea dicebatur, instrumenta fuisse exemplata præsente Procuratore Lolij, & non opponente, quo casu scriptura etiam informis probat. Bart. *in auth. si quis in aliquo, nu* 10. *C. de eden.* Caputaq. *decis.* 99. *n.* 3. *&* *decis.* 234. *part.* 2.

7 Quo verò ad duos processus repertos, vnum in banco Iacobi Pinti, alterum in banco Hieronymi de Amico, testes examinati concludunt se bene nosse scripturas officiorum vniuscuiusque respectiuè Notarij, & copias ostensas & exhibitas ipsismet testibus, fuisse extractas ex processibus existentibus, in prædictis officiis, & authenticatas per manum dictorum Notariorum.

Non obstat quòd acta non fuerint extracta à suis originalibus, sed ab aliis exemplis productis in dictis officiis ex aliis processibus, & inter alias personas agitatis, quæ non probant. Quia respectu legitimæ extractionis, de qua quæritur, dubitari non potest quin probent indemnitatem actorum eo modo quo fuerunt reperta in officiis dictorum Notariorum. Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P.D. VEROSPIO.

Romana pecuniaria. Lunæ 26. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Creditor, cui solutum debitum ab alio euincitur, redire potest ad primæua iura, & in dubio solutio præsumitur facta ex causa recentiori, & necessaria potiùs, quàm antiqua, & necessaria.

SVMMARIVM.

Instrumentum Camerali obligatione vallatū habet, executionē paratam, & facit probationem probatam, n. 2.

Indebita solutio habetur pro non solutione, n. 3.

Creditor à quo soluta à debitore euincuntur, potest ad primæua iura redire, ibid.

Solutio in dubio censetur facta pro debito recentiori, & pro causa necessaria potius, quàm voluntaria, n 4.

Soluens metu mandati sibi non praiudicat per solutionem, n. 6. in fine.

DECISIO DL.

DE anno 1591. Cinthius Cellius super Notariatu quem habebat ad societatem officij, recepit à quondam Matthæo Boccarino aurea scuta 600. cui societati tāquam principalis accessit D. Valerius Vrsinus, qui bonam fidem recognouit, & Cinthium indemnem releuare promisit: finita per venditionem officij societate Boccarinus contra Cinthium egit pro restitutione pecuniarum, & mandatum executiuum obtinuit: postea mortuo D. Valerio & per Congregationem Baronum vendita illius hæreditate Paulo Æmilio Vrsino, qui accedente Illustrissimo Cardinali Cusentino tanquam fideiussore promisit omnibus Valerij creditoribus satisfacere, Cinthius pro liberatione à molestiis occasione dictæ societatis egit coram eadem congregatione Baronum, & obtinuit ab Illustrissimo Cardinali Cusentino sibi resignari loca septem Montis Cancellariæ pro pretio scutorum septingentorum vigintiquatuor in dictæ societatis extinctionem, obtenta tamen a b eodem Boccarino iurium cessione. His peractis fuit per Illustriss. Cardinalem Ludouisium tunc Rotæ Auditorem pronunciatum nullam fuisse Pauli Æmilij obligationem, & propterea condemnati fuerunt hæreditatis Valerij creditores, pecunias sibi solutas restituere. 1

Vnde cùm nec Boccarinus dictam restitutionem effugere potuerit, eo mortuo illius hæredes societatis creditum ab hæredibus Cinthij repetierunt, & causa coram me introducta, dubitaui, an Cellij tenerentur Boccarinis illud soluere? Et fuit per Dominos affirmatiuè resolutum. Nam de credito constat per instrumentum societatis obligatione Camerali vallatum, in quo Cellius ad Boccarini fauorem obligatus reperitur, quod instrumentum probationem probatam facit. *l. cum precibus, C. de probat.* Bald. *in l. Imperator, num.* 13 *ff. de stat. homin.* Ias. *in l.* 1. *num.* 10. *ff. de nou. oper. nunciat.* Francisc. Marc. *decis.* 511 *num.* 2 *part.* 1. Grammat. *decis.* 103. *num.* 1. Seraph. *decis.* 1134. *num.* 2. 2

Nec valet dicere per solutionem eidem Boccarino factam à Cellio societatis obligationem euanuisse, ex deductis enim apparet ipsum Cellium cum pecuniis D. Cardinalis Cusentini tanquam fideiussoris Pauli Æmilij persoluisse. Vnde stante nullitate obligationis dicti Pauli Æmilij, cùm postea Boccarinus huiusmodi pecunias fuerit coactus restituere, perinde est ac si solutio facta non fuisset. *l. cùm is,* §. 1 *ff. de cond. indeb.* Castren *consil.* 180 *num.* 1. *versic. quia cum dicta solutio, lib.* 2. Gabr. *consil.* 36. *n.* 66. *lib* 1. Surd. *decis.* 51. *num.* 19. *& seq.* & proinde licuit Boccarino tanquam ipsi non facta irreuocabiliter solutione ad primæua iura redire. *l. Titius, l. referre.* §. *fin. & l. sed reuocata, ff. de iure fisci. l. si quis aliam, ff. de solut.* 3

solut.l.si rem,ff.eod. Bart.*in d.l.si quis aliam,n.2.vers. si vero datur genus.*Bald.*in l.libera,nu.6.C. de sent. & interloc.omn.iud.* Afflict.*decis.*8.*in fine.*Surd.*cons.*145. *n.*34.*& seq.lib.*1.Gabr.*cons.*36.*n.*66.*lib.*1.

4 Non obstat D.Cardinalem non soluisse tanquam Pauli Æmilij fideiussorem, sed vti tertium ad iuriū cessionem obtinendam, tum quia solutio ad extinguendum debitum facta censetur non pro noui crediti constitutione, Aret.*cons.*35.*num.*3. Aym.*cons.*158. *n.*13.Decian.*cons.*60.*n.*29.*lib.*2. Tum etiam, quia præsumitur quis in dubio ex causa necessaria potius, quàm voluntaria persoluisse. Bart.*in l.solet,§.non verò,ante n.*5.*vers.ego dico,ff.de offic.procons.* Ruin.*cons.* 61.*n.*9.*lib.*1.Aret.*cons.*35.*n.*3. Aym.*cons.*106.*n.*8. Surd. *decis.*15.*n.*13.*& seq. & decis.* 170.*n.*14. Menoch. *lib.*4. *præsumpt.*70.*n.*4. Rot.*decis.*591.*n.*4.*part.*1.*diuers.* Seraph.*decis.*339.*num.*5.*& decis.*1425.*n.*2.

5 Vnde sequitur Cardinalem tanquam Pauli Æmilij fideiussorem soluisse vt à molestiis liberaretur sibi occasione dictæ societatis illatis, non vt nouum creditum contra Valerij hæreditatem acquireret. Tanto magis, cùm illam optimè sciret ære alieno summopere grauatam.

Et quod omnem difficultatem remouet, ex quo Cellius egit in congregatione Baronum pro huius societatis extinctione, & obtinuit sibi de pecuniis Cardinalis satisfieri, cum promissione de illis in huiusmodi societatis extinctionem erogandis, manifestè patet Cardinalem vti fideiussorem, non tanquam tertium persoluisse.

6 Non obstat eundem Cardinalem agere non potuisse contra Boccarinum, cùm nihil illi soluerit, & proinde ipsum Boccarinum vti malè condemnatum ad restitutionem redire non posse contra Cellium ad primæua iura. Nam ex quo Cardinalis Cellio soluit vt Boccarino satisfaceret, & ab eo cessionem iurium in sui fauorem consequeretur, nec non suas pecunias probauerit ad manus eiusdem Boccarini principalis creditoris peruenisse, bene contra illum agere potuit. Vltra quòd apparet Boccarinum omnem adhibuisse diligentiam, vt restitutionem istarum pecuniarum euitaret, interpellauit enim Cellium vt se defenderet, plurimum obstitit, & tandem metu mandati soluit, vnde benè contra Cellium debitorem agere valet. gloss.*in l.ait prætor, §.permittitur.vers.imputandum.ff.de minor.* cum aliis per Menoch.*de arbit.iud.cas.*137.*n.*13.*& cons.*68.*n.*12.*& seqq.*

7 Non obstat Cardinalem non soluisse pecuniam, sed loca septem montis Cancellariæ pro huius debiti extinctione resignasse, & per consequens tanquā species pro pecunia data fuerit Boccarinum ad primæua iura non posse redire. Cessat enim difficultas, cùm dicta loca montium data non fuerint vti species, sed pretium ex illis redactum Boccarino fuerit solutum, vnde regressus ad primæua iura impediri non potest, ex allegatis. Et denique non obstat hodie pariter in Rota controuerti an Paulus Æmilius & D.Cardinalis fideiussor solutum dictis creditoribus repetere voluerint. Nam quicquid sit de hoc ad effectum de quo agitur, satis est Boccarinum in vim dictæ sententiæ fuisse coactum pecunias acceptas restituere, &c.

REVERENDISSIMO P. D.
VEROSPIO.

Neritonen.habitus. Lunæ 26.Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Nobilitas multis modis probatur, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Nobilitas censetur probata ex communi reputatione, n. 1.*in fine.*

*Nobilitas probatur per publicam vocem, & famam, num.*2.

*Nobilitas dicitur probata ex eo quòd quis est admissus ad gradus, honores & munera nobilibus tantummodo conferri solita, n.*3.

*Nobilitas probatur per enunciatiuas emanatas à Summis Pontificibus & Regibus, n.*4.

*Nobilitas probatur ex feudorum concessione, & inuestitura, n.*5.

*Nobilitas nunquid probetur per ciues ciuitatis, n.*6.

*Notarij nunquid dicantur nobiles, n.*7.

DECISIO DLI.

Viso coram me sub die 24. Aprilis præteriti acta per Scipionem Massam transportata esse integra, necnon in forma probanti, fuit per Dominos, præuia dubij propositione, resolutum ex eisdem actis apparere, dicto Scipioni fuisse Religionis Hierosolymitanæ habitum iniustè denegatum, cùm ex testibus à Commissariis examinatis, illius nobilitas nomine, & insignibus iuxta religionis stabilimenta probetur, deponunt enim, Scipionis parentes, & auos ac alios de quatuor familiis, videlicet Massa, Nestorea, Sambrina, & Vita, à quibus ille descendit, ab antiquissimo tempore, & citra semper nomine, & insignibus in ciuitate Neritonen. extitisse nobiles, & se vti tales gessisse, ac ab aliis fuisse reputatos, ex quibus bene probatur Scipionis nobilitas. Bart. *in l.*1.*num.*101.*C.de dignit.lib.*12. Felin.*cap.super eo il* 2.*num.*5.*vers.tamen dicas, de testibus,* Socin.*cons.*246. *num.*3.*lib.*2. Cassan.*cons.*604. Couar.*var. resolut. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 16. Menoch. *de arbitr. iud. lib.* 2. *cas.* 670.*n.*4.

Cùm præsertim testes de publica voce, & fama huius nobilitatis deponant. Bart. *in d. l.* 1. *num.*101. *C. de dignit. lib.* 2. Alexand. *in addit. ad Bart. in l. de minore, §.plurimum, in verbo, vana vox, ff. de quæstoribus.* Iason. *in repetit. l. admonendi, nu.*28.*ff. de iureiur.* Menoch.*cons.*829.*n.*14.*&* 15. Guido Pap. *cons.* 217.*in princip.& decis.*196. Socin. iunior *cons.* 246.*num.*3. *lib.* 2. Tiraquell. *de nobilit. cap.*10. *num.* 8. Caputaq. *decis.*6.*part.*2.*& decis.* 277.*part.* 1. & fuit dictum in Giennen. portionis 25. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Caualerio. 2

Et semper istos dicant admissos fuisse ad gradus, honores, & munera nobilibus tantummodo solita conferri, Bart. *in d. l.* 1. *num.*46. *C. de dignit.lib.*12. Saluian.*cons.*30.*num.*42.Decian.*cons.*65.*nu.*50.*& seq. lib.*3.Seraph.*decis.*355.*num.*6.*& decis.*207. *num.* 4. & fuit dictum in Comen. habitus 9. Iunij 1610. coram R.P.D. meo Pirouano. 3

Quorum testium dicta corroborantur etiam ex iuribus pro Scipione productis, in quibus antiquissimæ dantur enunciatiuæ à Summis Pontificibus, ac Regibus emanatæ, vbi dictarum familiarum viri Sedis Apostolicæ Regis, & Regni officiales, necnon familiares, & nobiles nuncupantur. 4

Caſſan. *de gloria mundi p.8 conſiderat,19.* Purpur. *in l.1.col.18.* vbi omnes, *ff.de officio eius*, Decian. *conſ.7. n.20.verſ.non obſtat lib.3.*

5 Accedunt prætereа nonnullæ feudorum inueſtituræ aliquibus ex dictis familiis factæ & præſertim vna de anno 1525. ad fauorem Altobelli Maſſæ aui paterni Scipionis; ex quibus nobilitas probatur, Bart. *in d.l.1.num 46 C.de dignit.lib.12* Imol. *in cap. de mult.de preb.in fine*, Siluan. *conſ.30. num. 42.* Bald. *conſ.129.num.4. lib.2.* Socin. *conſ.246. numer.3.lib.2.* Caſtr. *conſ.107.in princ.lib.2.*

6 Adſunt quoque fides ciuitatum Neritonen. Brondusij, Gallipoli, & Leuci de antiquiſſima nobilitate iſtarum familiarum atteſtantes, quaſi ad corroboranda ſaltem dicta teſtium inſeruiunt, vt fuit dictum in Conchen. beneficij 4. Februarij 1608. coram Reuerendiſſimo D. meo Damaſceno, & in Meliten. habitus 10. Iunij 1609. coram R.P.D. meo Caualerio.

7 Non obſtat in defectum nobilium aliquando fuiſſe Notarios in conſiliis admiſſos, id enim iuxta teſtium depoſitiones fuit, vt darent nobilibus votum, non quòd per iſtam admiſſionem fuerint ipſi nobiles reputati. Et in omnem euentum iidem teſtes deponunt, Scipionem à veris nobilibus dictæ ciuitatis non à Notariis deſcendere.

8 Nec releuat ſatisfactum non fuiſſe Religionis ordinationi, mandantis commiſſiones perſonaliter per petentes habitum præſentari. Nam vltra quòd de tali ordinatione non conſtat, cùm tamen ſuper hoc acta confici non conſueuerint, vt fuit in hac eadem cauſa deciſum, negatiua probari non valet, Scipionem videlicet perſonaliter commiſſionem non præſentaſſe.

9 Non obſtat prætenſus defectus iuramenti commiſſariorum. Quia cùm ab ipſa Religione iſti ſint deputati, & de iuramento iuxta conſuetudinem dato atteſtentur, videtur ſtandum in hoc illis tanquam perſonis qualificatis, ſaltem contra Religionem, quæ ipſos deputauit, aliàs huiuſmodi Commiſſarij ex induſtria poſſent aliquando in partium præiudicium malè ſe gerere.

10 Verùm, quia pro parte Religionis excipiebatur, prædictos teſtes non iuraſſe, & ſic de nullitate huius examinis dabatur, Domini voluerunt ſuper hoc partes audire.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Imolen. reſciſsionis contractus. Lunæ 26. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Læſio ad effectum reſcindendi tranſactionem qualis & quanta eſſe debeat; & in tranſactione iudicis decretum appoſitum facit præſumere omnia benè geſta; & quid de tranſactione facta à minore, aſſerente, & iurante ſe non habere conſanguineos; quíſnam probare debet exiſtentiam conſanguineorum, & habilitatem interueniendi de tempore contractus.

SVMMARIVM.

Læſio tranſactionis debet conſiderari inſpecto dubio litis euentu; & debet eſſe enormiſſima in magno exceſſu vltra dimidiam, n.2.

Decretum iudicis facit præſumere contractum fuiſſe cautè geſtum, n 3.in fin.

Minoris contractus ſi nullus prætendatur ob non interuentum conſanguineorum, cùm conſanguineos haberet, quis debet probare exiſtentiam conſanguineorum; præſertim ſi minor iurauit ſe non habere conſanguineos, n.4.

Inſinuatio ſuppletur per præſentiam iudicis, & non requiritur in tranſactione, n.5.

DECISIO DLII.

Domini dixerunt obligationes fratrum de Carantibus ad fauorem creditorum ſuorum ſuſtineri, & ſic ſtandum in deciſis, cùm fuerint factæ ſeruatis ſeruandis, & cum ſolemnitatibus à ſtatuto Imolenſis requiſitis in contractu minorum, & ex iuſta cauſa. Nam Baldaſſar illorum pater emerat ab Alexandro quædam prædia, & ſoluta parte pretij remanſit illius debitor in ſcutis 1100. quæ prædia vnà cum aliis bonis poſtea fuerunt à Baldaſſare tanquam fideiuſſore Pentiis à Camera Apoſtolica auocata, & demum ceſſa ipſius filiis pro ſcutis 9000. qui illa vendiderunt pro ſcutis 20000. & ſatisfecerunt dictæ Cameræ, & de eo quod ſupererat, emerunt ſtabilia & cenſus, ſuper quibus cùm moleſtarentur à creditoribus paternis, & præſertim ab Alexandro, qui ratione venditionis dictorum prædiorum remanebat creditor in dictis ſcutis 1100. & ſequeſtrauerat fructus iſtorum cenſuum. Ad ſe eximendum à dictis moleſtiis tranſegerunt cum Alexandro, & aliis creditoribus, & conuenerunt, vt ille ex fructibus cenſuum conſequeretur ſcuta 200. annua, donec eſſet ſatisfactus, & eodem etiam modo promiſerunt ſoluere aliis creditoribus, & dixerunt velle illis de proprio ſatisfacere, quia ſic ſibi de rebus propriis facere placet. 1

Cuius quidem tranſactionis cauſa ſatis iuſta & vtilis videtur, cùm Alexander potuiſſet ſtatim ſuum creditum conſequi, & nihilominus tranſigendo contentus fuit ſcutis 200. annuis tantùm vſque ad integram ſatisfactionem, prout & cæteri creditores, quibus dicta bona erant hypothecata, potuiſſent eos moleſtare, qui ſolus timor litis futuræ ſufficeret ad ſuſtinendam tranſactionem. *l.2.C.de tranſactionib.* Nec poſſet reſcindi ſub prætextu læſionis, quia ad iſtum effectum debet conſiderari dubius litis euentus. Bart. *in l.ſi quis cùm aliter, num. 5.ff.de verb. oblig.* Honded. *conſ.34.num.55. lib.2.* Seraphin. *deciſ.638.num.9.* Et læſio deberet eſſe enormiſſima in magno exceſſu & vltra dimidiam. Corn. *conſ.166. num.11.lib.1.* Dec. *in l.cùm te, ſub num. 1. C. de tranſactionib.* Cagnol. *in l.2 num 80. C. de reſcind. vendit.* Odd. *de reſtit.in integ., part.2.quæſt.66.art.4.num.20* Mantic *de tacit.& ambig lib. 26. tit.9. num. 29.* Put. *deciſ.225.lib.1.ſecundùm nouam impreſſionem.* Rot. *deciſ.102. n.2.part.1.diuerſ.* 4

Vlteriùs cùm dicti fratres vſi ſint tranſactione pro relaxandis ſequeſtris factis ad inſtantiam Alexandri, qui illis renunciauerat in tranſactione, ſatis æquum videtur, vt eam in cæteris obſeruent, cùm præſertim illam obſeruauerint cum Vincentio altero 5

altero ex creditoribus, cum quo etiam fuit inita dicta transactio. Quibus accedit transactionem fuisse factam cum decreto iudicis, quòd facit præsumere actum fuisse cautè gestum; vt in proposito considerat Bald. *cons.* 448. *in fine lib.* 1. Bec. *cons.* 52. *nu.* 13. Surd. *cons.* 451. *n.* 28.

Nec obstare quòd ex testibus datis constet hos fratres habere consanguineos, & ideo illi debebant interuenire in transactione, non autem officialis bolettarum, qui solet adhiberi in illorum defectũ. Quia dicti testes deponunt de tempore præsenti, non autem transactionis, prout requiritur, & in contrarium adest assertio iurata ipsorum fratrum, cui videtur standum donec concludenter probetur existentia consanguineorum, necnon præsentia & habilitas ad interueniendum de tempore transactionis, ex adductis in decisione.

5 Minus facit defectus insinuationis, tum quia suppletur per præsentiam iudicis. Paris. *cons.* 96. *num.* 40. *lib.* 1. Surd. *cons.* 385. *num.* 30. Gabr. *de donat. conclus.* 1. *num.* 46. *& seq.* tum etiam, quia non versamur in donatione, sed in transactione, in qua insinuatio non est necessaria, cùm non sit tanti præiudicij propter litem & eius dubium euentum.

R. P. D. PAMPHILIO.

Toletana admissionis. Lunæ 26. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Capellani ad nutum amouibiles non debent præcedere Rectores & beneficiatos perpetuos.

SVMMARIVM.

Breue, & litteræ Apostolicæ intelligendæ sunt prout de iure, num. 1. in fine.

Capellani ad nutum amouibiles, non iure proprio, sed iure Collegij à quo deputantur, vtuntur, & ideo non præcedunt Rectores & beneficiatos perpetuos iure proprio vtentes, n. 2. & 3.

DECISIO DLIII.

1 PRoposui dubium super eo particulariter, an Capellani ad nutum amouibiles præcedere debeant Rectores & beneficiatos perpetuos, in casu & ad effectum de quo agitur? Et Domini negatiuè responderunt ex rationibus sub die 4. Iulij 1614. in decisione adductis, & præcipuè ex eo, quia in Breui per Collegium Compluten. à fel. record. Clemente VIII. obtento conceditur, quòd Capellani ad nutum amouibiles, qui pro tempore per ipsum Collegium in parochialibus Ecclesiis, & aliis eidem Collegio vnitis apponuntur, quamdiu beneficiis huiusmodi deseruiunt Congregationibus titularium Rectorum, & beneficiatorum reliquarum parochialium *cabildos* nuncupatarum, cùm aliis Clericis beneficiatis prædictis interesse possint; quo verò ad præcedentiam nihil expresse in eo disponitur, ideo quoad eam Breue præfatum visum intelligendum prout de iure, iuxta *l. quæro*, §. *inter locatorem*, *ff. locati.* Anchar. *cons.* 6. *n.* 8.

2 De iure autem cùm Capellani ad nutum amouibiles non iure proprio vtantur, sed iure Collegij, à quo deputantur, ad not. per Vitalin. *in Clement. vnic. num.* 22. *& seq. de offic. Vicar.* Lap. *allegat.* 5. *num.* 3. *vers. secus in temporal.* Rectores & beneficiati perpetui, qui iure proprio vtuntur, & ex persona propria dignitatem habent, dicuntur habere ius potentius & dignius. Iason. *in l. mora, num.* 4. *ff. de iurisd. omn. iudic.* & quòd fortior sit dignitas, quam quis habet pro se, quàm illa quam quis habet per alium, dicit Bart. *in l. quod Principi, in fine, ff. de leg.* 2. Dec. *in l.* 2. *num.* 3. *ff. de reg. iur.*

3 Et consequenter vti digniores sunt præferendi. Dec. *in cap. sanè il* 2. *num.* 12. *vers. sed habito respectu, de offic. deleg.* Purpurat. *in l.* 1. *sub num.* 632. *vers. & quoad cæteros, ff. de offic. eius cui mand. est iur.* Menoch. *cons.* 51. *num.* 24. Nauarr. *cons.* 8. *de maiorit. & obed.* cum aliis sub dicta die 4. Iulij 1614. in decisione adductis.

4 Nec obstat, quòd in eodem Breui disponatur, quòd dicti Capellani in prædictis Congregationibus, seu Capitulo, priuilegiis, prærogatiuis, indultis, & honoribus vti ea gaudere valeant, perinde ac si essent beneficiati perpetui intitulati, sine vlla prorsus differentia: quia nihilominus id visum fuit intelligendum inter pares, seu inferiores, non autem quòd præcedere debeant Rectores & beneficiatos perpetuos, qui sunt digniores contra iuris dispositionem, ex supradictis, & hoc satis comprobari visum fuit ex simili de coadiutore, qui licèt habeat coadiutoriam cum futura successione ac cum omnibus prærogatiuis ac præeminentiis coadiuti: ex quo tamen non vtitur iure proprio, sed iure coadiuti, non potest præcedere veros Canonicos, quos præcedebat coadiutus, vt fuit resolutum in causa Salamantina coadiutoriæ 24. Iunij 1593. coram bon. mem Pegna.

Et ita decisum pro Rectorib. informantibus, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana prætensi legati. Mercurij 28. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Instrumentum carens loco loci, in quo fuit rogatum, nunquid probet, & quando reperiuntur vnius Notarij scripturæ contrariæ, quibus magis credendum.

SVMMARIVM.

Instrumentum carens loco loci nihil probat, n. 1. Declara vt num. 2.

Notarius lite pendente non potest suum errorem corrigere, n. 3.

Notarij quando reperiuntur duæ scripturæ, seu instrumenta inuicem contraria, quibus magis credendum, ibid.

Actus validitas in dubio præsumenda, & hac præsumptio omnibus aliis præponderat, ibid. in fine.

DECISIO DLIV.

FVit dubitatũ an esset legitimata persona Gerardi, qui vti Procurator Antonij sui fratris petebat ab hærede testamentario Alberti legatum cuius- 1

dam census dicto Antonio nepoti testatoris factum. Et Domini pro legitimatione personæ dicti Gerardi responderunt. De legato enim non dubitatur, sed tantùm de fide mandati ad exigendum per dictum Antonium facti in ciuitate Neapolis sub die 27. Iunij 1612. quæ impugnabatur, cùm instrumentum careat loco loci, quod debet inseri in instrumento. Bart. qui de communi, *in l. de pupillo, §. qui nunciat, numero secundo, ff. de nou. oper. nunciat.* vbi Castrens. & Iason. *numero tertio.* Alexand. *numero quarto.* Specul. *in tit. de editione instrumentorum, §. breuiter, num. 9. in fine.* Rota *decis. 5. in antiq. de fide instrumentorum*, & de stylo Rotæ testatur Cæsar de Grassis *decis. 45.* aliàs *vnic. de dol. & contumac.* Itaut eo non inserto instrumentum corruat. Idem Specul. *in dicto tit. de instrum. edit. §. instrumentum, num. 5.* Aym. *cons. 216. numer. 2. vers. item caret.* Put. *decis. 328. in fine, secundùm nou. impress.* Verall. *decis. 98. part. 2.* nec fidem facit Bart. *decis. 1156. numero secundo, & decis. 1746. lib. 3. part. 3. diuers.*

2 Tamen visum fuit Dominis cessare difficultatem, quia sub die 16. Decembris anni præteriti fuit parte citata exhibitum mandatum, seu exemplum authenticum mandati procuræ facti per dictum Antonium in dicta ciuitate Neapolis sub dicta die 27. Iunij 1612. rogatum per Annibalem Pottium vti Notarium publicum Neapolis & Apostolicum, & Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ causidicum, cũ illius subscriptione & signo Tabellionatus, necnon litteris legalitatis Illustrissimi D. Cardinalis Archiepiscopi dictæ ciuitatis in forma. In quo instrumento est etiam appositus non tantùm locus generalis, videlicet ciuitatis Neapolis, sed locus loci, videlicet in Palatio Archiepiscopali, vt in principio & fine dicti instrumenti.

3 Non obstat, quòd de dicto anno 1612. coram A. C. sub die 13. Augusti fuerit productum aliud exemplum dicti mandati sine loco loci, & quòd propterea non potuerit Notarius lite pendente, & postquam fuit oppositum de huiusmodi defectu dictum locum loci apponere, & errorem corrigere. Bald. *in rubr. C. de fid. instrumentorum, n. 45.* cum pluribus allegatis. Quia non constat quòd locus loci fuerit additus lite pendente, & post partis oppositionem, & licèt dictum instrumentum, in quo est appositus locus loci, fuerit productum post productionem alterius sine dicto loco loci; tamen non exinde resultat quòd Notarius apposuerit dictum locum loci, lite, vt suprà, pendente, immo nec istud præsumitur, & parti contrarium asserenti onus probandi incumbit, ex vulgaribus.

Vnde dictum instrumentum cum loco loci videtur magis attendendum, quàm aliud sine eo, quia sicuti quando duæ reperiuntur scripturæ eiusdem Notarij, attenditur illa quæ est plenior. Bald. *in l. Imperator, ff. de stat. homin. num. 26. & 27.* vbi quando vna continet plusquam altera, Socin. *cons. 94. num. 25. versic. & si dicatur vol. 1.* Alexand. *cons. 106. num. 3. vol. 2. & cons. 70. num. 5. vol. 1.* Boër. *decis. 52. in fine vers. aut non potest.* Bertrand. *cons. 55. num. 5. vers. & verum est, vol. 5.* Natt. *cons. 314. num. 4.* Ita eadem ratione idem dicendum videtur quòd sit attendendum dictum instrumentum, in quo est locus loci, tanquam plenius, & quia facit valere actum, quæ præsumptio omnibus aliis præponderat.

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Meliten. habitus. Mercurij 28. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Nobilis dicitur is qui à populo pro nobili habetur, & reputatur: quando Notarius dicatur persona ignobilis, & alia de materia probationis nobilitatis in hac decisione non spernenda, explicantur.

SVMMARIVM.

Sententia lata in vim specialis commissionis præcedente citatione, & aliàs seruatis de iure seruandis, valida est, num. 1.

Nobilis censeri debet qui vt talis à populo nominatur & reputatur, ibid.

Nobiles ex eadem domo, & familia aliqui reperiuntur, & aliqui ignobiles, n. 2.

Notarius vt ignobilis dicatur non sufficit quòd fuerit deputatus Notarius, sed est necesse quòd Notariatum exercuerit, n. 2.

Notarius Principis, vel ipsius curiæ reputatur nobilis, & non ignobilis, ibid. in fine.

Verbum, Magister, *non concludit ignobilitatem, quia etiam Doctores Medici vocari possunt Magistri, num 4.*

Enunciatiuæ plures habent vim famæ, & probant in antiquis, ibid.

DECISIO DLV.

FVit conclusum sententiam Rotalem esse confirmandam, quia de illius validitate constat ex reuolutione processus, ex quo apparet illam fuisse latam in vim specialis commissionis præcedente citatione, & aliàs seruatis de iure seruandis, iuxta decis. Caputaq. 260. *part.* 2. Iustitia verò satis clara visa fuit. Nam quòd sententia Magni Magistri in ea parte quæ reiicit probationes factas super nobilitate lineæ de Pirro sit infirmanda, prout in ea declaratur, satis constare visum fuit ex pluribus testibus, qui de nobilitate dictæ familiæ attestantur, & specialiter de nobilitate Angelæ auiæ paternæ Marci Antonini patris ipsius Angelę ac Thomei aui, & deponunt, quòd supradicti vti nobiles fuerunt ad omnes honores solis nobilibus concedi solitos admissi, & de communi reputatione, per quam in dubio probatur nobilitas; cùm in illis nobilis censeri debeat, qui talis à populo nominatur & reputatur. Bart. *in l. 1. nu. 101. C. de dignit. lib. 12.* Guid. Pap. *decis. 88. sub n. 2. post med. vers. & à populo.* Socin. *cons. 246. n. 3. lib. 2.* & post plures relatos per Tiraq. *de nobil. cap. 10. num. 65. & seqq.* & alios adductos, fuit dictum in hac causa sub die 25. Maij 1616. coram R. P. D. meo Remboldo, in qua alia etiam adminicula ad istum effectum ponderantur.

Nec refragari quòd Ioannella Calazibetta mater dictæ Angelæ fuerit filia Andreæ de Calazibetta Notarij. Nam vltra quòd non constat quòd Ioannella fuerit filia Andreæ Notarij, nec alias visa fuit sufficiens probatio quòd sit de eadem domo

domo, ex quo sæpe contingit quòd ex eadem domo aliqui nobiles, aliqui ignobiles reputentur, vt etiam tradit Socin. *dicto conſ.246.ſub num.3 verſ. vidi enim in multis locis,lib.2.* fuit etiam reſponſum quòd in inſtrumento rogato de anno 1478. Andreas Calazibeta enunciatur ſimpliciter Notarius, in alio verò præcedenti de anno 1400. idem Andreas ſe ſubſcripſerit tanquam teſtis, & enunciat ſe Notarium, nec aliter conſtat quòd officium Notariatus exercuerit, prout neceſſarium fuit viſum ex ſtabilimento de recept.fratrum,in quo diſponitur,quòd non poſſint aſſumere habitum deſcendentes à Notariis,qui per ſeipſos officium exercuerint,& huiuſmodi exercitium conſideratur etiam *in l.2.* vbi,*cenſuali miniſterio,C.de tabul. lib.10.* & facit, quia bene poteſt quis abſque præiudicio ſuæ nobilitatis notariatum aſſumere, vt Principi, vel ipſius curiæ inſeruiat. Aym.*conſ.163.ſub num.1.* Guid.Pap.*deciſ.190.in addit.litera C.* cum aliis adductis per Couarr.*pract. quæſt.cap.19.n.7.in princ.*

3 Nec obſtare quòd idem Andreas Calazibetta deſcendat à Iudæis, quia præterquam quòd ex hoc non poteſt inferri ad Angelam, niſi aliter conſtet de deſcendentia ab illo, prout requiritur, cùm aliàs ipſa poſſit eſſe nobilis, licèt alij ignobiles in eadem domo reperiantur,vt dictum eſt. Placuit etiam reſponſio, quòd in ſcripturis quæ dantur, Antonius Calazibetta dicitur Neophita, & propterea niſi aliud appareat illæ non concludũt quoad Andream, qui poteſt eſſe nobilis, licèt Antonius ſit ignobilis, vt dictum eſt, & colligitur etiam ex quitantia quæ dicitur facta de anno 1507. in qua Antonius Calazibetta Neophita fatetur ſe recepiſſe pecunias à Nobili Notario Andrea Calazibetta, & adſunt teſtes qui dicunt, quòd plures Iudæi in ciuitate Plateæ baptizati fuerunt à nobilioribus dictæ ciuitatis, à quibus fuit illis impoſitum nomen familiarum, inter quos potuit etiam adeſſe dictus Antonius, qui aſſumpſerit nomen Nobilis familiæ de Calazibetta.

4 Minus obſtare quòd dictus Thomæus auus Angelæ exercuerit artem mechanicam, quia in inſtrumento quod datur non fit mentio de aliqua arte, ſed tantùm fit locatio apothecæ magiſtro Thomæo de Pirro, quod nomen *Magiſter* poteſt etiam conuenire artium Doctori, & ſic probatio non concludit prout requiritur. *cap. in præſentia, de probationib.* & licèt denominatio recipiat aliquod adminiculum à conductione apothecæ, ex quo tamen in caſu iſto præter teſtes qui deponunt in genere de nobilitate familiæ de Pirro,adeſt etiam ſecundus teſtis, qui iuxta tertiũ dicit in ſpecie ſe audiuiſſe quòd Thomæus erat vir principalis ciuitatis Plateæ, & cum eo concurrunt plura inſtrumenta antiquiſſima, in quibus idem Thomæus de Pirro nobilis denominatur, ſequitur dicendum quòd vel Thomæus, qui conduxit apothecam, non ſit auus Angelæ, qui erat nobilis, vel quòd eſſet artium Doctor, apothecam alia ex cauſa conduxerit, quàm artem mechanicam in ea exercendi, cùm aliàs non appareat quòd illam exercuerit, & in contrarium adſint teſtes, & plures enunciatiuæ quæ habent vim famæ, & probant in antiquis, Caſſad. *deciſ. 1. de probat.* & in iſtis terminis fuit dictum in cauſa Comen. habitus 14. Maij 1607. coram bo. mem. Iuſto, & in alia Meliten. habitus 17. Decembris eiuſdem anni coram Illuſtriſſimo D. Cardinali Lancellotto, & aliàs ſæpe.

Et ita deciſum, ſententiam Rotalem, quæ iſtam lineam de Pirro pro nobili canonizat, eſſe confirmandam, &c.

REVERENDISSIMO P.D. MANZANEDO.

Maceraten.ſpolij.Mercurij 28. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Remedium reintegrandæ non datur non probato primo extremo; nec ei qui facto ſuo à poſſeſſione cecidit; nec etiam creditur teſtibus hinc inde contrariis.

SVMMARIVM.

Reintegrandæ remedium non datur non conſtito de primo extremo, nec ei qui ſuo facto à poſſeſſione cecidit, num.1.

Poſſidere quis præſumitur titulo ſibi magis proficuo, n.3. in fine.

Teſtes quando ſunt inuicem contrarij, conquaſſantur. & nihil probant, n.5.

DECISIO DLVI.

IN deciſis Domini ſteterunt, nempe hæredes Siluagiæ non eſſe reintegrandos, cùm non doceant de poſſeſſione dictæ Siluagiæ,& ſic de primo extremo, immò conſtet de contrario ex teſtibus deponentibus ſolùm poſſediſſe Ioannem Baptiſtam eius virum, & ex eo quia eadem Siluagia vigore mandati ad ſui fauorem relaxati, ſubhaſtare fecit bona de quibus agitur tanquam propria eius viri, vnde vel non poſſidebat, vel ſi quam poſſeſſionem habebat, cùm ab illa ſuo facto ceciderit, non competit redintegratio. Pariſ.*conſ.1.n.164.lib.1.*Bec.*conſ.13.nu.4.*Seraph.*deciſ.164.n.1.* 1

Nec obſtat, quòd cùm iſta bona fuerint donata Siluagiæ,& eius viro, vnicuique ſpectaret medietas illorum, & conſequenter dicta exequutio intelligatur facta in medietate ad virum ſpectante, quia contrarium colligitur ex ipſa executione, cùm ſit ſimplex & abſoluta abſque aliqua reſtrictione ad partem mariti tantùm. 2

Minus obſtat quòd in Siluagia concurreret prædictus titulus donationis. Reſpondetur enim, quòd licèt donatio fiat vtrique, tamen expreſsè fit pro ſuſtinendis oneribus matrimonij, quæ onera de iure ſpectant ad virum, præſertim quia dicta donatio non poterat habere effectum, niſi poſt mortem Equitis donantis, qui Ioannem Baptiſtam ſibi hæredem vniuerſalem inſtituit. Vnde licèt Ioannes Baptiſta antea fuiſſet donatarius vnà cum Siluagia, tamen cùm poſſederit ſolus, vt teſtes dicunt, cenſetur poſſediſſe titulo hæreditario ſibi magis proficuo, non autem donationis. 3

Minus obſtat quòd teſtes deponentes ſolum Ioannem Baptiſtam poſſediſſe, intelligatur de cæteris bonis Equitis vltra donata, quia eorum dictum non patitur talem reſtrictionem, cùm loquatur de poſſeſſione omnium bonorum Equitis. Prout pariter ceſſat quòd intelligantur poſt diuortium, quia ſecundus, & tertius dum deponunt de 4

possessione Ioannis Baptistæ, expressè dicunt quòd Siluagia extabat in eius domo, & ab eo recipiebat alimenta, quod repugnat tempori diuortij.

5 Vltimò, non obstant testes deponentes Ioannem Baptistam possedisse etiam nomine Siluagiæ: quia eorum dicta conquassantur ex testibus contrarium deponentibus, & ex aliis suprà ponderatis, itaut non possit dici ex eorum dictis resultare plenam, & concludentem probationem primi extremi, prout requiritur ad effectum spolij, ex adductis in decisione, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Nullius, seu Toletana iurisdictionis. Mercurij 28. Iunij 1617.

ARGVMENTVM.

Iurisdictio vnius ex iudicibus per se solam exercita quando reualidetur per consensum coniudicis & comparitionem partis.

SVMMARIVM.

Citatio ad videndum iurare testes, suppletur per citationem generalem ad omnia pertinentia ad causam, n.1. Vide meliùs num.9.

Expressio per relationem ad quid certum, dicitur specialis & sufficiens expressio tanquam si esset expressè facta, n.2.

Iurisdictio vnius ex iudicibus, si datus est alius coniudex, non potest exerceri per illum solum iudicem, n.3. Declara vt n.4.

Iurisdictio vnius ex iudicibus, qui solus processit, potest conualidari per confirmationem alterius ex coniudicibus confirmantis decreta, & per partium comparitionem, num.5.

Comparitio partis sanat defectum actus aliàs inualidi, propter rogitum Notarij, qui fuerat expressè recusatus, num.6.

Citatio pro singulis diebus & horis iuridicis, licèt nimis vaga, tamen sustinetur ex praxi, num.7. quia non inducit perpetuam seruitutem, sed sustinetur pro integro termino probatorio, n.8.

Testium examen in loco allegato suspecto factum remanet inualidum, n.10. Declara vt n.11. & 12.

Comparitio Procuratorum in loco suspecto, & pro suspecto recusato, reualidat processum, & per eam videtur renunciatum recusationi, n.12.

Protestationes de non recedendo à recusationibus, vt afficiant & excludant consensum, debent esse repetitæ in singulis actibus, n.13.

DECISIO DLVII.

Conclusum fuit pro validitate examinis.

1 Non enim obstat defectus citationis ad videndum iurare testes, quia partes monitæ fuerunt die 8. Maij pro comparendo die & hora certa, & aliis diebus iuridicis sequentibus in Ecclesia parochiali de Consuegra, ad videndum exequi & adimpleri litteras remissoriales, & prosequi acta in illarum exequutionem facta, & actitata, & ad illa omnia, aliaque ad prædictam causam pertinentia, mandatum fuit partes citari vsque ad totalem exequutionem & conclusionem causæ, vnde vel actus particularis iurandi testes continebitur sub generali citatione omnium pertinentium ad causam, vt voluit Rota in causa Cathanien. antiquæ illegimitatis 29. Maij 1598. coram bon. mem. Orano.

Vel propter relationem decreti particularis citationis ad videndum iurare testes emanati die 10. Aprilis præcedentis, citatio erit specialis secundùm terminos *cap. 2. de testibus*, cùm expressio per relationem ad quid certum, & illa dicatur specialis expressio & sufficiens. *l. pluribus, in princip. ff. de verbor. oblig.* Bart. *in l. qui liberis, §. hac verba, in fin. ff. de vulg. & pupill. substit.* Paris. *cons. 97. lib. 1. & cons. 9. num. 18. lib. 3.* Menoch. *cons. 289. n. 28. & seqq. lib. 3.* 2

Non obstat, quòd adhuc citatio illa die 8. Maij sit nulla defectu iurisdictionis tanquam decreta per solum Procuratorem, Guardianum Sancti Augustini sine altero coniudice. *cap. causam matrimonij, de offic. deleg. l. duo ex tribus, ff. de re iudic.* cum aliis allegatis. 3

Quia placuit responsio deducta ex impedimento coniudicis per illius epistolam probato, quo stante potuit Guardianus Sancti Augustini pro sua iurisdictione ad vlteriora procedere, tam secundùm facultates litterarum remissorialium, quàm iure communi inspecto *cap. prudentia, cum gloss. de offic. deleg. cap. sciscitatus*, vbi Hostien. Abb. & Imol. *de rescript. cap. cum plures, de offic. deleg. in 6.* 4

Neque sufficienter sublatum fuit impedimentum per præsentiam Decani de Talauera alterius iudicis nominati pro parte D. Cardinalis Archiepiscopi, qui dicitur accessisse ad oppidum de Consuegra 7. Maij, & die 8. subsequenti fuisse simul cum dicto Procuratore S. Augustini, itaut exercitium iurisdictionis adhuc penes duos reperiretur, & solus coiudex nihil posset decernere. Quia videbatur cessare ista difficultas, dum eadem die 8. Maij 1615. ambo iudices mandarunt prouisa, quæ verba videntur inferre confirmationem iam decretorum, & terminus comparendi cadebat eadem die & hora audientiæ de sero, in qua ius partium adhuc integrum, & illæsum remanebat, & poterat per ipsarum partium comparitionem conualidari, vt factum fuit, & nunc dicetur. 5

Similiter non obstat quòd eadem citatio rogata fuerit, & exequuta per Ioannem de Pau Notarium nominatum pro parte M. Prioris, qui priùs fuerat formiter recusatus, quia per comparitionem & interrogatoriorum dationem sanatur ille defectus dum citatus redditur certus de eo, de quo fuit facta citatio. Caputaq. *decis. 293. part. 3.* Cæsar de Graff. *de testibus decis. 15. num. 6.* quod etiam fuit dictum in beneuentana terrarum 3. Decembris 1599. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Damasceno. 6

Secundus etiam defectus prædictæ citationis, quòd pro singulis diebus & horis iuridicis diceretur citatio nimis vaga, & non arctaret citatum, cessare videbatur ex eo quòd praxis soleat sustinere similes citationes, de qua per Bald. *in dicta l. 1. quæst. 3. num. 8. vers. practica Aduocatorum dicebat, ff. si quis caut.* Caputaq. *decis. 108. num. 2. part. 1.* Card. Seraph. *decis. 781. part. 1.* & firmatum fuit in Ianuen. pecuniaria 16. Martij 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo, in qua redditur ratio. 7

8 Quòd talis citatio non inducit perpetuam seruitutem, sed sustinetur pro integro termino probatorio, & propterea contrariæ decisiones non obstant, cùm

cùm loquantur de termino nõ recipiente certum finem & terminum: secus in præsenti, vbi terminus probatorius datus erat, & vlteriùs etiam pro certa die & hora audientiæ cadebat primus terminus citationis.

9 Tertius defectus etiam bene tollitur, quia licèt citatio prædicta expresè non dicat ad videndum iurare testes, tamen actus ille vel sub generali expressione illorum verborum, ad omnia ad dictam causam pertinentia, comprehenditur, vel in specie habetur per relationem ad citationem diei 10. Aprilis præcedentis, in qua actus ille exprimitur, vt suprà dictum est; nec euitari potest effectus relationis, ex eo quòd citatio ad quam fit relatio fuerit circunducta per accusationem contumaciæ, & tanquam expirata nullum possit producere effectum, quia non virtus relati, sed tenor prætenditur in referente, quod fieri potest per quandam repetitionem secundùm naturam referentis. *l. à filio, §. testator, §. sequenti, ff. de alimentis & cibar. legat.* Bartol. *in l. si quis seruum, §. vltimo, ff. de legat. 2.* Menoch. *dicto cons. 287. n. 34.*

10 Demum non obstat secunda nullitas quòd testes fuerint examinati in dicto oppido de Consuegra allegato suspecto tanquam de iurisdictione Magni Prioris, quorum examen propterea remanet inualidum. Verall. *decis. 53 part. 3.* Rota *decis. 93. part. 1. diuersor.* cum aliis allegatis.

11 Quia huiusmodi recusatio non tenet ex quo Procuratores in Curia à principio in eum locum consenserunt scienter, quòd ille esset de iurisdictione Magni Prioris, dum in specie in articulis contineretur, quo casu cessat iusta causa recusationis, quia de nouo non superuenit ad notitiam partis. *cap. insinuante, de offic. delegat.* Caputaq. *decis. 391. part. 2. & decis. 7. part. 3.*

12 Præterea vbi etiam à principio teneret recusatio per successiuam exinde Procuratorum Domini Cardinalis Archiepiscopi comparitionem processus remansit validitatus, dum per actum contrarium videtur renunciatum recusationi, vt per Dec. *cap. solicitudinem, n. 12. de appellat.*

13 Nec protestationes de non recedendo à recusationibus videntur remouere cõsensum à facto, quia illæ non sunt repetitæ in omnibus actibus, prout in iudicialibus necessarium est, Seraph. *decis. 1069. n. 7.* & factum sortitum est suum effectum, quo casu nihil releuant, vt bene declarat Put. *decis. 370. num. 4. in nouis impress. lib. 1.*

R. P. D. PIROVANO.

Placentina Capellaniæ. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

Sententia lata sine citatione, nulla & inualida est; & an, & quando locum habeat stylus quòd isto casu conclusio in causa suppleat defectum citationis.

SVMMARIVM.

Sententia sine citatione nulla est, & inualida, nu. 1. & 2.

Vbi tamen quòd de stylo Hispaniarum conclusio in causa habet vim citationis. Declara stylum, vt dicto num. 2. vers. quia super.

Conclusioni in causa renunciari potest per partes tacitè, & expressè, vtputa per subsequentem iurium productionem, & alios actus, n. 2.

DECISIO DLVIII.

Sententiam esse infirmandam Domini censuerunt ex capite nullitatis, deficit enim citatio ad sententiam, quæ necessaria est ad illius validitatem. *Clem. pastoralis, de sent. & re iud. l. de vnoquoque. ff. eod. tit. Clem. sæpe, cum gloss. in verb. ad id, de verbor. signif.* 1

Nec obstare visum fuit, quòd sub die 26. Octobris 1612. emanauerit citatio, & exinde decretum super conclusione in causa. quæ conclusio solet de stylo illarum partium habere vim citationis ad sententiam, & terminum ad eandem audiendam seruare sub eadem hora conclusionis, vt sæpe fuit resolutum. Quia super dicta conclusione nullum potest fieri fundamentum, dum hinc inde post eam iura fuerunt producta, & quamplures actus facti, ex quibus tacitè videtur reuocata conclusio ratione incompatibilitatis contrariorum; posita enim facultate agendi, dissoluitur vinculum conclusionis tanquam illi contrarium, vt ponderat Rot. *de testib. in nouis, decis. 1.* & iudex potest hoc facere ex causa. Felin. *in cap. cùm dilectus. de fid. instrument.* Vrsil. ad Afflict. *decis. 125. num. 1.* & sufficit siue tacitè, siue expresè iudex hanc suam interlocutoriam reuocet. *cap. cùm cessante. de appellat. cap. quod iussit. de re iud.* Afflict. *dicta decis. 115. num. 12.* & ita fuit etiam firmatum in Toletana decimarum de Lucillis 5. Decembris 1603. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio. 2

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Elboren. pensionis. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

De beneficiorum incompabilitate, ex qua resultat priuatio vtriusque.

SVMMARIVM.

Incompatibilitas beneficiorum producit priuationem vtriusque beneficij ipso iure, n. 1.

Pensio reseruata ex causa resignationis efficitur inualida, ex defectu iuris in resignante, & ex falsa causa vacationis narrata, n. 2.

Incompatibilitas duorum beneficiorum ex retentione possessionis vtriusque non probatur, nisi per actus expressos, & præsumpti non sufficiunt, maximè in praiudicium possidentis, & ad effectum priuationis, num. 3.

Possessionem alterius non potest allegare tertius, sed solum possidens ad suum ius & commodum tuendum, num. 4.

Possessio non probatur per instrumentum, in quo constat de illius apprehensione per Procuratorem facta, si non appares de mandato, n. 5.

DECISIO DLIX.

Contra Franciscum Gondisaluum informantem, fuit resolutum.

1 Prætendebat enim pensionem super Canonicatu Michaëli della Cerda reseruatam esse inualidam, ex eo quòd idem Michaël tempore resignationis Canonicatus possideret etiam parochialem, per quam intraret incompatibilitas, & priuatio vtriusque beneficij ipso iure, ex decreto sacri Concilij *sess. 7. cap. 4.*

2 Atq; ita tam ex defectu iuris in resignante, quàm ex falsa causa vacationis narratæ, quia per incompatibitatem, non autem per resignationem vacauerit Canonicatus pensio, inde remanet inualida. Caputaq. *decis. 291. part. 1. & decis. 298. p. 2.* Cæs. de Grass. *decis. 12. de præbend.* cum aliis allegatis.

3 Cæterùm quamuis in iure prædicta vera essent, animaduerterunt tamen Domini quòd factum retentionis vtriusque beneficij, à quo pendet vacatio, non iustificatur ab anno scilicet 1600. 7. Iulij, quo tempore Canonicatus Michaëli fuit collatus, & possessionem illius accepit vsque de mense Octobris, quo resignauit Canonicatum. Nam de continuatione possessionis parochialis in dicto tempore, non dantur actus expressi, & præsumpti non sufficiunt in præiudicium possidentis, & ad effectum priuationis.

4 Quia quòd quis possidebat, & hodie possideat, tertius non potest allegare, sed solus possidens ad tuendum suum ius & commodum. Puteus *decis. 17. lib. 2.* Menoch. post alios *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 64. num. 30.*

5 Et vlteriùs non etiam bene probatur possessio parochialis ex instrumento quod datur, dum legitur capta per Procuratorem, de cuius mandato non constat prout necessarium est. gloss. *in cap. cùm nostris, de concess. præbend.* Rebuff. *in concord. tit. de electionibus derog. versic. quadragesimus sextus.* Capella Tholosan. *decis. 487.*

Et ita, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Bononien. legatorum. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

Saluiani interdicti remedium competit etiam pro legatis.

SVMMARIVM.

Remedium Saluiani interdicti vt locum habeat, quæ requirantur, num. 1.

Remedium Saluiani interdicti competit etiam legatariis pro legatorum consequutione, n. 2.

DECISIO DLX.

1 Carolus Antonius senior in eius vltimo testamento singulis eius filiabus, vel eis non extantibus earum filiis reliquit scuta 500. auri in auro, si contingat Carolum Antonium nepotem ex filio hæredem vniuersalem in pupillari ætate, vel postea quandocumque sine liberis decedere, ac post modum Bartholomæa Sensaria dicti testatoris vxor in eius pariter testamento DD. Francisco, & Vincentio de Sandellis eius ex Andromaca filiis nepotibus reliquit domum de qua agitur, ideo supradicta die proposito dubio an supradictis Dominis de Sandellis sit danda immissio ex vtili Saluiano interdicto? Domini affirmatiuè respondendo censuerunt, quia per obitum Caroli Antonij & Bartholomææ coniugum, nec non Caroli Antonij iunioris absque liberis, de quo deponunt testes, fuit factus locus tam dicto legato scutorum 500. quàm etiam dicto legato domus, de quibus constat ex testamento dicti Caroli Antonij, & ex testamento Bartholomææ, ex quo etiam constat quòd dicti Domini de Sandellis sunt nepotes dicti Caroli Antonij senioris ex Andromaca filia, & ex immissione in possessionem per dictum D. Paulum in Rota obtenta constat dictum D. Carolum Antonium testatorem quoad legatum scutorum 500. hæc bona tempore obitus possedisse, & hodie per eum possideri, & in testamento Bartholomææ constat ipsam tempore obitus possedisse domum, de qua agitur; prout etiam ex mandato de immittendo, & possessione illius vigore per Ioannem hæredem adepta apparet dictã domum hodie per eam detineri, quæ sunt requisita in hoc iudicio. Bart. *in l. 1. num. 3. ff. de Saluian. & in l. 1. vbi gloss. C. eod. tit.* Aret. *in §. item Seruiana, num. 9. Instit. de act.* Afflict. *decis. 383. num. 6.*

2 Quòd autem pro legatis huiusmodi interdictum competat, & reprobata opinione aliorum, pluries tenuit Rota, & in decisione Paleotti 321. & fuit dictum in causa Strigonien. legati 20. Iunij 1588. coram Platto, in Fauentina legati 4. Nouembris 1589. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio, in Bononien. de Lambertinis 20. Februarij 1612. coram R.P.D. meo Manzanedo, & in Romana legatorum de Columna 27. Ianuarij 1614. & 20. Nouembris 1615. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & aliàs sæpius, & pro ratione in dictis decisionibus adductis quòd cùm pro legatis competat hypothecaria, *l. 1.* vbi Iason. *num. 4. C. comm. de leg.* Doctor. *in l. 1. ff. de leg. 1.* debet etiam consequenter pro eis competere Saluianum, quod regulariter datur, vbicunque datur hypothecaria, Aret. *in dicto §. item Seruiana, sub num. 8. & seq.* Negusant. *de pignor. in 3. membr. 8. part. num. 19.* cum aliis in dictis decisionibus adductis.

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Calaguritana sepulturarum. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

Sepultura in Ecclesia vendi non potest sine simonia, sed venditur locus, & situs.

SVMMARIVM.

Sepultura vendi non potest sine simonia, cùm sit res sacra, num. 1. Declara vt ibid. infrà, & num. 3.

Parochiani possunt cogi ad reparationem Ecclesiæ stante ipsius Ecclesiæ inopia, n. 2.

Sepultura vendi non potest, sed bene vendi potest locus, & situs præeminentior, & hoc casu datum est potius quædam eleemosyna pro reparatione, & necessitate Ecclesiæ, n. 3.

DECI-

DECISIO DLXI.

PRo informante fuit resolutum, nempe constare de tribus conformibus quæ veniant exequendæ. Nam prima sententia Ordinarij Calaguritani mandans quòd in Ecclesia Sancti Ioannis de Molinar vendantur nouem sepulturæ in locis distinctis pro pretiis ibi designatis, fuit per alias duas, nempe Metropolitani Burgen. & Decani Burgen. simpliciter in omnibus confirmata. Et dictarum sententiarum validitas hodie est clara, quia licèt sub die 6. Aprilis 1615. sententia prouisionis Burgen. fuisset per Rotam declarata nulla ex defectu citationis. Tamen postea superueniente commissione in qua remittebatur sanatio dictæ nullitatis arbitrio Rotæ die 24. Aprilis præteriti, fuit dictum intrare arbitrium pro dictæ nullitatis sanatione, vt in decisione tunc extensa.

1 Quo verò ad iustitiam, licèt sepultura vendi non possit absque labe simoniæ, cùm sit res sacra, *cap. abolendæ, de sepultur. cap. non satis., de simon.* Tamen pro sepultura licitum est pretium recipere ratione situs, vel dignioris loci in Ecclesia, cùm hoc non videatur concernere spiritualitatem, sed potiùs quandam præeminentiam, quæ potest pretio æstimari. Nam pro sepultura debita & necessaria Christianis in loco sacro adsunt loci particulares, vt sunt cœmiteria, pro quibus pecunia peti non potest, nec talis sepultura vendi. *dicto cap. abolendæ.* si tamen aliquis ibi nolit sepeliri, sed eligat aliquem locum honorabiliorem in Ecclesia propter illum locum præeminentem, ille honor est, qui pretio æstimatur, & sic vendi potest, & hoc casu non dicitur vendi sepultura, quæ gratis præstatur defunctis per eorum parochos in cœmiterio. Sot. *de iustit. & iur. lib. 9. quæst. 7. art. 1. circa med. vers. nihilominus.* Spin. *de testament. gloss. 2. princip. n. 44.* Emanuel Rodriquez *quæst. regularium lib. 3. quæst. 58. artic. 2.*

2 Quod maximè procedit, quia ob necessitatem Ecclesiæ, quæ reperitur magno ære alieno grauata, & indiget reparatione fabricæ, parochiani inter se conuenerunt, quòd fieret dicta venditio, cùm aliàs stante inopia Ecclesiæ ipsi potuissent cogi ad dictam reparationem, per Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 7. versic. parochialis verò, de reformat.*

3 Vnde cùm laici sint qui vendunt non sepulturam, sed locum digniorem illius, & exigunt pro necessitate Ecclesiæ, non autem ipsa Ecclesia, non videtur prohibita venditio, cùm hoc casu datum pro loco sepulturæ sit potiùs quædam eleemosyna eroganda pro reparatione Ecclesiæ, aut fabricæ, quod non est simoniacum, vt probat Emanuel Rodriquez *vbi suprà, versic. aliter saluatur.*

Quibus non obstat quòd huic conuentioni parochianorum contradixerit Ioann. Martinez, quia licèt ipse solus habeat in dicta Ecclesia sepulturam propriam; tamen non per hoc potest prohibere ne aliis concedantur aliæ sepulturæ absque sui sepulchri præiudicio, &c.

REVERENDISSIMO P.D. BVRATTO.

Mutinen. parochialis. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

Possessio nulla, & iniusta non priuat possessorem sua possessione, nec impedit manutentionem habentis anteriorem possessionem: dicitur autem possessio nulla, & iniusta nonnullis modis, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Possessionis adeptio probata per instrumentum alio non possidente sufficit ad manutentionem, n. 1.

Possessio probatur per confessionem partis, reiecta qualitate vitij, ibid.

Notario attestanti de actu præterito non creditur, n. 2.

Possessionis adeptio facta non citato possessore est nulla, num. 3.

Clausula, Amota, &c. operatur vt iudex procedere debeat cum causæ cognitione, ibid.

Possessio nulla, & iniusta non priuat possessorem sua possessione, nec impedit manutentionem habentis anteriorem possessionem, n. 4.

DECISIO DLXII.

DOmini vnanimiter resoluerunt concedendam esse manutentionem Dominico, eius enim possessio visa fuit clarè, & concludenter probata ex instrumento adeptionis illius, alio tunc non possidente, vulg. *l. prædia, ff. de acquirend. possess.* & millies fuit dictum, præsertim cùm probetur etiam ex confessione partis in mandato de prouidendo narrantis Dominicum intrusum, & detinere, & occupare, quia cùm possessio præsumatur iusta, potest acceptari confessio possessionis, reiecta qualitate vitij. Aymon. *cons. 150. num. 5. vers. sed posito,* & fuit dictum in Virdunen. Abbatiæ 20. Februarij, & 27. Nouembris 1615. coram me. 1

Nec obstare dixerunt prætensam possessionem Antonij tum quia non probatur per epistolam Ricchi prætensi subexecutoris Vicarij Mutinen. qui rescribendo eidem Vicario dicit se dedisse possessionem dicto Antonio iuxta tenorem litterarum dicti Vicarij, nec per relationem Nuntij, qui attestatur astitisse cum dicto Riccho ad inducendum in possessionem dictum Antonium, cùm sint de actu præterito, Innocent. *in cap. 1. n. 6. vers. si enim aliud, de fid. instrum.* Alexand. *cons. 241. sub num. 6. vers. quinimò, & si Notarius, lib. 6.* Aymon. *cons. 171.* Put. *decis. 61. num. 1. lib. 1.* secundùm nouissimam impressionem, cum aliis adductis in Salamantina Archipresbyteratus 13. Martij 1615. coram R.P.D. meo Andrea, & sine testibus, Rota *decis. 15. nu. 15. vers. tamen hoc erat. lib. 1. part. 3. diuersor.* & in dicta Salamantina Archipresbyteratus. 2

Tum etiam, quia nulla fuit, & iniusta tanquam capta, non citato Dominico possessore. *cap. licet, vbi gloss. in verbo, te non vocato, de præb. in 6.* Tanto magis stante forma mandati de prouidendo obtento ab Antonio cum clausula, *amoto,* &c. quæ operatur vt iudex procedere debeat cum causæ cognitione, & iuris ordine seruato, Abb. *in cap. de cætero, num. 8. vers. quæro circa prædicta,* & ibi Felin. *num. 9. de sent. & re iudic.* Achil. *decis. 384. aliàs 6. super reg. de triennal. per tot. & præcipuè num. 4. vers. fuit dictum, & num. 5.* 3

4 Et hinc propterea cùm possessio nulla, & iniusta non priuet possessorem sua possessione, nec impediat manutentionem habentis anteriorem possessionem, Rot. *decis.*801. *num.*7. *vers. quia pro responsione part.* 1. *diuers.* & in Mutinen. Canonicatus 27. Martij 1602. coram Litta. Meritò concluserunt Domini manutentionem dandam dicto Dominico informanti, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Bononien. exemptionis. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

De exemptione gabellæ, & exemptionis priuilegio multa notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Manutentio datur probata possessione tempore motæ litis, num. 1.

Quasi possessio in incorporalibus acquiritur ex vnico actu, num. 2.

Manutentio eo magis danda est possessori cum titulo, ibid.

Quasi possessio exemptionis non suffragatur sine scientia, & patientia eius de cuius præiudicio agitur, numer. 4.

Scientia, & patientia præsumitur ex multiplicitate actuum, ibid.

Obseruantia in vno casu non prodest in alio contra diuersas personas, num. 6.

Exceptio concedens petitorium, non admittitur in possessorio summariissimo, ibid.

Decretum irritans non trahitur ad personas non comprehensas in dispositione, num. 7.

DECISIO DLXIII.

1 CVm Regimen Bononiense prætenderet ementes, & contrahentes cum Carthusia ad consuetorum vectigalium solutionem cogere, fuit in partibus coram Illustrissimo Archiepiscopo iudicium intentatum, vbi pro Monasterio fuerunt Apostolica priuilegia super huiusmodi exemptione producta, necnon pro illius quasi possessione nonnulli etiam testes examinati. Verùm causa de partibus ad Rotam auocata, & mihi commissa, dubitaui super mandato de manutenendo, quod responsum fuit esse dandum Carthusiæ, cùm de illius quasi possessione de tempore motæ litis etiam quoad ementes ab ipsa doceatur. §. *retinendæ. Instit. de interdict. l.* 1. §. *huius autem,* vbi Bart. *in princ. l. ait prætor.* §. *quod ait. ff. vti possidetis.* Couarr. *pract. quæst. cap.* 17. *num.* 3. Caputaq. *decis.* 198. *part.* 2.

2 Testes enim pro illa examinati deponunt Monasterium, & ementes ab ipso pro bonis emptis in quasi possessione non soluendi gabellas existere. Et hoc etiam ex mandatis Prioris dicti Monasterij directis gabellariis, & effectum sortitis comprobatur, quod sufficit, cùm ex vnico actu quasi possessio in incorporalibus acquiratur. Ripa *in cap. cùm Ecclesia Sutrina, num.* 2 *de caus. poss. & propriet.* Aym. *cons.* 124. *n.* 9. Cephal. *cons.* 170. *num.* 52. *lib.* 2. Rota *decis.* 17. *n.* 1. *p.* 2. *diuers.*

Et tanto magis hæc possessio venit manutenenda tanquam titulata, Bald. *in l. data opera, in fine. C. qui accusar. non possunt.* Rota *decis.* 595. *num.* 2. *part. diuersor.* Cùm pro parte Monasterij fuerit productum Nicolai V. priuilegium continens expressam exemptionem, & immunitatem, etiam quoad emptores, & cum dicto Monasterio contrahentes.

Non obstat exactio à gabellariis facta contra alios Regulares, quia non propterea contra Carthusianos illa suffragatur, cùm isti veniant iure particulari, nec aliarum Religionum titulo nitantur. Ruin. *cons.* 217. *num.* 13. *vers. & si dicatur, lib.* 1. Dec. *cons.* 215. *nu.* 5. *in fine.* Stante præsertim ipsorum quasi possessione. Felin. *in d. cap. auditis, num.* 19. *de præscr.* Aym. *cons.* 258. *num.* 76. Bero. *quæst.* 47. *num.* 8. Mohed. *decis.* 22. *num.* 2. *de filiis presbyterorum.* Put. *decis.* 1037. *num.* 2. *part.* 2. 4

Nec releuat scientiam & patientiam Regiminis non probari, sine qua non potuit acquiri exemptionis quasi possessio. *l.* 2. *C. de seruit. & aqua.* Nam ex actuum multiplicitate illa præsumitur. Innoc. *in cap. bonæ il* 2. *de postul. prælat.* Abb. *in cap. cùm Ecclesia Sutrina, num.* 25. Rota *decis.* 166. *part.* 1. *diuersor. & decis.* 28. *num.* 7. *part.* 1. Put. *decis.* 210. *num.* 3. *lib.* 1. Et fuit dictum in Tirasonem. iurisdictionis 21. Maij 1604. coram Illustrissimo Cardinali Mellino. Et in omnem euentum ex quo Carthusiani particularem titulum habent, Regiminis scientia, & patientia non requirebatur. Paul. de Castr. *in l. seruitutes, & in l. vltim. nu.* 9. *vers. quartò quaro, ff. de seruitut.* Cæpol. *vrb. præd. cap.* 10. *num.* 5. *vers. secundò fallit.* Seraph. *decis.* 1213. *n.* 6. *in fine*, & fuit dictum in Albanen. iurisdictionis 26. Iunij 1613. coram me. 4

Non obstant Datiorum capitula per Iulium III. confirmata, quibus cauetur nullas tam in petitorio, quàm in possessorio exemptiones admitti. Non enim apparet Carthusianos fuisse in dictis capitulis comprehensos, cùm ex eorum priuilegiis in generalibus dispositionibus ipsi non includantur. Vnde non potest dici prædicta capitula contra Carthusianos fuisse à Iulio III. confirmata. Seraph. *decis.* 971. *num.* 7. Castrens. *cons.* 187. *in princip. lib.* 2. Corn. *cons.* 9. *num.* 3. *lib.* 3. Bald. *in l. nominationis, in fine, C. de appellat.*

Quod ex obseruantia subsecuta colligitur, cùm illa contra Carthusianos & ab eis ementes demandata fuerint executioni. Paul. de Castr. *cons.* 347. *n.* 4. *vers. tertiò præsumitur, lib.* 1. Socin. *cons.* 25. *num.* 25. *lib.* 1. Et in omnem euentum hæc exceptio tanquam concernens petitorium in hoc summariissimo possessorio non venit admittenda. Dec. *cons.* 19. *& cons.* 467. *num.* 13. Afflict. *decis.* 119. *num.* 7. Neuizan. *cons.* 56. *n.* 3. Caputaq. *decis.* 342. *num.* 4. Rota *decis.* 41. *num.* 9. *& seq. & decis.* 64. *num.* 3. *part.* 2. *diuers.* Seraph. *decis.* 971. *in fine.* 6

Vnde non obstat decretum irritans in Breui Iulij III. appositum, quod etiam possessionem inficere dicitur: quia cùm non appareat, vt dixi Carthusianos in dicto Breui fuisse comprehensos, hoc decretum non potest manutentionem impedire. Seraph. *decis.* 565. *num.* 10. & fuit dictum in Parmen. Prioratus 16. Ianuarij 1596. coram Orano, in Cusentina Capellananiæ 26. Octobris 1601. coram Reuerendissimo Mellino, & in Meliten. parochialis 27. Iunij 1603. coram Reuerend. D. meo Decano. 7

Non obstant extraiudiciales attestationes, quòd nimirum à Carthusianis ementes gabellam soluere consue- 8

consueuerunt. Nam illæ tanquam fides fidem non faciunt. Guido Pap. *decis.* 19. & decis. Ianuen. 76. *num.* 11.

REVERENDISSIMO P.D. DVNOZETTO.

Romana pecuniaria. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

Mercator nunquid possit propria authoritate sibi soluere debitum sui debitoris habentis pecuniam in ipsius banco, & vbi non adest Cameralis obligatio, iudicium incipere non potest à sequestro, & seruandi sunt in eo termini substantiales.

SVMMARIVM.

Creditor nunquid possit propria authoritate sibi soluere de pecunia sui debitoris penes ipsum existente, nu. 2. *per tot.*

Pecuniæ vnius non transeunt in dominium alterius, sine scientia & consensu domini pecuniarum, n. 3.

Creditor anterior potest auocare pecuniam solutam per debitorem posteriori creditori, Declara vt ibid.

Sequestrum non potest esse principium iudicij, vbi non adest Cameralis obligatio, n. 6.

Termini substantiales seruari debent, vbi proceditur sine Camerali obligatione, ibid.

DECISIO DLXIV.

1 Ex quibus rationibus sub die 5. Iunij proximè præteriti visum fuit Dominis, D. Robertum primum teneri ad restitutionem pecuniarum, quas ipsi sibi soluere non potuit pro computo DD. de Cæsarinis, ex eisdemmet fundamentis Domini standum esse in decisis censuerunt, non obstante quæ in contrarium longa verborum serie deducuntur.

2 Et primò nō obstat quod dicitur pecuniam priùs fuisse solutam Bernardo Royas Procuratori D. Ducis Iuliani in ciuitate Madrid, & inde ex eius ordine & mandato transmissam ad Vrbem per litteras Lucæ Palauicini, vnde inferunt cùm hæc pecunia transiuerit in dominium Ducis Iuliani per commissionem D. Roberti, potuisse de ea pecunia facta sui debitoris sibi soluere.

3 Responsum enim fuit nullam constitui differentiam quòd pecuniæ fuerint in dominio, & possessione Serenissimi Electoris, vel quòd fuerint illi debitæ, semper enim vrget eadem ratio quòd pecuniæ extant, & non transiuerunt in dominium Roberti, qui sine scientia, & consensu dicti Ducis Iuliani sibimet soluere voluit, sufficit enim vt hæ debitæ sint Serenissimo Electori, etiāsi dictæ pecuniæ mala fide commixtæ non fuissent de eius dominio. Nam semper agere potest ad condicen. pecuniam sibi debitam, dummodo extet, etiamsi per mille manus ambulauerit, potestque auocari, vt fusè declarat Surd. *cons.* 4. *num.* 43. dum loquitur de creditore anteriore auocante pecuniam solutam per debitorem posteriori creditori, cùm creditor anterior nunquam fuisset dominus illius pecuniæ in specie, & licèt non sint, ipsæmet nihilominus censentur subrogatæ in locum aliarum pecuniarum primò per Procuratorem receptarum, sapiuntque naturam eius, in cuius locum facta fuit subrogatio. Mantic. *cons.* 80. *vol.* 2. Gabr. *de regul. iuris cons.* 2. *num.* 52.

Secundò responsum fuit vltra quòd non constat de sufficienti mandato dicti Bernardi Royas, omnia gesta ab eo fuisse nulliter, & attentatè gesta, & sic cùm ab initio fuerit mala fides, possunt condici pecuniæ etiam commixtæ, & consumptæ, vt tradit idem Surd. *dicto cons.* 4. *num.* 43. & fusiùs firmatum fuit in supradicta decisione coram me. 4

Quòd autem nulliter pecuniæ fuerint solutæ dicto Procuratori, patet, quia sequestrum factum ab A. C. mandatumque de consignando, omniaque gesta vigore dictorum decretorum fuerunt nulla, & attentata, & de eo nunquam Domini dubitarunt, & ipsimet Domini Cæsarini in supplicatione porrecta in Signatura gratiæ illud ingenuè fassi sunt. 5

Nullitates enim sunt palpabiles, & quæ nullo modo velari possunt, quia A C. non potuit contra omnes iuris regulas incipere à sequestro, multo minus cùm nulla adesset obligatio Cameralis, sed esset iudicium ordinarium procedere per simplex decretum de consignando, non seruatis terminis substantiabus, & nemine citato, cùm in actis non constaret de credito Dominorum de Cæsarinis; epistola enim nunquam fuit legitimè, & parte citata recognita, nec instrumentum census facti ad fauorem Dominorum de Glorieriis, in quo vis tota pro fructibus fiebat, fuerat productum, vt videre est in reuolutione actorum.

Quoad secundam partem dubij Domini existimarunt, non posse adhuc Serenissimum cogere D. Robertum, cùm huiusmodi actio non possit separari, nec debeat repetere pecuniam, nisi quatenus probet eam sibi debitam fuisse indebitè sequestratam & relaxatam, aliàs semper dicto Electori obstaret mandatum de consignando, donec iudicialiter fuerit reuocatum, idque per rem iudicatam. Robertus siquidem iure prætendet, etiam si sibi soluere non potuerit, eam tamen pecuniam Ducis Iuliani, vel suorum hæredum retinere posse, quousque creditum Serenissimi Electoris fuerit per sententiam, quæ possit exequutioni mandari, canonizatum. 6

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Aquen. iurispatronatus. Lunæ 3. Iulij 1617.

ARGVMENTVM.

Argumentum sumas ex summario.

SVMMARIVM.

Attentata pendente termino ad appellandum reuocanda sunt, n. 2.

Exequutor dicitur mixtus, & non merus, quando in litteris adest clausula, dummodo non sit alteri ius quæsitum, *n.* 4.

DECISIO DLXV.

1 VAcante Capellania Sancti Ioannis Euangelistæ, quæ de iurepatronatus illorum de Portiis asseritur, fuit à dictis patronis ad eam pro vna parte præsentatus Vitus Antonius Fucitus; pro altera verò Andreas de Portiis. Verùm Episcopus Aquensis prætendens eandem Capellaniam esse liberę collationis, Ioanni Lucæ de Dulcibus illam contulit: à quo Vitus Antonius obtenta iuris cessione prouisionem Apostolicam in forma *Dignum* impetrauit, cum clausula quatenus Capellania esset libera, vel de iurepatronatus, cum derogatione illius medietatis. Et hæc prouisio directa fuit Ordinario Aquensi, qui vocato dicto Andrea pronunciauit Vitum esse instituendum, necnon immittendum in possessionem, prout immisit. Verùm Andreas appellationis causam coram Reuer. Nuncio Neapolitano introducta sententiam fauorabilem reportauit, & cùm in tertia instantia coram Vicario Puteolarum succubuisset, appellauit ad Ordinarium Nolanum, qui confirmauit dicti Nuncij sententiam, & eundem Andream instituit, necnon immisit in Capellaniæ possessionem. Denique causa coram me introducta Vito solùm informante dubitaui super mandato de manutenendo, quod Rota censuit neutri concedendum, sed opponendum esse sequestrum.

2 Non enim videtur Ioann. Andreas manutenendus, cum Ordinarius Nolanus ipsum eadem die sententiæ pendente termino ad appellandum instituerit. *cap. non solùm, de appell. in 6. cap. 1. & 2. vt lit. pend. eod. lib.* Et per consequens institutio, mandatum de immittendo, & successiuè possessio tanquam attentata veniunt reuocanda. Bald. *in cap. Ecclesiæ S. Mariæ, num. 5. de const.* Socin. *cons. 99. num. 15. lib. 3.* & fuit dictum in Parmen. beneficij 3. Martij 1609. coram Iusto.

3 Nec potest in dubium reuocari quòd à dicti Nolani sententia tanquam diffinitiua & iudicialiter citata parte lata daretur appellatio. Abb. *in cap. constitutus, il 2. num. 14. de appellat.* Franc. *in cap. auaritiæ, n. 5. & cap. fin. num. 7. de elect. in 6.* Butr. *in d. cap. auaritiæ, n. 10. & d. cap. fin. num. 12.* Anchar. *in cap. auaritiæ, num. 6. & cap. fin. in fine.* Ioan. Andr. *cap. fi. num. 5. in fine.* Archid. *in cap. auaritiæ. num. 12.* Lamberteng. *de iurepatr. p. 2. lib. 2. qu. 11. art. 4. n. 3.*

4 Nec pariter Vito Antonio competit manutentio, quia cùm gratia Apostolica per eum in forma *Dignum* obtenta haberet clausulam, *dummodo non sit alteri ius quæsitum*, eiusdem litterarum executor merus non erat, sed mixtus, & tenebatur iudicialiter procedere iudicis partes assumendo. Felin. *in cap. fin. num. 23. de præscript.* Achill. *decis. 6. num. 3. super regul. de triennal.* Mohedan *decis. 7. num. 5. de restit. spoliat.* & fuit dictum in Baren. beneficij 11. Iulij 1611. coram bon. mem. Pegna, & in Tirasonen. eleemosynariæ 28. Ianuarij 1602. coram Illustrissimo D. Cardinale Lancellotto, & in Vrbinaten. capellaniæ 13. Iunij 1614. coram R. P. D. meo Manzanedo. Vnde cùm dictus executor sub 18. Maij pronunciauerit, & eademmet die Vitum immiserit in possessionem, attentata non videntur posse controuerti, ex allegatis. Et propterea iuxta Rotæ stylum dictum fuit sequestrum esse apponendum. Verall. *decis. 157. part. 3.* Rota *decis. 370. lib. 5 part. 3. diuersor.* & in allegata Vrbinaten. Capellæ coram R. P. D. meo Manzanedo.

REVERENDISSIMO P.D. BVRATTO.

Ferentina bubalarum. Lunæ 30. Octobris 1617.

ARGVMENTVM.

Possessorium reintegrandæ transit ad heredes, daturque etiam pro mobilibus & recuperatione animalium, & quomodo hoc casu probatum censeatur primum, & secundum extremum.

SVMMARIVM.

Possessorium reintegrandæ transit ad hæredes, num. 1.

Possessorium reintegrandæ datur etiam pro mobilibus, ibid.

Possessio censetur probata per eum, qui rem possessam alteri custodiendam tradit, n. 3.

Possessio probatur ex responsione redditum, & perceptione fructuum, num. 4.

Possessio censetur probata ex eo quòd quis prouidet omnibus necessariis ad rem de cuius possessione agitur, num. 5.

Testes de auditu non faciunt semiplenam probationem, num. 7.

Conductor non potest locatoris possessionem tergiuersari, ibid.

Subrogata animalia in locum demortuorum non faciunt nouum armentum, & remanent sub antiqua hypotheca, n. 8.

Possessio secundi extremi in possessorio reintegrandæ probatur per sustentationem litis, iunctis adminiculis, ibid.

DECISIO DLXVI.

REintegrandos esse dixerunt Domini hæredes 1
Laureti ad possessionem bubalarum, de quibus agitur, ex persona dicti Laureti, qui cùm viuens intentauerit iudicium spolij, sicut ipse erat reintegrandus, ita & hæredes. Socin. *in l. rem quæ nobis, nu. 10. vers. item quia transit. ff. de acq. poss.* Cresc. *decis. 3. de rest. spol.* Actio enim spolij competit etiam pro mobilibus. Socin. *in d. l. rem quæ nobis, num. 13. vers. secundò conclude,* dicens esse de intentatione omnium. Rip. *in l. naturaliter. §. nihil commune n. 54. ff. eodem.* Menoch. *de recup. remed. 15. n. 193.*

Quòd autem dictus Lauretus esset reintegran- 2
dus, constat, quia anterior illius possessio (& sic primum extremum) visa fuit plenè, & sufficienter probata, ex infrà scriptis. Primò enim constat de emptione dd bubalarum facta per dictum q Lauretum ab illis de Virgiliis ex instrumento in summario *num. 1.* & de solutione pretij ex quittantia in summario *num. 2.* & de translatione possessionis, nedum ficta per clausulam *Constituti*, & cessionis iurium, sed de vera, & actuali apprehensione dictarum bubalarum, quam, & similiter dictam venditionem, ac pretij numerationem & traductionem illarum in territorium Ferrentini, seu Fosinonis ad locum nuncupatum *la selua di Muli*, & de dicta sylua ad alium locum probant testes. Et primò quoad emptionem dictarum bubalarum, tertius, sextus,

sextus, & nonus iuxta vndecimum, & super primo, & secundo in summario hæredum Laureti *num.* 3. Primus, tertius, sextus, & septimus super primo *nu.* 6. Secundò circa pretij numerationem tertius, sextus, & nonus, iuxta vndecimum *num.* 3. Tertiò de illarum traductione, seu translatione, sextus, & vndecimus super secundo, tertius iuxta 27. & super secundo, *num.* 4. quartus super tertio, sextus & vndecimus super primo *num.* 6. quintus super tertio, & tertius super quinto, *num.* 9. & 10.

3 Secundò constat Lauretum consignasse dictas bubalas ad custodiendum q. Ioanni, per cuius custodiã dicebatur dictus Lauretus illas possidere. Odofre. Alber. Bart. Andr. Castr. Rip. *in l.* 3. §. *Nerua filius, de acq. poss.* de qua consignatione deponunt testes in dicto summario hæredum *num.* 4. & præsertim sextus, & nonus deponentes de confessione extraiudiciali dicti Ioannis, & de interessentia quando dictus Lauretus commendauit custodiam dictarum bubalarum Ioanni, qui præsumuntur contestes. Alexand. *consil.* 185. *num.* 2. *&* 6. *lib.* 7. Gabr. *de testibus, conclus.* 1. *numer.* 5. *&* 6. & fuit dictum in Colimbrien. matrimonij 14. Decembris 1615. coram me, ex quibus resultat concludentissima probatio, cùm sint de certa scientia.

4 Tertiò ex eisdem, & aliis testibus clarè deponẽbus probatur Lauretum semper pro vero, & legitimo domino, & possessore à dicto Ioanne recognitum fuisse per transmissionem illi factam fructuum bubalarum, videlicet butyri, casei, seu prouaturarũ, de qua primus iuxta vigesimumprimũ, & super nonũ vndecimus, super vigesimumprimum in dicto summario *n.* 4. Primus super quintũ, decimus iuxta vigesimumsecundum, & super primũ vndecimus *n.* 6. sextus super quintũ *n* 9. tertius iuxta 22. octauus iuxta 21. & 22. & decimus super octauũ *num.* 11. Nec non pellium, seu coriorum, & carnium mortuarum, de qua nonus super tertiũ *n.* 7. & iuxta 18. 22. & super tertiũ tertius, super primũ septimus, & octauus iuxta 18. & vndecimus super septimum *nu.* 11. & vlteriùs Ioannem remittere solitum fuisse emere volentes animalia, vel coria ad Lauretum, deponunt primus, tertius, nonus, & vndecimus super nonum, & super vndecimũ in dicto summario *n.* 12. ex qua responsione redditùum, & perceptione fructuum apparet vera Laureti possessio. Bald. *in l. indicia, nu.* 6. *C. de rei vend* Ripa *in l.* 1. *numer.* 109. *ff. solut. matrimon.* Ancharan. *consil.* 227 *num.* 7. *&* 8. Alexand. *consil* 161 *n.* 6. *volum.* 6. Socin *consil.* 13. *numer.* 14. *lib.* 4. Dec. *consil.* 400. Paris. *consil.* 107. *numer.* 22. *in princip. part.* 1. Rota *decis.* 506. *num.* 4. *part.* 1. *diuers.* & facit text. *in l. litibus* 19. *C. de agric. & cens. lib.* 11. *in l.* 2. *ff. de acquir. possess. & in l. Titia* 48. vbi Bart. & Castr. *ff. de solut.* cum aliis congestis per Menoch. *de retinend. possess. remed.* 3. *num.* 564. & in Barcinonen. beneficij 20. Iunij 1613. coram R. P. D. Vbaldo, & ad effectum reintegrationis Aymon *consil.* 107. *num.* 2. & licèt testes essent singulares, tamen probant cùm tendant ad eorundem, finem probandæ possessionis. *l. qui sententiam, C. de pœn.* Bald. *in l.* 1. *num.* 20. *C. de testamen. & consil* 39 *numer* 4. *& consil.* 150 *num* 1. *versicul. super hoc, parte* 2. Aymon *consil.* 173. *num.* 34. *versic. præterea, & in tract. de antiq. temp. part.* 4 *sect. sed enim, n.* 9. *vers. sed in contrarium,* vbi de communi. Verall. *decis.* 269. *part* 3 Cæsar de Graffis *decis.* 9. *num.* 10 *de testibus.* latissimè. Farin *de oppos. contra dict. test. quæst.* 64. *nu.* 147. *&* 148.

5 Quartò probatur quòd dictus Lauretus prouidebat de paleis, pabulis, seu herbis, stabulis, & aliis necessariis pro victu dd. bubalarum, necnon soluebat mercedem, & prouidebat de victu pastoribus & custodibus illarum per testes decimum super 1 *nu* 3 *&* 7. tertium iuxta 27. & vndecimum super 2. *n.* 4 quintum, septimum super 3. duodecimum super 5. *n.* 6. 7. 9. *&* 10. sextum, septimum super 5. vndecimum iuxta 16. *n* 9. & quòd dictus Lauretus pro dictis bubalis Cameræ Apostolicæ soluebat, vndecimus super 5. *n.* 10. & secundus super 5. *num.* 11. Necnon etiam quòd Ioannes habebat vt plurimum in manibus de pecuniis dicti Laureti, & in domo granum, vinum, carnes suinas salsas, de quibus poterat prouideri, & verisimiliter prouidebat de necessariis pro victu pastorum, & custodum. Primus iuxta 41. & super 4. tertius, & nonus super 4. vndemus super 3. *n.* 8. & iuxta 16 *n.* 9. & post mortem Ioannis, Marcus Tullius eius frater, & Cinthia mater continuarunt, & perseuerarunt recognoscendo, & retinendo dictas bubalas tanquam spectantes ad Lauretum, & eodem modo prout faciebat Ioannes in vita, vt deponunt vndecimus super 15. *num.* 5 tertius super 12. nonus super 13. *numer.* 11. & Cinthia mater dd. Ioan. & Marci Tullij paulo ante mortem dicti Ioannis illis iussit, vt dictas bubalas Laureto retineret, tertius super 9. in summario *num.* 4.

6 Quintò constat de communi reputatione, ac publica voce, & fama, tam in terra Frosinonis, quam Ferentini, quòd dicti bubalæ essent Laureti, ex primo super 17 *n.* 4. & super 5 *n.* 6. vndecimo super 15. *n.* 5. & super 1. *nu.* 6. ac detentæ per Ioannem, & post eius mortem per eius hæredes in custodiam, & à dicto Laureto recognitæ; vndecimus super 15. *nu.* 5. tertius super 12. nonus super 13. *num.* 11.

7 Ex quibus sequitur non obstare testes, & probationes hæredum Ioannis, tum quia videntur percutere petitorium, dum conantur probare bubalas emptas fuisse per Lauretum ex pecuniis Ioannis, vt deponit vnicus testis in summario hæredum dicti Ioannis *numer.* 2. de solo tamen auditu à Laureto, & venditoribus, per quem in omnem euentum vti facientem minus quàm semiplenam probationem, non tollitur plena in fortioribus. Bart. *in l admonendi, numero* 50 *ff. de iureiur.* Aym. *consil.* 6. *num* 50. Ægid. *decis.* 659. *numero* 1. & pariter percutiunt petitorium, dum dicunt de signo, seu Merco Ioannis, quo dictæ bubalæ fuerunt signatæ, vidente, & patiente Laureto, & de annotatione facta in Catasto ac solutione damnorum datorum per dictas bubalas vicinis facta per Ioannem, & aliis actibus possessoriis, quòd benè se compatiuntur cum probationibus actorum, quia stant simul, quòd huiusmodi actus possessorij facti fuerint per Ioannem, & eius hæredes, & nihilominus non iure proprio, sed ratione custodiæ susceptæ & benè probatæ, vt suprà, ex qua consignatione & receptione in custodiam inferebant DD. non potuisse Ioannem nec eius hæredes controuertere possessionem dicti Laureti, sed Laureti hæredes esse in primis, & ante omnia reintegrandos, iuxt. *l. si quis conduct. Cod. locat.* Bart. *in l. commodare* 15. *numer.* 2. *ad finem vers sed si agitur. ff. commod.* Ang. *in fin.* & Salicet. *in d. l. si quis conduct.* vbi dicit quòd dispositio *d. l.* generaliter habet locum in omnibus causam habentibus ab actore. Castren. *in l qui rem, n* 3. *ff depos.* Alexand. *in l. si alienans n* 6 *ff solut. matr.* Felyn. *in cap. inter dilectos n.* 22. *de fid. instrument* Aym. *consil.* 157. *num.* 1. *vers. ex quibus,* & sequuta est Rota in grege in Romana pecudum 14.

Nouembris 1611. coram R.P.D. Caualerio, & facit text in l. qui precario ff. de precar.

8 Nec obstare dixerunt bubalas hodie existentes non fuisse possessas à Laureto, quia sumus in armento, in quo licèt renouato intrat subrogatio, adeò vt dicatur idem armentum, & eiusdem naturæ. l. grege 13. iuncta gloss. in vers. tenebitur, quæ allegat iura similia ff. de pignor. vbi Odofr. post med. vers. quia idem grex, & Ang. in summario, & sub nu. 1. in 3. notab. Bart. in l. cùm tabernam 34. ante fin. vers. tu dic ff. de pignor. Ideóque dari super eo hypothecam, & Saluianum fuit sæpè in Rota decisum. Et vlteriùs renouatio, & subrogatio, ac identitas dicti gregis detenti per hæredes Ioannis rei conuenti satis probatur per testes actorum, primum iuxta 21. tertium iuxta 46. sextum super 15. octauum super 16. vndecimum iuxta 38. & super 15. in dicto summario hæredum Laureti num. 5. & septimum super 1. num. 6. quæ nec etiam in dubium reuocabatur per reos conuentos; imò potiùs dicebatur admitti litis sustentatione, quæ cùm adminiculis sufficit ad probationem secundi extremi. Caputaq. decis. 369. part. 2. Rota in Romana Spolij 1. Martij 1602. coram bon. mem. Litta, in Romana dotis 17. Decembris 1607. coram bo. me. Pegna, & in alijs passim.

9 Verùm quia plura opponebantur tam contra personas, quàm contra dicta testium dictorum actorum, placuit Dominis, vt de illis particulariter videatur, & ideò fuit capta resolutio pro reintegratione, nisi obstent exceptiones contra testes.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana fideicommissi de Ioardis. Lunæ 6. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Fœminæ an censeantur vocatæ in fideicommisso in quo testator habuit rationem conseruandæ agnationis, & expressit pluries qualitatem masculinitatis, licèt illam non expresserit in omnibus substitutionibus, & quando fœminæ censeantur vocatæ per verba communia.

SVMMARIVM.

Fideicommissum non extare probatur, si nullibi legatur vocatio, num. 1.

Fœminæ non censentur vocatæ vbi testator habuit rationem agnationis, etiamsi verba substitutionis essent apta illas comprehendere, num. 2. vbi etiam in fœminis agnatis.

Fœminæ non censentur vocatæ, vbi testator pluries qualitatem masculinitatis expressit, n. 3.

Masculi appellatione non venit fœmina, ibid.

Masculinitatis qualitas expressa in vna parte testamenti, in alia repetita censetur, n. 4. vbi non solùm si sit facta expressa mentio illius, sed etiam vbi ex coniecturis illa deducitur, & n. 6. vbi quòd si est expressa in institutione, vel in priori substitutione, censetur repetita in posteriori substitutione.

Dictio dicta *repetit omnes qualitates suprà expressas, n. 5.*

Repetitio facta per testatorem intelligitur retento eodem themate, ibid.

Verbum idem *non debet diuerso iure censeri, ibid.*

Mutatio voluntatis non præsumitur, ibid.

Dictio alios *repetit qualitatem, & similitudinem in substantia, num. 6.*

Verba subsequentia apposita in eadem oratione intelligi debent sicut præcedentia, ibid.

Exclusus ab vna substitutione, censetur exclusus etiam ab alia in qua eadem res continetur, ibid.

Descendentium, & proximiorum appellatione non veniunt fœminæ, vbi est habita ratio conseruandæ agnationis, n. 7.

Fœminæ vbi fuit habita ratio agnationis, & vocatio est per verba communia, censentur vocatæ in defectum masculorum. n. 8. declara vt procedat quando fœminæ ab initio, vel in aliqua parte testamenti vocatæ fuissent: secus quando ex coniecturis, vel aliàs constat quòd testator de masculis tantùm intellexit, ibid.

DECISIO DLXVII.

AD fauorem Lucretiæ non extare fideicommissum, DD. responderunt. Fundamentum fuit quia nullibi legitur ipsius vocatio, quod sufficit dicere, Socin. sen. consil. 63. num. 14. lib. 3. Dec. consil. 287. num. 7. Rot. in his terminis in Carpentoraten. fideicommissi 1. Martij 1613. coram Reuerendissimo D. meo Sacrato. Nam clarissimum est in primis, quòd in hæredis institutione fœminæ nedum non fuerunt vocatæ, sed expressè exclusæ per testatorem, cùm solis masculis institutis filias tantùm dotauerit, eisdem præcipiendo, vt dictis dotibus essent contentæ. 1

Fideicommissum verò specialiter inductum super ædificio, & viridario, videbatur omnino restrictum, & limitatum ad masculos, idque colligi ex serie, & contextu ipsius testamenti inspectis mente, & verbis. Primò enim continet prohibitionem perpetuam diuisionis inter eius filios, & hæredes, inter quos voluit commune, & indiuisum conseruari, & incipit ibi, *Item voluit.* Secundò prohibitionem alienationis cum ratione expressa, vt perpetuò remaneat in domo, agnatione, & familia masculina, cum applicatione partis alienatæ per aliquem aliis, & vocatione aliorum proximiorum in euentum, in quem de communi consensu fieret alienatio, & cum repetita ratione, vt in perpetuam rei memoriam dictum ædificium, & locus in familia, & agnatione conseruetur, & incipit ibi, *quibus hæredibus*, &c. Tertiò continet in euentum mortis alicuius ex dictis hæredibus substitutionem aliorum superuiuentium, & deinde proximiorum primogenitorum, & sic successiuè aliorum descendentium ex dicta sua familia, domo, & agnatione, &c. quę incipit ibi, *Item*, &c. ex qua substitutione tanquam hodie purificata per obitum Flaminij vltimi masculi, Lucretia se vocatam prætendit. 2

Sed ex primis duabus partibus prohibitionis, diuisionis, & alienationis constare videbatur fœminas nunquam esse vocatas, seu inclusas. Primò ob vnicam, & generalem illam rationem redditam, & repetitam per testatorem conseruandi ædificium in familia, & agnatione, quæ operatur, vt fœminæ non censeantur comprehensæ, etiamsi verba substitutionũ, & vocationum aliàs essent apta illas cõprehendere. Socin. consil. 63. nu. 24. circa fin. lib. 3. Cephal. consil. 306. n. 74. Gabr. consil. 132. nu. 38. cum seqq. & nu. 45. vers. nec enim refert, lib. 1. cum aliis per Molin. 3

lin. *de primogen. Hispan. cap. 5. num. 38. lib. 3.* & Mantic. *de conect. vlt. vol. lib. 8. tit. 12. numer. 8. & 9.* & in specie dictum fuit in Carpentoraten. fideicommissi 13. Iunij 1607. coram R. P. D. meo Manzanedo, & 11. Ianuarij 1608. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto, & 1. Martij 1613. coram Reuerendissimo D. meo Sacrato, & antea in Nucerina fideicommissi 24. Nouembris 1595. coram bon. memor. Cardinali Mantica. quod procedit etiam in fœminis agnatis. Cephal. *consil. 511. numer. 27 lib. 4.* Rot. in dicta Carpentoraten. coram R. P. D. Manzanedo, & aliis.

3 Secundò ex qualitate masculinitatis pluries expressa per eundem testatorem, vt ibi, in domo, familia, & agnatione masculina, & ibi, *& descendentibus ex eis per rectam lineam masculinam*, & ibi, *seu descendentium ab eis per lineam masculinam*, quo fit vt non possint dici comprehensæ fœminæ, cùm notum sit verbum *masculus*, ex sui natura, & proprietate eis conuenire. *l. 1. C. de adult. & l. scripturas. C. qui pot. in pign. hab. cap. Raynaldus*, vbi gl. Host. & alij, *de testam.* Bart. *in l. cùm auus, numer. 4. ff. de condict. & demonstr.* Dec. *in l. 2. num. 97. vers. & idem est. ff. de regul. iur.* cum aliis cumulatis per Molin. *dicto lib. 3. cap. 5. num. 30. & seq.* Peregrin. *de fideicomm. art. 14. num. 39.* vbi quòd est verissima traditio.

4 Quam masculinitatis qualitatem dicebant DD. repetitam censeri in sequentibus fideicommissi partibus, in quibus omissa fuit. Socin. *d. consil. 63. numero 14. post princ. vers. & sic in aliis partibus testamenti, lib. 3.* Surd. *consil. 241. num. 11.* & hoc procedere non solùm quando expresse fuit dictum de familia masculina, prout hîc, sed etiam quando hoc ex coniecturis deducitur, veluti ex habita ratione conseruandæ agnationis. Ruin. *consil. 161. num. 5. & sub num. 18. lib. 2.* Grauett. *cons. 306. num. 5.* Gabr. *d. consil 132. in quæst. 4. num 42. cum seqq. lib. 1.* Peregr. *d. cons. 159. nu. 13. vers. & in terminis lib 5.*

5 Istámque repetitionem masculinitatis in substitutione facta in casum mortis DD. confirmabant, quia verbis *familia, domo, & agnatione*, præposita est dictio *in dicta*, ex qua expressa relatio inducitur ad familiam, domum, & agnationem masculinam suprà enunciatam, cum omnibus qualitatibus suis, & sic etiam masculinitatis, per text. *in l. si prior*, & ibi Bald. *ff. sol. matr.* Ias. in simili de dictione repetitiua, vt suprà, *consil. 108. col. ante penult. vers. non quoque obstat, lib. 1.* & in specie nostra Socin. *d consil. 63. num. 12. lib. 3.* Quamuis eo ipso quòd testator in hac substitutione repetiit verba familiæ, & agnationis, censeatur intellexisse de masculina, cùm eam sic expressè suprà declarauerit, in hócque eodem sensu acceperit. *l. si seruus plurium. § fin. de leg. 1.* Bart. *in l. vnum. ff. de pet. hæred.* Peregrin. in his terminis. *d. cons. 159. nu. 14. in fin. lib. 5.* & quia vnum, & idem verbum non debet diuerso iure censeri, *l. eum qui. ff. de vsucap.* sic in proposito dicit Ruin. *consil. 168 num. 13 in princ. lib. 3.* Nec præsumitur mutatio voluntatis, *l. non ad ea ff. de cond. & dem.* Sed vniformis illa censetur, & quæ fuit in præcedentibus continuata, præsumitur in sequentibus, vt ex Bart. *in l. fin. ff. ad Trebell.* arguit in specie Gabr. *consi. 97. n 36. lib. 1.* Peregrin. *d. cons. 159. n. 13. & n 15 vers quinto quia.*

6 Vlteriùs pro eadē masculinitatis repetitione ponderabant structuram verborum. Nam dum primò dicitur, *occurrente morte alicuius ex dictis suis hæredibus*, &c. istud non potest intelligi, nisi de masculis, qui soli hæredes instituti fuerunt. Secundò dum deinceps substituit, & subrogat alios superuenientes, hoc similiter intelligitur tantùm de masculis, quia dictio *alios* repetit qualitatem, & similitudinem in substantia. Felin. *in c sedes numero 6 vers dictio, alius, de rescript.* Alexand. *consilio 1. numero 10. libro 4.* cum aliis relatis in illa Romana mensæ numulariæ 30. Iulij 1614. coram Reuerendissimo Domino meo Decano, & in nostris terminis Dec. *consilio 182. numero 18. versic. Tertio respondetur.* Demum cætera verba proximè subsequentia, *& deinde proximiores primogenitos, & sic successiuè alios descendentes in dicta sua familia*, &c. tanquam omnia adiecta, & restricta ad prædictam dictionem *alios*, quæ, vt dictum est, masculos tantùm complectitur, ordinem dumtaxat personarum successiuum adiungunt, retenta eadem qualitate masculinitatis, & cùm sint apposita in eadem oratione, intelligi debent, sicut & præcedentia. Bart. *in l Seiæ. §. Caio, numero 3. & 5. ff. de fund. instruct & in l. prætor la 2 § eritque differentia, in princip. vers. quandoque lex. ff. de bonorum raptorum*, fuit dictum in dicta Romana mensæ numulariæ, & tandem sufficere dicebant de contraria testatoris voluntate non constare, quia secunda ista substitutio quatenus dubia sit, per aliam priorem declarari debet, qui enim ab vna substitutione exclusus est, putatur exclusus etiam ab alia, in qua eadem res continetur. Bald. *in l. 1 § fin ff ad Trebell.* Dec. *consil. 186 num. 4* Gabr. *dict. consil. 132 quæst. 4. numer. 44.* Quin etiam arguendo à fortiori, si testator in præcedentibus casibus alienationem, in quibus ob violationem, & transgressionem suæ dispositionis masculos minori prole qui fauore debebat, fœminas tamen nunquam in ipsorum defectum vocauit, multo minus eas videtur admittere voluisse in casu mortis eorumdem masculorum, in quo nulla adest eorum culpa, nec causa odij testatoris. Quibus accedit auctoritas Ruin. *d. consilio 168. num. 11. vers. secundò respondetur, & num. 14 & 15. lib. 3.* qui in specie loquitur quando qualitas masculinitatis est expressa in institutione, vel in prima substitutione, & dicit quòd intelligitur etiam repetita in posteriori substitutione, & sequitur Peregr. *d. consil. 159. num. 13. & 15. lib 5.*

Ex his sequitur quòd nec possint dici fœminæ vocatæ per verba communia descendentium proximiorum, & alia. Quia licèt illa ex sui natura & proprietate apta sint eas comprehendere, ex causa tamen conseruandæ agnationis, & qualitate masculinitatis adiectis, eorum significatio ad masculos restringitur. Ruin. *d consil. 161 num. 5. vol. 2.* Socin. *d. consil. 63 num. 15. vol. 3. & in vers. Familiæ.* Bald. inter cons. Anchar. *95 num. 3.* Gabr. *d. consil. 132. quæst. 4. nu. 38.* Bursat. *consil. 228. num. 46 vol. 3.* & dixit Rota in dicta Carpentoraten. fideicommissi coram D. meo Manzanedo. 7

Neque obstare visum fuit quòd saltem in defectum masculorum, sícque in subsidium fœminæ intelligantur vocatæ. Socin. *consil. 227. numer. 5. in fine, vers. sed multipliciter, & num. 6. lib. 2.* Ruin. *consil. 120. num. 10. & 11. lib. 1. & consil. 140. num 4. lib. 2.* Cephal. *consil. 152. num. 23.* cum aliis allegatis. Quia ista declaratio, & limitatio procederet, si fœminæ ab initio, vel in aliqua testamenti parte vocatæ fuissent, non autem quando ex coniecturis, vt ex adiectione causæ cōseruationis in familia, vel ex expressione masculinitatis constat de mente testatoris, quòd de masculis tantùm intellexerit, exclusis fœminis, prout in hoc casu. Gabr. *d. consilio 132. in 5. quæst. lib. 1.* 8

Peregr. *d. consil.* 58. *num.* 6. *vers. secunda conclus. & dict. consil.* 159. *num* 13. *vers. quartus est casus.* Rota in dicta Carpentoraten. fideicommissi 11. Ianuarij 1608. coram Illustrissimo Lancellotto, & voluit idem Socin. *d. consil* 63 *num.* 17. *lib.* 3. Imò hoc idem sensit *in allegato consil.* 227. vbi *num.* 5. *vers. sed contra præmissa*, dicit quòd licèt appellatione familiæ, & agnatorum veniant fœminæ ex masculis, secus si de mente testatoris ostendi potest quòd intellexit tantùm de masculis, & non de fœminis, & sic eum etiam declarat Ruin. *in d. consil.* 120. *n.* 10. *lib.* 1. & Peregr. *de fideic. art.* 14. *num.* 39. *vers. sed contra*, & ratio est secundùm Gabr. *d. consil.* 132. *n.* 46. quia successiua vocatio tantùm locum habet inter eas personas, quæ initio vocantur: sed earum admissio aliqua ratione suspenditur vt alij præferantur, ad not. *in l. cum ita.* §. *in fideicommisso, de leg.* 2. *& in l. Gallus.* §. *quidam rectè ff. de lib. & posth.*

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. COCCINO.

***Cæsaraugustana parochialis de Maella. Lunæ* 6. *Nouembris* 1617.**

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus quando acquiratur ex augmento dotis, & quando debeat expresse reseruari? Et an regula octaua comprehendat beneficia iurispatronatus ex priuilegio, non obstante quasi possessione præsentandi. & declaratur regula quòd patronus pendente cognitione iurispatronatus sit in quasi possessione præsentandi manutenendus.

SVMMARIVM.

Mensis Octobris Episcopo non gaudente alternatiua, est vnum de mensibus reseruatis Papæ, num. 1.

Regula octaua comprehendit beneficia iurispatronatus ex priuilegio, & derogat quibuscumque priuilegiis etiam quòd in illis fuerit dictum quòd numquam sub Apostolicis reseruationibus comprehendantur, ibid.

Iuspatronatus vt acquiratur ex dotatione, requiritur dotatio formalis, num. 2.

Iuspatronatus non acquiritur ex augmento dotis, nisi Ecclesia sit penitus depauperata, & eidem noua dos esset data, n. 3. *vbi maximè, quando augmētum est modicum, & sine difficultate, quando non ascendit ad medietatem annui valoris fructuum beneficij.*

Iuspatronatus non dicitur acquisitum ex causa onerosa, nisi illud quod fuit datum, æquiualeat concessioni factæ, num. 5.

Iuspatronatus in dotatione beneficij non debet expresse reseruari, sed sufficit quòd non fuerit remissum, n. 4.

Fallit vbi agitur de acquirendo iurepatronatus ex augmento dotis, quia tunc debet exprimi quòd bona dantur pro dote, aliàs dans, dicitur potius benefactor, ibid. & n. 5. *vbi quòd probatur bona non fuisse data pro dote, eo ipso quòd non probatur fuisse data pro dote.*

Iuspatronatus vt dicatur fuisse reseruatum soluenti, vel danti certa bona, sufficiunt coniecturæ, n. 5.

Relatiua dispositio non concludit vbi non concordat cum relato, ibid.

Beneplacitum Apostolicum vt inducatur ex obseruantia, requiritur spatium 30. *annorum, dempto tempore litis, ibid.*

Regula octaua quatenus comprehendit beneficia iurispatronatus ex priuilegio habet locum non obstante quasi possessione præsentandi, cùm propter decretum irritans inficiat titulum & possessionem, num. 6. *vbi quòd ideo conclusio procedit, quia reseruatio est generalis, nulla habita distinctione an sit de certo, vel incerto corpore beneficij.*

Declara vt procedat quando decretum est iustificatum, vt si indubitanter constet beneficium esse de iurepatronatus ex priuilegio, aliàs secus, num. 7. *vbi quòd requiritur res iudicata, vel confessio partis, aut alia liquida probatio, vtpote illa quæ resultat est instrumento.*

Reseruationes omnes hodie sunt generales & per viam legis ac motu proprio, ideoque inficiunt possessionem perinde ac si essent super certo corpore expressæ, nu. 6.

Probatio probationem non excludit, nisi adsit res iudicata, vel confessio partis, vel instrumentum, n. 7.

Probatio resultans ex instrumento dicitur liquidissima probatio, ibid.

Beneficia omnia præsumuntur libera, etiam in Imperatore & aliis principibus, num. 8.

Regula operatur effectum suum vbi exceptio non est clara, ibid.

Poprietas quando de illa constat, præfertur possessioni, nu. 9. *vbi in terminis iurispatronatus, ibid.*

Patronus dum cognoscitur super meritis iurispatronatus non est sua quasi possessione priuandus, n. 10.

Declara quia aut beneficium vacat in mense reseruato, & quasi possessio non suffragatur aduersus octauam, aut non vacat in mense reseruato, & tunc cùm iuspatronatus possit per Ordinarium reuideri patronus non est interim sua possessione priuandus, ibid.

Iuspatronatus reuideri non potest si ante annos 40. *à publicatione Conc. Trid. fuit constitutum, numer.* 11. *vbi quòd non ideo infertur quòd si iuspatronatus est ex priuilegio, non veniat sub regula octaua, & an regula Adriani obstet.*

DECISIO DLXVIII.

In hac causa duæ principales difficultates oriuntur. Prima est, an ista parochialis sit reseruata vigore regulæ octauæ, etiam quòd sit de iurepatronatus laicorum ex priuilegio. Secunda est, posito quòd de iurepatronatus laicorum ex priuilegio, an patronus, qui est in quasi possessione præsentandi, sit in ea manutenendus, dum cognoscitur, an huiusmodi iuspatronatus comprehendatur sub regula 8. Et quantum attinet ad primam difficultatem, si hæc parochialis non cadit sub alternatiua Episcopi, de quo particulariter erit agendum, certum est quòd est reseruata, cùm vacauerit de mense Octobris, qui Episcopo non gaudente alternatiua est vnus de octo reseruatis, vt expresse legitur in dicta regula 8. non obstante quòd dicta parochialis sit de iurepatronatus ex augmento dotis annuorum solidorum 200. hoc est scut. 10. vt habetur in literis concessionis Iulij II. quia cùm sit ex priuilegio, comprehenditur sub dicta regula, vt sunt illius verba clara, *cùm tollat priuilegia, & indulta*, &c. vt fuit resolutum in causa Compsana iurispatronat. 23. Ianuarij, & 3. Decembris 1604. coram bon. mem. Litta vbi

vbi aliæ decisiones allegantur,& dicitur quòd regula tollit quascunque clausulas priuilegij, cùm deroget priuilegiis,& aliis,etiam quòd in illis fuerit dictum, quòd nunquam sub Apostolicis reseruationibus comprehendantur; & fuit ponderatum in hac causa 14. Nouembris superioris anni.

2 Quòd autem istud iuspatronatus sit ex priuilegio satis patet,quia cùm agatur de acquirendo iurepatronatus ex dotatione, indubitata conclusio est quòd requiritur dotatio formalis, *c. filiis 16. qu.7.* Innoc. *in rubr. de iurepatr. n.2.* Hostien. *in summa, eod. tit. §. ex quibus, vers. idem videtur si Ecclesiam dotauit,* Io. Andr. *in c.1. in glos.1. eod. tit.* Card. *in rubr. eod. tit num.* 3. Abbas *in cap. quoniam, nu.9. eod. tit.* Roch. *de iurepatronat. vers. dotauit qu.2. nu.4. vbi de communi*, Paulus de Cittadinis *part.3. cau.2.* Lambert. *lib.1. part.1. qu.6. art.1.* & fuit dictum in causa Regien. iurispatron. 9. Maij,& 23. Iunij 1586. coram recol. mem. Hieronymo Cardin. Pamphilio tunc Rotæ Auditore, & in causa Tirasonen. iuris præsentandi 5. Maij 1593. coram bo. me. Pegna,& 24. Ianuarij 1594. coram bon. me. Alexandro Litta.

3 In nostro autem casu non adest dicta dotatio,sed solum augmentum dotis, ex quo de iure communi non acquiritur iuspatronatus, gloss. *in cap. piæ mentis, in vers. patronum 16. quæst.7.* Abb. *consil.59. lib.2.* Roch. *de iurepatronat. in vers. dotauit, q.1. & 3.* & fuit dictum in causa Lunen. Sarzanen. beneficij 5. Iulij 1599. coram Illustriss. D. meo Cardinali Mellino,& aliàs sæpiùs, & propterea necesse fuisset ad acquirendum iuspatronatus quòd Ecclesia esset penitus depauperata,& eidem noua dos esset data, Roch. *vbi sup. quæst.3.* Bero. *consil.4. num.24. vol.1.* & fuit dictum in causa Lunen. Sarzenen. coram Illustriss. Mellino,& in alleg. causa Compsana iurispatronat. 23. Ianuarij, & 3. Decembr. coram bon. memor. Litta,& si admitteretur prædictam conclusionem intelligendam esse quando augmentum,quod datur, est parui momenti, & agitur de acquirendo iurepatronatus via ordinaria; secus tamen esse quando est tantæ considerationis, vt dos quam habet Ecclesia, habito respectu ad augmentum, nullius sit considerationis, ita vt concessum à Papa magis operetur concessionem ex iustitia, quam ex gratia, prout videtur sensisse Rota in causa Perusina de confinio 3. Decembris 1576. coram fel. record. Clemente VIII. vbi quòd iuspatronatus non dicitur acquisitum ex causa onerosa,nisi illud quod fuerit datum æquiualeat concessioni factæ, & idem repetiit Rota in vtraque decisione Compsana,fuit tamen dictum hoc augmentum esse tam modicum, vt in nulla sit habendum consideratione, Roch. *de iurepatronat. vers. dotauit quæst.9. num.16.* vbi quòd modica dos non facit patronum, & nulla prorsus adest difficultas, quando augmentum dotis non ascendit ad medietatem annui valoris fructuum beneficij, vt dixit Rota in causa Valentina Parochialis de Carlet. 4. Maij 1601. coram Illustriss. D. meo Cardinali Lancellotto tunc Rotæ Aud.

4 Non obstat quòd Ioannes Patronus soluerit scut. 4. milli. Capitulo del Pilar, pro recuperatione trium partium fructuum Ecclesiæ de Maella, quæ erant dismembratæ,& vnitæ Ecclesiæ de Pilar authoritate Pij IV. quia quatenus ista summa sufficeret pro acquirendo iurepatronatus, ex augmento dotis; in hoc tamen casu non fuit acquisitum. nam licet verum sit,quòd in dotatione beneficij non debeat expressè reseruari iuspatronatus,& sufficiat quòd non fuerit remissum, *cap. significauit*, vbi DD. & præsertim Abb. *in 1. not.* Felyn. *num.2. de testib.* & fuit sæpissimè in Rota dictum: attamen quando agitur de acquirendo iurepatronatus, ex augmento dotis,debet exprimi, quòd bona dantur pro dote, aliàs dans dicitur potiùs benefactor, Ioan. Andr. *in cap.1. col.3. in princ. vers. alius autem. de iurepatr.* Abb. *in cap.3. num.* 10. & Bero. *num.89.* vbi de magis communi, *eod. tit.* idem Abb. *in consil.59. num.2. vers. vnde si quis, & cons. 206. sub num.2. vers.1. enim,* &c. *part.2.* Roch. *de iurepatr. in vers. & dotauit. quæst.6. num.9.* Lambertin. *de iurepatr. lib.1. part.1. quæst.6. art.1. num.9. cum pluribus seqq. & num.29.* & fuit dictum in causa Imolen. iurispatr. 7. Iunij 1577. coram Cantuccio, vbi dicitur de magis communi opinione relata inter impressas 167. *num.3. part.2.* & in alia Lucana Maiusculatus 4. Decembris 1587. coram Orano, & in Nolana beneficij 19. Ianuarij 1594. coram bon. mem. Cardin. Arigonio, tunc Rotæ Auditore, & in Aretina Capellaniæ 16. Decembris 1594. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio.

Quòd autem Ioannes non soluerit pro dote, hoc eo ipso probatur, ex quo non probatur pro dote soluisse,cùm hoc sit fundamentum partis, Oldrad. *cons. 254. num.14. vers. ad formam verò, & num.21. vers. præterea aliud,* & bene facit, Angelus *in consil.275. col.5. num.4. in fin. vers. sic in negatiua, videmus,* & quamuis sufficiant coniecturæ ad probandum quòd dans,vel soluens,voluerit reseruare sibi iuspatronatus,Roch. *in verb. & dotauit. quæst.6 num.11. in fin.* Lambert. *lib. part.1. qu.6. art.1. num.16.* Bero. *in cap.3. num.90. vers. tacitè etiam dicetur, vsque ad finem, de iurepatr.* & fuit resolutum in causa Lucana Maiusculatus 4. Decembris 1587. coram bon. mem. Orano; attamen in hac facti specie cessant omnes coniecturæ, quia cùm causa agiteretur coram Gropperio, super nullitate dismembrationis, nunquam Ioannes comparuit tanquam patronus, sed tanquam vnus ex Parochianis, qui faciebant litem pro nullitate dismembrationis, vt patet ex deductis in summario Ludouici *à num.3. vsque ad 9.* Et licèt in concordia, seu narratiua illius, cuius vigore dicta summa soluta fuit, Ioannes enuncietur patronus; attamen dicta verba sunt assertiua, cùm ibi dicatur, asserentem se patronum, & sunt etiam relatiua ad litem, & sententiam, in quibus Ioannes non nominatur patronus, & propterea non concludunt, quòd assignatio prædicta fuerit facta pro dote, iuxta not. *in cap. si Papa, de priuil. in 6. & in Clement. si summus, de sent. excom.* & per Aretin. *in consil.23. num.8. vers. verum tamen: & cons.13. col. fin. vers. præterea*, & cessat omnis difficultas. quia si agendum est via ordinaria ad acquirendum iuspatronatus, fuisset opus vt Ecclesia esset penitus depauperata, & egeret noua dote, vt suprà relatum est; si verò dicta dotatio sufficeret, itaut iuspatronatus dici posset acquisitum, ex titulo oneroso; quatenus tamen interuenisset beneplacitum Apostolicum, ex pariter suprà deductis, in hoc casu nullum adest beneplacitum, neque potest induci ex obseruantia, cùm dempto tempore litis anni 30. non interuenerint, cum obseruantia, Put. *dec. 355. lib.2. in nou.* Rot. *decis.179. part.2.* & fuit sæpissimè dictum.

Quantum attinet ad secundam difficultatem, an ex quo patronus est in quasi possessione præsentandi, possit iuuari aduersus dictam regulam 8. ex dicta quasi possessione præsentandi? & resolutum fuit non posse iuuari, quia cùm ex prædictis clarè con-

stet beneficium esse de iurepatronatus, ex priuilegio, & sic comprehendi sub regula octaua, illa propter decretum irritans inficit nedum titulum, sed etiam possessionem, Cassad. *decis.* 1. *num.* 1. *& per tot. de restit. spol.* Put. *decis.* 196. *num.* 1 *lib* 3. *in nou.* Rot. *decis.* 510. *num.* 5. *lib.* 3 *part.* 3. Mandos. *super reg.* 1. *quæst.* 3. *per totum*, Modernus gloss. *reg.* 8. *gloss.* 31. *numero* 8. *& glos.* 66. *num.* 29. & hæc conclusio procedit in casu isto, in quo habemus reseruationem, ex regula, nulla habita distinctione, an reseruatio sit de certo, vel incerto corpore beneficij, vt per Cassador. *decis.* 1. *num.* 3. *de restit. spoliat.* Germon. *de induit. in* §. *volentes, nu.* 30 *&* 31. Modern. glossator *reg.* 8. *gloss.* 66. *numero* 32. & ista sententia inter alias fundatur in optima ratione, quia hodie omnes reseruationes sunt generales, ac per viam legis, & ex motu proprio, vt probat d. Modernus *in* §. 1. *prooemiali, num.* 57. & sic inficiunt possessionem, perinde, ac si essent super certo corpore expressæ, Lancellot.. *de attentat.* 3. *part. cap* 24. *quæst.* 9. *numer.* 4. *&* 5. & fuit resolutum in causa Salamantina fructuum 9. Martij 1587. coram bon. me. Giptio, Modernus gloss. *d. gloss.* 66. *n.* 34. *& seqq.*

7 Neque facit quòd prædicta conclusio verissima sit, quando decretum est iustificatum, vt si indubitanter constaret beneficium esse de iurepatronatus, ex priuilegio, aliàs non inficiat possessionem, Caputaq. *decis.* 326. *num.* 7. *part.* 3. Crescent. *decis.* 6. *de restit. spoliat.* Modern. gloss. *allegata gloss.* 66. *num.* 39. hîc autem decretum non videtur iustificatum. nam licèt adsint prædictæ probationes; attamen cùm probatio probationem non excludat, non potest dici decretum iustificatum, donec contrarium probari potest, Ægid. *dec.* 103. & ad hunc effectum videatur requiri res iudicata, vel confessio partis, Rot. *decis.* 169. *part.* 2. & fuit dictum in causa Baren. beneficiorum 14. Maij 1604. coram Illustriss. D. Cardinali Lancellotto. nam fuit responsum quòd licèt confessio partis, & res iudicata sint liquidissimæ probationes; attamen non excluduntur aliæ probationes, quæ de iure sunt liquidæ, prout sunt illæ, quæ fiunt ex instrumento, quæ liquidissimæ probationes de iure dicuntur, Gemin. *consil.* 27. *in princ.* Oldrad. *cons.* 139. *in fin. vers. decimo*; hic autem, vt patet ex prædictis, probationes factæ super iurepatronatus non releuant, & ideo indubitatum est, quòd probatio deducta ex instrumento sit liquida, cùm negotium sit discussum, Natta *consil.* 51. *num.* 18. *&* 19. Roland. à Valle *consil.* 75. *num.* 3. *lib.* 3.

8 Vlteriùs responsum fuit omnia beneficia præsumi libera, Innoc. *in cap. cùm venerabilis, num.* 9. & ibi DD. *de exception.* Ioann. Andr. *in cap. vnico, de capell. Monach. in* 6. Bald. *in sua margarita, vers. Ecclesia, nu.* 19. Dec. *consil.* 117. *& consil.* 573. *col.* 2. Roch. *de iurepatron. in vers. construxit, numer.* 29. quæ conclusio procedit nedum in priuatis, sed etiam in Imperatore, & aliis Principibus, vt probat Rodulphus Schrader. *consil.* 20. *lib.* 2. *inter consil. Ioannis Bercholten. colum.* 32. *fol. mihi* 453. *vers. & licèt hæc prima fronte*, & propterea cùm alia pars det de iurepatronatus, non plenè probat intentionem suam, vt patet ex dictis; quare non potest dici, quòd liquidè constet de exceptione iurispatronatus, & ideo regula operatur effectum suum, quia exceptio non est clara, Oldrad. *cons.* 206. *in princ. vers. restat.* Paris. *consil.* 67. *in princ. lib.* 4. Ias. *in l. Titia textores, in primo notab. numer.* 2. *& seqq. de leg.* 1. Nec quasi possessio suffragatur, cùm inficietur ex decreto irritanti, vt suprà dictum est, & ita seruatum in causa Compsana iurispatronatus coram bon. mem. Litta, vt patet ex vtraque decisione.

Comprobantur prædicta, quia non est nouum in iure, quòd proprietas quando de illa constat (prout constat in casu nostro ex prædictis) præfertur possessioni, vt in similibus terminis dixit Abb. *in cap. consultationibus, num.* 9. *de iurepatr.* Butr. *in cap. litteris, num.* 8 *eod. tit.* Ripa *in cap. cùm Ecclesia, n.* 130. *de caus. possess & propr.* Dec. *consil.* 123. *nu.* 1. *& consil.* 149. *numer.* 2. Lambertin. *de iurepatr. lib.* 2. *part.* 2. *quæst.* 3. *art.* 6. *n.* 4. *& seqq. & art.* 9. *num.* 2. Roch. *de iurepatronat. in verbo competens, quæst.* 15. *num.* 49. Paul. de Cittadinis *de iurepatronat. part.* 6. *art.* 53. *num.* 16. & fuit dictum in causa Imolen. iurispatronat. 7. Iunij 1577. coram Cantuccio, & in causa Senen. iurispatr. 9. Ianuarij 1598. coram bo. me. Francisco Pegna, & in alia Romana de Publicolis 21. Ianuarij 1600. coram Episcopo Pacen. & in Meliuitana iurispatronatus 18. Aprilis 1608. coram Reuerendiss. Lugdunen. & vltimo loco in causa Lucana iurispatronat. 23. Ianuarij 1612. coram bon. mem. Pegna, quæ licèt nuper fuerit reuocata coram R. P. D. meo Vbaldo, hoc prouenit, quia factum subsistebat, non autem iuris conclusiones. 9

Neque obstat quòd dum cognoscitur super meritis iurispatronatus, patronus non est sua possessione priuandus, vt fuit resolutum in causa Lucana Canonicatus 18. Maij 1590 coram Bubalo, quia placuit Dominis distinctio facta in causa Barchinonen. Prioratus 11. Maij 1600. coram me, videlicet quòd aut beneficium vacat in mense reseruato, & quasi possessio non suffragatur aduersùs clausulas regulæ 8. ex rationibus suprà ponderatis; aut non vacat in mense reseruato, & versamur in casu quo iurispatronatus potest reuideri per Ordinarium, iuxta terminos Concilij Trident. *sess.* 25. *capite* 9. *de reformat.* & interim dum reuidetur, patronus sua quasi possessione non est priuandus, & in istis terminis loquitur prædicta decisio Bubali, & ita declarauit Congregatio Illustrissimorum interpretum, vt refertur in dicta causa Barchinonen. in nostro autem casu non agitur de reuisione iurispatronatus ad effectum vt debeat reuocari, vel confirmari, iuxta terminos dicti Concilij Trident. sed agitur an comprehendatur sub regul. 8. quæ non reuocat beneficia de iurepatronatus ex priuilegio, sed solùm reseruat. 10

Et prædicta responsione tollitur quòd iura patronatus non possunt reuideri, si ante annos 40. à publicatione Concilij fuerunt constituta, quia quicquid dicendum sit, an istud iuspatronatus possit dici constitutum per 40. annos ante publicationem Côcilij, stante regula Adriani VI. quam difficultatem adnotaui excogitasse Illustrissimum D. Cardinalem Mellinum tunc Rotæ Auditorem, dum proponebatur dicta causa Valentina de Carlet, hîc non agitur de reuisione, sed dicitur, quòd iuspatronatus est ex priuilegio, & quòd propterea est reseruatum per regulam 8. stant enim simul, quòd iuspatronatus non possit reuideri, & quòd nihilominus sit ex priuilegio, ita ut comprehendatur sub reseruatione regulæ 8. 11

Ex quibus si hoc beneficium non cadit sub alternatiua Episcopi, de quo erit videndum, standum est in decisis sub die 14. Nouembris superioris anni. Vbi conclusum fuit constare de reseruatione. 12

R. P. D.

R.P.D. PAMPHILIO.

Romana expensarum. Lunæ 6. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Expensarum refectio facienda est à succumbente, & quæ quomodo probentur, & factæ à Procuratore nunquid præsumantur factæ ex pecuniis ipsius Procuratoris, vel principalis.

SVMMARIVM.

Expensæ litis factæ in Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, & copistis à succumbente reficiendæ sunt, nu.1.
Expensæ litis probantur per quitantias eorum, qui illas receperunt, ibid.
Liber priuatus si contineat aliquas partitas veras, & verificatas, probat etiam in aliis, ibid.
Aduocati non solent facere quitantias de honorariis ipsis datis, ibid.
Expensarum in lite factarum solutio nunquid facta præsumatur à Procuratore de suo proprio, an verò de pecuniis principalis, num.2.
Solutio præsumitur facta ex pecuniis soluentis potius, quam alienis, ibid.
Præsumptionum multiplicatio admittitur, quando vna venit in consequentiam alterius, num.4.

DECISIO DLXIX.

1 Domini steterunt in resolutis sub die 23. Ianuarij 1616. nempe expensas deberi D. Bartholomæo iuxta taxam faciendam, habita ratione eorum, quæ tunc in decisione deducta fuerunt; & moti sunt ea præcipuè ratione, quia vltra quòd huiusmodi expensæ omnes sunt cum Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, copistis, & aliis occasione litis, quam certum est absque expensis fieri non potuisse, maximè, quia illa longo tempore in Curia agitata fuit, & non est verisimile, quòd omnes supradicti eorum operas gratis locauerint, ad *l.cùm de indebito.ff.de proba.* cum simil. Dantur etiam plures quitantiæ, & attestationes de recepto, ex quibus sicut expensæ in eis contentæ, verificatæ remanent, ita etiam ex illis potest argui ad alias, de quibus huiusmodi quitantiæ, & attestationes non dantur, vt in pluribus partitis libri priuati tradit Castr. *cons.302.nu.4.vers.potissimè quia,lib.1.* Gabr. qui plures allegat, & de magis communi in pract. seruand. testatur *de præsumpt.conclus. 5.num. 1.* & fuit dictum in causa Romana cambiorum 19. Februarij 1596. coram Mantica, & aliàs sæpe, quod procedit etiam in expensis cum Aduocatis, itaut non possit dici quòd ipsi verisimiliter pro D. Bartholomæo gratis dixerint, quia imò causa per eum agitata fuit nomine D. Lucæ, & Monachorum post illius mortem, & aliqui ex ipsis attestantur sibi fuisse per D. Bartholomæum integrè satisfactum iuxta solitum Romanæ Curiæ, quod ad istum effectum satis Dominis releuare visum fuit, ex supradictis, & tanto magis, quia ipsi de honorario huiusmodi quitantias facere non solent, nec debent, iuxta *l.1. §.proinde.ff.de var.& extraord.cognit.* cum aliis adductis per Decian. *in apolog.impress.post 3. vol.suarum responsionum cap.22.nu.152.& pluribus sequentibus.*

2 Neque obstat quòd huiusmodi expensæ præsumantur factæ ex pecuniis D. Lucæ principalis, qui illas facere tenebatur, quia placuit responsio, quòd id procedere possit, si principalis fuisset præsens in Curia, in qua expensæ factæ fuerunt, in quibus terminis procedunt trad. per Neuizan. *cons. 19. num.9.* relat. per Menoch. *lib.6.præsumpt.11.num.8.* In casu autem de quo agitur principalis erat absens, & certum est, expensas fuisse factas per manus ipsius Domini Bartholomæi Procuratoris, qui propterea præsumitur potiùs illa fecisse ex propriis ipsius pecuniis, ex trad. per Bald. *in l. in restituenda. C. de peten. hæred.* vbi loquitur in scholari, vel hospite, qui fecit expensas pro scholari infirmo, absentibus consanguineis ipsius, & postmodum in tertio voto dicit quòd probata expensa præsumitur facta de propriis pecuniis soluentis. Bart. *in l.2. C.pro soc. & in l.si patruus. sub num 4. vers. aut dubitatur ex qua pecunia.C. communia vtriusque iudicij.* Alex. *cons.152.num.5.lib.7.* & probato facto præsumitur, quòd sit factum expensis facientis. Bald. *in l.fin.§.in computatione nu.2. in fin. C.de iur.deliber.* cum aliis in decisione adductis, præsertim quia si fuissent factæ ex pecuniis D. Lucæ principalis, vel Monachorum post mortem Lucæ Curia transmissis, id facilè probari posset per litteras, & alias quitantias, quæ in similibus interuenire solent, vt fuit iam in alia decisione ponderatum.

Nec obstat quòd Monachi vti successores D. Lucæ non habeant notitiam istarum litterarum, & quitantiarum, quia præterquam quòd illæ apud Mercatores facilè reperientur, tollitur etiam obiectum ex eo quòd post mortem dicti Lucę lis prosecuta fuit nomine Monachorum per 8. annos, & non apparet quòd per dictum temporis spatium fuerit per eos ad Curiam aliqua pecuniarum quantitas ad istum effectum transmissa, de quo tamen verisimiliter appareret, ex supradictis. 3

Minus refragatur, quòd hîc detur multiplicatio præsumptionum, nempe quòd expensæ fuerint factæ ex pecuniis Procuratoris, quia vltra quòd de expensis factis à D. Bartholomæo constat etiam ex supradictis quitantiis, & attestationibus, quæ sunt probationes veræ, fuit etiam pro responsione ponderatum quòd vna præsumptio veniret in consequentiam alterius, quo casu illarum multiplicatio admittitur. Menoch. *de præsumpt. qu.43.num.1. lib.1.* Put. *decis.136. in fin. lib. 2.* & fuit dictum in causa ciuitatis Castelli bonorum 18. Martij 1611. coram R.D. Lugdunen. 4

Et ita decisum, &c.

R.P.D. BVRATTO.

Colimbrien. matrimonij. Lunæ 6. Nouemb. 1617.

ARGVMENTVM.

Remissoria conceditur etiam ad probationem delicti, dummodo constet de magno fumo: aliter secus. Non autem conceditur remissoria ei, qui in prima instantia, seu in Curia potuit testes examinare, & non examinauit.

SVMMARIVM.

Sponsalia præcedentia non sufficiunt ad contrahendum

matrimonium, ita quòd sponsa cogi possit ad illud contrahendum, data eiusdem sponsæ incontinentia, n.1.

Remissoria datur etiam ad probandum delictum, dummodo detur eiusdem delicti magnus fumus, aliter secus, num.2. vbi etiam, an testes sine citatione examinati faciant hunc fumum.

Testibus deponentibus de bona fama alicuius, magis creditur quàm deponentibus de mala fama, ibid.

Remissoria non conceditur ei, qui potuit testes in Curia examinare, & non examinauit, num.3.& num.4.vbi quòd nec etiam conceditur in secunda instantia, si in prima instantia potuit testes examinare, & non examinauit.

Remissoria conceditur etiam quòd vnus tantùm articulus sit releuans, num.4.

Matrimonium non impeditur per imparitatem coniugum, ibid.

DECISIO DLXX.

1 CVm resolutum fuisset sub diebus 14.Decembris 1615. & 21. Iunij 1616. constare de sponsalibus etiam iuratis inter DD. Emanuelem, & Blancam contractis, dedi dubium 10. Aprilis præteriti, an Emanuel cogendus esset ad contrahendum matrimonium per verba de præsenti? pro cuius parte opponebatur de incontinentia dictæ Blancæ post dicta sponsalia; ideoque ad contrahendum matrimonium cogi non posse, iuxta text. *in cap. quemadmodum*, vbi Abb. & cæteri, *de iureiur.* super qua incontinentia obtulit probationes, concessa sibi remissoria ad partes, & Domini dixerunt videndum an esset concedenda, propositoque dubio 3.Iulij præteriti, cùm non fuerit capta resolutio, hodie tenuerunt remissoriam esse denegandam.

2 Primò quia licèt materia sit releuans, nec remissoria denegetur etiam ad probandum delictum, Crescen.*decis.*8.& 9.*de prob.* Attamen requiritur magnus fumus. Cassad. *decis.*3.*num.*2. *de dilat.* Verall. *decis.*62.*part.*3.Rot.*decis.*687.*num.*3.*lib.*3.*part.*3.*diuers.* Modern.*de remiss.cap.*4.*num.*3. & 4.& de aliquo hîc non constat. Nec obstant testes pro Emanuele sine citatione examinati, qui videntur de articulatis per eum deponere, & solent sufficere, etiam si sint nulliter examinati, dummodo concludant in dicto. Cassad.*d.decis.*3.Modern.*de remiss.d.nu.*3.& 4.

Nam prætensus fumus ex dictis testibus resultans visus fuit Dominis extinctus per alios testes simili modo pro Blanca examinatos, benè & concludenter deponentes de eius nobilitate, pudicitia, & optima fama, qui sunt præferendi testibus Emanuelis tanquam deponentibus pro non delicto. Gabr. *de testib.concl.*4.*nu.*21. & pauciores de bona fama præferuntur pluribus de mala. Gabr. *vbi suprà num.*25.& sufficit quòd fumus eodem modo tollatur, vt fuit dictum in Toletana parochialis 29.Martij 1593 coram bon.me.Litta, & in Giennen.portionis 4 Decembr. 1613. coram me.

3 Secundò, quia cùm pars Emanuelis haberet dictos testes in Curia, non curauit tanto temporis spatio illos repetere parte citata, imò cùm pro parte Blancæ instaretur disputari dubium, an dicta remissoria esset concedenda pro eodem Emanuele, fuit dilata disputatio prætextu dictos testes repetendi, & alios examinandi, quos tamen nunquam produxit, & ideò cùm constet eos habuisset hîc testes quos examinare poterat, non est illi concedendum remissoria, arg. text. *in l. de die.§.iubetur iurari.ff.qui satisd.cog.* vbi Castr.*num.*15.Alex.*num.*7.*sub §.Tutor Iacobin.num.*10. Afflict.*decis.*137.*num.*4.cum cumulatis per Farin.*de oppos.contra exam. test. quæst.*77.*num.* 39. Scacc. *de iudic.caus.ciuil.lib.*2.*cap.*3.*num.*791.& oriebatur etiam suspicio, quia pendente causa in Rota dicti testes Emanuelis fuerunt inducti in alio Tribunali.

Non obstat articulata imparitas Blancæ cum dicto Emanuele, & sic quòd sufficiat vnus articulus releuans. Cassad. *decis.*5. *de seq.poss. & fruct.numer.*6. Seraphin.*decis.*1364.*num.*3. & quotidie seruat Rota; quicquid enim sit de releuantia huius articuli, cùm imparitatem non impedire matrimonium teneat Molin.*de iust.& iur.disput.*27.*nu.*4.& relati per Sanchez *de sponsal.lib.*1.*disput.*14.*nu.*2. illa fuit etiam articulata in partibus in prima instantia, & super ea examinauit testes, vt etiam publicatos, quo casu remissoria non conceditur. Rot.*decis.*19. *de re iudic.in antiq.& decis.*16.*de testibus in nou.* Vestr.*in prax.lib.*6. *cap.vlt.de remiss.nu.*3. & alij relati per Farin.*de oppos. contra examen.test.quæst.*77.*num.*30. & fuit sæpissimè decisum, præsertim in Hispalen.matrimonij 5. Iunij 1609.coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio, & in Ianuen. pecuniaria 5. Iunij 1613. coram R.P.D. meo Vbaldo. 4

Et ita fuit vtraque parte informante decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Pampilonen. Capellæ. Lunæ 6. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Spurij & bastardi nunquid succedant in iurepatronatus, & nunquid veniant sub nomine consanguineorum, aut proximiorum.

SVMMARIVM.

Minor & filiusfamilias non potest in iudicio comparere, nec Procurator esse sine consensu patris. Fallit in causa spirituali, nu.1.

Causa capellæ cum onere Missarum dicitur spiritualis, vel saltem spirituali annexa, ibid.

Pater non habet administrationem in spiritualibus ad filium spectantibus, ibid.

Capellæ non sunt beneficia, nec dantur in titulum, & vtrùm laici & fœminæ sint earum capaces, ibid.

Sententia lata sine citatione suppletur per conclusionem in causa de stylo Hispaniarum, num.2.

Citatio pro singulis diebus & horis sustinetur quando terminus fuit tentus, & citatio reproducta in prima die, ibid.

Iuspatronatus regulari debet ex lege fundationis, quæ semper attendi debet, ibid.in fine.

Consanguineorum appellatione nunquid veniat spurius in materia iurispatronatus, num.3.

Consanguinei nomen de iure multis modis accipi solet, sed de iure Canonico intelligitur pro eo, qui quo quomodo coniunctus est in quocumque gradu, vel ex patre, vel ex matre, num.3.& 4.

Communis loquendi vsus in quacumque materia attendi debet, num.4.& 5.in fine.

Spurij & bastardi, & alij quicumque illegitimi dicuntur sanguine coniuncti, num.4.

Iuspa-

Iuspatronatus transmittitur ad spurios, quando sic constat de voluntate testatoris, num.5.

Proximiorum appellatione nunquid veniant spurij & bastardi, num.6.

DECISIO DLXXI.

1 Censuerunt Domini sententias esse confirmandas, quia de earum validitate & iustitia ex reuolutione processus apparet.

Neque respectu primæ sententiæ videtur obstare defectus mandati Petri de Hae, quippe esset annorum 15. & inhabilis per se & per alios esse in iudicio sine curatore, vel sine consensu patris, si tunc degebant in humanis. *cap.fin.cum gloss.de iud.in 6.l.fin.* vbi gl. *in §.necessitate. C.de bonis quæ liberis.l.1.in fine.C.de annali except.l.1.§.in causis. ff.de admin.tutor.* Quia cùm agatur de Capella cum onere Missarum, quod respicit materiam spiritualem, vel saltem spirituali annexam, in qua pater non habet administrationem. *cap.fin.de iudic.in 6.* Gig. post alios, *cons.14.num.3.& seq.* inde sequitur quòd peracto anno 14. tam agendo, quàm excipiendo potest stare in iudicio, vt bene declaratur *in d. cap.fin.* & per Gig. *loco præallegato.* Nec vrgebat consideratio causæ profanæ, ex eo quòd huiusmodi Capellæ non sint beneficia, postquam non dantur in titulum, & laici, ac fœminæ sunt capaces, cùm consistant in simplici administratione bonorum, Rot.diuersor. *decis.182.part.1.& decis.264.part.2.* Quia dispositio *cap.fin.* nedum capit merè spiritualia, sed etiam dependentia, & ordinata ad specialia. Ibi, *necnon dependentia ab eis,* & idem declarat gloss. *ibid.in verb.spiritualibus.* Capella autem de qua agitur erecta fuit pro celebratione Missarum, ideo dispositio dicti Capituli bene conuenit, cùm Missarum celebratio ad spiritualia tendat.

2 Quo verò ad secundam sententiam, non subsistit defectus citationis, quia vltra quòd præcessit conclusio in causa quæ fuit parti intimata, & sufficeret ad sustinendam sententiam de stylo Hispaniarum, vt sæpiùs Rota tenuit, interuenit etiam alia citatio specialis ad sententiam quæ fuit executa contra Procuratorem Petri die 23. Septembris pro die 24. subsequenti, in quo sententia fuit prolata, & quamuis in eadem citatione fuerit additum, & pro octo diebus sequentibus: nihilominus sententia remanet valida, vti lata in primo termino, in quo vaga, aut incerta dici non poterat.

Similiter iustitia est patens, quia sententiæ sunt latæ ad fauorem Didaci, qui est consanguineus & proximus ipsi fundatori, & in concursu cum Petro, qui erat in remotiori gradu, præferendus est, ex *l. fundationis,* quæ semper attendi debet. *cap.recipimus, de priuileg.l.ad probationem. C.de probat.* ibi. *quem tenor ostendit,* Barbat. *cons.33.num.8.* Roch. *de iurepatr. in verbo pro eo, quæst.12.*

3 Non obstat, quòd Didacus tanquam descendens à Ioanne spurio venire non potest sub nomine consanguineorum, neque iura consanguinitatis ex parte præsens habere possit, *l. si spurius. ff. vnde cognat.* Felin. *in cap. nonnulli. §.sunt alij, num.19. de rescript.* Honded. post alios *cons.5.nu.16.& seq.lib.2.* Gabriel. *cons.95.num.5.lib.5.* & Molin. *de primog. lib.1.cap.4. num.45.* cum aliis allegatis. Quia fuit responsum, quòd etiamsi consanguinei nomen de iure multis modis accipi soleat, vt referunt Corn. *cons.21. lib.1.* Tiraquell. *de retract.lignag.§.1.gloss.9.nu.4.* Peregr. *de fideicommiss.art.22.nu.35.* Tamen secundùm ius Canonicum intelligitur pro eo, qui quo quomodo sanguine coniunctus est, vel ex patre, vel ex matre, & quocunque gradu & sexu se attingat, & hoc quoque asserunt intelligere communem vsum loquendi, qui in quacunque materia attendi debet. Bart. *in l.omnes populi, num.58.ff.de iustit.& iur.* Abb. *in cap. nonnulli, num.5.de rescript.*

Vocabulum autem *sanguinis,* vnde consanguinei dicti sunt, generale est, & ad omnes refertur, qui sanguine contingere possunt. *l. hac parte. ff.vnde cognat.l.vel si sanguine.ff. de manumiss. vind.* Tiraquell. *d.gloss.9.num.6.* Couarr. *super 4.decretal.part.6.§.6.de consanguin.* Sanchez *de matrim.lib.7.disput.50.num.1. lib.2.* Vnde cum spurij & bastardi, ac alij quicunque illegitimi, vbi non dubitatur de filiatione, ab eodem sanguine & semine proficiscantur, & inspecta natura sint filij, & consanguinei in eisque cadat affectio naturalis, videntur comprehensi in dispositione loquenti de consanguineis, nisi mens disponentis aliter suadeat. Bart. *in l.pronun.§ familiæ in fine, ff.de verb.significat, & in l. tutelas, nu.4.ff.de cap. dimin.* Abb. *in cap. nonnulli, §. sunt & alij, in fin. de rescript.* Nauar. *cons.4. sub tit.de iurepatronatus.* & hic conueniunt termini decisionis Tirasonen. Eleemosynariæ 14 Nouembris 1603. coram Cardinali Lancellotto, quamuis verba non sint eadem, dum de descendentibus vocatis erat quæstio, in quibus cadebat minor difficultas. 4

Neque poterat dubitari in præsenti de voluntate testatoris, ad quam Nauarr. & alij respiciendum esse animaduertunt, quia de huiusmodi persona habita fuit mentio per fundatorem tanquam de filio naturali Ferdinandi de Azedo eiusdem fundatoris fratris, & honorauit illum legato scutorum 300. sciens esse administratorem bonorum huius Capellæ. ex quibus apparet quòd non abhorruit personam istius illegitimi, & quamuis non nominauerit illum nomine proprio, sed sub verbis, quòd quidem filius naturalis, non propterea sonant in exclusionem, aut odium, dum odiosis non donatur, neque in eos cadit confidentia administrationis, quæ sunt signa & indicia dilectionis, non autem odij, & ex prædictis bene euitatur dispositio *l. si spurius. ff.vnde cognat.& §.vulgo. Instit.de success.cognat.* In quibus iuribus fundantur argumenta Honded. & aliorum, qui suprà allegati fuerunt, quia Didacus non venit ex iure sibi per legem ciuilem delato ab intestato, mediante persona sui patris, itaut illi adhærendum sit pro assequenda possessione, sed ex propria persona, & ex vocatione hominis, à quo proprietas verborum non excludit, secundùm ius Canonicum, *cap.tua nos, & cap.non debet, consanguin.& affin.cap.postremò, de appell.* quod attendi debet, quia communis vsus ita intelligit, vt iam dictum est, & materia id suadet tanquam ordinata ad spiritualitatem pro celebrandis Missis. Bald. *in l.si quando, in princ. C. de inoffic. testam.* Peregrin. *de fideicommiss. artic. 22. num. 35. vers. Sed contra argument.* 5

Tollitur & altera ponderatio eiusdem Hondedei *in d.cons.5.num.18.* & Decian. *cons.1.num.377.* de verbo *proximiores,* de quo dicebant, vbi fit mentio de illis, semper sit intelligendum, qui iure ciuili sunt proximiores, per *l.1.C. vnde vir, & vxor.& l.1.C.de impon.lucr. descript.lib.10.* Quia non propterea infertur quòd fundator loquutus fuerit per verba ciuilia, in quibus consistit substantia differentiæ, secundùm Bart. *in d.l.pronunciatio. §.familiæ.ff. de verb.* 6

significat. & hoc retento qualitas proximitatis bene determinatur à persona consanguinei, qualis qualis illa fuerit, non autem è contra, & ita fuit resolutum, nisi legitima linea sit præferenda, de qua ordinatum fuit, vt in particulari disputatione discuteretur.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana legitimæ. Lunæ 7. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Nullitas contractus mulieris ob non seruatam formam solemnitatum statutariarum allegari non potest à tertio, & simulatio probanda ab eo, qui simulationem allegat, non præsumitur cessante causa simulationis.

SVMMARIVM.

Procurator ad exigendum de exactis rationem reddere tenetur ipsi tantum constituenti, num. 1. *ante finem. declara, vt num.* 5.

Solutio probatur per quitationem factam à recipiente, nu. 1. *in fine.*

Mulieris contractus nullitatem ob defectum solemnitatum statutariarum ipsa solùm allegare potest, & non tertius, num. 2.

Simulationis causa cessante, simulatio non præsumitur, num. 3.

Simulatio probanda est per eum, qui simulationem allegat, ibid. in fine.

Ratificatio habet vim mandati, num. 4.

DECISIO DLXXII.

1 CVm fuisset coram me decisum die 4. Decembr. præteriti, Plautillam ad vlteriora procedere non posse contra Franciscum Bagliet non citatum, nec auditū pretio domus indebitè per illum nomine Alexandræ vxoris exacto post commissionem contra eundem emanatam. Dubitaui an dictus Franciscus ad eiusdem pretij restitutionem tanquam ad ipsius manus peruenti teneretur? Et fuit negatiuè resolutum; quamuis enim hodie constet, illum indebitè huiusmodi pecunias recepisse, quia tamen vti Procurator Alexandræ vxoris exegit, ipsi tantùm constituenti rationem reddere tenebatur. *l. qui proprio. §. Procurator,* vbi Bart. & Doct *ff. de procurat.* cum aliis in alia decisione allegatis. Quòd autem Franciscus rationem constituenti reddiderit, satis apparet ex eiusdem vxoris quitantia, quæ solutionem probat. Cardin. Seraphin. *decis.* 1339. *num.* 2. cum aliis per Tiraquel. *de retract. lignag.* §. 1. *gloss.* 18. *n.* 28.

2 Nec valet exceptio nullitatis quitantiæ velut factæ sine solemnitatibus in quitantiis mulierum requisitis. Nam de tali solemnitatis defectu ad mulieris fauorem inductæ ipsa solùm, non tertius dare potest. Castren. *cons.* 160. *in fin. lib.* 1. Aym. *cons.* 177. *num.* 7. Vant. *de nullit. process in tit. quis possit dicere de nullitate, num.* 72. Tiraquell. *de legib. connub. gloss.* 8. *num.* 9. *& in l. si nunquam, in verbo reuertatur. C. de reuoc. donat.* & fuit dictum in Romana hæreditatis 18. Martij 1611. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno.

Non obstat huiusmoni quitantiam vti factam ab vxore præsumi simulatam, quia cùm hîc nulla detur simulandi causa, nulla quoque potest simulatio præsumi. Bald. *in l. ab Anastasio, num.* 11. *&* 12. *C. mand.* Bart. *cons.* 65. *num.* 2. *&* 3 *lib.* 1. Riminald. iun. *cons.* 62. *num.* 7. *lib.* 1. Quòd autem hîc simulandi causa non appareat, ex eo colligitur quòd istarum pecuniarum tanquam extradotalium administratio ad vxorem, non ad virum pertinebat. Bald. *cons.* 478. *sub num.* 1. *vers. quædam sunt. lib.* 5. Socin. sen. *cons.* 82. *num.* 8. *vers. aliquando, & num.* 3. *lib.* 4. Ruin. *cons.* 222. *num.* 1. *lib.* 1. Vnde redditur verisimile dictas pecunias verè & realiter vxori fuisse solutas. Et in omnem euentum hæc simulatio veniebat probanda, *l. quamuis*, vbi Bald. *C. si quis alteri vel sibi.* Idem *cons.* 456. *in princ. lib.* 1. Dec. *consil.* 491. Paris. *cons.* 54. *num.* 7. *lib.* 1. Aym. *cons.* 145. *vers. Idem circa simulationem.* Roland. *cons.* 6. *num.* 28. *lib.* 3. 3

Non obstat, Francisci mandatum ad exigendum vxoris nomine non probari. Cùm enim ipsa deinde solutionem ratificauerit, perinde est ac si dedisset mandatum, cùm illi ratificatio æquiparetur. *l. fin. C. ad Macedon. l. si pecuniam. C. negot. gest. l. semper, vers. sed si quis ratum habuerit. ff. de reg. iur.* Rot. *decis.* 13. *num.* 2. *de concess. præben in nou.* Achil. *decis.* 17. *in fine, num.* 4. *de procuratoribus.* Paris. *cons.* 47. *num.* 30. *& nu.* 32. *lib.* 1. 4

Nec releuat huiusmodi pecunias fuisse in Francisci vtilitatem versas, quia nullibi hoc iustificatur, immò contrarium ex dicta quitantia colligitur. Et denique non obstat Castren. *cons.* 275. *num.* 3. *lib.* 2. qui tenet pro indebiti repetitione posse contra maritum agi. Nam id procedit vbi vir in eum casum restituere promisisset, hîc autem solùm vxoris nomine Franciscus teneri voluit, quo casu contra virum agi non potest, vt idem Castren. *d. cons.* 275. fatetur. 5

REVERENDISSIMO P. D. DECANO.

Placentina, seu Corduben. beneficiorum. Veneris 10. *Nouembris* 1617.

ARGVMENTVM.

Beneficia Cubiculariorum honoris sunt Papæ reseruata, & per eorum obitum vacantia conferuntur à Papa.

SVMMARIVM.

Beneficia vacantia morte cubiculariorum honoris Papæ sunt reseruata vigore reg. 3. *&* 6. *nu.* 1. *& nu.* 3 *per tot.*

Familiaritas Papæ satis dicitur probata ex eo quod quis fuerit receptus ad honestum seruitium, nu. 2.

Cubicularij honoris dicuntur familiares Papæ, ibid. vbi quòd etiam dicuntur continui commensales.

Conclauistæ dicuntur familiares Papæ, & continui commensales, ibid.

Papa non censetur sibi, ac successoribus manus ligasse, num. 4.

DECISIO DLXXIII.

VNanimi Dominorum consensu fuit resolutum, beneficia vacātia per obitum Cubiculariorum honoris Sanctissimi D. N. esse reseruata tam vigore regulæ

regulæ tertiæ, quàm vigore regulæ sextæ, cùm qualitas vtriusque regulæ in eadem persona concurrat. Simonetta *de reseruat.quæst.64.num.13.*

2 Quantum attinet ad regulam tertiam adsunt duo requisita, scilicet familiaritas, & continua commensalitas. Primum est euidens, quia non solùm recipiuntur vti familiares verè, quod sufficit; sed etiam plura præstant seruitia in equitationibus, in deferendis biretis ad nouos Cardinales extra Curiam existentes, & in similibus functionibus, assistunt in Capellis, & habitu aliorum Cubiculariorum vtuntur, ex quibus probatur familiaritas, cùm ad hunc effectum sufficiat, quòd quis receptus sit ad honestum seruitium, vt per Doct. *in cap.fin.de verb.signif.* vbi Gemin. *num.8.in fin.* Franc. *num.14.* Secundum est etiam euidens, quia recipiuntur in Cubicularios, ac familiares, & continuos commensales, & aggregantur aliis Cubiculariis, & continuis commensalibus sine vlla prorsus differentia: quare licèt hoc dicatur fieri ex priuilegio, attamen cùm efficiantur verè tales, propter verba illa, *sine vlla prorsus differentia*, sunt habendi pro talibus, etiam ad effectum regulæ prædictæ, vt in simili de Protonotariis, qui efficiuntur ex constitutione Pauli III. 78. veri familiares, & continui commensales, dixi Rota in causa Paduana custodiæ 1. Aprilis 1547. coram Peregrino Fabio, quæ refertur inter impressas diu. *lib.1. part.3.decis.104.* & idem de Conclauistis, qui eodem modo sunt familiares, & continui commensales, fuit resolutum in causa Beneuentana reseruationis beneficiorum, 13. Decembris 1597. coram bon. me. Card. Seraph. vbi alia similia adducuntur, & reprobatur Sarnensis, qui videtur tenere contrarium.

3 Secunda etiam reseruatio est euidens, quia cùm isti recipiantur in Cubicularios, eorum beneficia sunt reseruata vigore regulæ sextæ, quæ habent locum etiam in Cubiculariis honoris. per text. *in auth. vt ordinar.præfect.collat.5.in §.2.* vbi Curiales honoris non distinguit ab aliis Curialibus, nisi administratione. & gloss. *ibidem in verbo videatur*, dicit, hoc esse notandum pro Cappellanis Domini Papæ, cuius dictum in nostris terminis extendit ad Cubicularios honoris Alphonsus Soto *super d.reg.6.vers.Ex quo.* & hoc priùs sensit Rota *in decis.22.de præben.in antiq.& decis.12.num.1.eod. tit.in nou.* dum habet pro reseruatis beneficia, quæ vacant per obitum Capellanorum honoris, & tamen Extrauagans *ad regimen* reseruat simpliciter beneficia Capellanorum, nulla facta distinctione, quæ in hoc casu procedunt absq; difficultate, cùm isti recipiantur in Cubicularios verè, & aggregentur aliis Cubiculariis, vt suprà dictum est.

4 Neque prædictis resistit constitutio Leonis X. de non recipiendis nouis Cubiculariis, quia cùm recipiantur, comprehenduntur sub d.regula. per ea, quæ notat Alex. *in cons.59.nu.3.in fin.cum seqq.lib.6.* Quòd autem potuerint recipi, clarum est, cùm ille Pontifex non censeatur sibi, ac successoribus ligasse manus. *cap.dudum, de præben.in 6.* Bero. *cons.147.num.27. lib.3.* & sufficit, quòd non possit dare de defectu derogationis in recipiente, cùm breuia, quæ solent in receptione concedi, habeant clausulam: *Non obstantibus*, &c. Bero. *d.cons.147 num.28.lib.3.* Anchar. *cons.335.num.2.* Roland. *cons.56.num.62. lib.3.* & idem est quo ad illos, qui breuia non expediunt, cùm censeantur recepti iuxta stylum, vt probat Ias. *in l. certi condictio.§.si nummus.num.7.& 8.ff.si cert.petat.*

5 Non obstat decisio in causa Seguntina Archidiaconatus, quia ibi articulus non fuit ad amussim discussus: nec etiam obstat Put. *in decis.38.de præben.* & Mohed. *decis.38.de probat.* quia loquuntur de Cubiculariis extra muros de illo tempore, in quibus non apparet, quòd concurrerent prædictæ qualitates. Et ita conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. MANZANEDO.

Auximana fideicommissi. Veneris 10. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Substituti plures quando vocati censeantur ordine successiuo, seu potiùs simul pro æquis portionibus: est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Substituti descendentes, in quibus cadit non solùm charitas, sed necessitas instituendi, censentur vocati ordine successiuo: secus si versamur in iis, in quibus non adest prædicta necessitas instituendi, sed solùm ordo charitatis, & dilectionis, prout in transuersalibus, quia tunc non ordine successiuo, sed simul pro æquis portionibus vocati censentur, num.2.& seqq. limita duobus modis, vt num.6. & 7. declara limitationes, vt num. 8. & seqq.

Filiorum appellatione nunquid comprehendantur non solùm nati tempore testamenti, sed etiam nascituri, & incerti, num.9.

Succumbens in vna actione intentata, potest mutato consilio variare, & aliam actionem competentem intentare, num.13.

DECISIO DLXXIV.

Postquam 20. Aprilis 1615. fuit resolutum coram me constare de causis restitutionis, aduersùs sententiam Illustrissimi Lancellotti, ex eo capite quòd non constet de fideicommisso ad fauorem filiorum Pompilij, sed quòd etiam si venirent ordine successiuo, censerentur vocati per vulgarem, quæ per aditionem Pompilij patris expirauerat, vt in alia causa inter istos filios, & quosdam de Campanis coram D. Vbaldo fuerat dictum 26. Nouemb. 1611. Phœbus, qui antea cum fratribus pro existentia fideicommissi agebat, mutata sententia egit ad tertiam partem hæreditatis q. Hieronymi fideicommittentis quasi in illius testamento essent vocati Pompilius, & Cornelius fratres, & eorum filij, & de tempore conditi testamenti, & mortis Hieronymi, & purificatæ substitutionis ipse Phœbus solus in humanis ageret, vnde cœpit prætendere se vocatum simul cum ipsius patre, & patruo, & sic ad tertiam partem d. hæreditatis, quod colligi intendebat ex illis verbis testamenti, *& post mortem ipsius Petri Christophori reliquit prædictis Cornelio, ac Pompilio, & eorum filiis legitimis, & naturalibus*, &c. Ideo dubitaui an Cornelius, & Pompilius, & eorum filij in testamento q. Hieronymi substituti intelligantur simul vocati, itaut D. Phœbus d. Pompilij filius succedere debeat pro tertia parte, & pluries proposito d. dubio propter diuersas Dominorum sententias non potuit capi resolutio; tandem verò Domini

hodie censuerunt Phœbum venire ad d. hæreditatem simul cum patre.

2 Mori ex illa communi Doctorum distinctione *in l.Gallus.§.quidam rectè.ff.de lib.& posth.* quòd aut versamur in descendentibus,in quibus cadit non solùm charitas, sed necessitas instituendi,& tunc censeantur ordine successiuo vocati. Si autem versamur in vocatis, in quibus non adest prædicta necessitas instituendi, sed solùm ordo charitatis, & dilectionis, prout in transuersalibus, tunc pater cum filiis simul censeatur vocatus pro æquis portionibus,de qua distinctione latè Doct.*infra citandi.* Vnde cùm Cornelius, & Pompilius & eorum filij sint transuersales testatoris, ac vocati cum copulatiua, *&*, debent venire pro æquis portionibus, nempe Pompilius, & Cornelius quilibet pro tertia,filij autem eorum pro alia tertia, & sic Phœbus, qui vnicus filius Pompilij reperiebatur de tempore testamenti & mortis testatoris, ac purificatæ substitutionis debet admitti ad tertiam partem,prout tenent,& de communi testantur. Ias.*in d.l.Gallus.§.quidam rectè, num.*24.*& seqq. ff.de lib. & post.* & ibi Imol. *num.* 21. Soc.sen. *num.*3. Alciat.*num.*49. Aret. *num.*7.*vers. Mihi placet.* Alex. *cons.*129.*num.*7.*lib.*5.Ruin.*cons.*168.*nu.*9.*lib.*2.Cæpol. *cons.ciuil.*52.*num* 3.*lib.*1. Ias *cons.*206.*nu.*2.*lib.*2. Dec. *cons.*205.*num.*2. *& cons.*248.*num.*2. Curt.iun. *cons.*22. *num.*4. Dec.*cons.*1.*num.*184.*lib.*1.Corn.*cons.*17.*num.*3. *lib.*4. Hond. *cons.*65.*nu.*7.*lib.*1. Gabr. *cons.*101.*num.*1. *lib.*2.Grass *in §.Institutio q.*20.*nu.*3.Clar.*in §.testamentum, q.*80.*nu.*2. Peregr.*de fideic.art.*17.*num.*20.*& seq.* Boër.*decis.*185.*nu.*16.*decis.Pedem.*81.*nu.*3.*&* 4. Barzi. *decis.Bon.*9.*nu.*2. Cæsar.de Grass *decis.*2.*n.*3.*de testam.* Seraphin.*decis.*409.*nu.*2. & fuit dictum in vna Leodien. Domus Claustralis 23. Martij 1615. coram D. meo Caualerio.

3 Et pro hac communi est text. *in l. si quis Attio,* aliàs, *si quis Titio.ff.de vsufruct.accresc.* in his verbis, *si quis Attio, & hæredibus suis vsumfructum legauerit, dimidiam Attius, dimidiam hæredes habebunt. Quòd si ita scriptum sit; Attio, & Seio cum hæredibus meis tres partes fiant, vt vnam habeant hæredes, tertiam Attius, tertiam Seius, nec enim interest ita legetur, illi, & illi cum Mæuio, & illi, & Mæuio.* ad idem facit text.*in l. fin.C.de impub.& aliis.* Et hæc eadem sententia etiam probatur ex text *in c.Rainutius,* ibi, *vt Alteroca, & soboles quam gestabat in vtero eidem impuberi, nempè adiectæ, succederent, si absque liberis moreretur. & in c. Rainaldus de testam.* ibi, *Et reliqua bona paterna vni ex patrui suis, & eius filiis legauit. & ibi gloss. vers. ex patruis, vers.& cùm sic legatur,* &c. firmat patrem,& filios simul vocatos censeri. itaut filij dimidiam, pater verò aliam dimidiam haberet,

4 Et quamuis Bart.*in d.§.quidam rectè, nu.*4. teneat contrariam sententiam,& quòd etiam in casu vocatorum, in quibus non cadit necessitas instituendi, sed tantùm ordo charitatis, & dilectionis, censeantur vocati ordine successiuo,& Bart.sequitur Castr. *cons.*159. *num.*1. *lib.* 1. illamque defendere conentur, Bero. *in d.c.Rainutius à nu.*82. & Soc.iun. *in d.§.quidam rectè, à nu.*29. Tamen ipse *nu.* 32. & Bero. *nu.*92. dicunt non esse receden.in iudicando à communi, contra Bart. qui communiter reprobatur teste Dec. *cons.*236.*col.*2.*vers.tertius videtur*, Decian. *vbi sup.nu.* 184.*&* 185. Mantic. *de coniect.vlt.vol.lib.*4.*tit.*9.*nu.*19. Couar.*in d.c.Rainutius.§.*2.*num*2. Surd. *decis.*346.*n.*3. Vinc.de Franc. *decis.*633.*nu.*2.

5 Nec ratio Bart.nempè quòd eius opinio procedat, quando copulatiua est apposita inter personas,inter quas cadit affectio ordinata, nempè prout ipse declarat, quando ab intestato successuri erant, quòd tunc ordine successiuo veniant, potest sustineri, habet enim contra se text. *in d.c.Rainutius,* in quo affectio ordinata aderat,& tamen simul Alteroca & soboles admittuntur, vt ponderat Couar.*vbi suprà nu.* 2.*vers.Sed Bartoli conclusioni.* Prædicta communis,& vera opinio euidenter Phœbo fauere videtur,nisi tamen duæ limitationes prædictæ communi à Doctoribus adductæ illi obstent.

Prima est, quòd prædicta communis non procedat, quotiescumque filij sunt vocati contemplatione patris, tunc enim non simul, sed successiuè debeant succedere. quam limitationem adducit Torniel.*in d.§.quidam rectè,nu.*14.quem sequitur Peregr. *d.art.*17.*nu.*28. Surd.*d.dec.*346.*nu.*16.& Mantic.*d.tit.* 9.*nu.*27. illam approbat, licèt *ibid.num.* 24. videatur ab ea recedere, qui Torniel.*vbi suprà, num.*16.etiam firmat tunc filios contemplatione patris vocatos censeri. quando nomine collectiuo vocati fuerunt, prout in nostro casu Pompilius,Cornelius,& eorum filij vocantur. 6

Secunda verò limitatio non parum cum prima incidens talis est, quòd communis, de qua suprà, non habeat locum, quoties non tantùm filij nati, sed nascituri, & sic incerti vocantur, quam adducit Bald. *cons.* 305. *lib.* 3. quem sequuti fuerunt Caccial. inter cons.Alex. *cons.*14.*nu.*10.*vers.quarta, lib.*4.Bero.*in d. cap. Rainutius, num.*92. *vers.*1. Dec. *cons* 248. *num.*4. Menoch. *præsumpt.*70.*num.*21.*& seq.lib.*4. Surd. *vbi sup.num.*16.*& seq.*.Barz.*decis.Bon.*9.*nu.*3. Mantic.*vbi suprà nu.*27.quæ limitatio non parum videbatur obstare Phœbo, cùm in casu nostro pater, & patruus, & filius fuerint vocati,& sic quamuis Phœbus solus de tempore testamenti esset natus, filij nascituri in dicta vocatione etiam,sed comprehensi videbantur, & sic illi qui erant incerti, & ex hac ratione non simul, successiuè vocati censentur, vt tradit Seraph. *decis.*934.*num.*3. Menoch. *vbi suprà nu.*21. 7

Quibus tamen non obstan. Domini censuerunt neutram ex dd. limitationibus Phœbo obstare, cùm non detur coniectura, ex qua induci valeat vocationem filiorum factam fuisse patris contemplatione. Nec illa, quòd sint vocati nomine collectiuo filiorum, & quòd sub illa comprehendantur etiam filij nascituri,& sic incerti, sufficere videtur, cùm vocatio sit facta de patribus, & filiis simpliciter, & quamuis, nomen filiorum sit collectiuum,& natura nominis collectiui sit vocare ordine successiuo, iuxt. Soc.*in d.§.quidam rectè, num.*4. Nihilominus est distinguendum inter nomen filiorum, & collectiuum graduum, prout est nomen liberorum descendentium & aliorum similium. Primo enim casu nominis collectiui filiorum vocatio censetur simultanea. Secundo verò casu ordine successiuo facta, vt notat Soc. *d.nu.*4. Dec.*cons.*205 *nu.*3.*&* 248.*nu.*3. Curt.iun. *consil.*22.*nu.*12.*&* 128.*nu.*2. Crau.*consil.*22.*nu.*2.*&* 131. Menoch.*consil.*44.*nu.*2. Surd. *d.decis.*346.*nu.*13.*&* 21. Hond.*d.consil.*65.*nu.*11. 8

Nec facit quòd sub nomine filiorum comprehendantur non solùm nati de tempore testamenti, sed etiam nascituri. & sic incerti, ex authoritatibus suprà relatis. Respondebatur enim quòd prædicto casu non censentur vocati omnes nascituri, sed tantùm nati de tempore purificatæ substitutionis, prout Phœbus dicto tempore, imò etiam de tempore testamenti solus natus existebat, & sic solus vocatus censetur, quasi cæteri postea nascituri neque scripti in testa- 9

testamento fuissent, Ioan. Andr. *in addit. ad Specul. in rubr. de testam. vers. Item Lambertinus*, Soc. *cons.* 113. *num.* 5. Dec. *cons.* 253. *ante num.* 5. Ias. *cons.* 206. *num.* 1. Alex. *cons.* 13. *num.* 4. *& seq. lib.* 4. Castr. *cons.* 16. *num.* 5. *lib.* 2. Honded *vbi sup. num.* 10. Cacher. *cons.* 71. *nu.* 15. Molin. *de primog. Hispaniarum lib.* 3. *cap.* 10. *nu.* 7. Alb. *cons.* 106. *num.* 3. *& seqq.* Gabr. *cons.* 130. *num.* 9. *vol.* 1. Peregr. *de fideic. art.* 22. *num.* 72.

10 Ex quibus apparet de responsione ad absurdum consideratum per Ofasc. *decis.* 81. *nu.* 16. & Menoch. *d. num.* 21. quòd nempè si filius simul cum patre, & patruo vocatus esset, non verò ordine successiuo, ante natiuitatem aliorum filiorum, Phœbo maior pars hæreditatis competeret, quæ tamen per natiuitatem aliorum diminueretur, & sic modo maiorem, & modò minorem partem haberet. Responsio enim patet: nam cùm isti nascituri nondum de tempore purificatæ substitutionis essent nati, nullatenus censentur vocari, nec illorum incertitudo aliquid operari videtur, & per consequens non alterat partem semel Phœbo obuentam.

11 Vlteriùs, quia prædictis in contrarium adductis refragatur expressè dicta communis, & vera DD. sententia, & maximè text. *in c. Rainutius, & in c. Rainaldus, de testam.* vbi in primo, *Alteroca, & soboles quam gestabat in vtero vocantur.* & quamuis nomen soboles comprehendat vnum, & plures filios nascituros, & sic incertitudinem illorum, nihilominus *in d. text.* simul soboles, & Alteroca vocata censetur, prout *in c. Rainaldus*, vocatione patrui, & filiorum vocatio simultanea iudicatur, quibus iuribus stan. nullatenus superiùs in contrarium adducta sustineri valeant, cùm illis expressè conclusiones dd. iurium contrarientur, & pro communi suprà relatæ faciant. vnde ex istis iuribus secundùm limitationem, reprobantur, Soc. sen. *in dicto §. quidam rectè, num.* 3. *in fin. & cons.* 113. *num.* 4. *vers. sed his non obstantibus, lib.* 1. Gabr. *cons.* 130. *num.* 10. *lib.* 1. *& cons.* 101. *num.* 2. *lib.* 2. vbi *num.* 20. dicit secundùm illud suum consilium 130. fuisse per Rotam iudicatum, Hond. *d. cons.* 65. *num.* 14. testans de communi, Alciat. *in d. §. quidam rectè à num.* 53. dicens *num.* 54. hanc esse communem, & ab ea in iudicando non esse recedendum, Peregr. *vbi suprà, num.* 26. *vers. verum,* Vincent. de Franc. *d. decis.* 63. *per totum*, Cæsar. de Grass. *decis.* 4. *num.* 12. *de testam.*

12 Nec obstat decisio Seraphini, quia in illo casu constabat de clara mente testatoris ex pluribus coniecturis ibi ponderatis, quæ non adsunt in casu nostro.

13 Minus obstat obseruantia ipsiusmet Phœbi, qui nunquam petiit simul cum patre, & patruo admitti, sed solùm ordine successiuo: Quia ex sententia de partibus, per quam ei denegata fuit successio simultanea, appareat de contrario. Vltra quòd cùm in prætensione quam intentauit de succedendo ordine successiuo, in medietate hæreditatis succubuerit, non prohibetur hodie mutato consilio petere tertiam partem per successionem simultaneam, ad trad. per Fel *in c. capitulum, sub num.* 13. *de rescript.* Ruin. *cons.* 166. *num.* 16. *vers. secundò etiam, lib.* 3.

Et ita decisum, &c.

R. P. D. CAVALERIO.

Beneuentana Nobilitatis. Veneris 10. *Nouembris* 1617.

ARGVMENTVM.

Nobilitas quomodo probetur, tanquam materia fauorabilis. sumitur benignior responsio pro nobilitate.

SVMMARIVM.

Nobilis existimatur, qui gerit officia, & Magistratus, ad quæ nobiles tantùm admittuntur, num. 1.

Nobilitas aui censetur transfusa in descendentes, num. 2.

Nobilitatem, vt quis amittat, requiritur quòd ille potuerit, sed noluerit vti gradibus, & officiis ex statuto, vel ex consuetudine loci ad nobilitatem requisitis, num. 3.

Nobilitas personæ probatur ex muneribus militaribus per eum administratis, num. 4.

Nobilitas deducitur ex vxore, & cùm nobilitas sit materia fauorabilis, sumitur semper benignior responsio pro nobilitate, vt augeatur numerus nobilium, nu. 5.

DECISIO DLXXV.

ORta controuersia intra Nobiles ciuitatis Beneuentanæ, & illos de Annechinis super prætensa nobilitate, quam Annechini prætendebant ad effectum, vt admitterentur ad officia publica, fuit per Gubernatorem d. ciuitatis lata sententia ad fauorem Annechinorum, quæ postea in 2. instantia fuit confirmata ab A. C. Commissa causa in Rota, dubitatum fuit, an dd. sententiæ essent iustæ; & informantibus tantùm Annechinis, facta fuit resolutio pro ipsis, & sic pro iustitia sententiarum. Probatur enim Antonium Siluium Annechinum auum fuisse nobilem, & tanquam talem reputatum in ciuitate Beneuentana, quia tanquam nobilis interuenit in consilio, fuit vnus ex Magistris hospitalis Sanctissimæ Annunciatæ; fuit Consul; qui Magistratus non nisi nobilibus conferuntur, & appellabatur, *Messere*, qua appellatione similiter nobiles tantùm vocabantur. 1

Cùm autem ex eo natus sit Bartholomæus filius, & ex Bartholomæo Annechini hodie existentes in causa; Domini censebant, nobilitatem aui fuisse iure transfusam in descendentes. *l.* 1. vbi Bart. & Ioan. de Plat. *l. si senator. C. de dignit. lib.* 12. *l. senatoris filium,* vbi gl. *in ver. adoptiuum, & seq. ff. de senat.* Dec. *cons.* 66. *num* 23. *lib.* 3. cum aliis adductis per Tiraq. *de nobilit. c.* 15. *num.* 1. *& seqq.* 2

Nec visum fuit obstare, quod dicebatur non probari, descendentes D. Antonij Siluij fuisse vsos dd. gradibus, & officiis, requisitis ex statuto, vel consuetudine loci ad nobilitatem; quia fortasse non euenit casus, quo potuerint vti, & noluerint, quæ voluntas requiritur ad effectum amittendi nobilitatem ab auo acquisitam, vt per Dec. *vbi supr. num.* 65. *& seqq.* 3

Accedebat præmissis, quòd probabatur nobilitas etiam Bartholomæi, ex muneribus militaribus, per ipsum gestis, vti militem strenuum & turmarum ductorem; vnde resultat probatio nobilitatis. Cardin. Seraph. *decis.* 207. *num.* 3. *&* 4. 4

Desumebatur etiam nobilitas suorum descendentium, à nobilitate vxorum Antonij, Siluij, & Bartholomæi, vt testes deponunt. Et hæc omnia tanto magis visa fuerunt procedere, quia agebatur tantummodo de commodo alterius, sine aliquo præiudicio tertij. Et propterea, ex materia fauorabili, in dubio sumenda est benignior responsio pro nobilitate, 5

ad augendum numerum nobilium. Bald. *conf.183.in fin.lib.2.* Vinc.de Franc.*decis.2.nu.28.vers. ex ratione.* latè Menoch.*cons.227.num.1.& seqq.*

Et ita conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Auenionen.arresti. Veneris 10. *Nouembris* 1617.

ARGVMENTVM.

Iudex requisitus exequi sententiam iudicis alterius territorij, non potest cognoscere de iustitia, vel nullitate sententiæ, de cuius exequutione requiritur.

SVMMARIVM.

Possessio probatur ex locatione cum perceptione fructuum, num.2.

Possidens bona dicitur quæ potest in bonis habere, ibid.

Iudex requisitus exequi sententiam iudicis alterius territorij, non potest cognoscere de iustitia, vel nullitate sententiæ, de cuius executione requiritur, num.3. & seqq. si tamen eam iniustam, aut nullam cognouerit, poterit se ab exequutione abstinere, & causam ad iudicem requirentem remittere, num.6.

Sententia in dubio præsumitur iusta, num.7.

DECISIO DLXXVI.

1 GVglielmus Charrier, & litis consortes, mercatores Lugdunenses, vigore arrestorum secretioris Regis Christianissimi Consilij contra D. Carlottam de la Marque, Dominam Baroniæ de Serignan sitæ in Comitatu Auenion. latorum, necnon litterarum executorialium, & rogatoriarum, obtinuerunt à D. Vicelegato Auenion. decretum fauorabile pro executione dictorum arrestorum, & pro sequestro, quo legitimè executo Illustrissimus D. de Bouillon, & Comes de Monleurier vti hæres dictæ D. Carlottæ recursum habuit ad Auditorem Vicelegati successoris in officio, qui executionem relaxatam, & sequestrum vti nulliter & indebitè factum reuocauit, à qua sententia dictus Guglielmus appellauit, obtinuitque causam committi in Curia A.C. qui dictam sententiam ex capite nullitatis reuocauit, postmodum causa per appellationem mihi commissa in Rota, post decisionem pro confirmatione sententiæ A.C. factam, placuit Dominis vt disputaretur dubium super iustitia, & meritis sententiæ dicti Auditoris. quo bis proposito, & causa maturè discussa, Rota vnanimi voto censuit dictam sententiam esse iniustam, & proinde reuocandam.

2 Moti sunt Domini ea ratione, quia ex serie facti apparet executionem & sequestrum factum super fructibus dictæ Baroniæ esse legitimum, cùm Carlotta debitrix, & condemnata in dictis arrestis, vti domina dictæ Baroniæ eam possideret, locando, & dislocando vnà cum perceptione fructuum per Procuratorem, de cuius mandato constat in actis, ex qua locatione, & fructuum perceptione possessio dictæ Baroniæ probatur, *cap. cum venissent*, & ibi gloss. & Doctores, *de restit. spoliat. gl. in l. qui vniuersas, §. quod per colonum, in verb. colonum, ff. de acquir. possess.* fuit dictum in Lucerina beneficij 6. Februarij 1609. coram R. P. D. meo Caualerio, & in Romana domorum, Mercur. 11. Decembris 1613. coram me, & in aliis causis, & ex dicta possessione Baroniam fuisse in bonis Carlottæ, sufficienter demonstratur, *l. bonorum, §. in bonis*, & ibi Rebuff. *ff. de verbor. signif. l. vlt. ff. de vsufruct.* gloss. *in l. rem alienam, in verb. pignoratitia actio.* Guido Pap. *decis.* 432. *num.* 5. Afflict. *decis.383. sub num.4. &* 6. Gail. *obseruat.27. num.1. &* 2. quam possessionem tantum abest, vt dictus D. de Bouillon reuocauerit in dubium, quin potiùs se vt hæredem dictæ D. Carlottæ illam hodie possidere fateatur.

Nec tenebatur dictus Vicelegatus cognoscere super iustitia dictorum arrestorum Regiorum, quæ ex constitutionibus regni Franciæ vti res iudicata habent executionem paratam; licèt maxima inter Doctores vtriusque iuris sit controuersia, an iudex requisitus possit examinare iustitiam sententiæ iudicis requirentis, vt videre est apud Card. *in Clem. 1. §. eorum, in fine, num. 5. de foro competen.* Innoc. *in cap.1. num.2. de offic. ordinar.* & fusè apud Couarr. *lib.1. variar. cap.1. in fin. num. 10. vers. & si iudex ordinarius.* 3

Hoc vnum est, quòd iudex requisitus potest si vult procedere ad executionem sententiæ, non examinando iustitiam, nec ita exequendo vllum grauamen partibus affert, nulla siquidem lege cautum est, nec vlla adduci potest Doctorum auctoritas, ex qua cogi possit ad cognoscendum de iustitia sententiæ iudicis requirentis, quinimo Doctores omnes, qui asserunt executorem posse examinare nullitates, & iustitiam talis sententiæ, vno ore arbitrio executoris illam cognitionem remittunt, argum. text. *in l. à D. Pio, §.1. in verb. si hoc visum fuerit. ff. de re iudic.* Butr. *in cap. quoad consultationem, num.16. & in cap. pastoralis. §. quia verò, col. 3. num.* 11. & fusissimè Surd. qui multas auctoritates, & rationes cumulat *cons.* 405. *à num.26. vsque ad* 31. 4

Quod autem alicuius arbitrio remittitur, iuris necessitati nullo modo subiicitur, *l. non quidquid, ff. de iudic.* Verbum siquidem *potest*, voluntatem, & facultatem significat, & non necessitatem, gloss. *in l. sæpè audiui à Cæsare, ff. de offic. Præsid.* cùm nihil magis repugnet arbitrio, quàm necessitas. 5

His positis cùm D. Vicelegatus exequendo arresta non cognitio de eorum iustitia partem non grauauerit, non potuit, nec debuit dictus Auditor reuocare dictam executionem, & sequestrum, quin imò etiam si aliquam iniustitiam in dictis arrestis detexisset, (de qua nullo modo constat,) non potuit super ea pronuntiare, sed abstinendo ab executione, debuit partes ad iudicem requirentem remittere, Panorm. qui alios citat, *in cap. de cætero, & ibidem* Innoc. & Imol. *in princ.* cæterique Canon. *de re iudic.* Bart. *in dicta l. à D. Pio, in princ. num.9.* cum infinitis, quos citat Surd. *cons.405. num.30.* 6

In quam sententiam eo libentiùs iuerunt DD. quia nulla notoria iniustitia fuit vnquam in hoc iudicio allegata, quin imò ex vulgaribus iuris regulis præsumitur pro iudice, & tribus arrestis intimatis dicto D. de Bouillon ante petitam exequutionem, & latis contra dictam D. Carlottam in Supremo Regis Consilio, in quo solent causæ diligenter examinari, præcipuè antequam litteræ executoriales, & rogatoriæ relaxentur vigore arrestorum, contra quorum validitatem, aut iustitiam post annum elapsum non potest dari vllus recursus in Regno Franciæ, vt patet ex constitutionibus Caroli Noni, editis Parisiis 1566. art. 15. & Henrici III. Blesiis editis 7

anno 1576. artic. 92. Rebuff. *super constitutionibus Regni, tom. 2. tit. de supplicatio. num. 13. & 14.* immò nec prætextu vllius ciuilis supplicationis, aut propositionis erroris, etiam durante legitimo anni termino retardari potest exequutio arrestorum ex dicti Regni constitutionibus, vt testatur Guido Papa *decis.* 420. Boër. *decis. 79. num. 7.* Rebuff. *loco allegato, numero 41.*

Et ita decisum.

R. P. D. SACRATO.

Romana fideicommissi de Pinis. Lunæ 13. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Possessio data à iudice nulliter, & iniustè procedente, non priuat verum possessorem sua possessione, sed quando ad istum effectum dicta sententia dicatur nulla, seu iniusta, & quid in dubio præsumatur, & quando citatio dicatur, seu præsumatur personaliter per cursorem exequuta.

SVMMARIVM.

Fideicommissarius potest authoritate propria capere possessionem vacantem fideicommissi, num. 1.

Sententia in dubio præsumitur iusta, & valida, num. 2. & 7. in fine.

Actorum transportatio non est necessaria, nisi constet de productione actorum, in tantum quòd non sufficit verbalis productio. num. 3.

Actorum transportatio facienda vigore Concilij Tridentini non intrat in materia profana, ibid.

Nullitas sententiæ respectu vnius non potest allegari per alium, ibid.

Acta transportare tenetur is qui vult confirmationem sententiæ, ibid.

Citatio præsumitur facta personaliter de stylo cursorum, dum simpliciter referunt se citasse, num. 4.

Actus per exequutorem in dubio præsumitur legitimè factus, ibid.

Nuncius præsumitur legitimè executum fuisse citationem, ibid. in fine, & seq.

Exequutor præsumitur benè fungi officio suo, num. 5.

Nullitatis defectus non tollitur per non appellationem partis. declara vt num. 7.

Manutentio non retardatur propter exceptionem iniustitiæ & nullitatis sententiæ, nisi illa fuerit patens & notoria, ibid.

DECISIO DLXXVII.

1 Resolutum fuit possessionem suffragari sororibus de Pinis, quia mortuo Paulo, qui in possessionem bonorum, de quibus agitur, expulsis creditoribus quondam Rutilij de Pinis fuerat immissus, dicta possessio remansit vacua, & sorores tanquam vacuam potuerunt illam apprehendere, prout apprehenderunt, ex decisione vltimo loco in hac causa facta.

2 Non obstat quòd sententia, per quam fuit immissus Paulus, fuerit nulla & iniusta, vnde creditores Rutilij per factum iudicis nulliter & iniustè procedentis minimè fuerint priuati eorum anteriori possessione, & consequenter cesset esse verum quòd post mortem Pauli possessio fuerit vacua, itaut sorores potuerint illam apprehendere, quia responsum fuit non constare neque de nullitate, neque de iniustitia sententiæ. & præsumptiones iuris esse in contrarium. *l. Herennius, §. Caia, ff. de euictionib. l. ab ea parte, in secundo responso, ff. de probat.* Dec. *in cap. quoniam contrà, num. 42. de probationib.* cum aliis adductis per Gabriel. *de sentent. conclus. 5. num. 1.*

3 Et dum nullitas deducebatur ex duplici capite, nempe ex defectu citationis ad sententiam, & transportationis actorum, visum fuit neutrum subsistere. Quo enim ad transportationem actorum placuit responsio data in aliis decisionibus, quòd scilicet non probetur realis productio instrumentorum, quę prætenduntur deficere, vnde non fuisse necessariam transportationem, etiamsi fuisset facta aliqua productio verbalis, accedat quòd instrumenta quæ prætenduntur deficere, non tangunt ius creditorum, qui modò veniunt ad causam, & cum agatur de materia profana, in qua propterea non intrat dispositio sacri Concilij Tridentini, vt fuit dictum coram me in vna Romana lignorum 23. Iunij 1603. intrat dispositio iuris communis, secundùm quod nullitas quæ spectat ad vnum, non potest allegari per alium. Aretin. *cons. 77. num. 6.* Crauet. *cons. 179. nu. 5.* Cassad. *decis. 10. num. 1. super reg.* Item & tertiò fuit dictum quòd circumscripta dispositione dicti Concilij onus transportandi acta stetit ad eum, qui vult confirmationem sententiæ. Verall. *decis. 128 incipit sententia non probat. part. 3.* imputandum fuit creditoribus qui volebant confirmationem, si fuerint negligentes in transportando, vt fuit in specie decisum in causa Romana vineæ de Brunis 19. Nouembris 1603. coram R. P. D. meo Decano post Alex. Rimin. & Cagnol. *in l. 2. C. de edend.* & Felin. *in cap. Ecclesiæ S. Mariæ, limit. 18. num. .... de constit.*

4 Quo verò ad defectum citationis, visum fuit illum cessare ex relatione cursoris, qui testatur se citasse creditores, qui modò negant se citatos, & licèt non expresserit se citasse personaliter: attamen dictum fuit citationem esse præsumendum factam personaliter, tum ex stylo cursorum, qui quando in relatione non apponunt domi dimissa copia, vel per affixionem intelligunt fecisse personaliter, vt attestati sunt practici curiales, de quibus in alia decisione in hac causa facta. tum etiam quia in dubio actus præsumitur per exequutorem legitimè factus. Abb. *cons. 41. num. 2. lib. 1.* Bald. *in l. iuris gentium, §. quod ferè, ff. de pact.* Alex. *in l. sciendum. num. 26. & seq ff. de verb. oblig.* Dec. *cons. 341. num. 12.* Seraphin. *decis. 1025. nu. 2.* & in specie de nuncio Bald. *in l. scire oportet, §. multa verò, num. 5. in fine. vers. contra seruatur. ff. de excusat. tutor.* Aret. *in l. hæres institutus. sub num. 3. vers. sed ad primum, ff. de acq. hæred.*

5 Non obstat vnicum obiectum, nempe quòd nuncius, siue cursor in sua relatione incipiat, feci per affixionem ad valuas Curiæ contra N. N. N. N. & pòst subiungat, & contra alios, videlicet contra M. M. M. M. nec non cōtra O. O. vnde infertur quòd M. & O. qui modò veniunt ad causam, fuerint & ipsi citati ad valuas. Nam quidquid dicendum esset, si non adesset alia, quamuis ipsamet citatio ex multis circunstantiis existimauerunt Domini posse firmari quòd M. & O. fuerunt citati personaliter, primò quia contra illos non erat decretus processus per diligentias, sicut contra dictos M. & N. & cursor erat benè informatus, vnde non est verisimile,

quòd si sine præcedenti decreto voluerit illos citari per affixionem, cùm exequutor præsumatur bene fungi officio suo, ex allegatis suprà.

6 Secundò quod magis vrget, cursor eadem die citauerat personaliter partim dd. N. & O. & alios citauerat diebus proximis, vt patet ex relatione: vnde est plus quàm inuerisimile quòd illos, quos paulo ante citauerat personaliter, voluerit citari per affixionem ad valuas, cùm talis processus non soleat decerni nisi contra eos, qui reperiri potuerunt, & præsumptio sit quòd officialis bene functus fuerit officio suo, ex allegatis.

7 Tertiò fuit ponderata non appellatio, & acquiescentia dictorum creditorum ex latè deductis in facto. licèt enim non appellatio & acquiescentia partis non tollat defectum nullitatis. Alex. *cons. 191. n. 6. lib. 6.* cum aliis allegatis; tamen potest deseruire pro declaratione dictæ citationis, quia aliàs si creditores non sciuissent se legitimè citatos, non acquieuissent per totum tempus, sed iam diu dedissent de nullitate; & denique sufficere videbatur quòd ex prædictis nullitas reddatur valde dubia, quia in dubio pronunciandum est pro validitate. *l. quoties, de iud.* Roland. à Valle, qui multos congerit, *cons. 61. nu. 23. cum pluribus seqq. lib. 3.*

8 Quo verò ad iniustitiam deductam super hoc pro parte creditorum visa fuerunt satis dubia, cùm maximè adsint in contrarium decisio, & sententia Rotalis, & propterea ad istum effectum requiritur iniustitia valde patens & notoria, vt latè fuit dictum coram me in causa Romana de Bombellis die 31. Maij 1613. & in pluribus aliis decisionibus visum fuit Dominis non posse ex hoc retardari manutentio sororum de Pinis.

R.P.D. PAMPHILIO.

Ferrarien. bonorum de Tassonis. Luna 13. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

De probatione filiationis. De legitimato quando excludat substitutum, & de substitutione si sine filiis decesserit, an expiret instituto decedente cum filiis. plura notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Filiatio probatur per nominationem testatoris factam de eo vti filio, num. 1. in fin.

Confessio testatoris præiudicat successori, & hæredi, nu. 2.

Testes, & probationes ad fauorem vnius facientes debent etiam approbari ab eo ad cuius fauorem faciunt in his quæ deponunt ad fauorem alterius partis, nu. 3.

Legitimatus simpliciter, & absolutè ad effectum succedendi titulo hæreditatis, fideicommissi, & legati excludit substitutos, num. 4.

Substitutio facta alicui, si sine filiis decesserit, expirat instituto decedente cum filiis. declara vt num. 5.

Fideicommissaria bona postquam peruenerunt ad vnam lineam, nunquam transeunt in aliam durante priori linea, num. 6.

Trebellianica prohiberi potest etiam in filiis primi gradus, secundùm opinionem Rotæ, num. 7.

Legitimæ detractio nunquid possit retardare restitutionem bonorum fideicommissariorum, ibid.

DECISIO DLXXVIII.

Dubitaui an Comiti Camillo sit danda immissio in bonis Parasacchi vigore fideicommissi Iulij senioris? & Domini affirmatiuè responderunt, quia Iulius in testamento, quod condidit anno 1521. Hercule Camillo seniore, & Galeatio filiis vniuersalibus hæredibus institutis, illisque quandocunque sine filiis decedentibus substitutis disposuit, quòd si sumpti eius filij decederent, vel aliquis eorum decederet relictis liberis masculis legitimis, & naturalibus, pars decedentis, vel decedentium deueniat ad sic decedentis, del decedentium liberos masculos legitimos, & naturales in infinitum descendentes. ex quo sequitur dicendum quòd Comes Camillus iunior sit in dicto testamento comprehensus, quia ipse descendit à Camillo seniore testatoris mediante persona Belisarij filij ipsius Camilli, vt fuit aliàs firmatum in decisione sub die 27. Iunij 1614. in hac causa facta, & comprobatur, quia ipse vti talis iam obtinuit immitti in possessionem bonorum Herculis Patriarchæ, qui in eius testamento proximiorem agnatum pariter à Iulio testatore descendentem vocauit, & vlterius huiusmodi descendentia per gradus distinctos satis comprobari visa fuit ex pluribus pro eodem Comite Camillo iuniore de nouo deductis. nam quòd Camillus senior fuerit filius Iulij testatoris, apparet ex testamento ipsius Iulij, qui in eo vnà cum aliis ipsum vti filium hæredem instituit. Bald. *in cap. ex transmissa, sub nu. 4. de restit. spoliat.* Aret. *in cap. per tuas, nu. 23.* & Felin. *num. 17. de probat.* Gozad. *cons. 13. num. 7.* & fuit dictum in causa Vrbeuetana fideicommissi 13. Nouembris 1602. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & aliàs sæpe. 1

Quòd autem Belisarius pater Comitis Camilli fuerit filius Camilli senioris, deducitur ex pluribus instrumentis pro vtraque parte productis, & præcipuè ex confessione in instrumento anni 1596. facta à Ferrante auo, & auctore DD. Claudiæ, & Beatricis, quibus propterea dicta confessio præiudicat. Socin. *cons. 249. nu. 29. in fin. lib. 2.* Aymon. *cons. 125. n. 2.* Ruin. *cons. 128. num. 16. lib. 2.* & fuit dictum in causa Romana fideicommissi de Stephanellis 24. Aprilis coram R.P.D. meo Remboldo. 2

Identitas bonorum, quòd scilicet ista eadem bona Parasacchi, quę modò possidentur à dd. DD. Claudia, & Beatrice, fuerint tempore obitus possessa à Iulio testatore, colligitur ex pluribus sub die 27. Ianuarij præteriti in decisione deductis, ex quibus fuit denegata immissio Comiti Camillo ex fideicommisso Herculis, nulla alia ratione, nisi quia dicta bona tempore obitus fuerint possessa à Iulio, qui in eius testamento de illis ad fauorem descendentium simpliciter disposuit, nec aliter tunc constabat Comit. Camillum fuisse in eo comprehensum. quo casu sicut dictæ probationis per DD. Claudiam, & Beatricem ad earum fauorem approbatæ fuerunt, ita etiam contra se illæ eædem approbari debent, iuxta tradita per Bart. *in l. quædam, §. nummularios, sub num. 2. vers. vnde puto,* & ibi Angel. *num. 3. vers. sequitur. ff. de edend.* cum aliis allegatis. 3

Nec obstare quòd in testamento Iulij sint vocati descendentes, & naturales, & Comes Camillus non sit legitimè natus, quia cùm fuerit simpliciter, & absolutè legitimatus, etiam ad effectum succedendi titulo hæreditatis, fideicommissi legati, aut quouis alio, & substitutos excludendi absq; vlla differentia, proinde 4

proinde ac si de legitimo matrimonio procreatus esset verè, & omni fictione cessante, ac cum aliis amplissimis clausulis, sine dubio ad istum affectum, vti verè legitimè natus haberi debet. Ruin. *cons.76. nu.11. vers. restat, lib.3.* Mantic. *de coniect. vltim. vlunn. lib.11. tit.10. num.19.* cum aliis sub dicta die 27. Iunij 1614. in decisione deductis.

5 Neque releuare quòd filij Iulij testatoris decesserint cum filiis, & consequenter substitutio expirauerit, iuxta cons. Oldr. 21. cum aliis alleg. quia fuit responsum, quòd imò dictus Iulius in eius testamento præter substitutionem factam sub conditione, si sine filiis, addidit etiam alteram per quam supradictis eius filiis, cum liberis decedentibus eorundam filiorum liberos & descendentes masculos in infinitum vocauit, & modò agitur de ista secunda substitutione, quæ non expirauit, & bene est in ea comprehensus Comes Camillus, ex supradictis.

6 Neque refragari quòd adsint alij descendentes eiusdem Iulij testatoris, quia pro responsione fuit ponderatum quòd cùm bona ipsius fuerint diuisa inter supradictos tres filios, & vnicuique ipsorum cum filiis decedenti proprij filij, & alij masculi in infinitum descendentes substituti fuerint, sequitur dicendum, quòd Comes Camillus iunior in portione, quæ obuenit Camillo seniori eius auo, de cuius linea nullus alius descendens masculus reperitur, omnibus aliis sit præferendus, ex dispositione testatoris, quæ confirmatur cum dispositione iuris, secundùm quam bona fideicommissaria postquam peruenerunt ad vnam lineam, nunquam fit transitus ad aliam, donec prior admissa durat. *cap.1. de nat. success. feud.* Pedemont. *decis.23. num.34.* Molin. *de primogen. Hispan. lib.3. cap.4. num.14.*

7 Nec demum obstare quòd in casu isto sint faciendæ plures detractiones. nam quoad Trebellianicam, illa cessat ex prohibitione testatoris, quæ etiam in filiis primi grades valet secundùm opinionem, quam seruat Rota, Cassad. *decis.4 de testam.* Cresc. *decis.2. eod. tit.* & fuit dictum in causa Aecontana fideicommissi relata inter impress. *decis.313 nu.1. part.1. diuersor.* & aliàs sæpissimè. Quo verò ad dotem auitam ex persona Herculis patris DD. Claudiæ, & Beatricis placuit responsio quòd de ea non constat, prout neque de melioramentis, quæ supradictis bonis per granatos facta dicuntur; legitima verò Camilli senioris satis certa visa fuit ratione loci, & quotæ, quæ propterea immissionem Comes Camillo super portione fideicommissaria, quæ erit sexta pars hæreditatis Iulij tam in genere, quàm in specie singulorum corporum pro indiuisio retardare non potest, vt aliàs tenuit Rota coram me in illa Romana, seu Interamnen. de Paradisis 1. Iulij 1605. & in Perusina de Bigazinis 13 Iunij 1607. & in pluribus aliis, & ita decisum.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana effectus Veneris 17. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Causa ciuilis quando supersedere faciat in criminali, illique sit præiudicialis.

SVMMARIVM.

Causa ciuilis intentata ante criminalem, facit respondere in criminali, quando est præiudicialis criminali, & quando dicatur præiudicialis, nu.1. & 2. & per tot.

DECISIO DLXXIX.

Resolutum fuit causam ciuilem esse præiudicialem criminali, quoad cognitionem duplicitatis partitarum, & in hac esse inhibendum. Causa enim fuit primo loco intentata ciuiliter coram A.C. & postmodum per appellationem in Rota, vbi coram bon. me. Pegna locatoribus tantùm informantibus resolutum fuerat partitam scut. 1800. esse duplicatam, quæ decisio postea partibus simul informantibus sub die 23. Ianuarij 1613. coram me renocata fuit, ideo si in iudicio criminali siue directè, siue per indirectum cognoscatur de hac ipsa duplicitate partitarum, nulli dubium, quin ciuile iudicium sentit præiudicium, quia à iudice criminali super eodem facto cognoscitur, super quo cœptum est prius cognosci à iudice ciuili, cui ratione præuentionis præseruata est iurisdictio, *l. 2. §. hoc edicto, ff. de vi bon. rapt. l.1. C. quand. ciuil. act. præiudic. crim.* Hond. *cons. 109. num.60. lib.1.* Surd. *cons.139. num.1.* & hoc ipsum videtur dispositum ratione euitandæ contrarietatis, quia si vtraque causa eodem tempore cognosceretur, sequi possent contrariæ sententiæ à diuersis iudicibus, quod non eueniet si finis iudicij ciuilis expectetur, *cap. si fortè, de elect. in 6.* Anchar. *cons. 62. num.2.* dabitur enim vel principium causæ criminali, si constabit partitas esse duplicatas, vel finis, si de contrario apparebit propter exceptionem rei iudicatæ, quæ parat præiudicium iudicio criminali, *l. fundi, l. fundum, de except.* Crauet per plura exempla *cons.280. nu.7. & seqq.* Surd. *cons.139. num.2.* Menoch. *cons.301. n.25. & seqq. lib.4.* & in hoc esse inhibendum iudici criminali meritò fuit dictum, ne sequatur perplexitas causarum, & intricatio processuum. 1

Neque vrgebat, quòd saltem in iudicio ciuili sit supersedendum, donec sit terminata causa criminalis, vt per Afflict. *decis.229.* Capic. *decis.25.* Put. *decis. 98. lib.1.* Clar. *in prax. crimin. qu.2. vers. quæro nunc*, qui ratione mouentur, quia si in iudicio criminali detegeretur falsitas circa iura producta, vel testes examinatos, causa ciuilis remaneret sine probationibus, & non posset reus condemnari, & in præsenti conuenire dicebatur si in iudicio criminali probabitur subtractio folij, & falsa depositio testis, causa ciuilis remanet sine probatione. Quia prædicta euitantur ex deductis in decis. diei 23. Ianuarij 1613. in hac causa facta, in qua apparet, quòd Tancredus habet fundatam intentionem in pluralitate quitantiarum, que quotquot sunt, tot solutiones probant, *per l. quinquaginta, in fin. ff. de probat. & l. si is, qui ducenta, in prin. ff. de reb. dubiis*, cum aliis tunc allegatis, & ad DD. de Bisciis pertinet iustificare duplicitatem partitarum tanquam fundamentum eorum intentionis, quam fundare non possunt per probationem subtractionis folij, & alterius suppositionis tanquam quod de alteratione libri priuati per additionem in margine factam appareat; quia in decisione non constituitur fundamentum quòd liber priuatus non faciat mentionem dictæ partitæ scutorum 1800. vt inde intentio Tancredi probata remaneat, sed super pluralite quitantiarum. 2

3 Et si replicetur, quòd ideo intentio Tancredi remanet fundata; quia præsuppositum fuit in decisione tolli ex facto exceptionem omissæ adnotationis partitæ scut. 1800. in libro Tancredi, quam tamen DD. fratres de Bisciis asserebant non adesse, & inferebant ab inclusione, & descriptione aliarum partitarum in libro prædicto ad duplicationem istius omissæ vnà cum aliis coniecturis, & hoc factum dicebatur de tempore decisionis die 23. Ianuarij falsò apparere in margine dicti libri. Ad prædicta etiam fuit responsum potuisse DD. habere hunc sensum, vt non releuaret coniectura desumpta ex omissione, quæ tamen ex additione in libro priuato posset apparere, sed verius existimare ex facto tolli argumentum, quia ex actis constabat DD. de Bisciis reuocasse repetitionem istius libri ab eorum Procuratore factam, ne sentirent præiudicium ex confessione, quæ deducebatur ex productione. Vnde factum bene probatur, constito quòd ex libro non poterant fundamentum desumere; vltra quòd illa coniectura neque probabilis, neque necessaria visa fuit ad tollendam, vel obscurandam intentionem in quitantiis firmatam, vt in eadem decisione dictum fuit, atque ita ratio considerata per Afflict. & alios allegatos non videtur posse in præsenti conuenire. Et ita, &c.

R. P. D. RAMBOLDO.

Romana fideicommissi. Veneris 17. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Fideicommissa fieri possunt etiam in contractibus, & an, & quando absolutum fideicommissum censeatur à testatore inductum: in hac decisione plures enumerantur coniectnræ.

SVMMARIVM.

Fideicommissum fieri potest ne dum in testamento, sed etiam in contractu, num. 1.

Fideicommisso iniuncto, si sine filiis decesserit, quis debeat probare defunctum decessisse sine filiis, num. 2.

Substitutio seu fideicommissum factum alicui si sine filiis decesserit, non expirat defuncto decedente cum filiis. declara vt num. 2.

Fideicommissum absolutum à testatore inductum censetur, si sic de eius mente ex coniecturis constet, ibid. & seqq. vbi plures enumerantur coniecturæ, ex quibus testatorem absolutum fideicommissum facere voluisse præsumitur.

Fideicommissaria bona nunquid validè alienari possint, quando fideicommissum est factum non in testamento, sed in aliquo contractu, num. 7.

DECISIO DLXXX.

1 Fvit dubitatum, an constet de fideicommisso purificato ad fauorem D. Comitis Ferdinandi, respectu vineæ, seu viridarij, de quo agitur, & Domini reseruato, quòd particulariter videretur de identitate vineæ, & facultate concessa alienandi, dixerunt de fideicommisso ad fauorem dicti D. Comitis purificato constare. Nam quoad fideicommissum illud probatur per publicum instrumentum, ex quo apparet, quòd Ioann. Hieronymus, tunc Episcopus Papien. donauit de anno 1561. medietatem plurium bonorum suorum stabilium q. Sigismundo de Rubeis eius ex fratre nepoti, & aliam medietatem Comiti Ferdinando ex alio fratre nepoti, hac expressa conditione adiecta, quòd dicta bona semper in familia masculina legitima, & naturali permanerent, & ad masculos ordine successiuo, & perpetuo peruenirent, & si Sigismundus sine filiis, & descendentibus decederet, tunc & eo casu Comes Ferdinandus eiusque filij, & descendentes in dictis bonis succederent, illaque extra familiam, & agnationem donatoris nunquam transire, nec in aliquam personam alienare possint. Cùm enim fideicommissum, etiam in contractu, non secus atque in testamento fieri possit, Honded. *cons. 42. num. 1. l. 2.* Surd. *cons. 247. n. 3.* Card. Seraphin. *decis. 828. nu. 2.* & præsertim in contractu donationis, vt probat text. *in l. vt hæredibus, ff. de leg. 2. & in l. quoties, C. de donat. quæ sub mod.* Castr. *cons. 348. num. 1. l. 1.* Menoch. *cons. 325. num. 1. & seq. & cons. 1154. num. 12.* Couar. *variar. resolut. l. 1. cap. 14. n. 2.* dubium non est, quin fuerit per supradictam dispositionem fideicommissum inductum.

Quòd autem fideicommissum ad fauorem D. Comitis Ferdinandi purificatum sit, patet eo ipso, quòd constat Sigismundum, eiusque filium Hieronymum decessisse, quòd enim Hieronymus absque filiis, & descendentibus decesserit, atque ita substitutioni D. Comitis Fardinandi locus factus fuerit, alia probatione non indiget, sed dictus D. Comes Ferdinandus habet in hoc fundatam intentionem, donec ex aduerso probetur dictum Hieronymum aliquando filios habuisse, quia tunc demum incumberet Comiti Ferdinando onus probandi illos decessisse, vt post alios bene declarat Rip. *in l. illa. num. 26. ff. de verb. oblig. & in l. ex facto, §. si quis autem, num. 7. ff. ad Trebell.* Ias. *cons. 34. num. 1. vol. 1.* Put. *decis. 45. lib. 1.* 2

Non obstat quòd cùm Sigismundus habuerit filium, atque eo superstite decesserit, expirauit fideicommissum, ad cons. Oldrad. 21. sæpiùs in Rota canonizatum, quia dictum consilium Oldrad. tum demum procedit, quando non adsunt coniecturæ, ex quibus constet testatorem voluisse omni casu fideicommissum absolutum relinquere; secus verò vbi dictæ coniecturæ concurrunt, tunc enim, dummodo coniecturæ sint tales, ex quibus voluntas testatoris appareat, ab illo receditur, Dec. *cons. 480. num. 5.* Gabr. *de fideicom. conclus. 7. num. 4.* Crass. *in § fideicom. quæst. 8. num. 2. vers. sed contrariam partem, & quæst. 33. num. 6. vers. item scias.* Cardin. Seraphin. *decis. 1373. num. 1.* 3

In casu autem isto nedum concurrunt generales coniecturæ, quas Doctores in hac materia ponderare solent, processus scilicet ad plures gradus substitutionum, Soc. *cons. 250. num. 4. lib. 2.* Aym. *cons. 98. nu. 3.* Grat. *cons. 5. num. 18. lib. 2.* Menoch. *cons. 117. n. 9. & 10. lib. 2. & de præs. præsumpt. 69. num. 13. lib. 4.* & verba quæ habent tractum successiuum, Ruin. *cons. 29. num. 5. & 8. & cons. 159. nu. 22. lib. 2.* Aym. *cons. 22. nu. 7.* Rota *decis. diuers. 579. num. 10.* cum aliis per Menoch. *de præsumpt. præsumpt. 71. num. 34. lib. 4.* & important perpetuitatem, Ruin. *cons. 130. num. 4. vol. 3.* Soc. iun. *consil. 89. num. 17. lib. 3.* Modern. *de fideicommiss. art. 17. sub num. 19. vers. & idem quoque indubitanter dicendum esset.* 4

Sed adest quoque prohibitio alienandi bona extra familiam, Dec. *cons. 637. num. 5.* Surd. *cons. 69. n. 36.* Gabr. 5

Gabr. *de fideicommiss. conclus. 9. num. 37.* Put. *decis.* 448. *num. 1. lib. 2.* & expressa etiam dispositio, quòd dicta bona semper in agnatione, & familia donatoris permaneant, quo casu, quia impossibile est, quòd aliter bona in agnatione semper conseruentur, nisi de vno in alium transeant, censentur grauati gradatim omnes de agnatione, & fideicommissum absolutum inductum, *l. cùm ita, §. in fideicommisso*, & ibi Castr. *& l. peto, §. fratre, ff. de leg. 2.* Paul. de Castr. *in l. Gallus, §. quidam recte, num. 9. prope finem, vers. quædam sunt dictiones, de lib. & posthum.* Paris. *consil 37 numer. 30. & seqq lib. 2.* Ruin. *consil. 92. n. 8. lib. 2.* latissimè Surd. *d. cons. 96. n. 14.* vbi ait, quòd etiamsi nulla præcederet prohibitio alienandi, illa verba sola, *quia testator vult bona in agnatione permanere*, sufficerent ad inducendum fideicommissum, Rot. 568. *n. 1. & seq. part. 1. diuers.* ne enim voluntas testatoris pereat, & tota fideicommissi agnatitij machina labatur, interpretatione, & extensione iuuatur, & à dicto consil. Oldrad. receditur, Dec. *cons* 477. *nu. 2. & 3.* Socin. *consil. 250. nu. 2. lib. 4.* Paris. *consil. 57. & 63. num. 28.* cum aliis latè cumulatis per dictum Modern. *de fideicommiss. art. 29. n. 30. & seq.*

6 Et concurrit etiam, quòd idem donator mandauit, quòd in casu quo Sigismundus, & Ferdinandus donatarij filios masculos legitimos, & naturales, vel alios descendentes haberent, bona donata ad eos respectiuè ordine successiuo pertinerent, eodémque onere fideicommissi dicti filij, & descendentes masculi in infinitum absque vlla detractione Trebellianicæ, & Falcidiæ tenerentur, adeò quòd ex tota serie dispositionis, & ex omnibus saltem simul iunctis clara donatoris mens colligatur, quòd absolutum & purum fideicommissum inter vocatos relinquere voluerit, & quòd conditio illa, si sine filiis ad fauorem d. Comitis Ferdinandi in filiis in conditione positis repetita censeri debeat, vt in similibus ferè terminis resolutum fuit coram bo. me. Cardinali Seraph. *decis. inter impress.* 1373.

7 Non obstat quòd cùm dictum fideicommissum in contractu, non autem in vltima voluntate factum fuerit, potuerunt bona dicto fideicommisso obnoxia validè alienari, ex quo tale fideicommissum non impedit dominij translationem, & substituto competit actio ad interesse tantùm, *l. si ita quis 135. §. ea lege*, & ibi Bart. & Castr. *ff. de verb obl.* Cabr. *consil. 140. num. 50. lib. 1.* cum aliis allegat. quia vltra quòd obiectum non procedit, quando post mortem alienantis, alius est vocatus, cùm enim eo casu alienans dominium ad suam vitam restrictum habeat, atque alteri post ipsius mortem deferendum sit, alienatio vltra vitam alienantis non tenet, Molin. *de primogen Hispan. lib 1. cap. 12. num. 31.* fallit etiam in contractu donationis, in quo donatario substituto vtilis actio nedum personalis, sed etiam realis acquiritur, dictus Modern. *de fideicom. art. 51. n. 17. & 69.* cum ibi per eum cumulatis.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Marsicen. iurisdictionis. Lunæ 20. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Iurisdictio causarum ciuilium, criminalium, & mixtarum, spectat ad Episcopum, priuatiuè ad Archipresbyterum, nisi opponatur de immemorabili contraria præscriptione, aut de contraria sententia rei iudicatæ, quæ tamen sine actis pro dicta attendenda non est, & alia ad rem facientia notabilia, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Episcopi iurisdictio in causis criminalibus, & mixtis cessat probata immemorabili præscriptione, n. 1.

Sententia quæ transit in iudicatum æquipollet tribus conformibus, n. 2. in fine.

Sententia extra Rotam lata, si producatur sine actis in Rota nihil probat, nec est attendenda, num. 3.

Exhibere vbi quis tenetur aliquam scripturam sufficit probare illius existentiam tempore motæ litis, numer. 4.

Exceptio quæ obstat Episcopo antecessori, obstat etiam Episcopo successori, ibid.

Exceptio purgationis attentatorum obstat etiam successori in Ecclesia, ibid. in fin.

Reassumens causam fecisse dicitur propria sua omnia acta facta in causa reassumpta, ibid.

Hæres tenetur exhibere scripturam, quam tenebatur exhibere defunctus, n. 5

Scriptura existens in archiuo Episcopi dicitur existere apud Episcopum ibid. in fine.

DECISIO DLXXXI.

Commissa pro parte Archipresbyteri causa restitutionis in integrum aduersùs sententiam Rotalem ad fauorem D. Episcopi latam, quæ prætendebatur transiuisse in iudicatum ob non interpositam appellationem, & per quam pronunciatum fuit omnimodam iurisdictionem causarum ciuilium, criminalium, mixtarum, & aliarum quarumcumque terræ Saponariæ, etiam priuatiuè ad Archipresbyterum spectare eidem Episcopo. Ad docendum de causis restitutionis in integrum idem Archibresbyter deduxit duo. Primò videlicet immemorabilem super exercitio dictæ iurisdictionis in huiusmodi causis non sublatam per dispositionem sacri Concil. Tridentini *in cap. causæ omnes sess. 24. de reform.* iuxta declarationem Illustrissimorum interpretum in hac causa sub die 6. Iunij 1601. 1

Secundò sententiam Parisij aliàs Vicarij, deinde Episcopi Marsicen. qua pronunciatum fuit contra tunc Episcopum iurisdictionem prædictam ad dictum Archipresbyterum spectare, quæ cùm ob lapsum temporis transitum fecerit in iudicatum, æquipollet tribus conformibus, vt in terminis Concil. *d. cap. causæ omnes*, declarauit eadem sacra Congregatio interpretum. 2

Verùm quia pro parte Episcopi opponebatur immemorabilem non probari, nec per testes in vim remissoriæ Rotalis examinatos, vt fuit resolutum coram R. P. D. meo Manzanedo 26 Iunij 1609. nec aliter, & dictam sententiam Parisij esse sine actis, & extra Rotam latam, & sic non attendendam ex inueterato stylo Rotæ, ideo replicabat Archibresbyter tam immemorabilem, quàm sententiam, iustificari posse ex processu, & actis fabricatis & testibus examinatis coram eodem Parisio, ad quorum pro- 3

cessus, & actorum exhibitionem 3. Iulij præteriti resolutum fuit Episcopum, seu eius Procuratorem teneri. Hodie autem audita iterum parte Episcopi DD. steterunt in decisis, hoc modo, videlicet, quòd ei obstet exceptio non exhibitionis dd. processus & actorum. illis namque non exhibitis ipse audiri non potest. Lap. *alleg.* 58. *n.* 16. *vers. & sic respondet.* Felin. *in cap. G perpetuus, n.* 11. *versic. & pro hac ampliatione, de fid. instrum.* Dec. *in l.* 2. *n.* 29. *C. de edend.* Vrsil. ad Afflict. *decis.* 330 *n.* 3. cum aliis alleg. per Apostill. ad dictam decis. *cap.* 58. *littera C.*

4 In dicta namque decisione primo loco firmatum fuit de existentia dicti processus & actorum in dicto tribunali factorum dubitari minimè posse, cùm super illis lata fuerit dicta sententia Parisij ad fauorem Archipresbyteri, & ex aliis ibi deductis, quæ reddunt rem satis claram, & ex quibus visum fuit probari existentiam de tempore litis motæ, quod sufficit ad hoc vt sit locus exhibitioni. gloss. *in l. non ignorabat, in verbo fuisse, C. ad exhiben.* & fuit dictum in Valentina illegitimitatis 9. Decembris coram R. P. D. meo Caualerio. Hæcque exceptio quemadmodum obstaret Episcopo antecessori si viueret, ita obstare debet moderno Episcopo eandem causam prosequenti, & in quem transiuit lis, & causa. gloss. *in extrauag. suscepit, ne Sede vacant. in verbo vacantium, vers. nec in beneficialibus.* Prob. ad Monach. *in cap. si hi contra quos, in litt. B. num.* 2. *versic. nihil igitur, vt lit. pend. in* 6. Atqui ex eisdem actis, & causa in eod. statu manente conuenitur. Rot. *decis.* 1. *vt lit. pend. in ant.* Felin. *in cap. quia G. in fine, de iudic.* Lancellot. *de attentat. part.* 2. *cap.* 20. *de attentat. post inhib. limit.* 24. *num.* 18. & instantia cum antecessore inchoata transit ad successorem. *cap. dilecti, de for. compet.* Abb. *in cap. quia V. numer.* 10. *versic. & sic, & vers. tertius casus,* & ibi Dec. *num.* 25. Mohed. *decis.* 1. *de iudic.* Paris. *de resignat. lib.* 1. *quæst.* 16. *num.* 14. *& seqq.* vbi refert plures decisiones Rotæ. Vnde in simili exceptio purgationis attentorum obstat successori in Ecclesia, & tenuit Rota in Ariminen. coram Accorambono relata per Lancellot. *part.* 2. *cap.* 4. *de attent. lit. pend. ampliat.* 5. & in Camaricen. coram Cardinali Paleotto relata per Paris. *dicta quæst.* 16 *nu.* 41. *& seqq.* quæ hic tanto magis procedunt, cùm modernus Episcopus reassumpserit eandem causam, & sic omnia in illa acta propria fecerit. Put. *decis.* 71. *n.* 1. *lib.* 3.

5 Non obstat quòd non probetur existentia penès eundem modernum Episcopum, sine qua non tenetur ad exhibendum, vt dicitur de hærede. *l. alio iure. C. de in lit. iur.* & ibi scribentes. Quia ipse vti successor habet contra se præsumptionem, qua ratione persistendo in exemplo hæredis dicit gloss. *in Clem.* 1. § *cæterùm, in verbo compellendos, de vsur.* quòd quando defunctus tenebatur exhibere librum rationum, ita etiam tenetur eius hæres, & illius iuramento non statur librum ad se non peruenisse, quam ibi sequitur Petrus de Leaz. & Imol. *num.* 21. cum aliis latè per Menoch. *præsumpt* 61. *num.* 9. *& seqq. lib.* 6. quæ præsumptio in proposito casu maximè coadiuuatur ex fide Notarij data in pede sententiæ per dictum Parisium latæ, attestantis illam sumptam esse ex processibus existentibus in actis, & archiuo Episcopalis Curiæ Marsicen. Vnde cùm apparet huiusmodi processus, & acta in eo archiuo conseruari, & ipse modernus Episcopus possit compellere actuarium, & Archiuistam ad exhibendum, perinde est ac si penès ipsum extarent. Cardinalis Seraphin. *decisione* 1214. *numero* 3.

Ad illud verò quòd non probetur huiusmodi acta esse, seu fuisse originalia, placuit responsio alias data in d. decis. & hodie vni ex DD. quòd essent talia, vehemens præsumptio oriri videbatur ex nonnullis scripturis, quæ fuerant transmissæ ex Vrbe ad Episcopum antecessorem in informando DD. per Archipresbyterum ostensis, quæ ex oculari inspectione originales apparuerunt. Nec verisimile videbatur quòd nisi dd. processus, & acta originalia fuissent, D. Episcopus certum nuncium ablegasset ad ea transportanda ab Vrbe, prout fecit, vt constat ex dicta ipsius epistola. 6

Ex quibus & aliis in decisione, & per informantes deductis DD. steterunt in decisis, vt suprà, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana prælationis domus. Veneris 24. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Emphyteotica res Ecclesiæ si fuerit alienata sine consensu Ecclesiæ, nunquid in ea Ecclesia habeat ius prælationis si in eadem emphyteusi fuit appositum pactum de affrancando.

SVMMARIVM.

Emphyteotica res si fuerit data reseruato iure dominij, & proprietatis dominij directi, quid operetur talis reseruatio, num. 1.

Pactum de retrouendendo nunquid excludatur per præscriptionem, quando deducitur per viam exceptionis, numero 2.

DECISIO DLXXXII.

Resolutum fuit standum esse in decisis die 13. Februarij præteriti, vbi fuit dictum pactum affrancandi non obstare prælationi. 1

Pro hospitali enim apparebat fundata intentio *in l. fin. C. de iur. emphyt.* & in ipso instrumento concessionis in emphyteusim factæ Bernardino de Alexandris per conseruatores hospitalis vsque de anno 1522. in qua legitur reseruatum Ecclesiæ concedenti ius dominij, & proprietatis, quo subsistente etiam reuocabiliter, interim tamen hospitale consequitur omnes effectus, & priuilegia quæ conueniunt domino, & proprietario. Menoch. *consil.* 26. *numero* 11. *& consilio* 142. *num.* 8. *& consil.* 201. *num.* 145. Natta *consilio* 353. *in fin.* Peregrin. *de fideicommiss. art.* 10. *num.* 21. *& seqq.*

2 Non obstat pactum de affrancando in eadem emphyteusi concessum, de quo obiicit, & excipit emptor. in quem omnia iura venditoris transierunt, quod dicebatur non posse excludi per perscriptionē, cùm deducatur per viam exceptionis, quæ perpetua est, *l. purè, §. fin. ff. de dol. & contum.* & in his terminis affirmant Dec. *consil.* 164. *nu.* 4. Cephal. *consil.* 40. *num.* 43. *& consil.* 700. *num* 31. Tiraq. *de retract. conuent.* §. 1. *gloss* 2. *num.* 30. *&* 31. Quia placuit responsio data in præcedenti decisione, quòd emptor non possit concurrere cum domino directo, ad impedien-

dum

dum priuilegium à lege directis dominis delatum, propter effectum dominij, qui sequitur suam causam, prout est penes directarium, non autem prout est penes dominum vtilis, cui nihil accedit; & vlteriùs animaduerterunt, quòd in hoc iudicio prælationis emptor non potest venire per viam exceptionis, opponendo de pacto affrancandi, quia dominus directi non vendicat principaliter bona ex pacto, propter deuolutionem rei emphyteoticæ ex culpa emphyteotæ, vt ideo si emphyteota cadat à dominio vtili, possit excipiendo dare de pacto affrancandi ad retinendum dominium pleno iure, in quibus terminis videtur loqui Franc. *in decis. 267.* sed agit tantummodo de consequendo iure sibi à lege vti domino directo delato quoad prælationem, in quo emphyteota excipiendo de pacto affrācandi nihil agit, quia per exceptionem non est factus dominus directi de tempore exceptionis, cuius vigore debetur prælatio, neque habet pactum contra dominum directum, vt teneatur renunciare iuri prælationis, & pati eo casu affrancationem; prout habet quando dominus directus ex pacto prætendit vendicationem vtilis dominij, vt suprà dictum est, vnde pro emptore magis stringebat responsio, quòd priuilegium prælationis tanquam fundatum in directo dominio penes directarium existente censeri deberet alienatum vnà cum vtili dominio, quando concessio est facta cum pacto affrancandi, tunc enim propter translationem dominij cessaret priuilegium, quod soli domino directi competit, sed etiam ad hoc fundamentum in præsenti decisione fuit responsum, & vlteriùs nunc respondetur, directum dominium non potuisse transire ad emphyteotam vigore illius pacti, quia exprefsè legitur reseruatum in concessione iuris dominij, & proprietatis, vt in principio fuit dictum.

REVERENDISSIMO P.D. CAVALERIO.

Tusculana syluarum. Veneris 24. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

De probatione quasi possessionis lignandi nonnulla notanda; de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Exceptio dominij non admittitur in possessorio manutentionis, præsertim suspenso petitorio, num. 1.

Quasi possessio lignandi probari potest per testes, & quomodo, num. 3.

Possessio precaria non sufficit ad manutentionem, n. 4.

DECISIO DLXXXIII.

1 RElaxato per R. P. D. meum Verospium post duas decisiones, mandato de manutenendo ad fauorem Communitatis Arcis Papæ super iure cædendi ligna, & carbonem conficiendi, cùm Excellentissimus D. Comestabilis habuisset recursum ad Signaturam, causa fuit mihi commissa cum facultate manutenendi eum, qui de iure: vnde de ordine Rotæ dedi dubium, cui sit dandum mandatum de manutenendo, & super quibus?

Pro cuius resolutione Domini in primis dixerunt, quòd licèt multa deducerentur satis longa serie pro parte Excellentissimi Comestabilis super dominio syluarum, tamen super tali dominio quicquid sit de illo, nihil firmare voluerunt in hoc iudicio possessorij summariissimi, in quo talis quæstio dominij tanquam respiciens petitorium ad illud reiicienda est, Bart. *in l. naturaliter. §. nihil commune numero 2. ff. de acquirenda possess.* Menoch. *de retinend. remed. 3. numer. 675.* bene fuit firmatum in secunda decisione D. mei Verospij in fin. quod etiam magis videbatur faciendum in hoc casu; attenta suspensione petitorij, facta in actis pro parte Communitatis. 2

Strictè igitur ad possessorium cùm hinc inde multa deducerentur, Domini distinguendo resoluerunt Communitati dandum esse mandatum de manutenendo, quoad ius lignandi, & carbonandi absque licentia quoad arbores non prohitas, in aliis verò deductis dandum esse mandatum de manutenendo Eccellentissimo D. Comestabili, dummodo non impediatur manutentio Communitati circa prædicta: incipiendo igitur iuxta ordinem disputationis à Communitate visum fuit eam esse manutenendam in dicta quasi possessione cædendi, tam per homines suos, quàm per operarios, tam nomine proprio, quàm Vniuersitatis in sylua nuncupata *del Commune* quæcunque lignamina, & quasuis arbores pro vsu proprio, & conficiendi carbonem, & pro aliis laboreriis ad effectum etiam vendendi, exceptis tamen arboribus fructiferis præseruatis, & prohibitis cædi, quæ sunt hæ, videlicet, cerri, quercus, Ischiæ, Spini, Fargnæ, & Melazzi. 3

Nam de hac quasi possessione visum fuit optimè deponere testes pro Vniuersitate examinatos etiam de scientia, & patientia Dominorum Columnensium, & ministrorum, addentes etiam de immemorabili, publica voce, & fama, per verbum *fuit*, & *est*, & aliis requisitis, vt in prima decisione aliàs facta, & de pluribus actibus possessionem denotantibus, vt de similibus testibus, Alex. *consil. 88. n. 12. in fin. ver. quod autem, lib. 5.* Natt. *consil. 572. n. 18. & seq.* Bertazol. *consil. ciuil. 1. n. 58. & 59.* 4

Nec putauerunt obstare solutionem, quæ fit DD. Columnensibus vnius caroleni pro qualibet salma mulorum, & vnius grossi pro salma qualibet asinorum, vnde Domini Columnenses inferebant talem solutionem fieri pro extractione ex ipsamet sylua, quo casu possessio Communitatis fuisset precaria, & non manutenibilis, ad not. per Ripam & alios *in c. cùm Ecclesia Sutrina, de caus. possess. & propriet.* Nam responsum fuit tales solutiones fieri ratione iurisdictionis, quam habent Domini propter extractionem non ex sylua, sed ex territorio, vt aliàs in dicta decisione firmatum fuit, super quo satis benè deponebant, secundus testis Communitatis super 11. & quartus super 9. deponentes, quòd solutiones fiebant pro salmis extrahendis extra territorium, & non pro illis, quæ inseruiebant pro vsu proprio, vt explicitè deponit secundus testis, & hoc modo Domini censebant talem quasi possessionem hinc inde allegatam esse compatibilem, & posse conciliari testes examinatos pro parte Eccellentiss. D. Comestabilis, distinguendo extractiones, quæ simpliciter fiunt à sylua, & illas, quæ fiunt à territorio. 5

Et cum hac distinctione tolli putabant obiectum licentiæ, quam dedisse ostendebatur bo. me. Cardi- 6

dinalem Columnam cum augmento solutionis antiquæ, eam dicebant esse intelligendam pro extractione à territorio, non autem à sylua, vt colligitur etiam ex dicto dicti quarti testis. Nam talis licentia erat tantum super extractione carbonis, qui verisimiliter extrahitur potius ad effectum mercimonij, quàm proprij vsus.

6 In quorum corroborationem Domini etiam considerabant, quòd testes examinati pro parte Excellentissimi Comestabilis, quorum depositiones dantur in suo summario *num.25.* deponunt Rocchenses non vti carbone pro vsu proprio, sed ad effectum vendendi extra territorium, & testes communitatis deponunt nunquam Rocchenses soluisse gabellam hanc syluatici pro extractione facta pro vsu proprio, sed tantùm pro ea, quæ fiebat extra territorium, inter quos secundus testis super 13. *che hanno pagata la gabella ancora delle some de Legnami, e carbone, che faceuano dell' arbori delle loro possessioni per estrarre fuori del territorio.* Vnde apparet bene conuenire nomen *gabellæ*, quæ competit ratione iurisdictionis pro huiusmodi extractionibus, quæ fiunt extra territorium, non autem pro incisione arborum in fundo proprio, quarum extractio ad domum propriam nullo iure prohibetur.

7 Neque præmissis visæ fuerunt obstare licentiæ concessæ incidendi arbores pro reparandis, & cooperiendis ædificiis Rocchensium, & nominatim *per far le scannole*, quibus ædificia cooperiuntur, quia responsum fuit tales licentias fuisse necessariò impetrandas, quia talia lignamina pro ædificiis non possunt fieri, nisi de quercubus, & cerris, & sic de arboribus prohibitis.

8 Ad bannimenta autem emanata DD. Columnensium cum prohibitione generali incidendi quæcumque lignamina syluæ, cum solutionibus pœnarum, & gratiis factis; responsum fuit, vel intelligi de arboribus prohibitis, vel de ea parte syluæ spectante liberè ad Dominos, quæ dicitur *la Riguardata*, super qua Rocchenses nihil prætendunt, & placuerunt responsiones datæ sigillatim ad singula. Et hæc quoad primam partem resolutionis in fauorem Communitatis.

9 Quo verò ad secundam partem in fauorem Excellentissimi D. Comestabilis, resolutum fuit esse ei dandum mandatum de manutenendo in aliis deductis, non solùm quia Communitas non contradicit, sed etiam quia re vera videbatur Dominis eius possessionem bene probari, & in primis super quasi possessione vendendi glandes, & alios fructus arborum dictæ syluæ, tam exteris, quàm hominibus Arcis Papæ, & pretium exigendi, vt inter alios testes primus, & tertius iuxta 19. in summario D. Comestabilis, *nu.1.* secundò super iure affidandi, & exigendi pretium affide per suos ministros, vt per testes deponentes, in specie de sylua communi in dicto summario, *num.2.*

10 Tertiò, Domini dicebant probari quasi possessionem redigendi ad culturam, & vt dicitur, cesandi syluas, & exigendi responsiones de terris ad culturam redactis.

11 Quartò, in quasi possessione exigendi syluaticum, de quo suprà dictum est, quæ est quædam responsio pro singulis saimis lignorum, vel carbonis, olim in minori quantitate, hodie verò rationem vnius caroleni pro salma qualibet muli, & vnius grossi pro qualibet salma asini, vt dictum est, & testes deponunt in summario *num.5.*

Quinto, in quasi possessione apponendi custodes in d. syluis, & exigendi pœnas à damnum dantibus, vt per testes in eodem summario *nu.6.* & ex licentia data Marinensibus incidendi in dictis syluis, & bannimentis contra lignantes, & damnum dantes de pœnis exactis, & gratiis factis in executionem dictorum bannimentorum, quæ omnia Dominis videntur fuisse probata pro parte Excellentissimi D. Comestabilis. 12

In quibus omnibus propterea visum fuit Dominis dandum esse mandatum de manutenendo Excellentissimo D. Comestabili, ita tamen, vt per illud non impediatur manutentio Communitati, quoad ius lignandi, & carbonandi, absque licentia quoad arbores non prohibitas, vt suprà dictum est. 13

Et ita fuit conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DUNOZETTO.

Meliten. Baiuliuatus. Lunæ 27. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Remissoria non datur ad probandum id de quo per scripturam constat, vel ad probandum contra contenta in scriptura. Copulatiua &, resoluitur in disiunctiuam, si obstat materia, & læsio proueniens ex futuro euentu fortuito, non est in consideratione.

SVMMARIVM.

Remissoria non datur quando articuli sunt irreleuantes, & quando petitur ad probandum de quibus per scripturas constare debet, n.1. & 2.

Remissoria denegatur quando petitur ad probandum per testes id, cuius contrarium constat per scripturas, numero 2.

Copulatiua &, quando non potest copulare, quia materia repugnat, quia insimul stare non possunt, resoluitur in disiunctiuam vel, num.3.

Alternatiuæ, & disiunctiuæ natura est, vt in his sufficiat vnam partem verificari vt sit dispositioni locus, num.4.

Instrumenti seu contractus attenditur conclusio, non tractatus, num.5.

Verba clara, & pura implicant casum magis dubitabilem, non excludunt minus dubitabilem, num.6.

Læsio in conuentione quæ pendet ab euentu, non est in consideratione, & pacta non sunt metienda à felici euentu, cùm pendent ab accidente futuro, n.7.

Remissoria denegatur in causa beneficiali, nec solet de stylo Rotæ concedi sine fumo iuris, num.8.

Commendæ & præceptoriæ ordinis S. Ioannis Hierosolymitani sunt benefica, & causa super illis dicitur causa beneficialis, num. 9.

Exceptio periurij repellit agentem à limine iudicij, n.10.

DECISIO DLXXXIV.

ORta lite super electione Baiuliuatus de Manosca Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani inter D. Gullielmum de Vecheras, & D. Herculem Vintimilium, Equites & Commendatores eiusdem

dem antianitatis seu, vt vulgo dicitur, traiectus, asserendo dicto D.Gullielmo se vigore concordiæ sacra iusiurandi religione vallatæ, necnon S.Sedis Apostolicæ, & Illustrissimi, & Reuerendissimi DD. Magni Magistri authoritate confirmatæ esse præferendum. hoc non obstante dictus D.Hercules in Ven. linguæ Prouinciæ Consilio petiit & obtinuit electionem, & postmodum confirmationem à dicto D.Magno Magistro & Consilio vnà cum collatione & possessione, à qua electione pro parte dicti D.Gulielmi fuit appellatum, causáque in Signatura gratiæ S.D.N. mihi commissa; pro parte dicti D.Herculis fuerunt exhibiti articuli, quibus probabare nitebatur d. concordiam non potuisse obstare suæ electioni, vnde iuxta ordinem dubitaui, vtrùm danda esset remissoria, néene ? quo dubio proposito, Domini sine vlla difficultate denegandam esse remissoriam responderunt.

Præcipuum & maximum fundamentum illud est quòd omnes articuli dati pro parte D. Herculis sunt irreleuantes, & non percutiunt vires concordiæ, aut continent materias in constitutionibus Religionis registratas, & decisas: vnde frustrà petitur remissoria ad probanda ea de quibus per scripturas constare debet. Fel *in cap.1. num.4. de appell.* Rot. *decis.6. & 46. de test. in antiqu.* cum multis aliis adductis in vna Tuden. beneficij de Rosal. 9. Iunij 1598. coram Corduba.

2 Quoad sextum articulum, in quo informantes pro parte D. Herculis vim faciunt, cùm in eo prætendatur probare D. Herculem cessisse antianitatem super dignitatibus, & in specie super Baiuliuatu d.D.Gullielmo, sed noluisse cessionem huiusmodi sortiri effectum postquam d.D. Hercules Magni Commendatoris officium obtinuisset, & non priùs, nec hunc articulum esse admittendum Domini censuerunt, duplici ratione. Aut enim contendit Dominus Hercules probare hunc casum non esse comprehensum in concordia, & tunc ad testes frustrà recurritur, quia non datur remissoria ad probanda contenta in scripturis publicis, ex supradictis; spectandus enim est solummodo tenor concordiæ, super quo cadere debet disputatio, aut prætenditur probare per testes tenorem diuersum à concordia, & hoc etiam casu denegatur remissoria, quando de contrario constat per scripturas. Ægid. *decis.9.* Put. *decis.331. & 339. lib.2.* Card. Seraph. *decis.1460.* & fuit decisum in vna Carthaginen. fructuum 2. Maij 1611. coram Illustrissimo Lancellotto.

Visum enim fuit verba illa concordiæ esse clara, & nulla indigere interpretatione, cùm appareat ex his d.D.Gullielmum, qui eodem antianitatis iure gaudebat, cessisse ius & antianitatem suam super dicto officio, seu dignitate Magni Commendatoris, vel Locumtenentiæ in fauorem d. D. Herculis, qui vice versa in casum vacationis aliarum dignitatum, & in specie d. Baiuliuatus sacramento se obstrinxit in concursu d. D. Gullielmi ad dd. dignitates se promoueri non petiturum, qua conuentione & promissione iurata stante non poterat ipse petere, multóque minus obtinere electionem ad dictum Baiuliuatum.

Non obstat quòd dicitur d. articulum non directè oppugnare tenorem concordiæ, sed cùm verba sint dubia ac perplexa, ad ea interpretanda non denegari probationes per testes, quæ perplexitas inducitur ex illis verbis, dum d. D. Gullielmus cedit antianitatem ad Magnam Commendam & Locumtenentiam, cum clausula copulatiua, itaut non videatur sufficere d.D.Herculem fuisse Locumtenentem, nisi etiam ascenderit ad Magni Commendatoris dignitatem, prout fusiùs per informantes pro dicto Domino Hercule.

Responsum enim fuit ex his verbis nullam perplexitatem induci posse ad introducendum sensum dubitatiuum, vt magis intelli debeat de persona Commendatoris, quàm de persona Locumtenentis, cum verba non possint intelligi de eo tantùm, qui ascenderet ad prædictam Magni Commendatoris dignitatem, quinimò separatim considerata fuit dignitas ipsa, & separatim Locumtenentia, & consideratus casus quòd vnus posset esse Magnus Commendator, & alius Locumtenens.

Dictio siquidem & posita inter Magnum Commendatorem & Locumtenentem, cùm non possit copulare in eadem persona, quia idem eodem tempore non potest esse Magnus Commendator, & Locumtenens, resoluitur quòd ad quem licet ex litteris, cum quibus contrahitur in disiunctiuam, quasi dictum fuerit *vel*, vt *in l. aut vt fratrum fili, circa med.* Alber. *in l. cum quidam, C. de verb sign.* Ioan. Andr. *in cap. is qui, de elect in 6.* 3

Nec est nouum in iure vt dictio &, cùm ponitur inter ea, quæ insimul stare non possunt in eodem subiecto, vim habeat disiunctiuæ, vt in specie *l fin. §. 2. C. de codicil. & in l. si tertio, ff. de vsufruct.* quam interpretationem suadent verba sequentia concordiæ, in qua partes semper disiunctiuè & alternatiuè loquutæ sunt de Locumtenentia, & sic intrat regula in alternatiuis sufficere partem vnam verificari vt sit dispositioni locus, *l. si hæredi plures, ff. de cond. instit l generalitatem*, vbi Dec. *num.2. C. eod. l. si ita stipulatus fuerit ff. de verb. obl.* 4

Nec potest interpretatio suppleri ex prætenso articulato, quia conclusio ipsa expectanda est, non autem tractatus in instrumento, Bald *d. cap fin. de iurament. cal. & in cap. 1. circa med. de prohib. alien feud.* Ripa *in l. 1. post princip. ff ad Trebellian.* cum infinitis allatis per Tiraq. *in tract. connub. in fin. nu. 24.* si enim admitteretur probatio dicto tract. non esset declaratio, sed potiùs subuersio concordiæ factæ cum magna maturitate inter partes confirmata in magno Magistro à Sede Apostolica, & registrata in Cancellaria. 5

Nec etiam visa sunt obstare illa verba, & præcipuè ante illum, qui erit Magnus Commendator, quia cùm sæpius verba ex supradictis sint clara & pura, implicant casum magis dubitabilem, non autem excludunt minus dubitabilem. *l. illud. C. ad l. Aquil.* gloss. *in l quod si minor. §. restit ff de minor.* 6

Non obstat quòd officium Locumtenentis non sit dignitas certa, vt fuit articulatum, sed medium, seu ascensus ad dignitates, per quod officium non est verisimile quòd quis voluerit renunciare suæ antianitati: si enim hodie detegitur læsio conuentionis factæ, hoc non sufficit in euentualibus; potuit enim non solùm in vno anno, sed etiam in vno die euenire talis casus, vt simul & Locumtenens, & maior Commendator efficeretur, propter cessionem concursus D.Gullielmi, ideo D. Hercules debet patienter tolerare accidens contrarium, in cessionibus enim quæ pendent ab euentu futuro, non sunt metienda pacta à felici euentu. 7

Secundò denegarunt Domini remissoriam, quia causa est beneficialis, nec solet ex stylo Rotæ concedi sine fumo. Put. *decis. 366. num. 7. lib. 1.* qui non 8

datur pro parte D. Herculis; sufficit enim vt petatur siue per viam electionis, siue alia via, vt intret *Clem. dispendiosam, de iud.* & ibi gloss. & Doct. Achil. *decis. 6. de dilat.*

9 Nec dici potest causam non esse beneficialem, quia Commendæ & Præceptoriæ d. Ordinis sunt beneficia amouibilia ad nutum, quia manualia & regularia sub eadem *Clement. dispendiosam* comprehenduntur, & ibi gl. & Imol. *num. 3.* prout non placuit quod dicitur non agi de tit. beneficij, cùm non agatur de concordia, nisi ad effectum petendæ dignitatis vacantis.

10 Vltra quòd pro parte D. Gullielmi opponitur D. Herculi exceptio periurij incursi ex eo quòd tribus diebus ante obtentam absolutionem à iuramento ad effectum agendi ipse D. Hercules petiit & obtinuit electionem de dicto Baiuliuatu contra promissionem in concordia expressam & iuramento vallatam, quæ exceptio omnino repelleret Herculem à limine iudicij, *can. paruuli*, vbi gloss. *in fin. 22. quæst. 5. cap. tua nobis*, vbi Bald. *de iureiur. l. si quis minor. C. de transact.*

Et ita decisum, vtraque parte acerrimè informante, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Lucana pensionis. Lunæ 27. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Pensionis solutio quomodo probetur ad effectum constituendi recipientem in quasi possessione exigendi pensionem.

SVMMARIVM.

Dictio quamdiu, *quid importet, & de eius significatione, num. 1.*

Confessio de recepto non probat ad fauorem eius qui tenetur docere de vera numeratione, num. 2.

Solutio facta pro vltimis terminis quando faciat præsumere solutionem in præteritum, ibid.

Pensio est quid spirituale, num. 3.

Pater si pro filio recipit pensionem, nunquid ex hoc probetur pensionis solutio, num. 3. & 4.

Confessio de recepto adminiculata probat veram numerationem, num. 4.

DECISIO DLXXXV.

1 IAm fuit resolutum onus probandi solutionem pensionis in vita Titularis iuxta decretum in literis appositum spectare ad pensionarium: hodie verò fuit dubitatum, an talis solutio per eum probetur? Et resolutum non constare de solutionibus quæ suffragentur Blasio. Animaduerterunt enim Domini, quòd non sufficit probare pensionem aliquando fuisse solutam, sed esse probandum Titularem in vita, & quamdiu in beneficium obtinuit, pensionem soluisse, vt legitur in litteris, atque ita Ludouicus titularis nedum necesse habuit ad validitatem pensionis soluere pensionem dum vixit, aut dum beneficium possedit, sed etiam totam, & integralem soluere, propter dictionem *quamdiu*, quæ apta est vtramq; in oratione positam determinare, scilicet rerum quātitatem. *l. si filia nupta, §. nec solum, ff. fam. ercisc.* & temporis continuationem, & hic sensus bene conuenit menti Papæ, ne contra eius intentionem pensio censeatur tantummodo reseruata in præiudicium successoris. Et hoc supposito,

Dicebatur per quitantias exhibitas non probari pensiones decursas realiter, & cum effectu fuisse solutas, quia etsi dentur plures quitantiæ continentes solutiones pensionis pro annis 1609. 1610. 1611. & 1612. ex quibus possit præsumi in præteritum fuisse solutam, secūdùm terminos *l. quicumque, C. de apoch. lib. 10.* quam in quacunque materia procedere firmauit Menoch. *de præs. lib. 3. præsumpt. 139.* & in his terminis Gig. *de pension. quæst. 81.* tamen non omnes continent realem numerationem, sed illa tantùm anni 1610. Cæteri verò confessionem tantummodo de recepto, quæ non probat ad fauorem eius, qui tenetur docere de vera numeratione. *l. Lucius, §. tutelæ, ff. de adm. & peric. tutor.* Natt. *cons. 543. nu. 13. lib. 3.* Seraph. *decis. 302. n. 2.* & benè fuit comprobatum in causa Lunen. Sarzanen. pensionis 26. Februarij 1611. coram R. P. D. Buratto. 2

Præterea huiusmodi etiam confessiones de recepto neque à pensionario, aut eius Procuratore factæ fuerunt, sed ab eius patre, qui in spiritualibus & eis annexis, qualis est pensio, Gig. post alios *consil. 14. num. 4. & 5.* non habet à lege aliquam administrationem in bonis filij. *cap. final. de iudic. in 6.* Gig. *cons. 123. num. 3.* 3

Non obstat quòd confessiones de recepto adminiculatæ probant etiam veram numerationem. Achill. *decis. 1. de confess.* Seraph. *in alleg. decis. 302. n. 2.* Rota in Romana pensionis 13. Iunij 1597. coram bo. me. Cardinali Pamphilio. Adminicula autem dicebantur probari ex multiplicatis solutionibus, & ex aliquorum terminorum confessione veræ numerationis, & cum iuramento coram Notario & testibus, per quæ pater poterat conueniri à filio ad earum restitutionem, vt ideo verisimile non sit quòd voluerit confiteri quod non habuit. Fuit enim responsum verisimiles confessiones ex verbis decreti ibi verè, & realiter fuisse exclusas. Vltra quòd semper obstat defectus mandati veri ad recipiendum, de quo non constat in patre, qui recepit pensiones, & speciale necessarium videatur ex forma eius decreti, ibi, quoad vixerit, vel Procuratore suo ad hoc speciale mandatum habente. 4

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Reatina census. Lunæ 17. Nouembris 1617.

ARGVMENTVM.

Promissio, & obligatio facta ex falsa causa dicitur erronea. quando, & quomodo de hoc errore constare dicatur.

SVMMARIVM.

Obligatio, seu promissio facta ex falsa causa, dicitur erronea, & corruit ex defectu consensus num. 1 & 9.

Error dicitur probatus quando in relato non exprimitur id quod in referente præsupponitur, num. 2.

Negatiua censetur probata per inspectionem scripturæ, ad quam

quam sit relatio, num. 1. in fin. num. 2.
Confessio de recepto non probat numerationem, n. 4.
Assertioni illius qui tractat de proprio commodo, standum non est, etiam quòd assertio sit iurata, n. 5.
Memorialia non probant contra scribentem, n. 7.
Notarius non potest se rogare de his quæ respiciunt proprium commodum & interesse, n. 8. in fine.

DECISIO DLXXXVI.

1 PRo confirmatione sententiæ Rotalis, responsum fuit per Dominos eodem fundamento quo capta fuit resolutio coram R. P. D. meo Pamphilio 2. Decembris 1615. & 22. Iunij 1616. videlicet, quòd cùm accollatio ad fauorem Marij facta per fratres de Pagnottis, filios & hæredes q. Thomæ de anno 1600. pro rata scutorum 400. sortis census scutorum 1000. & promissio totius census extinctionis infra annum fuerit erronea, & ex falsa causa corruat ex defectu consensus. Bart. *in l. damus, ff. de condict. indeb. in princip. versic. secus esset, & num. 3. vers. soluit quandoque, & num. 4. vers. si verò. & vers. si ignorabat*, & deductum fuit in dictis decisionibus, & per Gabr. *cons. 62. n. 34. & seq. & n. 13. lib. 2.*

2 Error autem & falsitas causæ resultant, quia in instrumento dictæ accollationis dictum olim Thomam eorum partem in se accollasse dictum censum pro scutis 600. per eum debitis Mutio & Camillo de Sinibaldis pro complemento pretij terrarum ab illis emptarum de anno 1588. vt ex instrumento rogato per Mannum Notarium, ad quod expressa relatio habita fuit. In dicto autem instrumento relato talis accollatio non legitur, & ita erroris probationem in specie deducit Alex. *cons. 83. num. 1. versic. modus autem, vol. 1.* Curt. iun. *cons. 192. num. 21. lib. 3.* Cumque affirmatiua fuerit ad certum instrumentum coarctata, ex illius inspectione probatur negatiua, Salyc. *in l. fin. num. 2. C. de reb. cred.* Butr. *cap. auditis, num. 3. in 2 notab. de restit. in integr.* cum deductis in Foroliuien. census 14. Iunij 1613. & 2. Maij 1614. coram me.

3 Qui error euidentior redditur ex eo quòd in dicta accollatione narratur, quòd Thomas non habens pecunias manuales pro integra solutione dicti pretij dictum censum in se accollauit pro dictis scutis 600. in d. verò instrumento emptionis continetur integralis solutio pretij cum distinctione etiam qualitatis monetarum, videlicet hoc modo in duobus tertiis de Paulis argenteis, & vno tertio de moneta Regni: vt etiam consideratum fuit in prædictis decisionibus cum generali quitatione & pacto de rem habitam vlterius non petendo, & ideo cùm relatio facta fuerit ad instrumentum quod reperitur, & aliter dicit quàm relatum fuerit, obligatio & accollatio per Pagnottos facta vti erronea non valet, Felin. *in c. quoniam*, Abb. *num. 12. vers. 2. limita, de offic. delegat.* Dec. *in l. edita, num. 86. C. de edend. & consil. 118. num. 5. in fine, versicul. modo aduertendum est.* Grammat. *decis. 59. num. 5. vers. item quòd quamuis.*

4 Nec obstare visa sunt in contrarium deducta. Et primò quòd error dictæ accollationis excludatur ex solutionibus fructuum dicti census factis Mario Flauio illius domino, tam à dicto Thoma per quadriennium, de quo superuixit post dictam emptionem, quàm ab ipsius filiis spatio aliorum octo annorum ante dictam accollationem del 1600. vt suprà, per quas solutiones videtur agnita veritas accollationis. Nam quitantiæ datæ in summario Iulij *numero quinto*, omnes cantant ad fauorem Mariani, vnius ex fideiussoribus, pro solutionibus fructuum dicti census, vnica excepta, confecta sub die 29. Ianuarij 1594. in qua tamen dictus Marius solùm fatetur se esse satisfactum à dicto Mariano & hæredibus Thomæ, & sic non probat numerationem factam per hæredes: sed est nuda confessio, quæ potest referri tantùm ad solutiones factas per dictum Marianum fideiussorem, ex quibus Marius vocauit se satisfactum etiam quoad hæredes prætensos debitores. Immò nec dictus Marianus soluit pro fructibus census scutorum 600. sed pro censu aliorum scutorum 400. sibi accollato in emptione quarundam terrarum sibi à dictis de Sinibaldis venditarum, quæ erant ex censuatis ad fauorem dicti Marij, vt patet ex iisdem quitantiis; & ideo non solùm non concludunt de aliquibus solutionibus fructuum factis per Thomam viuentem, sed ex quitantia sub die 29. Ianuarij 1592. in qua dictus Marius confessus fuit se recepisse à Mariano scuta decem, *per vn resto di doi anni fà che mi restò à pagare Mutio Sinibaldi in tutto*, &c. Apparet quòd fructus census non soluebantur per Thomam, sed à Sinibaldis venditoribus, quod excludit accollationem.

Secundò nec obstare enunciatiuas dictæ accollationis factas in prædictis quitantiis, & in libro Memorialium, ac in testamento dicti Marij, in quo legauit filiæ dictum censum tanquam debitum per Pagnottos, cum istis verbis: *Quali tengono à censo li Pagnotti, & M. Mariono Sinibaldi.* Quia sunt inter alios, & ad proprium commodum tam ipsius Marij, cuius intererat habere plures debitores fructuum dicti census, quàm dicti Mariani soluentis, qui erat fideiussor in dicto censu, & possidebat bona censuata, & propterea ei conducebat habere dictum Thomam obligatum, nedum pro fructibus, sed etiam pro extinctione: ideo neutri ipsorum tanquam tractanti de proprio commodo est fides adhibenda, etsi cum iuramento & formiter ita asseruissent, vulg. *l. omnibus*, vbi Doct. communiter, *C. de testibus.* 5

Proinde nec meretur fidem depositio filij dicti Marij pro parte Iulij examinati, vt in summario depositionis dato in responsionibus attestantis quòd 20. annis elapsis Pagnotti soluebant ipsi nomine eius patris ratam scutorum 600. & Marianus 400. quia vltra quòd est vnicus, agit etiam de proprio commodo, vt suprà. 6

Tertiò, nec duo folia dictorum DD. de Pagnottis, vnum videlicet manu Iuliani, alterum manu Ioannis Baptistæ confecta, de quibus in summario Iulij *num. 8. & 9.* Nam vltra quòd huiusmodi Memorialia non probant etiam contra scribentem, Iason *in l. admonendi, num. 81. in fine, versic. quintò limita, ff. de iureiurand. & in repet. numer. 115. versic. secundò limita.* Grat. *cons. 123. num. 11. lib. 2.* in eis nulla fit mentio de accollatione Thomæ, sed solùm continentur annotationes dicti census tanquam debiti communis & paterni, quæ est sine tempore, & ideo potiùs esse facta post instrumentum accollationis erroneum, consequenter etiam testamentum dicti Ioannis Baptistæ, in quo approbat in omnibus & per omnia dictum folium, vt dicto summario *num. 10.* nihil plus probat. 7

Præterea in altero folio Iuliani non dicitur ad- 8

esse instrumentum accollationis Thomæ sub rogitu Hortensij, sed tantùm leguntur verba, *Vi sono doi instrumenti vno fatto per mano di ser Hortensio, l'altro fatto per mano di ser Domitio*, quæ verba intelligi possunt de duobus instrumentis eiusdem accollationis, quorum vnum scriptum esset manu vnius, alterum manu alterius, & consequenter nulla ex eo accollationis per Thomam factæ deduci potest probatio, quę debet esse certa & necessariò concludens. Eoque minus, quia cùm dictus Hortensius interuenerit in instrumento emptionis terrarum vti curator venditorum, erat penitus inuerisimile, quòd ipse rogatus fuerit de prædicta accollatione, quæ respiceret proprium interesse. Specul. *tit. de instrum. edit. §. instrumentum ergo publicum, num. 27. vers. item excipitur.*

9 Nec denique subsistere visum fuit respectu dictæ accollationis scutorum quadringentorum per dictos fratres de Pagnottis factæ cessare errorem, & falsitatem causæ, ex receptione scutorum 400. eis à dicto Mariano solutorum in actu celebrationis instrumenti, quia causa finalis dictæ accollationis fuit erronea, & falsò illis supposita accollatio paterna census pro dictis scutis 600. ex quo fuerunt requisiti, & crediderunt se teneri ad extinctionem census pro dicta rata: vnde quia non habebant manuales pecunias, vt dicitur in instrumento, deuenerunt ad accollationem scutorum 400. & sic illius respectu non cessat, sed viget defectus causæ, & propterea quoad eam quoque intrat nullitas & defectus consensus, ex suprà allegatis, & Rota apud Cęsar. de Grassis *decis. 1. de transactionib.* & Seraph. *decis. 275. num. 10. & 11.* & clarum est quòd ex finalis causæ defectu actus corruit, & vitiatur. Bart. *in dicta l. damus.* Bald. *in l. nec apud, num. 1. C. de hered. instituend.* Bart. & alij *num. 3. & 4. & consil. 351. numer. 5.* Decian. *respons. 117. num. 42. cum seqq.* & in specie erroneæ & falsæ causæ, Paris. *cons. 12. num. 96. lib. 2.* Grammat. *d. decis. 59. num. 5.* Gabr. *dicto cons. 62. num. 3. cum seqq. lib. 2.*

Et ita vtraque parte informante conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana supplementi legitimæ. Veneris 1. Decembr. 1617.

ARGVMENTVM.

Legitimatus cum clausula sine præiudicio venientium ab intestato, non concurrit in legitima cum filio naturali, & legitimo, & ex testamento paterno eatenus potest capere, quatenus legitima filij naturalis, & legitimi non minuatur.

SVMMARIVM.

Legitimatus cum clausula, sine præiudicio venientium ab intestatio, *non potest concurrere in petitione legitimæ cum filiis legitimis, & naturalibus ad eorum præiudicium, n. 1.*

Clausula, sine præiudicio venientium ab intestato, *in legitimatione non operatur facto testamento, quia legitimatus potest petere id quod sibi à patre relictum est in testamento num. 2. tamen operatur vt facto testamento legitimatus ex eo eatenus possit capere quod sibi relictum est, quatenus salua remanet legitima filij legitimi, & naturalis, ibid. in fine, & n. 4. & dicta clausula intelligitur operari tantùm quoad ea, in quibus pater potest præiudicare filiis, n. 4.*

Legitimatus cum clausula, sine præiudicio, &c. *potest capere ex testamento patris sine diminutione legitimæ, &c. quando in testamento sunt instituti venientes ab intestato; secus verò si sint instituti extranei, quia tunc non habetur ratio huius diminutionis, num. 3.*

Legitima filiis legitimis naturalibus debita pater præiudicare non potest, n. 5.

Legitimato simpliciter, & plenè absque clausula, sine præiudicio, &c. *debetur plena, & integra legitima, & eo defuncto debetur nepoti ex ipso, n. 6.*

DECISIO DLXXXVII.

PLacuit Dominis decisio in hac causa die 5. Iunij præteriti, in qua fuit resolutum Nummam iun. legitimatum cum clausula, *sine præiudicio venientium ab intestato*, non posse concurrere in petitione legitimæ cum Domina Septimia filia legitima & naturali ad eius præiudicium. Ipsa tantùm informante, cùm pars societatis S. Nuntiatæ, quæ obtinuerat de nouo audiri, sæpe citata informare neglexerit. 1

Et mouebantur rationibus in decisione adductis: & præcipuè, quia licèt clausula, *sine præiudicio venientium ab intestato*, non operetur, facto testamento ad effectum vt possit legitimatus petere id quod sibi in testamento à patre relictum est: tamen operatur ad effectum vt pater non possit filio legitimo, & naturali præiudicare in legitima, & iure naturæ debita. Ideoque hoc casu eatenus poterit legitimatus capere ex testamento quod sibi relictum est, quatenus salua sit legitima filij legitimi, & naturalis, ex pluribus congestis in decisione. 2

Quibus nec visum est obstare, quòd supradicta procedant quando in testamento patris essent instituti venientes ab intestato, ad quorum fauorem emanauit illa clausula, secus verò institutis extraneis, vt per Zuccard. *in l. posthumo, num. 55. C. de bon. possess. cont. tab.* cum aliis per Gabr. *cons. 22. num. 10. lib. 2.* 3

Quia quidquid sit de hoc, fuit per Dominos responsum, quòd hoc casu est institutus pro medietate Numma legitimatus, & pro altera medietate societas Sanctissimæ Annunciatæ: vnde aut Numma vult vti institutione de se facta, & illa non potest sibi opitulari, cùm legitimatus cum dicta clausula possit capere ex testamento, sed ita vt nõ minuatur legitima filij legitimi & naturalis, ex adductis per Peregr. *de fideic. art. 23. n. 83.* cum aliis congestis in decisione; cùm dicta clausula intelligatur operari quoad ea tantùm, in quibus potest pater præiudicare filiis. Gabr. *cons. 24. num. 8. lib. 2.* & sic non quoad legitimam, in qua pater non potest filiis præiudicium afferre. *l. quoniam nouella, C. de inofficioso testamento*, & firmatur in decisione. 4

Aut nititur institutione facta de societate, tanquam illa sit persona extranea, & tunc etiam res recidit in idem, cùm nec isto casu possit legitimatus petere legitimam in concursu, & in diminutionem legitimæ filij legitimi & naturalis, cui testator quoad legitimam præjudicare non potuit, vt benè 5

vt benè deducit Gabr. *conſ.24.num.31.& ſeq. lib.2.* & alter Gabr. *in tit. de legit. concluſ.8. num.4. verſ. declarans*, cum aliis in deciſione adductis.

6 Nec obſtant deciſiones in cauſa Romana legitimæ coram Reuerendiſſimo Damaſceno, & D. meo Veroſpio, quia placuit reſponſio data in deciſione de qua agitur, videlicet quòd termini ſunt omnino diuerſi. Nam ibi filius erat plenè legitimatus abſq; clauſula *ſine præiudicio venientium ab inteſtato*, & ſic abſque vlla reſtrictione circa ſucceſſionem, & ideo in caſu illo nepos ex filio dicto modo legitimato poteſt petere legitimam, ex communi concluſione, quòd ſicuti filio legitimato debetur legitima, ita eo defuncto nepoti ex ipſo, vt latiùs fuit firmatum in prædictis deciſionibus.

Et ita fuit deciſum, &c.

REVERENDISSIMO P.D. DVNOZETTO.

Beneuentana dotis. Veneris 1. *Decembr.* 1617.

ARGVMENTVM.

Mulier à ſtatuto prohibita de ſuis dotibus diſponere vltra decimam partem, ſi filios habuerit, nec etiam poteſt filiam hæredem inſtitutam fideicommiſſo grauare, & de materia huius ſtatuti, nonnulla notanda, de quibus in ſummario.

SVMMARIVM.

*Mulier à ſtatuto prohibita de ſuis dotibus diſponere vltra decimam partem ſi filios habuerit, nec etiam poteſt filiam hæredem inſtitutam fideicommiſſo grauare, n.*1.*& 2.*

Negatiua poſita ante verbum, poteſt, *aufert diſponendi poteſtatem, n.*1.

Diſponere, *verbum maximè conuenit vltimæ voluntati, & ad eum in dubio refertur, ibid. in fin.*

*Hæres grauatus reſtituere, non tenetur reſtituere quod ad eum peruenit non ex iudicio teſtatoris, ſed ex alia cauſa, n.*2.

*Legitima aliud non eſt, niſi quædam portio taxata arbitrio legis, perſonis, quibus iure naturæ, vel quaſi ſucceſſio debetur, n.*3.

*Legitima de iure non recipit onus, nec conditionem, n.*3.*& 4.*

*Minor dotem conſtituere non poteſt ſine decreto iudicis, num.*5.

Mater dare non poteſt tutorem filiæ, ibid.

Tutela expirat filia effecta maiore duodecim annorum, ibid.

*Mulier minor poteſt dare in dotem etiam immobilia, dummodo illa det inæſtimata, n.*6.*& 7. Vbi etiam idem quando nulla ratione lucri poteſt fieri alienatio.*

*Tutoris nomen confunditur quandocunque cum nomine curatoris, n.*8.

*Dos nunquid dicatur exceſſiua ſi vni ſorori fuerit plus datum, quàm alteri, n.*9.

Lex vbi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, ibid. in fin.

Suus, ſua, ſuum, *verbum eſſe poſſeſſorium, n.*11.

*Dos dicitur proprium patrimonium mulieris, num.*12.

*Statutum quòd mulier filiis extantibus non poſſit de ſuis dotibus diſponere, niſi de quadam parte ſua dotis, an dicatur odioſa, vel fauorabilis, n.*13.

Verba interpretanda ſunt ex lata eorum ſignificatione, imò impropriãda, ne ſequatur abſurdum, ibid.

*Verba quandoque concipiuntur ratione frequentioris vſus, num.*15.

*Argumentum à contrario ſenſu non valet circa dotes, num.*16.

DECISIO DLXXXVIII.

Domini dixerunt ſententiam extra Rotam latam eſſe iuſtam, & proinde confirmandam; iure enim meritoque iudex Margaritæ denegauit immiſſionem petitam vigore teſtamenti Dianæ, iuxta *l. fin. de edict. D. Adr. toll.* quia ſtante ſtatuto Beneuentano prohibente mulierem decedentem cum filiis diſponere de ſuis dotibus vltra decimam partem, cùm Diana deceſſerit cum filia hærede inſtituta, non potuit illi ſubſtituere per fideicommiſſum, eamque hoc onere grauare, vt in terminis Franc. *deciſ.*486. *per tot.* Dec. *conſ.*386. *in fin.* & Caſtrenſ. *conſ.*441. *num.*2. *lib.*1. vbi dicit quòd proprium patrimonium mulieris ſtante dicto ſtatuto, cenſeri debet ſolùm decima pars, de qua teſtari potuit liberè: verba ſiquidem ſtatuti negatiua auferunt poteſtatem diſponendi, gloſſ. *in cap.* 1. *in verb. non poteſt*, & ibi Franc. *num.*3. cæterique Canon. *de reg. iur. in* 6. cùm verbum, *diſponere*, conueniat maximè vltimæ voluntati, & ad eam in dubio referatur, vt *in* §. *diſponat, auth. de nupt.* §. *pen.* & *fin. Inſtit. quib. ex cauſ. manum.* cum multis cumulatis per Surd. *deciſ.* 272. *num.*12. 1

Conſtat enim hæredem non cogi reſtituere, quod ad eum peruenit, non ex iudicio teſtatoris, ſed ex alia cauſa, *l. cùm quis.* §. *hoc ampliùs*, vbi Bart. *ff. de dot. praleg. l. qui fundum*, §. *qui filios. ff. ad l. falcid. l. pater filium. ff. eod. l. vnum ex familia, in princ.* §. 1. *ff. de legat.* 2. vt in hac facti ſpecie dicendum eſt filiam Dianæ non potuiſſe grauari ad reſtituendum nouem partes hæreditatis maternæ ſibi à ſtatuto, non à iudicio matris delatas, Caſtr. ſuprà *d. conſ.*441. *num.*2. vbi dicit quodammodo matrem haberi pro vſufructuaria extantibus filiis, Oſaſ. *deciſ.*20. *num.*7. Achil. *deciſ.*14. *in fin. de conſt.* fuit dictum in vna Romana ſucceſſionis de Tagliaferris coram Reuerendiſſimo Lugdunen. 19. Martij 1607. 2

Quinimo per ſimilem prohibitionem cenſetur aucta legitima per ſtatutum in hæreditate matris, cùm legitima nihil aliud ſit, niſi quædam portio taxata legis arbitrio perſonis, quibus iure naturæ, vel quaſi, debetur ſucceſſio, *auth. nouiſſima. C. de inoffic. teſt.* in qua appellatur debitum bonorum ſubſidium, & licèt de iure communi ſit tertia, per ſtatutum videtur aucta vſque ad nouem partes. Cald. *conſ.*20. *de conſtit.* cum infinitis cumulatis per Soc. *conſ.* 84. *num.*9. ſicque cùm legitima de iure non recipiat onus, nec conditionem, *l. omnimodo. & l. quoniam in prioribus. C. de inoffic. teſtam.* cum ſimilibus, ſubſtitutio facta per Dianam filiæ in his nouem partibus corruat neceſſe eſt. 3

Nec in contrarium facit deciſio in cauſa Romana lucri dotis 20. Februarij 1615. coram R.P.D. meo Pirouano: nam, vt ex ea apparet, ſtatutum Vrbis non prohibet mulierem teſtari, ſed tantùm emanauit ad conſeruandum vſumfructum marito; ſtatutum verò Beneuentanum prohibet diſpoſitionem vltra decimam partem, vnde non concludit argumentum de vno ad aliud ſtatum. 4

5 Prout non obstare videtur, quod dicitur, constitutionem dotis fuisse minus solemniter factam in bonis, videlicet, stabilibus absque decreto iudicis, quod fieri non potuit, *l. lex qua tutores. C. de administr. tutor. l. 1. C. si aduersùs dotem*, vbi gloss. & Bald. *num.* 4. & Bart. *num.* 3. cum multis allegatis per Surd. *decis.* 287. *num.* 17. *& seqq.* tum etiam quia d. constitutio facta fuit à tutore dato à matre, quæ non potest tutorem dare. *l. 1. ff. de testam. tutel.* Soc. iun. *cons.* 509. *num.* 29. *lib.* 3. & tanto minus cùm Diana haberet alium tutorem à patre datum, & ipsa esset maior 12. annorum, itaque tutela expirauerat. §. 1. *Instit. quib. mod. tut. fin.*

6 Huic obiectioni responderunt DD. mulierem minorem posse etiam dare immobilia in dotem viro, dummodo det inæstimata, quia hæc non videtur alienatio, vel translatio, vt probat text. *in l. in rebus. C. de iur. dot.* secus si darentur æstimata, *l. plerumque. ff. de iur. dot. l. quoties. C. eod.* quam distinctionem ex multis rationibus, & auctoritatibus tanquam verissimam, comprobat Surd. *decis.* 287. *num.* 21. *cum seqq.* & Simoncell. *de decret. tit.* 8. *inspect.* 13. *num.* 96.

7 Quæ difficultas penitus sublata videtur in facto, quia expresè stipulatum fuerat, ne lucrum dotale ratione mariti, & vxoris excederet scut. 100. quæ poterant extrahi ex parte dotis constitutæ in pecunia, & mobilibus absque vlla diminutione stabilium, vnde intrat regula, quòd minores possunt sibi constituere dotes in bonis stabilibus, quando etiam nulla ratione lucri potest fieri alienatio, per text. *in l. siue generalis. ff. de iur. dotal.* cum allegatis.

8 Et quoad dictum tutorem ille reperitur datus à iudice, qui eum etiam deputauit in administratorem bonorum, & sic in curatorem, & ideo ipse licèt in dicta constitutione dotis se nuncupauerit tutorem, non irritatur actus, quia sæpiùs nomen tutoris, & curatoris confunditur, Rot. diuers. *decis.* 89. *n.* 14. *part.* 2. & in omnem euentum iste defectus curatoris sustinetur ex ratificatione Dianæ, quæ postea contraxit matrimonium, Rot. *decis. diuers.* 89. *num.* 11. *& seqq. part.* 2. Put. *decis.* 187. *lib.* 1. *&* 397. *lib.* 2. Surd. *decis.* 229. *n.* 5. *& seqq.*

9 Nec placuit quod dicebatur dotem fuisse excessiuam, cùm sorori, quæ nupta erat inferioris conditionis viro, eadem dos constituta fuisset, seruanda erat æqualitas in dotibus constituendis super earum bonis paternis, Rot. *decis.* 156. *&* 157. *part.* 2. *diuers.* Verùm quia pro parte Margaritæ fuit oppositum statutum Beneuentanum de dotis restitutione comprehendere solùm dotem à parentibus, vel ab aliis constitutam, sed non eam, quam sibi mulier constituit, ideo DD. hac difficultate particulariter examinata nullam adesse differentiam maximis rationibus responderunt.

Considerarunt enim primò statutum indistinctè loqui de muliere, & ita debere intelligi de quacunque muliere, siue dotata à se ipsa, siue ab alio, cum bona mulieris non minus ea sint, quæ ipsa sibi in dotem constituit, quàm ea quæ ab aliis accepit, vnde cùm lex non distinguat, nec nos distinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, de legat. præst. & l. de pretio, de public. in rem actio.*

10 Nec vlla assignari potest differentia, cur filij mulieris à se ipsa dotatæ esse debeant deterioris conditionis ab aliis, quorum mater fuit à parentibus dotata, militat enim idem fauor filiorum, vt scilicet eorum legitima censeatur aucta ad nouem ex decem partibus dotis constitutæ, vt patet ex rationibus, & auctoritatibus supradictis: vbi autem militat eadem ratio, militat pariter eadem iuris dispositio, etiam ex vi comprehensionis, *l. illud. ff. ad l. aquil.* cum similibus.

11 Considerabant secundò DD. hanc differentiam excludi ex ipsismet verbis statuti, dum loquitur de dotibus suis, hæc enim verba æquè conueniunt dotibus quoquo modo fuerint constitutæ, imò magis dotibus constitutis ab ipsamet muliere, propter illud verbum possessiuum *suis*, ad tradita per Peregr. *de fideicomm. art.* 13. *n.* 10. & sic perinde est, ac si statutum diceret de quibuscumque dotibus, cùm in legibus, & statutis indefinita æquipolleant vniuersalibus, ex doctrina Bart. *in l. si pluribus, de legat.* 2. Couarr. *variar. resolut. cap.* 13. *n.* 8.

12 Quòd si hæc differentia subsisteret, à dicto statuto exclusæ essent viduæ sui iuris, quæ ad secundas nuptias cum suis dotibus transirent, huiusmodi enim dotes dicuntur proprium patrimonium earum, *l. in rebus. C. de iur. dot.* Castr. *cons.* 11. *num.* 2. *lib.* 1. essent & exclusæ aliæ fœminæ sui iuris, quæ nubunt cum sua legitima debita in bonis paternis, vel maternis, quæ censetur earum similiter patrimonium post assignationem, Bald. *in l. filium quem habentem, n.* 36. *C. fam. ercisc.*

13 Huic resolutioni non obstant pro parte Margaritæ deducta, & primò, quòd in odiosis, sicut dicitur, istud statutum, per quod libertas testandi mulieribus multum coarctatur, stricta interpretatio sit sumenda ex vulgatis iuribus, respondetur enim statutum istud factum in fauorem filiorum, immò etiam mulierum, ne imbecillitate sexus, & aliorum blanditiis deceptæ aliis dotes suas relinquant, quàm propriis filiis, nullo modo posse dici exorbitans à iure communi, aut odiosum, Cald. *cons.* 20. *de constit.* Rip. *in rubr. solut. matrim. num.* 72. cum allegatis.

14 Nec etiam obstat, quòd in fine versiculi huius statuti dicatur quòd decedente muliere sine filiis, medietas dotis reuertatur ad dotantem, quod fieri non posset, cùm mulier se ipsam dotat, responsum enim fuit; statutum addere etiam hanc alternatiuam (siue ad eius hæredes, & proximiores) quod potest verificari, dum mulier se ipsam dotat, cùm hæc verba indefinitè prolata comprehendant etiam hæredes, & proximiores mulieris dotantis, licèt enim ad ipsam mulierem dotantem dos in illo casu redire nó possit, tamen potest redire ad eius hæredes, & proximiores, sufficitque quòd verba suffragentur ex lata significatione, immò essent impropriianda ad euitanda tot absurda superiùs deducta fusè, Mantic. *de coniect. lib.* 3. *tit.* 7. *n.* 3.

15 Deinde statutum his verbis conceptum est propter frequentiorem vsum, *l. nam ad ea ff. de legib.* & sic non impedit quin ex prædicta identitate rationis comprehendantur mulieres, siue dotentur ab aliis, siue à semetipsis, vt in simili statuto respondet, Fanuc. *de lucr. dot. in verb. restinuenda, num.* 6, *& seq.*

16 Nec obstat denique hoc statutum in præcedenti rubr. loqui de dote constituenda ab aliis de paragio, non enim potest inferri statuentes abstulisse facultatem mulieribus dotandi se ipsas, sed loquitur de dotibus datis, vel dandis ab aliis, cùm tractaretur de exclusione fœminarum dotatarum, stantibus masculis, nec vel argumentum

à con-

à contrario sensu circa dotes constitutas ab ipsismet, Menoch. *cons.* 277. *n.* 47. *& seqq.*

17 Ad consilium verò Anch. 380. *num.* 3. placuit responsio data per D. Spadam, qui optimè respondet omnibus motiuis per informantes per D. Margaritam fusè deductis.

Ex quibus ita vtraque parte informante, fuit decisum.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Lucerina census. Veneris 1. *Decembr.* 1617.

ARGVMENTVM.

Iura, & instrumenta dicuntur in forma probanti, quando aut parte citata fuerunt auscultata cum originali coram iudice, aut fuerunt extracta, & transumpta à successore Notario, etiam sine alia solemnitate.

SVMMARIVM.

Iura nunquid dicantur in forma probanti, si fuerint extracta parte non citata, num. 1.

Iura auscultata coram iudice cum originali parte citata dicuntur in forma probanti, ibid.

Notarij manus recognitio probari potest per testes, & quomodo, num. 2.

Instrumenta transumpta, & exemplata per successores in officio probant absque alia solemnitate, ibid. Vbi etiam quòd statur attestationi Notarij asserenti se successorem in officio.

DECISIO DLXXXIX.

1 Iterum suscepta disputatione super forma probanti iurium quæ de nouo fuerunt in hac causa compulsata; Domini steterunt in resolutis, ex eisdem rationibus, & fundamentis, quibus non obstat quòd in extractione horum iurium non interuenerit citatio ad videndum extrahi, quin imò constet fuisse extracta per annum antè. Quia obiectum tollitur ex collatione, & auscultatione facta cum originali coram iudice, præcedente legitima partis citatione, in quibus consistit ius præiudicij, non autem in extractione, quæ virtualiter influit, & supponi debet in collatione. Salycet. *in auth. si quis in aliquo, num.* 4. *C. de eden.* Speculat. *in tit. de instr. edit. §. ostenso num.* 11. Ruin. sen. *cons.* 405. *num.* 8. *lib.* 3. & aliàs tenuit Rota in causa Vlixbonen. prioratus 14. Iunij 1602. coram bon. mem. Cardinali Seraphino.

2 Non obstat secundò quòd non probatur recognita manus Notariorum, qui instrumenta originalia rogarunt, quia fuit responsum ex testibus examinatis probari quòd illi qui leguntur Notarij rogati, erant Notarij legales, prout erant illi, qui eadem iura exigebant, & penes quos reperiebantur Protocolla illorum Notariorum, ideo cùm ista iura fuerint exemplata per successores in officio, probant absque vlla solemnitate, vt fuit firmatum in præcedenti decisione. Neque dubitari potest quòd originalia non fuerint exhibita, aut per successores in officio, non exemplata. quia testes hoc expresè deponunt recensendo rubricas Protocollorum, scilicet, hic est liber Protocolli mei Notarij, &c. successores autem in officio satis probantur ex eorum attestationibus, quibus creditur de stylo, vt per Caputaq. *decis.* 245. *&* 266. *part.* 2. & alios in præcedenti decisione allegatos, nec potest fieri ius quòd sint successores mediante pecunia, & titulo emptionis scripturarum, quia non ideò probatur quòd careant authoritate exemplandi prædicta instrumenta, stante quòd de eorum Notariatu ex testibus datis benè probatur.

Et ita, &c.

R.P.D. VBALDO.

Romana euacuationis. Lunæ 4. *Decembr.* 1617.

ARGVMENTVM.

De tacita domus reconductione quòd censeatur facta cum eiusdem pactis, & conuentionibus, de quibus in prima expressa locatione. cætera habes in summario.

SVMMARIVM.

Præsupposito cessante, & non verificato, cessat dispositio loquens cum præsupposito, n. 2.

Actum quem quis impugnat, pro se allegare non potest. Declara vt n. 3.

Producens instrumentum, illud approbare censetur, n. 4.

Tacita domus reconductio censetur facta cum eisdem pactis, & conuentionibus, de quibus in prima locatione, n. 6.

DECISIO DXC.

Domini steterunt in vltimo loco decisis, videlicet 24. Maij præteriti, qua die fuit firmatum, 1
dandum esse mandatum de euacuando ad fauorem Hospitalis, & sic recedendum ab alia decisione, quæ contra Hospitale emanauerat, die 26. Ianuarij 1615. Placuit enim fundamentum vltimæ decisionis, quòd siue Baratellus vtatur prima locatione sibi facta die prima Maij 1596. siue secunda facta ad fauorem Vrsulæ, die 5. Nouembris eiusdem anni, vtraque est expresè relatiua ad cõditiones, & pacta cõuenta in locatione facta Antonio Picciono per Franciscũ de Fortis, in qua expressis verbis legitur renunciatio inquilinatus, & proinde ratione talis renunciationis Baratellus finita locatione, & facta disdicta, tenetur euacuare; sed veritas est, quòd ipse vigore primæ locationis obtinuit possessionem domus de qua agitur, produxit instrumentum d. locationis contra Hospitale, obtulit cum intimatione iudiciali facta Hospitali, & deposuit pensiones ad rationem, quantitatem, & terminos solutionum in prædicto locationis instrumento conuentos, & secuta est receptio ex parte Hospitalis, vt latiùs fuit deductum in decisione, de qua agitur, in qua ex istis, & aliis fuit probatum, non fuisse recessum à dicta prima locatione, neque ex parte Baratelli, neque ex parte Hospitalis.

Neque obstant illa verba in instrumento locationis factæ Vrsulæ 5. Nouembris 1596. qui recedentes, videlicet, ministri Hospitalis, in primis à 2

dictis locationibus, & præsertim à locatione facta Francisco, qui offerendo meliorem conditionem, post sibi factam locationem, & soluendo alia scuta 350. ipsemet ab illa recessit, &c. Quia fuit responsum, illam assertionem fuisse cum præsupposito recessus Baratelli, quo non verificato, vt patet ex cumulatis in decisione, cessat etiam recessus Hospitalis in eo fundatus, ad text. *in l. mancipia*, & ibi gloss. & Doctor. *C. de seru. fug.* Surd. *cons.* 150. *n.* 78. Seraph. *decis.* 829. *n.* 6.

3 Non obstant actus iudiciarij contra Vrsulam facti pro effectuatione secundæ locationis, & consecutione pensionum, necnon illarum solutio, & exactio, ex quibus videtur apparere, quòd Hospitale impugnauerit locationem factam Baratello, & adhæserit illi factæ Columbo, & Vrsulæ, & sic non possit iuuari ex prima locatione impugnata, ex latè deductis in decisione 26. Ianuarij 1615. Quia constat huiusmodi prætensam impugnationem nullum fuisse sortitam effectum contra ipsum Baratellum, qui ea non obstante semper inhabitauit domum, neque contra ipsum fuit per Hospitale, nec per Columbum deuentum ad vllum actum litis, & deducitur in decisione de qua agitur, & in omnem euentum, nec docetur Baratellum vnquam acceptasse dictam assertam impugnationem, ideo cessat regula, *cap. ex eo, de reg. iur. in* 6. Ruin. *cons.* 21. *num.* 6. *lib.* 1. *& cons.* 135. *num.* 6. *lib.* 4. Gabr. *de reg. iur. conclus.* 1. *in fin.* immò fuit etiam cessatum à molestiis, & ab impugnatione ex parte Hospitalis, & pensiones restitutæ Laurentio, Gabr. vbi suprà *num.* 50. Nec ab inde citra fuit actum ad obseruantiam secundæ locationis, immò vsque ad annum 1612. fuerunt receptæ pensiones à Baratello ad formam primæ locationis, vt in decisione de qua agitur, latè deducitur.

4 Nec obstat, quòd Baratellus auxerit pensionem offerendo scuta 350. vt dicitur in instrumento secundæ locationis, & sic fuerit recessum à prima; quia talis oblatio, vel solutio fuit expresè pro eleemosyna, & non pro pensione, quam semper obtulit, & soluit ad rationem scut. centum, immò post laudum inter ipsum, & coniuges citauit Hospitale ad recipien. pensionem, iuxta formam primæ locationis, cuius etiam instrumentum in actis produxit, & sic videtur illud approbasse, Dec. *in c. cùm venerabilis, num.* 122. *de except. & cons.* 558. *num.* 7. cum aliis per Menoch. *præsumpt.* 39. *num.* 8. *& præsumpt.* 45. *num.* 1. *lib.* 2. Surd. *cons.* 5. *num.* 37. *& cons.* 28. *n.* 47. & fuit dictum in Romana dotis 6. Iunij 1611. coram me, & aliàs sæpè.

5 Et dato, non tamen concesso, quòd stante augmento pensionis inducta fuisset noua locatio, illa non fuisset nisi tacita ex consensu partium, & sic cum eisdem pactis, & conuentionibus, de quibus in vtraque locatione, ex cumulatis per Menoch. *præsumpt.* 85. *num.* 19. *&* 20. *lib.* 3. inter quas præcipua est renunciatio iuri inquilinatus, & hoc eo magis, quia ex instrumentis constat de mente Officialium Hospitalis, qui nunquam voluerunt locare, nisi cum pactis, de quibus in locatione facta Antonio, & ideo non potest dici inducta relocatio, nisi cum dictis pactis. vt per Menoch. *loco citato.* Maximè quia sicuti dicti Officiales non potuissent expresè conditionem Hospitalis deteriorem facere, remittendo pactum renunciationis inquilinatus, ita nec tacitè, *l. cum quid*, vbi Doct. *ff. si cert. pet.*

Alia leuiora quæ opponebantur contra decisionem, visa sunt Dominis tolli ex responsionibus datis per informantes pro Hospitali, & ex decisione ipsa. Ex quibus fuit conclusum, standum esse in vltimo loco decisis.

REVERENDISSIMO P. D. VBALDO.

Romana pecuniaria. Lunæ 4. Decembr. 1617.

ARGVMENTVM.

Mandatum Procuratoris secundum reuocat primum: sed mandatorum pluralitas non præsumitur, & quando solutione debiti facta non à debitore, sed ab alio debitore, ipse sit liberatus.

SVMMARIVM.

Procuratoris secundum mandatum facit reuocare primum, n. 1. *Vbi quòd hoc ampliatur etiam quòd fiat mandatum in eadem persona Procuratoris.*

Mandatorum Procuratoris multiplicitas non præsumitur, ideò probanda per eum, qui plura allegat mandata, n. 2. *Vbi ampliatur etiam quòd constet de pluralitate instrumentorum & scripturarum.*

Instrumenta plura fieri possunt de vno, & eodem actu, ibid.

Declarare non est de nouo facere, ibid. in fine.

Solutione eius quod debetur etiam ab alio facta, quàm à debitore, debitor est liberatus. Declara vt n. 3.

Vna eadémque res diuerso iure censeri non debet. Declara vt num. 4.

DECISIO DXCI.

1 Decisio in hac causa facta die 13. Martij præteriti oppugnabatur vnico ferè fundamento, illa enim nititur ea potissimum ratione, quia Octauius Bubalus de tempore solutionis mandauerat vt summa soluta poneretur ad creditũ Philippi Guicciardini, & quid de ea agendum esset, expectaretur Philippi, vel fratris voluntas, vnde cùm superuenisset ordo Aloysij, vt tenerentur sub cambiis ad commodum Philippi, meritò fuit tum decisum non cessisse in extinctionem debiti Guicciardinorum de tempore solutionis, cùm non posset retinere sub cambiis ad eorum fauorem, & extinguere eorum debitum, vt latiùs in dicta decisione. Hodie verò super eisdem causa proposita prætendebatur pro Guicciardinis dictum mandatum Bubali de expectanda voluntate, seu ordine Philippi, vel fratris fuisse reuocatum per secundum prætensum mandatum eiusdem Bubali, de quo dicebatur apparere ex partita libri mercatorum in illis verbis, *Disse pagarli per resto, e final pagamento del dinaro che resta debitore dell' administratione de gl' effetti delle Dogane del Patrimonio, & estintione delli scut.* 3000. *& interessi decorsi delli scut.* 12000 *pagati per esso segnor Philippo al D. Carlo Barberini, per laqual somma sommaria sera obligato & questo medemogiorno s'e liberato d'obligo.* & vtique per secundum mandatum censeri reuocatum primum. *l. si quis cum procuratorio, & ibi gloss. penult. §. vlt. ff. de procur.* quod habet locum etiam in eadem persona Procuratoris, vt ibi *gloss. penult.* & Bald. *in fin.* quando in secundo est aliquid additum, vel

vel detractum primo. arg. *l. ius ciuile. ff. de iust. & iur.* Ang. Castrens. Alberic. & alij *in d. §. fin.* Cagnol. *in l. singularia num. 42. ff. si cert. petat.* Thesaur. 107. *num. 2.* Menoch. *præsumpt. 36. num. 15. lib. 2.* Hîc autem multę differentiæ cumulabantur per informantes, ad ostendendum diuersitatem primi & secundi præsentis ordinis, seu mandati.

2 Sed his non obstantibus Domini censuerunt stãdum esse in decisis. Cùm enim mandatum à Bubalo in scriptis emanatum sit clarissimum, vt deberentur scut. 5184. ab ipso soluta poni ad creditum Philippi *per farne sua volontà, o, di Mons. suo fratello*, & fuerit ita obseruatum, quia mercatores posuerunt ad creditum Philippi d. pecuniam, & circa eam superuenit ordo D. Aloysij, quem ad vnguem obseruarunt; vt fuit deductum in decisione, sequitur vt qui dicit fuisse datum nouum mandatum à Bubalo ante dictum ordinem D. Aloysij, id concludenter probare debeat, cùm de iure non præsumatur multiplicitas mandatorum, nisi probetur. Dec. *in cap. in præsentia num. 39. de probat.* Iason. *in l. 2. n. 7. & 8. C. de bon. possess. sec. tab.* Aym. *cons. 112. num. 4. & cons. 198. num. 1.* Vbi id ampliat procedere, etiam si constet de pluralitate instrumentorum & scripturarum, quia de eodem actu possunt fieri plura instrumenta, post Bald. *cons. 344. lib. 2.* Talis autem probatio secundi mandati non videbatur DD. colligi necessariò ex verbis partitæ suprà relatis, cùm illa potiùs sonent in interpretationem primi ordinis dati à Bubalo, & ad fauorem potius suum, quàm DD. de Guicciardinis, ipse enim solùm intendit declarare primum ordinem à se datum ponendi pecunias ad creditum Guicciardini, vnde retraxisset dd. pecunias, & ita vt vellet ipse omnino liberari ab obligatione, quam contraxerat pro rata scut. 3000. & interesse ad computum scut. 12000. & ideo illa verba, pro extinctione, sunt referenda ad liberationem ipsius Bubali, vt firmatur in decisione, prout etiam confirmatur ex relatione, quam partita habet ad instrumentum, in quo solus Bubalus fuit liberatus, firmis remanentibus aliis obligationibus, etiam Guicciardinorum, & satis verisimile redditur quòd ipse voluerit mediante dicta solutione se ab obligatione & fideiussione pro Guicciardinis facta eximere, non autem scut. 3000. pro quibus fideiusserat, realiter & cum effectu extinguere, quia ipsius non intererat dum ab obligatione eximeret. Et ideo pro interesse Guicciardinorum satis habuit ordinem vt expectaretur eorum voluntas, & dum declarauit dictum ordinem vt suprà, non dicitur dedisse nouum mandatum, quia qui declarat, nihil de nouo facit. *l. adeò. §. cùm quis, in fine. ff. de acquir. rer. dimin. l. hæredes palam. §. sed & si notam.* vbi Castrens. & alij, *ff. de testibus.* cum aliis per Surd. *decis. 70. num. 1.*

3 Non obstat, quòd solutione eius quod debetur etiam ab alio facta, tollatur omnis obligatio, ex allegatis, quia procedit quando solutio eo animo facta est, vt quælibet obligatio extinguatur, secus si facta sit ad alium finem, vtputa ad tollendum tantùm obligationem fideiussoris. Bero. *cons. 167. nu. 7. lib. 3.* cum allegatis in decisione.

4 Nec refragatur quòd maior esset summa quæ soluebatur quàm debitum satisdatum, & ideo verba illa pro extinctione, debeant intelligi de tota summa soluta, ne aliàs diuerso iure censeatur, videlicet quòd pro scutis 3000. extinguatur obligatio soluentis, & pro alia parte quæ excedit extinguatur obligatio principalis, contra *l. iam hoc iure. ff. de vulgar.* quia fuit responsum quòd verba expressè sonant in extinctionem scut. 3000. & sunt intelligenda respectu obligationis fideiussoris, ex suprà deductis; quo verò ad obligationem principalis debitoris, illa nec respectu 3000. nec summæ excedentis fuit extincta, cùm deberet expectari ordo debitoris, qui mandauit totam summam à Bubalo solutam cambiari, prout factum fuit, immò motiuum retorquebatur, quia si Bubalus voluisset extingui obligatio debitoris principalis dixisset pro extinctione scut. 5184. prout totidem soluebantur.

Demum nec obstat allegata ignorantia dictæ partitæ in Domino Aloysio, quando dedit ordinem vt pecuniæ cambiarentur, quia illa excluditur stantibus verbis eiusdem ordinis, in quibus fit expressa mentio dictæ partitæ, ibi, *Delli scudi* 5184. *che haueti creditori à i vostri libri il Segnor Felippo.*

Ex quibus Domini permanserunt in decisis, &c.

REVERENDISSIMO R. P. PIROVANO.

Florentina Capellæ. Lunæ 4. Decembr. 1617.

ARGVMENTVM.

Præsentari potest ad iuspatronatus Clericus beneficiatus, etiam quòd non incedat in habitu, & tonsura.

SVMMARIVM.

Præsentari potest ad iuspatronatus Clericus beneficiatus, etiam quòd non incedat in habitu, & tonsura, num. 1. per tot.

Clerici non incedentes in habitu & tonsura ipso iure priuati censentur beneficiis vigore constitutionis Sixti Quinti, nu. 3. Vbi declaratur quomodo intelligenda sit hæc constitutio.

DECISIO DXCII.

FVit dubitatum, an Gratia, vel Ripa esset instituendus? & cùm resolutio penderet à duplici inspectione, quis scilicet ex his duobus præsentatis haberet maiorem partem vocum, & an Gratia de tempore præsentationis deberet esse in habitu clericali. Hanc secundam partem Domini resoluerunt, reseruando de reliquis particulariter videre. 1
Censuerunt enim exceptionem habitus non obstare, quia iure cautum non reperitur Clericum incedentem in habitu laicali esse inhabilem ad obtinendam præsentationem. Sed potiùs contrarium desumitur ex *Clem. 2. de vit. & honest. Cleric.* vbi Clerici beneficiati suspenduntur per sex menses à perceptione fructuum; non beneficiati autem, in sacris tamen constituti per id tempus, redduntur inhabiles ad Ecclesiastica beneficia; sed de Clericis simpliciter, vt in præsenti agitur, nihil fuit sancitum, & hunc sensum habuerunt Imol. *in d. Clem. 2. vers. quid si Clericus beneficiatus, & Cardinalis, num. 6. versic. octauò quæro*, Lambertin. *de iurepatronat. part. 1. secundi libri 7. quæst. principali art. 2. n. 6.* neque per Sacrum Concilium Tridentinum in hac parte videtur aliquid innouatum *in sess. 14. cap. 6. & sess. 23. cap. 6. & 17.* quia in primo loquitur de Clericis habentibus

ordines, officia aut beneficia, qualis non est gratia. In 2. & 3. non agitur de habilitate ad beneficia, sed de priuilegio fori, & exercitio rerum Ecclesiæ, de quibus in præsenti non est quæstio.

2 Non obstat Lambertinus *de iurepatronat. in part. 1. lib. 2. in quæst. 10. princ. art. 1. n. 2.* vbi in vigesimotertio requisito tenet necessarium esse quòd Clericus præsentandus incedat in habitu, & tonsura, & allegat *cap. clerici, & cap. penult. de vita, & honest. cler. & cap. clerici, & cap. non licet 23. distinct. cap. fin. 40. distinct. Clem. 2. de vita & honest. clericor.* Quia dum non distinguit de quibus Clericis loquatur, procedent dicta ab eo in clericis carentibus beneficiis, & ordinibus sacris, prout distinguitur *in dicta Clem. 2. de vit. & honest. clericor.* nec contrarium disponitur in aliis iuribus allegatis, in quibus agitur simpliciter de habilitate Clericorum in genere.

3 Similiter non obstat constitutio Sixti Quinti cōtra non incedentes in habitu, quæ est trigesima in Bullario, & in noua editione 92. in qua declarantur priuati ipso iure incedentes in habitu sæculari, non solùm beneficiis, sed etiam iure in illis, vel ad illa habentes; per quæ verba dicebatur comprehensos esse etiam præsentatos, dum per præsentationem cessante æqualitate vocum acquiratur ius ad rem. Cassad. *decis. 3. num. 3. de præbend.* Fed. de Sen. *cons. 290. in 1.* Lambert. *de iurepatr. lib. 2. part. 1. quæst. 8. act. 2. nu. 10.* Verall. *decis. 37. par. 2.* Animaduerterunt enim Domini constitutionem habere duas partes, quarum prima declarat obtinentes beneficia qualiacunque etiam simplicia; siue ius in illis, vel ad illa habentes, & pensiones obtinentes debere assumere habitum clericalem infra quindecim dies, si fuerint præsentes; secunda verò in futurum iubet quòd non nisi actu Clericis, & in habitu clericali, & tonsura quæcunque beneficia etiam simplicia conferantur, aut commendentur, aut pensiones, fructúsve, aut bona Ecclesiastica reseruantur, alioquin tales priuatos esse ipso facto beneficiis, & omni iure in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, & hoc stante, si primam partem attendamus, illa quidem determinat tempus assumendi habitum post ius quæsitum in re, vel ad rem, sed nihil decernit, quid in ipso actu seruandum sit; si verò secundum examinamus, contentus est de institutione, non autem de præsentatione, vnde casus iste præsentationis videtur omissus, qui in dispositione iuris communis relinqui debet. *l. commodissimè. ff. de lib. & posth.* nec ampliandus, sed restringendus, propter materiam exorbitantem à iure communi, vt per gloss. *in Clem. 2. in verbo videatur, in fin. de vita, & honest. clericor.* Et ita, &c.

R. P. D. ANDREA.

Hispalen. præeminentiarum. Veneris 15. *Decembris* 1617.

ARGVMENTVM.

Remissoria non conceditur vbi articuli sunt irreleuantes, vel probari possunt per scripturam, vel etiam continent materiam non pertinentem ad testes, sed ad iudicem. plura huius conclusionis exempla ponuntur in hac decisione.

SVMMARIVM.

Remissoria non est danda quando articuli sunt irreleuantes, vel probari possunt per scripturas, vel agitur de materia quæ non pertinet ad testes, n. 1.

Posteriora derogant prioribus, & hæc conclusio habet etiam locum in statutis, num. 2. & 3. Vbi quid si ex prioribus fuerit ius quæsitum.

Statuta posteriora quando derogent prioribus, ibid.

Remissoria nunquid denegetur propter præsumptam calumniam, n. 5.

Statuta quomodo sint intelligenda pertinet ad iudicem, & non ad testem, n. 6.

Coadiutores dantur, vt suppleant circa seruitium vices coadiuti, n. 7.

Statutum factum in odio particulari personarum sapit delictum, ibid. Vbi declaratur hæc conclusio, nisi statutum sit conforme iuri communi.

Testis non potest deponere super eo quod iuris est, n. 9.

Præscriptio non currit in facultatiuis, nec in illis obstat consuetudo non faciendi, ibid.

Negatiua probatur ex inspectione librorum, ibid.

DECISIO DXCIII.

Non visum fuit Dominis esse dandam remissoriam, quia articuli omnes pro parte Coadiutorum, dati à primo vsque ad vltimum, vel sunt irreleuantes, vel probari possunt per scripturas, vel materia non pertinet ad testes, sed ad iudicem, quibus omnibus casibus remissoria denegatur, vt in casu irreleuantiæ, est text. *in l. ad probationem*, & ibi Castrens. *num. 5. C. de probat.* Oldrad. *cons. 316. num. 1.* Roman. *cons. 226. num. 3.* Cassad. *decis. 2. num. 1. de dilat.* Cæs. de Grass. *decis. 1. num. 5. & decis. seq. eod. tit.* Verall. *decis. 66. part. 3.* in casu quo materiæ possunt probari per scripturas, quæ de eis fieri solent, & debent, Ægid. *decis. 9. 384. & 495.* Rot. *decis. 10. num. 2. vers. præterea, de offic. deleg. in nou. & 46. de testib. in antiq.* & fuit dictum in Toletana Canonicatus 13. Nouembris 1609. coram Illustrissimo Lancellotto, & in Melliten. Balliuatus hoc mense, coram R. P. D. meo Dunozetto, in quibus aliæ referuntur. Denique vbi cognitio non spectat ad testem, sed ad iudicem, probatur ex latè deductis in eadem Toletana, de qua suprà. 1

Nam primus, secundus, & quartus articuli continent existentiam libri, in quo reperitur statutum conditum de anno 1478. & illius legalitatem, quod non controuertitur, & iam fuit super eo disputatum in vltima positione, & dictum non releuare non ex eo, quòd non extet, & liber ille sit minus authenticus & legalis, sed quia tale statutum non cōcludit intentionem Coadiutorum. Tertius & sextus articuli super obseruantia statutorum, & in specie dicti statuti ante Sacr. Concil. Trident. etiamsi nonnullis visi fuerint releuantes. Attamen quia in decisione fuit firmatum nouum statutum valere, frustrà omnes dixerunt probari obseruantiam veteris, iuxta regulam quòd posteriora si sint contraria, semper derogant prioribus, *l. non est nouum, & l. sed & posteriores. ff. de legib.* quæ regula procedit etiam in statutis, vt tradunt Doctor. *in l. omnes populi*, vbi in specie Bart. *num. 28. ff. de iust. & iur.* Ancharan. *in cap. canonum statuta 14. quæst. num. 75. de const.* Felin. *in cap. cùm accessissent; nu. 3. eod. tit.* Iason. *in l. pacta nouissima, num. 3. in 10. ampliatione. C. de pact.* 2

Alexand.

Alexand. *cons.* 141. *n.* 4. *lib.* 2. *& cons* 58. *n.* 7. *lib.* 4. Dec. *cons.* 3. *num.* 4.

3 Nec obstat limitatio quando agitur de præiudicio tertij, cui fuit ius quæsitum, Abb. *in cap. cùm accessissent, num.* 2. *vers. si verò statutum,* Dec. *num.* 13. Felin. *num.* 4. *in prima declaratione, de constit.* Gemin. *in cap.* 1. *num.* 19. *eod. tit. in* 6. Lap. *alleg.* 86. *num.* 3. *vers. nec obstat,* Seraph. *decis.* 590. *num.* 5. Quia limitatio est vera, sed locum habet quando infertur præiudiciũ, & tollitur ius alicui, qui non sit de corpore statuentium, vt erat casus *in d. decis. Seraph.* hîc autem omnes erant de capitulo, & quoad Coadiutores tunc existentes dictum mordernum statutum fuit factum sine illorum præiudicio, quo verò ad futuros, cùm tunc illi non existerent, nullum ius habebant, ideo nec dici potest, nec possunt conqueri fuisse illis præiudicium generatum.

4 Aliqui etiam ex DD. hunc sextum articulum irreleuantem ex eo dicebant, quod si Coadiutoriç quç concedebantur ante Concilium, nõ habebant clausulas quas habẽt modernæ Coadiutoriæ, dato quòd obseruaretur statutum, vt prætenditur, nihil releuaret, quia non bene infertur de vna Coadiutoria ad aliam; & ideo nisi Coadiutores probent illas antiquas Coadiutorias fuisse eiusdem tenoris, & hoc per scripturas, hoc est, ipsasmet literas Coadiutoriarum, talis probatio articulatæ obseruantiæ erit irreleuans; huiusmodi autem literæ hactenus non fuerunt exhibitæ, & pro eis habendis non est concedenda remissoria, cùm possint probari per scripturas, vt suprà fuit firmatum.

5 Præterea dicebatur non posse negari, quin ista probatio de rebus ante Concilium sit admodum inuerisimilis & difficilis, ita quòd modica subsit præsumptio calumniæ contra Coadiutores, & licèt hoc non videatur sufficiens ad denegandam remissoriam, quæ non solet facile denegari propter præsumptam calumniam, Ægid. *decis.* 624. *in fin.* & sæpiùs fuit decisum; hoc tamen procedit, vbi datur fumus pro exclusione calumniæ, Cassad. *decis.* 3. *num.* 2. *de dilat.* Verall. *decis.* 56. *num.* 3. *part.* 3. & fuit dictum in vna Burgen. sepulturæ 21. Aprilis 1606. coram Reuerendissimo Attrebaten. hîc autem nullus datur fumus antiquæ obseruantiæ ante Concilium.

6 Quintus articulus, quòd statutum habeat certum sensum, & intellectum verborum Hispani idiomatis, vt Coadiutores lucrari debeant antiquitatem in concursu, cum aliis præbendatis proprietariis, & aliàs latiùs, prout in eo continet interpretationem verborum ex idiomate Hispano in Latinum translato, quod bene potest fieri hîc in Curia, vt fit passim; & quia quòd statutum debeat vno, vel alio modo intelligi, hoc pertinet ad iudicem, non ad testem, vt fuit decisum in illa Toletana coram Illustrissimo Lancellotto. Reliqui omnes articuli continentes omnia gesta ab anno 1588. citra in hac materia Coadiutorum, vt admissiones, ordinationes, decreta, contradictiones, & similia, præter 11. 13. & 14. possunt probari per scripturas, & ferè omnia fuerunt hîc in Curia probata per testes, & adducta iura de partibus, & decisum non releuare, quia fuerunt sublata ex dicto vltimo statuto anni 1590. obseruato vsque ad motam litem, & quod magis est, ipsimet testes eorundem Coadiutorum in Rota examinati, omnes attestantur de huiusmodi obseruantia.

7 Vndecimus articulus, quòd Coadiutores admissi fecerunt debitum seruitium in altari, iuxta statuta Chori, & præsertim dictum statutum anni 1478 non releuat, tum quia ad hoc dantur Coadiutores, vt suppleant vices coadiuti, *c. ex parte, & tot. tit. de cler. ægrot. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. Tum præcipuè, quia non allegatur in specie aliqua diuersitas inter præfatum statutum, & alia circa huiusmodi seruitium. Decimus tertius articulus, quòd dictum modernum statutum anni 1590. factum fuerit in odium particularium, sapit delictum, nec datur fumus, prout requiritur ad concedendam remissoriam, Verall. *decis.* 62. *part.* 3. Vltra quòd hoc tollitur ex iustitia dicti statuti, quod est conforme dispositioni iuris communis, vt fuit decisum in hac causa.

Decimusquartus articulus, quòd Decanus, & Capitulum non potuerunt, nec consueuerunt facere aliqua statuta contraria aliis statutis Ecclesiæ, præsertim vbi illa fuerunt communi consensu cum Archiepiscopo facta, partim est articulus iuris, & non spectat ad scientiam testis, partim verò pendet à facultate statuentium, & in facultatiuis non concurrit præscriptio, nec obstat consuetudo non faciendi, *l.* 2. *ff. de via publ.* Innoc. *in cap. cùm Eccles. n.* 5. *de caus. poss. & propr.* vbi cęteri Doct. Guidop. *decis.* 298. *num.* 1. Afflict. *decis.* 388. *num.* 2. Rot. *decis.* 411. *nu.* 7. *part.* 1. *diuers.* Et in omnem euentum hæc consuetudo non faciendi aliqua statuta contraria aliis statutis Ecclesiæ, consistit in negatiua, quę probari potest ex ipsis libris, & actis Capitularibus, eo ipso quòd in illi- huiusmodi statuta contraria non reperiuntur, *l. fin. C. de reb. credit.* Alex. *cons.* 123. *num.* 23. *lib.* 4. Dec. *cons.* 483. *num.* 4. Vant. *de nullit. ex defect. citat. num.* 14. *& seq.* 8

Ex quibus vnanimiter conclusum fuit non esse dandam remissoriam.

R. P. D. PIROVANO.

Romana spolij domus. Veneris 15. *Decembris* 1617.

ARGVMENTVM.

Possessione sua quis non priuatur propter decretum iudicis nulliter procedentis: secus si ritè, & rectè processerit, & de subhastationis nullitate ex defectu citationis, prout in summario.

SVMMARIVM.

Possessione sua naturali iudex nulliter procedendo non priuat, secus si rectè procedat, n. 1.

Subhastatio decreta parte non citata, nulla & inualida est, n. 2.

Iudicium est quid indiuiduum, & ideò in parte nullum ob defectum citationis, in totum est nullum, ibid.

Deliberatio facta pro minori summa eius quod res subhastanda fuit æstimata, est patenter iniusta, n. 5.

DECISIO DXCIV.

FVit motum iudicium nullitatis subhastationis istius domus, & petita reintegratio coram D. Vecchiarello, à quo Sebastianus fuit à petitis absolutus, & causa per appellationem ad Rotam deuo- 1

luta, dubitatum fuit an constet de re iudicata, quæ veniat exequenda, ex quo prætendebatur quòd sententia prædicta esset in statu rei iudicatæ, deinde fuit addita secunda pars, vel potiùs constet de causis restitutionis in integrum, quæ respiciebat minores hæredes Laurentij.

Verùm cùm vtraque disputatio penderet à validitate, & iustitia subhastationis, quæ si sustinetur, nulli dubium quòd agens ad reintegrationem succumbere debet, quia iudex ritè, & rectè procedens priuat possidentem sua possessione tam naturali, quàm ciuili, Mohed. *decis.* 4. *de restit. spol.* & consequenter deficit primum extremum, quod secus est si nulliter, & iniustè, quia per eam non priuatur sua possessione, dum vt priuatus dicitur procedere Rot. *decis.* 802. *n.* 6. *part.* 1. *diuers.* & sæpiùs fuit resolutum; ideò in primis examinando nullitates iudicio subhastationis oppositas, dictum fuit quartam, & sextam non obstare, reseruando de secunda, tertia, & quinta in alia disputatione tractare.

2 Prima enim nullitas deducebatur ex eo quòd non fuerit citata Margarita filia Antonij principalis debitoris, quæ tamen vna cum aliis fratribus, & sororibus tunc temporis domum possidebat, itaut subhastatio remaneat nulla, propter defectum citationis, non solùm quoad Margaritam, *l. creditor la* 2. *C. de distract. pignor.* Afflict. *decis.* 358. *num.* 3. Sed etiam quoad non citatos ratione indiuiduitatis iudicij. Bald. *in l.* 1. *num.* 6. *vers. aut continet quid indiuiduum. C. de error. calcul.* Ruin. *cons.* 129. *num.* 12. *lib.* 5. Gabr. *cons.* 56. *n.* 17. *lib.* 1.

3 Verùm fundamentum istius nullitatis sufficienter non iustificatur, quia de filiatione Margaritæ ex Antonio patre probatur tantummodo per vnicum testem, & fidem obitus, in qua enuntiatur dicta filiatio, sed non creditur, cùm exprimatur non pertinentia ad officium illius registratoris, nec probatur quòd possideret, quod est fundamentum præiudicij omissæ citationis. Nec refertur quòd Clementia soror Margaritæ fuit citata, qui vel ex particulari titulo potuit possidere, vel ad maiorem cautelam potuit citari, quæ non nocet, maximè cũ vrgeat præsumptio contra Margaritam, vt hæres patris dici non possit stante statuto Vrbis fœminarum exclusiuo, masculis superexistentibus, & paratis fœminas dotare.

4 Quarta nullitas probabatur ex defectu mandati, quòd scilicet in vltimo decreto de deliberando fuit citatus Hieronymus Marcellus, qui erat tantùm Procurator Vrsulinæ, & Laurentij, sed ex facto tollebatur, quia Vrsulina erat procuratrix Laurentij, & aliorum cum facultate substituendi.

5 Sexta nullitas præsupponitur constare ex eo quòd domus fuerit æstimata pro scutis 570. deliberatio verò pro scutis 320. & sic patenter iniusta. Verùm fuit dictum quòd ista minoritas pretij non pertinet ad spolium intentatum, nec ad nullitatem subhastationis, cùm statutum non dicat, quòd deliberatio fieri debeat pro pretio æstimando, sed plus offerenti; ideò simul esse potest, quòd subhatio sit valida, rescindenda tamen ex capite læsionis in alio iudicio probanda.

Et ita, &c.

R. P. D. ANDREA.

Mediolanen. decimarum de Carlatio. Lunæ 18. Decembris 1617.

ARGVMENTVM.

Congrua per Episcopum Rectori Ecclesiæ assignanda qualis & quanta esse debeat. est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Congrua debetur Rectori ex qua commodè viuere possit, considerata commoditate Ecclesiæ, personæ, & aliis circunstantiis, arbitrio Ordinarij, n. 1.

Congrua si fuerit per Ordinarium assignata in certa quantitate in erectione parochialis Ecclesiæ, Rector non potest aliam congruam petere, nisi probauerit congruam assignatam non etiam sufficientem, & isto casu non potest nisi ad supplementum agere, ibid.

Obuentionis, *seu* prouentus, *verbum generale est, comprehendens omnes redditus cuiuscunque qualitatis, num.* 2.

Congrua non magis in decimis, quàm in aliis Ecclesiæ redditibus assignanda an sit, ibid.

Congruæ quantitas taxanda est arbitrio Episcopi, qui priùs arbitrari debet circa bona, & redditus Ecclesiæ matricis, & nisi sufficiant, poterit in subsidium cogere populum, vel alio modo prouidere, num. 3. *&* 6. *Vbi de eadem materia.*

Episcopus præsumitur informatus de valore beneficiorum, & de statu Ecclesiarum suæ diœcesis, n. 5.

Congrua assignatio regulari debet secundùm regionis consuetudinem, n. 6.

DECISIO DXCV.

DVbitaui an Rectori Carlatij esset assignanda congrua super decimis, & quæ? Pro cuius dubij resolutione tres visæ fuerunt Dominis concurrere inspectiones, nempe an deberetur congrua, & illa super decimis, & quanta esse deberet. Prima inspectio nullam habuit difficultatem quòd congrua debeatur, ex qua Rector posset commodè viuere, considerata commoditate Ecclesiæ, personæ, & aliis circunstantiis arbitrio Ordinarij, de quibus per Rebuff. *de congruis por. quæst.* 8. *per tot.* Surd. *de aliment. tit.* 4. *quæst.* 2. *& seq.* Rot. *decis.* 5. *num.* 2. *part.* 2. *diuersor.* & fuit dictum in hac causa 24. Maij præteriti coram me. Sed in casu isto dictum fuit illam non deberi, quia iam fuit assignata per Ordinarium in scutis 50. auri in eius erectione, vt apparet ex obligatione facta per homines Carlatij, de qua in instrumento & summario Præpositi *num.* 2. *&* 5. & ideo si Rector prætendit eam non esse sufficientem, tenetur hoc probare, & agere ad supplementum, quod non fuit probatum, quinimmò in dicta erectione pro dote Rectoris, vltra obligationem communitatis fuerunt assignata bona stabilia ipsius Ecclesiæ, ex quibus tunc dicebatur percipi scuta 40. annua, *d. nu.* 5. *vers. Pro dote autem.* Et tamen Præpositus offert pro eis scuta sexaginta, si dimittantur bona ad vtilitatem Præposituræ.

Quoad secundam inspectionem, placuerunt Dominis adducta pro Præposito, quòd neque de iure, neque ex forma Concilij reperitur statutum, vt cõgrua magis in decimis, quàm in aliis bonis & redditibus Ecclesiæ matricis sit assignanda, text. enim *in c. ad audientiam, de Eccl. ædif.* loquitur indistinctè de redditibus, prouentibus, & obuentionibus, & *in c. de præb. in* 6. *& Clem.* 1. *de iurepatr.* similiter fit mentio 2

de pro-

de prouentibus; & tamen hæc omnia nomina esse generalia post Card. *in Clem. 1. de excess. prælat.* tradit Alciat. *in l. frugem. n. 1. ff. de verb. sign.* & in nostris terminis Abb. *in d. cap. ad audientiam, n. 15.* dicit, quòd verbum *obuentionis*, est multum generale, comprehendens omnes redditus cuiuscumque qualitatis sint, prout de verbo *prouentus* idem tradit Rebuff. *vbi supra quæst. 10. num. 81. versic. prouentus enim*, & de verbo *redditus* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 6. num. 1. ad finem, vers. ex quibus etiam*, & in specie ita declarauit Sacra Congregatio Concilij interpretum *super sess. 21. de reformat. cap. 2.* in hæc verba. *Licet Episcopo assignare Sacerdotibus, qui erunt Præfecti nouis parochiis secundùm hoc decretum constitutis, competentem portionem arbitrio suo ex omnibus fructibus ad matricem pertinentibus, non distinguendo magis decimas, quàm alia corpora reddituum eius.*

3 Vnde patet hoc pendere ab arbitrio Episcopi, secundùm Hostien. Abb. & alios *in d. c. ad audientiam.* Rebuff. *in d. q. 10. num. 82.* Rot. *d. decis. 5. num. 1.* Qui tamen priùs debet arbitrari circa bona, & redditus matricis si sufficiant, & postea in subsidium cogere populum, vel alio modo prouidere, vt *in d. cap. ad audientiam*, post Hostien. *num. 3. in princ.* tradit Abb. *num. 7.* Bald. *cons. 132. ad finem. versic. Et si fructus, lib 1.* Rebuff. *de decim. quæst. 6. num. 22. vers. & Parochiani tenentur*, sicque etiam respondit eadem Sacra Congregatio.

4 In proposito autem licèt prætendatur Ecclesiam matricem esse diuitem, vt ex testibus examinatis per Rectorem, qui fuerunt dati in particulari summario, & per consequens ex eius bonis & redditibus distinctè, & de oneribus, ac alios etiam patiantur defectus, & præsertim quia talis probatio remanet admodum debilitata ex iudiciis ordinariorum summario Præpositi *num. 1. 2. 3. 4. & 5* qui semper decreuerunt, quòd ista congrua assignaretur per populum, quod ostendit Ecclesiam matricem non abundare; idque etiam colligitur ex vnione Canonicatus, & dimidiæ partis decimarum Alborgatij sibi facta de annis 1584. & 1588 propter eius paupertatem, vt non posset sufferre onera, eodem summario *num. 6.*

5 Vnde cùm pro Ordinario sit præsumendum, qui propter visitationes censetur informatus de valore beneficiorum, & de statu Ecclesiarum suæ diœcesis. Felin. *in cap. ad aures num. 11. versic. qua ratio cadit, de rescript.* & in materia congruæ, Rota *d. decis. 5. in princip. vers. quia prædicta sententia, part. 2. diuersorum*, vtique ad Rectorem & populum spectat onus, & quidem concludenter probandi matricem habuisse sufficientes redditus pro Præposito, & pro Rectore Ecclesiæ filiali, & præsertim, quia habemus nō vnum tantùm decretum vnius Ordinarij, sed plura trium Ordinariorum doctrina ac vita cōspicuorum, quorum primus in sanctorum numerum relatus est. Vnde non est præsumendum eos voluisse grauare populum contra iuris communis & sacri Concilij dispositionem. Vltra quòd etiam dato quòd redditus Præposituræ ascenderent ad scuta 300. annua, vt prætenditur, adhuc non essent excessiui pro sustentatione Præpositi, attenta illius persona & indigentia ministrorum, ac aliis expensis & oneribus Ecclesiæ, de quibus latè per Rebuff. *de congr. d. q. 8.*

6 Super vltima inspectione circa quantitatem cōgruæ non visum fuit Dominis aliquid in iure statutum, cùm totum relinquatur arbitrio Ordinarij, qui in ea statuendo debet attendere circunstantias, de quibus suprà. Et quamuis in decisione Seraph. 173. *num. 6.* dicatur, vigore Bullæ *num. 46.* in Bullario solùm dicitur quòd portio Vicarij non excedat centum, & nō sit minor 50 computatis extraordinariis, & nihil de Rectoribus. In loc. autem *sess 24. cap. 13.* solùm decernitur quòd Parochiales, quæ non excedunt centum, non grauentur pensionibus, & sic non disponitur quòd in earum dotatione pro congrua sint assignanda centum; quinimmò præsupponitur adesse Parochiales, quæ non excedunt centum; & cùm aliæ Parochiales fuerint dismembratæ ab eadem Præpositura per sanctum Carolum & alios successores cum assignatione congruæ scuta 50. vel 60. soluenda per populos, vt in summario eiusdem Præpositi *num. 14.* & in hac materia consuetudo regionis attendi debeat. Rebuff. *vbi suprà num. 76.* Surd. *de aliment. tit. 4. quæst. 23. num. 44.* Rot. *d. decis. 5. num. 2. part. 2.* visum fuit hanc portionem scutorum 50. auri dicto Rectori assignatam esse sufficientem, quòd si Rector prætendat non esse talem, agat coram Illustrissimo Ordinario contra populum, qui eam promisit, vt sibi augeat.

Ex quibus vnanimiter dictum fuit Præpositum non teneri dare congruam.

R. P. D. COCCINO DECANO.

Lucana molendini. Lunæ 18. Decembr. 1617.

ARGVMENTVM.

Conductor molendini tenetur ad illius refectionem, si eius culpa vadit in ruinam.

SVMMARIVM.

Conductor existens in culpa non manutenendo rem conductam tenetur ad ruinam rei conductæ, n. 1.

Aquæ solent corrodere terras, & ædificia adiacentia, num. 2.

Casus an sit fortuitus, vel culposus, propter quem res conducta pereat, si est dubium, reus absoluendus est, n. 4.

DECISIO DXCVI.

Fvit resolutum sententiam Rotalem, in qua pronunciatur Brachios teneri ad ruinam anni 1602. 1
esse confirmandam. Ratio Dominorum fuit, quia in concessione molendini, fuit expressè conuentum, quòd ipsi tenerentur ad conseruationem, & manutentionem molendini, quare cùm prædicta non præstiterint, eorum culpa euenit ruina molendini, & propterea pro ipsa tenentur, *l. si creditor, vbi Doct. C. de pignor. act.* Paris. *cons. 156. lib. 4.* & fuit latè deductum in decisionibus in hac causa factis.

Quòd autem prædicta ruina processerit culpa Brachiorum, satis patet nam de anno 1595. pro 2
parte ipsorum datæ fuerunt positiones, in quarum octaua ponunt, *Che il palmento fabricato sul resto del vecchio fondamento è voto sotto, e minaccia ruina*; & idē probatur per testes, quod cōprobatur, quia Domini de Rota Florentina accesserunt ad locum de anno 1599. & adhibuerunt peritos, qui retulerunt

flumen corrosisse magnam partem terreni, & dicunt, *Che si voltaua verso detto molino, con pericolo de lasciarlo in isola*; quare autem ruina anni 1602. est sequuta ex ista corrosione fluminis 1595. & 1599. prout est valdè verisimile cùm ceciderit, vt dicitur, ad *acqua chiara*: aut verò est sequuta, ex quo corrosio processit vlteriùs, & vtroque casu sententia remanet iusta, cùm prædicta obuenerint culpa Brachiorum, nemo enim potest inficiari corrosionem non esse casum fortuitum, & insolitum, qui exceptuatur in locatione, cùm aquæ soleant corrodere terras, vel ædificia sibi adiacentia, vt est textus cum gloss. *in l. fluminum. §. idem Seruius. ff. de damn. infect.* quem allegat Bald. *in cons. 145. col. 1. lib. 3.* ibi, *si controuersia aqua insulam subuerterit, deinde stipulatoris ædificia ceciderint, nihil eum ex stipulatu consecuturum*, videlicet de damno infecto, quia id nec operis, nec loci vitio factum est: si autem aqua vitiet fundamenta, & sic ædificium ruat, committi stipulationem ait; multum enim interest quod erat alioquin firmum vi fluminis lapsum sit protinus. An verò antè sit vitiatum, deinde vi deciderit, quare cùm probetur longè ante ruinam ædificium molendini fuisse vitiatum, debebat reparari, præsertim stante dicta visitatione peritorum, & protestatione Præpositi.

3 Neque Dominis Brachiis potest opitulari quòd procurarunt apponi catenas, vt occurrerent ruinæ, quod fuerat ordinatum per peritos, quia fuit responsum quòd ista appositio catenarum non respicit corrosionem, & cessat omnis difficultas; quia fuit facta longè post ordinem peritorum, & longè postquam fuerant interpellati, prout nec eisdem potest opitulari, quòd non tenebantur de nouo facere, sed solùm manutenere, & conseruare, quia refundando molendinum, & aquam diuertendo, non dicebantur de nouo facere, sed manutenere, & conseruare, *l. Minutius. ff. de rei vendic.*

4 Non obstat, quòd in dubio an casus sit fortuitus, vel ex culpa, reus absoluitur, ex Bald. *in cons. 145. num. 3 lib. 3.* vbi latissimè de hac materia, & ideo qui dicit ruinam processisse ex culpa tenetur hoc probare. Nam fuit responsum ex prædictis satis constare de culpa Brachiorum, vltra quòd Baldus loquitur in ruina, quæ repentè euenit, & ex improuiso propter magnum, & insolitum diluuium aquarum, vt legitur in principio illius consilij, & clariùs in secundo, & sexto fundamento, & infrà sub *num. 3. vers. sed hic in isto emptore*, & per totum consilium.

5 Ex quibus, & ex aliis deductis in decisionibus factis, tam coram claræ mem. Francisco Pegna tunc Rotæ Decano, & R. P. D. meo Verospio, in quibus soluuntur omnes obiectiones, Domini post maturam discussionem censuerunt pro confirmatione sententiæ Rotalis.

REVERENDISSIMO P. D. PAMPHILIO.

Carpentoraten. bonorum. Lunæ 18. Decembr. 1617.

ARGVMENTVM.

Breuis est decisio, sed magistralis, & singularis, cùm in ea explicentur requisita ad validitatem inuentarij per hæredem faciendi de bonis hæreditariis, & quando requisita prædicta locum habeant.

SVMMARIVM.

Inuentarium fieri non potest nisi adhibitis testibus loco creditorum absentium. Declara vt n. 1.

Inuentarium hæredis debet subscribi ab ipso hærede, & ipso nesciente scribere, loco hæredis debet interuenire Notarius. Declara vt ibid.

Inuentarium hæredis debet fieri in loco, in quo adest maior pars bonorum hæreditariorum. Declara vt ibid. in fine.

Inuentarium hæredis debet continere omnia bona hæreditaria secundùm eorum qualitatem & quantitatem clarè, & distinctè, non autem in confuso, num. 2. Vbi quòd stante decreto iudicis omnia præsumuntur ritè descripta.

Inuentarium hæredis fieri non potest, nisi citatis creditoribus certis, & præsentibus. Declara vt n. 3.

Inuentarium hæredis non dicitur legitimè factum, quando in eo non omnia hæreditaria bona descripta sunt. Declara dummodo omissio fuerit dolosa, aliàs secus, num. 4. Vbi etiam quomodo ista doli præscriptio excludatur.

DECISIO DXCVII.

1 Pro informante, nempe defectus aliàs oppositos contra inuentarium non obstare. Quod enim dicebatur non fuisse in illius confectione adhibitos testes loco creditorũ absentium, tollitur ex inspectione ipsiusmet inuentarij, in quo plures testes interuenisse apparet. Alium defectum quòd similiter in confectione inuentarij non interuenerit Notarius loco Vianæ hæredis, quæ nesciebat se subscribere, fuit dictum suppleri ex eo quòd inuentarium fuit factum coram iudice, qui etiam super illsuum decretum interposuit. Tunc enim propter præsentiam iudicis & valorem iudicij huiusmodi defectus subscriptionis cessat. Bald. *cons. 147. n. 2. lib. 4.* Rol. *de inuent. confect. par. 3. §. quid autem quando inuentarium.* Seraph. *dec. 371. n. 2.* & fuit dictum in causa Bonon. euictionis 7. Aprilis 1606. coram bon. mem. Litta, & coram me in illa Romana de Soderinis 25. Maij 1607. & sæpè in aliis, prout etiam tollitur quòd inuentarium fuerit factum in terra de Valleron, & maior pars bonorum alibi extiterit, quæ propterea non potuerunt coram dictis testibus in eo describi. Quia cùm à die inchoati vsque ad diem perfecti inuentarij interuenerit tempus sufficiẽs, præsumuntur omnia rectè facta, propter præsentiam & decretum iudicis, & tenuit Rota coram Seraph. *d. decis. 371. sub n. 6. vers. 5. obijciebatur.*

2 Quòd descriptio fuerit confusa, visum fuit cessare ex facto, quia bona immobilia secundùm eorum qualitatem & quantitatem, & per nominationem confinium, & situationem; mobilia verò singulariter & nominatim & aliàs in inuentario ritè descripta apparent, prout etiam id in dubio præsumitur, propter præsentiam & decretum iudicis. Seraph. *decis. 371. sub n. 2. vers. opponebatur, & n. seq.*

3 Defectus citationis, ex eo quòd cùm Domini Gay & Berton essent creditores certi, deberent nominatim citari, visus fuit Dominis admodum leuis,

leuis, quia non constat quòd illi tunc essent præsentes, cùm aliàs absentes non sint specialiter citandi. §. *fuit igitur auth. de hæred. & falcid.* Seraph. *d. decis.* 371. *n.* 5. eo minus quòd creditum ipsorum esset notum hæredi, & certum, & tamen difficile est asserere aliquem creditorem certum esse. Salic. *in l. fin. §. fin autem dubius, num. 8. in fin. C. de iur. deliber.* & fuit dictum in causa Romana inuentarij 19. Ianuarij 1604. coram Reuerend. Domino meo Decano.

4 Quòd autem in inuentario fuerit quædam capsa, pariter cessare visum fuit, quia vltra quòd illa legitur in eo descripta vnà cùm nonnullis mobilibus existentibus in domo locata Arnoldo, qui postmodum illam consignauit Mainerio hæredi substituto ipsius Vianæ cum particulari inuentario dictarum rerum in ea existentium, fuit etiam dictum quòd ad istum effectum non sufficit sola probatio omissionis, nisi etiam dolo illa facta probetur. Bald. *d. l. fin. §. cùm igitur, num. 8. C. de iur. deliber.* Dec. *consil.* 633. *n.* 11. Surd. *decis.* 122. *num.* 10. *in fin. & seq.* & tenuit Rota in eadem Romana inuentarij de Massainis 14. Maij 1604. coram Illustriss. D. Cardinale Ludouisio, & in d. Romana de Soderinis, & aliàs sæpè: in casu autem isto dolus non probatur, quinimo excluditur ex protestatione, quam fecit Viana, quòd si alia bona ad eius notitiam aduenissent, illa in inuentario apposuisset. Ias. *in d. l. fin. in princ. n. 3. vers. Ideo cautela est,* & Bald. *ibi in §. cùm igitur, n. 8. vers. Esto enim. C. de iur. deliber.* Dec. *d. cons.* 633. *sub n.* 11. cum aliis in dictis causis Romana de Massainis, & alia Romana de Soderinis adducta.

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Salamantina pensionis. Lunæ 18. *Decembris* 1617.

ARGVMENTVM.

Translatio pensionis, in qua exprimitur summa diuersa ab ea, quæ exprimitur in reseruatione relata ad reseruationem, præsumitur erronea, nec annullatur propter expressionem dictę diuersę summę.

SVMMARIVM.

Decretum non potest pro vna parte valere, & pro altera non, quia est indiuiduum, numero 2.

Translatio pensionis diuersa à pensionis reseruatione, relata tamen ad reseruationem, censetur erronea, nec propter hanc diuersitatem vitiatur, n. 3.

Referens in quo aliquid exprimitur diuersum à relato secundùm relatum regulari debet, ibid.

DECISIO DXCVIII.

1 CEnsuerunt Domini sententiam Rotalem esse confirmandam. Quia de reseruatione pensionis non dubitatur, neque de illius valida translatione, dum facta fuit vigore literarum Apostolicarum, & seruata earum forma, vt patet ex ipsa translatione: vnde remanet clara validitas pensionis, cum de potestate non possit dubitari, vt benè firmatur in decisione in hac causa facta.

Non obstat quòd translatio sit iudicanda nulla, ex eo, quòd pensio sit reseruata in ducatis 112. Hispan. & facultas transferendi sit de eadem summa: actus autem translationis sit de summa ducatorum 120. de Camera, quod multo plus excedit, & ratione excessus vitiatur quodlibet decretum, dum non potest pro vna parte valere, & pro altera parte non. Put. *decis.* 315. *per tot. lib.* 1. cum aliis allegatis. 2

In translatione enim habita fuit expressa relatio ad litteras reseruationis, & per tenorem registratæ fuerunt in ipso instrumento translationis; vnde decretum exequutoris neque ratione incertitudinis summæ potest vitiari, propter præsumptam scientiam ex registratione resultantem, vt in Senogalien. translationis pens. 11. Decembris 1587. coram bon. memor. Cardinali Pamphilio, & in Bononien. translationis pens. 1. Iunij 1616. coram R. P. D. meo Pamphilio. Neque ratione intentionis, quia voluit exequutor transferre pensionem in summa reseruata, non autem in summa expressa, quæ corrigitur propter vim repetitionis, secundùm naturam referentis. *l. à filio. §. testator, & § sequenti ff. de alim. & cib. leg.* Bart. *in l. si quis seruum §. vltim. de leg.* 2. Menoch. *consil.* 287. *numero* 34. vltrà quòd similes errores dum possunt secundùm veritatem certificari per relationem ad quid certum non solent vitiare dispositiones, vt dictum fuit in Barchinonen. pensionis 14 Ianuarij 1611. coram Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunen. 3

Similiter non obstat quòd alia ratione, sententia vitio nullitatis laborare videatur, dum iudex pronunciauit tanquam in prima, cùm tamen debuisset reuocare primam sententiam contrariam. *l. eos. Cod. de appell.* Bart. *in l. per hanc. colum.* 2. *num.* 9. *C. de tempor. appell.* cum aliis allegatis. Quia sententia prædicta fuit absolutoria ab obseruatione iudicij, eo quia instrumentum translationis non erat productum in forma probanti, ideò cùm non tangeret exceptiones peremptorias, sed dilatorias; necessaria non erat illius reuocatio. Bart. *in l. Iulianus num.* 34. *ff. de condict. indeb.* 4

Quæ autem dicuntur quòd hoc beneficium S. Adriani, super quo est reseruata pensio, habet annexam Capellam S. Marci de iurepatronatus regio, super qua non poterat imponi pensio, non videbantur iustificata, ideò superfluum existimarunt Domini ingredi disputationem super releuantia istius facultatis. 5

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DVNOZETTO.

Bononien. affrancationis. Veneris 12. *Ianuarij* 1618.

DECISIO DXCIX.

Impressa est post Posthium de manuten. decis. 141.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Vlisbonen. matrimonij. Lunæ 15. *Ianuarij* 1618.

ARGVMENTVM.

Matrimonium non dicitur metu contractum, nisi metus fuerit talis, qui cadat in constantem virum. quomodo, & quando talis metus probatus censeatur.

SVMMARIVM.

Matrimonium metu contractum non rescinditur, nisi metus fuerit talis, qui cadat in constantem virum, num. 1.

Metus quandoque passiuè in animo concipitur, & quandoque actualiter incutitur, & differentia inter vnam, & aliam metus speciem, num. 1. & 2.

Metus cadentis in constantem virum probatio dependens ab animo, directè probari non potest, ideò probatur per indicia, & coniecturas necessarias, & concludentes num. 1.

Metus probatio non suffragatur, nisi probetur quòd interuenerit tempore actus, num. 2.

DECISIO DC.

1 PRo Agnete sola informante, Domini perstiterunt in decisis, ex eisdem fundamentis, de quibus in decisione, quæ iterum placuerunt, & vlterius animaduerterunt quòd non omnis metus sufficit ad dirimendū matrimonium, sed talis, qui cadat in constantem virum, & per quem consensus ab actu contrahendi omnino remotus probatur. *c. veniens il 2 c. consultationi, de sponsal. cap. cùm dilectus de his quæ vi, metúsve caus.* Sanchez *de matr. lib. 4. disp. 11. num* 8. Rursus multum differt metus passiuè in animo conceptus à motu actualiter incusso, & illato. Primo enim casu difficiliùs potest iudicari, an sit talis qui possit cadere in constantem virum. quia probatio ab animo dependens directè haberi non potest & per indicia, & coniecturas, est multum dubia, nisi sint necessariæ, & concludentes, prout requiritur vbi agitur de fœdere matrimonij. *cap. mulieris. de iureiur.* vbi gloss. Dec. *consil.* 133. *n.* 2. Menoch. *consil.* 199. *lib.* 2.

2 Secundo verò casu non etiam semper remouet consensum ab actu, nisi insimul cum ipso actu probetur, nec sufficit quòd præcesserit, aut subsequatur, quia per tempus ante matrimonium, probatio remanet æquiuoca, propter possibilitatem mutationis voluntatis, quę variabilis, & ambulatoria est. & post non deseruit, nisi pro adminiculo probationis antecedentis metus, quæ si deficit, adminiculum non suffragatur.

5 In præsenti autem metus incussus non probatur verbis, neque facto, vt iam dictum est in præcedenti decisione, ponderando dicta testium: implicitus autem, & mente conceptus non iustificatur ex qualitate armorum, aut tractatu in ipso actu matrimonij, ex quo vnus tantùm armatus ense, & in lecto prostratus præsens erat verbis de præsenti, & multa concurrebant pro Agnete ad sustinendam liberam voluntatem Christophori, quæ fuerunt deducta in præcedenti quæstione.

Et ita fuit resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P.D. CAVALERIO.

Tiburtina Archidiaconatus. Lunæ 15. Ianuarj 1617.

ARGVMENTVM.

De immissione in possessionem vigore gratiosæ subrogationis, quòd non impediatur per contradictorem citatum, & non habentem interesse, & alia nonnulla, de quibus in summariis.

SVMMARIVM.

Gratia, gratiosa subrogatio, vt locum habeat, quæ requirantur, num. 1.

Clericatus probatus censetur ex litteris patentibus ordinarij, numer. 2.

Beneficium dicitur reseruatum, & vacare in Curia, quando resignatio fit in manibus Papæ, ibid. in fine.

Resignatio conditionalis nempè ad fauorem certæ personæ an faciat beneficium reseruatum, num. 3.

Contradictor legitimus non efficitur ex sola citatione, num. 4. vbi declaratur hæc conclusio, si citatus non habet interesse, quia tunc dicetur contradictor de facto, & non legitimus.

Incompatibilitas beneficiorum non obest in assequendo sed in retinendo num. 5.

Exceptiones subreptionis, & aliæ respicientes petitorium, reyciuntur in possessorio immißonis, num. 6.

Vltimus status in retentione Canonicatus attendendus est, num. 6. in fine.

DECISIO DCI.

RESoluerunt Domini dandam esse immissionem Hieronymo in vim gratiosæ subrogationis, quam obtinuerat ad ius & possessionem, in qua Darius existebat de tempore resignationis, satis enim videbātur fuisse verificata omnia requisita ad hunc effectum, videlicet clericatus, possessio resignantis, & reseruatio, vt in Burgen. de Pancono 24. Octobris, & 28. Nouembris 1598. coram bon. mem. Gipsio, & in Miranden. parochialis 17. Maij 1600. coram bon. me. Pegna in montis Falisci Capellæ 30. Ianuarij 1606. coram Illustrissimo Lancellotto, & sæpiùs Rota resoluit. 1

Clericatus autem visus fuit probatus ex litteris patentibus ordinarij Triburtini, & quasi possessio resignationis per testes examinatos, & hoc neque controuertebatur: reseruatio autem visa satis fuit clara, quæ resignatio fuit facta in manibus Papæ, quo casu beneficium vacat in Curia, & est reseruatum. *cap. 2. de præbend. in 6.* Put. *decis.* 368. *in fin. num. 2. lib. 2.* Ferret. *consil.* 93 *nu.* 3. *part.* 1. cum aliis congestis per Paris. *de resignat. lib. 9. quæst.* 14 *nu.* 1. & in puncto fuit dictum in d. montis Falisci. 2

Nec obstare putauerunt quod dicebatur non sufficere docere simpliciter de resignatione, nisi doceretur de resignatione valida, & de adimplemento conditionis, cùm agatur de resignatione conditionali ad fauorem certæ personæ. nam responsum fuit quòd prætensa procederent, si resignans esset in 3

in causa, & contradiceret: in casu autem proposito solum Capitulum se opponebat quòd Domini non habuerunt pro legitimo contradictore ad effectum vt posset immissionem petitam impedire, & in Hispalen. Canonicatus 22. Ianuarij 1605. coram Illustriss. Cardin. Ludouisio cum aliis adductis per modern. Bonon. de legit. concord. *qu.4. art.5. num.38.* Ad hunc autem effectum illum dicebant dici legitimum, qui habet parem titulum. Put. *decis.298. lib.10.* & fuit dictum in Calaguritana dimidiarum portionum 20.
4 Decembr. 1593. coram Illustriss. Ludouisio.

Neque ex eo quòd Capitulum fuit citatum, censuerunt Domini esse effectum contradictorem. nam cùm esset contradictor de facto, talis contradictio solum operabatur, vt citari debuisset, non autem vt posset impedire immissionem, non docto de interesse, & ideo non potest dici contradictor legitimus, ex actione non voluntaria, sed necessaria. Cardin. Seraph. *decis.144. num.50.* Rota in Varnien. Canonicatus 3. Decembr. 1604. coram Illustriss. Card. Mellino, & in Pacen. paritatis 15. Decembr. 1609. coram R. P. D. Manzanedo, cum adductis *in tract. de leg. contrad. q.3. art.1. num.53. & seq.*

5 Et in omnem euentum allegata per Capitulum neque videbantur sufficientia ad impediendum immissionem. nam prætensa incompatibilitas Archidiaconatus cum Canonicatu, non obest in assequendo, sed in retinendo, ad effectum vt vacet primum. *cap. de multa, de præben. cap. commissa, de elect. in 6.* Mohed. *decis.14. de præben.*

6 Tandem hæc acceptio & alia subreptionis per Capitulum allegatæ non visæ fuerunt admittendæ in hoc articulo executiuo, sed tanquam respicientes petitorium ad illud reiiciendæ, vt in Senen. Canonicatus 13. Maij 1588. coram bon. mem. Bubalo, & in dicta montis Falisci coram Illustrissimo Lancellotto, & ad effectum euitandi prætensam subreptionem videbatur sufficere vltimus status, per quem apparebat resignantem retinuisse Canonicatum insimul cum Archidiaconatu, ex his quæ satis copiosè congessit Gonz. *super reg.8. gloss.45. num.14. & seq.*

Et ita resolutum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Bononien. de Cattaneis. Lunæ 15. Ianuarij 1618.

ARGVMENTVM.

Relato quando magis credatur, quàm referenti, & de solutione quòd præsumatur facta ex causa præcedentis tituli, seu contractus.

SVMMARIVM.

Confessio non solùm probat contra confitentem, sed etiam contra alium ab eo causam habente, num.2. in fin.

Confessio relatiua ad instrumentum nunquid probet si in instrumento non reperitur id quod confitens fatetur, num.3.

Referenti quandoque magis creditur, quàm relato, ibid.

Solutio præsumitur facta in causam præcedentis contractus, num.8. in fine.

DECISIO DCII.

In decisione diei 10. Martij præteriti ad effectum 1
illius disputationis, firmatum fuerat ex alienationibus bonorum Andreæ, & ex creditis ad hæreditatem illius pertinentibus peruenisse in pluribus partitis ad Cæsarem eiusdem Andreæ filium, à quo Cæsare Leonij ius deducunt summam librarum Bononien. 8000. Causa denuò proposita, Domini quoad partitam librarum 5552. permanserunt in decisis, reseruando de aliis videre in separata disputatione.

Dicebatur enim in præcedenti decisione probari 2
ex instrumento secundæ diuisionis, quòd Sixtus habuit ex bonis omnibus cum Andrea eius fratre libras 11064. ex quibus promisit soluere Cæsari pro eius medietate libras 5552. prout postea ei fuerunt solutæ, vt ex instrumento solutionis anni 1541. patet, dum hæredes Sixti soluerunt Cæsari libras 4226. pro residuo librarum 5532. cum assertiua, quòd de illis Sixtus aliàs se constituit debitorem dicti Cæsaris pro computo facto & concluso inter eos ex causa pecuniarum expensarum de communi inter dictum Sixtum, & Andream in dotandis filiabus Sixti; quæ assertiua confessio cùm emanauerit pro iustificatione solutionis in eo actu fiendæ, probat inter easdem partes, & afficit Leonios habentes causam à Cæsare altero ex contrahentibus. Natta *cons.438. nu.9.* cum aliis allegatis per Surd *q.5. n.19. & 42.*

Nec vrgebat quòd prædicta confessio esset relati- 3
ua ad instrumentum diuisionis anni 1535. in quo nulla habetur mentio, quòd calculus esset ex causa expensarum de communi inter Sixtum, & Andream, vt ideò magis relato sit standum, quàm referenti, etiam si ab eo in aliquo discrepat, Dec. *in auth. si quis in aliquo num.4. vers. secundò restringitur. C. de ed.* Surd. *cons.105. num.31. lib.1.* cum aliis allegatis, quia vltra quòd relatio legitur respectu debiti, pro quo fiebat solutio, non autem respectu declarationis ex quibus bonis fuissent extractæ pecuniæ, relatum etiam non discordat à referente, dum narratur quòd in dotandis filiabus de communibus bonis expendit ipse Sixtus libras 11064. & quamuis in relato non habeantur illa verba inter Andream & Sixtum; tamen in expressis statur referenti vbi relatum non repugnat. Abb. *cons.176. num.15.* Mago *decis. Luc.96. nu.8.* Berreta *cons.117. num.6.* Sed præterea concurrit series facti admodum verisimilis, & confessioni prædictæ conueniens, quia.

Primò de anno 1522. inter Andream, & Sixtum 4
in communione omnium bonorum existentes præcesserat conuentio, quòd quantitas pecuniarum dotium cuiuslibet ipsarum filiarum, tam tunc existentium sponsarum, quàm futurarum, deberent extrahi de massa communi; ita tamen quòd in casu diuisionis alter ipsorum habere deberet de massa communi ipsorum bonorum omne, quod alter habuisset, & ad eius computum expressum fuisset in maritandis filiabus.

Secundò, in eadem massa bonorum intrabant ne- 5
dum fructus bonorum immobilium, sed & alia credita communia, & ad tempus, quæ exinde post mortem Andreæ pro parte exigenda remanserunt, & tanquam effectus radicati durante societate, durabant etiam societate finita in massa bonorum.

Tertiò, in decisione facta inter Sixtum, & Cæsa- 6
rem filium Andreæ supponuntur duo computa in-

ter se diuersa, alterum sociale, alterum patrimoniale Cæsaris administratum per tutores, scilicet per Sextum, & Isottam de Calderinis matrem Cæsaris, & respectiuè Cæsar in vno remanet creditor Sixti, & in altero remanet debitor eiusdem Sixti.

7 Quartò, in eodem instrumento diuisionis narratur vrgentia, & necessitas tutorum ob malam qualitatem temporum, per quam fuerunt coacti vendere stabilia pro sustinendo Cæsare, & prouidendo illi de alimentis.

8 Ex quibus omnibus visum est Dominis cessare exceptionem dubiæ, & æquiuocæ probationis deductæ ex incidenti, & enunciata confessione de possibili solutione ex fructibus bonorum patrimonialium Cæsaris, dum constat de præambulo titulo societatis ad effectum præcisum dotandi filias, ac de massa, & eius effectibus vltra mortem Andreæ duraturis, qui à patrimonio Cæsaris separati continuarunt, vt ex separatis rationibus, & necessitate in diuisione enunciatis sufficienter appatet, ita vt dubitari non possit, quin dotes etiam post mortem Andreæ solutæ desumptæ fuerint ex massa societatis tam ex ipsarum partium confessione præiudiciali habente causam ab eis, vt suprà dictum fuit, quàm etiam ex iuris dispositione, vt ex titulo præcedenti actus subsequentes solutionis in eam causam facti præsumantur, *l. 2. C. de acq. possess. l. quædam mulier, cum gloss ff. de rei vend.* Crau. *consil.* 255 *num.* 3. *& consil.* 273. Bec. post alios *consil.* 6. *num.* 6.

Et ita fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Bononien. beneficij. Mercurij 24. Ianuarij 1617.

ARGVMENTVM.

Beneficio priuatur Clericus assassinij crimen incurrens, etiam non sequuto effectu, & etiam quòd mandatum fuerit non infideli, sed Christiano ad occidendum alium, dummodo mandatum fuerit acceptatum, & non aliàs.

SVMMARIVM

Assassinus beneficio priuatur etiam delicto non sequuto, num. 1.

Qualitas in constitutione, seu lege requisita probari inprimis debet antequam ex ea agatur, ibid.

Assasinij crimen perficitur ex mandato mandatario, & pecunia data, vel promissa ad occidendum Christianum, num. 2. *vbi, quòd si alterum ex prædictis deficiet, assassinij qualitas non verificatur.*

Assasinij pœna locum non habet, quando mandatum non fuit acceptatum, ibid.

Assassinium locum non habet, quando solùm mandatario fuit declarata voluntas quædam occidendi aliquem sine mandato, num. 3.

Assasinij crimen locum habet etiam quòd mãdatum fuerit infideli ad occidendum Christianum, num. 4.

Assassinij pœna nunquid locum habeat, quando delictum non est sequutum, vel deuentum non est ad actum proximum. nu. 5. *& 6. vbi præsertim de pœna priuationis beneficij.*

DECISIO DCIII.

Censuerunt Domini gratiam in casu de quo agitur, non esse iustificatam; fundamentum enim gratiæ fuit vocatio narrata vigore *cap. primi de homicid. in 6.* vbi ex assassinio, seu ex mandato dato ad assassinium, etiam quòd delictum non fuerit sequutum, inducitur vacatio beneficij ipso iure, vt legitur in text. & gloss. & comprobant Diaz *in praxi criminali, cap.* 96. *num.* 1. Gabr. *consil.* 196. *num.* 5. *lib.* 1. cum aliis allegatis. Sed qualitates illius capituli non iustificantur prout necessarium est agenti ex aliqua lege, constitutione, aut statuto, Bart. *in l.* 1. *§. quod autem ait prætor. ff. ne quid in flum. public.* Felin. *in cap.* 2. *de rescript.* Surd. *consil.* 45. *num.* 14. *& decis.* 39. *numer.* 2. *& 305. num.* 41. & de hac ipsa constitutione determinant Ioann. Andr. *in dicto cap.* 1. *sub num.* 4. Boss. *tit. de captura, num.* 46. Clar. *in §. fin. suæ praxis quæst.* 85. *vers. vbi agitur, & in §. assassinium, in princip. versic. nam vbi agitur.* 1

Est enim certum quòd crimen assassinij perficitur ex mandato mandatario, & pecunia data, vel promissa ad occidendum Christianum. Aretin. *consil.* 163. *post numer.* 17. & tradunt post alios Clar. *in §. assassinium, in princip.* Gabr. *de malefic. conclus.* 1. *num.* 1. Menoch. *de arbitr. cas.* 360. *num.* 42. *&* 44. Franch. *decis.* 176. *per totum*, & si alterum ex prædictis deficiat, qualitas assassinij non verificatur, & signanter quando mandatarius non suscepit mandatum, consuluit Bald. *consil.* 383. *per tot. vol.* 5. incipit, *Bectonus de Cesso.* quem sequitur Gramm. *voto* 11. *nu.* 19. *&* Gabr. *de malefic. dicta conclus.* 1. *numer.* 36. *versic. tertiò limita.* quamuis ipsi mendosè allegent illum *in consil.* 82. *volum.* 3. Menoch. *dicto casu* 360. *num* 44. D. Farinac. *de pœn. ass. in crim. assassinij quæst.* 23. *n.* 28. 2

In præsenti autem ponderatis constitutis tam ipsius principalis, quàm aliorum in causa examinatorum, visum est Dominis in mandatario non probari susceptionem mandati, sed tantummodo deliberationem animi ex parte inquisiti ordinatam ad homicidium mediante sortilegio, dum habetur, *& mi rispose, io voglio che noi facciamo ammazzare, è però bisogna trouare vna buona mastra,* & paulò infra ad interrogationem, *sete pur risoluto di far morir costoro, rispose come se son risoluto, vorrei che fossero morti.* Sed venefica nunquam fuit reperta, neque probatur, quòd prætensus mandatarius susceperit in se onus mandati de occidendo per sortilegium, neque herbæ pro quibus erogatæ fuerunt pecuniæ, per inquisitum fuerunt emptæ, ita vt negotium ex parte suscipere debentis mandatum semper remanserit in simplici, & in perfecto tractatu de reperiendo veneficam, & emendis herbis. 3

Quæ autem vltra defectum susceptionis mandati dicebantur pro parte inquisiti ad euitandam dispositionem dicti cap. *pro humani, de homicid. in 6.* non carebant difficultate. Nam quòd illa constitutio strictè sit intelligenda, prout loquitur quando datur mandatum infideli ad occidendum Christianum, secundùm opinionem Archid. Ioann. Andr. & Anchar. *in 8. not. illius cap. multo.* Plures non inferioris authoritatis tenuerunt contrariam opinionem, quòd ille text. indistinctè loquatur quoad omnes, qui sint impulsi spe alicuius præmij, homines Christianos occidere promittũt, nẽpe Imol. Bald. Gram. Aretin. Angel. Afflict. & alij. quos refert Gabr. *de malefic. dicta conclus.* 1. *nu.* 18. asserens esse cum eis communem 4 5

munem opinionem quibus accedunt Clar. post alios *in §.assassinium in* 1. Paris. *consilio 166.num.3.lib.4.* Dec. *tit. de mandat. pecun. med. n.4.*

5 Similiter non est tuta limitatio quòd pœna dicti cap. primi solùm habeat locum, consummato delicto, vel quando deuentum est ad actum delicto proximum: extra autem prædictos casus non intrare pœnam ordinariam, nec per consequens locum esse dispositioni dicti cap. secundùm opinionem Franch. Boss. Decian. & aliorum, qui ab informantibus allegantur. Quia actus consummatus, & actus delicto proximus bene conueniunt mandatario, qui potest susceptum mandatum consummare, vel tentare, & de eo dici potest, quòd fecerit totum quod potuerit, vt homicidium committeret; secus verò mandanti, qui ex solo mandato, & per mandatarium acceptato cum oblatione pecuniæ, vel promissione dicitur consummasse delictum, quantum in se est, cùm nihil plus facere possit, dum exequutio ad mandatarium pertinet, vt bene aduertunt Gemin. *in dicto cap. 1. numer. 10. in fine, gloss. in verb. mandauerit.* ibi, *quia hoc per ipsum mandare est delictum consummare.* Ioan. Menoch. *num. 6. & 9. lib. 2.* Capic. *decis. 155. num. 4.* Diaz. *in prax. crimin. cap. 96. num. 6.*

6 Præterea *in cap. pro humani*, contra mandantem non sequuto effectu non imponitur pœna mortis, sed excommunicationis, depositionis à dignitate, & publicationis bonorum, quæ multum differt à pœna sanguinis; ideò pœna vltimi supplicij non determinata à canone, aut alia lege potest minorari arbitrio iudicis: sed in eo quod est determinata in amissione beneficij, effectu etiam non sequuto, pœna non potest minorari, nec intrat arbitrium iudicis, prout declarando *cap. pro humani*, tenuit Grammat. *decis. 2. num. 23.* Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. VEROSPIO.

Bononien. exemptionis. Veneris 19. Ianuarij 1616.

ARGVMENTVM.

De confirmatione priuilegiorum facta à Principe quòd nihil de nouo tribuit, sed tantùm tributo robur adiicit, præsertim quando est facta sine clausula, *ex certa scientia*, & quòd monachi, & regulares & eorum bona non veniunt appellatione personarum Ecclesiasticarum, seu bonorum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Confirmationis priuilegiorum natura nihil est noui tribuere, sed tantùm tributo robur adycere, n. 1. & 2. vbi præsertim, quando confirmatio non est facta ex certa scientia sed in forma communi.

Verba vbi non conueniunt, non conuenit etiam dispositio, num. 4.

Monachi, & regulares non veniunt appellatione personarum Ecclesiasticarum, num 5.

Monasterij bona non veniunt appellatione bonorum Ecclesiæ ibid. vers. tanto magis,

Clausulæ generales derogatoriæ contentæ in Breui non ampliant eius dispositionem, sed ad illius limites restringuntur, ibid. ante finem.

DECISIO DCIV.

Monachi Cassinenses, cùm à Regimine Bononiensi, non obstantibus ipsorum priuilegiis, præsertim in motu proprio Summi Pontificis Eugenij IV. sub datum Florentiæ septimo Kalen. Martij 1434. contentis, nec non immunitate Ecclesiastica pro consuetorum vectigalium solutione conuenirentur, causa in Rota coram me introducta, dubitaui super illorum exemptione. Verùm difficultate restricta an per Breue fel. record. Iulij III. ad Regiminis fauorem emanatum, derogatum fuisset exemptionibus dictis Monachis antea competentibus. 1
Dubio super hoc hodie per me proposito Domini fuerũt negatiuã partem amplexi; cùm enim in dicto Breui solummodo statuta & capitula Regiminis circa vectigalium solutionem confirmentur, vt ex illius verbis colligitur, & præsertim ibi, videlicet, *Tenore præsentium approbamus & illis plenum, & perpetuum firmitatis robur adycimus*, &c. & ibi, *Eaque omnia valida & efficacia fore, suosque plenarios effectus sortiri*, &c. sequitur confirmationem huiusmodi prædictorum capitulorum limites non excedere, cùm sit de natura confirmationis, nihil tribuere noui, sed tributo robur adiicere. *l. Aurelius, §. testamento, ff. de liber. legat. l. ex verbis. C. de donationib. inter vir. & vxor.* gloss. *in cap. 1. in verbo confirmationem, de confirmat. vtil. vel inutil.* Bald. *in l. nouationes circa finem, versic. illud etiam certum est, C. de appellat. & in l. aduersus in fine, C. si aduers. rem iudic.* Dec. *in rubric. de confirmationib. vtil. vel inutil. n. 1.* Surd. *consil. 361. num. 37. lib. 3.* Et fuit dictum in Perusina postæ Puteoli 25. Ianuarij 1613. coram R. P. D. meo Pirouano.

Tanto magis, quia non omnia capitula in hoc Breui confirmationis leguntur inserta, cùm alia etiam per Legatos in futurum edẽda confirmentur, de quibus Papa notitiam habere non poterat: vnde non meretur ista confirmatio dici, ex certa scientia, & cum causæ cognitione, & sic remanet in forma communi, quæ nihil de nouo largitur. *cap. penult.* vbi Dec. *num. 1. & in rubr. n. 2. de confir. vtil. vel inutil.* Aret. *consil. 15. num. 5.* Alexan. *consil. 129. num. 5. lib. 6.* Socin. iun. *consil. 258. num. 1. lib. 2.* Paris. *consil. 3. num. 43. lib. 4.* Ruin. *consil. 127. num. 7. lib. 4.* & fuit resolutum in causa Abulen. iurisdictionis 22. Ianuarij 1588. coram Orano, & in causa Veronen. exemptionis 27. Maij 1594. coram Cardinali Pamphilio. 2

In capitulis verò solutionis vectigalium, solùm habetur Datiarios non posse aliquam exemptionem pro illis admittere, qui priùs non erant exempti, ne per hoc vllum Cameræ præiudicium fieret: non autem reuocantur exemptiones Religiosis anteà cõpetentes, & ex lectura dictorum capitulorum apparet, nimirum ibi, *Che non possimo ammettere alcuna essentione à persona Ecclesiastica quamtunque essente per li loro beneficij; & beni di Chiesa, che godessero non obstante alcun abuso, inaduertenza, & ad affetto di non pregiudicare alla Camera, & di non mettere quei tali in possesso di quello che non li spetta, &c.* 3

Cùm igitur Monachi non fundentur in aliqua remissione sibi per gabellarios facta, neque hoc respectu Camera illud præiudicium sentiat, non potest in casu nostro locum habere capitulorum dispositio, cùm verba non conueniant. *l. Gallus. §. &* 4

*bene verba.ff.de liber.& posthum.*Bart.*in l.4.§.toties ff. de damn.infect.* Gemin. *consil.65. num.* 2. Bald.*consil.* 486.*lib.*2.Alex.*consil.*17.*numer.*2.*lib.*1.Castren. *consil.* 85.*in princip.lib.*1. Nituntur enim monachi priuilegiis de iure communi,& Sedis Apostolicæ authoritate sibi competentibus: vnde considerari non potest abusus, vel inaduertentia, neque Cameræ præiudicium, vt in dictis capitulis legitur, & apparet ex Breui, vbi pluribus in locis replicatur intentio fraudibus occurrendi, quæ in datiis quotidie committebantur.

5 Vlteriùs personarum Ecclesiasticarum appellatione,de quibus in capitulis, cùm materia sit exorbitans & odiosa,non veniunt Monachi.Abb.*in cap.* 1.*num.*9.*versic.sed hoc intellige,de iuram.calumn. & in cap.*1.*numer.*7.*versic.Monachi verò,ne cleric. vel Monach.*Franc.*in cap.*2.*n.*8.*vers.secus si materia, de supp. prælat.negl.lib.*6. Tanto magis, quia capitulorum verba licèt sunt generaliter prolata de personis Ecclesiasticis,quantumcunque exemptis,restricta sunt tamen ad exemptas pro ipsorum beneficiis & bonis Ecclesiarum. quæ verba tam ex dispositione regulæ S.Benedicti, quàm iuxta canones Monachis non conueniunt, cùm illi beneficia retinere non valeant.*cap.*2.*de stat.Monach.* & sic Ecclesiarum bona non habent, sed monasteriorum, quæ in materia stricta & præiudiciali appellatione bonorum Ecclesiæ non veniunt, vt per gloss. *in cap.grandi,in verbo, Monasterium,*vbi Doct.& præsertim Gemin.*num.*12. *post med.vers.aut materia est æqualiter.* Franc.*n.*8.*in fine de supplen.neglig.Prælat.in* 6.

6 Non obstant clausulæ generales derogatoriæ in Breui contentæ.Nam illæ non ampliant dispositionem, sed ad illius limites restringuntur. Bald. *in l. eam quam,num.* 2.*C.de fideicommiss.* Felin. *in cap.nonnulli, num.* 27. *de rescript.* & fuit dictum in Romana legitimæ 15.Martij 1593.coram Cardinali Arrigono, & in Reatina fructuum 12.Ianuarij 1604. coram Cardinali Pamphilio, & propterea non extenduntur ad casus in principali dispositione non inclusos,nec eos comprehendunt, ex allegatis per Aym. *consil.*68.*num.*6.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Vlixbonen.matrimonij. Veneris 26. Ianuarj 1617.

ARGVMENTVM.

Matrimonium vt dicatur metu contractum, conceptus metus debet esse talis, qui cadat in constantem virum. Quomodo & ex quibus huiusmodi metus probatus censeatur.

SVMMARIVM.

*Metu non dicitur factum matrimonium, nisi conceptus metus fuerit talis, qui possit cadere in virum constantem,num.*1.

Metus non dicitur cadens in constantem virum ex assistentia vnius tantum armati ense, ibid.in fin.

*Metus contracti matrimonij nunquid probatus censeatur ex inimicitia,ex tempore,ex rumore armorum, & ex relatione post contractum matrimonium,num.*2.

*Testis si in secunda depositione dixit contrarium eius quod deposuit in prima, attenditur primum dictum, & non secundum, num.*3.

DECISIO DCV.

Causa iteratò proposita,Domini steterunt in decisis. 1

Certi enim sumus quòd metus incussus non probatur facto, aut verbis, vt factum fuerat in causa Collibrien.matrimonij 19. Decembris 1614. coram R. P. D. Buratto, in qua homines armati ingressi thalamum, vbi iacebant amantes,tenuerunt parochum per vim, & verbis, ac vultu aspero imperatum fuit viro,vt duceret mulierem in vxorem. Metus autem conceptus similiter non probatur saltem, qui possit cadere in constantem virum, quia matrimonium fuit contractum vno tantummodo armato ense assistente, & super lectum iacente, vt ostensum fuit in præcedentibus decisionibus.

Non obstant circumstantiæ ex serie totius facti ponderatæ, videlicet inimicitiæ occasione defloratione Agnetis, cum patre, fratre,consanguineis,& tota familia Agnetis contractæ,vt per Alexand.*consil.*98.*num.*5.*lib.*3. cum aliis allegatis:tempus noctis, & hora insolita parochi, armorum rumor,& plures personæ armatæ,& reclamatio Christophori in domo parochi post sequutũ matrimonium.Quia præsuppositum deflorationis non probatur, & nihilominus ex propensa Christophori voluntate nubendi, & familiaritate eiusdem cum fratre Agnetis,& conuersatione in domo, vrgens indicium reuocationis iniuriæ ad animum parentum desumi non potest. Hora insolita pertinet ad ipsum parochum,qui fortè recusasset accedere ad domum contrahentium. 2

Superest indicium rumoris armorum, quod probatur ex sola depositione Catherinæ Riberæ, cuius dictum non vrget,dum pro matrimonio liberè contracto deposuerat, in secunda verò depositione recensuit præparationem armorum; vnde in hac parte,vel eius dicto standum non est vti contrario,vel prima verior præsumenda est.Clar.*in* §.*fin.quæst.*52. *numero* 15 *versic si verò.*Couarr. *var.resolut. lib.*1. *cap.* 13. *numero* 8.Nec Ioanna Dalmeida vicina de rumore præciso deponit; sed interrogauit Agnetem de rumore excitato in eius domo nocte præcedente, vnde interrogans non ponit, dum veritatem ab altero quærit. 3

Similiter pluralitas armatorum probatur per eandem Catherinam, quæ non vrget, per supradicta, vt ex numeratis per eam; nempe Roderico Cottimo patruo,& Stephano Cardoso eius patre, Sebastiano Costa fratre Agnetis, & Didaco Numez cognato eiusdem Agnetis, vnus tantùm fuit præsens matrimonio, nempe Rodericus, & quamuis parochus intrando domum asserat vidisse Christophorum sedentem ad latus patrui Agnetis, qui armatus erat; tamen neque ille fuit præsens matrimonio, ita vt semper dubitari possit de voluntate Christophori liberè contrahendi, vt in prima decisione fuit ponderatum, quod sufficit, vt probatio plenè non concludat ad hunc effectum, pro vt necessarium esse dictum fuit in secunda decisione. 4

Demum non obstat reclamatio, & conquestio Christophori in domo parochi, quia placuit responsio data in prima decisione, quòd ratione pœnitentiæ contractus euenire potuit, quæ probatio 5

tio tanquam emanans ex confessione partis admitti non debet.

R. P. D. SACRATO.

Paduana sedilium. Veneris 26. Ianuarij 1618.

ARGVMENTVM.

Capitulum sine consensu Episcopi potest facere statuta in iis, quæ non concernunt statum vniuersalem Ecclesiæ, prout sunt concernentia ordinationem chori; consentiente verò Episcopo potest statuere etiam ardua, & concernentia vniuersalem Ecclesiæ statum.

SVMMARIVM.

Capitulum sine consensu Episcopi potest facere statuta in iis, quæ non concernunt statum vniuersalem Ecclesiæ, prout sunt concernentia ordinationem chori: consentiente autem Episcopo potest statuere etiam ardua, & concernentia vniuersalem Ecclesiæ statum, nu. 1. & 2. vbi etiam quòd sufficit consensus Episcopi per taciturnitatem, & patientiam. declara vt num. 5.

Præcedentiarum materia regulatur secundùm antiquam consuetudinem, num. 3.

DECISIO DCVI.

1 Extant in Choro Cathedralis Patauinæ duo ordines sedilium, vulgo Lunæ nuncupatæ, in primo ordine ab antiquo tempore fuerunt trigintaquatuor Sedilia, in quibus sedebant Canonici, qui sunt xxvij. & Mansionarij, qui sunt xij. demptis tamen ex iis xij. Mansionariis, duobus Magisterium Chori exercentibus, qui solebant sedere in secunda luna, in qua secunda luna, in sedilibus tamen diuersæ formæ consueuerunt sedere Capellani, qui sunt numero quadraginta tres, & in tertio loco sederunt Clerici dictæ Ecclesiæ: Capitulum, vel quia prima luna non sufficeret pro Canonicis, & Mansionariis simul, cùm deficiant tria sedilia, vel alia de causa, decreuit, quòd tres Mansionarij vltra duos Magistros Chori, deberent sedere in secunda luna, cui decreto se opposuerunt Capellani, causaque primò introducta in partibus, & denique in Rota, fuit coram me dubitatum, an constaret de bono iure Capituli, vel potiùs Capellanorum in casu de quo agitur? & pro Capitulo fuit tentum, quia de iure in iis, quæ non concernunt statum vniuersalem Ecclesiæ, Capitulum etiam sine consensu Episcopi potest facere statuta, gloss. *in cap. 2. verb. statutum, vers. si verò, de verb. signif. in* 6. Calder. *cons. 2. num. 2. de constit.* Butr. *in cap. constitut. num. 25. de rescript.* Abb. *in cap. cùm accessissent, num.* 4. & ibi Dec. *num. 9. de constit.* Imol. *in cap. cùm accessissent, num.* 4. & ibi Dec. *num. 9. de constit.* Imol. *in cap. cùm omnes, sub num.* 4. & Bero. *num. 42. eod. tit.* Præposit. *in cap. Catholica, in vers. nota quòd vnaquæque Ecclesia, distinct.* 11. & ibi Gemin. *num.* 11. Ferret. *cons.* 286. *num.* 1. & in specie de concernentibus ordinationem Chori, fuit dictum in causa Illerden. statuti 19 Martij 1597. coram bon. mem. Corduba. Hoc autem multo magis potest facere Capitulum, consentiente Episcopo, quia tali casu potest statuere etiam ardua, & concernentia vniuersalem statum Ecclesiæ, tradunt omnes *in cap. omnes, de constit.* Felyn. *in cap. edoceri, num. 3. & seq. de rescrip.* Capt. *super regul. reg. 9. num.* 1. Cæsar de Grass. *decis. 4. num. 4. de his quæ fiunt à maior. part. cap.* Seraph. *decis. 1447. num. 1. & 2.* & fuit dictum in Illerden. coram bon. me. Corduba, de qua suprà.

Et licèt in proposito casu non interuenerit expressus consensus Episcopi, attamen cùm Episcopus viderit, & passus fuerit mutationem Chori, & eius Vicarij etiam se ingesserint in hoc negotio, satis videtur consensisse, ex tradit. per Calder. *dicto consil. 2. num. 2. de constit.* Vltra quòd dato, quòd Capellani non habeant ius, de quo infrà, non poterunt ipsi dare de non consensu Episcopi, Seraphin. *decis. 707. num. 5.* 2

Non obstat quòd in materia præcedentiarum deferatur antiquæ consuetudini, ad decis. Seraph. 404. Ideoque non debeat esse in potestate Capituli mutare hunc antiquum statum in præiudicium Capellanorum, quia Domini hoc intelligebant in casu quo tolleretur aliqua præcedentia Capellanis, quod existimabant in hoc casu minimè euenire, cùm Mansionarij de iure, & secundùm antiquam consuetudinem huius Ecclesiæ præcedant Capellanis, qui propterea ex eo quòd Mansionarij incipiant sedere in eorum ordine, licèt digniori loco, non amittant aliquam præcedentiam, sed potiùs ex societate dignioris personæ augentur honore, & decore; vltra quòd ista prætensa consuetudo retorquetur, cùm iam duo Mansionarij, nempe Magistri Chori essent in quasi possessione sedendi in secunda luna, vt dictum est. 3

Non obstat quòd sedentibus Mansionariis in secundo ordine, non remaneat locus pro omnibus Capellanis; ideoque ex illorum expulsione insurgat, & diminutio cultus diuini, & præiudicium illorum iuris interueniendi in Choro, quorum neuter potest facere Capitulum, ex allegatis, quia DD. præsupposuerunt, quòd adsit, vel adesse debeat locus pro omnibus Capellanis, qui debent interuenire in Choro, & quòd huic inconuenienti debeat prouidere Capitulum, si iam non est prouisum, faciendo noua sedilia, vel alio conuenienti modo. 4

Circa illud quòd data etiam potestate in Capitulo adhuc requiratur rationabilis causa, aliàs non debeat superior canonizare huiusmodi decreta, vt per gloss. *in dicto cap. 2. verb. statutum, de verb. signif.* & per Rot. in decis. Illerden. coram Corduba, de qua suprà, fuit responsum causam rationabilem satis apparere in proposito casu, quia attento numero sedilium, & personarum, quæ debent sedere in primo ordine, deficiunt tria sedilia, vt suprà dictum est. Vnde rationabiliter decreuit Capitulum, quòd tria sedilia deficientia deberent constitui in secundo ordine. Nec mouit Dominos allegatio, quòd propter infirmitatem, vel aliud impedimentum semper non interueniant omnes Canonici, & Mansionarij. Ideoque docuerit experientia satis esse primum ordinem pro Canonicis, & Mansionariis, quia cùm impossibile sit, quòd omnes vno tempore possint, & velint interuenire, irrationabile visum fuit non adesse locum pro omnibus. 5

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. decimarum S. Donati. Lunæ 29. Ianuarij 1618.

ARGVMENTVM.

Decimæ nunquid debeantur de iure communi parochiali Ecclesiæ, vel potiùs matrici.

SVMMARIVM.

Decimæ de iure communi debentur Ecclesiæ parochiali, num. 2. & 4. vbi quòd debentur Ecclesiæ matrici, & non parochiali.

Ecclesia matrix probata censetur ex his quæ ponuntur num. 3. vbi etiam quòd per testes dicentes quòd ab ea aliæ Ecclesiæ recipiunt sacramenta.

Res iudicata est exceptio litis finitæ, & facit ius inter partes, num 5.

Actum quem quis impugnat, pro se allegare non potest, ibidem.

Canonici seruientes in Ecclesia, viuere debent de fructibus eiusdem Ecclesiæ, num. 6.

DECISIO DCVII.

1 Post multas resolutiones in hac causa factas, denuo fuit suscepta disputatio, an decima debeatur integra, & soli Ecclesiæ, & Canonicis S. Donati. Et deberi integras Ecclesiæ S. Donati fuit responsum, nisi obstet præscriptio, de qua reseruarunt particulariter videre. Primò enim fuit decisum sub die 19. Martij 16.2. decimas locorum de quibus agitur vsque ad annum 1581. spectasse ad Ecclesiam Sancti Donati. Secundò fuit etiam resolutum sub die 27. Iunij, & 17. Decembris eiusdem anni decimas etiam spectare ad Canonicos eiusdem Ecclesiæ, & etiam post annum 1581. Tertiò fuit firmatum 22. Martij 1613. decimam deberi integram, nempe vnum ex decem, & de omnibus fructibus. Demum sub die 5. Iunij 1617. fuerunt comprobatæ decisiones primo, & secundo loco factæ, ex quibus omnibus patet responsio ad dubium propositum.

2 Non obstant quæ hodie denuo ponderantur aduersùs resolutiones iam factas, & primò quòd non probatur per D. Platum Ecclesiam Sancti Donati esse matricem, in quo consistit fundamentum vltimæ decisionis, vt inde intrare possit declaratio Concilij, qua circumscripta, dicebatur decimas non deberi dictæ Ecclesiæ Sancti Donati, sed parochiali Ecclesiæ Sancti Martini habenti fundatam intentionem in decimis, vt sæpiùs fuit resolutum, signanter in Mediolanen. decimarum de Varisio coram Reuer. Lugdunen. die 9. Martij 1609.

3 Ad prædicta enim fuit responsum ex deductis in prima decisione 19. Martij 1612. in qua ad probandum quòd Ecclesia Sancti Martini, de qua agitur, esset intra fines parochialis Ecclesiæ Sancti Donati, ponderantur visitationes Sancti Caroli, dismembratio petita per homines dictorum locorum, ob distantiam, & impedimenta aquarum, ac demum promissio dotis præstandæ Ecclesiæ prædictæ Sancti Martini dismembrandæ cum prædictorum omnium effectuatione, & testes dati in secundo summario concludenter deponunt quòd Ecclesia Sancti Donati est matrix, & quòd aliæ Ecclesiæ ab ea recipiunt Sacramenta, ex quibus necessariò concluditur matricitas tam ab effectu, cùm de limitibus illius, quasi de corpore fuerit desumpta noua parochialis, quàm à nominatione matricis, de qua per testes, & instrumenta erectionum; quæ instrumenta, etsi pro parte Rectoris in aliis disputationibus diuersa inter se prætenderentur, dum agitaretur de præseruatione decimarum facta in ipsa erectione; hodie tamen cessat obiectum, quia ex ipsa declaratione Congregationis; non autem ex instrumento sunt præseruatæ decimæ, nisi de illarum assignatione appareat.

Nec est intelligenda eadem declaratio, prout interpretantur informantes pro Rectore, vt scilicet Ecclesia matrix teneatur probare decimas ad se pertinere, & quòd eas exegerit, quia neque hoc legitur in contextu illius, neque iuri conuenit, cùm absque alia probatione habeat fundatam intentionem in decimis intra limites suæ parochiæ, *cap. fin. de parochiis, cap. cùm contingat. cap. cùm in tua, de decimis*, & abundè fuit comprobatum in aliis decisionibus suprà relatis. 4

Et quatenus dicatur probari decimas ad eandem matricem non spectare, ex eo quòd ista decima diuidenda sit in octo partes, quarum tres pertinent ad Canonicos Decumanos, aliæ tres ad Rectorem S. Stephanini, duæ verò quæ est minor pars ad Ecclesiam Sancti Donati, vt ex sententia, & aliis iuribus datis in summariis. Hoc videtur sublatum ex reuocatione eiusdem sententiæ de partibus sequutæ in Curia ab A. C. ad instantiam ipsorum de Moronis, quæ siue obstet Decumanis, & Rectori S. Stephani in vim rei iudicatæ, siue ipsis Moronis tanquam ex iuribus ab eis impugnatis, vtroque casu iuuari non possunt ad retardandum processum, quia res iudicata est exceptio litis finitæ, & facit ius inter partes. *cap. cùm inter, de re iud.* Alex. *cons. 39. col. 2. nu. 23. vol. 6.* & plenè comprobat Surd. *cons. 61. num. 2. lib. 1.* & ex eo quod quis nisus est impugnare, non debet fructum consequi. *reg. ex eo. de reg. iur. in 6. cap. cùm olim*, vbi Abb. *num. 6. de censib.* Surd. post alios *cons. 136. num. 29. vol. 1.* 5

Non obstat quòd Rota resoluerit non solùm istas decimas spectare ad Ecclesiam S. Donati, sed etiam ad Canonicos eiusdem Ecclesiæ, vt in decis. 27. Iunij 1612. quia motiuum decisionis, si bene percipiatur, non est separare, aut distinguere iura Canonicorum à iuribus Ecclesiæ, sed vt decimæ ad Canonicos ratione seruitij Ecclesiæ pertineant, ex quo de fructibus illius viuere debent. gloss. *in cap. si propter, in vers. speciali gratia, de rescript.* Cassad. *decis. 19. de præbend.* Verall. *decis. 306. num. 5. part. 3.* atque ita benè conueniunt inter se quòd decimæ pertineant ad Ecclesiam, ac etiam ad Canonicos beneficiatos in eadem Ecclesia ratione seruitij, vt de illis viuere possint. 6

Et ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Mantuana fructuum. Mercurij 31. Ianuarij 1618.

ARGVMENTVM.

Fructus an, & quando lucretur possessor bonæ, vel malæ fidei, & quid in emente rem litigiosam actionémque, & causam quando variare liceat in eodem, vel diuerso iudicio, & inter easdem, vel diuersas personas.

SVM-

SVMMARIVM.

Bona fides præsumitur in habentes iustum titulum, nu.1. vers. ratio fuit.

Bonæ fidei possessor lucratur fructus, etiam quòd non habeat titulum, quia sufficit qualis qualis occasio possidendi, etiam non probata bona fide, dummodo mala fides non adsit, ibid.

Fructus non lucratur is, qui contrahit contra iuris resistentiam, num.2.

Emens rem litigiosam, nunquid facit fructus suos, ibid. & seqq.

Litigiosa res non dicitur post extinctam litem per tres sententias exequutioni mandatas, num.3.

Variare actionem in diuerso iudicio licitum est, num.4. præsertim quando variatur, non quoad actionem, & causam, sed quoad personas & alias, ibid.

DECISIO DCVIII.

1 IVxta formam nouæ commissionis in hac causa præsentatæ pro fructibus quos D.Æmilia prætendit contra D.Lauiniam, & alios tertios possessores, dedi dubium, an D. Lauinia & alij tertij possessores teneantur ad dictos fructus, & à quo tempore? & Domini responderunt deberi fructus ab anno 1599. tantùm, quo fuit contra eos lis mota, non autem antea.

Ratio fuit, quia ante dictum tempus D.Lauiniæ, & alij tertij possessores habebant iustum titulum, ex quo præsumitur bona fides. §.*si quis à non domino*, vbi Ang.*num.1.Inst.de rer.diuis.*cum aliis per Rotam Bononien.apud Barz.*decis.53.num.34.* qui tamen titulus nec requiritur ad effectum lucrandi fructus. Bart.*in l.sed etsi, §.scire, num. 2.ff. de pet. hæredit.* sed sufficit qualis qualis occasio possidendi, & quòd non adsit mala fides, etsi non probetur bona. Bald. *in l.initam, col.2.vers.modò quæritur.C.de donat.* Surd.*decis.25.n.5. & decis.211. num.7.* & fuit dictum sæpe in Rota, & signanter in hac causa 20.Iunij 1616.& bona fides in possessione regulariter præsumitur. Bart. *in dicto §. scire.*Gabr.*cons.108.num.3.lib.1.*

2 Nec obstat quòd quando lex ab initio resistit contractui acquisitionis rei, ex qua fructus percipiuntur, tunc non habeat locum regula quòd bonæ fidei possessor non faciat fructus suos, vt per Bart.*in dicto §.scire, num.4.* Boër.*decis.98.num.3.*cum aliis allegatis, & propterea cum alienationi per D. Carolum factæ tanquam de re litigiosa lex resistat, Lauinia, & alij tertij possessores non fecerint fructus suos, quia præter id quòd conclusio procederet data scientia litis in emptoribus quæ non probatur, & sic isti possessores allegantes errorem facti excusantur à restitutione fructuum, quamuis ex sola ignorantia iuris non excusarentur secundùm distinctionem. tamen Bart.*in dicto §.scire, num.4.* Curt.sen.*cons.71.sub num. 14.in fin.vers.& multo magis.* Couarr. *lib.1.variar.resolut.cap.3.sub num.8.vers.potest etiam*, &c. cessat difficultas, quia cùm prætensa lis penderet super spolio, & sic super possessione tantùm, res non propterea dicebatur effecta litigiosa, adeò, vt non posset alienari, cùm ad hunc effectum requiratur vt lis moueatur super dominio, & actione reali agatur. gloss.*in cap.1.*vbi Abb.*num.5.*& alij communiter, *de confirm. vtil.vel inutil.* Cassad. *decis.6. num.2.de rescript.* cum aliis per Lancellot. *de attentat. lit.pend. cap.4. in præfat.in 15.limit.nu.579.& seq.*Hond.*cons.20.n.31.lib.1.*

Addebant nonnulli ex Dominis aliàs fuisse dictum in hac causa 10. Decembr. 1617. alienationes fuisse factas post extinctam litem per tres sententias executioni demandatas, & quòd cessauit omnis fraus & dolus, tam in D.Carolo alienante, quàm in emptoribus, sed tamen ille fuit discursus quoad hanc partem, & non decisio, vt apparet ex lectura: tenentur autem D.Lauinia, & alij possessores ad dictos fructus ab anno 1599. à quo tempore fuit etiam contra ipsos motum iudicium, cùm exinde fuerint in mala fide.gloss.*in cap.1.de restit.spoliat.dicto §.scire, si quis à non domino, in fin.Instit.de rer.diuis.*cum aliis per Menoch. *de recup.remed.1.num.412.* 3

Nec obstat quòd cùm D. Æmilia obtinuerit condemnari D. Carolum ad dictos fructus, non possit ampliùs variare ex allegatis, quia vltra quòd sumus in diuerso iudicio, quo casu licita est variatio. Bart. *in l.Papinianus, §.sed nec impuberis, num. 2.ff.de inoff. testam. & in auth. Item possessor. num. 5.* qui allegat ad hoc bonas gloss. *C. qui pot. in pign. hab.* & sic cessat fundamentum decisionum, quia non agitur nunc ad istos fructus vigore sententiæ latæ contra D. Carolum, nec executorialium, sed vigore nouæ commissionis. Respondebatur etiam quòd obiectum procederet quo ad actionem & causam, secus autem quoad personas, circa quas permittitur variatio. Ruin.*cons.12.num.9.lib.4.*Hoc autem casu intentatur idem remedium possessorium pro fructibus contra diuersas personas, quo casu electio vnius antea facta non præiudicat. Bart.*in l.1.§.vnde quæritur, ff.de publ.* cum aliis per Gabr.*de act.conclus.2.num.19.* Præsertim quando electio, vt hîc, non habuit plenarium effectum excusationis, nec per eam creditor fuit integrè satisfactus. Surd. *cons.413. num.17. lib.3.* stante potentia aduersarij, quæ etiam fuit considerata in hac causa 20.Maij 1611.coram me. 4

Et ita fuit decisum, &c.

REVERENDISSIMO P.D. PIROVANO.

Anconitana Saluiani interdicti. Mercurij vlt. Ianuarij 1618.

ARGVMENTVM.

Saluiano interdicto vt locus sit, quæ requirantur. Exequutiuum iudicium non datur contra tertium possessorem, & fructibus non liquidatis, bonáque fideicommissaria remanent semper obligata pro restitutione dotis, etiam in præiudicium vocatorum.

SVMMARIVM.

Saluiano interdicto vt agi possit, doceri debet de potiori hypotheca, & de credito certo, num.1.

Fideicommissario competit Saluianum interdictum ad effectum obtinendi immissionem in bonis fideicommisso subiectis, num.2.

Fideicommissaria bona ante restitutionem semper remanent obligata pro restitutione dotis, etiam in præiudicium vocatorum, ibid.

Euictionis actio quem obligatum tenet, eundem agentem repellit exceptio, num.3.

Hypotheca anterior præfertur posteriori, num.4.
Possessor præsumitur percepisse fructus rei quam possidet, ibidem.
Exequutiuo iudicio non est locus ante liquidationem fructuum, ibid.
Cessionario obstant exceptiones quæ opponi possent contra cedentem, num.5.
Exequutiuè agi non potest contra tertium possessorem, ibidem.

DECISIO DCIX.

1 Dictum fuit Iulio Cæsari soli informanti non esse dandam immissionem in bonis Octauiani eius fratris præmortui in præiudicium D.Doralicis, quæ possidet ex eodem remedio Saluiani,& de dote sua excepit, quia non docet de potiori hypotheca, neque de credito certo, quæ sunt præcipua in hoc iudicio Saluiani. *l.1.* vbi Bart.&alij, *de Saluian.interd.* idem Bart. *in l.rem alienam,num.5.ff.de pign.act.* Gabr. *cons.46. num.21. vol.1.* Rota *decis.44. num.5. part.1. diuers.* & de potiori hypotheca fuit resolutum in Placentina Saluiani 16.Iunij 1589. coram bon. mem. Cardinali Mantica, & de credito certo, & liquido ponit Aretin. *in §.item Seruiana, in fin.de act.* & decisio Maceraten.domus 17.Iunij 1601.coram Illustr. Mellino.

2 Quoad bona Puluerigij in territorio Anconæ sub vinculo fideicommissi Hieronymi proaui, & si vocatis competat hypothecaria,& per consequens Saluianum pro adipiscenda illorum possessione, *l.1.C. de Saluian.interd.* Aretin. *in §.item Seruiana,num.8.de act.* tamen pro dote constituenda, ac restituenda semper in præiudicium vocatorum ante restitutionem remanent obligata. *auth.res quæ,C.com.de leg.§. quamobrem. auth. de rest. & ea quæ par.in vnd.mens.* & plenè comprobant Menoch. *præsump.189. num.6. & 16.lib.4.* Thesaur. *decis.192. num.3.*

3 Si autem de bonis Bonifacij aui materni agatur, quæ pariter fideicommisso supposita reperiuntur, eadem exceptione tueri potest D.Doralix, donec de dote fuerit satisfacta: vltra quòd quæ bona ex hæreditate Bonifacij peruenerint ad Octauianum, adhuc non constat, & in medietate prædij Montis Torti venditi per eundem Comitem Iulium Cæsarem eidem Octauiano tanquam de hæreditate Bonifacij nullum potest constitui fundamentum, quia semper obstat promissio eiusdem Comitis Iulij Cæsaris in casu cuiuscunque fideicommissi, tam contrahentibus cogniti, quàm incogniti pro manutentione, & conseruatione contractus venditionis, itaut quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio. *l.vendicantem,ff.de euict.l.cùm à matre,C.de rei vend.* Surd. *decis.99.num.10.*

4 Ratione autem proprij, & immediati crediti pro residuo pretij bonorum Montis Torti eidem Octauiano venditi ante matrimonium contractum cum D.Doralice, nisi alia obstarent, immissio non videretur deneganda, quia de credito, & anteriori, ac expressa hypotheca,& possessione Octauiani ex eodem instrumento venditionis constat, nec D.Doralici aduersùs expressam anteriorem hypothecam competere potest aliquod priuilegium. *l. assiduis,* cum gloss. *C.qui pot.in pignor. hab.* Cæterùm omissa etiam exceptione nullitatis contractus prædicti vti contra Bonifacij fideicommittentis expressam prohibitionem de non alienando celebrati, visum est Dominis creditum residui pretij, & si quæ alia sunt ex eodem instrumento, non esse certa, & liquida, quia informantes præsupponunt Comitem Iulium Cæsarem etiam nomine Sfortiæ eius filij adeptum fuisse possessionem bonorum ex fideicommisso Hieronymi, quæ possidebantur pro Octauianum, & ad eos spectabant vigore substitutionis, & eodem modo intrasse possessionem alterius partis prædij Montis Torti vigore fideicommissi Bonifacij, & purificatam conditionem prædecessus Octauiani sine filiis, præsupponunt etiam, & admittunt Comitem Iulium Cæsarem fructus pro tempore possessionis percepisse: vltra quòd consequentia est necessaria, si possedit; ergo percepit. *l.Iulianus.§. ex vendito.ff. de act.empt.* Natta *cons.384.num.2.* Seraph. *decis.1245. num.6.* dum autem fructus prædicti sunt excomputandi, creditum non est certum, & liquidum, quia tanto minus est in debito, quanto plus est perceptum, & ante liquidationem non est locus iudicio exequutiuo. *l.hoc autem.§.1.ff.ex quib.caus. in poss.eat.* & latissimè comprobat Surd. *cons.248.num.13.& cons. 410.num.59. & 60.* & quòd necessaria sit crediti distinctio quoad quantitatem, firmatum fuit in Maceraten.domus 17. Iunij 1601.coram Illustriss. Cardin. Mellino.

5 Demum si contendat Comes Iulius Cæsar sibi deberi immissionem vigore cessionis anterioris crediti Francisci Triumphi,obstat eadem exceptio perceptionis fructuum,per quam omnia credita incerta redduntur ratione quantitatis, & vlteriùs contra cessionarium obstant exceptiones quæ obstant, & opponi possunt contra cedentem. *cap. is qui in ius,* vbi Dyn. *de reg.iur.in 6.* Thesaur. *decis.221.nu.1.* Surd. *cons.333.num.16.* Afflict. *decis.74.nu.3.* & ibi Vrs. *nu.7.* sed aduersùs Triumphum opponi poterat ex parte D. Doralicis contra eum vti tertium possessorem exequutiuè agi non posse, sed ordinariè iustificato credito, & per conformes sequuta declaratione, ex quo obligatione Triumphi nō erat obligatione Camerali validitata;ergo eadem exceptione potest repelli Comes Iulius Cæsar,& sibi imputet,si acquieuit iudicio exequutiuo, & passus sit exequutionem in capitali, & fructibus census per Triumphum prætensis.

Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Pragen.matrimonij. Mercurij vlt. Ianuarij 1618.

ARGVMENTVM.

De probatione matrimonij multa singularia in hac decisione explicantur,& quòd in parochiis, in quibus Concilium Tridentinum non est publicatum, valet etiam contra formam d. Concilij celebratum.

SVMMARIVM.

Matrimonium leuioribus probationibus probatum censetur, quando agitur non ad ipsum dirimendum, sed ad effectum legitimitatis, num.1.
Matrimonij subsequuti non leuis est præsumptio præcedens promissio deducendi in vxorem, num.2.
Matrimonium satis probatum censetur ex attestatione parochi, num.3.

Matri-

Matrimonium probatur per testes deponentes super facto matrimonij in eorum præsentia, ibid.

Matrimonium probatur partium confessione, num.4.

Matrimonium contractum contra formam sacri Concilij Tridentini inualidum est tantummodo in parochiis, in quibus Concilium fuit publicatum, non vbi de publicatione non constat, num.5.

DECISIO DCX.

1 Censuerunt Domini constare de matrimonio ad effectum legitimitatis prolis, qui est præsens, de quo quæritur. Quia dum aliud non impugnatur, nec ad ipsum dirimendum proceditur, sufficit probatio ordinaria, Dec. *cons.163. num.13.* & fuit firmatum in causa Papien. matrimonij 1. Iunij 1594. coram Illustr. Cardin. Mellino, & vlterius leuiores probationes admittuntur. Innoc. *in cap. ex parte, num.4. de restit. spol.* Cardin. Seraphin. *decis.978. num.3. & decis.1099. num.1.* & in causa Venetiarum legitimationis plenè fuit firmatum 30. Ianuarij 1606. coram bo. me. Pegna.

2 Et ad hunc effectum superabundant probationes, quia matrimonio præcesserũt promissiones D. Adami Eck Popilij à Lobkouiter, de ducendo D. Esther. à Wressouitz in vxorem, vt ex chirographo recognito, quæ multum conferunt ad probationem postea contracti matrimonij. Natt. *cons.250. num.3.* & Rota sæpe approbauit hanc coniecturalem probationem, vt in Papien. matrimonij suprà allegata, & coram Cardin. Seraph. *decis.978. num.1.*

3 Exinde datur attestatio parochi de matrimonio inter has partes contracto, cum subscriptione, & sigillo eiusdem parochi, & testes deponentes super facto matrimonij, ac præsentia, qui parochus potest dare fidem absque Notarij attestatione. Sanchez *de matrim. lib.3. disp.15. in fine*, & testes iustificant eius attestationem, Dec. *cons.163. num.1.* Caputaq. *decis.205. part.2.*

4 Concurrunt præterea post sequutum matrimonium confessiones iteratæ ipsius Adami ex chirographis recognitis, quæ sufficiunt pro probatione contractus iam perfecti. gloss. *in cap. super eo. vers. confessionem, de eo qui cogn. consanguineam vxoris suæ.* Card. Seraphin. *decis.156. num.2.* demum sequuti sunt tractatus tam Adami patris filij superstitis, quàm Ladislai aui, & reputatio, ac fama nobilium personarum de matrimonio contracto, & quòd filius esset legitimus, quæ implent omnem necessariam probationem, *cap. illud de præsumpt.* Dec. *cons.163. num.2.* Seraph. *decis.156. & 1099.*

5 Nec prædictis obstare poterat omissio formæ traditæ per sacrum Concilium Tridentinum *sess.24. c.1.* quia exceptio prædicti defectus videtur posse obiici tantummodo parochiis, in quibus Concilium fuit publicatum, vt idem Concilium *in fin. cap.* innuere videtur, & tradunt Nauarr. & alij per Sanchez allegati *disp.18. lib.3.* non autem in præsenti, in qua de publicatione non constat.

Et ita, &c.

R. P. D. SACRATO.

Vasconen. Capellæ. Mercurij 31. Ianuarij 1618.

ARGVMENTVM.

Possessio probata per instrumentum alio non possidente sufficit ad manutentionem, & Episcopi attestationi factæ in actu visitationis super qualitate beneficiorum maximè standum est.

SVMMARIVM.

Possessio ad effectum manutentionis probatur per instrumentum alio non possidente, num.1.

Possessorium manutentionis non impeditur per exceptionem concernentem petitorium, num.2.

Ecclesiæ libertas habet præsumptionem pro se, ibid.

Episcopi assertioni super qualitate beneficij credendum est, quia præsumitur informatus de beneficiorum qualitate, præsertim factæ in visitatione, ibid.

DECISIO DCXI.

Ioanni Ludouico dandum esse mandatum de manutenendo in possessionem Capellæ de qua agitur, fuit tentum, quia de eius possessione constat ex instrumento anni 1611. quod instrumentum, alio non existente in possessione, probat possessionem, & ad effectum manutentionis, *l. non idcirco*, cum ibi notat. *C. de fid. instrum.* Honded. *cons.86. num.30. lib.2.* Cæsar de Graff. *decis.5. num.1. de caus. possess. & propriet.* Rota *decis.62. num.1. part.2. diuersorum, & decis.6. num.1. part.1.* & in Illerden. beneficij quinta Iulij 1608. coram me. 1

Non obstat, quòd Capella sit Oratorium priuatum annexum castro, quia fuit responsum hoc concernere petitorium, ideoque non posse retardare manutentionem, per ea quæ adducuntur per scribentes, *l. fin. C. quorum bonor.* Menoch. *de adipiscen. remed.3. num.180.* Rota *decis.627. num.3. part.1. diuers.* Maximè quia tantum abest quòd probetur vt probari deberet, quæ præsumptio est pro libertate Ecclesiæ. Præposit. *in l. imperium, distinct. 10. & in l. lectis, distinct.63.* Roch. de Curt. *tract. de iur. patronat. verb. Ecclesia, quæst.1. num.1.* quòd potiùs datur magnus fumus de contrario, nempe quare capella sæpiùs impetrata tanquam annexa parochiali, vt in summario Ioannis Ludouici *num.1. & 2.* fuit tentum in Ferretina spolij 12. Iunij 1615. coram R. P. D. meo Vbaldo; accedente maximè attestatione ordinarij de anno 1594. cui videtur multum deferendum tanquam informato de qualitate beneficiorum suę diœcesis, Seraphin. *decis.1026. num.3.* Et tanto magis, quando, vt in proposito casu, emanant in decreto visitationis. Caputaqu. *decis.258. part.2.* & fuit dictum in Tuden. parochialis 7. Nouembr. 1615. coram eodem R. P. D. meo. 2

Et non subsistit in facto quòd illud decretum fuerit reuocatum 5. Iunij 1613. quia reuocatio non loquitur de visitatione facta anno 1594. sicut & visum fuit non probari in facto quòd possessio capta à Ioanne Ludouisio, fuit capta lite pendente & existente Claudio præsentato à Domino loci in possessione Capellæ, quia nullibi fuit probata lis de illo tempore, nec possessio D. Claudij, & appellatio interposita nomine dicti Claudij à decreto manutentionis lato per Auditorem Generalem Auenionen. visa fuit nihil releuare. Tum quia non constat de mandato appellantis, tum maximè quòd Ioannes Ludouicus non fundat suam manutentionem in dicto decreto, sed in instrumento adeptæ possessionis, de qua suprà. 3

Similiter fuit dictum non obstare prætensum de- 4

fectum integræ transportationis actorum, cùm talis defectus non probetur, & acta præsumuntur integrè transportata, & quod dicitur deficere acta facta coram Rota Auenionen. visum fuit non releuare, cùm non probetur quòd causa fuerit ibi actitata, & deuentum ad confectionem actorum, sed potiùs fuisse auocatam à sacra Congregatione Episcoporum. Ideo satis fuit esse transportata acta facta coram Auditore legationis Auenion. & ita etiam fuit dictum non obstare prætensum defectum transportationis actorum in sacra Congregatione super Episcopis ad Rotam, quia sacra Congregatio non solet producere iudicialiter, & non nulla quæ fuerunt ibi producta, apparent transportata ad Rotam, vt ex fide not. de qua in summario Ludouici *num.7.*

R. P. D. VEROSPIO.

Perusina laudi. Mercurij 7. Februarij 1618.

ARGVMENTVM.

De solutione dotis integrè facta quòd probetur per testes deponentes de visu, & de certa scientia, qui licèt aliquas patiantur exceptiones, supplentur tamen ex numero & integritate aliorum testium.

SVMMARIVM.

Dotis solutio probatur per testes deponentes de visu, & certa scientia, num. 1. in fine, & num. 2. vbi etiam quod dicti testes probant etiam solutionem integræ dotis, & num. 6.

Testes in dubio præsumuntur contestes, num. 3.

Testium inhabilitas suppletur ex numero, & integritate aliorum testium, num. 5.

DECISIO DCXII.

1 QVondam Vincentius Salucius de anno 1601. Raphaëlam filiam suam cum dote scut. 2000. nuptui tradidit Ioanni Francisco Suro, qui fuit in instrumento dotali confessus eam recepisse, & cùm nihilominus adhuc ad dotem ageret, causa per me sub die 1. Iulij 1616. Ioann. Francisco solùm informante proposita, Domini censuerunt solutionem ex dicta confessione non probari tanquam illa esset alteri correspectiua, per quam idem Vincentius fuit confessus à Iacobo Ioann. Francisci patre similem dotem recepisse pro Iosepho filio suo, qui Franciscam dicti Iacobi filiam in vxorem ducere promiserat. quo matrimonio postea non subsecuto, visæ fuerunt Dominis huiusmodi confessiones inuicem correspectiuè, & ita de solutione per eas non constare; verùm ad hoc remouendum obiectum fuerunt pro parte Iosephi multi testes in partibus ad probandum dotis solutionem Ioann. Francisco factam examinati, ex quibus fuit hodie resolutum à decisis esse recedendum; dicta enim solutio benè probatur ex pluribus testibus de visu & certa scientia de illa deponentibus. Bald. *consil. 10. nu. 2. & seq. lib. 5.* Rom. *cons. 104. num. 5.*

2 Nec releuat eosdem testes de integræ dotis solutione non deponere, quia stante Francisci confessione per testes probata quòd ipse fuisset plenè satisfactus: iuxta dictam confessionem præsumitur eundem integram dotem habuisse. Berous *cons. 576. nu. 10.* Dec. *respons. 76. num. 18. lib. 3.* Couarr. *variar. resolu. lib. 1. cap. 7. num. 6.* Rota *decis. 155. part. 2. diuers.*

Præterea de totali satisfactione constat ex primo, 11. & 14. testibus, qui contestes præsumuntur. Dec. *consil. 650. num. 8.* Crauett. *consil. 151. num. 150.* Osasch. *decis. 99. num. 28.* Rota *decis. 191. num. 4. part. 1. diuers.* Nec valet dicere huiusmodi testium depositiones verificari posse in alimentis Ioann. Francisco per Vicentium debitis. nam illi expressè deponunt ad computum dotis pecunias fuisse solutas; & nihilominus pro maiori parte alimenta promissa fuerant in fructibus; quæ verò præstanda veniebant in pecunia ad scut. 21. dumtaxat quolibet anno ascendebant: & tamen ex testibus probatur pecunias fuisse in magna quantitate solutas, vltra quòd hæc alimenta solùm per 4. annos Ioann. Francisco debebantur, & solutiones verificantur vltra dictum tempus. 3

Non obstant articuli dati pro parte Iosephi, in quibus habetur solutiones fuisse factas ab ann. 1601. ad annum 1607. de quo tempore durabant eius dicti Iosephi sponsalia, quòd verisimile non videtur, quia non illi continent factas fuisse solutiones de anno 1601. & successiuè vsque ad annum 1605. intra quod tempus sponsalia durabant; sed ab anno 1601. vsque ad annum 1607. vnde possunt medio tempore, nimirum de annis 1606. & 1607. & sic post dissoluta sponsalia prædictæ solutiones verificari. 4

Non obstant exceptiones contra testes, quia sufficienter tolli videntur per informantes pro Iosepho, & quatenus aliqua remaneret, ex numero testium suppleretur. Alexand. *consil. 99. num. 9. lib....* Roland. *consil. 72. num. 5. lib. 2.* cum aliis per Gabriel. *de testibus. conclus. 6. num. 1.* vel ex aliorum depositione, qui omnino sunt integri. Bald. *in l. si quis ex argentariis, §. cogentur in princ. ff. de edend.* Roman. *cons. 290. num. 7.* Roland. *cons. 19. num. 9. lib. 3.* Gabr. *de testib. conclus. 5. num. 1.* 5

Nec inuerisimilitudo releuat ex eo deducta quòd Vincentius non reportata quitantia dotem soluisset. nam cùm ille quitãtiam haberet in instrumento dotali, mirum non videtur, si eam postea non curauit. Et in omnem euentum inde non posset inferri, quòd per testes vel alio modo solutio dotis probari non valeret. Berous *cons. 40. num. 44. lib. 1.* 6

Non obstat pariter inuerisimilitudo quòd Vincentius dotem soluere voluerit dum aliam similem pro Iosepho filio suo ab eodem exigere debebat. Quia solutiones de quibus deponunt testes, emanarunt post extinctam litem in partibus super Iosephi sponsalibus, & sic postea dissoluta, & ante litem per Ioannem Franciscum in Curia motam super dotis solutione, vnde cessat quòd dicebatur confessionem receptæ dotis ex alterius contemplatione simulatam fuisse. nam vna pro dote per sponsalium resolutionem sublata, locus non erat amplius compensationi, & sic bene postea Vincentius potuit agnoscendo debitum illud extinguere, cùm verè ad solutionem dotis teneretur. 7

R. P. D. COCCINO DECANO.

Calaguritana beneficij de Luna. Mercurij 7. Februarij 1618.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Appellandi termino durante, facta collatio dicitur attentata, & etiam reuocari potest per viam nullitatis.

SVMMARIVM.

Iudicialiter agi dicitur, quando partes citatæ fuerunt, num. 1.

Appellandi termino durante facta collatio beneficij dicitur attentata, ibid.

Appellatio vnius ex consortibus litis prodest etiam adhærentibus, ibid.

Nullitas sententiæ intentari potest etiam quòd ab ea non fuerit appellatum, ibid. in fine.

Interloquutoria sententia habens diffinitiuam, æquiparatur indiffinitiuæ, num. 2.

DECISIO DCXIII.

1 CVm ad prouisionem beneficij de quo agitur, actum fuerit iudicialiter, vt patet ex tenore processus, quia oppositores fuerint citati, & facti similes actus iudiciales, vt fuit consideratum in causa Calaguritana de Ollauari 28. Ianuarij 1604. coram bo. me. Pegna, sequitur collationem factam Andreæ pendente termino ad appellandum esse attentatam, *cap. non solum, de appell. in 6.* cùm aliqui ex oppositoribus appellauerint, licèt non ipse Franciscus, quòd videtur sufficere, cùm illis d. Franciscus adhæreat. Imol. *in l. si quid separatim, §. fin. num. 4. ff. de appell.* Lancell. *de attent. appell. pend. ampl. 11. nu. 6.* & fuit dictum in causa Calaguritana iurisdictionis de Zurbano 24. Maij 1604. coram bo. me. Pegna, & in alia Calaguritana beneficij de Yurre 15 Februar. 1610. coram Reu. Attrebaten. & in alia Calaguritana beneficij de Suaza 1. Iulij 1611. coram Illustr. Ludouisio, vel saltem cùm non fuerit appellatum per Franciscum, dicta collatio debet reuocari per viam nullitatis. Lapus *alleg. 1. n. 11. vers. concludit.* Præposit. *in cap. sæpe contingit, num. 19. de appell.* Cæs. de Graff. *decis. 2. nu. 5. eod. tit. de appell.* & in puncto fuit resolutum in dicta causa Calaguritana de Ollauari, & priùs in alia Calaguritana beneficij 18. Aprilis 1603. coram Illustriss. Lancelloto,

2 Non obstat quòd dicatur de mera interlocutoria, quia nihilominus ad effectum de quo agitur, est habenda ratio huius interlocutoriæ, cùm habeat vim diffinitiuæ, quia facta relatione deuenitur ad collationem. Felin. *in cap. quod ad conclusionem, nu. 20. vers. non obstat. argum. & vers. nam per prædicta, de re iudic.* prout non subsistit, quòd non constet de possessione aduersarij, quia de eo constat ex eius confessione, & sufficit quòd collatio fuerit facta pendente termino ad appellandum, &c.

R. P. D. BVRATTO.

Placentina decimarum de Truxillo. Mercurij 7. Februarij 1618.

ARGVMENTVM.

Vicarius Generalis Episcopi habet ordinariam iurisdictionem, & facultatem deputandi Vicarium foraneum, & quandò possint examinari testes parte non citata, & quomodò.

SVMMARIVM.

Vicarius Episcopi habet ordinariam iurisdictionem, potéstque foraneum Vicarium deputare, num. 2.

Citatio ad dicendum contra articulos, & videndum iurare, habet de stylo Hispaniarum vim citationis examinandi testes, num. 3. & 4. vbi amplius quòd pro citatione sufficit intimatio; & num. 5. vbi de eadem materia.

Argumentum de sententia ad processum valet, nu. 7.

DECISIO DCXIV.

CVm Reuer. D. Episcopus & Capitulum Ecclesiæ Placentin. prætenderent se posse fundare 1
super testibus examinatis in partibus de anno 1601. ad probandum solutiones decimarum personalium eisdem factas per incolas, & districtuales ciuitatis de Truxillo; pro parte verò ciuitatis & districtualium plures opponerentur nullitates contra examen dd. testium; ideo dubitaui, an illi essent nulliter examinati? & Domini vnanimiter tenuerunt examen esse validum.

Nam prima nullitas, quæ ex defectu iurisdictionis 2
Vicarij foranei dictæ ciuitatis deducebatur, sub prætextu quòd causa penderet coram Vicario generali Placentin. sublata fuit ex deputatione Vicarij foranei facta sub die 23. Septembr. 1600. per eundem Vicarium generalem, vt in summario Capituli *nu. 1.* qui cùm de iure habeat ordinariam iurisdictionem, Innoc. Host. Abb. & alij *in cap. tua, de offic. vic.* gloss. *in c. 2. verb. officialem, eod. tit. lib. 6.* Bero. *in rubr. de off. & potest. iud. deleg. n. 2. & cons. 22. n. 34. lib. 1.* Couar. qui de communi, *lib. 3. var. resol. c. 2. nu. 4.* potuit in huiusmodi causa coram ipso introducta Vicarium foraneum deputare. *cap. 1.* & ibi gl. *verb. ipsius,* & Archid. *n. 1. in princ. de offic. Vicar.* Bero *d. rubr. d. nu. 2. in fine.* Vant. *de nullit. ex defect. iurisd. delegat. nu. 25.* Seraph. *decis. 1057. num. 5.* prout & vtraque pars vigore dictæ deputationis coram eo deinde processit, iudicem instruxit, & probationes fecit.

Secundò defectu citationis ad dicendum contra 3
articulos, & videndum iurare, quæ fuit approbata quoad testes examinatos de anno 1588. in alia decisione in hac causa facta sub die 18. Martij 1616. coram me, cessat ex decreto Vicarei foranei sub die 19. Maij 1601. in quo causam recepit ad probandum cum termino communi nouem dierum, & ad dictum effectum mandauit partes citari in dicto summario *nu. 2.* quod fuit sub die 21. & 24. eiusdem mensis Procuratoribus vtriusq; partis intimatum in dicto summario *num. 3.* vnde resultat virtualis & expressa citatio ad dicendum contra articulos, & videndum iurare propter stylum & obseruantiam forensem illarum partium relatam à Suarez del Paz *in eius praxi tom. 1. temp. 8.* cuius formula datur in dicto summario *num. 8.* quam Rota secuta fuit in causa Conchen. decimarum dell'Infantado 18. Maij 1612. coram R. P. D. meo Pirouano, & in eadem sub die 2. Iunij, & 1. Decembris 1614. coram R. P. D. Andrea.

Neque visum fuit Dominis vltra intimationem 4
decreti aliam particularem creationem requiri, ex eo quòd Vicarius in dicto decreto expresè mandauerit partes citari, quia & in formula relata per dictum Suarez iudex expresè mandat partes citari,

& nihilominus ex stylo per Rotam canonizato in supradictis decisionibus pro citatione sufficit intimatio.

5 Prout neque obstare putarunt quòd in commissione examinis facta Notario sub die 30. Iunij Vicarius concesserit facultatem admittendi articulos additionales, super quibus testes debent iurare, & deponere in forma, ita vt propterea ex forma commissionis deberet fieri particularis citatio coram Notario receptore. Nam vltra quòd dicta facultas est restricta ad articulos additionales ac resolutiones, Rota non intellexerit comprehendere examen super illis factum; nihilominus, cùm tantummodo dictum fuerit in dicto decreto quòd testes iurarent in forma, non autem quòd iterum deberent partes citari, sufficit quòd antea iam esset facta citatio, quodque testes deinde iurauerint, & examinati fuerint, vt infrà dicetur in termino, quia prædicta citatio contenta in decreto admissionis causæ ad probandum, & præfixione termini valet pro toto termino. Seraph. *decis.* 1057. *in fine vers. vltima nullitas*, itaut alia citatio necessaria non fuerit, vt fuit dictum in Burgen. fructuum 28. Maij 1590. coram bon. mem. Cardin. Pamphilio.

6 Tertia quòd testes non iurauerint, neque fuerint in termino examinati, fuit sublata ex decretis & prorogationibus datis in dicto summario *num.* 2. 3. 4. & 5. coram me cum processibus verificatis.

7 Quarta verò ex defectu mandati procuræ tam Reu. D. Episcopi, quàm famulorum, & districtualium d. ciuitatis, visa fuit DD. cessare. Nam quoad mandatum Episcopi, quidquid sit eius respectu, sufficit quòd examen sustineatur pro interesse Capituli, quod dedit mandatum procuræ ad hanc litem in d. summ. *num.* 14. & articulauit eius possessionem percipiendi decimas, de quibus agitur: sicuti dicitur de sententia, à qua ad processum valet argumentum, ex trad. per Bart. *in l. cum lite, num.* 6. *ff. iud. sol. & l.* 2. *num.* 12. & 20. *vers. fallit*, & ibi Dec. *num.* 62. & Rip. *n.* 37. *C. de edend.* quæ potest valere quoad vnum, licèt non valeat quoad alium. *l. de vnoquoque*, vbi Castr. *num.* 1. *ff. de re iudic.* Salyc. *in l.* 1. *num.* 4. *C. si aduersùs rem. iudic.* Ruin. *cons.* 75. *num.* 13. *lib.* 5.

8 Quo verò ad mandatum procuræ famulorum d. ciuitatis, constat de mandato dictæ ciuitatis, & aliorum lororum eius districtus in dicto summario *nu.* 17. & 18. vnde quicquid sit, an deberent citari singuli famuli, quibus poterat præiudicari, vel potiùs sufficeret citare communitatem, tollitur difficultas, tum quia incolæ, qui pro communitate dederunt mandatum, promiserunt etiam de rato & iudicatum soluendo pro incolis absentibus; tum quia constat de mandato plurium famulorum loci de S. Cruce in d. summario *num.* 19. & ideo sat est ex prædictis examen sustineri contra citatos.

9 Prout neque tandem putarunt obstare DD. quòd Alphonsus in productione articulorum non asseruerit se Procuratorem, quia immò expresè legitur ipsum comparuisse nomine Episcopi, Decani, & Capituli. Ac denique tanto minus visum fuit obstare prætensas nullitates, quia pars Capituli & litis consortes coram eodem Vicario foraneo, & receptore, & intra eundem terminum, & absque alia citatione ad videndum iurare eodem modo examinauit suos testes, quod summopere attenditur pro examinis validitate, vt considerauit Rota in dicta causa Conchen. decimarum dell' Infantado 18. Maij 1612. coram R. P. D. Pirouano in Auximana tutelæ 16. Februarij 1582. coram bon. me. Rubeo, & Ianuen. pecuniaria 18. Iunij 1612. coram R. P. D. Vbaldo. Ex quibus propterea DD. vtraque parte informante dixerunt examen esse validum, non tamen quoad depositiones testium super articulis additionalibus, super quibus nihil firmarunt.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Romana cessionis. Mercurij 7. Februarij 1618.

ARGVMENTVM.

Contractus cessionis & transactionis quando dicatur resolutus per non obseruantiam illius.

SVMMARIVM.

Hæres tenetur obseruare factum à testatore, nu. 2. in fin.

DECISIO DCXV.

Dubitatum fuit informante solo D. Hieronymo de Grandis filio Leliæ Massæ de Grandis, an intrumenta transactionis, & cessionis factæ inter Matthæum Massam, & prædictam Leliam sit resolutum per pactum resolutiuum contractus in casum non obseruantiæ ex parte Leliæ, & declarationem exinde factam per eundem Matthæum. 1

Et Domini negatiuè responderunt, quia etsi de euictione canonum assignatorum in transactione constare posset, tamen Matthæus acceptando recompensam suæ indemnitatis in canone scutorum 30. pro pretio scutorum 750. ad quam summam ascendebat damnum euictionis passæ, non posset ipse Matthæus si viueret impugnare contractum transactionis, regrediendo ad primæua iura, vnde, & multo minus nunc eius hæredes possunt, qui tenentur factum testatoris obseruare, & sequi. *l. cùm à matre, C. de rei vend.* Bec. *consil.* 24. *num.* 11. Surd. post alios *decis.* 99. *num.* 10. 2

Non obstat actus iudicialiter factus per dictum Matthæum, in quo declarauit molestias sibi illatas per Iulium Iacobillum super canonibus sibi in transactione assignatis, quibus stantibus institit, voluit, & intendit redire ad sua primæua iura iuxta formam instrumenti assignationis bonorum sibi per eundem Lelium facti, ita vt videatur resolutus, nec potuerit reualidari sine consensu Leliæ, & cum solemnitatibus requisitis in contractibus mulierum. 3

Quia ex eodem actu apparet, quòd Matthæus non continuauit in sola declaratione, & voluntate redeundi ad primæua iura, sed in petitione cumulauit pactum indemnitatis cum ipsa facultate instandi ex primæuis iuribus; vnde cùm postea fuerit releuatus per recompensam, & acquieuerit cessare, debuit resolutio tanquam dependens, & subordinata ad casum non præseruatæ indemnitatis, per reg. *cap. cùm cessante, de appel.* & ad eam regulam cumulati per Tiraquell. in particulari tract. *cess. caus. cess. effect.* 4

Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Pampilonen. Capella. Veneris 9. Februarij 1618.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Consanguineorum, seu proximiorum appellatione nunquid veniant spurij, & bastardi.

SVMMARIVM.

Consanguineorum appellatione spurij non veniunt de iure ciuili, & multo minus de iure Canonico, nu.1. declara vt num.2.3.& 4.

Spurij, & bastardi non veniunt in dispositione loquentè per verba naturalia, nu.1. declara vt nu.2.3.4.& 5.

Proximorum appellatione nunquid veniant spurij & bastardi, num.4.

Expressio eorum quæ tacitè intelliguntur, restrictionem non patiuntur, num.6.

DECISIO DCXVI.

1 Decisa in hac causa sub die 6. Nouemb. præteriti hodie partibus denuo informantibus ex eisdem rationibus fuerunt confirmata. quibus.

Primò non obstat quòd si non veniunt bastardi appellatione consanguineorum de iure ciuili, per *l. si spurius, ff. vnde cognati*, & aliis deductis per Hond. *cons.5.n.18.lib.2.* multo minus debent venire de iure Canonico, & in rebus Ecclesiasticis, in quibus dicebatur illegitimos semper excludi, etiam in dispositione loquente per verba naturalia. Rota *decis.705. num.3. part. 1. diuers.* cum aliis allegatis in exemplis bonorum emphyteoticorum, seu feudalium.

2 Fuit enim dictum, quòd ideò de iure ciuili spurij non possunt dici consanguinei, nec agnati, quia tanquam vulgo concepti carent certo patre, à quo oriuntur iura consanguinitatis, & agnationis: propterea non mirum, si ratione incertitudinis sanguinis ex eadem *l. si spurius*, non agnascantur cæteris, neque illis deferatur successio: secus autem quando à testatore agnoscuntur pro consanguineis, vt in præsenti, quia tunc cessante incertitudine quòd ille sit talis, ita spurij, ac bastardi, ac alij quicumque illegitimi sanguine cōiungi possunt, pro vt alij legitimi, quia ab eodem sanguine proficiscuntur, & inspecta natura sunt filij, in eisque cadit affectio naturalis, & per consequens comprehenduntur in dispositione loquente de consanguineis, secundùm Bart. *in l. pronunciatio. §. familiæ, in fin. ff. de verb. signif. & in l. tutelas, nu.4. ff. de capit. dimin.* Abb. *in cap. nonnulli, §. sunt & alij, in fin. de rescript.* Nauar. *cons.4. tit. de iurepatr.* Rota in Tirasonen. eleemosynariæ 4. Nouembris 1603. coram Illustr. Card. Lancellotto, & iterum coram eodem in Ianuen. iurispatr. 12. Februarij. 1607. & in eadem coram R. P. D. Pamphilio 23. Ianuarij 1612. ex quibus benè tollitur consequentia argumenti de iure ciuili ad ius Canonicum, dum ex diuersitate rationis, non benè procedit.

3 Præterea in decisione non fuit præsuppositum, quòd de iure Canonico naturales dicantur capaces, & venire possint ad successionem, prout informantes pro Petro contendunt, asserentes neminem ex allegatis Doctoribus hoc probare, sed quòd nomen consanguinei secundùm ius Canonicum intelligitur pro eo, qui quoquomodo sanguine coniunctus est, vel ex patre, vel ex matre, & quocunque gradu, & sexu contingat, per text. *in cap. tua nos, & c. non debet, consang. & aff. & cap. postremo, de appell.* & Tiraq. *de retract. lignag.* cum aliis ab eo allegatis *in §.1. gloss.9. num.4.* affirmabant communem vsum loquendi recepisse hunc sensum. ex veritate autem conclusionis inferebatur necessitas probationis, vt in vocatione hominis ita dicerunt consanguineis spurius, vel alius illegitimè natus, prout legitimus, quia proprietas verborum non repugnabat, & insuper neque mens fundatoris, & in hunc sansum allegati fuerunt Bart. Abb. Nauarr. qui illationem benè probant.

Rationes autem decisionis 73. p.1. & aliarum quæ allegatæ fuerunt, benè concludunt quando spurius venire vellet tanquam vocatus à lege, vel quando ageretur de contractu facto cum clausula, vel etiam si ipsemet bastardus vellet succedere, quæ singula habent suas particulares rationes, quarum discussio in præsenti non est necessaria, quia versamur in casu longè diuerso, ex quo Didacus venit vocatus ab homine ex persona propria tanquam legitimè natus quamuis à patre illegitimo, non autem tanquam vocatus à lege, vel ex contractu facto cum Ecclesia, quo casu illi sufficit, ne à proprietate verborum excludatur, vt dictum fuit in prima decisione, vbi etiam fuit responsum non obstare, quòd testator vocauerit consanguineos proximiores, quia si nomen consanguinei latè accipitur prout ius Canonicum intelligit, & communis vsus loquendi determinat; qualitas illa proximioritatis regulatur à nomine consanguinei, vt ex illis proximior præsentetur, non autem determinabit consanguineum, prout stricta interpretatio desiderat. 4

Non obstat quòd cùm pater Didaci, nedum sit naturalis, sed etiam spurius ex damnato coitu, qui non comprehenditur in dispositione, etiam si per verba naturalia fundator loquutus fuerit. Hond. *d. cons.5. nu.33. lib.2.* Peregr. post alios *d. art.22. num.81.* Quia si verè pater Didaci non fuisset nominatus, & honoratus in testamento, bene posset esse locus præsumptioni, quæ aduersatur huiusmodi generi personarum, quippe quæ sint odibiles, & extra mentem disponentium; secus verò quando de personis habetur notitia, & honorantur, vt in præsenti fuit factum de patre Didaci, quia tunc cessat præsumptio odij à lege considerata, ita vt in proprietate verborum non cadat impedimentum. 5

Et si dicatur quòd mentio facta de patre Didaci potiùs denotet quòd testator non intellexerit illum comprehendere sub nomine consanguinei, propter discretiuum sermonem in libeiādo genericam consanguinitatem à redditione rationis, & in speciem naturalem illum, ex quo arguitur diuersitas comprehensionis, vt per Gabr. *de verb signif. concl.1. nu. 81. & 93.* euitatur benè obiectum, quia vltra ea quæ dicta sunt ad maiorem declarationem, quasi exprimendo ea quæ tacitè insunt, non debent operari restrictionem; sufficit Didaco patrem suum fuisse cognitum, & honoratum à testatore, vt inde tollatur præsumptio exclusionis à proprietate verborum naturalium, ex quibus suam vocationem deducit. 6

Et ita, &c.

R.P.D. BVRATTO.

Aretina Capellania. Veneris 9. Februarij 1618.

ARGVMENTVM.

Lite pendente super beneficio ligatæ sunt

manus Ordinarij in illius collatione per mortem vnius ex litigantibus, nisi lis fuerit calumniosè mota, vel liti fuerit renunciatum.

SVMMARIVM.

Procurator præsumitur certiorasse dominum suum ex cursu sex annorum, num.3.

Beneficium litigiosum Ordinarius conferre non potest mortuo vno ex litigantibus, nu.2. declara vt nu.5.

Lis dicitur extincta per cessionem, & renunciationem, num. 2.

Lis calumniosa non facit beneficium litigiosum, & ideò ad redimendum se à vexationibus, & molestiis potest vnus litigans alteri expensas soluere, num.4.

Litem fuisse derelictam per non persecutionem ex cursu sex annorum satis arguitur ad effectum, de quo nu.3.

DECISIO DCXVII.

1 MArcellus à prætensis patronis laicis præsentatus ad Capellaniam, de qua agitur, de anno 1600. liti renunciauit, omniaque sua iura ad fauorem q. Camilli vti de libera à Sede Apostolica promisi, & collitigantis cessit cum possessione subsecuta, in qua dictus Camillus obiit de mense Iunij 1612. Cumque Ordinarius Aretinus illam vti liberam, & in eius mense vacantem contulisset Vincentio; Marcellus autem à Sanctissimo obtinuisset mandatum de prouidendo, cum subrogatione gratiosa in iuribus tam d. Camilli, quàm q. Nicolai prædecessoris cum clausula verificato, quod de iurepatronatus ex fundatione, vel donatione existeret, causaque super inde inter eos orta ad Rotam deuoluta, factaque sub die 18. Maij 1616. resolutione non constare de iurepatronatus, fuit pro parte dicti Marcelli exhibita gratia *si neutri*, propositoque sub die 19. Iunij præteriti dubio, an dicta gratia esset iustificata, & resolutione dilata, DD. in hac secunda propositione dixerunt non esse iustificatam, præsertim in eius principali fundamento, scilicet quoad non ius Vincentij, cùm constare visum fuerit de eius iure ex dicta collatione Ordinarij, ad quem spectabat, cùm vacatio successerit in eius mente, vt suprà.

2 Cui collationi nullum præstitit impedimentum lis orta inter dd. Marcellum, & q. Camillum, per quam manus Ordinarij ligantur, *cap.2. vt lit.pend.in 6. & Clem. 1. eod. tit. cum vtrobique not.* quia ex dicta cessione, & renunciatione Marcelli aliàs ad fauorem d. q. Camilli facta, fuit extincta, *c.1. de lit.contest. in 6.* Imol *in Clem.1.num.23. vt lit.pend.* Put. *decis.487. lib.2. in nou. impress.* Lancell. *de attent. c.4. in præfat. nu.* 243. & 248. Paris. *de resign. lib.2. quæst.3. num.*17. Ita vt Ordinarius potuerit conferre. Lancellot. *vbi suprà c.3. n.* 111. & dixit Rota in Conchen. Archipresbyteratus 27. Februar. 1589. coram bo. me. Card. Platto.

3 Nec obstare dicebatur, quòd cessio fuerit conditionalis, refectis scilicet Marcello expensis litis inter partes taxatis ad scut. 55. nec non obtento beneplacito Apostolico; nam quo ad expensas litis constat de illarum solutione, & exactione per Procuratorem eiusdem Marcelli, cuius mandatum datur in summario Vincentij *num.* 1. cum facultate recuperandi omnia, & quæcunque credita, qui pecunias exegit à Cosmo depositario, vt d. summ. *num.2.* ex illisque scut. 25. soluit Equ. Francisco fratri Marcelli, alia verò scut. 30. erogauit in redemptionem pignorum eiusdem Marcelli, vt dicto summario *num.3.* cuius quidem scientia valdè verisimilis visa fuit DD. tum quia præsumitur certior factus à d. Procuratore ex cursu tanti temporis, cùm per sex annos subsequentes vsque ad obitum Camilli siluerit, iuxta *cons.* Rom. 481. *num.* 8. *vers. igitur,* ex præmissis sæpius à Rota approbatum, vt *in decis.396. num.3. part.1. & 131. num.7. part.2. diuers.* & in Pistorien. beneficij 16. Nouembris 1615. coram me. Ex quo etiam satis clarè arguitur animus ipsius non prosequendi ampliùs litem, qui videtur sufficere ad hunc effectum. Cassad. *decis.5. num.4. vt lit.pend.* gloss. *super 27. reg. de subrog. in 2. & 3. part. vers. diceret tamen aliquis.*

Quo verò ad beneplacitum Apostolicum ex dicta solutione, & receptione expensarum, videtur ab hac conditione hinc inde recessum, prout recedi potuit, quia illud non videbatur necessarium, cùm Camillus tanquam bonum ius fouens, vt ex dicta resolutione quòd Capellania non erat de iurepatronatus, potuerit ad redimendas vexationes soluere Marcello ipsum iniustè molestanti dictas expensas litis, gloss. *in cap. dilectus, il 1. in ver. recepit, de simon.* & ibi Anch. *in 2. not. & num. 2. vers. dic quod quandoque.* Butr. *num.2. in 1. not. & num.3. vers. oppon. gloss. 5.* idem Anch. *in c. super eo, in 4. not. de transact.* vbi Butr. *num.4.* Abb. *num.3.* Imol. *num.5. vers. potest etiam, & vers. ex pacto autem, & in cap. statuimus, eod. tit.* tradunt. Butr. *num 2. in fin. vers. dic tu,* & Imol. *num.3. vers. si verò petitur, & in cap. cum pridem, de pact.* post gloss. *ibi, in verb. illicitè,* idem Butr. *num.16. vers. si verò non est.* Collectar. *in c. forus, num.25. vers. ex quo apparet, de verb. signif.* Sarn. *in reg. de annal. qu.2. num.4. vers. & quamuis in beneficialibus,* Nauar. *consil. 64. de simon.* Paris. *de resign. lib.14. qu.3. num.7.* & superioris auctoritas non requirebatur, Paris. *eod. tract. lib.7. quæst.1. num.*104. cum adductis per Modern. Hispan. *de benef. p.11. cap.3. de renunc. num.*249. 4

Aliquibus etiam ex DD. videbatur huiusmodi litem, vti ius non habente iniustè, & calumniosè motam, impedire non potuisse collationem Ordinarij, Lap *in c.1. num.2. in fin & seq.* & ibi Gemin. *col.2. vers. quærit Lap. vt lit.pend. in 6.* Guido Pap. *decis.479. n.2.* Cassad. *decis.7. nu.2. de dol. & cont.* Bisign *decis.2. in fin. de rer. permut.* Crete. *decis.19. n.1. & seq. de prob.* etiamsi ex statu præsenti de iniustitia, & calumnia constet, Cassad. *d. decis.7. nu.2.* & fuit dictum in Cæsaraugustana parochialis de Maëla 18. Aprilis 1616. coram Reuerendiss. D. meo Decano. 5

Ex quibus resolutum fuit gratiam non esse iustificatam.

R.P.D. DVNOZETTO.

Romana affictus. Lunæ 12. Februarij 1618.

ARGVMENTVM.

De locatore, qui promisit manutenere conductorem in sua possessione, quæ impedimenta remouere teneatur, & non remouendo, an sit obligatus ad damna, & interesse, & de exceptione non adimplementi nonnulla notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Exceptio non adimplementi obstat agenti non adimplenti pro-

ti promissa in contractu, num.2.& 3. vbi an talis exceptio opponi possit post exequutionem contractus re ab initio liberè tradita.

Promissio, seu concessio quæ habet actum successiuum, debet durare toto tempore conuento, aliàs promittens non dicitur satisfecisse promissioni, num. 3.

Promittens manutenere conductorem in possessione rei locata, ad quid teneatur, ibid.

Locator tenetur remouere omnia impedimenta conductori facta, etiam sine culpa, & facto suo, aliàs tenetur ad damna & interesse, nu.4.

Melioramenta facta fuisse vbi constat, debent liquidari per prætendentem illa, nu.5.in fine.

Exceptio non adimplementi nunquid opponi possit ab eo, qui pro parte sua non adimpleuit, nu.6.

DECISIO DCXVIII.

1 POstquam sub die 28. Iunij proximè præteriti visum fuit Hieronymum Saccinum debere schedulam liberam scut.20000. dare D. Mario Farnesio, prosequendo disputationem dubitaui vtrùm procedendum esset ad vlteriorem executionem stante obligatione Camerali præstandi schedulam pro toto affictus pretio? quo dubio proposito visum fuit DD. dandam esse schedulam de soluendo ad omne mandatum Rotæ, idque ex rationibus fusè ponderatis in decisione in hac causa facta coram me sub die 5. Iunij præteriti.

2 Quibus non obstat exceptio non adimplementi & inobseruantiæ ex eo desumpta, quia D. Marius promiserat liberam facultatem extrahendi frumenta conductoribus toto locationis tempore durante, cum obligatione de manutenendo & defendendo conductores, idque cum iuramento & obligatione Camerali, vnde cùm post triennium superuenerit impedimentum procedens à Reuerenda Camera, dictus D. Marius præcisè tenetur præstare, vt conductores possint vti re locata, cum facultate liberæ extractionis grani, aliàs contra ipsum agentem competit exceptio non adimplementi, vulgata *l.Iulianus,§.auferri,ff.de action.empt.l.ædiles,§.fin.ff.de ædilit.edict.*cum similibus.

3 Quæ quidem exceptio licèt regulariter non opponatur post executionem contractus re ab initio liberè tradita, tamen cùm d. D. Marius non solùm concesserit dictam extractionem, sed promiserit manutenere, concessio quæ habet tractum successiuum, debet durare toto tempore conuento, aliàs non dicetur satisfecisse promissioni, vt ex multis autoritatibus firmat Dec. *cons.45.num.36. vers.secundò.* ex quibus inferunt informantes pro Saccino conductore posse retinere pagas & schedulam, excipiendo iuxta reg.*l.cum proponas,l.2.C.de pact.*

4 Huic obiectioni respondendo DD. non dubitarunt D.Marium stante supradicta obligatione & impedimento præstito, non culpa, vt facto ipsius, sed à supremo Principe teneri ad remouenda impedimenta, aut cùm non sit in potestate ipsius, ad damna & interesse, ex traditis per Dec. *d. cons.45 .in princ.* Verùm non ideo sequitur conductorem liberatum esse à præstatione schedulæ pro cautela & securitate D. Marij locatoris integri affictus stante obligatione Camerali & iuramento, ex allegatis in prima decisione coram me facta.

5 Non enim conqueri potest Saccinus, si iuxta suæ obligationis formam cogitur præstare schedulam soluendam ad omne mandatum Rotæ, quia huius vigore D.Marius exigere non poterit pensiones sine mandato Rotali, sed solùm inseruiet schedula pro assecuratione pretij affictus, quousque dictus conductor damna & interesse liquidauerit, quibus liquidatis tunc poterit retinere pensiones decursas super schedula præstanda, & sibi satisfacere, liberando se & mercatorem pro concurrenti summa ad quam dicta damna & interesse ascendent, sicque vtrique erit satisfactum, quia pretium schedulæ, quæ petitur, ascendens ad scuta quinque millia, & vltrà, inseruiet pro assecuratione damnorum & interesse conductoris, quæ verisimiliter dictam summam non excedent, ita vt post liquidationem factam possit Saccinus summam liquidatam eodem iure retinere, ac hodie D.Marius agit pro præstatione schedulæ. Et ideo cùm hodie satis constet de impedimentis præstitis à Camera in genere, placeret DD.vt præfigeretur terminus Saccino ad liquidandum interesse, pro vt fit in meliotamentis, quando de his constat in genere.

Placuit & alia responsio, quòd exceptio non adimplementi non possit hodie opponi per Saccinum, qui æqualiter & eodem tempore tenebatur adimplere præstando schedulam, quæ loco fideiussoris succedit: vnde videtur permissum D.Mario vtrumque facere, scilicet agere ad consequutionem suæ schedulæ ante remotionem impedimenti etiam successiui, gloss. *in l.si prædiis. C. de euictio.* fuit dictum in vna Romana domus 20.Iunij 1616.coram R.P.D. meo Pirouano. poterit quidem Saccinus impedire ne pecuniæ contentæ in schedula petita soluantur D. Mario, cùm hoc pendeat à successiua obseruantia, vt liquidatis damnis & interesse ea possit retinere, sed non propterea poterit euitare conductor obligationem dandi schedulam, quæ æqualis est & eodem tempore nata cum ipsa obligatione locationis fiendæ, quinimo iam tempus erat elapsum, quo tenebatur conductor schedulam præstitisse antequam detecta fuissent impedimenta à Reuerenda Camera præstita. 6

Nec obstat aliud caput non adimplementi deductum ex eo, quia D. Marius promisit responsiones Farnesij consistentes in vno rubro grani pro quolibet rubro terræ soluendas à subditis, placuerunt enim rationes deductæ in dicta decisione, in qua satis fuit probatum, non posse dici D. Marium in in hoc defecisse, prout non subsistit, quòd D. Marius non adimpleuerit in eo quòd promisit administrationem iustitiæ contra subditos, necnon facultatem incestandi frumentum, quia tantum abest, vt hoc probetur, quin potiùs ex epistolis dicti D. Marij datur fumus in contrarium. Ex quibus & aliis per informantes deductis ita fuit conclusum, vtraque parte informante. 7

R. P. D. BVRATTO.

Tudertina, seu Romana nullitatis obligationis. Lunæ 12. Februarij 1618.

ARGVMENTVM.

Fideiussio filiifamilias minoris cum consensu patris ad fauorem aliorum, nulla & inualida est, etiam iurata, facta sine debitis solemnitatibus.

SVMMARIVM.

Filiyfamilias minoris obligatio facta vnà cum patre ad fauorem diuersarum personarum sine solemnitatibus, nulla & inualida est, num.1.

Læsio enormissima in contractu minoris, nec iuramento, nec renunciatione tolli potest, num.2.

DECISIO DLXIX.

1 POstquam fuit pluries resolutum D. Antonio competere restitutionem in integrum aduersùs obligationes pro patre contractas, ex capite minoris ætatis, & enormissimæ læsionis, dubitatum fuit an eadem restitutio suffragaretur quoad obligationes per eum vnà cum eodem patre ad fauorem diuersarum personarum initas, de quibus in notula data; & DD. affirmatiuè responderunt, per text. expressum *in l.* 1. *in princ. C. de filiofam. min.* vbi Azo *in summario num.* 2. *vers. sed nec distinguo.* Bart. *in princ. & post med. vers. hic autem.* Bald. *in princip. & num.* 2. Angel. *num.* 1. Salicet. *ante num.* 2. *vers. nec lex ista.* Surd. *cons.* 87 *num.* 2. *vers. ad id.* Odd. *de rest. in integr. part.* 2. *quæst.* 54. *art.* 2. *num* 4. *vers. sed contra est veritas.* Imò magis indubitanter censuerunt, restitutionem competere aduersùs huiusmodi obligationes pro extraneis contractas, in quibus cessat ratio pietatis naturalis debiti & pœnę exheredationis, iuxt. text. *in §. causas. auth. & cùm de appell. cogn.* ob quas nonnulli Doctor. tenuerunt filiumfamilias minorem non esse restituendum aduersùs obligationes pro patre initas, quos refert. Odd. *d. quæst.* 54. *art.* 4. *in princ.*

2 De enormissima autem læsione non dubitarunt DD. ex latè deductis, in prima & secunda decis. ideoq́ue nec iuramentum nec renunciationes obstare, vt in dictis decis. Quibus addo Crauett. *cons.* 192. *num.* 5. *& seq & num.* 10. Decian. *respons.* 25. *num.* 119. *lib.* 1. Ant. Sola super consuetud. Sabaud *gloss.* 25. *num.* 46. & Rota in Bononien. de Monterentiis 29. Ianuarij præteriti coram R. P. D. meo Dunozet.

Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. VBALDO.

Firmana legitimæ. Veneris 16. *Februarij* 1618.

ARGVMENTVM.

Dotes filiarum à statuto exclusarum non possunt minuere legitimam filij, sed debent detrahi post detractionem legitimæ, & statutum excludens fœminas fauore masculorum non potest in eorum odium retorqueri.

SVMMARIVM.

Dos non succedit loco legitimæ, itaut detrahenda sit tanquam æs alienum ex toto corpore hæreditatis ante legitimam filij, quando fœmina per statutum est exclusa, num.1.

Legata detrahuntur post legitimam filij, & sic etiam detrahuntur dotes filiabus legatæ, num. 2. de veritate vide num.3.

Statutum excludens fœminas fauore masculorum non potest in eorum odium retorqueri, num.4.

Legitima masculorum non debet minui propter dotes debitas filiabus fœminis à statuto exclusis, num.5.

Fœmina à statuto exclusa propter masculos, facit, vel non facit partem, prout est vtilius ipsis masculis, nu 6.

Creditum eius qui hæres extitit debitoris, si adeat hæreditem extinguitur, maximè si adeat sine beneficio legis & inuentarij, & actiones confunduntur, num.7.

DECISIO DCXX.

PRoposui dubium in decisione huius causæ 30. Octobris præteriti reseruatum, an dotes filiarum sint detrahendæ ante legitimam filij masculi; qua quidem in re quicquid esset dicendum de illa opinione quòd vbi fœminæ sunt per statutum simpliciter exclusæ, itaut earum dotes non subrogentur loco legitimæ, dos sit priùs detrahenda vti æs alienum, ex toto corpore hæreditatis paternæ, & sic ante legitimam filij, quæ opinio videtur magis communiter recepta, ex auctoritate glossæ *in l. Papinianus.* §. *vnde si quis, in verbo deberetur. ff. de inofficios. testamento.* quam ad terminos prædicti statuti exclusiui fœminarum inducunt *ibid.* Bald. & Angel. *num.* 2. & Fulgos. *num.* 4. quos referunt, & sequuntur Socin. & Caccialup. *in cons. post titulum. ff. ad Trebellian. sub num.* 3. *vers. Tertia fuit.* Paris. *cons.* 25. *numer.* 41. *lib.* 2. cum aliis per Gabr. *cons.* 11. *lib.* 1. Honded. *cons.* 63. *num.* 125. *lib.* 1. Eugen. *consil.* 33. *numer.* 27. *& consil.* 35. *num.* 12. 1

Tamen in casu isto Domini putabant dotes non esse detrahendas ante legitimam, sed integrum trientem deberi masculo. Mouebantur nonnulli ex Dominis, quia si istæ dotes considerantur tanquam legatæ per testatorem suis filiabus; certum est legata detrahi post legitimam. *l. Papinianus.* §. *quarta. ff. de inoffic. testamento.* Alexad. *cons.* 31. *num.* 8. *lib* 3. Cephal. *cons.* 740. *num.* 6. *lib.* 5. Peregrin. *de fideicommiss. artic.* 4. *num.* 14. & ita sentit in puncto Cardin. *cons.* 151. *nu.* 4. & Collegium Patauinum relatum per Socin. & Caccialup. *in dicto cons. post titulum. ff. ad Trebell.* Brun. *in tract. de statut. artic.* 13. *nu.* 49. Port. Imolen. *consil.* 13. *sub num.* 14. 2

Quæ tamen opinio aliis videbatur dubitabilis, quia Cardinalem & Brun. reprobat in specie Pereg. *art.* 38. *in fine, versic. Ex prædictis.* licèt fateatur maximam fore eorum auctoritatem in casu de facto occurrenti, & Collegij Patauini opinionem falsam & reprobatam in hoc, quòd dotes vult detrahi vt legata, dicit Gabr. *d. cons.* 11. *num.* 9. quem refert, & sequitur Thesaur. *decis.* 159. *num.* 9. *vers.* Ideo iuxta id, &c. 3

Et cùm informantes pro sororibus expresè dicerent prætendi dotes non ex legato & testamento, sed virtute statuti Firmani, quod filias excludit propter masculos, sed mandat eas dotari arbitrio Potestatis, & Prioris, attenta qualitate personarum, & dignitate domus & facultate patrimonij. Ideo Domini firmarunt dotes esse detrahendas, itaut non lædatur legitima filij quam esse trientem fuit iam firmatum, cùm statutum fuerit inductum in fauorem masculi, & ideo non debet retorqueri in eius odium, ad *l. quod fauore. C. de leg.* & in his terminis Gabr. *cons.* 20. *nu.* 78. *lib.* 2. 4

Et proinde dictum arbitrium videbatur ita posse interpretari, cum præsupposito quòd valor hæreditis esset scutorum 6000. iuxta æstimationem periti, de qua fuit dictum in decisione, vt salua remanente 5

nente tertia parte pro legitima filij, reliquæ duæ partes detraherentur pro dotibus filiarum, cùm ista dos ipsarum ferè commensuretur ad portionem quę ipsis obtigisset, si non fuissent à statuto exclusæ, iuxta deducta per Gabr. *d. consil. 20. num. 78. & seqq.* quæ Dominis placuerunt, præsertim cùm non debeat occasione dotium debitarum fœminis à statuto exclusis minui legitima masculorum. Castrens. *consil.* 286. aliàs 287. incipit, *Quoniam fundamentum, col. penult. sub num. 4. lib. 1.* & est de mente Peregrin. *d. art.* 38. *num.* 18.

6 Et confirmatur ex conclusione firmata in decisione quòd fœminæ in casu statuti ipsarum exclusiui faciant, vel non faciant partem, prout est vtilius masculo, quæ sanè vtilitas masculi, maior est si legitima ipsius ante dotes de vniuerso patrimonio detrahatur.

7 Vltimò placebat vni ex Dominis aliud motiuum, quòd cum istæ fœminæ fuerint vniuersales hæredes institutæ, & adierint hæreditatem etiam sine beneficio legis & inuentarij, sunt confusæ actiones, & remansit extinctum æs alienum, iuxta notanda communiter per Doct. *in l. debitori, C. de pactis*, cùm ipsæ remanserint hæredes sine vllo onere restitutionis. *l. si Stichum. §. à Titio. ff. de solutionib.* gloss. *in l. cùm à matre. C. de rei vendic.* & dixit Rota in vna Æsina fideicommissi 6. Nouembris præteriti coram me. Vnde cessant etiam quæ aliàs dicuntur de imaginaria solutione, vt per Gabr. *consil. 124. nu. 3. lib. 1.* Menoch. *consil. 183. num. 33.* Surd. *decis. 170. in principio, & decis. 224. num. 7. & seqq.*

Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana affictus de Cuppis. Veneris 16. *Februarij* 1618.

ARGVMENTVM.

Libri societatis probant contra socios, etiam quòd scripti fuerint ab eorum ministris, & factoribus.

SVMMARIVM.

Libris factorum, ministrorum, & agentium standum est contra eos, que factores, ministros, & agentes deputarunt, num. 1.

Libris rationum societatis standum est contra socios, numero 2.

Copia librorum standum non est, num. 3.

DECISIO DCXXI.

1 Dvbium proposui, an sit standum libris factorum, ministrorum & agentium, vel quibus libris in casu de quo agitur? Et Domini responderunt standum esse libris originalibus factorum, agentium, & ministrorum.

2 Respectu originalium informantes pro vtraque parte conueniebant, quia conclusio est indubitata quòd libri rationum societatis probant inter socios. *l. inter chartulas. C. de conuen. fisc. debit. lib. 10. l. 1. ff. de duob. reis.* Alex. *consil. 186. n. 1. lib. 2.* Menoch. *de arbitr. iudic. casu 92. n. 3. & de præsumpt. lib. 3 præsumpt. 62. in.* Rota Ianuens. *decis. 173. nu. 5.* cùm dubitari non possit quin libri originales exhibiti rationes huius affictus contineant, non videntur per consequens posse improbari; quia proprium ipsorummet sociorum factum impugnaretur. 3

Difficultas tantummodo versabatur in libris formatis ex originalibus, quibus dicebant DD. Guicciardini fidem non esse adhibendam, tanquam quòd essent exempla, & à personis suspectis exemplata, & in hac parte iuridica erat exceptio, quia primæ scripturæ tanquam matrici standum est, non autem copiæ. Alciat. *respons. 64. nu. 6 lib. 6.* Rota Ianuens. *decis. 173. n. 6. & 12.* & pro parte Pompilij non impugnabatur, nec prætendebat illis standum, nisi in quantum se referebant ad originales libros, & de relatis partitis constaret per eos.

Et ita fuit resolutum, &c.

R. P. D. RAMBOLDO.

Elboren. fructuum. Veneris 16. *Februarij* 1618.

ARGVMENTVM.

Fructus indebitè percepti à possessore beneficij, an & quando restituendi sint ab eius hærede, quando, & ex quibus ad hunc effectum mala fides excludatur.

SVMMARIVM.

Possessio sine titulo quando dicatur in mala fide in materia restitutionis fructuum, num. 1.

Titulorum multiplicatio datur in beneficialibus, n. 2.

Bona fide, ad effectum non restituendi fructus causatur ex quali quali possidendi occasione, num. 3. vbi etiam quòd satis est malam fidem abesse.

Mora modici temporis non nocet, n 4.

Credulitas qualibet excludit malam fidem, ibid. ante finem. vbi etiam quòd sufficit qualibet opinio, licèt erronea, & n. 5. vbi de eadem materia.

Mala fides excluditur in eo, qui indebitum exigit à sponte soluente, n. 6.

DECISIO DCXXII.

Conclusum fuit vltimam sententiam ad fauorem hæredum Didaci latam esse confirmandã. 1 Quia quæstio non est de validitate institutionis D. Didaci: sed Capitulum agit aduersùs hæredes Didaci ad restitutionem fructuum ab eodem Capitulo indebitè, vt prętenditur, d. Didaco solutorum. Dicti hæredes rectè fuerunt ab impetitionibus Capituli absoluti, eo quòd Capitulum plenè, & concludenter non probat quòd d. Didacus non solùm fuerit omni titulo, cuius vigore dd. fructus percipere potuisset, destitutus, sed quòd etiam sciens & prudens nihil iuris haberet percipiendi dd. fructus, illos perceperit mala fide, cùm ad effectum vt repetitioni indebiti locus non sit, & hæredes à dd. fructuum restitutione excusentur, satis est quòd mala fides in Didaco abfuerit. *l. & si lege. §. scire*, & ibi Bart. *ff. de pet. hæred.* Pedemont. *decis. 160. nu. 8.* cum aliis adductis in Auximian. spolij 3. Decembr. 1610. & 4. Martij 1611. coram R. P. D. meo Pirouano.

Nec obstat quod dicitur Capitulum esse in probatis, eo ipso quòd constat non fuisse per d. Didacum litteras nouæ prouisionis infra sex menses post obtentam ab Ordinario institutionem, iuxta for- 2

mam indulti Pij IV. expeditas, quia præterquàm quòd cùm in beneficialibus detur multiplicatio titulorum, ac propterea possibile sit quòd dictus Didacus habuerit alium titulum, dicta probatio tanquam æquiuoca non concludit ipsum fuisse omni titulo destitutum.

3 Visum etiam fuit Dominis, quòd quicquid dicendum esset si ageretur de sustinenda dicti Ordinarij institutione, satis possit à d. Didaco pro titulo deseruire, ad effectum excusandi eius hæredes à restitutione fructuum à Didaco perceptorum, dicti Ordinarij institutio & litteræ Apostolicæ postea expeditæ, etiam quòd non fuerint in tempore, sed per sexdecim dies post lapsum dd. sex mensium expeditæ, cùm ad dictum effectum sufficiat qualis qualis occasio possidendi. Bald. *in l. irritam n. 2. C. de vsucap. pro donat.* Surd *decis. 25. n. 5.* & Dec. *decis. 211. num. 7.* & satis etiam sit malam fidem abesse. Bart. Surd. Pedemon. & alij suprà allegati, & fuit dictum in Salamantin. fructuum 9. Martij 1587. coram bon. me. Gipsio. In qua etiam dicitur quòd hinc stylus inoleuit quòd condemnatio in fructibus non fit nisi à die motæ litis.

4 Non obstat quòd Didacus non potuit nisi mala fide dictos fructus percipere, quia habuit scientiam decreti indulti Pij IV. quo ob non expeditionem nouæ prouisionis infra sex menses inducebatur ipso iure vacatio Canonicatus, quia admissa etiam ista scientia decreti, inde non sequitur, quòd non potuerit verisimiliter credere quòd vel negligentia sui Procuratoris in expedienda dicta noua prouisione ei obesse non potuerit; vel quòd ei licitum fuerit moram purgare, ad decis. Caputaquen. 9. *part. 3.* cùm præsertim esset modica sexdecim dierum tantùm, vel denique quòd cùm prædictum decretum emanauerit ad fauorem officialium Cancellariæ tantùm, & sit bursale, illud abundè adimpleuit dictæ Cancellariæ iura cum effectu soluendi, & ista credulitas proculdubio sufficit saltem ad excludendum malam fidem, quia ad dictum effectum sufficit quælibet opinio, licèt erronea tam in facto, quàm in iure. Abb. *in cap. si delinquenti, num. 24 de præscript.* Nauarr. *consil. 2. num. 5. & seq. l. 2. eodem tit.* Rot. *decis. 4. de restit. spoliat. in nouis*, & fuit in his terminis dictum in Salamantina fructuum coram bo. me. Gipsio, & aliàs sæpissimè.

5 Atque hinc etiam tollitur quòd dicta noua prouisio Didaco suffragari non posset, eo quòd fuit expedita in forma *Dignum*, & nunquam legitimæ exequutioni demandata, quia cùm, vt sæpe dictum est, non agatur de sustinenda dicta noua prouisione, sed de excusando tantùm hæredes Didaci à restitutione fructuum à dicto Didaco perceptorum, satis ei ad dictum effectum suffragatur Ordinarij institutio & credulitas quòd decreto satisfecit illud effectualiter adimplendo, soluendo scilicet iura Cameræ, ex allegatis, &c.

6 Et in hanc sententiam eo libentiùs Domini venerunt quòd nedum dictus Didacus recepit fructus, de quorum restitutione agitur à Capitulo sponte soluente vltra spatium etiam trium annorum, quod eo magis facit præsumi malam fidem in eo absuisse, sed quòd etiam dd. fructus fuerunt eidem soluti ob seruitium personale Ecclesiæ ab eo præstitum, & per ipsum etiam dum seruitij dictæ Ecclesiæ institerit consumpti, vnde videntur propter dictum seruitium condonati, vt in simili fuit dictum ex Curtio *consil. 42. num. 25.* & alij in dicta Auximana spolij 3. Decembris 1625. coram R. P. D. meo Pirouano. Neque enim debuit os bouis triturantis ligari, vt dicitur *in c. extirpandæ, de præben.* cum similibus.

Non obstant decisiones in causa Sabien. & Vticen. pensionum pro Capitulo allegatæ, quia vltra alias responsiones in decisionibus coram R. P. D. meo Manzanedo datas, placuit etiam Dominis quod dicebatur in dictis decisionibus non agi de restitutione fructuum perceptorum, sed de nullitate tituli. Atque ita de materia multum diuersa ab ipsa, vt patet ex supradictis, &c. 7

R. P. D. VBALDO.

Spoletana bonorum. Lunæ 19. Februarij 1618.

ARGVMENTVM

Assignata filio pro legitima à patre viuente, cum prohibitione alienationis, non possunt alienari. Et quamuis in legitima non detur onus, potest tamen prohiberi alienatio, si assignetur viuo patre. In testamento potest fieri contractus, sed in dubio censetur testamentum, & non contractus.

SVMMARIVM.

Prohibitio alienandi facta in contractu non annullat ipso iure alienationem, sed alienans tenetur ad interesse tantum, num. 1. limita vt num. 2.

Donatio omnium bonorum, etiam per verba amplissima, & apta comprehendere, non comprehendit bona alienari prohibita, etiam quòd prohibitio proueniat ex contractu, dummodo in eo adsit clausula annullatiua, & resolutiua annullationis, & adsit obligatio Cameralis cum iuramento. num. 3.

Legitima & bona assignata à patre pro ea non admittunt vllum onus, n. 4. limita, vt infrà, nisi pater assignet viuens, & adyciat conditiones, quia potest, maximè si prohibitio sit temporalis viuente patre.

Legitimam viuens pater assignare non tenetur filio, sed bene si velit potest, & tunc conditiones quas vult adycere in assignatione, num. 4.

Proœmium instrumenti indicat illius causam finalem, num 5.

Actus qui non habet effectum, perinde habendus est, ac si factus non fuisset, ibid. & num. 6.

Contractus licèt fieri possit in testamento, tamen in dubio propter naturam vltimæ voluntatis testator non præsumitur velle contrahere, nisi forma actus repugnet testamento, num. 7.

Pater assignans portionem filiis in testamento cum expresso iussu, quòd assignationem acceptent, dicitur facere propriè testamentum, & non contractum, ibid. & propter acceptationem filiorum, non tamen mutatur natura vltimæ voluntatis. num. 8.

Testatoris voluntas est ambulatoria vsque ad mortem, num. 9.

DECISIO DCXXIII.

IVxta reseruationem factam in decisione huius causæ 12. Iunij præteriti, dubitaui an constaret de bono iure? Et Domini responderunt negatiuè quoad D. Elenam donatariam Flaminij sui mariti. Quia quicquid 1

quicquid esset dicendum, an dicta donatio facta à filiofamilias, sine consensu patris sustineatur secundùm terminos statuti Treuij, Domini censebant ex aliis d. donationem esse inualidam quoad bona assignata ab Antonio patre Flaminio filio loco legitimæ, de quibus inter partes controuertitur. Aut enim inspicitur assignatio facta inter viuos de anno 1592. & illa continet in ventre expressam prohibitionem alienandi; & in specie donandi, quo casu quamuis prohibitio sit facta in contractu, quæ regulariter non annullat alienationem ipso iure, sed alienans tenetur tantùm ad interesse. *l. at si quis. §. ea lege*, vbi gloss. *ff. de verb. oblig. l. ea lege. C. de cond. ob caus.* Bart. *in l. filiusfamil. §. Diui, num.* 14. vbi Ripa *num.* 85. *ff. de leg.* 1. cum aliis per Surd. *decis.* 254. *n.* 11.

2 Tamen quia adest amplissima clausula annullatiua, & resolutiua in casu contrauentionis, & assignatio fuit acceptata à Flaminio cum obligatione Camerali & iuramento, Domini putabant, hæc saltem simul iuncta sufficere ad annullandum alienationem, & impediendum translationem dominij, iuxta tradita per Bald. *in d. l. ea lege n* 7 *C. de cond. ob caus.* Castr. *in l.* 1. *n.* 6. *ff. de donat. & in l. qui absenti. §.* 1 *ff. de acq. possess.* Doctor. *in d. §. Diui*, vbi Cro. *n.* 100. Rip. *n.* 86. Opizon. *sub nu.* 153. *vers. item, & quarto* Ferdin. Loaz *num.* 172. de magis communi l *consil.* 18. *num.* 14. *vers. item quia, & seqq. vsque ad* 21. *lib* 4. Rolan. qui etiam de magis communi *consil* 91. *num* 17. & 43. *lib.* 2. prout de veriori, & communi Gabr. *cons.* 66. *num.* 1. *lib.* 1. Surd. *consil.* 331. *num.* 43. *in fine lib.* 3. & pluribus aliis relatis, Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 4. *tit.* 30. *num.* 31.

3 Quo stante sequitur vt bona, de quibus agitur, tanquam alienari prohibita, non veniant in donatione omnium bonorum facta per Flaminium ad fauorem Helenæ vxoris, quia de illis non poterat disponere. Surd. *decis.* 233. *n* 12. *& seqq.* Vbi extendit, etiamsi verba donationis essent vniuersalia, vel aliàs apta comprehendere, & fuit dictum in Viterbien. castrorum 14 Nouembris 1616. coram Reuerendissimo D. meo Archiepiscopo Damasceno, & in Ferrarien. de Iassonis 27. Februarij 1617. coram R. P. D. meo Pamphilio.

4 Non obstat, quòd assignatio dicatur facta à patre pro legitima filij, vt sonat instrumentum, quæ non admittit vllum onus *l. quoniam in prioribus. C. de inoffic. testam.* & ideò illa prohibitio alienandi habeatur pro non apposita. Quia fuit responsum, quòd licèt pater non teneatur viuens filio legitimam assignare. *l.* 1. *§. si impuberi. ff. de coll. bon. l.* 2. *§. interdum ff. de vulgar. l final.* vbi Bart. & Bald. *ff. de lib. agnosc.* Craf. *in §. legitima. quæst.* 12. *nu* 1. & 8. Peregrin. *de fideicom. art.* 36. *num* 14. Surd. *decis.* 167. *n.* 1. Tamen benè potest si velit assignare, argum. text. *in l. cum quo. §. fin. ff. ad l. Falc.* Bald. *in l. si in successione n* 2. *C. de reuoc. his quæ in fraud. cred.* Crass. *d. quæst.* 12. *num.* 8. & tunc conditiones sibi bene visas in assignatione adiicere. *l. in re mandata. C. mand.* maximè cùm prohibitio fuerit temporalis viuente patre. Boër. *decis.* 87. *num.* 4. cum aliis per Gabr. *in tit. de legit. conclus.* 1. *in* 28. *limit. num.* 66 Cucc. *in tract. de legit. in tit. legitima null. grauamen. admittit num.* 17. *& seqq.*

5 Præterea illa assignatio fuit facta ad effectum viuendi separatim à filio, vt constat ex prœmio instrumenti, quod denotat causam finalem. *l. vlt.* vbi Bart. *ff. de hær. inst.* & tamen ista causa videtur fuisse effectum sortita. nam *quicquid dicendum esset de testibus*, qui hinc inde deponunt, id colligitur ex testamento condito ab eodem patre, & per filium acceptato, in quo assignat Flaminio pro legitima eadem bona priùs inter viuos assignata, & vtitur his verbis, & quicquid ipse testator habet, tenet, & possidet de bonis stabilibus, & se mouentibus in villa Pettini; necnon relinquit eidem Flaminio aliam possessionem nuncupatam viam Villæ, eam vti propriam nominando; quam tamen eidem in dicto instrumento assignauerat, & sic apparet Antonium semper retinuisse penes se dicta bona, & consequenter assignationem in vita factam nō habuisse effectum, & perinde habendum, ac si facta non fuisset. *l.* 1. *§. nihil. de inoff. testam.* cum aliis per Surd. *decis.* 51. *num.* 21. & *decis.* 269. *n.* 12. & *consili.* 436. *num.* 14. *lib.* 3.

Non videbatur applicari quòd onus, seu prohibitio de non alienando sit sublata per testamentum, iuxta cons. Oldrad. 18 *vers.* 2. *ratio.* quia id benè procederet, si testamentum habuisset effectum, prout in casu Oldr. habuerat; sed hic non habuit, cùm testator adhuc viuat. *cap. cùm Marthæ, de celebr. Miss.* 6

Aut verò prætenditur filio in bonis assignatis pro legitima fuisse ius quæsitum per testamentum, in quo pater d. Flaminio eandem bona reliquit, & eum in illis instituit hæredem; & mandauit, quòd ipse & frater intra octo dies acceptarent d. testamentariam dispositionem à die habitæ notitiæ, & quòd illi parere, & acquiescere deberent, quæ acceptatio fuit subsequuta cum iuramento, & neque ex hoc credebant Domini tale ius quæsitum Flaminio, vt potuerit bona assignata in alium transferre, & in primis firmabant hanc præsentem dispositionem esse propriè testamentum, & non contractum. licèt enim possit etiam in testamento aliquando contrahi, vt *In l. non est mirum ff. de pign. act. l. Lucius ff. de alim & cib. leg.* gloss. Bart. & alij *in l hæredes palam. § fin. ff. de testam.* Tamen in dubio propter naturam vltimæ voluntatis, testator non præsumitur velle contrahere, nisi forma actus præcisè repugnet. Aret. *in d. l. hæredes palam. §. vlt.* Natt. *consil.* 73. *num.* 7. quos sequitur Mantic. *de coniect vlt vol. lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 12. quæ repugnantia actus hîc nedum non adest, immò in totum excluditur ex verbis, & clausulis in testamento appositis conuenientibus vltimæ voluntati, potius quàm contractui, vt ex verbo *reliquit*, & ex illis verbis post institutionem vniuersalem, saluis, & reseruatis supradictis legatis factis iure legitimæ & ex fine testamenti, ibi, hanc autem testator asseruit esse eius vltimam voluntatem, & testamentum, quam, & quod valere voluit iure codicillorum, vel donationis causa mortis, & cuiuscumque alterius vltimæ voluntatis, deducunt informantes, & tradit in his terminis Signorol. *consil.* 171. *n.* 11. & *seq.* & ideo cùm sit testamentum, illud sumit vires post mortem testatoris. *d. cap. cùm Marthæ. de celebr. Miss.* 7

Non obstat acceptatio filiorum, quia non propterea dispositio mutauit naturam vltimæ voluntatis. Fab. *in §.* 1. *n.* 36. & in hoc casu cessat difficultas, quia ipsimet acceptantes agnouerunt præscriptam dispositionem pro testamento & vltima voluntate mutabili, ideo non potest habere vim contractus, qui ab initio est voluntatis, sed ex post facto necessitatis. *l. in commodato. §. sicut ff. comm. l. sicut. C. de act. & oblig.* Seraph. *decis.* 427. *num.* 1. 8

Non obstat quòd transiuerit in contractum irreuocabilem, ex quo fuit deuentum ad traditionem rerum relictarum pro legitima in testamento, iuxta not. per gloss. & Doctor. *in l. legatum. ff. de leg.* 2. Quia in primis de tali assignatione, vel traditione non 9

constat. Secundò dicebatur quòd talis assignatio fuit sub conditione acceptationis intra octo dies à die habitæ notitiæ, vt suprà dictum est, quæ acceptatio fuit facta à filiis non purè, & simpliciter, sed cum protestatione; dummodo Antonius pater non conderet aliud testamentum, vel codicillos, & ideo cùm pendeat à futuro euentu, & Antonius adhuc viuat, cuius voluntas dicitur ambulatoria vsque ad mortem. *l.3. in fin. & l. seq. ff. de adim. leg.* non potuit per dictam prætensam assignationem acquiri Flaminio ius irreuocabile, ita vt illud potuerit per donationem in Helenam transmittere. Ex quibus & aliis copiosè per informantes congestis Domini concluserunt non constare de bono iure Helenæ.

R. P. D. VBALDO.

Romana censu. Luna 19. Februarij 1618.

DECISIO DCXXIV.

Impressa est apud Cenc. de censibus, in Addit. decis. 66. & apud Duard. eodem tract. decis. 390.

R. P. D. DVNOZETTO.

Ampurien. Canonicatus. Lunæ 19. Februarij 1618.

ARGVMENTVM.

Delegatus executor ab A. C. quando, & quomodo possit contra inobedientes, & contradictores procedere ad declaratoriam censurarum.

SVMMARIVM.

Exequutor ab A.C. delegatus non potest excommunicare rebellem, & inobedientem, quando idem A.C. ibi reseruauit iurisdictionem procedendi ob non paritionem, num. 2. etiam quòd in designatione adsit clausula procedendi contra rebelles, num. 3. & 4. vbi de eadem materia.

Clausula, cum facultate procedendi contra rebelles & contradictores, *intelligitur nisi adsit iusta causa non parendi, n. 4.*

Excommunicari non potest qui exequutorialibus A. C. non paret ex iusta causa, ibid.

Declaratoria contra non obedientem non datur, nisi seruatis terminis de stylo seruari solitis, ibid.

Declaratoria censurarum præcipitanter lata non est attendenda quia debet dari competens terminus ad parendum, num. 5.

DECISIO DXCXXV.

1 CVm Vicarius Ampurien. vti exequutor mandati de immittendo Franciscum Perazonum in possessionem Canonicatus & præbendæ Ecclesiæ Ampurien. ab A. C. relaxati declarasset Bernardinum Sardum possessorem incidisse in pœnas contentas tam in mandato, quàm in censuras contentas in Bulla in Cœna Domini ob non paritionem præcepto illi iniuncto de discedendo infra tres horas è loco præbendæ, Bernardinus recursum habuit ad Rotam, in qua causa pendet coram me, & dato dubio an dicta sententia declaratoria sit valida & iusta? Domini responderunt sententiam esse nullam ex defectu iurisdictionis.

2 Cùm enim A. C. solam exequutionem mandati demandasset, sibique expresè reseruasset facultatem reuocandi, quicquid per Bernardum in contrarium attentatum fuisset, ac etiam illum declarandi incidisse in pœnas contentas in dicto mandato, vt patet ex lectura litterarum delegationis, non poterat Vicarius delegatus deuenire ad dictam declarationem, sed debebat ipsi A.C. penes quem remanserat iurisdictio, referre non paritionem Bernardi. *cap. & si non cognito* cum gloss. *25. quæst. 2. cap. de cætero, & ibi* Felyn. *n. 2. de re iud.* Bald. *in cap. super quæst. n. 2 de offic. deleg.* Rot. *decis. 3. num. 2. de rescript. in nou.* Ex quibus rationibus Rota consueuit reuocare gesta ab huiusmodi exequutoribus excedentibus fines demandatæ iurisdictionis. Rot. *d. decis. 3. nu. 2. de rescript.* & fuit dictum in Viceren. Prioratus 19. Martij 1610. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in Carthaginen. fructuum 20. Nouembris 1615. coram Reuerendissimo D. Damasceno.

3 Nec potest extendi clausula procedendi contra rebelles, vel resistentes de facto ad Bernardum, qui erat contradictor de iure, quippe qui obtinuerat causam committi in Rota, & habuerat recursum ad signaturam pro transferenda exequutione Breuis; eo enim casu non dicitur indebitus contradictor, vt ex multis firmat Put. *decis. 270. in fine lib. 3.* in nouiter impressis. Achil. *decis. 4. n. 11 de sent excomm.*

4 Licèt enim exequutoriales mandent denunciari contradictorem excommunicatum, tamen subintelligitur semper illa clausula, *nisi adsit iusta causa non parendi*, de qua prius constare non potest, quàm sit lata declaratoria, quæ non datur nisi præmissis terminis de stylo iudicis seruari solitis. Felin. *in cap. ad probandum num. 6 de re iudic.* Cassad *decis. 6. num. 10 de caus. possess. & propriet.* Lancellot. *de attentat. lit. penden. in præfat. n. 306. & 312.* & fuit sæpissimè in Rota decisum.

5 Ex quibus patet quàm præcipitanter iudex subdelegatus, non præfixo alio quàm trium horarum termino ad parendum Bernardo contra eum sententiam declaratoriam tulerit. Nec potest sustineri dicta sententia, si dicatur ipsum potuisse procedere authoritate ordinaria, quia vltra quòd id facere non potuit sine vitio attentatorum pendente lite, siue coram A. C. siue in Rota, ex lectura sententiæ apparet ipsum solummodo processisse tanquam delegatum ad effectum dandi immissionem Francisco Perazzono, vt sonant verba sententiæ.

6 Nec etiam obstat quod dicitur forsan alia de causa fuisse Bernardinum à Vicario excommunicatum, v.g. ob recursum ad iudices laicos, quia contrarium apparet ex sententia lata contra D. Bernardum die 3. Septembris 1615. in qua iudex reddit rationem cur Bernardum declarauit excommunicatum, quia constat ipsum cum hominibus armatis præstitisse impedimentum, quominus possessionem præbendæ D. Francisco traderet, nec hodie reuocatur in dubium nullitas alterius sententiæ quàm supradictæ, & ita cessant quæ dicuntur citandum esse Procuratorem fiscalem, cùm appareat ipsum nunquam fuisse in causa, nec sententiam de cuius validitate agitur ad eius instantiam latam fuisse, nec hodie Bernardus prætendit absolutionem, nisi excommunicationis, quam incurrisse declarat dicta sententia exequutoris sub die 3. Septemb. 1615. lata. In quam sententiam eo

eo libentiùs Domini fuerunt, quia postea causa in signatura proposita translata fuit exequutio Breuis arbitrio Rotæ, in qua proposito aliàs per me dubio, fuit super iure Francisci super meritis causæ multum dubitatum.

Et ita decisum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Romana de Incoronatis. Veneris 28. Februarij 1614.

ARGVMENTVM.

Argumentum sumas ex summario.

SVMMARIVM.

Euictæ rei valor vbi refundi debet æstimandus est iuxta tempus euictionis, num. 1. in fine, & num. 2. vbi, quid si post euictionem rei euictæ valor auctus fuerit.

DECISIO DXCXXVI.

1 CVm fratres de Incoronatis inter se deuenissent ad bonorum communium diuisionem, cum quibusdam pactis, & conditionibus, & inter alia, vt Marius Fanus ea deberet æstimare, ad effectum, vt singulorum portiones ad æqualitatem reducerentur: secuta dicta æstimatione, fuit coram Illustriss. Lancellotto 27. Iunij 1607. & coram me 10 Iunij præteriti decisum ad fauorem Marci Antonij pro summa liquidata relaxandum esse mandatum; verùm D. Io. Baptista se grauatum asserebat, eò potissimum, quòd euictis de anno 1573. Marco Antonio rubris 24. cum dimidio Casalis Aquæ Trauersæ, quod communiter possidebat ipse vnà cum omnibus aliis fratribus, immissus fuisset in possessione totidem rubrorum eiusdem Casalis, & in vim specialis transactionis illa retinuit. Vndè cùm postea fuerit actum de pretio dictorum rubrorum euictorum, Dominus Ioan. Baptista prætendebat, illud non de tempore euictionis anni 1573. sed æstimationis, videlicet de anno 1605. esse desumendum. Et super hoc à me dubio proposito, fuit responsum quoad valorem istorum rubrorum esse attendendum tempus euictionis; quia cùm in transactione fuerit D. Ioan. Baptistæ, & fratribus promissa pro dictis rubris euictis æqualis compensatio, vt possit decerni qualis illa esse debeat de dicto tempore, valor est inspiciendus. nam regulariter ad effectum refundendi rei euictæ pretium de eodem tempore valor attenditur. *l. euicta re 1. & 2. ff. de euict. l. Titius la 1. ff. de act. empt.* & ibi Doctores, Surd. *consil. 52. n. 50. lib. 1.*

2 Verùm, quia effectus dubij tendebat ad inducendam tempore æstimationis bonorum æqualitatem inter fratres, ideò fuit additum, si quod beneficio temporis augmentum valoris dictorum rubrorum prouenisset, illud vtilitati, & commodo Io. Baptistæ, & fratrum cedere debere, prout etiam incidenter coram Illustriss. Lancellotto, & nouissimè coram me fuit decisum. iuri enim consonum videtur, vt ad eum spectet prædictum augmentum, cui propter secutam euictionem ab initio facienda erat terrarum restitutio. *l. si fundus, in principio, & §. si res, l. Paulus. § si domus. ff. de pignorib.* Menoch. *consil. 26. n. 7. lib. 1.* Surd. *consil. 128. n. 3. in fine, & nu. 10. & 16. lib. 1.* cum idem sit iuris de augmento, ac de principali. *cap. accessorium. de reg. iur. in 6.* & latè in his terminis Surd. *d. consil. 128. n. 3. vers. si igitur, & n. 16. lib. 1.* Molin. *de Hisp. primogen. lib. 1. cap. 26. num. 17. & 18. vers. idem.* Quare si dictum augmentum non cederet in Ioannis Baptistæ & fratrum vtilitatem, non illis daretur sufficiens compensatio in transactione promissa; quia fraudarentur isti fratres augmento ex beneficio temporis proueniente, quod illis deberetur, si dicta rubra non fuissent euicta, &c.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Romana societatis. Mercurij 4. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Falsitatis suspicio habetur pro concludenti probatione quando agitur ciuiliter ad tollendam fidem instrumento, & agitur in hac decisione de nominatione periculi vitæ in vna societatis officij ex nonnullis præsumptionibus suspecta de falso.

SVMMARIVM

Falsi suspicio habetur pro facultate, vbi agitur ciuiliter ad tollendam fidem instrumento, n. 2. & seqq. vbi recensentur nonnullæ falsi suspiciones.

Falsitatis suspicio non leuis est quando facta diligentia aliàs in Protocollo in eo non inuenitur scriptum id quod reperitur in transumpto, num. 3. vers. Tertiò accedebat.

Societatis pactum iniquissimum est quòd vnus socius sit in damno sine lucro, num. 4.

DECISIO DCXXVII.

MOrtuo Plinio Bonioanne de anno 1610. eius filij & hæredes egerunt coram A. C. contra Ioffredum Sauium & litis consortes pro restitutione sortis principalis, & solutione fructuum societatis officij scut. mille, aliàs ad fauorem d. Plinij, in qua Ioffredus bonam fidem recognouerat: Ioffredo autem excipiente de lucro per mortem Plinij, & replicantibus hæredibus Plinium in ratificatione societatis coram Notario & testibus nominasse periculum vitæ Angelæ vxoris, fuit lata sententia ad fauorem Ioffredi, commissa in Rota causa appellationis dubitatum fuit, an sententia esset confirmanda? & causa pluries proposita, tandem resolutum fuit pro confirmatione sententiæ. Partes enim concordabant in eo quòd de tempore mortis Plinij d. nominatio periculi vitæ eius vxoris non erat registrata in fine, aut in margine instrumenti, sed registratio facta fuerat post illius obitum, seu potiùs extensa quædam annotatio, vt prætendebant facta per d. Notarium ex fide reperta inter scripturas eiusdem Plinij post eius mortem repentinam, & ex quodam sacculo chartæ, quod idem Notarius asserebat postea reperisse in vno pulpito. 1

2 Verùm DD. non censebant in tali notatione sacculi posse fieri fundamentum tanquam suspecta, si non ad effectum vt Notarius incurreret notam falsitatis, prout in iudicio criminali fuerat absolutus, saltem ad hoc vt ei fides non adhiberetur in præiu-

dicium Ioffredi iuxta celeberrimam Salomonis decis. *in cap. afferte mihi gladium, de præsumpt.* vbi sapientissimus ille ex sola præsumptione tulit sententiam diffinitiuam in causa ciuili, & inde notarunt Doct. in ciuilibus sufficere solam suspicionem falsitatis. Aym. *consil. 56. nu. 21.* vbi dicit hoc maximè procedere contra instrumentum, cuius probatio est miraculosa, & contra ius vt credatur pelli animalis mortui sine alio adminiculo, vt tradit Innoc. *in cap. cùm P. Tabellio, n. 1. circa fin. vers. & hoc sic probo, de fide instrum.* cum plurimis cumulatis per Pedem. *dec. 117. nu. 7.* quòd si sola suspicio sufficit ab labefactandam instrumenti solemniter extensi fidem, magis videbatur sufficere in præsenti casu ad infringendam fidem chartulæ volantis, super qua tanquam matrice fuit facta extensio.

3 Suspiciones autem multifariam deducebantur, & primò ex d. extensione facta tempore suspecto, nẽpe post obitum Plinij. Secundò quia in eodem sacculo erat descripta nominatio alterius societatis in personam Alphonsi Altouiti facta per Bonellum, qui examinatus deposuit hoc non esse verum, quia non erat necessaria talis nominatio, cùm periculum esset super vita Alphonsi, vt apparebat ex ipso instrumento societatis, & quòd ipse omnia notauerat in libro ad hoc particulariter distincto, quæ dispositio videbatur admodum iuri similis. Tertiò accedebat diligentia facta per Ioffredum mortuo Plinio in protocollo & broliardello, in quibus aliqua annotatio non fuit reperta, & protestatio facta per Ioffredum Francisco Notario, ne aliquid innouaret, & quòd postea visa extensione d. nominationis cœpit clamare & conqueri contra Notarium quòd debebat eam relinquere in pendenti, prout erat antea, vt testes deponunt: ex d. autem diligentia quærendi & non inueniendi ratificationem seu nominationem descriptam in protocollo, seu broliardello insurgere suspicionem falsitatis, tradit Nat. *consil. 633. in fine,* cum aliis adductis per Menoch. *præsumpt. 32. n. 20. lib. 5.* prout etiam insurgit ex tarditate protocollandi & registrandi. Aym. *consil. 28. c. 3. & 6.* cum allegatis copiosè per Farin. *de falsitat. & simul. q. 153. num. 181.* Demum, quia testes deponebant eundem Franciscum Notarium dixisse Ioffredo qualiter fuerat superlucratus societatem, & quòd volebat strenam pro bono nuncio, qui illam permiserat.

4 Sed quod principaliter mouit DD. illud erat, quia hæc prætensa nominatio, de qua in saeculo, non fuit reperta penes Notarium quando Plinius obiit, sed Notarius dixit postea d. sacculum reperisse, vnde videbatur suffragari posse hæredibus, cum Ioffredus de illa non haberet, aut habere posset notitiam, si Notarius qui erat substitutus, sacculum amisisset, vel si obiisset, aut ab officio recessisset, itaut Ioffredus casu quo vxor Plinij decessisset, non potuisset lucrari societatem, & sic semper fuisset in damno sine aliquo lucro, quod est genus societatis iniquissimum, vt est text. *in l. si non fuisset, in fin. ff. pro soc.* Castr. *consil. 269. num. 2. lib. 2.* & considerauit Rota in Romana societatis officij 19. Aprilis 1602. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto.

Et ex his potissimum fundamentis conclusum fuit sententiam esse confirmandam, &c.

R. P. D. MARTINO ANDREA.

Bononien. de Binarinis. Lunæ 5. *Martij* 1618.

ARGVMENTVM

Gratia iustificata exequutionem meretur, quando, & ex quibus dicatur iustificata, & quando subreptitia reputetur. in hac decisione multa explicantur notanda.

SVMMARIVM.

Gratia si iustificata fuit, exequutioni omnino demandanda est, num. 1.

Paupertas non cessat ex eo quòd quis aliquid habeat, sed parum, ibid.

Paupertatis probatio non excluditur ex eo quòd quis habeat industriam, & operam, quando de eo agitur ad certum, & determinatum effectum, nu. 3.

Gratia facta ad fauorem diuersarum personarum, vna mortua alteri facta non tollitur, num. 4.

Liber Datarij plenè probat scripta in eo, num. 5.

Mors probatur ex libro Parochi, ibid.

Gratia dicitur perfecta ex sola signatura, nu. 6. & 7. vbi propterea quòd non attenditur dies expediti Breuis.

Supplicatio attenditur, & non expeditio litterarum ad effectum vt gratia dicatur subreptitia, n. 8.

Subreptio tollitur si de non exressis Papa potuit saltem in genere cogitare, num. 9.

Subreptio gratiæ non inducitur ex taciturnitate eorum, quæ Papam à gratia non retraxissent, aut difficiliorem reddidissent, ibid.

Sanguinem suum odio habere nemo præsumitur, n. 10.

Odium irrationabile attendi non debet à Principe, ibid.

Gratia quando expirata dicatur per mortem Papæ qui eam concessit, num. 11.

Clausula Constito, *apposita in gratia, nunquid faciat vt ea exequi non possit sine citatione, num. 12. & 13.*

DECISIO DCXXVIII.

Visum fuit Dominis sententiam Auditoris Generalis Bononien. esse infirmandam, quia cùm gratia Ioannis esset in omnibus iustificata, non erat deneganda illius executio. *cap. si Capitulo,* vbi gloss. *in verbo exequatur, de concess. præbend. in 6.* Sarnen. *in tract. Breu. numer. 4.* Mohedan. *vt lit. pendent.* & fuit dictum in Hispalen. præeminentiatum 17. Iunij 1613. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in Cremonen. pensionis 5. Decembris 1614. coram me. 1

De iustificatione constabat. Nam dispositio Pauli testatoris, in qua Alphonsus, & post eum Horatius erant instituti, & eidem Horatio quandocunque decedenti absque filiis legitimis, & naturalibus substitutus vnus Orphanus Hospitalis Sancti Bartholomæi Bononiæ sorte extrahendus, qui vocari deberet de nomine, & cognomine ipsius testatoris, probatur ex eius testamento summario *numer. 1.* Quòd Hieronymus obtineret hanc hæreditatem ex concessione fel. record. Gregorij XIII. similiter probatur ex litteris in forma Breuis, eodem summario *num. 2.* 2

Paupertas Margaritæ & eius filiorum bene etiam probatur ex testibus in summario *num. 4.* Nec talis paupertas excluditur ex eo quòd Margarita habuit dotem scut. 350. & filij possident vnam domum, & stabulum, ac aliàs possunt sibi victum quærere ex aucupio & artificio; cùm tamen fuerit narratum 3

Marga-

Margaritam esse pauperrimam, ita vt non posset aliunde suis & filiorum necessitatibus subuenire, nisi de illo subuentionis auxilio sibi succurreretur; quia testes hæc omnia deponunt, & nihilominus dicunt illos esse valde pauperes; etenim paupertas non cessat ex eo quòd quis aliquid habeat, sed parum. Castrens. *in l. id quod pauperib. n. 4. C. de Episc. & Cleric.* Luc. de Penn. *in l. omnes n. 5. C. de annon. & tribut. lib.* 10. & vbi agitur de paupertate ad certum, & determinatum effectum, non attenditur industria nec opera propter fragilitatem humanæ potentiæ, quæ variatur ex tempore, sed an quis habeat tot in bonis, itaut ex eis, viuere possit, Aldobrandin. *cons.* 28. *num.* 26. *& seq. lib.* 1. & fuit decisum in Viterbien. alimentorum 22. Iunij 1615. coram R.P.D. meo Verospio.

4 Non obstant aliæ subreptiones allegatæ. nam illa quòd Margarita, quæ in Gratia dicitur Oratrix de tempore illius, iam decesserat, ex eo non videtur releuare, quia gratia fuit concessa non solùm intuitu & ad commodum Margaritæ, sed etiam eius primogeniti, & sic eadem præmortua similiter in fauorem filiorum sustinetur, quia quotiescumque in eadem supplicatione reperiuntur duæ gratiæ separatæ factæ ad fauorem diuersarum personarum, vna mortua, gratia alteri facta non tollitur. Abb. *in cap. sedes n.* 4. & ibi Felin. *n.* 2. *de rescript.* cum aliis per Moder. *super regul.* 8. *gloss.* 5. *§.* 9. *n.* 59. *cum duobus seqq.*

5 Et difficultas omnino tollitur ex facto. Nam, vt patet ex libro Illustriss. Datarij, vbi adnotantur rescripta signaturæ Gratię summario *n.* 5. qui liber plenè probat. Rot. *dec.* 419. *in fine part.* 3. *lib.* 3. *diuers.* Seraph. *decis.* 1088. *nu.* 4. *& decis.* 1108 *nu.* 2. Supplicatio fuit signata sub die 12. Ianuarij 1599. & Margarita obiit die 14. Ianuarij, & sic biduo post supplicationẽ signatam, vt probatur ex annotatione Parochi illius temporis, & per ipsummet scribentem, & modernũ Rectorem formiter recognita, cui in hac materia stari debet tanquam de spectantibus ad eius officiũ. Imol. *cons.* 110. *ad finem.* Mandos. *super reg.* 18. *q.* 10. *n.* 4. Rot. diuersor. *decis.* 220. *n.* 1. *part.* 2. & aliàs sæpe, cum qua concordat partita libri societatis Sancti Francisci, & conueniunt testes, vt hæc omnia probantur in summario, *n.* 8.

6 Nec dubium est quin ex sola signatura Gratiæ dicatur perfecta & ius quæsitum parti. Sarnen. *in reg. de infirm. quæst.* 18. *num.* 5. *versic. Nam non est dubium.* Cassador. *decis.* 4. *num.* 2. *de caus. possess. & propriet.* Verall. *decis.* 267. *num.* 2. *&* 3. *part.* 1. *& decis.* 88. *num.* 2. *part.* 3. Accoramb. *decis.* 12. *lib.* 1. Rot. *decis.* 418. *num.* 3. *part.* 1. *diuersor.*

7 Quinimmo gratia Papæ solo verbo perficitur. Bald. *in l. humanum, ad finem versi. Breuiter veritas est. C. de leg.* Abb. *in cap. nostri num.* 4. *versic. Dic tamen quod immediatè, de electionib.* & tradunt Archidiac. Ioan. And. & omnes *in procem.* Felin. *in rubric. de constit. num.* 5. *versic. Et conclusio est,* Paris. *cons.* 5. *num.* 60. *lib.* 4. Et ideo licèt Breue fuerit expeditum sub posteriori data, nempe sub die 20. Februarij; tamen illa expeditio non debet attendi ad validitatem gratiæ, quia non est de substantia illius, sed solùm fit ad illius probationem, vt tenent omnes supradicti, & benè etiam declarat Geminian. *cons.* 106. *num.* 6. *vers. Nam licèt quoad solemnitatem.* Rot. *decis.* 87. *num.* 7. *de rescript. in antiq.* Mohedan. *decis.* 9. *vt lit. penden.* & fuit dictum in Conchen. beneficij de Valdeiudios 14. Nouembris 1611. & 13. Iunij 1612. coram R.P.D. meo Damasceno.

Alia subreptio quòd non fuerit narratum Orphanum eligendum debere extrahi ex Hospitali Sancti Bartholomæi, tollitur ex ipsa supplicatione in summario *n.* 6. vbi hoc expresè legitur, & licèt non legatur in Breui, tamen ad effectum subreptionis attenditur supplicatio, quicquid sit ad effectum iustificationis, vt pluries fuit decisum. 8

Minus etiam releuat quod fuit narratum, Margaritam fuisse à fratre simpliciter præteritam, cùm tamen testator enixè prohibuerit ne illa de suis bonis plusquam quinq; solidos haberet. Quia ex illa narratiua præteritionis satis potuit Papa saltem in genere cogitare quòd testator voluit illam à successione excludere, quod sufficit ad euitandam subreptionem. Felin. *in cap. nonnulli, num.* 18 *post med. versic. Et ideo si sic est, de rescript.* Achil. *decis.* 3. *in fin. qui fil. sint legit.* Verall. *decis.* 49. *nu.* 5. *part.* 1. Rot diuersor. *decis.* 298. *num.* 4. *part.* 2. Vltra quòd causa propter quam Papa fuit motus ad gratiam concedendam, fuit miserabilis status Margaritæ, & eius filiorum, & ideo quamuis fuisset expressa dicta exclusio Margaritæ, Papa nihilominus gratiam concessisset, nec se difficiliorem reddidisset, quo casu taciturnitas non vitiat. Ægid. *decis.* 4. Rot. *decis.* 70 *de rescript. in antiq.* Cassad. *decis.* 12. *num. fin. de præbend.* Cæsar de Grassis *decis.* 8. *num.* 2. *eod. tit.* & sæpiùs fuit decisum, &c. 9

Hinc tollitur alia subreptio quòd non fuerit narratum filios Margaritæ tempore testamenti fuisse iam natos, & testatori cognitos quia nec etiam huiusmodi narratiua retraxisset Papam à concessione gratiæ stante dicta miserabilitate, quam si ipsemet testator cogitasset posse aliquando dictis suis nepotibus superuenire, potius illos, quàm extraneum vocasset, cùm nemo præsumatur odio habere sanguinem suum. gloss. *in l.* 1. *ff. de in ius vocan.* Bolognet. *cons.* 24. *sub num.* 3. & quatenus hoc odium testator erga suam carnem habuisset, illud tanquam irrationabile Princeps non attendisset quominus talem gratiam ad fauorem nepotum concederet, sic enim Princeps censeretur disposuisse in melius, quàm fecerit testator, iuxta cons. Castrens. 358. *num.* 2. *versic. Item non video grauamen, lib.* 1. Rot. *decis.* 1122. *part.* 3. *lib.* 3. *diuersor.* 10

Vltimò non obstat quòd gratia per mortem Papę concedentis re integra expirauerit, cùm non esset gratia facta, sed commissum exequutori vt gratiam ipse faceret. *c. si cui, de præb. in* 6. & ibi gloss. & Doct. Gabr. *eod. tit. concl.* 1. *nu.* 5. cum aliis allegatis. Quia quicquid sit de hoc, an simus in gratia facta, vel facienda, tollitur difficultas, quia in vita Põtificis litteræ fuerunt præsentatæ coram executore, & fulminatus processus, ita quòd res desierit esse integra. Lap. *in d. cap. si cui num.* 4. & post eum Dominic. *nu.* 6. *vers. Lapus.* Abb. & Franc. *nu.* 3. *in fine.* Quod & tenuit Rota in Mediolanen. Antianatus 30. Octobris 1592. coram bon. mem. Orano. 11

Et quamuis dicatur processum fuisse nullum ex defectu citationis Hospitalis S. Bartholomæi, quæ erat necessaria stante clausula, *constito*, de qua in Breui; tamen hæc nullitas cessat in proposito ex tenore Breuis, in quo non fuit facta aliqua mentio Hospitalis, & ideo cùm non appareret quis esset citandus, potuit exequutor pro verificatione narratorum extraiudicialiter se informare, & assumere partes meri exequutoris, vt in terminis dictæ clausulæ tradit Ancharan. *cons.* 297. *numero* 9. & sequitur Felin. *in cap. vltimo, num.* 22. *versic. Item* 12

amplia, de præsumpt. Mandos. *in tract. de monitor. q.3. n.4. vers. Verùm etiam aduertendum*, prout sequuta est Rota in Pacen. puritatis 11. Decembris 1609. coram R.P.D. meo Manzanedo, & in indiuiduo ad perpetuandam iurisdictionem ita declarant Lap. Geminian. & Franch. *vbi suprà.*

13 Nec releuat quòd expressio iurium Hospitalis, de qua in supplicatione, fuit omissa in litteris ob malitiam partis, vt non teneretur illud citare coram exequutore, quia discordia inter supplicationem & litteras expeditas tribuitur non parti impetranti, sed expeditoribus, secundùm decis. Caputaq. 53. *lib. 1. in manuscript.*

Et ita decisum, &c.

REVERENDISSIMO P.D. DVNOZETTO.

Meliten. Baiulatus. Lunæ 5. Martij 1616.

ARGVMENTVM.

Transactio seruanda, & gesta cõtra transactionem, sunt inualida, & irritanda.

SVMMARIVM.

Concursui ad baiulatum renunciari potest, n.1.

Transactioni standum est, gestáque contra transactionem iniusta, & irritanda sunt, ibid.

Proœmium denotat causam finalem, n.2. in fine.

Transactio præsumitur facta ad tollendam omnem occasionem litigandi in quocunque casu, non autem in vno casu tantùm, ibid.

Spei, seu aleæ emptio quando facta dicatur, & de materia, n.3. vers. ex quibus.

Transactio debet sortiri suum effectum, licèt deficiat causa ex qua quis motus fuit ad transigendum, n.7. in fin.

DECISIO DCXXIX.

1 Visum fuit Dominis electionem factam in fauorem D. Commendatoris Herculis Vintimilij de baiulatu, de quo agitur, cum inde secutis, esse infirmandam, & ita standum esse in decisis sub die 27. Nouembris 1617. quia stante concordia, iuramento ipsius D. Herculis, confirmatione Apostolica, ac Magni Magistri auctoritate roborata in electione baiulatus erat præferendus D. Gulielmus Vacheras Commendator, iuxta formam dictæ concordiæ, in qua apparet in ipsius fauorem fuisse renunciatum petitioni, & concursui ad dictum baiulatum per dictum Dom. Herculem, qui propterea prohibebant petere dictam electionem. *l. si quis iusiurandum. C. de reb. hæred. l. quærit. §. si venditor. ff. de ædil. edict. l. 1. §. qui semel. ff. de succ. edict. cap. quàm periculosum*, & ibi notata 7. *quæst.* 1. cum sim. Vnde necessariò sequitur electionem factam contra formam præcisam concordiæ D. Gulielmo contradicendam esse iniustam, & irritandam. *cap. quàm sit, & cap. cupientes, de elect. in 6.* Cald. *cons. 7. nu. 3. eod. tit.* Lap. *alleg. 8. n. 6.* gloss. *in cap. si tibi absenti, de præben. in 6.* cùm nec ipsemet D. Hercules delatum baiulatum potest sine culpa periurij acceptare. *cap. fin. de iureiur. in 6.* vt ex multis rationibus firmatum fuit in supradictá decisione sub die 27. Nouembris 1617. in hac causa coram me facta, quæ rursus examinata placuerunt Dominis. non obstantibus quæ in contrarium magna verborum serie deducuntur.

Et primò non obstat, quod dicitur non euenisse casum concordiæ, quæ sola fuit facta in casu, quo alicuius prioratus, seu baiulatus vacatio eueniret, postquam dictus Hercules, seu dictus Castuel fuisset actualiter electus Magnus Commendator; & non in casu, qui non accedit, non comprehenso in dicta concordia, vt fusiùs per informantes pro D. Hercule. Quicquid enim sit, vtrùm pro adeptione licentiæ concordia suum sortita fuit effectum, responsum fuit hunc sensum non posse ex verbis dictę conuentionis, sed potiùs contrarium colligi, & primò si ponderetur principium dictæ concordiæ, apparebit initam fuisse ad euitandum lites, & conseruandam pacem inter ipsos Equites, &c. ex quo prooemio causam finalem dignosci indubitati iuris est, vulg. *l. fin. ff. de hæred. inst.* vnde dicendum partes voluisse per hanc conuentionem tollere omnem occasionem litigandi in quocunque casu, non autem in vno tantùm particulari. 2

Deinde quanto accuratiùs dd. verba concordiæ cõsiderantur, visa sunt elidere intentionem D. Herculis, quia ex his patet dictum D. Gulielmum voluisse cedere dictis DD. Vintimilio, & Castuel, eorumque cuilibet omne ius quod poterat prætendere ad Magnam Cõmendam, & licentiam, eueniente earum vacatione, & vice versa DD. Vintimilium, & Castuel renunciasse in fauorem dicti D. Gulielmi omni iuri, quod poterant prætendere in vno ex duobus Prioratibus, seu baiulatu expressis in dicta concordia, in qua leguntur hæc verba. *Il Commendatore Vaccheras d'addesso per all'hora si dichiara di lasciar correre alli detti Signori suoi doi passaggi, la dignità di Gran Commendatore, & sua locotonenza quando verranno à vacare in modo, &c.* ibi, *& per ricompensa di questa sua cessione li Signori Vintimilia, & Castuel d'adesso per all'hora sonno ceduto, & cedono ac Vacheras generale sopra l'altre dignità della lingua di Provenza.* Ex quibus verbis clarissimè demonstratur fuisse initam inter partes transactionem super futuro euentu, quasi esset emptio spei, seu aleæ, vt dicitur *in l. nec emptio. ff. de contrah. empt. & in l. sic iactum retis. ff. de act. empt.* qui casus euentualis, seu alea in duobus consistebat, quorum primum est si Magnæ Commendæ vacatio contigisset per mortem Magni Cõmendatoris ante vacationem baiulatus: alterum si euenisset processum ob adeptionẽ alicuius ex Prioratibus magni redditus, per quam ipsa Magna Commenda vacasset in vtroque, non ex istis casibus D. Gulielmus omnino excludebatur, & ipsi DD. Vintimilius, & Castuel fructu concordiæ sòli gaudebant; & licèt casus fortuitus cesserit in fauorẽ D. Gulielmi, non possunt propterea resilire à contractu, teneturque ipsam aleam subire. *d. l. nec emptio*, & ibi Bald. *de contrah. empt. d. l. si iactum*, & ibi Bart. *ff. de act.* idem Bart. *in l. cotem ferro. §. qui maximos, num. 6. vers. non ad quæstionem, de publ. & vectig.* 3

Huic interpretationi non obstant verba concordiæ in contrarium ponderata, & primò illa verba, *in modo che li sudetti siano prima di lui eletti gran Commendatori*, quia ista verba reperiuntur apposita in ea parte concordiæ, dum agebatur de dispositione Magnæ Commendę, ad quam per D. Gulielmũ videbatur ius aliis, cessum fuisse & ideò illa verba, *necnon*, debent intelligi respectu eius Magnæ Cõmendæ, vt ad eam dictus D. Gulielmus non potest prætendere ius, nisi postquam alij duo, seu vnus illorum essent priùs electi Magni Commendatores: non autem leguntur apposita respectu Prioratuum, ad quos cedebant 4

cedebant contrahentes ius dicto Domino Gulielmo in ea parte concordiæ per dispositionem particularem, quod clariùs, & euidentiùs demonstratur ex eadem declaratione apposita in cessione facta ad fauorem dicti Domini Gulielmi his verbis concepta, *& che auanti esso Vacheras non dimandaranno, ne perderanno cosa alcuna sopra quel Priorato, o Baliaggio che verrà accettare in modo che resti pacificamente prouisto d'uno d'essi auanti li sudetti successori Castuel, & Vintimilia.*

5 Ex quibus verbis visum fuit dictam Prioritatem fuisse per partes consideratam ratione dignitatis, ad quam fiebat cessio singula singulis congrue referendo, vt scilicet respectu Magnæ Commendę priùs prouiderentur DD. Vintimilius & Castuel, quàm D. Vacheras; respectu verò aliorum Prioratuum, seu Baiulatus prius dictus Vacheras, quàm prædicti alij prout sorte contigisset vacatio.

6 Nec etiam obstant illa verba apposita in subsequente cessione ad fauorem Domini Gulielmi. ibi, *d'adesso per all'hora*, & sic postquam alij obtinuissent Magnam Commendam, quia ista verba æquè fuerunt apposita, *ex nunc*, *prout ex tunc*, quando vacauerint dignitates, vt tunc censeant cessum ius, vt colligitur ex eo, quòd eadem verba reperiuntur etiam scripta in prima cessione ad fauorem D. Vintimilij, & Castuel facta, vt videre est ex lectura concordiæ. & ideò non potest dici apposita ad ostendendum prius Vintimilium, & Castuel esse prouidendum de Magna Commenda, quàm Vaqueras aliquem Prioratum, seu baiulatum assequi possit.

7 Nec placuit Dominis, quod obiicitur, lumen esse intellectum concordiæ, præsupposito, quòd Magnus Commendator deberet acceptare baiulatum vigore litterarum expectatiuæ prout maior pars Cõmendatorum prædecessorum facere solet. Placet enim responsio litteras expectatiuæ, seu antianitatis concessę Magno Commendatori non continere necessitatem, sed meram facultatem, qui vtendo iure suo nulli inferre dicitur iniuriam, & ita si Hercules, & Castuel consentiendo concordiæ cogitarunt Magnum Commendatorem acceptaturum primum Prioratum vacaturum, seu baiulatum, debebant etiam prudenter cogitare dari posse casum in quo fieri non potest acceptare in præiudicium fratris, cùm spem haberet consequendi Prioratum magni valoris si supravixisset, qui ei labi nõ potest, nec sequitur ex eo concordiam non debere sortiri suum effectum, quia non defuit causa obligationis, licèt fortè fortuitò, causa ex qua motus fuit D. Vintimilius ad faciendam concordiam. *l.1.* & ibi Bald. *C. de pact.* Iason. *in l. si pecuniam, vers.4.* facit *num.20. ff. de cond. caus. dat.*

8 Non obstat denique iniustitia, seu inæqualitas allegata per informantes pro D. Hercule, quia tota facti serie perspecta, visum fuit Dominis concordiam vtiliorem fuisse dictis DD. Herculi, & Castuel, quàm D. Gulielmo, quia in duobus casibus ipsi fructu concordiæ potiebantur, nimirum si promouebatur Magnus Commendator, aut si vacabat aliquis ex dictis Prioratibus magni honoris, & redditus, quos verisimiliter Magnus Commendator acceptasset à D. Gulielmo, nulla alia spes aderat, nisi casus, qui fortuito fouente votis fortuna aduenit.

Ex quibus, & aliis fusiùs ponderatis per informantes ita fuit vtraque parte informante decisum.

REVERENDISSIMO P. D. DAMASCENO.

Lauretana iurisdictionis. Lunæ 5. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Cardinalis assertioni standum est in pluribus casibus, de quibus in hac decisione, cætera habes in summario.

SVMMARIVM.

Successores in dignitate ligantur in ordinationibus factis de mandato Papæ, n.1.

Cardinalis assertioni creditur se aliquid fecisse de mandato Papæ, quando Papa est præsens, nec agitur de re directa tertio præiudiciario, n.2.

Cardinalis assertioni de sua commissione, seu iurisdictione creditur, ibid.

Cardinali asserenti verisimilia creditur, n.2. & 3. Vbi ponitur exemplum huius conclusionis.

Cardinalis assertioni de gestis à suo antecessore multum deferendum est, n.3. in fine.

Protectoria Ecclesiæ de iure spectat ad Episcopum, n.4. nisi fuerit deputatus specialis Protector, ibid.

Declarans id quod obscurè continetur in aliqua dispositione non dicitur de nouo facere, ibid.

Regula de non tollendo iure quæsito non est necessaria derogatio in declaratione, ibid.

Constitutiones Papæ habent suum robur etiam quòd non sint acceptata à Papa, n.6.

DECISIO DCXXX.

Post factas resolutiones in hac causa, quòd Sancta Capella sit comprehensa in erectione Cathedralis Lauretanæ, deuentum fuit ad Capitula, siue ordinationes per quondam Cardinalem Lancellottum facta, quorum interpretatio priusquam resumeretur, opportunum visum fuit, in primis disputare, an essent seruanda? Super quo dato particulari dubio, pro affirmatiua fuit tentum, quia dictus Cardinalis attestatus fuit in fine dictorum Capitulorũ, se illa fecisse de mandato Sixti Papæ Quinti, & eius communicato consilio: quando autem ordinationes emanant à Summo Pontifice, vel ab illo fuerũt confirmata, tunc ligant omnes, etiam qui successerunt in dignitate, saltem quando loquuntur sub nomine dignitatis, vt sunt de quibus agitur, ibi, *spectantia ad D. Episcopum Lauretanum:* per ea quæ latè habentur *in cap. quoniam Abbas. de offic. deleg.* vbi Panormit. *num.4. & 7.* Honded. *cons.5. num.43. vol.2.* Rot. *decis.452. num.1. part.1. diuers.* Card. Seraph. *decis.153. num.1.* 1

2 Quòd autem capitula fuerint facta de mandato summi Pontificis, & eius communicato consilio, probari visum fuit ex attestatione dicti Cardinalis: nam, etsi controuersia sit inter scribentes, an, & quando stetur assertioni Cardinalis, vt patet ex cumulatis pro vtraque parte per Gabr. *conclus.3. de prob. per tot.* attamen concordare videntur, quãdo simul concurrunt infrascripta, nempè quando Papa est præsens, ad quem facilè recurri potest pro certificatione, Gabr. *vbi suprà n.20. cum duob. seqq.* Put. *decis.3. versic. circa primum. lib.1. in nouiter impress.* Caputaq. *decis.95. part.1.* Item quòd asserat rem

directè non præiudicialem tertio, Gabr. post alios *vbi suprà num.*18. & faciunt *decis.*33.*de praben. in antiq.& decis.*Ægid.183.*in princ.* dicentes credi Cardinali asserenti de sua commissione, seu iurisdictione. Tertiò, quòd asserat verosimilia, vt colligitur ex *c. nobilissimus 97.dist.* vbi est sedes huius materiæ, ibi, *& eloquiorum illius veridicas cognoscentes assertiones*, & not. Ang. *cons.*182. *num.*1.*in fin.* Hæc autem tria visa fuerunt concurrere in proposito casu. nam quòd Papa esset præsens in loco, vbi Cardinalis fecit attestationem, non dubitatur: quòd materia non sit præiudicialis, deductum fuit ex infrà dicendis super derogatione reg. *de iur. quæs. non tollen.*

3 Quoad verisimilitudinem, considerarunt Domini, quòd in Bulla super erectione dictæ Cathedralis fit mentio, quòd remaneat Protectoria. Papa enim ibi mandat, quòd nouus Episcopus recipiat partem suæ dotis de manu Protectoris: si igitur remansit Protectoria, necesse fuit determinare, quænã esse deberet pars Protectoris, & quæ pars Episcopi. nam aliàs oriri potuissent iurgia, & dissensiones, ideoque fit verisimile, quòd Papa hoc demandauerit alicui ex DD. Cardinalibus, maximè qui fuerit legum peritus, vt dictus Lancellottus, qui fuit ante Cardinalatum Rotæ Auditor. Et augetur verisimilitudo ex subsequutis, quia huiusmodi capitula fuerunt registrata in Cancellaria Episcopali; & de capitulis Sixti Papæ V. fit mentio in quodam memoriali porrecto Clementi Papæ VIII. sub nomine Episcopi Lauretani, & per dictum Papam remisso Congregationi super Episcopis, quæ etiam scripsit litteras interpretatorias dictorum capitulorum. Sicut etiam de eisdem capitulis, tanquam confectis de mandato Sixti Papæ V. fit mentio in alio Breui Clementis Papæ VIII. sub die 17. Augusti 1599. qui amplius super illis dispositionem suam fundauit. Vnde tali assertioni de gestis ab antecessore, visum fuit esse multum deferendum, ex cumulatis per Gabr. *de probat. concl.* 2. *num.*11. Put. *decis.*355.*num.*5.*lib.*2.*in antiq.* Vlteriùs de obseruantia in genere istorum capitulorum, & de recursu ad illa in casu differentiæ inter Protectorem, & Episcopum, deponunt quatuor testes in sum. D. Protectoris *num.* 6.

4 Non obstat, quòd in dictis capitulis non fuerit derogatum regulæ *de iur. quæs. non tollen.* quia stante dubietate, quæ oritur ex Bulla erectionis, dum vult remanere Protectoriam, quæ aliàs ex natura dictæ erectionis veniebat suppressa, cùm Protectoria Ecclesiarum diœcesis de iure spectet ad Episcopum, *cap. omnes basilicæ*, cum ibi not. per Scriben. 16. *quæst.* 7. præcipuè verò ad ipsum spectat Protectoria ipsiusmet Cathedralis, ad latè trad. per Bertach. *tract. de Episcop.* 5. *part.* 4. *lib. numer.* 25. visum fuit, quòd capitula continentia declarationem huiusmodi iuris dubij, non dicantur præiudicialia, quia per declarationem non aufertur ius, sed patefit illud, quod obscurè continetur in re declarata. Ideoque declarans non dicitur facere de nouo. *l. heredes palam.* §. *si quid post factum. ff. de testam.* gloss. *in cap. per tuas*, *verb. de nouo. de donat.* Felin. *in cap. super quæstionem. num.* 1. *de offic. deleg.* & fuit dictum in hac eadem causa 27. Ianuarij 1617. coram me, & in specie, quòd in declaratione non sit necessaria derogatio regulæ, trad. Sarnen. *super dicta regula quæst.* 13. *num.* 2. *vers. & ideo pro resolutione, & seq.* Mandos. *ibid. quæst.* 7. *num.* 1. *&* 2. & contraria possent procedere, si Papa in erectione nullam fecisset mentionem de Protectoria: quia tunc huiusmodi capitula fuissent totaliter noui iuris inductiua, vt benè distinguit Sarnen. *loco suprà allegato.*

Cui motiuo dictum fuit non refragari, quod iam sit decisum Sanctam Capellam contineri in erectione, ideoque non fuisse locum nouis capitulis, quia aliàs derogarent dictæ erectioni, quia fuit responsum duas posse occurrere dubitationes in hac materia, vnam quòd Sancta Capella non sit comprehensa in erectione, ideoque Episcopum quoad illam esse habendum pro extero, perinde ac si esset alienæ, vel nullius diœcesis, & huic dubitationi occurrunt decisiones iam factæ. Altera difficultas est, quòd facta erectione Protector nullum in dicta Sancta Capella habeat ius, aut præeminentiam, perinde ac si non esset ampliùs Protector, & hoc non dicunt decisiones, nec dicere possunt, cùm ex lectura erectionis appareat, quòd Papa voluit remanere Protectoriam. 5

Non obstat, quòd non constet de consensu Episcopi pro tempore. nam præterquam quòd ex dicta registratione in Cancellaria Episcop. & ex aliis deductis pro parte Domini Cardinalis Protectoris, visum fuit dari magnum fumum de hoc, fuit dictum cessare difficultatem, quia in constitutionibus Papæ, qui habet immediatè potestatem à Deo, non est necessaria acceptatio inferioris. Iason. qui de communi testatur, *in l. de quibus, num.* 33. *de legib.* Alex. *cons.*136.*n.*19.*lib.*1. & fuit latè deductum in Romana concordiæ 11. Ianuarij 1610. coram R.P.D. meo Caualerio. 6

Quoad capitula quæ dicuntur confecta à Cardinali Vastauillano, & esse anteriora istis confectis à Cardinali Lancellotto, ideoque seruanda illa, & non ista; fuit responsum non adhuc constare vnde illa sint, propterea non posse super illis fieri fundamentum. 7

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P.D. PAMPHILIO.

Vrbinaten. seu nullius erectionis collegiatæ. Lunæ 5. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Testes de vniuersitate probant quando solùm agitur de interesse vniuersitatis, & non singulorum, testiumque numerus supplet eorum non integritatem. cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

*Testes duo, seu plures plenè probant, n.*1.

*Testes de vniuersitate probant quando non agitur de singulorum interesse, sed vniuersitatis tantùm, n.*2.

Testes non omnino integri supplentur ex numero, ibid. in fine.

*Immemorabilis præscriptio in quo differat à præscriptione longissimi temporis, n.*3.

*Augmentum cultus diuini quomodo probetur per testes, num.*4.

*Clausula, vt asseritur, ad quos referatur, apposita præsertim in litteris Apostolicis, n.*5. *&* 6.

DECI-

DECISIO DCXXXI.

1 POst resolutionem factam die 27. Ianuarij præcedentis anni 1617. super non iustificatione litterarum erectionis Collegiatæ, de quibus agitur, plures testes pro parte Abbatis, & litis consortium de nouo examinati fuerunt, & nonnulla iura producta: quibus stantibus causa super eisdem supradicta die 5. Martij proposita, Domini censuerunt, litteras erectionis esse iustificatas, & in hoc recedendum à decisis. Nam quòd terra Castri Durantis sit de insignioribus illarum partium, ac numeroso Clero, Doctoribus, & habitatoribus vrbanis abundet, cum aliis in dictis litteris narratis, bene deducitur ex dictis iuribus, & deponunt supradicti testes, qui cùm fuerint examinati citato D. Archiepiscopo, iuxta formam litterarum, & reddant sufficientem causam scientiæ, & sint plures, plenè probant, iuxta *l. vbi numerus, ff. de test. cap. licet. el 1. eod. tit.* Abb. *cons. 16. num. 1. circa med. vers. sed nunquid, lib. 1.* Alex. *cons. 186. in princ. lib. 7.*

2 Nec obstare quòd dicti testes sint de vniuersitate; quia placuit responsio, quòd cùm in erectione istius Collegiatæ non agatur de interesse singulorum, sed Vniuersitatis, dicti testes admittuntur, Bald. *in cap. insuper, num. 3. de test.* Ant. de Butr. *in cap. cùm nuntius, n. 3. eod. tit.* Menoch *de arbitr. cas. 106. num. 4. lib. 2.* Chisan. *decis. 189.* & fuit dictum in causa Conchen. limitum 19. Ianuarij 1596. coram Blanchetto, & in Sabinen. alluuionis 19. Nouembris 1601. coram Illustrissimo Cardinali Ludouisio, & aliàs sæpe; & cùm sint plures quàm duo, quatenus propter præsumptam affectionem non essent omnino integri, supplentur ex numero, & plenam fidem faciunt, Alex *cons. 99. num. 17. lib. 5.* Honded. *cons. 17. num. 42. lib. 1.* Aym. *de antiq. temp. par. 1. §. quid in lib. Officialis, n. 17 & seq.* & fuit dictum in causa Narnien. confinium 10. Decembris 1603. coram Reuerendissimo D. meo Decano.

3 Neque refragari quòd fuerit in litteris narratum dictam terram habere iurisdictionem satis amplam in circumuicinos à tempore immemorabili, quod non fuit probatum cum requisitis de quibus per gloss. *in cap. 1. verb. memoria, de præscript. in 6.* quia fuit pro responsione ponderatum huiusmodi narratiuam esse intelligendam de quasi possessione longissimi temporis exercendi huiusmodi iurisdictionem cum titulo, vt patet ibi (iurisdictionem quæ satis amplam in circũuicinos ab immemorabili tempore ex Summorum Pontificum Prędecessorum nostrorum, seu & Principum secularium concessionibus, priuilegiis, & indultis exerceat, &c.) quod quidem longissimum tempus bene iustificatur ex dictis testibus, & aliis per informantes hic deductis; non autem de tempore immemorabili propriè sumpto, cuius scilicet initij memoria non extat, iuxta terminos dictæ gloss. & quod habet vim tituli, ita vt alius titulus in eo non requiratur, Gozad. *cons. 8. num. 37.* cum aliis cumulatis per Gabriel. *de præscript. conclus. 1. n. 44. & 47.*

4 Neque obstare quòd dicti testes non deponant de augmento cultus diuini in litteris narrato; quia de illo satis constare visum fuit, ne dum ex eo, quia in huiusmodi erectione plures dignitates comprehenduntur, quæ præeminentiis vti possunt, & clarè in augmentum Ecclesiæ redundant, iuxta decis. Mohed. quæ loquitur de Archidiaconatu 24. *post princ. vers. super hoc DD. de præbend.* sed etiam quia per eam augetur numerus Presbyterorum, qui Missas aliaque diuina officia debitis temporibus in dicta Ecclesia celebrare teneantur. Put. *decis. 64. lib. 2.*

Minus releuare quòd dicta terra dicatur esse nullius diœcesis, & quòd Abbas, seu Commendatarius pro tempore existens, iurisdictionem Ordinariam, & quasi Episcopalem in ea, & locis illi subiectis exerceat, vsumque insignium Pontificialium habere consueuerit; quia fuit responsum, quòd ista determinantur per verba, *vt asseritur*, quę licèt vbi sunt plures impetrantes, ad eos aliquãdo referri possint, vt tradit Rebuff. *in praxi de dispens. ration. ætat. num. 14. vers. & vix in forensi*, cum aliis allegatis. In casu tamen de quo agitur sunt posita post narrata à parte, & post clausulam, *si ita est*, &c. quæ propterea vti separata, tãto minus censentur ab eadem parte narrata, sed potiùs per ea Papa asserere videtur ita ab aliis asseri, quo casu certum est illa non respicere iustificationem partis, licèt aliud sit in verbis, vt asserit Rot. *decis. 60. nu. 1. & 3. de rescript.* Cassad. *decis. 7. in princ. de iurepatr.* Cæs. de Grass. *decis. 2. num. 4. de preb.* Gig. *cons. 48. n. 40.* sed bene posse respicere fundamentum intentionis ipsius Papæ, ita vt si constaret de contrario, literæ possent redargui de defectu intentionis concedentis, iuxta decis. Seraph. *341. n. 8. & decis. 398. n. 1. & seq.* 5

Et ex his cessat etiam quòd non fuerit iustificatum monasterium S. Christophori carere cura, & Conuentu, & illius fructus ascendere ad florenos 100. quia vltra quòd in litteris Apostolicis, quæ dantur, ista enunciantur, & in exemplaribus libri Cameræ in verbo, *nullius*, dictum monasterium ad florenos centum taxatum reperitur, ista sunt similiter posita post narrata à parte, & post clausulam, *si ita est*, &c. & qualificata per dicta verba, *vt asseritur*, quę non sunt aliter ab impetrantibus iustificanda, ex supradictis. 6

Nec demum releuare quòd portæ dictæ terræ de nocte claudantur, & claues sub custodia Officialium remaneant, sicque non possit Canonicus Collegiatæ commodè, & sine detrimento animarum, & cultus diuini inseruire parochialibus Ruralibus, prout in dictis litteris narratum fuit, quia fuit ponderatum quòd durante huiusmodi impedimento poterit deputari Minister qui resideat extra mœnia dictæ terræ, vel aliter arbitrio Superioris dicto impedimento prouideri, ita vt animæ nullum detrimentum patiantur. Et ita decisum litteras erectionis esse iustificatas ex iuribus citato D. Archiepiscopo deductis. An autem obstet defectus non vocationis aliorum vltra Archiepiscopum, Domini voluerunt quòd particulariter videatur. 7

R. P. D. PIROVANO.

Romana Pecuniaria. Lunæ 5. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Creditor quando possit redire ad primæuam actionem, si nomen debitoris sibi à debitore assignatum non sit exigibile, Procuratorque ad exigendum non est in extinctionem debiti renouationem societatem officij, aut aliam nouationem.

SUMMARIUM.

Debitor assignans suo creditori nomen debitoris, non liberatur, nisi appareat de acceptatione dicta assignationis, num. 1.

Protestatio, & præseruatio iurium facta à creditore acceptante in solutum nomen sui debitoris, suffragatur, vt possit redire ad primæuam actionem contra debitorem, si debitoris nomen sibi datum in solutum exigi non potest, ibid. in fine.

Procurator ad exigendum non censetur habere facultatem pro extinctione debiti renouare societatem cum debitore, n. 3.

Mandatum speciale requiritur ad inducendam nouationem, ibid. in fine.

Ratificatio non datur absque specifica notitia eius quod ratificatur, ita vt implicita, & generica non sufficiat, num. 4.

DECISIO DCXXXII.

1 CEnsuerunt Domini sententiam extra Rotam in præsenti causa latam esse reuocandam. fundamentum resolutionis fuit, quia constat Lauaianum esse debitorem Patris Generalis de summa scutorũ 957. per assignationem autem, & ceu in solutum dationem à iudice factam eidem Patri Generali de nomine illorum de Grandis, qui erant debitores Lauaiano, liberatus non fuit Lauaianus nisi appareat Patrem Generalem, vel eius Procuratorem in solutum acceptasse nomen illud debitoris, vt inde periculum nominis ad eum transiisse dicendum sit. Castrens. *in l. pupill.,* § *soror, ff. de solut.* Soc. sen. *cons.* 37. *n.* 13. *&* 20. *lib.* 4 Gozad. *cons.* 3. *n.* 11. Bec. *cons.* 105. *n.* 19. & hoc non iustificatur, se potiùs contrarium, dum frater Raymundus Procurator acceptauit factum iudicis cum expressa protestatione, & præseruatione priorum iurium, nisi sibi fuerit satisfactum; ideò non sequuta actuali satisfactione, præseruatio iuriũ suffragatur, vt primæua actione agi possit contra eundem debitorem, Bart. *in l. quis alium, n.* 2. *in fine, ff. de solut.* Veron. *caut.* 123. *n.* 1. quod etiam fuit firmatum in Senogalien. prædij 14. Nouembris 1583. coram bon. mem. Bubalo.

2 Non obstat, quòd de acceptatione ab eodem Procuratore ex actis appareat, reseruatio autem iurium priorum iam fuerit extincta per nouationẽ sequentem, dum cum illis de Grandis fuit contracta noua societas super officio Camilli Meani Cursoris, qui confessus fuit habuisse illa scuta 957. à Patre Generali ad societatem officij: à tergo autem mandati legitur quitantia de eadem summa, pro qua actum fuerat contra Lauaianum, vnde dicitur de satisfactione etiam constare ex eadem confessione, pro qua, & ad eum effectum tantùm iura priora debebant deseruire, & non vltrà.

3 Ad prædicta enim fuit responsum, si omnia gesta fuissent cum eodem Patre Generali creditore principali, obiectum videbatur posse procedere ex quo iura primæua, & periculum societatis in personam eiusdem Patris Generalis simul esse transire possent, dum ex natura contractus illi de Grandis poterant lucrari sortem, non obstante reseruatione iurium, satisfaciebant enim per casum mortis eiusdem creditoris, si euenisset: secus autem quando in præsenti, actum fuit cum Procuratore ad exigendum, qui non potuit extra terminos suæ facultatis societatem renouare, & eius occasione confiteri se recepisse ab illis de Grandis summam debitam per Lauaianum, & eandem per imaginarium actum eisdem Grandis soluisse in sortem societatis, ex quo ad omnia prædicta requirebatur speciale mandatum tanquam quòd ageretur de nouatione inducenda, Dec. *cons.* 143. *n.* 12. Gabr. *cons.* 155. *n.* 30. *lib.* 1. Surd. post alios *cons.* 385. *n.* 11. Seraph. *decis.* 1419. *num.* 4. & idem Surd. *decis.* 181. *n.* 12. *&* 229. *n.* 27. *&* 28. *n.* 22.

Et si dicatur fuisse omnia ratificata per Patrem Generalem, & de ratificatione constare per epistolam ab eo Dominæ Fonsecæ, exceptio quidem ratificationis releuans videbatur: sed probatio per illam epistolam non est concludens, in qua Pater Generalis solùm dicit se fuisse certioratum ab eius Procuratore, quòd hîc in Vrbe emanauerat quædam concordia cum quodam debitore sui debitoris: sed tenor concordiæ non exprimitur, neque contractus societatis super qua cadere debebat ratificatio, quæ non datur absque specifica notitia ratificandorum, ita vt implicita, & generica non sufficiat ad effectum præiudicij. gloss. *in cap. concertationi, de appellat.* Tiraq. *de legib. connub. gloss.* 8. *num.* 183. Surd. post alios *cons.* 150. *in fin. lib.* 1. 4

Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. pensionis. Lunæ 5. Martij 1618.

ARGUMENTUM.

De transactione facta ab administratore Capituli, an, & quando liget Canonicos, & successores.

SUMMARIUM.

Mandare, vt aliquid fiat, idem est quod facere, n. 1.

Administrator censetur omnia gerere de voluntate illius qui ipsum administrationi proposuit, n. 2. in fine.

Actum quem quis impugnat, pro se allegare non potest, num. 3.

Successores in beneficio tenentur ad omnia ea, quæ tenebantur sui antecessores, quando causa obligationis est vniuersalis, ibid.

DECISIO DCXXXIII.

REsolutum fuit sententiam esse confirmandam etiam quoad pensiones decursas. Apparet enim ex transactione 1585. 29. Octobr. quòd DD. Canonici Ordinarij, non tanquam singuli, sed vti vniuersi transigendo obligauerunt beneficiatos officiales ad permittendum, quòd ipsimet possint se releuare de pensione controuersa pro eorum fabrica Canonicali, & illius perfectione, ideo cùm fructus istius pensionis exinde, & post litem motam fuerint exacti, siue ab ipsis Canonicis Ordinariis, siue ab aliis, ipsis tamen mandantibus, vel etiam à deputatis, iuxta formam concordiæ, quod in effectu idem importare videtur. *l. si procurator,* §. *si tutores, ff. mand. l. decreto, l. ita autem,* §. *gessisse, ff. de administr. tut. l. cum mandato, ff. de min.* ergo eadem obligatione vti vniuersi tenentur, & vti corpus vniuersum videntur posse conueniri ad indebita exacta restituenda, ne qui cum vno contraxit, in plures distinguatur, contra text. *l. ne in plures, ff. de exercit.* Natta *cons.* 597. *n.* 5. Rota Ianuens. *decis.* 12. *n.* 8. 1

Non

2 Non obstat, quòd in articulo sexto dato pro probato expressè legatur huiusmodi pensionem semper fuisse exactam, & expensam per Thesaurarium ab Archiepiscopo deputatum, & per ordines ab eodem Ordinario, vel eius Vicario subscriptos, fabricériosque esse corpus distinctum ab ipso Capitulo, prout & canonica est distincta, & separata à mensa communi capitulari, & de exactione per Thesaurarium etiam colligatur ex instrumentis per beneficiatos productis, vt ideo pro non perceptis conueniri non possint. Quia fuit responsum non ideò euanescere obligationem vniuersitatis Canonicorũ, quamuis per manus administratorum pecuniæ fuerint exactæ, & expensæ, cùm præsumantur gerere omnia de voluntate, & mandato præponentium. *cap. fin. de iureiur. lib. 6.* Dec. *cons.* 510. *num.* 4. Alb. *cons.* 104. *num.* 5. *vol.* 1. ideò tanquam actus inter se compatibiles mutuo se expellere non possunt.

3 Non obstat, quòd beneficiati non possint impugnare transactiones, & ex eis fundamentum desumere pro obligatione Canonicorum, contra *reg. ex eo. de reg. iur. in* 6. & aliis ad eandem regulam accumulatis per Surd. *cons.* 318. *n.* 15. Quia etiam ad huiusmodi obiectum respondebatur: quia fundamentum ne dum ex vinculo obligationis deducitur, sed exactionis pecuniarum in causam destinatam fabricæ Canonicalium ædium, quæ causa cùm sit vniuersalis, & pertinens ad Capitulum, & Canonicos vti vniuersos, debet non solùm Capitulares præsentes, sed etiam successores afficere. *cap. præsenti, de off. ordin. in* 6. *cap. grauis. de depos. in fin.* Rot. *in antiq. de probat. decis.* 41. *n.* 2. quod etiam fuit dictum in Mediolanen. fabricæ coram me 16. Ianuarij 1616.

4 Et si dicatur quòd versio magis causam particularium Canonicorum respicit, quia verè pro maiori parte aliæ ædes Canonicorum erant constructæ, sed particulares additæ ex pecuniis exactis; hæc tamen ratio non placuit Dominis, quia perfectio Canonicæ respicit vtilitatem totius Capituli, & ornamentum, non autem particularium Canonicorum, nisi in consequentiam, propter commoditatem habitationis. Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Mileuitana fideicommissi. Mercurij 14. *Martij* 1618.

ARGVMENTVM.

Fideicommissum, seu substitutio alicui facta, si sine filiis, nepotibus, pronepotibus, & posteris vsque in infinitum decesserit, eo mortuo cum filiis nunquid euanescat, & expiret, & est magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Fideicommissum seu substitutio alicui facta, si sine filiis, nepotibus, pronepotibus, & posteris vsque in infinitum decesserit, eo mortuo cum filiis euanescit, & expirat, num. 2. *& per tot. vbi latè quando conclusio vera sit.*

Grauati dici non possunt qui honorati non fuerunt, & è contra, num. 3. *&* 4.

Fideicommissum perpetuum, & absolutum testatorem instituere voluisse probatur ex consecturis, dummodo fuerint concludentes & necessariæ, aliter secus, n. 5.

Descendentium defectus quando fuit indefinitè, & indeterminatè consideratus, vtputa quia fuerit adiectum verbum in infinitum, *illis non extantibus, nunquid substitutioni locus sit, n.* 6. *& seqq. & quid si descendentes fuerunt positi in conditione in parte actiua vel passiua, n.* 11. *& seqq.*

Verba fideicommissi, seu substitutionis interpretationem recipiant à subiecta materia, n. 12.

DECISIO DCXXXIV.

Nicolaus Antonius in suo vltimo testamento reliquit iure particularis institutionis diuersa bona mobilia, & stabilia Antonellæ filiæ, hæredem autem vniuersalem instituit Gabrielem filium, volens, & mandans, quòd decedente quandocunque dicto Gabriele sine filiis legitimis, & naturalibus, de suo corpore legitimè descendentibus, vel cum filiis, & dicti filij decederent quandocunque sine filiis legitimis, & naturalibus, nepotibus, pronepotibus, posteris legitimis, & naturalibus, per directam lineam legitimè descendentibus, vsque in infinitum; tali casu omnia prædicta bona, in quibus ipse Gabriel fuit vniuersaliter institutus, reuertantur, & reuerti debeant ad supradictam Antonellam eiusdem Gabrielis sororem, & in eiusdem Antonellæ defectu, ad eius filios legitimos, & naturales, nepotes, pronepotes, posteros legitimos, & naturales, per directam lineam legitimè descendentes vsque in infinitum, &c. Mortuo testatore, Gabriel hæres vniuersalis, adita hæreditate, suscepit ex Imperia vxore Nicolaum, & Angelicam; quibus superstitibus, decessit; ex Nicolao iuniore nata est Maria, ex qua orta est Flaminia; ex Angelica autem nata est Enciona Catherina, per cuius obitum sine filiis, Nicolaus, Luca, & Agatha, filij Antonellæ, prætendentes esse factum locum fideicommisso testatoris ad ipsorum fauorem, egerunt coram R.P.D. Inquisitore Apostolico in Insula Meliten. residente, à quo sententiam fauorabilem reportarunt; causa autem in gradu appellationis commissa in Rota, dubitatum fuit, an sit factus locus fideicommisso q. Nicolai Antonij senioris, ad fauorem Nicolai, Lucæ, & Agathæ in casu, &c. quo dubio pluries proposito, tandem Domini resoluerunt non esse factum locum fideicommisso.

Moti sunt autem ea ratione, quia testator vocauit filios Antonellæ, in euentum, in quem Gabriel sine filiis decederet, vel cum filiis, qui postea sine filiis, nepotibus, pronepotibus, & posteris, vsque in infinitum decessissent; vnde cùm Gabriel filios superstites reliquerit, qui postea etiam cum filiis decesserunt; sequi decebant substitutionem euanuisse. iuxta vulg. consil. Oldrad. 21. communiter receptũ, & in Rota pluries canonizatum, & signanter in Tuderrina fideicommissi 13. Aprilis 1587. coram bo. me. Gypsio, & coram eod. in Romana hæreditatis de Fossanis 12. Febr. 1588. & in Viterbien. fideicommissi 10. Maij 1613. coram R.P.D. meo Manzanedo. 2

Addebant, quòd si contrarium diceremus, necesse esset inducere vocationem in nepotibus, & descendentibus dicti Gabrielis hæredis instituti; cùm non possint dici grauati restituere descendentibus Antonellæ, nisi etiam fuerint honorati, & vocati; iuxta *l. ab eo. C. de fideicommiss.* quæ tamen vocatio 3

non videbatur adesse, cùm tantùm fuerint positi in conditione, secundùm magis communem opinionem: gloss. *in l. Lucius Titius, ff. de hæred. instit.* quam Rota sequitur; & in puncto, quòd quando non solùm filij, sed etiam descendentes fuerunt in conditione positi, non censeantur vocati. Peregr. *de fideicommiss. art.* 28. *n.* 26.

4 Et licèt è contra, si isti filij, & descendentes fuissent nominatim à testatore grauati, posset ex tali grauamine facilè inferri ad vocationem; Put. *decis.* 215. *in prima coniect. lib.* 3. Peregr. *de fideicommiss. art.* 11. *num.* 30. vbi de communi, *& art.* 12. *num.* 7. tamen in casu proposito, nullum dicebatur adesse grauamen, quoad posteros, & descendentes; cùm simpliciter fuerint tantùm positi in conditione respectu nepotum testatoris, per ea verba, *vel cum filiis, & dicti filij quandocunque decederent sine filiis, nepotibus, pronepotibus, posteris*, &c. & ideo statim ac filij, & nepotes testatoris decesserunt cum filiis, prout in casu isto, euanuit substitutio actiua Antonellæ, eiusque descendentium; quidquid de nepotibus, aliisque descendentibus in conditione positis in parte passiua fieri contigerit, vt in puncto loquitur Oldrad. *in dicto cons.* 21. & in his terminis eum sequuti sunt Ioan. Andr. *in addit. magna Specul. in tit. de testam.* §. *in primis qu.* 5. Dec. *cons.* 218. *n.* 7. *vers. Testator*, &c. *& cons.* 291. *num.* 5. *vers. & hoc idem*, Simon. de Præt. qui plures congerit *de interpret. vlt. volunt. lib.* 3. *fol.* 2. *num.* 12. *&* 13. *fol. mihi* 298. *&* 299. & valde facit pro hac parte decis. Card. Seraph. 482. *num.* 1. *quæ est ead. cum decis.* 659. *part.* 3. *diuersor.* vbi erat facta substitutio filio decedenti sine filiis, nepotibus, & descendentibus ad fauorem alterius filij, eiusque filiorum, & descendentium; & tamen, quia ibi filius institutus decesserat cum filiis, dictum fuit substitutionem euanuisse, iuxta cons. Oldrad.

5 Et licèt à dicto cons. Oldrad. recedatur, quando ex coniecturis apparet testatorem voluisse instituere perpetuum, & absolutum fideicomm. Gabr. Eugub. *cons.* 123. *num.* 10 *&* 27. *lib.* 1. & alter Rom. *de fideicomm. conclus.* 7. *num.* 4. cum aliis adductis in prædictis decisionibus Tudertina, & Viterbien. fideicommiss. Tamen, vt ibidem dixit Rota, tales coniecturæ debent esse concludentes, & necessariæ, & quæ ex ipsius testamenti verbis eliciantur, quales non visæ fuerunt illæ, quæ pro fideicommisso adducebantur, quarum singulis respondet Rot in eisdem Tudertina, & Viterbien. in quibus decisionibus huiusmodi coniecturæ fuerunt reiectæ, & reprobatæ ad effectum, vt ex illis à dicto cons. Oldr. recedi debeat.

6 Nec dicebatur obstare, quòd quando defectus descendentium indefinitè, & indeterminatè fuit consideratus, quandocunque illi non extent, censeatur esse locus substitutioni, vt per Alex. *cons.* 43. *lib.* 3. *& cons.* 101. *lib.* 7. Socin. *cons.* 250. *num.* 4. *& seq. lib.* 2. cum aliis allegatis. Nam placuit responsio, quòd testator in casu isto non habuit respectum ad tempus mortis omnium descendentium Gabrielis, nec simpliciter Antonellam, eiusque descendentes, omnibus illius descendentibus substituit; sed tantùm respexit tempus mortis Gabrielis, & filiorum sine filiis; quod indicant verba, *Tali casu*, quæ ad hoc ponderant Alex. *in d. cons.* 101. *n.* 13. *circa princip. lib.* 7. & alij, quos cumulat Peregr. *de fideicomm. art.* 29. *n.* 15. *&* 18. & animaduertit Rot. in Romana fideicommissi de Gallis 11. Decembr. 1587. coram bon. mem. Cardinali Pamphilio.

Ad consil. verò Alex. & aliorum responsum fuit ibi fuisse consideratum tempus mortis, non solùm filiorum, & nepotum, sed omnium descendentium in conditione positorum; quia erat facta substitutio, per verba, *deficientibus descendentibus, vel si nullus masculus ex liberis superesset*; qui termini longè distant à casu proposito, vt distinguit Socin. *in l. solemnius, n.* 6. *ff. de cond. & demonstr.* Dec. *cons.* 480. *num.* 8. *& cons.* 594. *nu.* 6. *vers. & ista conclusio*, Ruin, *cons.* 126. *num.* 12. *lib.* 1. *& cons.* 115. *n.* 4. *&* 5. *lib.* 3. Card. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 11. *tit.* 6. *n.* 7. Peregr. *de fideic. art.* 29. *n.* 9. *&* 27. *cum seq.* 7

Respondebatur secundò, quòd ibi descendentes non solùm fuerant in conditione positi, sed etiam expresè vocati, in quibus terminis loquitur Gabr. *d. cons.* 123. *n.* 17. *&* 18. *lib.* 2. quo casu ex vocatione faciliùs poterat inferri ad grauamen, quàm si tantùm fuissent in conditione positi, vt hîc. 8

Minus obstare videbatur, quòd decedente Gabriele cum filiis ac etiam filiis ipsius cum filiis; non tamen dici posset decessisse cum descendentibus, vsque in infinitum, stante defectu lineæ in persona d. Encionæ Catherinæ, & Flaminiæ; & sic non videbatur omnino deficere, immò potiùs existere conditio apposita fideicommisso. Quia sufficere visus fuit defectus illius conditionis, si sine filiis, & filiorum filiis; vt in dicta decis. Card. Seraph. & aliis suprà relatis, & illa verba, *Nepotibus, pronepotibus, posteris, & descendentibus*, benè operantur, vt non sit locus substitutioni actiuæ; donec extent descendentes positi in conditione in parte passiua; sed non propterea inferri dicebant, vt omnibus descendentibus Gabrielis sit facta substitutio de Antonella, vel eius descendentibus; vt in specie respondet Ioan. Andr. *in d. addit. magna ad Specul. in tit. de test.* §. *in primis, quæst.* 5. *vers. nec obstant*, &c. Dec. *d. cons.* 218. *sub n.* 7. *& cons.* 291. *n.* 5. 9

Ad illud, quòd pro impossibili adducebatur, quòd Gabriel tandiu potuisset superuiuere, vt Antonella habuisset descendentes in gradibus ita remotis; & sic quòd inanis fuisset vocatio descendentium, si substitutio erat restricta ad vitam dicti Gabrielis, & filiorum sine filiis; placuerunt responsiones datæ in dicta Tudertina fideicommissi coram bon. mem. Gypsio, in vers. nec dicatur. 10

Prout nec Dominis obstare videbantur illa verba, *in infinitum*, tam in actiua, quàm in passiua substitutione apposita; ex quibus informantes pro filiis Antonellæ prætendebant substitutionem non posse dici determinatam, & restrictam ad tempus mortis Gabrielis, & filiorum sine filiis, cùm sint hæc de directo contraria; tempus determinatum, & infinitum. Nam placuit responsio deducta ex eodemmet cons. Oldr. & aliis suprà relatis, in quorum casibus descendentes non solùm fuerant vocati in parte actiua, sed etiam positi in cõditione in parte passiua, & ideò, etsi in dictis casibus nõ aderant verba in infinitum; tamen aderant verba æquipollentia, quæ huiusmodi infinitatem importabant, cùm appellatione descendentium, veniant omnes ordine successiuo, vsq; in infinitũ, Alex. *cons.* 56. *n.* 2. *vers. & ita est, lib.* 1. Ruin. *cons.* 164. *n.* 7. *lib.* 3. Rot. *diuers. decis.* 212. *n.* 2. *p.* 2. Seraph. *decis.* 939. *n.* 1. *&* 5. & fuit in his terminis resolutum in supradicta Tudertina fideicõmissi. 11

Præterea Domini animaduertebant huiusmodi contrarietatem posse euitari, attentis diuersis euentibus, ita, vt dictæ infinitati esset locus, existente illa conditione obitus Gabrielis, vel filiorum siue filiis; 12

cùm

cùm huiusmodi verba interpretationem recipiant à subiecta materia, & à conditione illa regulari debeant eodem themate semper retento. Cephal, *cons.* 17. *num.* 9. *&* 30. *cum seq.* Rot. *diuers. decis.* 230. *num.* 1. *vers. non obstant p.* 2. & fuit dictum in eadem Tudertina fideicommissi, in vers. præterea, & in d. Viterbien. fideicommissi in vers. minus videbatur.

13 Et licèt in dictis casibus verba in infinitum fuissent tantùm apposita in parte actiua, non tamen censuerunt à d. cons. Oldrad. esse recedendum in casu isto; ex quo dicta verba, *in infinitum*, fuerunt apposita etiam in parte passiua, quia cùm illa non valeant operari, quòd descendentes in conditione positi censeantur vocati, multo minus per illa poterunt censeri grauati, vt dictum est, & in puncto, quando etiam in parte passiua, fuerunt apposita verba in infinitum descendentibus in conditione positis, respondit Cephal. *cons.* 419. *lib.* 3. vbi etiam *num.* 30. respondit ad duplicem conditionem hîc ponderatè pro filiis Antonellæ, videlicet, si Gabriel decesserit sine filiis, vel cum filiis, & dicti filij sine filiis decesserint.

14 Ad alias coniecturas hîc per informantes adductas, ad ostendendum quòd nepotes, & descendentes Gabrielis, censeantur vocati contra magis communem opinionem; placuerunt responsiones datæ in dd. decisionibus Tudertina. & Viterbien. & per informantes. Et in omnem euentum Domini dicebant, quòd quatenus dicti descendentes ex coniecturis possent censeri actiuè vocati, non tamen ex hoc inferri posset, quòd fuerint passiuè grauati. Rip. *in l. centurio, num.* 168. *ff. de vulg. & pup.* Aym. *cons.* 98. *num.* 5. Cephal. *cons.* 514. *per tot.* Sfort. Odd. *cons.* 66. *num.* 97. *&* 106. & dixit Rota in d. Tudertina fideicommissi, & in Romana hæreditatis de Fossanis 29. Aprilis 1588, coram bon. mem. Gypsio, & in dicta Viterbien. fideicommissi coram R.P.D. meo Manzanedo.

Ex quibus Domini censuerunt non esse factum locum fideicommisso.

R.P.D. BVRATTO.

Meliten. habitus. Mercurij 14. *Martij* 1618.

ARGVMENTVM.

Actorum transportatio integrè facta præsumitur, actaque primæ instantiæ an, & à quo transportanda sint.

SVMMARIVM.

Actorum transportatio præsumitur integrè facta, n. 1.
Acta primæ instantiæ nunquid transportanda sint, & à quo, n. 2. *&* 3.

DECISIO DCXXXV.

1 POst duas sententia Rotales causa coram me deuoluta ad instantiam sacræ Religionis, dubitaui an integrè acta essent transportanda? Et DD. affirmatiuè responderunt, adhærentes regulæ, quòd nisi aliud doceatur, pro integra transportatione præsumatur, iuxta doctrin. Bart. *in rubr. de nou. oper. nunciat. num.* 8. *versic. sed si non apparet*, sæpiùs per Rot. ad hoc propositum approbata, vt in Senogallien. siluæ 24. Maij 1577. coram Cotta in Vratislauien. matrimonij 6. Februarij 1609. coram R.P.D. meo Caualerio, & in aliis.

Vltra quam præsumptionem DD. visum fuit nec etiam fuisse necessariam actorum primæ instantiæ coram Magno Magistro transportationem, super cuius tantùm defectu, insistebant informantes pro Religione. Nam cùm à dicta sententia, per quam pronunciatum fuit probationes super nobilitate pro D. Marco factas fuisse, & esse bonas & validas pro lateribus & familiis de Rubeo, & Minardis; pro lateribus verò & familiis de Pirro, nouas probationes fieri, iuxta stylum, & antiquas constitutiones, neutra partium appellauerit, immò vtraque illam acceptauerit. 2

Dominus quidem Marcus nouas inducendo probationes, aduersarij verò oblatione statim facta refectionis expensarum in termino vnius anni, iuxta formam dictæ sententiæ necesse non fuit transportare acta in illa instantia & iudicio, à quo non pendet appellatio, cùm nec illa producta fuerint in nouo processu secundæ sententiæ dicti Magni Magistri, à qua hinc inde appellatum fuit, vt tenuit Rota in Vratislauien. matrimonij 6. Februarij 1609 coram R.P.D. meo Caualerio in Papien. Archipresbyteratus 26. Aprilis 1610. coram bon. mem. Pegna, & nuper in Neritonen. habitus 26. Ianuarij 1617. coram R.P.D. meo Verospio, & in aliis ibi relatis.

Nec obstat quòd videatur necessaria omnium actorum transportatio, quia stantibus amplissimis clausulis cōmissionis, totius causæ cognitio ad Rotam deuoluta fuit, ac per sententias Rotales pronunciatum D. Marcum admittendum esse ad habitum, & propterea illæ non possunt ex actis iustificari, nisi omnia exhibeantur, fortè enim potest ex prioribus actis apparere de aliquo defectu circa omnia latera. Nam respondetur, quòd cùm religio, vt dictum est, eiusque adhærentes circa dicta duo latera, non appellauerint; hoc non præsumitur, sed potiùs contrarium, *cap. cùm inter, de re iudic.* Bald. *in cap. nostra, de election.* & si religio id prætendebat, ipsa ea transportare debebat, non autem Marcus, cui sat est transportasse acta sententiæ, à qua appellauit, vt in dd. Romana vineæ, & Neritonen. habitus. In quam sententiam eo libentiùs DD. descenderunt, quia religio iam per duas instantias in Rota tacuit, & disputauit tantùm cum processu producto & hodie transportato.

Ex quibus pro integra transportatione decisum fuit, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Lucerina census. Mercurij 14. *Martij* 1618.

ARGVMENTVM.

Census debet priùs imponi in re certa designata per confines, & postea vendi, & quando hoc factum censeatur: validumque est pactum in contractu census appositum, quòd venditore existente moroso in tribus terminis, emptori liceat repetere sortem principalem.

SVMMARIVM.

Census validitas requirit, vt priùs ille imponatur, &

postea vendatur. Declara vt num.2.

Actus quilibet præsumitur gestus in exequutionem præcedentis contractus, ibid.

Census forma statuta vigore Bullæ Pij V. non seruata inualidus reputatur, n.3.

Census debet imponi super re certa per confines designata, & quando sic impositus dicatur, n.3. & 4.

Parochia confinis in instrumento census expressus quid importet, n.3.

Confines satis expressè dicuntur per duas demonstrationes, num.4.

Confessio in instrumento emanata non tollitur per contrariam assertionem partis, ibid.

Census impositus cum pacto quòd venditore existente moroso in tribus terminis restitui debeat sors principalis, non est inualidus, sed validus, n.5.

DECISIO DCXXXVI.

1 Censuerunt Domini sanato iam defectu præsentis pecuniæ ex gratia Sanctissimi in reliquis censum esse validum, non obstantibus quæ ex aduerso opponuntur.

2 Primò enim non obstat quòd non fuerit venditus census, sed tantùm annui ducati quinquaginta; cùm tamen de substantia creandi census videatur in primis necessarium, quòd imponatur, & deinde vendatur, quod omissum in præsenti dicebatur, & repugnare validitati census. Quia animaduertunt Domini quòd in narratiua instrumenti dicitur fuisse transactum, vt Spartaforis venderetur annuus census scutorum quinquaginta. ideo volens dictam transactionem adimplere vendiderunt dictos annuos ducatos quinquaginta: dum igitur actum est de vendendo censum, certum est quòd subsequens venditio non est de alia re, sed exequutio præcedentis contractus. *l.quadam mulier*, cum gloss. *ff. de rei vend.* Bec. post alios *cons.6.num.6.* dicens etiamsi expressum non esset, nihilominus intuitu tituli præambuli omnia censeri gesta, & illa impositio, quæ priùs solet fieri super re censita, non videtur de substantia. quia virtualiter inest venditioni census super bonis expressis. nam vendendo annuos ducatos 50. super bonis, eodem modo imponit vinculum, hypothecam, & obligationem rei adiectæ, ac si præcessisset formalis constitutio. *l.cedicillis, §. instituto, ff. de leg.2.* Rom. *cons.388.nu.2.& sing.* 631. Crem. *sing.* 46. Negusant. *de pignor.4.membr.2.partis, n.164.vers. vigesimus tertius casus.*

3 Similiter non obstat quòd census fuerit impositus super re, vel rebus certis finibus non designatis, prout necessarium est pro forma Bullæ de censibus Sanctissimæ me. Pij V. qua omissa ipso iure dicebatur intrare nullitatem. *cap. cum dilecta.* vbi Felin. *num.6.vers.gesta contra formam, de rescript.* cum aliis allegatis. Nam contrarium videbatur colligi ex lectura instrumenti dum venditur annuus redditus super omnibus eorum domibus, & iuribus sitis intra ciuitatem in parochia Episcopatus iuxta domos Marci, Ludouici Carellæ, & iuxta domos Felicis de Reuccio, & alios cõfines, hic enim concurrunt tres confines, nempe parochia, quæ est certis limitibus distincta, ita vt quidquid est intra illam, certificatur per limites illius, & sufficeret de per se tanquam apta in casum peremptionis fundi censiti designare fundum peremptum, & hanc genericam expressionem in fortioribus terminis admittunt Gemin. & alij *in cap.2.de reb.Eccles.non alien.* Alex. *cons.189.n.9. lib.7.* Laurent. de Rodulph. *in cap.sine except.12.qu.2. n.19.* Menoch. *cons.287.n.11.*

Sed vlteriùs concurrit specialis, & indiuidua demonstratio per alios duos confines Marci Ludouici, & Felicis, quæ secundùm opinionem Bart. sæpiùs receptam in Rota *in l. demonstratio, num. 14. ff. de condit. & demonstr.* Roland. *cons.46 num.30. lib.3.* Ruin. iun post alios *cons.59.num.37.lib.1.* & hæc expressio eo magis videtur attendenda, quia pro certis finibus fuit apposita dum subiungitur, *& alios confines*, quasi pro iam expressis sufficienter illa generalitas bonorum esset certificata; neque releuans est replicatio quòd Octauius in illa ciuitate non habeat nec domos, nec vineas, quia non creditur parti asserenti contra propriam confessionem ex instrumento emanatam, nec fundamentum aliquod potest desumi, quia exinde fuerit additum, & super omnibus aliis eorum bonis stabilibus, quia ista clausula remanebit inutilis propter suam incertitudinem, sed non propterea præcedens specifica remoueri debet, ne vtile per inutile vitietur contra regulam vulgarem. 4

Demum non obstat quòd census vitietur per pactum, quòd ob morositatem trium terminorum liceat emptori census repetere sortem, quod dicebatur aduersari dispositioni eiusdem Bullæ. Quia fuit dictum quòd huiusmodi pactum non est cõtra substantiam, neque ex dispositione iuris communis, neque ex eadem Bulla Pij V. prout discutiendo articulum fuit firmatum coram Reuerendissimo nostro Decano in causa Maliacucen. census 16. Martij 1615 & ad summum vitiabitur pactum, sed contractum non vitiabit, vt in ea decisione benè declaratur. Et ita, &c. 5

R. P. D. PIROVANO.

Mediolanen. decimarum de Varisio. Veneris 16. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Quasi possessio exigendi decimas censetur probata per instrumentum roganum effectuata per solutiones, & per testes deponentes, vt in hac decisione.

SVMMARIVM.

Quasi possessione exigendi decimas probatur per instrumenta rogationum effectuata, & per solutionem, numer.2. & 3.

Testes super quasi possessione exactionis exigendi decimas, quomodo deponere debeant, n.3.

Possessio medij temporis censetur probata probatis extremis, n.4.

DECISIO DCXXXVII.

Post resolutionem diei 12. Ianuarij præteriti, in qua dictum fuit constare de retentione decimarum locorum Acciari, & Galliati ab anno 1396. vsq; in præsens, successiuè dubitatũ fuit, an idem probetur respectu locorum de Bodio, Dauerio, Buguzate, & Malnate? quòd affirmatiuè fuit resolutum, quia instrumenta, testes, & coniecturæ vehementes hoc etiam bene concludunt. 1

Dantur enim in summariolo plura instrumenta locatio- 2

locationum; & confessionum successiuè per duo sæcula vsque ad diem motæ litis, quæ contigit de anno 1604. respectu namque terræ Bodij sunt quinquaginta vnum, & ex illis decem & octo positiuè effectuata per subsequentem solutionem. Quo ad terram Dauerij sunt viginti septem, & ex prædictis vndecim per instrumenta confessionum effectuata. De Buguzate dantur decem & nouem, inter quæ decem instrumenta confessionum connumerantur. Demum pro Malnate sexdecim fuerunt exhibita, & ex illis octo effectuata per similes confessiones, ex quibus bene probatur continuatio retentionis decimarum etiam in præiudicium tertij, dum concurrunt adminicula antiquitatis, multiplicitatis locationum, & effectuationis earundem pro maiori parte, per quæ admittitur probatio ad quemcunq; effectum, Crauet. *de antiq. temp. p. 1. §. viso de fama, n 22.* cum aliis allegatis in istis terminis & causa *in d. decis. 12. Ianuarij præteriti.*

3 Similiter testes idem confirmant quoad prędicta quatuor loca. nam de Bodio quatuor testes concludunt factum exactionis, & retentionis vsq; ad diem motæ litis per rationes admodũ concludentes, quia arrendatores, vel ipsimet soluerunt vel ab aliis solui viderunt: idem dicunt de Dauerio alij duo testes dati in summariis, vnus deponit de toto recordatu vitæ suæ, cùm esset annorum 70. alter verò quòd semper fuerunt exactæ decimæ nomine prædictæ Ecclesiæ per multos annos, & de Buguzate similiter deponunt alij testes dati, & per easdem rationes de facto proprio, & de visu per quinquaginta annos, ac demum de Malnate conuincitur per alios duos testes de facto eorum proprio immediatè soluendo decimas, & de visu ab aliis per longissimum tempus, atque ita factum retentionis bene iustificatur, & per hunc modum, quòd sit releuans, & concludens, admittunt, & firmant Bero. *cons. 20. n. 4. & seqq. lib. 1.* Gemin. *cons. 117. num. 3.* Gail. *obseruat. 66. n. 2. lib. 2.* & R. P. Moneta *de decim. cap. 5. n. 79.* Gabr. *de testib. conclus. 2 n. 33.*

4 Demum concurrunt illæmet pręsumptiones, quę pro Acciate, & Galliate fuerunt expressæ in supradicta decisione diei 12. Ianuarij pręteriti, nempe antiquissimæ confessiones, & recognitiones incolarum, quòd huiusmodi decimæ integræ spectarent ad Collegiatam, ac status bonorum cuiuslibet ex dictis parochialibus factus in Visitationibus per Sanctum Carolũ, & pro tempore successores ante motam litem, in quibus dicitur, quòd decimæ soluuntur Canonicis de Varisio, & exinde concordat solitum præstandi consensum per Capitulum ad nouas erectiones semper cum præseruatione retentionis decimarum: atque ita certa consequentia deducebatur, quòd si huiusmodi Ecclesia ante annum 1396. habebat istas decimas, & adhuc de tempore ante motam litem easdem exigebat, prout testes, instrumenta, & visitationes iustificant, inde colligitur certitudo exactionis, & retentionis inter vtrumque tempus, Bart. *in l. sicut, §. superuacuum, num. 7. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solu.* Bald. *in l. indicia, nu. 6. vers. quintò quæritur. C. de rei vend.* Loffr. de Oriano *in cap. quoniam contra, in verb. testium deposit. num. 136. vers. & quia non sufficit. de probat.*

Et ita, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Fanen. Saluiani. Veneris 16. *Martij* 1618.

ARGVMENTVM.

Donatio facta per virum sponsę ante contractum matrimonium, an, & quando valeat. est singularis decisio.

SVMMARIVM.

Donatio inter sponsum, & sponsam ante contractum matrimonium valida est, num. 1. in fine, & n. 2 & 3. Vbi ampliatur hæc conclusio, etiam adiecta conditione, si nubat.

Conditionalis non dicitur dispositio facta sub ea conditione quæ à lege tacitè intelligitur, n. 2. in fine.

Donatio facta inter sponsum, & sponsam, collata tamen in tempus contracti matrimonij, non valet, nu. 4. & 5.

Donatio facta per maritum sponsæ ad effectum augendi dotem, dicitur facta ex causa onerosa, & valida est, num. 4.

Donatio facta per maritum sponsæ pro augenda dote, & ob causam futuri matrimonij, non sufficit solemnitatibus statutorum vrbis, n. 6. 7. & 8.

Donatio facta ob causam non dicitur pura, etiam quòd dicatur quòd donans sua voluntate, & liberè donat, num. 6.

DECISIO DCXXXVIII.

PRoposui dubium super validitate donationis de qua agitur die 8. Martij 1613. in decisione reseruatum. quod DD. supradicta die 16. Martij 1618. pro hæredibus Dorotheæ informan. affirmatiuè resoluerunt, donationem scilicet esse validam, quia illa fuit inter sponsos ante contractum matrimonium purè & simpliciter facta, vt patet ex publico instrumento, ibi, *Antonius ex sui animi benignitate erga Dorotheam, & libera sua voluntate ei donat donatione pura, & irreuocabili inter viuos scuta* 1000. &c. itaut non censeatur collata in tempus matrimonij. quod etiã colligitur ex eo, quia etiam matrimonio non sequuto culpa Antonij fuit inter partes expresè conuentum, quòd d. scuta 1000. per Dorotheam acquirantur. Sanch. *de matrim. lib. 6. disp. 18. nu. 2. in fine.* quæ propterea tanquam sponsalitia largitas inter sponsos ante contractum matrimonium facta sustinetur. *l. penult. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. cùm veterum. C. de donat. ante nupt.* Mantic. *de tacit. & ambig. coniect. lib. 10. tit. 1. n. 5. ad fin. & n. 8.* 1

Non obstant verba immediatè sequentia, dummodo sibi nubat, & ipsum Antonium dicta Dorothea in maritum accipiat, & non aliàs, &c. quia ista conditio in huiusmodi donatione inter sponsos hodie tacitè inest, ex dispositione *dicta l. cùm veterum. C. de donationib. ante nupt.* & tradit ibi Bald. Salyc. & alij Mantic. *de tacit. & ambig. coniect. dicto lib. 20. num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 6. dicta disp. 18. num. 2. vers. iure autem nouiori.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 19. num. 1. & seq.* Molin. *de contract. disp. 290. num. 2.* quæ propterea licèt fuerit expressa, non operatur quòd donatio censeatur collata in tempus matrimonij contracti, nec reddit ipsam donationem conditionalem, iuxta *l. 3. ff. de legat. 1. l. conditiones extrinsecus, ff. de condit. & demonstr.* Oldrad. *cons. 223. n. 3.* Lap. *allegat. 60. num. 2.* Geminian. *cons. 84. num. 19. vers. non obstat, & cons. 106. num. 12.* 2

Prout nec etiam reddunt donationem condi- 3

tionalem alia similiter sequentia verba, quòd si per d Dorotheam steterit quo minus matrimonium inter ipsos contrahatur, donatio nullum sortiatur effectum; si verò steterit per Antonium, suum plenum & liberum sortiatur effectum, & dicta Dorothea acquirat dicta scuta 1000. absque vlla exceptione, & crescant in augmentum suæ dotis, quia etiam ista tacitè insunt, ex dispositione *dicta l. cum veterum*, & ibi trad. Doct. *C. de donat. ante nupt.* Sanch. *de matrim. dicto lib.6.disput.18.n.3.* Molin. *de contract. dicta disput.290.n.3.*

4 Neque obstat text. *in l.si stipulatus 97.§.si tibi nupsero, ff.de verb. oblig.* quia placuit responsio, quòd illius dispositio procedat quando donatio est facta ex causa lucratiua, quæ in tempus contracti matrimonij infertur, non autem quando, prout in casu isto, donatio est purè, & simpliciter ab initio ante contractum matrimonium facta, & pro augenda dote, quæ est causa onerosa, vt de donatione facta pro dote not. gloss. *ibi, verbo nec verò*, & trad. Bart.Bald. Angel. Castren. Alciat. & alij, Præpos. *in cap. de illis, sub num. 1. vers. vel aliter & alij, de condit. appos.* & fuit dictum in hac causa sub die 27. Aprilis 1612. coram Card. Ludouisio, & de donatione facta pro dote augenda, per text. *in l. si constante. C. de donat. ante nupt.* tradit idem Alciat. *in dicta l. si ita stipulatus, §. si tibi nupsero, num.5. ff. de verb. oblig.* cum aliis allegatis.

5 Ex quibus apparet nec etiam applicari casui de quo agitur, dispositio *l. quod sponsæ C. de donat. ante nupt.* quæ similiter expressè loquitur de donatione quæ in tempus contracti matrimonij confertur, vt ibi, vt tunc dominium eius adipiscatur, cùm nuptiæ fuerint sequutæ, & not. gloss. *in dicta l. si ita stipulatus, §. si tibi nupsero, verbo nec raro, circa med. vers. è contra, ff. de verb. oblig.* Sanchez *de matrim. dicto lib. 6. disp. 1. n.6. & seq.*

6 Minus releuat quòd in casu isto non fuerint seruatæ solemnitates in donatione requisitæ, ex dispositione statuti vrbis *lib.1.cap.149.* quia placuit responsio quòd cùm huiusmodi sponsalitia largitas fuerit expressè facta ob causam futuri matrimonij, vt fuit etiam ponderatum in decisione d. die 8. Martij 1615. & de iure ob eandem causam hodie facta intelligatur, *d. l. cùm veterum*, &c. *de donat. ante nupt.* Sanch. *de matrim. d. lib.6. disp.1. sub n. 1. vers. sponsalitia largitas*, sequitur quòd huiusmodi solemnitates in ea non requirantur. Natt. *cons. 609. num. 14. & seqq.* Surd. *decis.214. num.15.* quòd procedit, licèt in ea adsint illa verba, *libera sua voluntate ei donat, donatio pura*, &c. quia non tollunt quin dicatur donatio facta ob causam futuri matrimonij, licèt sit pura & libera, cùm dicta causa in ea tacitè insit, & in casu isto fuerit per partes expressa, vt dictum est, & tradit Dec. *cons. 259. num. 2.* Bec. *cons. 20. numer. 29. & seq.*

7 Et ex hoc tollitur quòd in ea non interuenerit insinuatio requisita per dictum statutum *lib. 1. cap. 150.* quia illius dispositio restringit se ad causam insinuationem requirentẽ, & propterea non comprehendit donationem ob causam futuri matrimonij, in qua scilicet insinuatio non requiritur. Dec. *cons. 414. num. 15.* Purpurat. *cons.353. numer.29.* Menoch. *cons.261. num.9. & seq.* Surd. *dicta decis. 214. num. 16. vers. & idem est.*

8 Quo verò ad statutum *eod. lib. 1. cap. 155.* placuit responsio quòd per illius dispositionem non prohibetur donatio inter sponsos, immò admittitur quatenus est à iure permissa, qualis est sponsalitia largitas purè & simpliciter ab initio ante contractum matrimonium facta, iuxta superiùs deducta.

Et ita decisum, &c.

R.P.D. VBALDO.

Romana tutelæ de Boncompagnis. Veneris 16. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Custos rei quam dicit sibi subtractam esse, ad hoc ne teneatur illam domino eiusdem rei furatæ restituere, quomodo debeat furtum probare. est notabilis, & magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Furtum debet concludenter probari ab eo, qui ad furatæ rei custodiam tenetur iure actionis, secus si officio iudicis, n.1.

Furtum per asportationem scrinij, vel eius fracturam in qua res furata dicebatur inesse concludenter probatum censetur, ibid. vbi de materia.

Furtum probatur per rumorem exortum in vicinia tempore furti, vel quid simile, ibid.

Furtum licèt probetur coniecturis, coniectura tamen debent habere originem aliunde, quàm ex persona illius, qui furtum allegat ad effectum se excusandi à restitutione rei furatæ, ibid.

Furtum nunquid probatur, & quando ex porrectione querelæ illius qui dicit sibi furtum factum fuisse ex lamentationibus, & gemitu eiusdem ex diligentiis adhibitis pro reperiendo furto, & similibus, ibid. ante finem.

Furtum probatur coniecturis concurrente bona fama illius, qui dicit furtum sibi factũ fuisse. Declara vt n.2.

Iuramento furtum passi probatur qualitas, & quantitas rerum subtractarum, Declara vt ibid.

Excommunicationis timore testis aliquid deponens quantum probet, ibid. ad finem.

Inuentarium factum ab hærede sine tempore non probat, num.3.

Testis dispositio affectata facta in iudicio criminali, vel extorta metu tormentorum, si fuerit reuocata nihil probat, n.4.

DECISIO DCXXXIX.

Domini steterunt in decisis in hac causa 13. Nouembris 1615. Quia præcipuum fundamentum decisionis visum est subsistere, quòd cùm D. Lisa teneretur ratione officij ad custodiam iocaliũ de quibus agitur, & sic ad eorum restitutionem iure actionis, non autem solo officio iudicis, concludentiùs debet probare eorum amissionem, siue furtum prætensum, nec sufficit eius assertio etiam iurata, vel querela, vel acclamatio, Bart. *in l. si creditor, in lect. antiq. num.4. C. de pignor. act. & in l. fin. lect. antiq. n.8.* & ibi etiam Salyc. *num.6. C. de fid. instrum.* & idem Bart. *in l. si quis ex argentariis. §. pen. ff. de eden.* Berous qui de communi testatur, *cons.19. num 5. lib.3. & cons.191. num.21. lib.1.* & alios adducit Honded. *cons.19. num.20. lib.1.* Quibus addi potest Corn. *cons. 318. nu.4. & seqq. lib.4.* quem sequitur Farinac. *de furt. quæst. 168. num. 29.* præsertim cùm hic agatur de furto 1

furto notabili,& non contra furem, sed in præiudicium tertij, vt fuit consideratum, & deductum in decisione de qua agitur; in proposito autem, cùm præsupponatur, furtum fuisse factum sine fractura, nec reliquisse vestigia aliqua, nec concurrat asportatio scrinij, in quo dicebantur adesse iocalia, quæ considerare solent Doctor. in hac materia, *& in dict. l. si quis ex argentariis. §. Prætor ff. de eden.* vbi Angel. *num. 6. & 7.* Ias. *num. 18. ff. de edend.* Honded. *consil. 90. numer. 22. lib. 2.* Menoch. *consil. 353. num. 4. lib. 4. & præsumpt. 61. num. 20. lib. 6.* quæ fractura licèt iudicetur coniectura separata ab aliis coniecturis ad probandum furtum, vt aduertit idem Honded. *d. consil. 90. n. 22.* Tamen negari non potest, quin sit potissima coniectura, & sufficiens, vt dixit Grat. *consil. 90. n. 13.* vbi de communi, *lib. 2.* Speculat. *in tit. de furt. §. vnic. n. 25. vers. sed quomodo probabitur,* & alios innumeros referunt Modern. *de probat. conclus. 830. n. 8.* & Honded. *consil. 90. n. 13. lib. 1.* Quæ cum hic omnino deficiat, nec probetur etiam vllum rumorem fuisse excitatum in vicinia, vel quid simile, vt per Doctor. *locis citatis*, sequitur, vt eo vrgentiores debeant esse aliæ coniecturæ inductæ ad probandum prætensum furtum, & tamen omnes habent originem ex ore, vel ex persona ipsiusmet D. Lisæ, quas Domini iudicabant non sufficere, ex allegatis in decisione, & suprà in principio huius decisionis, solùm enim affertur querela porrecta coram D. Gubernatore Vrbis, nomine ipsius Lisæ, & eiusdem depositio, nec non lamentationes, & gemitus ob dictum furtum, itē orationes, quas curauit fieri in monasteriis pro reperiendo furto, de quibus deponunt testes, aliàs, & nunc de nouo inducti, & ex eodem fonte procedunt diligentiæ adhibitæ per D. Lisam, veluti obligatio de soluendo scut. 200. pro reuelatione furti, edictum Gubernatoris super eo editum, & excommunicatio publicata ad eiusdem instantiam, nec non perquisitio auctoritate iudicis facta in domo Ludouici, & aliorum familiarium, quibus omnibus potest applicari responsio decisionis, quòd potuerint studiosè agere ad effectum iustificandi prætensum furtum. Vltra quòd diligentiæ etiam auctoritate iudicis factæ non prosunt ei, quem constat semel rem habuisse, ad probandum eius amissionem, vt post Aret. *in c. fin. in 3. notab. de probat.* & Felin. *in cap. sicut, n. 8. vers. quinta declaratio, de re iud.* firmat Honded. *dict. consil. 19. num. 22. lib. 1.* & hîc non dubitatur, quin ista iocalia fuerint penes D. Lisam, ex allegatis in decisione, de qua agitur, *in princ.* & informantes pro ipsa non controuertunt.

3 Tota igitur probatio pendet à legalitate, & qualitate D. Lisæ, quæ asserit, iocalia furto sibi esse subtracta, quæ qualitas personæ furtum passæ, licèt multum attendatur in hac materia, & credatur interdum assertioni, saltem iuratæ, vt fuit in decisione consideratum; tamen dicebant Domini, vel id procedere concurrentibus aliis coniecturis aliunde desumptis, quàm ex persona furtum passæ, vtputa fracturæ, vel aliis, prout concurrebant in casibus relatis per Rim. Grat. Menoch. & alios congestos per Honded. *consil. 90. n. 22. lib. 2.* & fuit dictum in decisione *vers. accedit*, vel quando aliàs non dubitabatur de furto commisso, sed solùm, quænam res essent furto subtractæ, tunc enim statur iuramento furtum passi, vt in specie tradit Bart. *in l. in actione, num. 1 ff. de furt.* Paul. de Castr. *in l. si creditor, num. 6. C. de pignor. act.* Galeott. de Guald. inter consil. Grat. 100. *num. 8. & 9. lib. 2.* Hond. *consil. 19. num. 19. lib. 1.* & alios congerunt Modern. *de probat. conclus. 832. num. 1.* vel quando quis tenetur solum officio iudicis, ad exhibendum, vel restituendū res ablatas: secus si iure actionis, vt hîc, Rimin. sen. *consilio 95. nu. 21.* inter eadem cons. Grat. *lib. 2.* cum aliis per Hond. *d. consil. 19. num. 20. lib. 1.* & suprà fuit dictum in principio præsentis decisionis, vel demum quando ageretur contra furem ipsum, Rimin. sen. *d. consil. 95. num. 7.* Secus verò prout in casu nostro, in præiudicium tertij, vt fuit etiam consideratum in alia decisione. Et licèt ad tollend. responsionem eiusdem decisionis, quòd allegata probatio bonæ famæ videbatur elidi, & debilitari ex contrariis præsumptionibus ibi consideratis, hodie fuerunt examinari de nouo alij testes, deponentes de optimis moribus D. Lisæ, nec non de transmissione capsæ ad monasterium S. Annæ, cum aliis iocalibus post commissum prætensum furtum, & propter metum, ne hæc etiam surriperentur, & sic cessare videatur, quod dicebatur in decisione de occultatione facta in dicto monasterio; tamen Dominis videbantur prædicta non tollere malam præsumptionem, quæ insurgit ex eo, quòd d. bona non fuerunt ab initio posita in inuentario, sed illa fuerunt reuelata per Abbatissam sub die 17. Octobris 1612. & sic longè post dictam transmissionem, quæ fuit paucis diebus post prætensum furtum, vt iidem testes deponunt, quod dicitur contigisse de mense Septembris 1611. & reuelatio fuit in vim Monitorij Illustrissimi Vicarij intimati in monasterio die 9. Septembris dicti anni 1612. & fuerunt addita in inuentario per D. Lisam die 18. eiusdem mensis, & anni, & sic post intimationem Monitorij, vt dicitur in decisione, & constat in summario hæredum in alia propositione dato *num. 16. & 17.* & de istis bonis additis, quorum pleraque spectant ad vsum, vel ornatum puerorum, nulla dicitur fuisse reddita ratio per Lisam, nec ea consignata tutoribus.

Nec facit prætensum particulare inuentarium, seu annotatio manu, vt dicitur, Ludouici facta de dictis bonis ad monasterium transmissis, qui est sine tempore, & ideò non probat. *l. 1.* vbi Doctores. *ff. de edend.*

Non obstat depositio Dianoræ famulæ in iudicio criminali, quia illa vltrà quod apparet, vel affectata, vel extorta metu tormentorum, fuit etiam reuocata, dum de nouo torturæ subiiceretur, vt in summario hæredum alterius propositionis dato in responsionibus *num. 3.* 4

Quæ dicuntur de fuga Bartholomæi alterius famuli, post commissum dictum furtum non iustificatur in facto, & testes deponunt de eius discessu ab Vrbe, non autem de fuga ob dictam causam. 5

Ex quibus Domini permanserunt in decisis.

REVERENDISSIMO P. D. DECANO.

Romana fideiussionis de repræsentando. Veneris 16. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Fideiussori de repræsentando dari debet terminus vnius mensis ad ipsum repræsentandum, non obstante iuramento,

& Camerali obligatione, & amplius post susceptum terminum, & post mandati relaxationem potest moram purgare, si ius partis non est factum deterius, & hinc sumpta occasione magistraliter explicantur multa notanda super purgatione moræ, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Interpellatio est initium moræ, sed non est ipsa mora, numero 2.

Mora non incurritur statim post interpellationem, sed postea, & infra quod tempus, num. 2. 3. & 5.

Fideiussori de repræsentando non potest denegari terminus vnius mensis ad repræsentandum, n. 3.

Mora de æquitate Canonica potest purgari vbi ius partis non fuit factum deterius, num. 4.

Mora potest purgari de æquitate Canonica, sed intra breue tempus, & quale dicatur istud tempus breue, num. 5.

Mora potest purgari de æquitate Canonica, non obstante statuto Vrbis, volente quòd in causis seruetur ius ciuile, & non Canonicum, num. 6.

Ius Canonicum, & non ciuile seruandum est, vbi agitur de materia iuramenti, etiam inter laicos, ibid.

Mora in contractibus inexpurgabilis est, quando hoc verum sit, num. 7.

Diem cessisse, & venisse quando dicatur, ibid.

Fideiussor de repræsentando aliquem faciendo suum posse censetur liberatus, nisi fuerit adiecta clausula, aliàs de suo teneri voluit, num. 8.

Clausula omni meliori modo, censetur apposita in contractibus ad effectum sustinendi contractum, non autem ad effectum contrarium. num. 9.

Mora nunquid purgari possit post rem iudicatam, & aduersus Cameralem obligationem, numer. 10.

Instrumenta habentia exequutionem paratam æquiparantur rei iudicatæ, ibid.

Possessio capta vigore primi decreti habetur pro nuda detentione, & per eam nec etiam acquiritur dominium, ibid. ante fin.

Mora vt non possit purgari post factam exequutionem, requiritur vt exequutio sit perfecta, aliàs secus, ibid.

DECISIO DCXL.

1 BOninus promisit repræsentare debitorem ad beneplacitum Poggioli creditoris, aliàs voluit teneri de proprio ad solutionem scut. 200. ad quæ prætensus debitor tenebatur post aliquot dies, cùm d. Boninus fuisset interpellatus ad repræsentandum debitorem, & contra illud relaxatum mandatum, & vigore primi decreti capta pignora suscepit, terminum 30. dierum ad repræsentandum, qui iuxta stylum Curiæ concedi solet, & elapsis dictis 30. diebus statim post quindecim alios dies repræsentauit debitorem: vnde dubitatum fuit die 3. Iulij superioris anni, an d. Boninus fideiussor potuerit purgare moram? & affirmatiuè fuit resolutum, quæ sententia etiam hodie placuit Dominis.

2 Et pro resolutione difficultatis duo prænotarunt; alterum quòd statim post interpellationem in hoc casu fideiussor non incurrit moram. Nam cùm certa dies obligationi nõ fuisset apposita, interpellatio est initium moræ, non autem ipsa mora, vt probatur ex *l. mora, ff. de vsur.* vbi Iurisconsultus, *Mora*, inquit, *fieri intelligitur non ex re, sed ex persona, id est, si interpellatus opportuno loco non soluerit, quod apud iudicem examinabitur.* & infrà *An mora facta intelligatur, neque constitutione vlla, neque iuris authorum quæstione decidi posse cùm sit magis facti, quàm iuris.* interpellatio igitur est initium moræ, quæ paulatim noscitur, & momenta habet, interpellationi enim coniunctus est temporis lapsus, & eius rei probatio coram iudice facta, vt habetur *in d. l. mora ff de vsur. & in l. si pro te. C. eod. tit.* & hæc omnia morã conficiunt, quam non immeritò Iuriscõsultus *in l. hominem certum, in ff. mand.* frustrationem appellat, & sensit *in l. 2. in fin. ff de vsur.* quæ frustratio non est in efflagitatione, sed in negligentia post efflagitationẽ, ex quibus postmodum mora conficitur, vt benè aduertit Æmil. Ferret. *de mora num. 26 & 29.* & optimè facit gloss. *in l. Æmilius, in verb. restitui, ff de minor.* vbi quòd omnis interpellatio siue legis, siue hominis spatium quoddam continet saltem tacitum, ne statim post interpellationem moram quis incurrisse dicatur, quam glossam sequitur & singularem appellat Bald. *in c. 1. n. 5. vers. hoc intellige, de nou. form. fidelit.* Rom. *consil. 27. in fin.* Purpur. *in l. vinum col. 2. ff. si cert. pet.* Gabr. *de solut. conclus. 9. limit. 13. n. 30.*

Alterum est, quòd statim post relaxatum mandatum fideiussor non incidit in moram, quia cùm ipse obligatus esset ad repræsentandum, non adiecta certa die, non potuit illi denegari tempus vnius mensis petitum ad repræsentandum, cùm semper in his terminis tempus debeat concedi ad qualitatem impedimenti commensuratum. *Auth. de fideiuss. §. si vero intercessor.* ibi, *& causæ præsidens iudex dat tempus,* & infrà, *oportet enim tempus à iudice finiri*, vbi gloss *in verb. dat tempus.* Io. Andr. ad Specul. *in tit. de accusat. §. sequitur, n. 16. vers. in secundo autem,* in additione incip. Odofr. *in verb. exceptione litt. I.* & proptérea cùm de stylo Curiæ detur mensis, mora considerari non potest, nisi post lapsum illius. 3

His præmissis cùm ius partis non fuerit factum deterius, vt fuit ostensum in alia decisione, Domini dixerunt de æquitate Canonica moram in casu, de quo agitur, potuisse purgari, etiam quòd adesset iuramentum, vt expressè colligitur ex textu *in cap. apud misericordiam 32. quæst. 1. & in cap. Beatus 22. q. 2. & in cap. ex literis, de const.* per quæ iura idem affirmat Bald. *in l. qui crimen, num. 10. qu. 11. C. de iis qui accus. non poss.* Alex. *in l. si quis maior, n. 7. ante fin. vers. fallit tamen, C. de transact.* Imola *in c. dilecti, nu. 13. vers. & ex hoc habes vnum intellectum.* Butr. *nu. 20 vers. quædam est conuentionalis, de arbitr.* Host. *in summ. eod. tit. §. quid constituat, n. 8.* Dec. *in consil. 138. num 7. post med.* Ial. *in §. si quis postulante, n 16. Instit. de act.* Marsil. *sing. 463.* Gramm. *decis. 195. ad fin.* Gozad. *consil. 66. num. 13. vers. quartò, lib. 1.* Bolognett. *in l. si quis maior, post nu. 92. ad fin. C. de transact.* vbi quòd ita seruatur per totam Italiam. Seraph. *de priuileg. iur. priuileg. 48. num. 8. & seqq.* Ferret. *de mora, num. 57. post medium. vers. dissimilis.* Cumia. *super ritib. Magn. Curiæ Siciliæ, cap. 65. num. 3.* 4

Et quamuis conclusio procedat, dummodo mora purgetur inter breue tempus, vt deducitur ex text. *l. sancimus. C. de fideiuss. & in l. etsi post tres, ff. si quis cautio.* & in hoc casu prætensum tẽpus 15. dierũ visum fuit Dominis breue, ex *d. l. sancimus,* vbi quòd mora potest purgari intra tempus commensuratum tempori principaliter concesso, secundùm lecturam Bald. & Ang. qui text. licèt loquatur in fideiussore iudicij, vt not. *ibidem* Bald. *numer. 1. vers. in iud.* Bart. *in l.* 5

in l. si insulam, nu. 4. & 9. ff. de verb. obl. qui potest moram purgare, etiam quòd sit adiecta dies, & pœna, vt habetur in dicto textu: attamen idem dicendum est in fideiussore, de quo agimus, quia cùm illi legitimè fuerit concessus mensis ad repræsentandum intra alium mensem, potuit purgare moram; ergo multo fortiùs intra 15. dies, eóque magis cùm Domini vsi fuerint authoritate dicti textus ad informandum animum suum, quòd mora intra dictos 15. dies purgari potuerit, cùm quod sit breue tempus, in quo mora possit purgari, iudicantis Religioni relinquatur. Alex. *consil. 14. num. 4. vers. prætereа, lib. 2. & consil. 9. in fin. lib. 7. glos. in d. l. si post tres, in verb. plúsve, ff. si quis caut.* vbi etiam Ias. *n. 6.* qui de communi. Dec. *consil. 158. n. 7.* vbi pariter de communi.

6 Non obstat, quòd propter statutum vrbis disponens, quòd seruetur ius ciuile inter ciues & incolas, mora purgari non potest, stante iuramento, per Seraphin. *de priuil. iuram. priuil. 48 num. 23.* quia fuit responsum, verissimam conclusionem in suprà firmatam, quòd scilicet de æquitate canonica, etiam quòd adsit iuramentum, mora potest purgari; si ius partis non est effectum deterius, & propterea non obstare statutum, quod seruetur ius ciuile, quia cùm tractetur de iuramento etiam vbi ius ciuile viget, ius canonicum seruandum est, etiam per iudices laicos, *cap. 1. de nou. oper. nunciat.* & ita ponderat ipsemet Seraph. *loco proximè allegato*, ac etiamsi essemus in terris imperij, vt aduertit D. Prosper Farinac. *de carcerib. & carcer. q. 34. n. 137. & seqq.* & præsertim *n. 141.*

7 Neque est verum, quòd mora in contractibus videatur impurgabilis, ex *l. magnam. C. de contrahen. & committ. stipulat. & in l. Celsus, ff. de arbitr. & in l. qui Romæ, §. Callimachus, ff. de verb. oblig.* quia hæc iura procedunt, quando est apposita dies, & pœna, vt declarat Ferret. *de mora n. 57.* in casu autem nostro certum est neque diem, neque pœnam fuisse appositam: non diem, vt patet ex serie facti suprà narrata, neq; dies tacita, hoc est dies vltima termini 30. dierum, habenda est in consideratione ad effectum de quo agitur, quia tunc propriè non dicitur venisse dies, cùm neque certa dies, neque commensurata tempori certo in contractu fuisset apposita, quo casu solùm dicitur, diem venisse, & esse certam, *l. ex his, C. quand. dies legat. ced. l. Firmio Helioduro, ff. eod.* Iacob. de Aren. *C. eod. tit.* sed post illos 30. dies fuit purificata conditio obligationis, quia cùm dies incerta ab initio fuisset apposita, illa non facit diem, sed conditionem, *l. huiusmodi in fin. quand. dies legat. ced. l. hæres meus, in 2. dicto, ff. de condict. & demonst. & in l. quibus diebus, § quidam Titio. ff. eod. tit.* & propterea post mensem fuit tantùm purificata conditio, non autem venit dies certa, quasi fuisset apposita ab initio, ideóque est locus purgationi moræ, vt in terminis dicit Bart. *in l. si insulam, n. 5. ff. de verb. oblig.*

8 Neque etiam pœna in hoc facti specie fuit apposita. Nam verba illa, *aliàs voluit teneri de suo*, &c. fuerunt apposita ad effectum, quòd fideiussor quantum in se est repræsentando debitorem, non censeretur liberatus, cùm aliàs faciendo suum posse, fuisset liberatus. Bald. *in §. si quis alium, n. 1. Instit. de inutil. stipul.* Curt. iun. *in cons. 124. n. 19.* Alciat. *in l. 4. §. Cato, nu. 132. ff. de verb. obl.* Couar. *in cap. quamuis pactum. part. 2. §. 5. n. 5. conclus. 7. de pact. in 6.* Bertaz. *de clausul. claus. 4. gloss. 6. n. 2. gloss. 10. n. 1.* quatenus ista esset pœna non referret, cùm vtrumque requiratur ad effectum, vt mora non possit purgari, videlicet dies certa, & pœna, vt per Ferret. *de mora, num. 57.*

9 Neque prædictis resistit Put. *in decis. 66. part. 3.* quia loquitur, quando post certam diem est apposita resolutio contractus, quæ hîc non adest, vt patet ex superiùs deductis, & in istis terminis loquuntur etiam Dec. *in consil. 452. n. 17.* Grat. *consil. 93. n. 77. lib. 1.* & Seraph. *de priuileg. iuram. priuileg. 48. nu. 20.* Prout nec etiam resistit, quòd fideiussor se obligauerit cum clausula, *& omni meliori modo*, &c. quia hæc clausula censetur apposita ad effectum sustinendi conclusionem. Fel. *in c. cùm super, nu. 11. de offic. deleg.* Socin. *consil. 73. n. 4. lib. 3.* & propterea non debet operari contrarium effectum, quod accideret, si propter eam esset adempta facultas purgandi moram, quia moræ purgatio respicit subsistentiam, & obseruantiam contractus, vt in simili clausula, & in puncto de purgatione moræ dicit Cephal. *in consil. 15. n. 43. & seqq. lib. 1.*

10 Denique non obstat, quòd fideiussor erat obligatus in forma Cameræ, quæ obligatio habet executionem paratam, & ideò post petitionem executionis fideiussor non erat admittendus ad purgationem moræ, sicuti quis post rem iudicatam non admittitur. Ang. *in l. si insulam, nu. 2.* in puncto Imola *num. 3.* Rip. *num. 14. & 15. ff. de verb. oblig.* quia huic motiuo fuit responsum, hanc conclusionem non applicari ad nostrum casum, procedit enim quando certa dies ab initio fuit apposita. Nam illa adueniente incurritur mora, & secunda mora contrahitur post rem iudicatam, & in casu duplicis moræ nõ admittitur purgatio, & propterea quamuis idem videatur dicendum, quando obligatio habet executionem paratam, quia si adest dies, illa adueniente, incurritur mora, & post petitam executionem secunda mora, quia obligatio habens executionem paratam æquiparatur rei iudicatæ, vt declarat Ripa *in l. si insulam, n. 14. ff. de verb. oblig.* attamen in hoc casu vnica tantù n adest mora, cùm obligatio non habeat diem, & ideò petitio executionis non operatur secundam moram, vt ampliùs purgari non possit, & propterea meritò in istis terminis quòd fideiussor possit purgare moram post condemnationem, & ante solutionem, dicit Ioseph Cumia *in ritibus Magn. Curiæ Siciliæ cap. 65. numer. 13. & seqq.* & ratio est, quia cùm non obstet duplex mora, condemnatus ad quantitatem respectu certæ speciei, dando ipsam speciem ante quantitatis solutionem liberatur. *l. si verò negotium, §. fin. ff. solut. matr.* gloss. *in l. duobus. § si ei, in verb. exhibuerit, ff. de iureiur.* in casu autem, de quo agitur, non potest dici quantitatem fuisse solutam, quia fuerunt tantùm capta pignora vigore primi decreti, ex quo creditor neque acquisiuit dominium, neque possessionem, sed nudam detentionem. *l. si finita, §. Iulianus*, & ibi Alex. *in princ. n. 99. ff. de damn. infect. & in l. à pio, § si super rebus, nu. 18. & seqq.* & præsertim *num. 21. vers. Imola hic reprehendit ff. de re iudic.* Boër. *decis. 277. num. 11.* & quamuis postea fuerit processum ad subhastationem, nunquam tamen fuit perfecta, & ad hunc effectum reperitur perfecta dominij translatio. Bart. *in l. si is cui, num. 2. in fin. ff. de leg. 2.* & fuit deductum in decisione facta sub die 3. Iulij præteriti, in qua fuit etiam responsum ad decisiones Platti, & recolen. mem. Cardinalis Pamphilij.

11 Ex quibus Domini concluserunt, fuisse locum purgationi moræ, & sic esse standum in resolutis, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Ratisbonen. Canonicatus. Veneris 23. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Legitimus contradictor, quis dicatur ad effectum impediendi immissionem beneficij contra prouisum Apostolicum.

SVMMARIVM.

Legitimus contradictor ad impediendam immissionem possessionis beneficij dicitur possessor cum tit. num. 1. declara vt ibid. vt scilicet procedat conclusio quando concurrit paritas tituli, & eiusdem speciei.

Gratia in forma dignum, *cuius narratiua inhabilitatis non est iustificata, non potest impedire immissionem vigore gratiosæ subrogationis, ibid. in fine.*

Gratia conditionalis non purificata conditione non præstat parem titulum ad impediendam immissionem, num. 2.

Possessio capta contra formam litterarum Apostolicarum dicitur vitiosa, ibid.

Exequutor dicitur mixtus, & tenetur assumere partes iudicis, quando est deputatus cum clausula vocato, *&c. & dummodo non sit ius alteri quæsitum, ibid.*

Legitimus contradictor non dicitur is, qui in beneficij possessionem nulliter intrusus reperitur, num. 3.

Legitimus contradictor ad impediendam immissionem Canonicatus non est Capitulum, num. 4.

DECISIO DXCXLI.

1 Censuerunt Domini standum esse in decisis, quòd scilicet Henrico sit danda immissio, fundamentis, & rationibus, de quibus in decisione, quibus non obstat quòd hodie exhibeatur possessio Roggij, ideóque cùm ipse habeat titulum Apostolicum tanquam possessor cum titulo, dicatur legitimus contradictor, ita vt contra eum non possit exequutiuè procedi, Bart. *in l. fin. n. 21. vers. aut comparet. C. de edict. Adr. toll.* quod etiam dicitur sensisse Rotam in causa Celsonen. Canonicatus 1. Iunij 1607. & in Paderbonen. Canonicatus 28. Nouembris 1608. coram Reuerendissimo D. nostro Decano, & in alia Oueten. Canonicatus 30. Martij 1607. coram Reuerend. Lugdunen. Quia conclusio in se est vera si concurrat paritas tituli, & legitima possessio, secus si non doceatur de consimili titulo, & eiusdem speciei, quia tunc non impeditur summaria cognitio, quamuis in eo iudicio de viribus allegati tituli à possessore sit cognoscendum, vt in præsenti factum fuit respectu inhabilitatis Henrici, quæ non fuit considerabilis ad effectum impediendi processum exequutiuum, & hoc est quod ponderat Bart. *in d. l. fin. num. 21. vers. si verò allegat. C. de edict. D. Adrian. tollend.* & decisiones allegatæ in decisione diei 17. Nouembris præteriti. Præterea neque in titulo Apostolico videbatur posse constitui fundamentum, dum gratia Roggij legitur in forma *dignum*, cum narratiua inhabilitatis Henrici, quæ adhuc non iustificata impedire non potest immissionem vigore gratiosæ subrogationis. Verall. *decis. 546. part. 2.* Rota in causa Tirasonen. Capellaniæ 14. Martij 1609 coram R. P. D. Pamphilio.

Nec obstat quòd cùm gratia iam fuerit exequuta, conditio in forma *dignum*, remaneat purificata, ita vt prouisus, qui reperitur in possessione, dicatur legitimus contradictor, vt tenuit Rota in causa Oueten. Canonicatus 30. Martij 1607. coram Reuerendissimo Lugdunen. vbi dicebatur, quòd tunc gratia non potest considerari conditionalis, ex quo puri, & purificati idem est iudicium, & etiam esse resolutum in Cesonen. Canonicatus 1. Iunij 1607. coram Reuerendissimo Decano. Quia Roggius non præsentauit dictam eius gratiam in forma *dignum* officiali Ratisbonen. qui in litteris fuit datus pro exequutore, sed Capitulo, qui absque alia iustificatione, & collatione tradidit possessionem, vt patet ex instrumento pro eius parte dato; ideo dici non potest, quòd huiusmodi gratia conditionalis fuerit iustificata, & per consequens ramanet firmum, quòd vti conditionalis non præstat parem titulum ad impediendam immissionem per Henricum prætensam, & eo minus dicebatur deferendum esse allegatæ possessioni, quia ex alio erat vitiosa, scilicet contra formam litterarum, quæ emanarunt cum clausula, vocato Henrico, & dummodo non sit alteri ius quæsitum, quæ faciunt exequutorem mixtum, & tenetur assumere partes iudicis, & ordinariè procedere. Felin *in cap. fin. n. 23. de præsumpt.* 2

3 Quæ omnia fuerunt omissa ab illo exequutore, ita vt Roggius remaneat tanquam intrusus, quo casu legitimum contradictorem se facere non potuit. Menoch. *de adipiscend. remed. 4. num. 582. in 7. casu*, & de ista vitiosa possessione loquitur etiam Barbastren. Prioratus 11. Ianuarij 1616. coram R. P. D. Verospio.

4 Non obstat oppositio Capituli, quia non est legitimus contradictor ad impediendam immissionem, dum non habet titulum neque possessionem, sed tantummodo dat exceptiones contra personam Henrici, quæ in huiusmodi possessione non admittuntur. Verall. *decis. 342. part. 2.* sed nihilominus fuerunt discussæ & cognitæ, non obstare Henrico, itaut satisfactum etiam remaneat decisioni Pacen. Canonicatus coram R. P. D. Manzanedo, quæ pro Roggio allegabatur. Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. REMBOLDO.

Fauentina dotis. Veneris 23. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Mortua filia in matrimonio dos à patre profecta, si extent liberi, non reuertitur ad patrem, sed succedunt liberi, & filiis mortuis succedit pater in dote, excluso auo materno.

SVMMARIVM.

Dos à patre profecta mortua filia in matrimonio extantibus liberis, an ad eundem patrem reuerti debeat, & restitui num. 1.

Et negatiuè respondendum est vniuersali totius Orbis consuetudine num. 2.

Dos ad certam diem promissa eodem modo debetur sicuti purè promissæ, num. 4.

Dies

Dies adiectus obligationi suspendit exactionem, non substantiam debiti, & ipsam obligationem, ibid.

Dos à patre profecta etiamsi filius, qui matri superfuit, non viuit, sed paulo post mortem matris etiam hæreditate non adita decedit, num 5.

Conditio satis est, quòd semel extiterit, licèt non duret, ibid.

Doctor, qui in opinione est sibi contrarius, alibi non meretur allegari, eo quòd variauit, num. 6.

Causa cessante non cessat effectus quando effectus fuit semel consummatus, num. 6. in fine.

Pater potest omnia ex quacumque successione ad filium infantem deuoluta iure proprio, quasi iam infanti quæsita capere, & si filius maior infante decessisset, restitutionem in integrum petere, num. 7.

Filius transmittit in patrem beneficium etiam agnitum, ibid.

Filius morienti matri succedit in dote non vti hæres matris, sed dotem ab auo materno auocando, & in patrem transferendo, ibid.

Ius ex dispositione statuti, vel consuetudinis delatum etiam non agnitum transmittitur, ibid.

DECISIO DCXLII.

1 DOmini tenuerunt sententiam in partibus ad fauorem Antonij Mariæ latam esse confirmandam. Nam quidquid dicendum foret, attenta rigorosa iuris censura, de veritate illius opinionis, an dos à patre profecta, mortua filia in matrimonio superstitibus liberis, ad eundem patrem reuertatur, cuius opinionis affirmatiuam partem adeò enixè Bulgarum antiquum glossatorem tenuisse, refert Thesaur. post alios. decis. Pedem. 190. vt in contingentia quoque facti sui proprij boni viri officium agnoscens, mortua vxore superstitibus liberis, ex ea susceptis, integram dotem socero restituerit, eundémque Bulgarum secuti etiam sunt quamplures, tam antiquæ, quàm recentioris classis Doctores per Thesaur. *d. decis.* 190. Capic. *decis.* 176 relati.

2 Vniuersali certè, vt inquit Guidopap. *consil.* 112. *num.* 8. per totum orbem recepta consuetudine introductum fuit, vt in omnibus ferè mundi Tribunalibus, & præsertim in hoc supremo Sacræ Rotæ Auditorio, opinio Martini seruetur, quòd scilicet soluto per mortem vxoris matrimonio, dos ad filios spectet, non autem ad patrem reuertatur, vt in specie dictum fuit in vna Clusina dotis 12. Ianuarij 1598. coram Peregrino, & in Senogallien. dotis 26. Iunij 1606. & 28. Nouembris 1607. coram R. P. D. meo Pamphilio.

3 Nec visum fuit ab ista opinione vniuersali, vt dictum est, consuetudine approbata, in casu de quo agitur, recedendum esse, eo quòd dos à patre ante mortem filiæ soluta non fuit, quia iuxta magis veram Doctorum sententiam, atque etiam in hoc tribunale canonizatam, opinio Martini non minus in dote promissa, quàm soluta locum habet, vt post alios latè comprobat Socin. iun. *consil.* 36. *numer.* 6. *&* 16. *lib.* 1. Ruin. *consil.* 225. *nu.* 2. *in fin. & seqq. lib.* 1. Roll. *de luc. dot. quæst.* 5. *num.* 8. *& seq.* Gabr. *consil.* 165. *num.* 4. *lib.* 2. Thesaur. *d. decis.* 190. *num.* 9. & pluribus fuit in eadem Clusina dotis 12. Ianuarij 1598. coram Peregrino decisum.

4 Nec aliquid etiam facit quòd dies solutionis dictæ dotis ante mortem dictæ filiæ non venerit quia dos ad certam diem promissa eodem modo est debita sicuti purè promissa, & dies adiectus differt exactionem tantùm, non autem suspendit substantiam debiti, & ipsam obligationem, *l. cedere diem, &* ibi Alciat. *num.* 10. *ff. de verb. signific.* Rip. & alij *in l. si ita stipulatus, de verb. obligat.* cum aliis per Surd. *decis.* 151. *num.* 6. vbi quòd licèt differatur exactio, non tamen desinit debitum esse formatum, & spes illa transmittitur etiam conditione pendente. §. *conditionali, Instit. de verb. obl.* cum alleg. per dictum Surd. *loco proximè citato.*

Minus obstat, quòd opinio Martini non procedit, quando, vt in casu isto, filius qui matri superfuit non viuit, sed per paucos dies post mortem illius, & hæreditate non adita decedit, vt voluit Bald. *in auth. sed & si quis, in prima lect. sub num.* 18. *vers. tertius casus est, C. de secundis nupt.* & post eum Socin. iun. *consil.* 114. *num.* 23. *lib.* 3. & alij. Quia etiam huic obiectioni abundè satisfactum fuit in allegata Clusina dotis, in qua fuit dictum, quòd etiam si filius per vnam tantùm horam superuiuat, dos nihilominus ad patrem spectat, quia sufficit quòd conditio semel extiterit, licèt non durauerit, vt probat text. *in l. ex facto, § si quis autem suceperit, ff. ad Trebell & in l.* 2. *&* 3. *C. de posth. hæred. inst.* & in terminis consuluit Bertrand. *consil.* 509 *sub n* 4 *vol.* 3 *p.* 2. Socin. iun. *consil.* 9. *num* 14 *lib.* 1. Thesaur. *d. decis.* 390. *num.* 10. 5

Neque his resistit authoritas Bald. *in d. auth. sed & si quis,* & illius sequacium, quia præterquam quòd (vt in eadem Clusina dotis dicebatur) dictus Baldus non meretur allegari, eo quòd variauit, contrarium tenens *in l. quod scitis sub n.* 5. *ver. sed tunc ego quæro. C. de bon. quæ lib.* ratio etiam per eum *in d. auth.* adducta non subsistit. nam dato quòd consuetudo Martini fauore filiorum introducta fuerit, non tamen deficientibus liberis cessat beneficium dictæ consuetudinis, quia cum illud fuerit simpliciter, atque ita perpetuò, & non temporaliter per dictam consuetudinem filiis delatum, sufficit quòd filij semel extiterint, eo enim ipso effectus dictæ consuetudinis dicitur consummatus, & cessante causa, non cessat effectus, quando ille fuit semel consummatus, vt de eo qui fuit simpliciter exclusus, latè tradit Tiraqu. *in tract. causa cessante, in* 12. *limit. n.* 14. *cum seqq.* Rot. *decis.* 72. *n.* 4. *vers. secunda coniectura est part.* 2. *diuers.* 6

Et dum beneficium etiam à filio non agnitum, ad patrem transmittitur, siue illud filio vti hæredi matris delatum fuerit, quia, vt inquit text. *in l. si infanti. C. de iur delib.* pater potest omnia ex quacunque successione ad filium infantem deuoluta, iure proprio, quasi iam infanti quæsita capere, & si filius maior infante decessisset restitutionem in integrum petere, Socin. sen. *d. cons.* 9 *n.* 24. *lib.* 1. Bertrand. *consil.* 67. *in fin. lib.* 2. siue potiùs filio delatum fuerit, non vti hæredi matris, sed dotem ab auo auocando, & in patrem transferendo, vt communiter receptum, tradit post alios Rip. *in l. quartam, num.* 191. *ff. ad l. falcid.* Cephal. *consil.* 613. *num.* 11. *lib.* 4. Honded. *consil.* 32. *n.* 24. *lib.* 1. Capic. *d decis.* 176. *n.* 24. tunc enim subintrat alia iuris regula, quòd scilicet ius ex dispositione statuti, vel consuetudinis delatum, etiam non agnitum transmittitur, vt ex Bart. *in l. arrogator, sub nu.* 8. *vers. sextò oppono,* & ibi Bald. *num.* 7. & Ias. *num.* 14. *& seq. ff. de adopt.* & aliàs fuit in sæpiùs allegata Clusina dotis resolutum. 7

R. P. D. BVRATTO.

Bergomen. Capellaniæ. Veneris 23. Martij 1618.

ARGUMENTUM.

Iurispatronatus beneficio vacante quando patronus possit se ipsum eligere, & si ex præsentatis duo habent pares voces, præferendus est is, qui est de familia fundatoris.

SUMMARIUM.

Beneficium vacare non dicitur per obitum illius, qui eiusdem beneficij solam præsentationem habuisset; non autem possessionem, num. 1.

Iurispatronatus beneficio vacante patronus præsentare non potest se ipsum, etiam vbi quis se cum aliis compatronis elegerit, num. 2. *declara, vt* num. 3. *&* 4. *vbi de materia.*

Actus præsumitur gestus eo modo, quo agenti vtilior est, num. 4.

Actus in dubio gestus præsumitur eo modo quo validus reputetur, ibid.

Clausula omni meliori modo, *facit valere actum eo modo quo potest*, ibid. *in fin. &* nu. 6. *in fine, vbi quod facit valere actum etiam vltra modos expressos.*

Iurispatronatus beneficio vacante, si duo ex præsentatis habent pares patronorum voces, præferendus est is, qui de familia fundatoris est, n. 5.

Clausula dummodo alteri non sit ius quæsitum, *solet præsentare ius quæsitum, etiam ex sola præsentatione*, num. 7.

DECISIO DCXLIII.

1 SOlo Ioanne Antonio informante 7. mensis præteriti fuerat resolutum sententiam Rotalem ad eius fauorem latam esse confirmandam, vnde hodie reproposito dubio ad instantiam Pauli, Domini steterunt in decisis, non obstantibus quæ contra decisionem adducebantur. Nam prima obiectio erat quòd sententia canonizauerit gratiam Ioan. Antonij subrogationis in possessionem beneficij vti vacantis per obitum Ludouici, ex cuius tamen persona vacare non poterat, cùm ipse solam præsentationem, non autem institutionem, nec possessionem habuisset, Card. Seraphin. *decis.* 1446 nu. 1. *&* 2. Quæ cessare visa fuit ex lectura sententiæ, in qua narratur sola præsentatio dicti Ludouici, non autem vacatio per obitum illius, sed q. Angelici extra Rom. Cur. de mense Febr. 1612 defuncti.

2 Secunda verò deducebatur ex eo quòd sententia declaret Io. Antonium esse instituen. cúmque instituat vti subrogatum in locum dicti Ludouici, qui tamen dicebatur nullum ius habuisse ex quo se ipsum præsentare non potuit, *cap. per nostras*, & ibi not. omnes. *de iurepatr.* quod habet etiam locum, vbi quis se cum aliis compatronis eligit, seu præsentat, prout hîc, *cap. cùm in iure*, vbi omnes. *de elect.* Lambert. *de iurepatr. art.* 6. 8. *quæst. princ.* 1. *part. lib.* 2.

3 Sed hæc quoque obiectio tolli visa fuit, quia ad electionem, seu præsentationem Ludouici non fuit processum per viam scrutinij secreti, quo casu cùm electus ignoret an alij in eum consenserint, ille nõ potest in se ipsum consentire, quia sic oriretur à se ipso, & vti ambitiosus repelleretur, sed fuit facta palàm, & per vota aperta, vnde cùm ipse tunc non potuerit se eligere quin priùs sciret se ab aliis electum, dici non potuit à se ipso oriri, sed ab aliis vocatus, & consentiendo præsentationi de se factæ auxit numerum tanquam vnus de habentibus ius præsentandi, ita communiter declarant Doctor. *in d. cap. cùm in iure*, vbi Butr. *n.* 36. *vers. nec obstat, & vers. & ex prædictis*, Abb. *n.* 5. *vers. & dic quòd vera ratio*, Cardin. *col.* 6. *post princip. vers. quartam lecturam, & vers. illa enim gloss.* Imol. *n.* 5. *vers. vnde Hostien. & n.* 6. *vers. item possunt*, qui de communi, Butr. & Anchar. post Hostien. *in d. cap. per nostras, n.* 3. *vers. quod intelligit*, & ibi Butr. *n.* 8. *vers. hoc verùm dicit*, Abb. *n.* 5. Card *post princip. vers. pro hoc inducit*, idem Abb. *consil.* 25. *nu.* 3. *part.* 2. Roch. *de iurepatr. in verb. honorificum, num* 20. *vers. limita nunc.* latè Lambertin. *eod. tract.* 8. *art.* 8. *quæst. princ.* 1. *part. lib.* 2. & secuta est Rota in hac causa sub die 26. Iunij 1615. & 27. Maij 1616. coram R. P. D. meo meo Vbaldo.

Licèt autem ex tenore dictæ nominationis, & præsentationis palàm factæ, clarè non appareat an Ludouicus se ipsum vnà cum aliis principaliter elegerit, an verò potiùs accesserit consentiendo dictę nominationi de se factæ, iuxta formam traditam per Doct. præcit. tamen præsumi debet fecisse illum actum eo modo, quo sibi vtilius erat, Bart. *in l. gerit. num.* 21. *ff de acq hæred.* & prout sibi de iure permittebatur, gloss. *in l.* 2. *in vers probaretur. C. de pet. hæred.* Bald. *in l.* 1. *col* 2. *ff solut. matr.* & vt pœnam non subiret, Tiraqu. *de retract. lig.* § 30. *gloss.* 1. *n.* 34. & ne incideret in vitium ambitionis, vt in terminis considerauit Rota coram fel. rec. *Clemen.* 8. *decis.* 185 *num.* 4. *part.* 2. *diuers.* & proinde censendum est ipsum in suam nominationem, & præsentationem conspirasse, non principaliter, sed per viam accessionis, & assensus, prout poterat in ipsomet actu nominationis, DD *in d. cap. cùm in iure, de elect.* Lambertin. *d. quæst.* 8. *princ. art.* 7. quæ interpretatio in dubio sumenda est, cùm tendat ad validandum, non ad destruendum actum, vulg. *l. quoties ff. de reb. dub.* cum simil. & quia vel maximè suadetur ex clausula, *ac omni meliori modo*, immediatè post nominationem adiectam, quæ facit valere actum eo modo quo potest, Felyn. *in cap. cùm super, num.* 11. *de off. deleg.* Dec. *consil.* 11. *nu.* 20. *vers. & apparet.* 4

Vltra quod subducta etiam ipsius voce cùm haberet medietatem patronorum existentium in quasi possessione, veniebat nihilominus præferendus tãquam de familia fundatoris, gloss. *in cap. neminem* 70. *distinct.* & ibi Præpos. & Archid. Roch. *dict. tract. verb. honorificum* 18. *quæst. num.* 46. *vers. prima opinio*, Lambertin. *eod. tract.* 4 *art.* 5. *quæst princ.* 3. *part.* 2. *lib. n.* 3. *in fin. vers successiuè*, Ferret. *consil.* 131. *n.* 4. Rot. in Foroliuien. S. Mercurialis 10. Iunij 1577. coram Bubalo, & vti magis qualificatus, quia ætate senior, Bald. *consil.* 167. *in fin lib.* 4. Roch. *vbi supra qu.* 15. *num.* 41. Lambertin. *d. quæst.* 5. *princ. art.* 13. *n.* 1 *& seqq.* & pluribus comprobat Rolan. *consil.* 47. *num.* 70. & *seqq. lib.* 1. & quia actu Sacerdos, Rota in dicta Foroliuien. S. Mercurialis coram Bubalo, & in hac causa sub dicta die 27. Maij 1616. 5

Nec obstat prouisio Apostolica à Paulo impetrata, cum derogatione medietatis patronorum existentium in quasi possessione, quia vt iam decisum fuit sub d. die 26. Iunij 1615. illa non erat iustificata, nec poterat iustificari, præsertim in eo, quòd haberet medietatem, cùm tantùm à quinque ex vndecim præsentatus fuerit. Et præterea considerabant Domini, quòd licèt sententia declaret gratiam subrogationis in locum Ludouici esse canonicam, & 6

Ioann.

Ioann. Antonium fore, & esse instituendum, tamen non dicit esse instituendum vti subrogatum in locum Ludouici; & ideo cùm non sit ita restricta, & Ioannes Antonius fuerit etiam subrogatus in locum Angelici, de cuius iure dubitari non potest, cùm etiam Paulus veniat ex vacatione per obitum ipsius, Seraph. *decis.* 750. *n.* 1. & fuit dictum in Pacen. Canonicatus 11. Decemb. 1613. coram R. P. D. Pirouano, & in Virdunen. Abbatiæ 20. Februar. 1615. coram me, institutio debet cēseri quoq; facta in vim dictæ subrogationis in locum Angelici; pro validitate namque sententiæ capitur semper interpretatio, Crauet. *cons.* 52. *n.* 2. *vers. similiter videmus*, cum aliis in Paduana Iurispatr. 4. Maij 1616. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno, præsertim cùm adsit in sententia clausula, *& omni alio meliori modo*, &c. quæ facit valere actum etiam vltra expressa, Caputaq. *dec.* 124. *part.* 1. Achil. *decis.* 1. *de verb. sign.* cum aliis decis. rel. per Modern. *claus.* 88. *part.* 1.

7 Nec aduersatur clausula *dummodo*, in litteris subrogationis, iuxta stylum apposita, quæ solet præsentare ius quæsitum, etiam ex sola præsentatione, Rot. *decis.* 17. *de praeben. in nou.* Felin. *in cap. in nostra, nu.* 25. *in* 28. *coroll. de rescr.* Cres. *decis.* 7. *n.* 3. *de iurepatr.* Quia hoc intelligitur quando præsentatio est talis, vt ex ea quis veniat necessariò instituendus, Paul. de Citadin. *de iurepatr.* 6. *part. in princ. n.* 11. Mohed. *decis.* 1. *de præb.* fuit dictum in Mediolanen. Capellaniæ 27. Martij 1602. coram Corduba, qualis non erat præsentatio Pauli, qui non habebat maiorem partem patronorum, & cui nec ex dicta prouisione, cum derogatione medietatis erat ius quæsitum, ex prædictis.

Ex quibus DD. permanserunt in decisis vtraque parte informante.

R. P. D. MANZANEDO.

Asculana pecuniaria. Lunæ 26. Martij 1618.

SVMMARIVM.

Pater consentiendo, vt filius nubens dotem recipiat, tenetur ad illius restitutionem, eo præsertim, si eiusdem filij defuncti sit hæres, illiúsque hæreditas censetur adita per exactionem pecuniarum ipsi filio debitarum.

SVMMARIVM.

Dotis receptæ confessio probat receptionem dotis, præcedente illius promissione, num. 1.

Confessionis nulla maior probatio, ibid.

Dotem si filius recipiat patre consentiente, censetur pater se obligare & bona sua pro restitutione dotis, nu. 2.

Positionibus facta responsio per verbum credo, *probat contra respondentem, num. 3. nec reuocari potest, non docto de errore, ibid.*

Aditio hæreditatis censetur probata ex exactione pecuniarum testatori debitarum, ibid.

DECISIO DCXLIV.

1 FVit 11. Maij 1615. resolutum constare de credito Lauræ quoad quantitatem dotis solutam Sgariliæ suo viro ex duabus apochis, quæ licèt contineant confessionem de recepto; tamen præcedenti promissione dotis facta in capitulis matrimonialibus, probant, & postea 17. Nouemb. prædicti fuit pariter resolutum dicta capitula matrimonialia esse sufficienter recognita, vnde prosequendo disputationem hodie dubitaui, an Iosephus teneretur dictam dotem restituere? Et Domini affirmatiuè responderunt, cùm ipse sit hæres Vincentij sui patris, vt constat tam ex possessione eius bonorum, quàm ex propria ipsius confessione, qua nulla maior probatio. *l.* 1. *C. de confess. l. generaliter. C. de non numer. pecun.* Qui quidem Vincentius ad restitutionem dictæ dotis tenebatur. Laura enim expressè conuenit capitula matrimonialia subscribi, & acceptari debere à Sgarilia eius viro, cum præsentia & voluntate Vincentij sui patris, prout fuit factum, cùm vterque subscripserit, & præsertim Vincentius expressè acceptando omnia in dictis capitulis contenta.

Vnde cùm inter cætera in dictis capitulis Laura promiserit dotem Sgariliæ, & illam ei consignare statim sequuto matrimonio, & è contra Sgarilia eueniente casu restitutionis, illam restituere se obligauerit, sequitur solutiones dotis postea factas Sgariliæ fuisse factas voluntate & consensu Vincentij eius patris, qui prædicta pacta acceptauit, & sic succedit conclusio quòd quando pater consentit quòd filius recipiat dotem, censetur obligare pro restitutione dotis se & bona sua. Negusan. *de pignorib. in* 4. *membr.* 2. *part. n.* 36. *vers. Intelligendo tamen.* Curt. iun. *cons.* 133. *n.* 5. Socin. *cons.* 303. *sub n.* 5. *lib.* 4. decis. Pedem. 44. *n.* 11. *&* 12. Bart. *in l. si cùm dotem. §. transgrediamur, nu.* 33. *ff. solut. matrim.* 2

Vlteriùs cùm Vincentius fuerit hæres Sgariliæ eius filij, qui expressè ad dictam restitutionem se obligauerat, etiam tanquam illius hæres tenebatur: quòd autem fuerit hæres, apparet ex responsione Iosephi ad positiones, in qua dicit se credere quòd post mortem Sgariliæ remansit Vincentius eius pater & hæres, quæ confessio licèt dicatur ex aduerso quòd fuit cum iudicis decreto reuocata tanquam erronea; tamen de hoc non docetur, immò adminiculatur ex depositione duorum testium dicentium se audiuisse à dicto Vincentio quòd ipse exegerat scuta 800. seu 900. ad hæreditatem Sgariliæ spectantia, ex qua exactione inducitur aditio *l. pro hærede. §. Papinianus. ff. de acquir. hæreditate.* Socin. *cons.* 45. *n.* 5. *lib.* 4. Menoch. *præsumpt.* 101. *num.* 18. *lib.* 4. Vnde cessante dicta reuocatione, ex hoc etiam capite tenebatur ad restitutionem dotis Vincentius. 3

Quæ autem dicuntur circa non probationem crediti Lauræ, & non sufficientem recognitionem capitulorum matrimonialium, non videntur hebenda in consideratione, cùm super his adsint particulares decisiones, vt suprà dictum est.

R. P. D. SACRATO.

Parmen. status. Lunæ 26. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Filij spurij legitimati per subsequens matrimonium in fideicommissis non dicuntur nati ex legitimo matrimonio, & quomodo per testes, vel alio modo filiorum legitimitas probetur. est notabilis & magistralis decisio, & ad eam in occurrenti casu semper recurrere potes, sic docente, & declarante dignissimo & sapientissimo D. Archiepiscopo Damasceno.

SVMMARIVM.

Fideicommissum, in quo vocantur filij legitimi, & naturales ex legitimo matrimonio procreati, & nati, verè, & non fictè, locum non habet, nisi probata qualitate filiorum quòd sint tales, sicut in fideicommisso vocantur, num.2.

Qualitas quando est fundamentum intentionis alicuius, debet probari in specie, ibid.

Fideicommissum in quo vocantur nati ex legitimo matrimonio, non habet locum in legitimitatis per subsequens matrimonium, num.3.

Filij spurij legitimati per subsequens matrimonium non dicuntur nati ex legitimo matrimonio. ibid.

Legitimitas, & natiuitas ex legitimo matrimonio probatur ex eo quòd quis fuerit admissus ad bona, & honores, ad quæ non nisi legitimi, & nati de legitimo matrimonio admitti solent, ibid.

Præsumptionem qui habet contra se, volens probare contrarium, exactiores probationes deducere tenetur, ibid. in fine.

Legitimitas probata per patris nominationem, & tractatum tertio non nocet, num.4.

Enunciatiua vnica quando principaliter agitur de enunciato non probat etiam inter easdem partes, ibid. in fin.

Qualitas adiecta verbo intelligitur secundùm tempus verbi, num.5.

Fideicommissarij recipiunt fideicommissum de manu hæredis grauati, num.6.

Fideicommissi actio præscribitur per annos 30. ibid.

Legitimitas non censetur probata per testes deponentes quòd sic pro legitimis reputabantur, nisi addant verbum communiter, *num.7. & 8. & 10. in fine, & n.13. pariter in fine.*

Indefinita oratio non æquipollet vniuersali in teste, nu.7.

Legitimitas non probatur per testes simpliciter deponentes de auditu, num.9. & 10.

Fama nunquid probet legitimitatem, num.11.

Fama publica per vnum testem non dicitur plenè probata, ibidem.

Fama vt probet, debet esse in loco vbi actus est gestus, ibid. in fin. & num.13. etiam in fine.

Error instrumenti in millesimo difficilior esse potest, quàm in indictione, num.14.

Ætas in testibus probatur eorum assertione, ibid.

Ætas probatur per assertionem matris, ibid.

Testes nulliter examinati faciunt magnum adminiculum contra producentem, num.15. in fin.

Testes deponentes publicè dici audiuisse, secundùm opinionem Rotæ probant famam publicam, num.16.

Probatio non concludens & imperfecta conquassat contrariam probationem debilem, & imperfectam, nu.17.

DECISIO DCXLV.

1 POst factas resolutiones in hac causa, quòd sit probatum matrimonium saltem de facto, & sine coarctatione temporis inter qq. Bernardinum, & Catherinam ascendentes dominorum de Pallauicinis, fuit dubitatum, an dicti de Pallauicinis teneantur probare contractum dicti matrimonij de certo tempore, & de quo? Sed quia domini de Pallauicinis præcipuè nitebantur eo fundamento, quòd ipsi ex persona Vberti, filij dicti Bernardini sint in quasi possessione legitimitatis, vnde resultare prætendebant, & se esse releuatos ab onere vlterioris probationis, & etiam sibi hoc esse satis ad obtinendam immissionem in bonis, fideicommisso, de quo agitur, subiectis, ex remed. *l. fin. C. de edict. D. Adr. toll.* propterea placuit Rotæ restringere difficultatem ad dictam quasi possessionem, quam, post plures propositiones censuit, non esse probatam.

Pro quo illud in primis fuit obseruatum, quòd fideicommissum, de quo agitur, vocat legitimos, & naturales, & de legitimo matrimonio procreatos, & natos verè, & non fictè: propterea ista qualitas procreationis, & natiuitatis ex legitimo matrimonio est in specie probanda, vt in istis terminis est decis. Cardin. Seraph. 1081. *num.2.* & est regulare in omni alia qualitate, quòd, quando est fundamentum intentionis, debeat in specie probari. Crauett. *cons.96. nu.4.* Rota *diuers. decis.72. part.1.* 2

Secundò fuit obseruatum, non fore probatam dictam qualitatem ex eo, quòd supponantur decisiones, iam factæ, quòd, scilicet, constet de matrimonio inter Bernardinum, & Catherinam sine coarctatione temporis, etiamsi modò simpliciter probaretur, quòd Vbertus fuerit in quasi possessione legitimitatis, quia ista quasi possessio posset verificari in legitimatis per subsequens, qui tamen non veniunt in fideicommissis, in quibus vocantur procreati, & nati ex legitimo matrimonio, vt latè per Peregr. *de fideicom. art.24. n.25. cum plurib. sequen.* Thesaur. *decis.196. n.3.* Surd. *decis.219. n.5.* & sensit Rota coram bon. me. Card. Seraph. *decis.1300. in fin.* ponderando maximè prægnantiam verborum fideicommissi, de quo agitur; ideoque existimauerunt Domini in casu, de quo agitur, esse necessariam quasi possessionem qualificatam, puta, quòd Vbertus fuerit admissus ad bona, vel honores, ad quæ non nisi procreati, & nati ex legitimo matrimonio solent admitti, aut quid simile inferens pernecessè dictam qualitatem: & eo maximè stante non legitimo initio, ex quo ex mandato de dispensando, testibus, & aliis constat, Bernardinum ante prætensum matrimonium cognognouisse Catherinam, & ex illa suscepisse filios, tunc enim probatio redditur magis æquiuoca, & suspecta, & exactiores probationes requiruntur, vt bene per Cephal. *cons.82. n.55. cum plurib. sequ.* Verall. *dec.210. part.2.* Rota in causa Veneta illegitimitatis 16. Nouemb. 1607. coram bo. me. Pegna. Quibus cōstitutis, 3

Ad primum genus probationis dominorum de Pallauicinis deductum ex eo, quòd Bernardinus in duobus testamentis instituerit Vbertum, & alios filios hæredes, & in primo illos nominauerit filios legitimos, & naturales, procreatos, & natos ex se, & domina Catherina vxore sua pro iusto matrimonio, & in alio illos nominauerit suos filios legitimos, & naturales procreatos, & natos ex se, & domina Catherina sui testatoris vxore legitima, & quam suam vxorem legitimam esse protestatus fuit, & protestatur, fuit dupliciter responsum. Primò quòd denominatio, & tractatus patris non solet nocere tertio, Ias. *cons.81. in princ. lib.1.* Grat. *cons. vlt. n.4. lib.1.* Card. Mantic. *de coniect. vlt. volun. lib.11. tit.12. n.11.* latè Pet. *de fideicom. q.11. nu.302. cum plurib. sequen.* Card. Seraph. *dec.1081. n.2.* Rot. in causa Sutrina beneficij 13. Martij 1588. coram bo. me. Platto, & in Romana de Bonellis 29. Nouemb. 1614. coram R. P. D. meo Vbaldo, maximè quando materia est suspecta ex malo initio, per suprà allegata: & fuit etiam ponderatum, quòd prædicta testamenta non continent tractatum legitimitatis qualificatæ ex procreatione durante matrimonio, quia quomodocumque filij essent legitimi, siue per subsequens matrimonium, siue per rescriptum, institutio illis debebatur, iuxta notata per Butr. *in cap. per Venerabilem num.* 4

19. quis

19. *qui filij sint legitimi*. Soc. iun. *cons.* 42. *num.*34. & 36. *lib.*1. Ideoque quicquid ex prædictis testamentis circa legitimam procreationem elici posset, remaneret simplex enunciatiua moderna, si dematur tempus litis, & vnica cùm sit ab eadem persona, vnde etiam circumscripta suspicione nihil probat, maximè in casu, in quo agitur principaliter de enunciato, Alexand. *consil.*21. *num.*4. *vers. Sed non probabitur lib.*1. Rota *decis.*388. *part.*1. *diuers.*

5 Secundò fuit responsum, quòd neque verba dictorum testamentorum inferunt per necesse, quod Vbertus, de cuius persona strictè agitur, fuerit procreatus, ex legitimo matrimonio; cùm possit verificari in legitimato per subsequens, qui tempore testamenti rectè potuit dici natus ex testatore, & Catherina legitima vxore, non quia esset talis de tempore procreationis, sed quia, secundùm assertionem testatoris, erat talis de tempore testamenti. Nec officit, quòd qualitas adiecta verbo intelligatur secundum tempus verbi, *l. in delectis.* §. *si extraneus. ff. de noxalib.* quia qualitas vxoratus non est adiecta verbo *procreatos*, sed est adiecta personæ Catherinæ, & sic stat, vel saltem stare potest demonstratiuè ad personam Catherinæ de tempore testamenti, & non qualificatiuè ad filios de tempore procreationis. Et quod intentio testatoris fuerit potiùs demonstrare Catherinam, quàm qualificare procreationem Vberti, patet ex illis verbis, *quam suam vxorem legitimam esse* (& sic de tempore testamenti) *protestatus fuit, & protestatur*, &c.

6 Ad secundum genus probationis deductum ex eo, quòd Vbertus possederit bona paterna, necnō etiam fideicommisso subiecta, & vlteriùs fuerit à Rolando patruo suo, & qui, illo existente incapace, succedebat in fideicommisso, nominatus depositarius medietatis Castri Zibelli. Quoad possessionem bonorum paternorum responsio patet ex suprà deductis, nempè, quòd hæc non nocet tertio, & nec etiam infert quasi possessionem legitimitatis qualificatæ ex iusta procreatione, cùm, pro habenda possessione bonorum paternorum, sufficiat, Vbertum quomodocunque fuisse legitimatum, siue ex rescripto Principis, siue ex subsequenti matrimonio, ex allegatis. Quoad possessionem bonorum, fideicommisso, de quo agitur, subiectorum, fuit responsum, neque ex illa aliquid inferri, quia cum Vbertus fuisset hæres Bernardini vltimi grauati, fuit illi debita possessio bonorum, fideicommisso subiectorum, & ab illius manu debebant recipere fideicommissarij, latè per Dec. *cons.*467. *n.*12. & de communi Rota *decis.*83. *n.*1. *part.*1. *diuers.* Nec facit, quòd fideicommissarius per aliquod tempus non mouerit litem Vberto, quia cùm haberet 30. annos ad petendum fideicōmissum, iuxta not. *in l. sicut. ff. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* patiendo pro minori tempore, non fuit ei in aliquo præiudicatum, aliàs sequeretur, quòd si fideicommissarius aperto fideicommisso non mouet incontinenti litem, constituat hæredem grauati in quasi possessione qualitatis, in qua prius non erat, quod nullo iure cautum reperitur; fuerunt etiam dati testes, deponentes, quòd Rolandus fideicommissarius iactabat, quòd filij Bernardini erant illegitimi, & incapaces, & quòd volebat illis mouere litem; & etiam constat, quòd dictus Rolandus pro maiori parte temporis fuit carceratus, sicque non facilè potuit incumbere litibus ciuilibus: vnde ex istis eo minùs potest fieri fundamentum super patientia fideicommissariorum. Quo verò ad depositum medietatis castri Zibelli, fuit dictum, ex illo bene inferri confidentiam Rolandi erga Vbertum, sed nihil habere commune cum legitimitate, maximè qualificata, cùm non sit qualitas vllatenus necessaria ad recipiendum depositum.

Quò ad tertium genus probationis deductum ex testibus, discurrendo super singulis, neque visum fuit releuare primus testis Stephanus de Cauallis dum dicit, quòd Bernardinus, & Catherina tractarunt Vbertum, & alios filios pro legitimis, & naturalibus, & ita etiam vidit eos teneri, & reputari à subditis, & vasallis, nihil nocet: nam quoad tractatum parentum responsum est suprà in primo genere probationis; quoad reputationem vasallorum, testis non deponit per verbum *communiter*, prout requiritur ad istum effectum. Verall. *decis.*210. *part.*2. & est regulare, quòd in teste indefinita non æquipollet vniuersali, vt per scribentes *in cap. auditis. de præscrip.* Ideoque potest dictum istius verificari in duobus, vel tribus vasallis, qui filios Bernardini pro non legitimis; & denique testis non dicit, quòd filij Bernardinini fuerint tractati, & reputati vti legitimi, & naturales procreati ex legitimo matrimonio: ideoque potest illius dictum verificari in legitimatis per subsequens, vel per rescriptum, qui non succedunt in similibus fideicommissis, vt dictum est suprà. 7

8 Secundus testis Raymondus del Pizzo in eo, quod deponit de tractatu Bernardini erga filios, tollitur ex dictis in proximo; dum autem dicit, quòd Catherina ante ortum Vberti, & subsequenter fratrum dicta fuit esse, ac habebatur, tenebatur, & reputabatur ab hominibus Zibelli, prout vidit ipse testis, vxor Bernardini, & ab eo desponsata; neque in hoc visus fuit releuare. Primò, quia non dicit, quòd Catherina ante ortum Vberti communiter reputaretur vxor, quod erat necessarium, cùm aliàs eius dictum posset verificari in duobus, vel tribus vasallis, qui ita reputarent, vt dictum est in proximo teste. Secundò non deponit, quòd ita reputaretur ante procreationem Vberti, cùm ortus possit verificari in sola natiuitate post matrimonium, & tamen fideicommissum vult procreatos ex legitimo matrimonio, & non contentatur de natis durante matrimonio, vt patet ex illis verbis, *procreatos & natos.*

9 Tertius testis Franciscus Parasacchus deponit de simplici auditu; vnde super illo non fuit immoratum.

10 Quartus testis Baptista de Ferrariis dicit, quòd Bernardinus & Catharina per plures annos steterunt simul reputantes se pro legitimis coniugibus, & procrearunt articulatos filios, & plures reputabant eos pro veris, & legitimis coniugibus, & etiam aliqui dicebant, quòd inter eos non potuit esse verum matrimonium, dictum fuit, istum testem in primis non depone præcisè, quòd filij fuerint procreati post reputationem matrimonij. Secundò, esto, quòd hoc dicat, non reddit rationem concludentem matrimonium ante procreationem, quia quòd Bernardinus, & Catherina reputarent, & tractarent se vti tales, non probat, quòd de illo tempore fuerit inter illos matrimonium, quia dato malo initio, huiusmodi tractatus non probant matrimonium. Innoc. *in cap. ex parte num.*5. *de restit. spoliat.* & fuit latè deductum in causa Cracouien. illegitimatis 22. Maij 1606. coram me. Circa illud, quod dicit de reputatione aliorum, non concludit, cùm non deponat per verbum, *communiter*, ex dictis super duo-

bus proximis testibus; imò deponit de illis, qui reputabant in contrarium.

11 Quintus testis Bernardinus de Franciosis dicit, quòd iudicio suo possunt esse 20. anni, vel circa, quòd ipse testis dici audiuit à pluribus, & quòd publicè dicebatur in loco Zibelli, Bernardinum desponsasse Catherinam, & eam in vxorem accepisse, & quod ab inde citra dictus Bernardinus suscepit ex ea Vbertum; iste testis circa quasi possessionem legitimitatis qualificatæ ex procreatione, visus fuit non probare. Primò quia quòd Catherina esset vxor Bernardini de tempore susceptionis Vberti non deponit nisi per rationem, quod publicè dicebatur, quæ ratio ad summum concluderet publicam vocem, & famam, quæ facit semiplenam probationem, & ipse tanquam vnicus facit semiplenam istius semiplenæ. Præterea iste testis non deponit de procreatione Vberti post matrimonium, sed de susceptione, quæ potest verificari in simplici natiuitate Vberti post matrimonium, quæ natiuitas non sufficeret, ex suprà allegatis. & etiam fuit obseruatum, quòd iste testis deponit de fama in loco Zibelli, quæ non suffragatur. cùm Vbertus fuerit natus in loco Varani: fama enim, vt probet, debet esse in loco, vbi actus est gestus, Salicet. *in l. ea quidem nu.* 103. *C. de accusat.* Natt. *cons.* 473. *num.* 16. *vers. Item prædicti testes.*

12 Sextus testis Barrotius de Burgo omnia deponit de auditu simplici, ideoque super illo non fuit immoratum.

13 Septimus testis Ioannes de Magistris dicit, se cognouisse vxorem Bernardini, de qua in interrogatorio de anno 1516. quo tempore erat nupta in dictum Bernardinum, & hoc scit, quia vidit, & audiebat, & intelligebat, dictum Bernardinum eam tenere, reputare, & nominare pro vxore, & è conuerso ipsam eum tenere pro marito, & ita eos teneri à vicinis, & aliis cognoscentibus, & testis ita eos tenuit, & reputauit, tenebat, & reputabat palàm, & publicè. Idem testis super 13. interrogatorio dicit, quòd Bernardinus ex dicta eius vxore, antequam esset vxor, habuit vnum filium nominatum Federicum, & postquam fuit nupta in Bernardinum habuit Vbertum, & alios filios, & ita audiuit, & intellexit, ac vidit ipsum Bernardinum, & Catherinam ipsos filios, & filias pro talibus sic natis habere, tenere, & reputare, & nominare, ac ab aliis haberi, teneri, & reputari palam, & publicè in Terra Zibelli. Iste testis & ipse visus fuit posse euitari: nam in primis non deponit de procreatione Vberti post prætensum matrimonium, sed per verbum, *habuit*, quod est æquiuocum, & potest referri ad simplicem natiuitatem post matrimonium, quæ non sufficeret, ex suprà deductis. Præterea in eo, quòd dicit, quòd Bernardinus postquam sibi fuit nupta Catherina, habuerit Vbertum, & alios filios, nullam reddit causam scientiæ prout debebat, cùm non interfuerit matrimonio, itaut certò sciret tempus illius; imò se restringit ad simplicem auditum, & intellectum, ibi. *& ita audiuit dici, & intellexit.* Et in omnem euentum in hoc esset vnicus, dum autem subiungit, vidisse ipsum Bernardinum, & Catherinam filios pro talibus, sic natis habere, tenere, & reputare, ac nominare, nihil aliud concludit, quàm tractatum parentum, qui non nocet tertio, ex suprà deductis. Dum autem dicit, ita fuisse tentos ab aliis, non subiungit hoc fuisse communiter, prout requiritur, ex suprà sæpiùs allegatis. Præterea non deponit de loco Varani, prout requiritur ex pariter allegatis.

Postremò quicquid dici posset cum solis probationibus dominorum de Pallauicinis, res visa fuit reddi magis dubia ex deductis pro parte dominorum de Rangonibus: nam in primis fuit datum instrumentum, confectum per Vbertum cum præsentia, & assensu matris de anno 1526. 27. Nouembris, in quo medio iuramento confitetur se esse maiorem 17. annis, & vltrà, ideoque apparet, quòd erat natus ante annum 1510. de quo tempore Bernardinus, & Catherina procurarũt exequutionem mandati de dispensando pro contrahendo matrimonio, & sic non erat adhuc inter illos matrimonium. Nec mouit Dominos, quòd indictio, de qua in dicto instrumento, non concordet cum dicto Millesimo; ideoque possit esse erratum in Millesimo; ideoque possit esse erratum in Millesimo, sicut in indictione, quia visum fuit circa Millesimum, tanquam rem notissimam, non potuisse errari, quod secus est in indictione, quæ paucis est nota. Non etiam mouit Dominos, quòd Vbertus potuerit errare circa propriã ætatem, cùm homines de tempore natiuitatis non habeant vsum rationis, quia à communi accidentibus homines maximè nobiles, vel per relationem propinquorum, vel aliàs solent scire propriam ætatem, ideoq; inoleuit communis praxis, vt illis credatur circa propriam ætatem, sicut videmus practicari in testibus, etiam vbi ætas est de substantia, vt in testibus deponentibus super immemorabili; & cùm mater, benè conscia ætatis filij, esset præsens, & authorizans, multùm verisimile est, quòd admonuisset filium si errasset in assertione ætatis; & in omnem euentum, cùm possibile sit quòd Vbertus aliquo modo esset certus de sua ætate, standum est illius confessioni iuratæ donec probetur error, cùm regula sit, quòd confessio plenè probet contra confitentem, & habentem causam ab illo. Similiter non obstare visum fuit, quòd Vbertus in alio instrumento, de eodem anno confecto, asseruerit se maiorem 16. annis, quia in maiori ætate inest minor, iuxta notata *in l.* 1. *§. si stipulanti ff. de verb. signific.* & hoc modo concordantur similes probationes per Alexand. *cons.* 64. *num.* 3. *&* 4. *lib.* 2. 14

15 Secundò principaliter pro parte dominorum de Rangonibus fuerunt dati testes, ex quibus apparet, Iacobam sororem Vberti fuisse natam 18. menses post illum, & rursus 18. menses post Iacobam fuisse natum Pallauicinum, adeò vt Pallauicinus excederetur in ætate ab Vberto per tres annos; iste autem Pallauicinus reperitur nominatus in testamento patris condito de anno 1511. mense Decembris; ideoq; apparet, quòd Vbertus fuit conceptus circa principium anni 1508. & sic ante mandatum de dispensando, de quo suprà; & quatenus fuit replicatum pro parte dominorum de Pallauicinis, quòd testes, hoc deponentes, iam sunt declarati nulliter examinati, visum fuit Dominis, quòd ex quo tales testes fuerunt inducti à dominis de Pallauicinis, quod etiamsi sint nulliter examinati, possint contra illos facere magnum adminiculum, per ea, quæ fuerunt deducta coram Verall. *decis.* 268. *part.* 3. & dixit Ruin. *cons.* 46. *num.* 10. *lib.* 4. & Crauett. *cons.* 198. *num.* 11. Cardin. Seraph. *decis.* 585. *num.* 1.

16 Tertiò fuerunt dati pro parte Rangonorum testes, plura deponentes in confuso super illegitimitate filiorum Bernardini, & signanter duo, nempè Hieronymus de Roncho, & Bernardinus de Picciis, qui dicunt, publicè audiuisse, quòd filij Bernardini erant illegitimi, & insuccessibiles. Quod

verbum

verbum *publicè*, secundùm opinionem, quam sequitur Rota, importat publicam vocem, & famam. Caputaq. *decis. 7. & decis. 189. part. 5.* Rota in causa Romana matrimonij 21. Iunij 1611. coram R. P. D. meo Pirouano.

17 Et licèt istæ probationes fortè non viderentur sufficientes ad probandam illegitimitatem, quatenus onus probandi incumberet dominis de Rangonibus, attamen bene visæ fuerunt sufficere ad elidendam, & conquassandam probationem dominorum de Pallauicinis, cùm per suprà deducta satis sit imperfecta in genere suo; & quando probatio est debilis, & imperfecta, tunc eliditur, & conquassatur per alias similes contrarias, vt in istis terminis respondit Rota in Cracouien. illegitimitatis coram me, de qua suprà.

Et ita tentum, &c.

R. P. D. ANDREA.

Bononien. de Capacellis. Lunæ 26. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Legata, & prælegata, an, & quando veniant, & comprehendantur sub fideicommisso. est singularis, & magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Substitutio prima declarat qualis fuerit voluntas testatoris, in secunda etiam quoad bona contenta in prima substitutione, num. 2. & num. 6. in fine.

Substitutio facta post mortem omnium in tota hæreditate, omnibus defunctis integra hæreditas ad substitutum defertur, nu. 3. vbi etiam, an illi omnes sint inter se inuicem substituti, & num. 4. & seq. vbi referuntur contrariæ opiniones.

Clausula institutionis hæredis in omnibus, aut aliis bonis, *&c. nunquid operetur quòd in fideicommisso veniant prælegata, num. 6.*

Verba aduersatiua ad præcedentia de sui natura aduersari solent tam in iure, quàm in facto, ibid.

Substitutio regulatur ab institutione, ibid.

Hæres institutus in recepta habetur pro legatario, nu. 7.

Legata, & prælegata nunquid veniant, & comprehendantur in fideicommisso, ibid. & num. 8. vbi quid si testator prohibuerit in suis bonis fieri aliquam detractionem, vel si dixerit velle eius bona remanere in familia, & num. 9.

Alendi onus, morte illius cui alimenta debentur, finitur, num. 11.

DECISIO DCXLVI.

1 HAc die 17. Nouembris anni præteriti, cùm dubitarem, an esset recedendum à decisis coram R. P. D. meo Pamphilio quoad fideicommissum, DD. in decisis permanserunt, eo reseruato, an bona relicta Claudio comprehenderentur sub dicto fideicommisso. quo dubio proposito, hodie 26. Martij 1618. fuit responsum bona Claudij esse etiam comprehensa.

2 Cùm enim testatores, vt patet ex eorum testamentis, quæ in omnibus & per omnia concordant, eorum nepoti Claudio dicta bona reliquerint, in aliis autem omnibus Hieronymum alterum nepotem hæredem vniuersalem instituerint, & eosdem Hieronymum & Claudium inuicem substituerint, in qua reciproca substitutione, non potest negari quin adsint etiam bona Claudij, vt etiam admittunt informantes pro Iulia, sequitur dicendum quòd in sequenti substitutione facta de primogenito in casu deficientiæ DD. Claudij & Hieronymi, & eorum omnium liberorum & descendentium masculorum, qui casus euenit, cùm nulli remanserint ex Hieronymo & Claudio liberi, & descendentes masculi, fuerint comprehensa, quæ erant comprehensa in præcedenti reciproca substitutione, quia prima substituto declarat qualis fuerit voluntas in secunda. Curt. iun. *cons. 70. n. 1.* Mandell. *cons. 24. nu. 7.* Cacheten. *cons. 71. nu. 19.* Menoch. *cons. 775. nu. 14.* Mantic. *de coniect. lib. 5. tit. 1. num. 22. vers. & per primam*, quod procedit etiam quoad bona contenta in prima lege, *qui liberis. §. fin. cum concordan. in gloss. super verbo partes quoque. ff. de vulgar.* Soc. iun. *cons. 190. n. 14. lib. 1.* Menoch. *cons. 397. n. 12. vers. Et cùm institutio, lib. 4.* & in nostris terminis est text. *in cap. si pater, in princ. de testam. in 6.* & licèt Hieronymus non superuixerit Claudio, sed è contra; nulla tamen potest saltem probabilis assignari ratio diuersitatis, cùm testatores voluerint bona Hieronymi prædilecti venire ad primogenitum nasciturum ex filia Claudij si casus euenisset, & non idem sit dicẽdum in bonis Claudij, in casu qui euenit ad fauorẽ primogeniti ex filia dicti Hieronymi.

3 Quod etiam suadetur ex ordine, & contextu ipsius testamenti. Nam quilibet testator post dictam particularem Claudij in certis bonis, & vniuersalem Hieronymi in aliis bonis institutionem & reciprocam substitutionem vnicuique illorum proprios liberos, & descendentes masculos substituit, & sic extantem superuiuentem ex prædictis eius nepotibus, & præmortui liberos & descendentes masculos pariter substituit, vt in testamento impresso Tanarini *num. 19.* in quibus omnibus substitutionibus respectiuè tam bona Claudij, quàm Hieronymi erant comprehensa: deinde sequitur deficientibus autem supradictis eius hæredibus, & eorum liberis & descendentibus masculis, tunc dictus testator instituit, nominauit, & esse voluit eius hæredem vniuersalem primogenitum masculum nasciturum, &c. quæ institutio, seu substitutio, cùm legatur facta de hærede vniuersali, & sic de tota hæreditate, non est dubitandum, quin contineat omnia bona etiam Claudio relicta. Nam in illo articulo quando substitutio est facta post mortem omnium, de tota hæreditate, nõ est controuersia inter Doctores, an tota integra hæreditas omnibus defunctis sit peruenta ad substitutum, hoc enim pro certo habet, sed in eo contendunt, an illi omnes sint inter se inuicem substituti; & in hoc sunt contrariæ opiniones Ang. & Bart. hic enim affirmatiuam, ille verò tenuit negatiuam, quòd non dicatur facta reciproca substitutio inter eos substitutos illico succedat primo decedenti, & successiuè aliis descendentibus, vt tradit Couar. *in cap. Raynutius, de testam. §. 8. num. 4. in 3. conclus.* Zanch. *in repet. §. cùm ita. part. 6. num. 91.* Gabr. *de subst. concl. 1. n. 18.* Crass *in §. substitutio q. 61. n. 12. & seq.* Trentacinq. *de substitut. part. 5. cap. 2. nu. 23.*

4 Et quamuis opinio Angeli sit magis communis, vt tenent omnes supradicti, nihilominus ea non procedit, sed contraria Bart. quando sunt aliquæ coniecturæ, vtputa ratio conseruandæ agnationis, vel alia similis, vt per Crauett. *cons. 113.* Specin. iun. *cons. 110. num. 37. lib. 3.* Gabr. *vbi supr. num. 9.* Zanch. *d. part. 6. num. 92. & 79.* In proposito autem dicti testatores professi fuerunt *eod. num. 19* de facere dd. substitutio-

nes pro conseruatione agnationis & familiæ ipsorum, & ad effectum fieri voluerunt inuentarium omnium, & quorumcunque bonorum suorum, & prohibitionem alienationis eorum strictissimam adiecerunt. *nu.2.* quæ sola prohibitio sufficeret, etiam quòd in prædictis substitutionibus indefinitè de hæreditate, & bonis, non autem de tota, vel omnibus dictum fuerit. Alex. *cons.14.nu.17.lib.4.* Rip. *in d.§.ita nu.17.vers.Tu verò,* Alciat. *in l.vel singulis n.6.de vulgarib.* Zanch. *vbi supr.num.164.* Peregr. *de fideicomm. art.7.num.27.*

5 Vnde si de bonis Claudij & reliquis in institutione Hieronymi comprehensis facta fuit reciproca substitutio inter omnes, ita quòd eis decedentibus vltimo superstite Bononiæ erant consolidanda in vltimo, & ei fuit primogenitus substitutus, in necessarium consequens omnia dicta bona, & sic etiam Claudij fuerunt comprehensa in substitutione primogeniti. *l.Titia Seia.§.Seia libertis.ff.de legat.2.l.hæredes mei.§.cùm ita.ff.ad senatusconſ.Trebell.* ex quibus cessant omnia in contrarium adducta.

6 Et primò non obstat, cùm vniuersalis institutio Hieronymi ab initio facta non comprehendat bona Claudio relicta, propter illa verba, *in omnibus aliis autem bonis,* &c. quæ veniunt aduersatiuè ad præcedentia, & de sui natura aduersari solent tam in iure, quàm in facto, *ad l.pater filium.§.quindecim.ff.de lega.3.& l.hoc amplius.§.de his autem.ff.de damn.infecto,* nec etiam debeat illa comprehendere substitutio vniuersalis eadem forma verborum facta de primogenito, cùm substitutio ab institutione reguletur, vt in specie tradit Corn. *cons.91.nu.1.vers.Insuper lib.1.* Socin.iun. *cons.107.n.12.& 45.lib.3.* Parisi. *cons.79.n.21.& seq.lib.2.* Peregrin. *de fideicom.art.7.n.44.* Nam vltra quòd opinio contraria est communis, vt fatetur idem Pereg. *vbi supr.vers.contrarium tamen,& nu.seq.* præsertim prout in casu nostro d.clausula, in omnibus autem aliis bonis fuit adiecta institutioni, & non substitutioni. Hond. *cons.71.nu.44.lib.1.* Vbi dicit veram & communem, ac in iudicando sequendam, prout in illa causa & secundùm conclusionem prædictam fuisse iudicatum, ait ipse Honded. *consil. seq.in fine,* aduerti debet quòd Hieronymus fuit institutus, cum præsupposito quòd Claudius viueret, & ideo in illa institutione bona Claudij particularia Hieronymus non habuit: primogenitus verò substitutus fuit cum præsupposito, quòd tam Hieronymus & Claudius & eorum descendentes masculi decessissent: vnde cùm in ipsa substitutione reciproca inter Hieronymum & Claudium, & in aliis inter eorum descendentes procul dubio venirent bona Claudij, ex deductis suprà, venire etiam debent in vltima substitutione de primogenito nasciturо, quia secunda vel vlterior substitutio recipit interpretationem à prima substitutione potius quàm ab institutione, iuxta regulam quòd *in habentem symbolum,* &c. vt in terminis Dec. *cons.1.n.188.lib.2.* Menoc. *cons.106.n.300.cum plurib.seq.& præsert.178.n.34.lib.4.*

7 Non obstat secundò quòd Claudius fuit institutus in rebus certis, & sic dato Hieronymo cohæredi vniuersali habet pro legatario. *l.quoties.C.de rei vindic.* Vnde cùm substitutio primogeniti facta fuerit in hæreditate, dum quilibet testator eum instituit, & esse voluit eius hæredem vniuersalem, propterea dicta bona legata cõtinere non debet. *l.Marcellus.§.quadam liberis,& in l.in fideicomm.§.fin.ff.ad Trebell.* iuncta *l.si Titius.ff.de legat.3.* & vtrobique Bart.& Doctor. Alex. *cons.25.nu.11.lib.4.* Zanch. *in d.§.cum ita 5.part.nu.132.* Menoch. *præsumpt.194.nu.37.lib.4.* Pereg. *d.art.7.num.53.* & in terminis illorum verborum hæredem vniuersalem instituit. Corn. *cons.91.nu.1.vers.Tamen his non obstant.lib.1.* quem sequitur Cephal. *cons.259.nu.52.* Hæc enim substitutio non fuit facta simpliciter in hæreditate, sed in vniuersa hæreditate, vt arguit Corn. *vbi suprà.* quamuis in suo casu dictio vniuersalis nõ fuit apposita substitutioni, sed institutioni, prout in casu Cephali erat facta substitutio in hæreditate absque dictione vniuersali, atque illa duo consilia retorquentur. Vbi autem substitutio facta fuit non simpliciter in hæreditate, sed in tota, vel vniuersa hæreditate, tunc non est locus illi regulæ de qua *in d.§.quadam liberis,* & aliis concordantibus, sed limitationi quòd prælegata etiam veniunt in substitutione. *d.l.hæredes mei.§.cùm ita,* vbi notanter declarat Bart. *nu.2.* Idem Bart. *in d.§.quadam liberis, nu.12.* vbi Alex.& Socin. vterque *num.2.in 2.limitat.* Zanch. *vbi supr.num.1.ad finem.vers.præterna nu.168.* Menoch. *de præsumpt.194.num.45.lib.4.* Peregr. *d.art.7.nu.26.*

Accedat quòd testatores prohibuerunt fieri aliquam detractionem de hæreditate & bonis eorum, necnon alienationem omnium, & quorumcunque bonorum, ea ratione expressa, quoniam mens, & intentio ipsorum fuit & est, eorum bona remanere in familia pro illius augmento & conseruatione, & quia affectionem habent ad illam, quibus casibus in fideicommisso etiam legata continentur, vt tradit Peregr. *vbi supr.47.* vbi vtrumque casum comprehendit, & in prohibitione alienationis Zanch. *in d.§.cùm ita.5.part.nu.173.in 4.ampliat.* Honded. *cons.71.num.33.& seq.lib.1.* 8

Denique licèt Claudius non fuerit hæres vniuersaliter institutus, sed solùm particulariter, habuerit d.bona, cùm tamen illa fuerint sibi relicta titulo institutionis, ideo in fideicommisso hæreditatis censentur etiam comprehensa, vt bene declarat Curt. iun. *cons.13.n.5.ad finem vers.2.principaliter, cum trib. seqq.* & post eum Zanch. *vbi supr.n.186.* Decian. *cons.41.n.127.lib.1.* Menoch. *cons.86.nu.8.& 74.* Idem præsumpt. de qua *supr.n.5.* Honded. *consil.71.n.28.* Peregr. *d.art.7.num 60.* 9

Neque releuat tertio loco obiectum circa extinctionem reciprocæ inter Hieronymũ & Claudium, necnon eorum filios & descendentes masculos, quæ dicitur euanuisse per mortem ipsius Claudij vltimò defuncti sine masculis, & præsertim, quia substitutio primogeniti facta fuit per verba directa ciuilia, quo casu etiam ea non extincta adhuc non veniret prælegata in restitutione fideicommissi, vt per Corn. Cephal. supr. allegatos, & Peregr. qui eos sequitur *d.art.7.n.54.* Nam quoad extinctionem satis patet responsio ex supradictis, & etiam quia d.substitutio facta fuit per modum compendiosæ, non solum per verba directa *instituit, nominauit,* sed etiam communia, & esse voluit eius hæredem. *l.2.C.com.de leg.§.fin.Instit.de sing.reb.per fideicommissum relictis.* Dec. *cons.38.nu.3.* & fuit dictum in Viterbien. fideicommiss. 29. Nouemb. 1603. coram R. Attrebaten. quo verò ad legata in specie dicta duo consil. Corn. & Ceph. reprobat Menoch. *d.præsumpt.194.nu.42.lib.4.* & quicquid sit de veritate istius opinionis Corn. & Cephal. adhuc in nostro casu non obstant ex proximè adductis in responsione ad secundum. 10

Vltimò non obstant coniecturæ circa mentem testatorum, quòd noluerint hæc bona Claudio relicta in primogenitura comprehendi, quæ mens, & voluntas 11

voluntas in hac materia præcipuè attendi debet. Cuman. *conf.*70.*n.*4. Parif.*conf.*70.*nu.*11.*lib.*2. Socin.iun. *conf.*107.*n.*41.*lib.*3. Honded.*d.cōſ.*71.*n.*31.*lib.*1. Zanch. *in d.* §.*cùm ita part.*5.*n.*10. Card. Mantic. *de coniect. lib.* 7.*tit.*7.*nu.*4.*verſ. Quod autem*. Peregr. *vbi ſupr. d. art.*7. *nu.*21. Nam vltra quòd ex prædictis ſatis conſtat de voluntate contraria teſtatorum, huiuſmodi coniecturæ admodum leues DD. viſæ fuerunt. Illa enim quòd bona fuerint relicta Claudio in recōpenſatione eorū quæ pro alimentis ſuper bonis paternis ipſe prætendere poterat, non modò non includit, immò etiam retorquetur. Nam ſicut onus eum alendi morte ipſius finiebatur, *l. cùm hi.* §. *modus autem. ff. de tranſaction. l. Mela, in princ. ff. de alim. legat.* cum ſimilibus; ita & legatum bonorum factum ad hoc vt exinde illa conſequi poſſet, iuxta naturam ſubrogationis. *l. ſi cùm* §. *qui iniuriarum. ff. ſi quis caut.* §. *fuerat. Inſtit. de action.* Alia verò deducta ex defectu prouiſionis fœminarū, & quòd aliæ filiæ Claudij & earum deſcendentes cogerentur mendicare, nec ipſa aliquid facit; cùm filiabus Claudij fuerint relictæ dotes & illarum deſcenden. vltra dotes etiam debeantur hæreditates & bona paterna immò ex hoc deducitur euidens coniectura contra Iuliam & Claudium iuniorem; quia cùm in hunc caſum mortis Claudij ſenioris abſque liberis maſculis fuerit prouiſum de dote filiabus, hinc reſultat vehemens præſumptio, quòd bona Claudij fuerint grauata. Et ita concluſum, &c.

R. P. D. REMBOLDO.

Romana pecuniaria. Veneris 30. Martij 1618.

ARGVMENTVM.

Cameralis obligatio tranſit in hæredes actiuè, & paſſiuè, nec retardatur per exceptionem requirentem altiorem indaginem, necnon ſolutio facta ab eo, qui non eſt debitor, præſumitur facta vti à Procuratore, & adminiſtratore, non autem nomine proprio, & hodie mariti de conſuetudine ſunt adminiſtratores bonorum vxoris dotalium, & non dotalium.

SVMMARIVM.

*Obligatio Cameralis tranſit actiuè, & paſſiuè in hæredes, num.*3.

*Exequutio fieri non poteſt contra bona hæreditaria debitoris obligati, etſi ea non poſſidentur ab hærede, nu.*4.

Poſſeſſio transfertur per aſſignationem & traditionem rei de qua agitur, ibid.

*Soluiſſe quis præſumitur vt Procurator, ſeu adminiſtrator, quando non conſtat de obligatione ſoluentis, num.*6.

Solutio præſumitur facta ex præcedenti cauſa, ibid.

*Mariti hodie de conſuetudine accipiunt, & adminiſtrant tam bona dotalia, quàm etiam non dotalia vxoris, n.*7.

Actus ſubſequens cenſetur factus in exequutionem eorum quæ perſeuerant, ibid. in fine.

*Exequutio obligationis Cameralis non retardatur per exceptionem requirentem altiorem indaginem, nu.*8.

DECISIO DCXLVII.

1 RElaxato ad fauorem Excellen. D. Flaminiæ mandato contra bona hæreditaria q. D. Iuliæ, & ſignanter contra bona Caſtri Galliani, & Paſſarani, ſeu eorū fructus, pro portione ex dictis bonis, & fructibus ad D. Ducem ſpectante. Dubitaui, an eſſet quoque relaxandum mandatum contra eadem bona, ſeu fructus pro portione Domini Camilli? & DD. vnanimi voto affirmatiuè reſponderunt.

Nam cùm, vt in aliis deciſionibus contra D. Ducem factis abundè demonſtratum fuit, ex publicis inſtrumentis, ac etiam aliis ſcripturis conſtet, quòd facta per D. Iuliam, cum iuramento, & obligatione Camerali promiſſione, quòd vſquequo D. Clarix realem, & corporalem poſſeſſionē quantitatis terræ ipſi pro dote, & donatione propter nuptias aſſignatæ apprehenderet, deberentur, & currant dictæ D. Clarici pro rata ſui crediti, & dictæ quantitatis, fructus qui ex Caſtro Galliani, & Paſſarani percipiuntur, eadem terræ quantitas dictæ D. Iuliæ ex ceſſionibus ſibi inuicem à ſororibus factis obtigit, & dicta D. Iulia debitum agnoſcendo dictos fructus in ſumma ſcut. 710. annuorum dictæ D. Clarici perſoluit, & quòd d. D. Clarix in medietate dictorum fructuum D. Flaminiam hæredem in vltimo ſuo teſtamento ſcripſit. 2

Dubium non eſt, quin ſicuti ſi dicta D. Iulia viueret, poſſet vigore ſupradictæ obligationis Cameralis relaxari contra dicta bona, & fructus mandatū exequutiuum, ita & pari ratione idē quoq; mādatum relaxari poſſit etiam illa mortua, aduerſus eadem bona, & fructus, etiam pro illa portione, in qua D. Camillus eſt dictæ D. Iuliæ hæres, quia eſt virtus obligationis Cameralis, vt tranſeat, tam actiuè, quam paſſiuè in hæredes, vt latè fuit in prima deciſione in hac cauſa contra D. Ducem facta probatum. 3

Nec obſtat præcipuum ſcribentium pro D. Camillo fundamentum, quòd ſcilicet nec dicta bona caſtri Gallani, & Paſſarani fuerunt vnquam à D. Iulia poſſeſſa, ſed ab ipſamet D. Clarice D. Martio aſſignata, nec illa dictus Camillus etiam nunc vti hæres D. Iuliæ poſſidet, ſed tanquam ſibi ex hæreditate dicti D. Martij obuenta, atque ideo contra eum exequutiuè agi non poteſt, ex alleg. in Bononien. exequutionis 16. Iunij 1600. coram bon. mem. Pegna. Quia fundamentum hoc in facto non ſubſiſtit: nam quòd dicta bona fuerint à D. Iulia ipſa viuente poſſeſſa, manifeſtè probatur, ne dum ex illo inſtrumento, in quo dicta bona fuerunt dictæ D. Iuliæ etiam præſente, & conſentiente D. Martio aſſignata illaque eadem D. Iulia dicto etiam conſenſu D. Martij accedente cum onere ſoluendi D. Clarici dictos fructus pro rata ſui crediti acceptauit, ſed quia etiam poſt dictam aſſignationem D. Iulia eoſdem fructus dictæ D. Clarici per plures annos perſoluit, hoc enim manifeſtum ſignum eſt, quòd dicta aſſignatio ſuum effectum ſortita fuit, & quòd per conſequens etiam dicta bona fuerunt à D. Iulia poſſeſſa, ad not. per Afflict, *dec.*95. Menoch. *de retin. rem.*3.*num.*568. 4

Nec obſtat quòd eadem bona fuerant priùs à dicta D. Clarice D. Martio in dotem data; quia ex lectura inſtrumenti apparet, quòd ei non fuerunt in dotem data, ſed à dicta D. Clarice vti tutrice D. Iuliæ, ac aliarum filiarum pro fructibus dotis dicto D. Martio aſſignata, vſque dum ſciri poſſet, an d. D. Iulia pro eius dote tertiam partem hæreditatis, vel potiùs ſc. 30. mill. habere deberet. Vnde cùm poſtea placuiſſet ſororibus ad diuiſionem totius hæreditatis deuenire, & vnicuique ſuam portionem 5

tradere, dicta assignatio impedimento non fuit quo minus in dicta diuisione potuerint, accedente præsertim D. Martij consensu, eadem bona D. Iuliæ cum onere soluendi D. Clarici ratam fructuum; illi ex dictis bonis debitam tradi, ac dicta D. Iulia se ad solutionem dictæ ratæ, vt dictum est, obligare.

6 Non obstat, quòd solutiones factæ D. Clarici non fuerunt à D. Iulia, sed à D. Martio factæ, quia cùm non constet de obligatione D. Martij ex persona propria præsumitur soluisse vti procurator, & legitimus administrator bonorum D. Iuliæ, quæ se debitricem D. Claricis in dicto instrumento constituit, quia solutio semper præsumitur ex causa præcedentis obligationis facta, *l. quadam mulier*, & ibi *gloss. ff. de re iud.* cum aliis per Crauett. *cons. 91. num. 9.* & fuit in hac causa coram R. P. D. meo Dunozetto firmatum.

7 Eadem quoque responsio tollitur, quod dicitur dicta bona fuisse à D. Martio locata, quia quatenus hoc in facto iustificaretur, dicendum esset, quòd D. Martius dictas locationes fecerit vti Procurator, & maritus D. Iuliæ, non autem nomine proprio, tum quia, et inquit Crauett. *d. cons. 91. num. 7.* ex communi consuetudine, & practica videmus, quòd mariti accipiunt, & administrant tam bona dotalia, quàm etiam non dotalia vxoris, tum quia cùm dicta bona fuerint consentiente D. Martio D. Iuliæ assignata, illaque onus soluendi fructus ex d. bonis D. Clarici debitos in se susceperit, actus subsequens censeri debet in exequutionem eorum quæ præcesserunt factus, ex pluribus adduct. per Surd. *decis. 325. num. 7. & 8.*

8 Non obstat quòd dicta bona dicantur fideicommisso anteriori obnoxia, quia cùm, vt sæpè dictum est, D. Iulia etiam accedente D. Martij consensu ad solutionem dictorum fructuum, se cum iuramento, & in forma Cameræ obligauerit, & D. Camillus etiam eiusdem D. Iuliæ sit hæres, quo fit, vt factum eius impugnare non possit, ac ipse eadem cum illa persona censeatur, iuribus vulgaribus, dicta exceptio tanquam altiorem indaginem requirens exequutionem dictæ obligationis impedire non potest, Cæs. de Graff. *decis. 3. num. 14. de solut.* Card. Seraph. *decis. 1455. num. 2.*

Ad ea, quæ adducebantur de defectu liquidationis, placuerunt DD. responsiones in quatuor aliis decisionibus contra D. Ducem factis datæ, cum quibus etiam in aliis transierunt.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Nullius iurisdictionis. Lunæ 2. Aprilis 1618.

ARGVMENTVM.

Ex summario sume argumentum.

SVMMARIVM.

Notarij duo si fuerint destinati ad compulsandum processum, vnius subscriptio non sufficit ad sustinendam eiusdem processus fidem, num. 1.

Suspicio oriens ex emendatione processus cadens in vna parte, non operatur in alia, quando partes sunt separata, num. 1. in fine.

Actorum editio spectat ad officium, & authoritem Notariorum, num. 3.

DECISIO DCXLVIII.

QVæ in præcedenti decisione 11. Decembris præteriti visa fuerunt extra dubium tunc propositum, itaut responsione non indigerent, hodie præsuppositis decisionibus iam factis discussa fuerunt, cum particulari dubio, an scilicet reliqua obstent, quin sit adhibenda fides processui remissoriali, in quo Domini responderunt non obstare. Prima namque oppositio probata non videbatur, quòd scilicet ambo Notarij non se subscripserunt processui extracto, & ad Curiam transmisso, prout necessarium est ad illius fidem sustinendam, Put. *decis. 6. lib. 1.* Guido Pap. *decis. 122.* Quia in processu leguntur subscriptiones Ioannis de Pau, & Ioannis de Montoya asserentium transumptum concordare cum originali. 1

Et quamuis Montoya in sua subscriptione dicat se nescire an originale existat in forma, qua agitatus fuit, & factus coram eo, dum à multis diebus penes se non steterit, nec tunc ad præsens reperiretur, & eo quòd defecerunt folia ex prædicto processu, & apparuerunt aliquæ emendationes absque eo quòd essent saluatæ, & approbatæ, tamen ex hoc dici non potest, quod transumptum non sit subscriptum per ambos Notarios, neque dubitatio Montoyæ, quòd prædicta possint releuare aduersùs formam probantem præiudicare debet veritati subscriptionis respicientis solemnitatem à iure requisitam, sed prout de iure ad validitatem processus remissorialis referri possunt, quæ nihilominus non obstant, quia processus stetit penes alium Notarium Ioannem de Pau, eo quòd Montoya noluit interuenire, quando fuit extractus è Camera, in qua fuerat clausus, & interim bene, & diligenter custoditus sub sigillo Decani de Talauera, & in eodem statu repertus per recognitionem sigillorum, vt patet ex attestationibus, quæ datæ fuerunt. Deficientia autem foliorum emanauerat antequam processus esset reclusus in Camera Conuentus Discalceatorũ, vt patet ex eo quòd talis reclusio fuit facta sub die 2. Octobris 1615. & folia iam antè reperta de mandato iudicis fuerunt consuta sub die 26. Septemb. antecedentis, ac demum emendationes respiciunt solummodo vnicum testem, vt ex relationibus, & subscriptionibus Notariorum, quæ datæ fuerunt in summariis D. Archiepiscopi, de cuius fide quatenus posset hæsitari, non tamen in cæteris tolleretur fides processuum tanquam quòd sit suspicio cadens in separatis, Bart. *in l. si falsis. in prima lectur. in fin. C. de transact.* Rip. *in l. admonendi, nu. 125 ff. de iureiur.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 21. num. 32.* 2

Similiter non obstant, quæ secundò opponebantur de auscultatione, & correctione facta à solo iudice Magni Prioris, & in camera illius absque coniudice, attentis protestationibus Decani de insimul conueniendo correctioni, & aliis diligentiis necessariis, de quibus in summario *num. 2. & 4.* quæ propterea dicebatur nulla ex defectu iurisdictionis sine coniudice. Quia prædictæ protestationes emanarunt die 16. Ianuarij 1616. & die 22. eiusdem mensis, sed nihilominus in audientiis eiusdem diei tam Decanus, quàm Pater Antonius Salazar iudices remissoriales mandarunt correctionem ambobus Notariis, qui die 8. Februarij eiusdem anni pro exequutione decretorum illum examinarunt, & correxerunt, vt patet ex actu qui datur in summario 3

Magni Prioris *num.*11. in quo etiam legitur transumptum cum emendationibus, & correctionibus fuisse ab ipsis Notariis subscriptum in præsentia ipsorum iudicum remissorialium, & procuratorum hinc inde ad eum effectum citatorum, quod superabundare videtur ad certificandam identitatem tenoris scripturæ transumptæ, cùm huiusmodi actus non sint de pertinentibus ad iudicem, sed ad officium, & authoritatem Notariorum, ad quos spectat editio actorum, *c. cùm P. Tabellio*, vbi Fel. *de fid. instr. l. argentarius. l. veluti. §. hæc vox*, vbi Castren. *nu.*3. *ff. de edend.* & eorum subscriptio sufficit, vt dictum fuit in Toletana Decimarũ 2. Iunij 1603. coram bon. me. Card. Pamphilio. Atque ita protestatio Decani de interessendo correctioni, & assignatio loci Sacristiæ nihil pertinere videntur ad iurisdictionem pro validitate actus, sed pro interesse veritatis scripturæ explendæ; cui satisfactum fuit per eius Decani præsentiam de tempore subscriptionis Notariorum.

4 Irreleuans pariter visa fuit tertia exceptio deducta ex suspecta falsitate respectu deficientiæ foliorum, & depositionis vnius testis, quia ex prædictis non resultat nullitas processus remissorialis, ex quo folia non respiciunt examen testium; nec apparet cuius culpa fuerint deperdita, ac etiam fuerunt reperta mediante reuelatione vnius Confessarij: alteratio autem depositionis dicti testes, quatenus etiã adesset, neque annullat processum, neque tollit fidem ipsius in aliis partibus, vt suprà dictum fuit.

5 Demum etiam cessabat exceptio nullitatis ex præsentia Hieronymi Ceruantes pro tertio Notario, qui fuerat recusatus, quia illius assistentia non fuit necessaria: superflua autem non sunt apta ad annullandum, & vitiandum actum, sed potiùs vitiantur.

R. P. D. DECANO.

Theatina, seu nullius iurisdictionis de Atissa. Lunæ 2. Aprilis 1618.

ARGVMENTVM.

Censuarum declaratio nunquid dari debeat contra eum, qui obtulit se paratum obedire litteris Apostolicis sine præiudicio iurium suorum, & sic an, & quando sufficiat verbalis paritio.

SVMMARIVM.

*Declaratoria censurarum non datur contra non contumacem, num.*1.

Contumax dicitur qui iudicis monitionibus parere recusat, ibidem.

Contumax non dicitur, nec censurarum pœnas incurrit ob non paritionem litterarum Apostolicarum, qui offert se paratum præstare omnem, & quamcunque patientiam, ibidem.

*Litteris Apostolicis parere sufficit verbaliter. declara vt ibid. & nu.*2. *vbi quid si protestatus fuerit se velle parere sine præiudicio quorumcunque suorum iurium, tam in possessorio, quàm in petitorio, & nu.*3.

Protestatio, seu reseruatio iurium suorum semper intelligenda est secundum naturam actus cui adiicitur, etiamsi verba restringi oporteret, ibid.

Protestatio contraria facto dicitur nulla, eiusque non est habenda ratio, ibidem.

Interdictum retinendæ non datur ei qui patitur alium capere possessionem, ibid.

*Litteris Apostolicis vt quis parere dicatur sufficiatq́, parendi verbalis oblatio, nunquid teneatur præstare cautionem de parendo, nu.*4.

DECISIO DCXLIX.

Fvit resolutum non esse dandam declarationem contra Præpositum Atissanum, quia non constat de contumacia, propter quam datur, iuxta decis. Cassador. 5. *num.*7. *de constit.* & fuit dictum in causa Pampilonen. Thesaurariæ 13. Decembris, & 18. Decembris præteriti in Abulen. decimarum coram me, quæ quidem contumacia tunc committitur, cùm quis monitionibus iudicis parere recusat, *l. contumacia, in vers. contumaces non videntur. ff. de re iudic.* In casu autem de quo agitur, nedum Præpositus non spernit monitionem iudicis, immo etiam paruit; quia cùm illi intimatum fuisset mandatum de manutenendo, respondit per se non stare, neque stetisse, quominus D. Archiepiscopus exequatur suum mandatum de manutenendo à Rota obtentum, & vtatur iure suo, & subdit se non præstitisse neque præstare aliquod impedimentũ, ac fuisse, & esse paratum præstare omnem, & quamcunque patientiam ad prædictum effectum necessariam, & opportunam, quæ quidem paritio licèt sit verbalis, sufficit ad effectum, de quo agitur, quia tunc non aderat, in quo realiter Præpositus parere deberet, iuxta decis. Put. 244. *lib.*1. *in nou.* Mohed. *dec.*9. *de sent. & re iudic.* & fuit resolutum in causa Toletana iuris decimandi 19. Nouemb. 1593. coram bo. me. Cardin. Pamphilio, & in alia Toletana Capellaniæ 14. Aprilis 1595 coram Illustrissimo Mellino, & in Burgen. Iurisdictionis de Birbiesca 10. Decembris 1597. coram bon. me. Camillo Peregrino, & nouissimè in causa Cæsaraugustano Canonicatus 28. Maij 1607. coram R. P. D. meo Pamphilio, & in causa nullius, seu Senonen. Monastrij 5. Iulij 1608. coram R. D. meo Archiepiscopo Damasceno, & in puncto in causa Sorana Beneficiorum 27. Iunij 1616. coram R. P. D. meo Pirouano. 1

Neque contumacia ex eo potest deduci ex quo Præpositus nedum dixit quòd erat paratus præstare patientiam ad prædictum effectum necessariam, & opportunam, sed etiam addidit alia verba, videlicet donec, & quousq; à Rota contrarium fuerit ordinatum, & sine præiudicio omnium, & quorumcunque suorum iurium tam in possessorio, quàm in petitorio, & non aliàs, aliter, nec alio modo; & tamen ad effectum paritionis verbalis videtur necessarium, vt verbo dimittat possessionem, prout fuit factum in casu Putei *in d. decis.*244. *lib.*1. *in nou.* Nam huic obiecto fuit responsum, quòd in illo agebatur de re corporali, quæ naturaliter detinebatur ab eo, contra quem fuerat iudicatum, & ideo fuit opus illa paritione verbali, vt scilicet quòd dimittebat possessionem, quia possessio non potest esse penes duos, gloss. *in l. si vt certo, §. si duobus vehic. in verb. dominium*, & ibi etiam Castren. *n.*7. *ff. commod.* hîc autem non agitur contra Præpositum, qui possidet, aut detinet, & propterea cùm non fuerit condemnatus ad cedendum, non sequitur ex eo resultare non paritionem, & sic adesse contumaciam, eo ipso quo sibi reseruat iura quæ tollunt cessionem, & hoc sufficit cùm solum esset obligatus obtemperare mandato de manutendo, non autem cedere iuri suo, vt bene 2

declarat Moheden. *in d. decis. 9. de sent. & re iudic.* Ant. Angel. *in epis. eod. tit. num.* 3. Seraphin. *decis.* 757. & fuit dictum in allegata causa Burgen. iurisdictionis de Birbiesca.

3 Non obstat quòd Præpositus expresè sibi reseruauit iura in possessorio, quia ista reseruatio debet intelligi de aliis iuribus in alio possessorio, quàm summariissimo, cùm reseruatio semper intelligenda sit secundùm naturam actus, cui adiicitur, etiamsi verba restringi oporteret, vt declarat Aym. *in cons.* 411. *num.* 38. & si aliter reseruatio intelligeretur, nulla eius esset habenda ratio, tum quia esset contraria facto, *l. si extraneus, in princ. ff. de acq. hæred. l. cùm plures. §. locator horrei. ff. locat.* DD. *in c. cùm M. Ferrarien-sis, de constit.* Bald. *in c. Cumana, num.* 3. *de elect.* Aym. *cons.* 463. *num.* 18. & ista conclusio admittitur non solùm in protestatione, prout loquuntur prædicti DD. sed etiam in reseruatione contraria facto, quæ infringitur sicut protestatio facto contraria, Gratian. *cons.* 37. *nu.* 35. *lib.* 1. Franc. Bec. *cons.* 34. *nu.* 25. Honded. *cons.* 89. *num.* 36. *lib.* 1. tum quia non pendebat à voluntate Præpositi, sed ex dispositione iuris, quia qui patitur alium capere possessionem, non potest ad eam per interdictum retinendæ reuerti, ad notata *in §. hodie, Instit. de interd.* ea enim quæ pendent à iuris dispositione, nihil operantur contra legis dispositionem, & formam, *l. alimenta,* & ibi Aretin. *C. de neg. gest. l. Papinianus. ff. de public.* Castren. *in l. finali num.* 7. *ff. de eo quod cer. loc.* Capr. *cons.* 24. Neuiz. *cons.* 38. *num.* 15. Tiber. Decian. *cons.* 29. *num.* 38. *lib.* 3. Cephal. *cons.* 407. *lib.* 3. & in puncto breuiter relatis his tribus conclusionibus, ita respondit Rot. *in d. decis. Seraphin.* 754.

4 Neque est verum quòd ad minus debebat præstari cautio de abstinendo in futurum, iuxta notata per Bart. *in l.* 1. *§. interdictum. ff. vti possidetis,* quia (quicquid sit an iudex potuerit condemnare ad præstandam cautionem, vt latè per Menoch. *de retin. possess. remed.* 3. *qu.* 95. *n.* 811. *& seqq.*) satis est quòd ad dictam cautionem Præpositus non fuerit à iudice condemnatus, vt fuit in his terminis resolutum in prædicta causa Burgen. iurisdictionis de Birbiesca coram bo. mem. Camillo Peregrino. Et denique per Dominos nulla fuit habita ratio testium examinatorum, tum quia examinati ad perpetuam rei memoriam sine iurisdictione, tum etiam quia non sunt in actis. Vnde meritò conclusum fuit non esse dandam declaratoriam.

R. P. D. PIROVANO.

Ariminen. bonorum. Veneris 4. Maij 1618.

ARGVMENTVM.

De legato liberationis redditionum computorum administratori à testatore facto, ad quæ extendatur. est breuis, sed magistralis decisio.

SVMMARIVM.

Administratori legatum liberationis redditionis rationum à testatore factum sub verbis amplissimis extenditur tantùm vt ipse administrator conueniri non possit ad ea, quæ tenetur actione personali; secus ad ea, quæ tenetur actione in rem, num. 1. *& 2. vbi ampliatur hæc conclusio.*

Administratori liberatio redditionis rationum à testatore facta cum donatione eius in quo administrator esset debitor tam in pecuniis, quàm in redditibus perceptis & exactis, ad quæ trahatur, num. 2.

Procuratoris mandatum potest quandocumque suppleri, & produci quando de illius defectu non fuit oppositum à principio, num. 4.

Compromissum vigore statuti inter coniunctos, seu alios faciendum, nunquid intelligatur de vnica vice, an verò sæpiùs durante causa, num. 5.

DECISIO DCL.

Censuerunt Domini sententiam esse confirmandam.

Ex lectura enim illius colligitur iustitia, quia attẽto legato liberationis facto per Io. Tarquinio, eius administratori, sub verbis amplissimis pronunciatum fuit legatum liberationis cõprehendere omnes & quascumque pecuniarum summas, quas Tarquinius legatarius tempore testamenti exegerat ex quacunque causa occasione administrationis, ac etiam omnes fructus, quos idem Tarquinius habuit & percepit à debitoribus Ioannis, non tamen credita inexacta de tempore obitus testatoris, neque fructus extãtes recollectos ex bonis eiusdem testatoris. quæ omnia respectiuè conueniunt dispositioni *l. Aurelius §. Mauia. ff. de lib. leg.* vt scilicet in liberatione legata veniant ea tantummodo relata in prima parte sententiæ, quæ actione personali peti possunt; secus verò enunciata in secunda parte sibi, non tamen quæ actione reali vendicari possunt, quem text. in hunc sensum ita intelligunt gl. & Bart. *in d. §. Mauia,* & sequuntur Couarr. *var. resol. lib.* 2. *c.* 14. *n.* 1. Gomez *variar. resolu. lib.* 10. *c.* 12. *n.* 82. Grass. *in §. legatum, qu.* 40. Honded. *cons.* 82. *n.* 53. *lib.* 1. Gabriel. *cõs.* 146. *n.* 20. *lib.* 1. Card. Mantic, *de vlt. volun. lib.* 9. *tit.* 4. *n.* 3. & rationem dicunt, quia qui liberatur, censetur liberari ab obligatione, & in actione in rem quis conuenitur, non vt obligatus, sed vt possessor in iudicium vocatur. *l. officium. ff. de re indic.* 1

Neque prædictis videbantur repugnare verba amplissima legati, dum testator liberauit penitus & absolutè Tarquinium curatorem suum ad reddendum cõputa, & vlteriùs titulo donationis inter viuos legauit irreuocabiliter omne id & totũ quod ipse curator occasione dictæ administrationis debitor remaneret, tã in pecuniis, quàm in redditibus & proneutibus dd. bonorũ vsq; in hunc diem perceptis & exactis, ex quibus dicebantur comprehendi omnia, quæ vtroque iure tam personali, quàm reali peti poterant. Quia ex contextu dd. verborum non videtur inducta aliqua specialitas inferens de necessitate ad comprehẽsionem realis actionis, prout necessarium est, vt sentiunt Card. Mant. *d. lib.* 9. *tit.* 4. *n.* 3. Honded. *d. cons.* 82. *n.* 54. Franc. Marc. *dec.* 146. *part.* 1. nam liberare penitus & absoluere ad reddendum computa, & legare id totum quod curator occasione administrationis debitor remanet, aliud non est, quàm liberare debitorem à restitutione reliquatus, à quo non censeretur absolutus, si talia verba non præcessissent. *l. si quis rationes. ff. de lib. legat.* Couarr. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 1. Menoch. *de præsumpt.* 164. *num.* 21. & quidem de reliquatu limitato sentiendum est per illa verba, quòd ipse curator occasione administrationis prædictæ debitor remanet, quæ solent restringere liberationem ad suam causam, nempe administrationis, cui adscribi non potest res possessa & occupata ab ipso administratore. Bart. *in l. non solùm* 2

ſolùm la 2.ff.de lib.leg. Menoch. *d.præſumpt.*164. *n.*12. *verſ.confert.& ratio*; ſequentia verò verba tam in pecuniis, quàm in redditibus & prouentibus dd.bonorum quoad conſumpta quæ benè cadunt ſub reliquatu, non autem de eis quæ adhuc extant & actione reali vindicari poſſunt, vt declarant iidem Couarr.*d.c.*14.*num.*2.& Mantic.*d.tit.*4.*num.*3.

3 Exceptiones verò contra validitatem ſententiæ non etiam videbantur releuantes, quia quoad transportationem actorum, non conſtat quòd coràm arbitris fuerit fabricatus aliquis proceſſus qui eſſet coram iudice appellationis tranſportandus, & in compromiſſo fuit data facultas procedendi, ordine iuris non ſeruato, abſque tela iudiciaria & citatione.

4 Defectus productionis mandati quando non fuit appoſitus, poteſt quandocumque ſuppleri pro iuſtificatione legitimationis perſonæ tunc comparentis. Rota *deciſ.* 19. *de procur. in antiq. & deciſ.*599. *num.*1. *part.*1.*diuerſ.* & ſæpe fuit firmatum.

5 Quòd cauſa eſſet terminanda per arbitros, laudum hoc demonſtrat fuiſſe obſeruatum, & quamuis reſpondeatur ſtatutum non reſtringi ad primum compromiſſum, ſed toties donec cauſa terminata fuerit. Alex.*conſ.*70.*nu.*2.*lib.*2. Tiraquell. *in l.boues.* §.*hoc ſermone, limit.*9. *nu.*39.*lib.*2.*ff.de verb. ſignificat.* tamen hoc etiam ſentiunt, præſertim eſſe verù quando ſuper primo compromiſſo non fuit legatum laudum, ex eo quòd expirauit, vel arbiter deceſſit.

Cætera autem viſa ſunt leuia & ex facto ceſſare, &c.

R.P.D. MARTINO ANDREA.

Conchen. decimarũ dell' Infantado. 4. *Maij* 1618.

ARGVMENTVM.

Remiſſoria non datur data irreleuantia articulorum, & quando dicantur articuli irreleuantes.

SVMMARIVM.

*Remiſſoria non datur quando articuli non ſunt releuantes, num.*1.

Immemorabilis præſcriptio ſufficit quòd res fuerit deducta ſupra centum annos, & non conſtet de eius initio, num. 2.

Probatio vt concludat, debet eſſe per neceſſe, & non per poſſibile, ibid.in fine.

*Infinitum adhuc remanet, ſi ab infinito finitum damus, num.*3.

Erectio Eccleſiæ in Cathedralem nunquid excludat quin antea fuiſſent Parochiæ, ibid.

*Teſtes poſt publicationem eorum depoſitionis non admittuntur ad probandum ſuper contrariis articulis, nu.*5.

*Teſtes poſt publicationem, & didicita iuſtificata, quando admittantur ſuper cauſa, & ratione ſcientiæ, ſuper quibus antea interrogati non fuerunt, nu.*6.

DECISIO DCLI.

1 Domini dixerunt non eſſe dandam remiſſoriam, quia articulus ſecundus aliàs, & nunc datus ſuper immemorabili, continet, quòd omnes Eccleſiæ oppidorum de quibus agitur Epiſcopatus Conchen. habent ſuam Parochiam decimarum, & terminum diſtinctum, & ſeparatum à multis annis & tempore citra, & tam antiquo, quòd in dicto Epiſcopatu nec in dictis locis fuit memoria principij de præmiſſis, & remiſſoria petitur ad probandum ſolùm cauſam ſcientiæ cum requiſitis, gl. *in c.*1.*de præſcript. in* 6. & tamen hæc probatio ad effectum de quo agitur eſt irreleuans, & propterea venit denegan. remiſſoria. *l. ad probationem.C.de probat.* Oldrad. *conſ.*316.*nu.*1. Roman. *conſ.*226.*nu.*3. Cæſar. de Graſſ. *deciſ.*2.*de dilationib.* Caputaq. *deciſ.*66.*part.*3. & fuit ſæpiſſimè reſolutum.

De hac autem irreleuantia non poteſt dubitari, 2
quia dato etiam quòd teſtes deponerent cum omnibus illis requiſitis, non tamen concluderent per neceſſe ante annum 1177. quo Eccleſia Conchen. fuit erecta in cathedralem, Parochias fuiſſe diſtinctas, cùm hæc diſtinctio Parochialium potuerit emanere poſt dictum annum, prout emanaſſe fuit firmatum in vltima deciſione, & dum non apparet de initio, nec adeſt memoria in contrarium, adhuc diceretur ab immemorabili Parochias fuiſſe diſtinctas. Ad probandum enim immemorabilem, ſufficit quòd res fuerit in eſſe deducta ſupra 100. annos, & non conſtet de certo eius initio, vt tradit Innoc. *in c.veniens, n.*2.*in fine, de verbor.ſignif.* quem Doct. communiter ſequuntur. Aym. *de antiq.temp.*4 *part.*§.*materia, n.*40. Couar. *in reg.poſſeſſor.*2.*part.*§.3.*n.*7.*verſ.hinc falſum eſſe apparet, de reg.iur.in* 6. Molin. *de Hiſpan.primog.lib.*2.*c.*6.*nu.*61.*verſ.ſi verò*, Faber. *deciſ.*214 *par.*3. *lib.*2.*diuerſ.* & fuit dictum in Tiraſonen. iuriſdictionis de Tudela 27. Octobris 1595. coram Illuſtriſſ. Mellino in Burgen. emolumentorum ſigilli 28. Iunij 1595. coram bon.mem. Pegna, & in Cauallicen. feudi 26. Aprilis 1613. coram R. P. D. Pirouano, & tamen, vt dixi, hæc probatio non concluderet ante dictum annum 1177. prout requiritur, vt concludat non per poſſibile, ſed etiam per neceſſe. *l. ad probationem la* 2. vbi not. Bald. *num.* 1. *de probat.* Decian. *conſil.*124.*num.*71.*lib.*3. Mohedan. *deciſ.*2. *n.*2.*de ſent. excommunic.*

Nec releuat huiuſmodi erectionem in Cathedralem de anno 1177. non excludere quin antea adfuiſſent Parochiæ etiam ab immemorabili tempore, 3
quod eſt infinitum, & propterea deducto illo tempore poſt erectionem, adhuc remanere tempus immemorabile; iuxta regul. quòd ſi ab infinito finitum demus, adhuc remanet infinitum. Oldrad. *conſil.*254. *nu.*18. Molin. *vbi ſupra nu.*47.*verſ. qua etiam ratione.* Gutier. *pract.lib* 3.*qu.*17.*num.*290. Quia dato & non conceſſo quòd Rectores poſſent addere in articulo hoc tempus ante erectionem, adhuc eſſet irreleuans hæc probatio. Non enim agitur hîc de adimendo tempore, ſed de probatione contrarij eius quod prætenditur probari, cùm ex hac erectione in Cathedralem quæ præcedere debet diſtinctionem Parochialium ab Epiſcopo fien. *c. Epiſcopi* 80. *diſt.c.ad audientiam, de Eccleſ.ædif.* Rebuff. *in pract. de erect. in Parochiale in princ.& nu.*9. excludatur aſſertio illa, quòd ante erectionem Cathedralis, aderant Eccleſiæ Parochiales, vt in indiuiduo ad d.conſ. Oldrad.254.*nu.* 18. reſpondetur. Seraph. *deciſ.*1367.*nu* 3.*&* 4.

Cùm enim poſt irruptionem Maurorum in Hiſ- 4
paniam & Eccleſiarum vaſtationem extinctus ac penitus ſublatus fuerit antiquus ille ſtatus diœc. Valerien. authoritate Apoſtolica noua Cathedralis erecta, & Epiſcopatus inſtitutus in ciuitate & diœc. Conchen. vt fuit firmatum per bonas deciſiones in hac cauſa, dato ſine veri præiudicio quòd Rectores probarent de illo antiquo tempore extitiſſe, &

distinctas fuisse Parochias in diœcesi Valerien. talis probatio nequaquam possei eis suffragari, attento quòd ille status fuit intercisus, & nouus inductus, itaut parochiales Ecclesiæ ad illum primæuum statum reddire non possent. *l. homo liber*, cum notat. per gloss. *in verbo reuertitur, ad fin.* quæ allegat concordantes *ff. de stat. homin.* & propterea, vt dictum fuit in vltima decis. Rota in hac materia semper considerauit statum post recuperationem d. ciuitatis Conchen.

5 Sed neque Rectores hodie sunt in tempore adden. in articulo illa verba *ante erectionem*, quia cùm in eo præsupponatur existentia parochialium in Episcopatu Conchen. & sic articulus concludat de tempore & loco circumscriptis in dicto Episcopatu, si modo Rectores probare vellent illas extitisse antea in diœc. Valerien. esset per indirectum velle probare contrarium in loco & tempore eius quod fuit articulatum à principio, quod post publicationem testium non permittitur, & sibi imputent Rectores quòd ita articulum restrinxerunt. Innoc. *in c. ex tenore, de testib.* & ante eum gl. *in c. 2. §. si quis testib. 4. q. 3.* Abb. optimè declarans *in d. c. ex tenore nu. 5. in 4. lect.* & *ibid.* Felin. *nu. 4.* vbi dicit communem.

6 Hinc tollitur obiectum quòd testes possunt examinari post publicationem, & didicita testificata, quando prout sic fuerunt solummodo interrogati super causa & ratione scientiæ, super quibus antea illos interrogari super causa & ratione scientiæ, super quibus antea illos interrogari omissum fuerat. Gabr. *de testib. concl. 21. nu. 21. vers. Et propterea*, cum aliis allegatis, quia hoc non esset interrogare testes super causa & ratione scientiæ omissis, sed super tempore & loco diuersis ab eo quod fuit articulatum, quod est prohibitum, vt suprà.

7 Vltra quòd etiam admissa huiusmodi probatione, adhuc ista immemorabilis nihil releuaret, tum ex deductis suprà *in vers. nec releuat*, tum etiam quia in binis vltimis decisionibus fuerunt approbata fundamenta realitatis, & coæqualitatis in iure decimandi R. D. Episcopi ob præsumptionem retentionis ante distributionem decimarum inter parochiales & ius quartæ recipiens possibilitatem augmenti, quę omnia applicantur etiam ante tempus huiusmodi erectionis Episcopatus Conchen. & de tempore antiqui Episcopatus Valerien. ex deductis in vtraque decisione. Cùm etiam de illo tempore distinctio Parochiarum fieri deberet per Episcopum, vt *in cap. 1. 13. q. 1.* vbi refertur Epistola Dionysij Papæ ad Seuerum Episcopum Corduben. super distinctione Parochialium ab eo, & cæteris Episcopis facien. prout in verbis ad eam supplen. *Hanc quoq; normam te & omnes Episcopos sequi conuenit*, &c. vt fuit animaduersum in vltima decisione.

8 Non obstat fuisse probatum, quòd Rectores ab immemorabili tempore decimas olei & croci perceperunt in his locis, vt fuit resolutum 11. Martij 1616. & 12. Iunij 1617. coram me. quasi per hoc arguatur ab immemorabili tempore, & sic ante erectionem Cathedralis de anno 1577. præcessisse distinctionem Parochialium, & per consequens eos non indigere remissoria, quia responsio patet ex prædictis.

Et ita conclusum, &c.

R. P. D. PAMPHILIO.

Romana litterarum cambij. Veneris 4. Maij 1618.

ARGVMENTVM.

Litteræ cambij si fuerint acceptatæ ab eo, cui litteræ directæ fuerunt, sed pecunia non fuit soluta, qui pecuniam dedit mercatori, qui litteras scripsit, habet contra ipsum regressum pro earum restitutione.

SVMMARIVM.

Litteræ cambij ad hoc vt ex earum acceptatione ab eo cui litteræ diriguntur, sit liberatus debitor, qui litteras scripsit, & transmisit ad instantiam eius, qui ad hunc effectum pecunias scribenti, & mercatori dedit, necesse est vt dictæ pecuniæ vltra acceptationem litterarum cambij fuerint effectualiter solutæ, aliter mercator qui litteras scripsit, non est liberatus, num. 1. & per tot.

Depositum non integrè factum non suffragatur deponenti. n. 4. vbi idem de deposito conditionali, & non libero.

DECISIO DCLII.

Fuit resolutum DD. Erreram & Costam teneri ad restitutionem scut. 2000. de quibus agitur, quia cùm illa per Furnarios & Franchos Neapoli cum effectu soluta non fuerint illis dell'Heredi, prout requirebatur ex litteris cambij per ipsos DD. Erreram & Costam scriptis, sequitur quòd sicut ipsi d. scuta 2000. à D. Rotulo receperunt, ita non sequuta effectuatione litterarum ad illorum restitutionem teneantur. Bald. *consil. 348. col. 2. vers. considera interdum, & vers. sed si litteræ non ponerentur in executione, & infrà sub nu. 4. vers. finaliter dic. lib. 1.* Rota Ianuen. *decis. 4. nu. 8.* 1

Nec obstare quòd Furnarij, & Franchi litteras cambij acceptauerint, sed dicta scuta 2000. cum effectu non soluerint culpa illorum dell'Heredi, qui ante exactionem foro cesserunt, & ipsorum creditores d. scuta 2000. sequestrari obtinuerunt. Nam quoad acceptationem placuit responsio quòd per eam DD. Errera & Costa, qui litteras scripserunt, non censentur liberati, nisi d. scuta 2000. cum effectu soluta fuerint, cùm nunquam præsumatur facta nouatio. Salyc. *in l. si filius, sub nu. 2. vers. ego autem. ff. ad Macedon.* Cagnol. *in l. singularia in 1. lectur. nu. 161. vers. non obstat. ff. si cert. pet.* Bald. *cons. 400. nu. 6. in fin. vers. interdum dubitatur, lib. 5. num...* fuit resolutum in pluribus causis relatis 1. Iunij 1615. coram R. P. D. meo Remboldo. Quo verò ad decoctionem illorum dell'Heredi & sequestra per iudicem apposita pro responsione, fuit ponderatum quòd Dominus Rotulus sequuta huiusmodi decoctione constituit alium Procuratorem ad exigendum specialiter d. summam quitandam, & in casu non solutionis protestandum, & die 30. Iulij 1615. sequestra per eundem iudicem reuocata fuerunt, præstita cautione de stando iuri & iudicatum soluendo, qua cautione pro D. Rotulo realiter præstita & factis pluribus præsentationib. 12. Aprilis 1616. obtentum etiam fuit decretum quòd dato Procuratori pecuniæ consignarentur, sed Furnarij & Franchus id facere recusarunt, & à dicto decreto appellarunt; adeò vt non possit dici quòd Dominus Rotulus fuerit in mora exigendi, sed potiùs quòd ipse Furnarij & Franchi fuerint in mora soluendi, sicque Domino Rotulo stantibus his diligentiis & protestantibus tanto faciliùs contra DD. 2

Erreram & Costam, qui litteras scripserunt, competat regressus. Rota Ianuen. *decis.12 num.37. decis.8.n. 19.& decis.50 num.1.*

3 Nec posse controuerti quin dicta scut.2000. sint propria ipsius Rotuli, quia de hoc satis constare visum fuit ex litteris ipsius dette Dauuiso. In quibus mandet illis dell' Heredi vt illorum exactionem procurent, qui eos postmodum certiores faciet, quid de illis disponere debeant, & ex aliis litteris in quibus dicti dell' Heredi offerunt se paratos illa exigere, ex quo sequitur quòd dicti dell' Heredi essent in hoc simplices ministri, & procuratores D. Rotuli, & quòd pecuniæ essent propriæ ipsius numerantis, prout etiam in dubio præsumeretur, idem Bald. *d.cons.348.sub n.6. vers. in dubio autem præsumitur, & infrà vers.pro masculo, lib.1.*

4 Nec obstare quòd Furnarij & Franchi dicta scuta 2000. deposuerint: quia primũ depositum suffragari non potest, non solùm quia legitur factum cum retentione ducat.579. pro quibus deponentes prætendebant sibi competere compensationem, & sic erat minus integrum. Alexand. *consil. 75.num.8.lib.7.* Aymon *consil.106.nu.1.* Negusant. *de pignor. in 2.part. 3 membr.5.parte principal.sub nu.17. vers.6.requiritur.* sed etiam quòd continet quasdam conditiones extrinsecas, & signanter quòd pecuniæ depositatæ non consignentur alicui personæ, nisi præcedente declaratione per decretum iudicis, quòd ipsis licuerit retinere dictos ducatos 579. & nisi citatis ipsis deponentibus, & aliis pluribus ibid. nominatis: prout etiam secundùm depositum continet eandem conditionem, quòd scilicet tam ipsi deponentes, quàm alij interessati in omnibus audiantur, & quòd non liberentur nisi ipsi fuerint absoluti à lite cum Grisone & Glerardo, & nisi data fide publica, quòd D. Rotulus renunciauerit liti, cùm tamen solutio deberet esse libera, & propterea propter huiusmodi conditiones extrinsecas neutrum suffragatur. Alexand. *consil.78.num.29.& seq lib.5.* Grat. *consil.93.n.75. lib.1.* & fuit dictum in causa Bononien. damnorum & interesse relata inter recent. *decis.71.n.9.part.2.diuersor.* & in causa Romana bonorum de Ceulis 11. Decembr.1585. coram Orano.

R. P. D. SACRATO.

Narnien. bonorum. Veneris 4. Maij 1618.

ARGVMENTVM.

De donatione facta absenti, Notario pro eo stipulante, an requirat donatarij acceptationem, de quo tempore, & an sufficiat tacita ratificatio: de insinuatione requisita à statuto in donatione, quod non trahitur ad casum iuratum, & de præsumptione turpis quæstus in bonis acquisitis à muliere constante matrimonio; nonnulla notanda, de quibus in summario.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum indistinctè competit, constito de bono iure, num.1.

Donatio facta ab auia materna nepoti suo propter naturalem affectionem non requirit insinuationem, & alias statutarias solemnitates, ibid.

Notarius quando stipulatur pro absente in contractu donationis, potest donatio quandocunque acceptari, num. 2. vbi etiam, an, & quando verum sit quòd ante acceptationem donatario non acquiratur dominium, seu possessio, ibid.

Donatio facta absenti, Notario pro eo stipulante, an requirat donatarij ratificationem, de quo tempore, & an tacita ratificatio sufficiat, ibid.

Præsens, & tacens censetur ratificare actum in sui præsentia gestum, quando sumus in fauorabilibus, ibid.

Insinuatio donationis requisita à statuto non procedit quando in donatione adest iuramentum, n.3.

Nomina debitorum non veniunt appellatione bonorum mobilium, ibid.

Mulier constante matrimonio ex turpi quæstu præsumitur bona acquisiuisse, quando hæc præsumptio locum habeat, & de materia, num 4.

Sententia, & res iudicata retractatur ex scripturis de nouo repertis, declara vt n.5.

Clausula ponens, *&c. apposita in donatione facit vt penes donantem remanserint actiones inefficaces, n.6.*

DECISIO DCLIII.

FVit tentum pro decisione in hac causa facta 19. Iunij 1617. quòd scilicet hæredibus Thomæ sit danda restitutio in integrum, quia constat de bono iure illorum, quo stante indistinctè competit restitutio in integrum, ex allegatis in prætensa decisione. Bonum autem ius deducitur, quia Martia deposuit penes Romulum Lambardum scuta 900 ex quibus postmodum donauit Thomæ & Ioanni filiis dicti Romuli scut 700. ideoque non potuit Alexander Solimanus hæres dicti Martiæ consequi ab hæredibus dicti Romuli integra scuta 900. & quæ aliàs deducebantur contra huiusmodi donationem propter defectum insinuationis & solemnitatem statuti Narnien. & etiam præscriptionis cessare visa fuerunt ex decisione in hac eadem causa coram me facta die 26. Februarij 1616. Considerabatur etiam quòd cùm Martia esset auia materna donatarij, fortè non intrat dispositio statuti propter naturalem affectionem, quæ excludit suspicionem, propter quam sunt inductæ huiusmodi solemnitates, ex notatis per Bald. & scribentes *in l. pactum quod dotale C. de collat.* Cresc. *decis.1. vers.secundò quia, tit.de donat.* fuit dictum in causa Romana donationis 5. Martij 1604. coram Illustrissimo Domino Cardinale Lancellotto, & in Bononien. census 17. Martij 1608. coram Reuerendissimo Lugdunen. 1

Et circa illud quod modò opponebatur quòd nõ constet de acceptatione, fuit responsum quòd ex quo Notarius stipulatus fuit pro absentibus, donatio poterat quandocumque acceptari, vt de veriori opinione concludit Thes. *decis.70. num.5. & per tot.* vbi alios allegat; vltra quòd illa opinio quòd donatio ante acceptationem non acquiratur donatario, procedit quoad dominium, secus quoad validitatem ipsius donationis & actionis donatario quæsitæ. Rot. *decis.683.part.1.diuersor.* & in Romana donationis 21. Februarij 1614. corã R.P.D. meo Vbaldo. Mantic. *de tacit.lib.13. tit.8. num. 9. cum pluribus seqq.* multo autem magis quando, vt in proposito casu, est factu cum iuramento. Idem Mant. *dicto lib. 13.tit.7.num.22.* & in omnem euentum fuit dictum tacitam ratificationem sufficere. Mantic. *d.tit.8. nu.* 2

16. quę tacita satis adesse videbatur in proposito casu, ex quo donatio fuit facta in domo ipsius donatarij, ex quo elicitur scientia quæ in merè fauorabilibus inducit acceptationem. *l. qui patitur*, vbi gloss. *in verb. intelligitur, ff. mand.* Ias. *in l. quæ dotis, nu. 70 ff. solut. matr.* & in specie de donatione tenuerunt Crauett. *consil. 261. num. 1.* & Roland. à Vall. *consil. 19. num. 34. cum seqq. lib. 1.*

3 Circa illud quòd donatio fuerit nulla, ex quo non fuit soluta gabella, iuxta dispositionem statuti *lib. 2. cap. 69.* fuit responsum, talem dispositionem non trahi ad casum iuratum tum ex defectu potestatis, tum ex defectu voluntatis, per ea quæ aduersùs defectum insinuationis, & solemnitatis statuti dictum fuit in alia decisione. Vltra quod videbatur satis dubium, an illud statutum exorbitans correctorium loquens de alienatione immobilium & mobilium, sit trahendum ad nomen debitoris, quod non solet venire appellatione mobilium. Bart. *in l. finali, num. 4. ff. de vsufruct. leg.* Oldrad. *consil. 219. numer. 3.* Roman. *consil. 509. numer. 18.* Bertrand. *consil. 246. numer. 3. & 4. part. 1.* & etiam videbatur dubitandum an de huiusmodi statuto possint excipere alij quàm gabellarij, quorum causa fuit introductum. Aretin. *consil. 77. num. 6.* Abb. *in cap. diuersis, num. 5. de cleric. coniug.* Castrens. *consil. 160. in fin. lib. 1.* Socin. *cons. 78. lib. 4.* Crauett. *consil. 169. num. 5.* Cassad. *decis. 10. num. 1. super regulis.*

4 Circa aliud quòd donatio fuerit nulla ex quo Martia remanserit penitus indotata, fuit responsum non probari quòd ipsa remanserit penitus indotata, & quatenus replicabatur non præsumi quòd haberet aliunde ad euitandum suspicionem turpis quæstus, de quo *in l. Quintus Mutius ff. de donat. inter vir. & vxor.* fuit responsum, exceptionem habere tantùm locum, quando bona fuerunt acquisita constante matrimonio. Alcia. *de præsum. reg. 3. præsum. 26. in prin.* Menoch. pariter *de præsum. lib. 3. præsump 51. n. 1.* & qui dicit hæc bona fuisse acquisita in prætensum tempus, debet hoc probare tanquam fundamentum suæ intentionis, *l. vbi, ff. de probat.* etenim mulier & habentes causam ab ea, habent fundatam intentionem in reg. generali, quod cuilibet potest acquirere, vnde qui se fundat in limitatione, debet probare in specie. *l. 1. & 2. ff. de except.* Corn. *consil. 262. numer. 10. versic. ideo qui se fundat, lib 4.* & cessare visa fuit difficultas, quia de præsumptione *dictæ l. Quintus*, non potest dare nisi maritus, siue habens causam ab illo. Alciat. *loco præcitato, num. 20.* ideoque non potest dare de illa Iulius Vrsinus, qui non est talis, siue veniat ex persona propria, siue tanquam hæres Alexandri.

5 Non obstat quòd instrumentum donationis fuerit productum post rem iudicatam, quæ non retractatur ex scripturis de nouo repertis. *l. sub specie, C. de re iudic.* quia hoc procedit directè & ipso iure, secus per viam restitutionis in integrum, & stante ignorantia. Odd. *de restit. in integr. quæst. 73. art. 3. vers. sed contrarium,* vbi plures de communi. Surd. *cons. 268. num. 32.*

6 Quoad illud quòd donatio non fuerit facta Romulo depositario, sed eius filiis, ideoque non fuerit prohibita Martia creditrix, siue illius hæres, agere contra Romulum & eius hæredem pro rata donata, & cessa, cùm non interuenerint requisita à *l. 3. C. de nouat.* quia cùm in donatione adsit clausula *ponens,* &c. placuit responsio quòd apud Martiam donatricem remanserint actiones inefficaces, ex congestis per Surd. *consil. 22. num. 35. & seqq.* cùm maximè cessio fuerit facta ad solum commodum cedentis. Bart. *in l. si cum emptore, num. 2. ff. de pact.*

R. P. D. MANZANEDO.

Meliten. Prioratus. Lunæ 7. Maij 1618.

ARGVMENTVM

De probatione valoris beneficij per non excessũ quomodo super eo testes deponere debeant, & quid si fuerint examinati extra locum in remissoria assignatum & sine citatione partis.

SVMMARIVM.

Valor beneficij per non excessum probatur per testes deponentes, vt num. 1.

Valor beneficij probatur computato anno sterili cum fertili, ibid.

Valor beneficij ad effectum manutentionis leuioribus probationibus probatur, ibid.

Testes examinati extra locum in remissoria assignatum non probant. declara, vt num. 2.

Testes remissoriales examinati sine citatione partis non probant. declara vt num. 3.

DECISIO DCLIV.

CVm fuisset in hac causa 22. Maij 1615. resolutum gratiam *si neutri* esse iustificatam, præterquam quoad valorem. D. Gaspar pro illo iustificando remissoriam expediuit in partibus, qua ad Vrbem trãsmissa, dedi dubium an dicta gratia etiam quoad valorẽ esset iustificata? Et illo hodie proposito, DD. affirmatiuè responderunt, testes enim vigore dictæ remissoriæ examinati non solùm deponunt beneficium de quo agitur non excedere ducat. 250. iuxta narratiuam gratiæ, sed imò nec vnquam peruenisse ad dictam summam computato anno sterili cum fertili, & deductis oneribus, deponũtque de certa scientia, & reddunt causam illius, quorum dicta etiam adminiculantur ex aliis testibus, de publica voce & fama super dicto non excessu deponentibus, ex quibus bene remanet iustificata narratiua valoris, maximè cùm ad hunc effectum sufficiant leuiores probationes, Caputaq. *decis. 277. num. 8. p. 1.* Cæs. de Grass. *decis. 3. nu. 7. de probat.* Put. *decis. 19. lib. 1.* Rot. *decis. 380. part. 1.* 1

Non obstat quòd testes remissoriales fuerint examinati extra locum assignatum, nempe in oppido Montis Leonis; cùm tamen esset assignata ciuitas Meliten. & Palatium Episcopale. Responderunt enim DD. quòd sufficit iurasse in dicto Palatio, & sic in loco assignato, qui est actus iurisdictionis, & sat est quòd fuerit factus in loco designato pro audientia, quamuis examen fuerit postea factum in alio loco, cùm examen sit meri facti, & extra iudicium expediri possit. Rot. *decis. 27. de probat. in ant. & decis. 3. de testibus in nou.* Vestr. *in prax. cap. fin. numer. 8. lib. 6.* 2

Minus obstat quòd in partibus non fuerit citatus Procurator Monasterij, quia sufficit illum in Curia citatum fuisse ad constituendum Procuratorem reperibilem in partibus, aliásque fierent citationes 3

per

per affixioné ad valuas Cathedralis Ecclesiæ, prout factum fuit, cùm talis Procurator fuerit à Monachis constitutus. Cæteræ verò nullitates longa serie ex aduerso adductæ visæ fuerunt admodum leues, cùm vel non subsistant in facto, vel optimè tollantur, ex responsionibus datis per informantes pro Domino Gaspare, quæ DD. placuerunt.

Et ita conclusum, &c.

R. P. D. MANZANEDO.

Asculana pecuniaria. Luna 11. Maij 1618.

ARGVMENTVM.

Confessio de recepto facta à viro mulieri præcedente promissione excludit præsumptionem fraudis donationis; & iocalia vxoris non censentur donata, sed commodata, & ad vsum concessa.

SVMMARIVM.

Confessiones de recepto inter virum, & vxorem regulariter censentur factæ in fraudem donationis prohibitæ n. 1. declara, vt num. 2.

Confessio de recepto inter virum, & vxorem præiudicat marito, & hæredibus, si præcessit promissio, & obligatio, quia tunc cessat præsumptio fraudis donationis; & præsumitur facta animo se liberandi à promissione, ibid.

Renunciatio exceptioni non numeratæ pecuniæ post lapsum temporis ad opponendum facit vt tantum operetur confessio de recepto, quantum vera & realis solutio, n. 3.

Dotis promissio in pecunia cum adiectione da consegnarsi in tanti stabili, *hoc censetur adiectum solutioni, & pro commoditate debitoris, non obligationi, & non refertur ad verbum obligationis* promisit, *numer. 4.*

Æstimatio bonorum sub qua debent ipsa bona consignari, inducit emptionem, & venditionem, n. 5.

Simulatio contractus non resultat ex eo quòd dos sit promissa in stabilibus, & solutio sit facta in pecunia, quia creditore volente vnum pro alio solui potest, num. 6.

Creditore volente, vnum pro alio solui potest, ibid.

Iocalia, & vestes vxoris præsumuntur prouenisse à marito, & ideò non veniunt illi restituenda, quia non censentur donata, sed tantùm commodata, & concessa ad vsum, & ornatum, n. 7.

Fructus naturales extra dotalium non veniunt restituendi ab hæredibus viri vxori viduæ, etiam per virum percepti, si non sint in magna quantitate, n. 8.

Fructus bonorum dotalium ad maritum pertinent, n. 9.

DECISIO DXCLV.

1 Domini censuerunt constare de credito Lauræ tantùm quoad floren. 1700. cùm de illo appareat ex duabus apochis à Scariglia eius marito & testibus subscriptis, & recognitis, quæ quidem apochæ licèt contineant confessionem de recepto inter virum & vxorem, quæ regulariter præsumitur facta in fraudem donationis inter illos prohibitæ constante matrimonio, *l. quod testamentum, ff. de probat. l. cùm quis decedens, §. Titia, de legat. 3.*

Tamen probant in casu nostro in quo cessat dicta præsumptio ob verisimilitudinem confessionis. Alex. *consil. 18. nu. 3. lib. 3.* Tiraq. *in l. si vnquam, verbo donatione largitus, n. 10. & seq. C. de reuocand. donat.* Crauet. *de antiq. part. 1. §. propositum, nu. 69.* Menoch. *præsumpt. 12. n. 22. & 62. lib. 3.* resultantem ex antecedenti promissione dotis in longè maiori summa ab ipsa Laura facta in capitulis matrimonialibus, ex qua confessio redditur verisimilis & purgata à fraudis suspicione. Præsumitur enim magis facta animo liberandi à promissione præcedenti, quàm fraudandi; ideóque præiudicat marito, & eius hæredibus. *l. in contractibus, §. sed quoniam. C. de non numerata pecunia.* Aymon *cons. 40. sub n. 1.* Surd. *cons. 397. n. 5. & decis. 116. n. 1.* Afflict. *decis. 402. n. 2.* Ioseph. Ludou. *decis. Perus. 66. nu. 25.* Couarr. *var. lib. 1. cap. 7. n. 6.* Gabr. *de iure dot. conclus. 4. num. 1. & seq.* 2

Maximè quia in prima apocha fuit renunciatum exceptioni non numeratæ pecuniæ, & lapsa sunt tempora ad opponendum dictam exceptionem, quo casu tantùm operatur confessio mariti, quantum vera, & realis solutio. Roland. *consil. 85. numer. 42. lib. 1.* Cephal. *cons. 286. nume. 10. & seq.* & de communi testatur Bursat. *consil. 32. numer. 42. lib. 1.* Ioseph. Ludou. *decis. Perus. 66. numer. 37.* & fuit dictum in vna Romana dotis 9. Decembris 1613. coram D. meo Vbaldo. 3

Quibus non obstat, quòd dicta confessio non possit roborari ex præcedenti promissione, cui non est conformis, cùm fuerint promissa stabilia, & iuxta confessionem fuerit solutio facta in pecunia. Quia immò promissio dotis fuit in pecunia, nempe in scutis 4000. & licèt immediatè subiungatur *da consegnarsi in tanti stabili*, hoc censetur adiectum solutioni, & pro commoditate debitoris, non autem obligationi, cùm non referatur ad verbum obligatiuum *promisit*, &c. sed ad aliud obligationis executiuum, scilicet *da consegnarsi*, &c. iuxta text. *in l. si quis stipulatus fuerit 57. ff. de solutionib.* vbi Bart. *n. 2.* Ruin. *consil. 65. n. 8. lib. 2. & consil. 134. n. 3. & 5. lib. 4.* Cephal. *cons. 351. num. 15.* 4

Quod clariùs patet ex verbis subsequentibus. ibi, *Da consegnarsi in tanti beni stabili da stimarsi*, &c. Cùm enim dicta stabilia dari deberent ad æstimationem, dicitur emptio & venditio, & talia bona non dicuntur dotalia, sed dos in pretio tantùm consistit. Bald *in l. quoties, in fine, C. de iur. dot.* Cremen. *sing. 19.* Corn. *cons. 15. n. 4. & 5. lib. 2.* Bec. *cons. 42. num. 6.* Honded. *cons. 24. num. 46. lib. 1.* & soluto matrimonio pretium tantùm, & non bona veniunt restituenda. *dicta l. quoties,* vbi Doctor. Roland. *consil. 92. num. 9. lib. 2.* Tob. Non. *consil. 52. n. 5.* Honded. *vbi suprà, n. 47. & seq.* vnde scuta 4000. dicuntur promissa, non autem bona stabilia, & consequenter solutio facta in pecunia dicitur conformis promissioni. 5

Vltra quòd etiam admisso quòd stabilia fuissent promissa in dotem; tamen non ex ea quòd fuit soluta pecunia, resultat aliqua præsumptio simulationis. Afflict. *decis. 71. n. 8. in fine*, cùm, creditore volente, vnum pro alio solui possit. *l. pretij causa, C. de rescind. vendit. l. si pro mutua, C. si cert. pet.* Cephal. *dicto cons. 351. n. 16. & seq.* 6

Cæteræ autem prætensiones D. Lauræ non videbantur Dominis iustificari. Nam respectu torquis, zonæ, & annul. testes nihil probant, ex quo alij sunt inter se contrarij, alij deponunt tantùm de auditu, & non concludunt ista iocalia fuisse propria Lauræ, prout fuisset necessarium, cùm potuerit esse quòd 7

illa habuerit à marito, vt à communiter accidentibus euenire solet, quo casu mulieri non veniunt restituenda, quia non præsumuntur illi donata, sed tantùm commodata, sed ad vsum atque ornatum concessa. Clar. *in §. donatio, quæst.* 10. *n* 3. Honded. *cons.* 30. *nu.* 14. *lib.* 2. & pluribus relatis fuit dictum in illa Ferrarien. lucri dotis 13. Martij 1606. coram me.

8 Quo verò ad fructus bonorum paraphernalium, licèt testes dicant, Lauram habuisse plura stabilia, & maritum percepisse fructum omnium illius bonorum dotalium, & aliorum; tamen cùm non exprimant quæ stabilia essent dotalia, & quæ non, nihil probant, cùm extra dotalia potuerint esse adeò parua, vt illorum fructus à marito percepti non ascendant ad magnam quantitatem, quo casu in fructibus naturalibus regula est, vt non veniant restituendi vxori ab hæredibus viri, Bart. *in l. maritus vxoris, ff. ad l. falcid.* Socin. senior *consil.* 81. *n.* 8. *in fine, lib.* 4. Campeg. *de dot. part.* 1. *quæst.* 7. & de communi Honded. *consil.* 91 *n.* 50. *lib.* 1.

9 Et multo minus iustificatur altera prætensio Dominæ Lauræ circa salmas nouem frumenti, cùm nō constet ex quibus bonis fuerint perceptæ, & potuerint percipi ex bonis dotalibus, quorum fructus ad maritum pertinent. *l. dotis fructum, ff. de iure dot. l. pro oneribus, C. eod. cap. salubriter, de vsur.* & ibi Doctor. Caualcan. *decis.* 21. *num.* 5. *art.* 4.

An autem supradicta capitula matrimonialia continentia dotis promissionem sint recognita, poterit videri, &c.

R. P. D. VBALDO.

Romana fideicommissi de Surdis. Veneris 11. *Maij* 1618.

ARGVMENTVM.

Substitutio quando, & per quæ verba inducta censeatur non vulgaris sola, sed compendiosa, & per fideicommissum.

SVMMARIVM.

Substitutio facta instituto si sine liberis decesserit, dicitur compendiosa etiam quòd non sit adiecta dictio quandocunque, *num.* 2.

Substitutio compendiosa continet fideicommissariam, ibid.

Volo, *verbum est aptum importare fideicommissum, ibid.*

Substitutus instituto si sine filiis decesserit, instituto sine filiis decedente, succedit eidem defuncto, ibid. in fine.

Neptes posita in conditione censentur vocatæ ex vrbis statuto, num 3.

Substitutio per fideicommissum censetur facta quando post mortem institutorum vocatur locus pius, n. 4.

Fideicommissum censetur introductum quando fuit impositum onus, & grauamen reale, & non personale, num 5.

Substitutio reputatur vulgaris, & non per fideicommissum, quando est facta hæredi instituto, & propterea per aditionem hæreditatis factam ab instituto expirat substitutio. num. 6. *declara vt num* 7.

Verba apta referri ad habitum & actum, referuntur ad actum quando materia subiecta id expostulat, & non alias, ibid.

Verba tunc, & eo casu, an, & quando dispositionem præcedentem restringant, n. 8.

DECISIO DCLVI.

Licet fuerit resolutum Lucam Antonium de Surdis fuisse vocatum per fideicommissum in codicillis Iulij sui patrui, vt in decisione 27. Februarij anni preteriti coram me. Tamen restabat alia inspectio, an constaret de tali fideicommisso, quod obstet creditoribus Lucæ Antonij. Si enim ipse censeatur grauatus restituere neptibus testatoris, & aliis, de quibus in testamento, & prædictis codicillis Iulij, id cedet damno creditorum; & Domini proposito dubio, vnanimiter censuerunt, constare de tali fideicommisso ad effectum de quo agitur, qui est iam dictus. 1

Mouebantur primò, ex verbis claris codicillorum, quibus testator in bonis, quæ tempore obitus Lucæ Antonij, sui nepotis, & hæredis instituti sine filiis legitimis, & naturalibus reperirentur, succedere voluit omnes supradictas eius neptes. Quæ verba, *si sine liberis*, inducunt compendiosam substitutionem, etiam si non sit adiecta dictio, *quandocumque*, gloss. *in cap. si pater, in verb. absque deductione, de testam. in* 6. Alex. *in l. centurio. n.* 17. & ibi Ias. *nu.* 33 Rip. *n* 89. *ff. de vulgar.* Crass. *in §. substitutio, qu.* 60. *n.* 10. cum aliis per Surd. *decis.* 37. *nu.* 8. vbi de communi, quæ compendiosa continet sine dubio fideicommissariam, Bart. *in d. l. centurio, n.* 10. *&* 13. *cum seqq. & n.* 20. *& seqq. ff. de vulg.* Doct. *in l. precibus, C. de impub.* Ruin. *cons.* 140. *n.* 16. *lib.* 3. Cassan. *consil.* 61. *nu.* 2. Corn. *consil.* 273. *n.* 3. *vers. sed potest lib.* 4. præsertim stante illo verbo, *voluit*, quod est aptum importare fideicommissum, *l.* 2. *C. commun. de legat. l. & eo modo, ff. de leg.* 1 Paris. *consil.* 55. *num.* 1. *lib.* 2. & fuit dictum in Maceraten. fideicommiss. 2. Decembris 1594. & 23. Ianuarij 1595. coram Gipsio, & in Bononien. de Poëtis 17. Iunij 1611. coram me, & verbo *succedere*, quod est etiam commune, Bart. *in d. l. centurio, n.* 51. & ibi Rip. *n.* 192. Socin. iunior *n.* 340. Alexand. *consil.* 3 *num.* 1. *lib.* 7. cum aliis per Odd. *de compend.* 4. *part. in verbo succedat*, & cùm hic casus euenerit, quòd Lucas Antonius decessit sine filiis, factus est locus restitutioni ad fauorem mulierum vocatarum, *l. filium quem habentem, C. famil. erciscund. l. penult. C. de impub.* Bellon. *consil.* 19. *n.* 3. Seraph. *decis.* 542. *n.* 1. & fuit resolutum in Siracusana fideicommissi 16. Nouembris 1612. coram me. 2

Secundò, mouebantur ex *vers. & si omnes*, in eisdem codicillis, vbi testator voluit, quòd si omnes supranominati hæredes instituti, substituti, & ad d. hæreditatem vocati decederent sine filiis legitimis, & naturalibus, omnia bona sua, quæ tunc reperirentur, deuoluantur, & deuoluta esse censeantur, & sint ad operam Sanctissimi Crucifixi, ex quibus verbis inferebant Domini, quòd si filij istarum neptum, tanquam positi in conditione, sunt dispositiuè vocati ex statuto Vrbis *lib.* 1. *cap.* 141. & firmauit decisio in hac causa facta, multò magis censentur vocatæ neptes tanquam priùs nominatæ, proximiores, & prædilectæ, *l. vlt. ff. de hæred. instit. l. Publius, §. vlt. ff. de condit. & demonstr.* fuit dictum in Ciuitatis Castelli fideicomm. 14. Maij 1607. coram Illustriss. Ludouisio. 3

4 Et prædicta confirmantur, quia dum testator post eius institutorum & substitutorum mortem sine filiis, vocauit locum pium, necessariò sequitur, fuisse omnes

omnes substitutos per fideicommissum vocatos, aliàs enim vltimæ substitutioni locus esse non posset, ex pluribus allegatis per Peregrin. *de fideicomm. art.13.num.14.* & post Ruin. Anchar. & alios firmat Surd.*consil.344.n.17.lib.3.* Quinimo cùm Ioannes, & Lucas Antonius sint grauati ad fauorem operæ piæ, eo faciliùs debent censeri grauati ad fauorem aliorum, qui tanquam primo loco vocati censentur à testatore prædilecti, ex suprà adductis, & firmat Aym.*consil.165.n.8.*& post eum Mantic.*de coniect.lib. 6.tit.13.num.11.*

5 Tertiò, mouebantur, quia onus hoc casu est impersonaliter iniunctum, & in rem scriptum, tum in prima substitutione, ibi, *in bonis, quæ tempore Lucæ Antonij reperirentur, succedere voluit omnes supradictas eius neptes, & earum filios tam masculos, quàm fœminas*, &c. tum in vltima, ibi, *& si omnes supradicti hæredes, & ad hæreditatem vocati decederent sine filiis*, voluit quòd omnia bona suo deuoluantur, &c. Quo casu, cùm testator neminem nominatim grauauerit, onus censetur reale, & hæreditas ipsa grauata intelligitur, itaut quilibet successor teneatur per fideicommissum alteri restituere, donec hæreditas perueniat ad eum, qui fuit vltimo loco substitutus, Bart. *in l.peto. §.frater.num.3. ff.de leg.2.* Bald.*in l.precibus,n.65.versi. tu dic.*& ibi Salyc.*n.36.C.de impub.* Gabr.*consil.117.num. 34.lib.1.* Decian.*consil.41.n.51.lib.1.* Rot.*decis.568.sub n.5.part.1.diuers.* Paris.*consil.37.n.22. lib.2. consil.1 nu.43. lib.3.& consil.72.nu.89 lib.4.* Cephal.*consil.478.nu.45.& seq.lib.4.* Surd *consil.315.sub n.20.versic.& plurimum interest,lib.3.* Menoch.*præsumpt.151.sub n.13.& seq.lib. 4 & consil.75.num.27.* Mantic.*de coniect.lib 8 tit 2.n. 6.* Peregrin.*de fideic.art.12.n.16.*& fuit dictum in Fauentina fideicomm. 7. Februarij 1605 coram bo.me. Iusto, & in dicta Bononien. de Poetis 17. Iunij 1611. coram me. Ex quo fundamento cessant decisiones in Viterbien.fideicomm. coram Domino meo Manzanedo, & in Narnien.fideicommissi coram D.meo Verospio, in contrarium allegatæ.

6 Quibus ita firmatis, non obstat vnicum, seu præcipuum fundamentum informantium pro creditoribus, videlicet, quòd substitutio ad fauorem mulierum sit facta Lucæ Antonio, vti hæredi instituto in testamento, quæ institutio videbatur vulgaris, cùm esset institutus, si Ioannes prædecederet testatori, quæ vulgaris vtique cessauit, ex quo Ioannes superuixit testatori, & eius adiuit hæreditatem, & consequenter videntur cessare etiam aliæ substitutiones factæ Lucæ Antonio, quia omnes videntur habere locum in casu suo, videlicet, si Lucas Antonius fuisset hæres testatoris per vulgarem, & sic cum effectu mediante hæreditatis aditione à se facta, *l.3. §.si quis ita,* & ibi Doct.*ff.de hæred. instit.*& tradunt Alex. Dec. & alij allegati per Peregrin.*de fideicommiss.art.31.n.2.& 3.*& in specie Ruin. *consil.29.num 8.lib.2.* cum allegat. quibus addi potest Natt.*consil.189.num.5.& 6.*

7 Quia fuit responsum in primis, text. *in dicto §.si quis ita,* in quo se fundant Alexand. & alij, procedere in eo, qui est conditionaliter hæres institutus, per verba expressa, *si alius hæres erit,* vt ibi post gloss. notant Odofr. Alber. Imol. & Castren. & probatur ex *l.ei qui soluendo,ff.eod.tit.de hæred inst.*& aliis iuribus ibi adductis, per gloss. *in vers.hoc videtur,* immò, vt declarat ibi Castren. ibi testator hæredem Titium instituerat, & nihilominus apposuit conditionem de futuro *si Titius hæres erit, Seius hæres esto,* & sic expectatur Titij aditio, vt Seius possit esse hæres, nec sufficit sola Titij institutio, sed aliàs posset esse casus, subdit ibidem Castr.*num.2.in fin.* in quo illud verbum *hæres* posset verificari in hærede scripto solum, & nuncupato, sine aditione, prout in his terminis voluit Bald.*consil.170.in fin.lib.5* Ruin.*consil. 158.col.vlt.lib.3.* Simon de Præt. *de interpret. vlt. volunt.lib.3.solut.5.numer.33.fol.mihi 199.* vbi quòd verba apta referri ad habitum, & actum, referuntur ad actum, quando materia tamen subiecta id expostulat, & non aliàs, vt per Abb. *in cap.3. in fin. princ.de baptism.* Sed hìc ex subiecta materia potius suadetur oppositum, quòd verba illa *hæredes instituti* stent demonstratiuè potius, id est pro hæredibus scriptis, prout verè scripti erant, & sic, qui habitu possunt esse hæredes, quàm restrictiuè, id est, qui actu, & cum effectu deberent esse hæredes, tum quia in dubio verba potiùs intelligi debent stare demonstratiuè, quàm restrictiuè, & dispositiuè, *l. fin. §. Titia ff de liberatione legat.* Bart.*in l.Centurio, num.39.ff. de vulg.*& ibi communiter Doct. Paris.*consil.4. num. 36.lib.4.* Peregrin.*de fideicomm.art.16. num.110.* Rot. *decis. 442. numero 3. part.1. diuersor.* tum quia testator non fecit mentionem hæredis simpliciter, sed cum illo adiuncto, *instituti*; vnde tanto fortius potest verificari etiam in hærede, qui non adiuit hæreditatem, cùm etiam istud procedat in sola mentione hæredis sine vllo adiuncto, ex Bald.*in d consil. 170.num 9. & 10 lib 5.* Curt.iun.*consil 83.col.3. vers nec obstant illa verba* Simon de Præt.*loco suprà allegat* Laderch *consil.3.num.12. vers. secundò facit,* Crescent. *decis 1 num.6. de testam.* & fuit dictum in Romana hæreditatis de Aquilanis 18. Iunij 1600. coram Corduba, & confirmatur ex quo ex tot substitutionum gradibus ostenditur enixa testatoris voluntas, vt bona ad neptes aliósque vocatos deuenirent, quæ omnes substitutiones corruerent, si contraria interpretatio admitteretur, quod nimis durum videretur, præsertim in præiudicium operæ piæ vltimo loco vocatæ.

Nec obstant illa verba, *tunc, & eo casu,* quæ videntur restringere dispositionem ad illum casum, 8
quia vltra quòd sunt tantùm apposita in substitutione vulgari, de qua in testamento, non autem in fideicommissaria inducta ex verbis codicillorum, & ex mente testatoris ponderatis, vt suprà, dicta restrictio cessat quando adest verisimilis mens disponentis in contrarium, ex alleg. per Surd. *consil.344. n. 13.& consil.443.n.32.lib.3.* respondebatur etiam illas dictiones non impedire extensionem, nisi etiam sit addita taxatiua, iuxta decis. Cassad.*1.de testam.* cum aliis relatis per Laderch.*consil.31 n.14.* vbi testatur de communi.

Demum non obstat, quòd substitutio fuerit facta 9
in bonis repertis tempore obitus Lucæ Antonij, & sic non comprehendat bona hypothecata creditoribus; quia respondebatur pro mulieribus, eas non prætendere, nisi quartam partem bonorum, iuxta disposit.*auth.contra cum rogatus,C.ad Trebell.* Et quatenus ex aduerso dicebatur, hanc quartam esse compensandam cum legatis, Domini dicebant hoc non esse præsentis inspectionis, in qua solùm quæritur, an constet de fideicommisso, quod fuit ex suprà adductis affirmatiuè resolutum.

Et ita fuit decisum, &c.

R. P. D. ANDREA.

Vrbinaten.iurispatronatus. Lunæ 14. *Maij* 1618.

ARGVMENTVM.

Præsentationis ius in beneficio patronatus descendentibus ab vno competit in stirpes, & non in capita, & filiatio probatur per communem famam, & Monachus patronus cum licentia sui superioris præsentare potest.

SVMMARIVM.

Gratia Principis si per partem qui impetrauit non iustificetur, exequenda non est, num. 1.

Stipitem totum in præsentatione iurispatronatus habere dicitur, qui duas tertias partes stipitis habet, n. 2.

Stipes attendi debet in præsentatione iurispatrrnatus, non numerus personarum, quia plures ab vno descendentes succedunt in stirpes, & non in capita, & vnius loco reputantur, num. 3.

Filiatio probatur per communem reputationem, & quòd pro filio fuerit tractatus, numer. 4.

Monachus patronus cum consensu Conuentus, & assensu sui Generalis præsentare potest ad iuspatronatus, num. 5.

DECISIO DCLVII.

1 Dixerunt Domini sententiam de partibus esse infirmandam, quia in ea declaratum fuit gratiam Fatij esse exequendam, & eum instituendum prout institutus fuit, attento, quòd fuerat præsentatus à medietate patronorum in possessione præsentandi existen. vt in dicta gratia narrauerat, quod tamen non iustificatum fuit, & ideo illa non veniebat exequenda, iuxta tradita per Ioan. Andr. & Doctor. *in cap. 1. de lit. contest. in 6.*

2 Quòd autem Fatius non fuerit præsentatus à medietate paronorum, ex eo constat manifestè, quia Bernardina, in cuius persona totum iurispatronatus resedit, prout est in confesso inter partes, vt constat ex petitione oblata per patrem Fatij coram exequutore summario *num.* 1. habuit tres filios, Iacobum, Hieronymam, & Vincentiam, ex quibus tribus stipitibus Bernardinæ, Fatius non habuit nisi vocem Iacobi, cùm stipes Vincentiæ præsentauerit Maschium, & ex stipite Hieronymæ, qui residet in fratre Cherubino, Thoma, & Fabio, dictus Fatius non habeat nisi præsentationem descendentium Thomæ, & Maschius habeat vocem fratris Cherubini, & Aliprandi filij Fabij, & sic habeat duas tertias huius stipitis, & per consequens totum stipitem. Cardin. *in Clem. 2. de iurepatron quæst. 2. circa fin.* Cassad. *decis. 2. n. 1. eod. tit.* & ita dicitur habere duos ex tribus stipitibus. Vnde non modò Fatius non probauit se esse præsentatum à medietate patronorum, sed imò constat de contrario fuisse illum præsentatum à minori patrono.

3 Non obstat quòd Antonius, Ludouicus, Hieronyma, & Eleonora filij Thomæ, qui sunt plures numero, Fatium præsentauerint, quia in hac materia non numerus personarum, sed stipes à quo illæ descendunt, attendi debet, ita quòd plures ab vno descendentes procedant in stirpes, non in capita, & vnius loco reputentur. *dicta Clem.* 2 & ibi gloss. Card. Abb. & cæteri, *de iurepatron.* Cassad. *ead. decis. 2 in princ.* & fuit dictum in Aretina Capellaniæ 24. Ianuarij, & 9. Maij 1593. coram bo. me. Cardin. Pamphilio.

Nec subsistunt exceptiones quòd scilicet Aliprandus non sit filius Fabij, & quòd frater Cherubinus non potuerit præsentare. Nam quoad præteritum contrarium probatur ex testibus summario *num.* 4. qui non solùm deponunt de communi reputatione & tractatu filiali, quæ sufficiunt in hac materia, *cap. per tuas de probat.* Ægid. *in cap. Michael, nu. 3. vers. quartus modus, de fil. presbyt.* Menoch. *cons.* 490. *num.* 18. Cæs. de Gras. *decis. 6. nu. 2. qui fil. sint legit.* Sed etiam secundò deponit de certa scientia reddens bonam, & concludentem rationem: quia & dicto Fabio, & eius vxore commorantibus in domo dicti testis, in figura matrimonij natus fuit Aliprandus, & vxor ipsius testis de sacro fonte leuauit.

Quo verò ad secundum, frater Cherubinus præsentauit cum consensu Conuentus S. Dominici Vrbinaten. summario *numer.* 3. cui præsentationi accessit etiam assensus generalis eiusdem ordinis, ita quòd omnis cesset difficultas quoad hanc præsentationem, ex traditis à Lambert. *de iurepatronat. part. 1. lib. 2. quæst. 2. princ. art. 11. nu. 12.* & Seraph. *decis.* 1328. *num.* 1. 4

Et ita conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. DECANO.

Romana pecuniaria de Cæsarinis. Lunæ 14. Maij 1618.

ARGVMENTVM.

Clausulæ in vna commissione appositæ censentur repetitæ in aliis commissionibus, durante eadem causa de commissionibus sanatariis nullitatum: quando concedantur post sententiam, & an suffragentur in causa appellationis.

SVMMARIVM.

Clausulæ appositæ in prima commissione censentur repetitæ in aliis commissionibus durante eadem causa, num. 1.

Nullitatum sanatoria commissio non datur post latam sententiam, suffragatur etiam in causa appellationis, num. 2.

Appellatio conseruat omnia in eodem statu, in quo erant ante sententiam, ita vt ex ea nullum ius parti acquisitum censeatur, ibid.

Appellationis causa operatur, vt in ea non deducta in prima instantia deduci possint, num. 3.

Protestationes Rota admittere solet, si & in quantum; sed non solet mandare afficere absque causæ cognitione, ibid. vbi etiam quòd hæc sunt decreta interloquutoria, quæ possunt quandocunque reuocari.

Protestationes fieri non possunt à Procuratore non habente mandatum, ibid.

DECISIO DCLVIII.

Resoluit decretum A.C. esse nullum. quare in Signatura gratiæ fuit rescriptum R.P.D. meo Dunozetto quòd reiiceret nullitates, constito de bono iure, & facta obligatione per Dominos de Cæsarinis de restituendo pecunias. quòd cùm ipsi coram 1

coram d.D.Dunozetto non adimpleuissent, ipse tulit sententiam reuocatoriam A.C. Causa deinde ad me deuoluta dubitaui, an in causa appellationis Domini de Cæsarinis possent facere prætensam obligationem? & Domini affirmatiuè responderunt, quia dubitari non potest clausulas appositas in prima commissione censeri repetitas in aliis, cùm durat eadem causa. Cassad. *decis.* 8. *n.* 5. *de rescr.* Ægid. *decis.* 41. Non enim repugnat natura iudicij. nam videmus in simili quòd cautiones, quæ debent præstari pro validitate iudicij, iuxta titulum, qui satis dare cogantur, & similes, possunt etiam præstari appellatione pendente, vt per Lancellot. *de attent. appell. pēdent. limit.* 10. *nu.* 5. *& cap.* 12. *limit.* 15. *n.* 1. & propterea idem dicendum est de istis cautionibus, quæ ponuntur in rescripto Principis, cùm recipiant interpretationem à iure. *cap. cùm dilectus, de consuet.*

2 Non obstat quòd commissio sanatoria non datur post sententiam, cùm Papa non intendat præiudicare parti, quia in casu de quo agimus sanatoria nō fuit cōcessa post latam sententiam, sed ante, & ideò suffragatur etiam in causa appellationis, vt patet ex prætensis, & quia appellatio operatur quòd causa sit in eodem statu, in quo erat ante sententiam. *l. sciendum*, ibi, *omnia in eodem statu, ff. de appellat. recipiend. l. appellatione. C. de appell.* Lancellot. *de attent. c.* 12. *in præfat. nu.* 89. *& seqq.* vbi *num.* 118. probat quòd appellatio tollit effectum scientiæ, ita vt non censeatur acquisitum ius parti.

3 Minus etiam obstat quòd rescriptum contineat clausulam, constito de bono iure, & tamen apparet ex decisionibus Rotalibus saltem respectu fructuum, quia bonum ius deduci potest in secunda instantia, & intrat conclusio, non deducta, deducam, & non probata, probabo, de qua *in l. per hanc. C. de temp. appellat.* Nec afficit protestatio facta, in qua petitur dari cautionem, & iudex mandauit afficere, quia Rota admittit protestationes, *si & in quantum*, nec solet mandare afficere absque causæ cognitione, & ita sunt decreta interlocutoria, quæ possunt quandocunque reuocari ad *l. quod iussit. ff. de re iudicata.* Insuper non constat de mandato illius, qui fecit protestationem, quod requiritur ad protestandum. Surd. *decis.* 215. *num.* 2. *& seqq.* verùm certissimum est huiusmodi decretum, & tanquam interloquutorium, & quia Rota solet admittere protestationes *si & in quantum*, non afficere in hoc casu, ex supradictis.

Et ita fuit resolutum, &c.

R.P.D. VBALDO.

Pampilonen. parochialis. Lunæ 4. Maij 1618.

ARGVMENTVM.

Regularitas non incurritur ab excommunicato, qui post excommunicationem celebrauit, quando ab eadem excommunicatione aut fuit absolutus, aut non celebrauit in contemptum clauium, & quando sic in contemptum celebrasse dicatur, & quid præsumatur.

SVMMARIVM.

Clericum percutiens excommunicatus est, n. 1.

Irregularis non est qui post incursum excommunicationem absolutus celebrauit, ibid.

Absolutus ab excommunicatione vigore Cruciatæ non iuuatur, nisi post iustam satisfactionem, & in foro conscientia tantùm. declara vt num. 2.

Absolutio ab excommunicatione quoad forum conscientiæ tantum operatur, vt absolutus diuina sacramenta percipere possit, ibid.

Irregularitas non contrahitur ab excommunicato celebrante, nisi celebrauerit in contemptum clauium, & quando dicatur sic in contemptum celebrasse, & de materia, num. 3.

Legem condemnere quando quis dicatur, ibid.

DECISIO DCLIX.

Domini steterunt in decisis sub die 30. Martij præteriti, quia scilicet, vt tunc dicebatur, Martinus non probauit quòd Petrus irregularis existens Missas & alia diuina officia celebrare non erubuit in contemptum clauium, perniciosúmque exemplum, & scandalum plurimorum. Nec obstat quòd dicitur dictam narratiuam satis fuisse eo ipso iustificatam, quod probatum est quòd Petrus in excommunicatione existens, in quam ex graui percussione eiusdem Martini clerici inciderat, per text. *in c. si quis suadente* 17. *quæst.* 4. per plures vices celebrauit eo quòd prima vice celebrans irregularitatem contraxit, ac postea eadem sacra sæpiùs faciendo, verum apparet quòd in irregularitate existens sæpiùs celebrauit, quia licèt d. Petrus in excommunicationem ex d. percussione inciderit, non tamen probatum fuit quòd in tali excommunicatione existens celebrauit, cùm imò pro parte d. Petri ostendatur, quòd quarto die post dictam percussionem fuit à d. excommunicatione vigore Bullæ Cruciatæ ex speciali priuilegio Patrum mendicantium S. Francisci absolutus. 1

Nec obstant quæ aduersùs dictam absolutionem deducuntur, quòd scil. illa Petro non suffragatur, quia vigore dicti priuilegij Cruciatæ impartiri non potuit, nisi post iustam satisfactionem, & quia etiam tunc ipsum iuuaret in foro conscientiæ tantùm, ex Nauarr. *in consil.* 51. *de sent. excom.* & aliis pro Martino allegatis, quia præterquam quòd sufficit Petro petiisse veniam, quamuis illam obtinere non potuerit, & absolutio quæ etiam quoad forum conscientiæ tantùm suffragatur, operatur vt absolutus diuina Sacramenta percipere possit, vt declarat idem Nauarr. *d. consil.* 51. *num.* 2. 2

Cessare videbatur difficultas etiam ex eo quòd Petrus, vel omnino post dictam absolutionem celebrando irregularitatem non contraxit, quia illa absque contemptu non incurritur. Abb. *in cap. pastoralis, §. verum, numer.* 15. *de appell.* est enim pœna contemptus, Felin. *in cap. Rodulphus, num.* 43. *de rescript.* Dominic. *in cap. solet, de sent. excomm.* Nauar. *in manual. cap.* 27 *num.* 252. *vers. octauò dico*, & contemptus in eo qui absolutionem petiit, ac etiā obtinuit, considerari non potest, ex adductis in Oscen. Archid. 16. Maij 1603. coram Illustr. Cardinal. Lancellotto, vel saltem dici non potest quòd in contemptum clauium celebrauerit, quia, vt in alia decisione dictum fuit, tunc tantùm contemptus interuenisse dicitur; quando voluntas alicuius renuit legi, & ex ea causa procedit ad facien. contra legem, ita quòd transgressionis causa contemptus sit, quod in casu isto factum fuisse, nec præsumitur, nec 3

probatur, quinimo, vt modò dictum est, omnis contemptus ex eo solùm excluditur, quòd à d. Petro petita, & obtenta fuit absolutio, vt in simili de eo, qui constituit Procuratorem ad obtinendam absolutionem à iuramento, dixit Rota in vna Romana nullitatis obligationis 27. Iunij 1605. coram Reuerend. Attrebaten. & ista qualitas, quòd in contemptum clauium celebrauerit, erat omnino probanda, ad effectum vt gratia posset dici iustificata, vt pluribus fuit in dicta decisione comprobatum, &c.

R.P.D. PIROVANO.

Toletana parochialis. Veneris 25. Maij 1618.

ARGVMENTVM.

Approbatus semel ad parochialem Ecclesiam nunquid debeat examinari in ascensu ad aliam Ecclesiam.

SVMMARIVM.

Restitutio in integrum datur aduersùs sententiam, de cuius inualiditate, aut iniustitia constat, & è contra, num. 1.

Approbatus semel ad parochialem Ecclesiam nunquid debeat examinari in ascensu ad aliam Ecclesiam, n. 6. & 7.

DECISIO DCLX.

1 Fuit resolutum non constare de causis restitutionis in integrum, quia Ferdinandus non docet de inualiditate, aut iniustitia prioris sententiæ, per quæ solent causæ restitutionis in integrum iustificari. Rota *decis. 1. de restit. in integr. in nou.* Innocen. *in cap. cùm ex litteris n. 7.* & Abb. *n. 16. eod. tit.* Benintend. *decis. 85 num. 9.*

2 Fuit enim firmatum in aliis decisionibus beneficia simplicia Congregationis Mozarāborum deberi eisdem de Congregatione ex consuetudine quadragenaria iuris optandi, neque tale ius per reseruationes Apostolicas fuisse sublatum, ex quo beneficia debita certo generi personarum cadunt sub reseruationibus cum sua causa, atque ita noceat quidem regula collatoribus, sed non personis de genere illo, quibus Papa præiudicare noluit. Puteus *decis. 378. lib. 1. & decis. 275. lib. 2.* cum aliis deductis in decisione 27. Iunij 1614. coram R.P.D. Pamphilio. Sed Ferdinandus non docet se esse de Congregatione Mozaraborum; ergo neque tanquam prouisus à Sede Apostolica potest impedire Hieronymum de eadem Congregatione in iure optandi.

3 Non obstat quòd non versemur in beneficio debito certo generi personarum, dum beneficiati non sunt Mozarabi, sed Latini, inseruientes ritu Mozaraborum, quod non constituit diuersitatem generis personarum, quia non ideo cessat obiectum, quia Congregati constituunt diuersum genus respectu eorum, qui non sunt de Congregatione, & consuetudo probata operatur circa comprehensos inseruientes ritu Mozaraborum, etiam quòd reuera ipsi sint Latini.

4 Simiter non obstat quòd præseruatio istius qualitatis in regula sit intelligenda de certo genere personarum aliunde quàm ex vi iuris optandi, ne aliàs per opinionem semper cessare debeat regula reseruatoria, quod non videtur dicendum, & in illa contrarium disponitur. Quia non est vis in solo iure optandi de iure Capellanis debito, sed ex consuetudine præscripta certis personis de eadem Congregatione, quibus tale ius quæsitum fuit, & vti possunt. *cap. fin. cum gloss. in verbo de iure debita, de consuetudine in 6.*

Neque ex generalibus clausulis derogationum, quæ legitur in litteris Ferdinandi, videtur derogatum huic consuetudini optandi, quia sola mentio litis inter Ordinarium & Congregationem nec fuit sufficiens ad inducendam scientiam in Papa quòd ista parochialis esset debita certo generi personarum, illis scilicet tantùm de Congregatione, & sine scientia facti derogatio non extenditur. Seraphin. *decis. 268. num. 5.* attestans quòd Rota semper habet hunc sensum. 5

Demum non obstat quòd Hieronymus neq; ipse fuit approbatus ad curam animarum in concursu, secundùm constitutionem Pij V. vt inde à Sede Apostolica prouideri deberet, & vlterius, neque doceat se obtinuisse prouisionem Apostolicam. Quia ad vtrumque bene conuenit responsio quòd hæc non includant ius Ferdinandi, cui vti extraneo ab ipsa Congregatione non potest quæri ius ad rem ex inualida alterius ex Congregatis præsentatione & prouisione, propterea in iudicio restitutionis ex hoc solo potest repeti. 6

Sed nihilominus quoad primum dicebatur quòd etsi aliqui dubitauerint quòd semel approbatus ad parochialem, iterum debeat examinari in ascensu ad aliam, vt videre licet ex Oldrad. *cons. 18. nu. 1.* Felin. *in cap ex litteris n. 7. de const.* Seraph. *decis. 1323. in fin.* tamen sacra Concilij Congregatio aliter determinauit in hac causa, cui standum est. 7

Nec vrgebat quòd declaratio strictè ad suos terminos suscipienda sit, nempe quando approbatio contigit circa parochialem actu curatam; secus verò si tantùm habitu, & ruralis esse reperiatur, vt in præsenti, in qua non est necessaria tanta idoneitas, quanta requiritur in hac parochiali actu. gloss. *in c. licet canon vbi gl. in verb. parochialis Ecclesiæ, de elect. in 6.* Seraph. *dec. 936. n. 2.* cum aliis allegatis. Quia ex facto cessabat obiectum, ex quo constat, quòd Hieronymus verè fuerat in concursu alterius parochialis Sancti Sebastiani approbatus ad curam animarum, & idoneus declaratus præuio examine, iuxta formam sacri Concilij, & sic pro parochiali habente populum, cùm pro alia carente populo non esset necessaria talis approbatio per concursum, dum deficit potestas Rectoris super animabus, quæ non sunt in rerum natura. Federic. de Sen. *consil. 35.* Gemin. *in cap. licet canon. num. 6. de elect. in 6.* Gonzal. *super regul. 8. gl. 6. n. 89. & seqq.* 8

Secundò pariter iustificatur, quia datæ fuerunt litteræ Apostolicæ expeditæ ad hunc effectum, quæ fem per obtinere debent suum effectum cessante concursu prætendentium ex gremio Congregationis, prout est Ferdinandus. 9

Et ita, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Romana hæreditatis. Veneris 25. Maij 1618.

ARGVMENTVM

Spurij ex publica meretrice vulgò concepti,

pti, an, & quando possint certum patrem monstrare, quando etiam possint per subsequens matrimonium legitimari, vt paternæ successionis sint capaces.

SVMMARIVM.

Articuli irreleuantes, & impertinentes admitti non debent, num. 1. in fine.

Filij etiam vulgò concepti possunt per subsequens matrimonium legitimari, quando sic pro eorum filiis fuerunt à parentibus agniti, num. 2.

Spurij filij vulgò concepti, nati scilicet ex publica muliere, propter multorum seminis commixtionem, non possunt certum patrem monstrare. declara vt num. 3.

Matrimonium probatur per attestationem parochi, num. 4. vbi præsertim concurrentibus adminiculis, ibid. vers. & de matrimonio.

Filij legitimati per subsequens matrimonium cum muliere vbi non sunt capaces paternæ successionis de iure ciuili, secus de iure canonico, num. 5.

DECISIO DCLXI.

1 DEfuncto Fabio de Fuschis post Pomponium, Horatium, & Vincentium ipsius fratres, superstite Hortensia eiusdem Fabij filia, prætenderunt filiæ Vincentij probare, quòd Hortensia non esset filia Fabij, vt inde sublata de medio, ipsis vti neptibus, & proximioribus pateret aditus ad successionem hæreditatis Fabij: verùm sine disputatione visum est Dominis vlteriùs non præceden. propterea præiudicium filiationis, & legitimitatis Hortensiæ, quam non posse prædictas neptes in dubium reuocare, asserebant informantes pro ea; vnde dato dubio, an articuli sint admittendi, censuerunt Domini negatiuè esse respondendum. Vera est enim conclusio quòd articuli quando sunt irreleuantes admitti non debent, ne probetur id, quod probatum non releuat. *l. ad probationem. C. de probat.* Roman. *cons. 226. n. 3.* Caputaq. *decis. 54. lib. 3.* Cassad. *decis. 2. de dilat.*

2 Ex contextu autem articulorum colligitur irreleuantia, quia ponitur quòd mater Hortensiæ adhuc existens in circundario mulieribus inhonestis assignato eam concepit, & peperit, & nihilominus hoc etiam probato non potest Hortensia remoueri à successione paternæ hæreditatis, quia constat ex publicis documentis quòd Fabius vti filiam tractauit, nominauit, educauit, & nuptui dedit, dote ei multum honorifica constituta, patebàtque Fabio aditus de tempore conceptionis ad illam mulierum, vnde præuia agnitione parentum, Domini pro absoluto habuerunt, quòd etiam vulgo concepti tanquam certificati legitimari possint per subsequens matrimonium, sequendo doctrinam Bald. *in l. eam quam, num. 24. C. de fideicommiss. & in l. si qua illustris, num. 3. C ad Orfician.* quàm etiam aliàs tenuit Rota apud Put. *decis. 425. lib 1. in nou. impress.* Cardin. Mantic. *de vlt. volunt. lib. 11. tit. 12. num. 11.* Rimin. iun. *consil. 222. num 42. & 43. lib. 2.* Honded. *consil. 72 n. 36. lib. 2.* & Ioan. Baptist. Lup. *de illegitim. com. 4. §. 1 nu. 3.* alios refert de indubitata opinione attestantes, quando agitur de successione bonorum patris, prout est in casu de quo agitur.

3 Nec obstat quòd Bald. opinio confundi videatur ex ratione text. *l. vulgo concepti. ff. de stat homin.* vbi tales qui ex publica muliere nascuntur, propter multorum seminis commixtionem, non possunt monstrare patrem, & vlteriùs nec sufficere possibilitatem ad hunc effectum, voluerunt idem Bald. *in d. l. vulgo, ponens casum, de ea, quæ mortuo primo viro, nubit secundo, & peperit in septimo mense*, vt propter incertitudinem filius ille priuetur vtraque hæreditate. Quia incertitudo posset quidem hoc operari, & possibilitas non sufficeret, nisi concurreret agnitio parentum, quæ fuit ratio Bald. *in d. l. si qua illustris, ad finem*, quia concurrente possibilitate, & voluntate parentum in agnoscendo filium in suum, certificatur proprietas filiationis. *cap. per tuas, de probat.* vbi est casus, de ea quæ cohabitauit cum viro septennium, deinde recessit, & vagata est; & rediens prægnans asserebat filium esse illius viri, cum quo cohabitauerat, & ibidem non obstante incertitudine admittitur ex parentum agnitione posse filium certificari, cum qua certitudine bene procedit legitimatio ex subsequenti matrimonio, vt suprà dictum est.

Ex prædictis satis patet responsio ad *l. si pater tuus, C. de hæred. instit.* quia non versamur in casu possibilitatis falsæ opinionis, super qua testator fundauerit suam dispositionem, vt inde contrarium possit probari, sed in certa deliberatione; ex quo Fabius cognoscens Ludouicam credidit, & voluit Hortensiam esse suam filiam, quod facere potuit per *dictum cap per tuas, de probat.* & de matrimonio sequuto inter Ludouicam & Fabium sufficienter constare videbatur, quia datur attestatio parochi, cui solet adhiberi fides vti de pertinentibus ad eius officium. Menoch. *de arbitrar. cas. 99 numer 3* & si concurrant adminicula, redditur indubitata; quæ in præsenti non desunt, dum apparet quòd die 8. Octobris anni 1576. fuerunt instrumenta dotalia, in quibus enunciatur matrimonium factum præuiis denunciationibus, & inseritur eadem fides parochi de matrimonio contracto, & accedunt assertiones & iuramenta eiusdem Fabij, quæ omnia etsi ad effectum constituendæ dotis fuerunt facta incidenter, tamen implent probationem matrimonij, Dec. *consil. 35. numer. 3.* Rota *decis. 131. numer. 5. part. 2. diuers.* 4

Demum non etiam releuabat. quòd legitimati per subsequens matrimonium cum vili persona non sint capaces successionis. Quia contrarium verius est, ex quo tales filij non succedunt de iure ciuili, secundùm quod matrimonium subsequens non dabat illis successionem, sed secundùm ius Canonicum, per quod efficiuntur legitimi, & vti tales sunt successibiles, etiam in terris Imperij, Gabriel. post alios *consil. 21. num. 13. volum. 1.* Decian. *consil. 5. nu. 81.* reprobans Ruin. 5

Et ita, &c.

REVERENDISSIMO P. D. PIROVANO.

Mediolanen. pensionis. Veneris 1. Iulij 1618.

ARGVMENTVM.

Canonici quando conueniri dicantur nomine particularium personarum; & quando vt vniuersi.

SVMMARIVM.

Mala fides impediens acquisitionem, & versionem pecuniarum in causam destinatam, & conuentam, incipit à contestatione litis, num. 1. in fine.

Sustentatio litis facta per reum importat negationem proprij interesse excipientis, n. 2.

Canonici quando conueniri dicantur nomine particularium & singularium personarum, & quando vt vniuersi, num. 4. & 5.

Beneficiorum collationi certo generi personarum debitorum non affertur praeiudicium per collationes factas particularibus personis, num. 4.

DECISIO DCLXII.

1 SVscepta disputatione super decisis in hac causa sub die 5. Martij præteriti censuerunt Domini in eadem restitutione persistendum esse. Substantia enim transactionis anni 1585. 29. Octobris admodum releuans visa fuit ad proban. quòd beneficiati officiales contraxerunt cum Canonicis vti vniuersis, non autem vti singularibus, posteaquam insimul obligauerunt beneficiatos ad permitten. quòd ipsi Canonici possent se reualere de pensione controuersa pro eorum fabrica Canonicali, vnde si per vniuersos Canonicos obstricti fuerunt pati diminutionem commoditatis eorum pensionis, ab vniuersis similiter subleuandi sunt pro rehabendo totum id quod facto ipsorum Canonicorum in dissolutione obligationis prætensæ impediti fuerunt exigere à die litis contestatæ, à qua incipit mala fides impediens acquisitionem, & versionem pecuniarum in causam destinatam, & conuentam. *l. obligari, §. pupillus, ff. de authoritor.* Bart. *in l. si alieni, ff. de solut.* Surd. *cons. 4 num. 43. vol. 1.*

2 Non obstat quòd ex sententia arbitramentali emanata de anno 1591. deberent deputari fabricerij ab Archiepiscopo, à quibus pecuniæ essent exigendæ, & conuertendæ in expensas fabricæ, absque eo quòd Canonici possent se intromittere, vt ideo fabricerij, & siue Thesaurarius præsumatur, & verè exegerit pensionem, non autem Canonici. Quia cùm huiusmodi prouisio emanauerit ad tollendas discordias, quæ super tali constructione aderant, & vt quamprimũ pensio à iugo fabricę subtraheretur, si omnes pecuniæ in causam destinatam & conuentam, & non aliam conuerterentur, vt patet ex contextu eiusdem sententiæ, & prætensa de voluntate, & consensu eiusdem Capituli firmati fuerint, non inde mutata fuit, aut dissoluta prior obligatio, sed continuata per administratores, qui rationes reddere tenentur, & prout factum fuit per D. Ioann. Petrum Glussianum in Thesaurarium deputatum, qui Capitulo reddidit rationem, & liberationem reportauit, signum euidens quòd facultates huius fabricæ non erant abdicatæ à Capitulo, quòd etiam valde comprobatur ex sustentatione litis hucusque per Capitulum, ex qua desumitur concludens probatio ad impediend. negationem proprij interesse excipientis. Caputaq. *decis. 369. n. 1. part. 2.* Socin. iun. *cons. 18. n. 17. vol. 1.*

3 Et ex prætensis tollitur fundamentum desumptum ex articulo 6. qui datus fuit pro probato, quia iam dictum est nihil referre ad effectum istius disputationis quòd administratores exegerint sub censura reddendi rationes; differentia autem quæ in eodem articulo supponitur inter fabricerios, & Capitulum, & Canonicam, & mensam Capitularem, non liberat Ordinarios ab obligatione iam contracta, quòd ipsi possent se reuelare de pensione pro eorum fabrica Canonicali, vnde sufficit beneficiatis, quòd pecuniæ fuerint conuersæ in causam conuentam.

Non obstat quòd in omnem casum istarum ædium non sit Capituli, neque Canonicorum in vniuersum, sed particularium, & nomine particularium ad arbitrium Illustrissimi Archiepiscopi prouideantur, vt est instrumentis, quæ data fuerunt, & ideo vt particulares veniant condemnandi, non vti vniuersi, Honded. *cons. 74 n. 19. lib. 1.* cum aliis allegatis. Quia vltra quòd distributio, quæ fit ab Illustris. Archiepiscopo, non est absoluta, sed inter ipsos Canonicos, quæ non excludit ius vniuersale Capituli quoad effectum proprietatis domorum Canonicalium, vt dicitur de beneficiis certo generi personarum debitis, cui per collatores non affertur præiudicium. Put. *decis. 378 lib. 1. & decis. 235. lib. 2.* 4

Visum est etiam conuentionem prætensam non procedere quando Capitulum conuenitur ex propria obligatione, vt iam dictum est, quia tunc actio scindi non potest in particulares in præiudicium eorum, qui cum vniuersis contraxerunt. *l. ne in lu-res. ff. de exercit.* Rota Ianuen. *decis. 14. num 8.* cum aliis alleg. in decis. 5. Martij præteriti, & cùm ex prætensis non doceatur quòd prior obligatio fuerit mutata, aut sublata, permanserunt Domini in iam resolutis, &c. 5

R. P. D. ANDREA.

Toletana hæreditatis. Mercurij 6. Iunij 1618.

ARGVMENTVM.

De recognitione manus alicuius in scriptura priuata quomodo facienda, vt sufficienter facta dicatur, & de testibus examinatis sine interprete, & sine interrogatoriis à parte datis, an, & quando probent: cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

Identitatem scripturæ probant testes deponentes vt n. 5.

Recognitio manus alicuius dicitur sufficienter facta per testes dicentes se notam habere manum scribentis, quia viderunt illum pluries scribere, licet non fuerint præsentes quando is, cuius manum recognoscunt, scripsit scripturam de qua agitur. declara vt n. 5.

Recognitio manus censetur facta per vnum testem dicentem se fuisse præsentem, & vidisse scribere scripturam, de cuius recognitione iunctis adminiculis num. 6.

Exhibere non tenetur quis scripturam existentem penes Notarium, num. 7.

Citatio in qua non est expressa aliqua dies, intelligitur ad primam, & per duos dies sustinetur, n. 8. in fin.

Testes sine iuramento non tactis scripturis nihil probant declara vt num. 9.

Remissoria quando conceditur, nunquid articuli sint dandi in Curia, vel in partibus, num. 10.

Testes secundo loco examinati possunt se referre ad primum examen, & petere illud sibi legi. num. 11.

Testes primò examinati super articulis, & deinde super interro-

interrogatoriis non dicuntur nulliter examinati, n.12. vbi ampliatur hæc conclusio; etiam quòd super interrogatoriis nullo modo fuerint examinati.

Testes examinati sine interprete non obstante protestatione partis non dicuntur nulliter examinati, numer.12. ad fin.

DECISIO DCLXIII.

1 DOnna Stephania Maurique in suo vltimo de mense Septembris anni 1607. condito testamento post multa facta legata tam vitalitia quàm perpetua ad fauorem locorum piorum, consanguineorum & familiarium ad notabilem summam ascenden.& post confirmatam donationem, à se factam Venerabili Collegio Societatis IESV Toletan. omnium suum bonorum stabilium, & Domini Petri fratris sibi obuentorum, quæ superessent tempore suæ mortis, vniuersalem hæredem sibi instituit Venerabilem Domum professam Toletan. ea declaratione adiecta vt quodcunque memoriale, seu memorialia firmata suo nomine, in quibus disposuisset aliquid, seu aliqua, post mortem suam haberent eandem vim, ac si essent inserta in dicto suo testamento, & omnia disposita in illis adimplerentur, eodem modo ac si essent scripta in illo, dummodo intus, vel extra dictum memoriale reperiretur scriptum, istud est memoriale, ex illis, ad quæ me refero in meo testamento; & mea voluntas est quòd adimpleatur tanquam additio illius veluti codicillus. Insuper declarans quòd huiusmodi memoriale, seu memorialia reperirentur in quadam capsula plumbea, seu lactea, quæ erat in suo scriptorio.

2 Mortua dicta Stephania repertum fuit dictum testamentum in capsula lactea & scriptorio cum duobus memorialibus, sicuti ipsa prædixerat, quæ duo memorialia erant clausa & sigillata, & in eis ab extra quòd consignarentur R.P. Præposito dictæ Domus professæ, vnde eodem contextu quo dictum testamentum fuit apertum, executores inibi præsentes eadem memorialia dicto Præposito consignari iusserunt, qui illis apertis alterum eidem Notario consignauit, vt esset tanquam additio testamenti & codicillus, vt testatrix voluerat; alterum verò quia scriptum continebat quòd illud Præpositus solus aperiret, & in eo contextu exequeretur; penes se retinuit, in quo testatrix eum enixè precabatur, vt de suis daret bonis Donnæ Vrsulæ Salazar ducatos mille quando emitteret professionem, vt latiùs in summario *num.*4.

3 Cùm autem dicta Donna Vrsula non acquiescens ducatis mille sibi vt suprà relictis in dicto memoriali præter alios sex mille habitos à d. Stephania viuente, prætenderet totam hæreditatem dictæ Stephaniæ, seu magnam illius partem ad se spectare vigore dicti seu alterius memorialis quod à d. Præposito occupatum iactabat, introducto iudicio coram Reuer. Nuncio Hispaniarum probatum fuit pro parte d. Venerabilis Domus professæ in eiusdem testamenti aperitione coram Notario & testibus duo tantùm memorialia in eodem scriptorio reperto in loco & capsula per Stephaniam in suo testamento designatis, quorum vnum fuit consignatum Ambrosio Mexiæ Notario de testamento rogato vt illud testamento prætenso adiungeret; alterum verò datum Præposito d. Domus professæ, attenta inscriptione quòd illud Præpositus solus aperiret, & in eo contenta exequeretur, quod deinde coram Reuer. Nuncio productum & recognitum fuit, ac tandem seruatis seruandis diffinitiua emanauit sententia, per quam dictum Collegium Domus & Patres absoluti fuerunt ab impetitis, à qua sententia fuit appellatum pro parte Donnæ Vrsulæ, & commissa causa Reuerend. Canarien. illóque per Collegium recusato, Reuer. D. Episcopo Conchen. qui sententiam D. Nuncij in rem iudicatam transiisse declarauit.

4 Vltimò deuoluta causa in Rota coram me fuit dubitatum an constaret de existentia memorialis, itaut Patres Societatis illud tenerentur exhibere. quo dubio proposito sub die 2. Decembris 1616. informantes pro Donna Vrsula bonam fidem agnoscentes crica duo memorialia sic vt suprà reperta se restrinxerunt ad memoriale consignatum Præposito, & pro parte Patrum fuit probatum huiusmodi memoriale fuisse semel atque iterum productum & recognitum in partibus tam coram Reuerendissimo Nuncio, quàm coram Ordinario seculari Toletan. apud acta Didaci Roderici successoris supradicti Ambrosij Mexiæ de testamento rogati; & in eisdem actis originaliter dimissum, & propterea non data existentia memorialis penes Patres ad vlteriorem exhibitionem non teneri ex abundanti; offerendo iterum & tertiò auctoritate Rotæ identitatem memorialis prætensi recognosci facere. Quibus attentis Domini sub dicta die 2. Decembris ordinarunt quòd recognosceretur de nouo memoriale exhibitum per Patres coram Ordinario seculari Toletano; qua facta recognitione coram iudice à Rota subdelegato, & illius processu ad Vrbem transmisso; dictóque dubio hodie reproposito 6. Iunij 1618. vtraque parte informante resolutum fuit vnanimiter constare de sufficienti exhibitione & recognitione.

5 Testes enim repetiti coram iudice sub executore, & quorum fuit datum particulare summarium, optimè deponunt circa identitatem memorialis, dū dicunt esse illud idem memoriale scriptum manu Donnæ Stephaniæ Maurique testatricis repertum vnà cum suo testamento tempore mortis suæ, quod fuit consignatum R. P. Almazar Præposito dictæ Domus professæ coram executoribus testamentariis & præsentibus testibus ipsis examinatis, qui omnes deponunt se habere notissimam manum dictæ Stephaniæ, eo quòd illam viderunt pluries scribere, quæ videtur sufficiens recognitio, cùm non simus in apocha, sed in alia scriptura etiam priuata, quo casu sufficiunt testes, qui licèt non viderint illam scribi, tamen habent notam manum, vel illam recognoscunt per comparitionem, vt post Bart. & alios *in l. nuda, ff. de donat.* optimè declarat Ruin. *consil.*70. *numer.* 4. *lib.* 4. vbi quòd hæc est communis opinio, & eandem distinctionem pluries sequuta est Rota, vt videre est apud Achill. *decis.*2. *de fid. instrument.* Paleot. *decis.*173. Fab. *decis.* 277. *part.*3. *lib.* 2. *diuersor.* & hunc esse communem stilum & inueteratum in Curia, dicit Put. *decis.*18. *de fid. instrument.* vbi loquitur de recognitione scripturæ testatoris, vt de eodem stilo Vestr. *in prax. lib* 6 *cap.* 1. *num.*8. *ad med. vers. nihilominus*, subdens eum non abhorrere à iuris dispositione.

6 Quod tanto magis est dicendum in casu nostro, quia quartus testis super tertio dicit quòd prætensa Donna Stephania Maurique scripsit dictum memoriale in præsentia ipsius testis, & illud clausit,

suprascripsit,& posuit in dicta capsa lactea,& quod est de eius propria littera & manu,quia vidit ipsam illud scribere & subscribere, qui testis de visu vnà cum aliis de manu nota plenè probant, vt in terminis per Ruin.*cons.46.nu.*8. *& 9.lib.*4.Vtsill.ad Afflict.*decis.*181.*num.* 8.*vers.limitat Ruin.*

7 Hac igitur identitate memorialis per recognitionem probata, & constito de illius existentia apud Notarium, penes quem illud per Procuratores fuit exhibitum,non possunt nec debent ipsi amplius cogi ad exhibendum, *l. tigni appellatione,§.si quis non possid.ff.ad exhibend.* Ruin.*consil.69.nu.*13.*in fin.& seq. lib.*4.& fuit dictum in causa Romana computorum 30.Ianuarij 1605 coram Iusto,& in Romana gemmę 27.Nouembris 1609. & in Colonien. Canonicatus 18.Martij 1611.coram Pegna.

8 Nullitates allegatæ contra examen testium visæ sunt Dominis satis leues,& bene in facto & in iure sublatæ. nam prima circa defectum citationis ad videndum iurare testes,quæ fuit decreta sub die 19. Iulij pro dictis Lunæ,Mercurij,& Veneris, & executa sub die 20. & tamen testes non iurarunt nisi die 31.Iulij 1617.summario Donnæ Vrsulæ *num.*4. *&* 5.cessat ex folio in hac positione pro parte Collegij dato *num.*2. in quo adest nouum decretum & intimatio facta procuratori Vrsulæ sub die 28. Iulij, quæ erat Veneris; & quamuis in dicto decreto non esset expressa aliqua dies, intelligebatur ad primam ex diebus assignatis in alio decreto, & sic pro die Lunæ,secundùm Put.*decis.*212.*lib.*2. quinimo Rota sustinere solet huiusmodi citationes,etiam per duos dies. Ant. Aug.*tit.de citat.numer.*24.Rot.*decis.*311.*n.*3. *part.*1. & fuit dictum in Tirasonen. parochialis de Ablitas 4.Maij 1616. coram me, & nihilominus testes iurarunt die Lunæ 31. Iulij, quæ erat prima iuridica post dictam intimationem.

9 Secunda nullitas circa receptionem iuratorum, ex quo non constat quòd testes iurauerint tactis scripturis,secundùm Caputaqu.*decis.*246. *part.*2.cum aliis allegatis,eodem modo tollitur, vt in eodem folio *n.*3.cùm enim Notarius attestetur iudicem delegatum à testibus inductis & eorum singulis de per se excepisse iuramentum in forma iuris, &c. etiam quòd non dicat,*tactis scripturis*,satis intelligitur hoc virtualiter dixisse.Card.Seraph. *decis.* 857.*num.*5.*in fin.& seq.* vbi quòd iste modus est valde frequens & familiaris in processibus Hispaniarum, & stilo vniuersali receptus.idem Seraph *decis.*1010.*num.*5. Rota in Calaguritana oblationum 26.Martij 1590. coram Comitulo cum aliis allegatis per informantes.

10 Tertia quòd articuli pro recognitione facienda fuerint dati in partibus,& non in Curia,iuxta decisionem Tholom.757.*part.*5.*lib.*3.*diuersor.* & ipsa cessat, tùm quia non sumus in remissoria, in quibus terminis loquitur dicta decis. quæ nec etiam dicit quòd examen sit nullum, tum quia articuli non cótinent nisi recognitionem,pro qua facienda fuit datum instrumentum subdelegationis vnà cum clausula,*& omnia alia facienda*, quæ super dicta recognitione fieri contigerit, vnde validè potuerunt in partibus dari,cùm essent ad dictam recognitionem attinen. secundùm not. per Bald.*in cap.fraternitatis, n.*6.& ibi Felin.*sub nu.*11. *de testib.* & bene etiam Fastol.*dubit.*33.

11 Quarta quòd cùm ageretur de sola recognitione memorialis, testes non potuerunt se ad primum examen referre, sed per extensum deponere, non subsistit in iure,cùm enim dicti testes aliàs super hac eadem recognitione fuissent examinati,bene potuerunt se referre ad dictum primum examen, iuxta doctr.Bart.*in l.eos,n.*6.*ff.ad l.Corn.de falsis.* quam sæpe approbit Rota,vt ait Seraphin.*decis.*270.*numer.* 5. & tanto magis, quia testes non solùm se retulerunt, sed petierunt suum primum dictum sibi ostendi, quod facere potuerunt, secundùm consil. Bart. *vbi suprà vers.sed si iudex*,& late comprobat Natt. *consil.*537.*num.*11. quo examine perlecto iidem testes,vt patet ex eorum lectura in principio, se affirmarunt & ratificarunt in aliàs per se dictis,& quatenus opus esset illa de nouo dixerunt, & postea quoque in interrogatoriis se optimè declararunt.

Quinta quòd testes fuerint examinati priùs super articulis, & postea super interrogatoriis, non obstan. contraria protestatione, vltra quòd in dicto subdelegationis instrumento non legitur iniunctum iudici vt priùs super interrogatoriis testes examinarentur, & quòd non reperitur in iure cautum quòd testes debeant priùs examinari super interrogatoriis, & deinde super articulis,ex eo etiam quia talis præposteratio non inducit nullitatem, vt in casu fortiori examen non annullatur,ex eo quòd testes non fuerunt examinati super interrogatoriis. Alex.*consil.*172.*n.*9.*lib.*2.*& cons.*41.*in fin.lib.*4. Ruin. *consil.*35.*num.*4.*lib.*4.Put.*decis.*427.*lib.*1.*&* 317.*lib.*2. cum aliis adductis in Hispalen. matrimonij 28. Ianuarij 1608.coram Illustrissimo Ludouisio, & idem respondetur ad defectum interpretis, quia nec ex forma delegationis, nec de iure tenebatur eum iudex admittere,ex tradit.per Sigismund.Scac.*de iud. caus.ciuil.lib.*2.*cap.*8.*n.*925. & licèt in Vrbe hic stilus inualuerit adhibendo interpretem,vt ait idem Scac. *vbi suprà*, contrarium in tota Hispania seruatur; vt apparet ex actis causarum, quæ indies in Curia committuntur, in quibus nullibi legitur hæc interpretum deputatio. 12

Et ita conclusum,&c.

R.P.D. DECANO.

Romana census de Pisciis. Mercurij 6. Iunij 1618.

ARGVMENTVM.

Vsufructuarius census non potest recipere eiusdem census pretium; nisi nomine proprietarij,& de eius consensu, & de mandato de associando, quod non tribuit nisi nudam detentationem. cætera vide in summario.

SVMMARIVM.

*Vsufructuarius alicuius census non potest recipere pretium census,nisi nomine proprietarij, & de eius consensu,n.*1.

Mandatum de associando non tribuit nisi nudam detentationem,ibid. ad finem.

Vsufructuarius non habet possessionem naturalem, ibid.

*Renunciationes sunt stricti iuris, & non extenduntur de persona ad personam,num.*3.

DECISIO DCLXIV.

Ivlius Cæsar de Rubeis vendidit certam domum bon.mem. Iuniperæ Saluiato, & de pretio fuit emptus

emptus census scut.500. cum obligatione quòd staret pro euictione dictæ domus, pacto tamen adiectum quòd in euentum redemptionis pecuniæ deponerentur penes montem pietatis ad effectum reinuestiendi, cum scientia & consensu ipsius Dominæ Iuniperæ, & cùm postmodum Clarix vxor dicti Iulij Cæsaris pro restitutione suæ dotis egerit ad dictum censum, & obtinuerit mandatum de associando, & Domini de Bisciis fuerint effecti debitores huius census occasione emptionis castri Mazzani, pro illius extinctione deposuerunt pretium iuxta tenorem prædicti instrumenti. At cùm Palonius secundus vir dictæ Claricis prætenderet dictum depositum non suffragari, ideo dubitaui an dictus Palonius potuerit recipere pretium, & cassare instrumentum, & facere retrouenditionem pro liberatione Dominorum de Bisciis; & Domini secunda vice negatiuè responderunt, quia aut iste census spectabat in totum ad Torquatum Palutium, cui illum vendiderat Dominus de Rubeis sub die 25. Maij 1591. vel ad Cechinam, cui pariter rata istius census vendita fuerat, & isto casu Palonius non poterat recipere pretium, nisi nomine dictorum Palutij & Cechinæ, & de eorum consensu, vt dicitur, de vsufructuario, qui non potest recipere pretium census, nisi nomine proprietarij, & de eius consensu. Roder. *de ann. redditib. lib. 2. qu. 15. num. 84.* latè Felicianus Solis *de censibus lib. 4. cap. 5. nu. 5.* & bene facit Greg. Lopez *in l. 4. tit. 32. part. 3. gloss.* 1. cum allegatis in decisione in hac causa facta 11. Decembris præteriti, & propterea tanto minus Palonius poterat recipere nisi nomine dictorum Palutij & Cechinæ, cùm per mandatum de associando haberet nudam detentionem, ex allegatis per Menoch. *de adipisc. remed. 5. num. 156.* vsufructuarius autem habet possessionē naturalem. *l. naturaliter. in princ. ff. de acq. possess.* Alex. *in l. possideri, num. 14. ff. eod.* Menoch. *de recuper. remed. 1. num. 7.*

a Aut verò Clarix tanquam anterior excludebat d. Palutium & Cechinam, & adhuc Palonius eius vir non poterat exigere stante conuentione prædicta quòd pecuniæ deponerentur ad effectum inuestiendi: & quamuis ad citationem pro deposito Palonius responderit se velle adimplere omnia ad quæ tenebatur, ista tamen responsio & oblatio non poterat impedire, quin pretium deponeretur pro cōsequenda retrouenditione, cùm in instrumento fuerit conuentum quòd pecuniæ deponerentur donec præstaretur cautio, vel fieret inuestimentum.

3 Neque obstat quòd fuerit recessum à dicto pacto de inuestiendo, vt patet ex instrumento quod hodie indicatur, quia fuit recessum fauore Torquati Palutij, & propterea aut census spectabat ad Torquatum, & intrat primum caput resolutionis, aut non spectabat ad Torquatum, sed ad Claricem, & erat faciendum inuestimentum, quia respectu Claricis non fuerat renuntiatum dicto pacto, & cùm renunciationes sint stricti iuris, non debent extendi de persona in personam. *l. si quis ita dixerit, ff. de testam. tutel.* Aretin. *in l. Gallus, §. quid si tantum, num. 14. ff. de liberis & posthum.* vltra quòd Clarix non habebat nisi mandatum de associando, & illud erat ad ratam census, quod minus sufficit, ex suprà deductis.

REVERENDISSIMO P. D.
VEROSPIO.

Placentina voti. Mercurij 6. Iunij 1618.

ARGVMENTVM.

Episcopus in electionibus ad beneficia, quæ societates appellantur, quod & quale votum habeat, & quid in hoc operetur obseruantia subsequuta.

SVMMARIVM.

Episcopus in electionibus ad beneficia quæ societates appellantur, quod, & quale votum habeat, num. 1. & per tot.

Quasi possessio & obseruantia conferendi beneficia, quæ societates appellantur, quam Episcopus habet, nunquid requirat quadragenariam præscriptionem cum titulo, num. 2.

Negatiua probanda est ab allegante, num. 3.

Electio competit inferiori; confirmatio autem pertinet ad superiorem, num. 4.

DECISIO DCLXV.

AD instantiam Reuerendissimi Episcopi Placentin. dubium proposui super decisis coram me sub die 26. Nouembr. 1615. videlicet ipsum Episcopum in electionibus ad beneficia, quæ societates appellantur, ad instar Canonici votum habere, à qua decisione DD. censuerunt non esse receden. non obstantibus in contrarium adductis, & primò non releuat semper fuisse controuersum, an in prouisionibus, de quibus agitur, processum fuerit per viam electionis, & sic fieri non posse fundamentum in obseruantia quòd in illis Episcopus vti Canonicus interuenerit, id enim in facto non subsistit, cùm nunquam partes negauerint huiusmodi beneficia per electionem conferri, vt ex prouisionibus constat ab anno 1541. vsque in hodiernam diem factis, in quibus apparet Capitulum, & Episcopum per viam electionis processisse: vnde fuit solummodo controuersum, an in eo deberet Episcopus votum simplex, vel qualificatum habere? & stante huiusmodi beneficiorum prouisione per viam electionis intrat conclusio in decisione firmata, videlicet Episcopum tanquam Canonicum interuenire, nec non illi cōpetere votum simplex, cùm vti Episcopus eligere, & confirmare non valeat. Abb. *in cap. postulastis, nu. 11. de concess. præb.* Imol. *num. 13. vers. & per præterita,* cum aliis in decisione allegatis. Quod etiam ex obseruantia subsecuta comprobatur, cùm, sicut habetur in alia decisione, semper in istis beneficiis Episcopus voto simplici fuerit vsus, vt expressis verbis idem etiam fuit confessus, dum se dixit in talibus prouisionibus vnum tantummodo votum ad instar aliorum electorum habere, vt ex iuribus productis apparet.

Nec valet dicere satis non esse obseruantiam, sed quadragenariam cum titulo requiri, tanquam agatur de aliquid contra ius inducendo. nam hîc potiùs ius assistit, cùm supposita confirmatione per Episcopum facta non potuerit idem vti talis electionem facere, ex allegatis: vnde non est opus quadragenaria, sed sufficit ita fuisse aliquando obseruatum. Dec. *cons. 136. num. 4. in fin.* Aym. *cons. 191. num 4.* Rot. *decis. 174. num. 4. part. 1. diuers.* 2

Non obstat obseruantiam isto casu deduci non posse, cùm Episcopi prouisiones fuerint nullæ, non appositis edictis, quia de tali negatiua non constat, quæ tamen ab allegante siue agendo, siue excipien- 3

do veniret probanda Bart. *in l. in illa la 1. num. 5. ff. de verb. oblig.* vbi Alex. *num. 9.* Ias. *num. 14.* Rip. *num. 13.* Dec. *cons. 629. num. 3.* Hercul. *de neg. num. 2.*

4 Non obstat huius electionis confirmationem ad Capitulum etiam spectare. nam vltra quòd in iure non subsistit eidem electionem, & confirmationem competere, cùm ad inferiorem electio, confirmatio verò ad superiorem pertineat. Host. *in sum. tit. de elect. nu. 27. & tit. de confirm. vtil. vel inut. nu. 5.* tollitur nihilominus obiectum ex instrumentis dd. prouisionum, in quibus electione facta Capitulum petit ab Episcopo confirmationem. ex quo satis arguitur illud in confirmatione nullum ius habuisse.

5 Nec est insistendum quòd in confirmationibus vtatur Episcopus verbo *conferimus*, magis enim rei substantia, quàm forma verborum est attendenda. ex quo enim Episcopus in istis prouisionibus interuenit, & nihilominus facit de nouo collationem, vt ab eisdem informantibus prætenditur, non videtur hæc propriè dicenda collatio, quæ iam fuisset perfecta, nec alio esset opus actu si in Capitulo ille tanquam Episcopus interfuisset, vnde per necesse infertur primum actum collationem, secundum verò confirmationem existere.

6 Nec releuat in dd. electionibus Ordinarium primum in sedendo locum obtinere consueuisse, & sic inferri ipsum in Capitulo vti talem interuenire, & consequenter votum qualificatum habere debere. nam vltra quòd in Episcopi honorem Canonici possunt illum decano præferre, etiam quòd in Capitulo non tanquam Prælatus interuenit, respondetur nihilominus ad dignoscendum an quis vti Episcopus vel Canonicus votum dederit circumstantias esse attendendas. Abb. *in cap. scriptum n. 6. ad fin. vers. ex variis autem circumstantiis, de elect.* Felin. *in cap. pastoralis num. 9. vers. & subdit, de rescript.* Silu. *de benef. 2. part. quæst. 17. num. 4. & seq.*

7 In casu autem nostro vrgentissima adest coniectura, per quam Ordinarium in Capitulo ad instar Canonici esse colligitur, cùm post electionem ab eodem & Capitulo factam ipse solus eam confirmet, quod facere non valeret, si tanquam Episcopus interfuisset, ex alleg.

8 Non obstat eundem Ordinarium in electionibus maiorum beneficiorum vti talem interuenire, & per consequens idem esse dicendum in istis minoribus. diuersa enim vrget ratio, cùm Episcopus absque alia confirmatione dicta maiora beneficia cõferat, quod secus accidit in istis minoribus, ex deductis, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Tullen sponsalium. Veneris 18. Iunij 1618.

ARGVMENTVM.

Sponsalia probantur per traditionem annuli, & siue iurata, siue non iurata effectuanda sunt per contractum matrimonij, nisi ex rationabili causa iudicis arbitrio recedatur.

SVMMARIVM.

Subscriptio importat adprobationem eorum, quæ subscripta sunt, num. 2.

Sponsalia probantur annuli traditione, ibid.

Actus præsumitur factus in vim præcedentis tituli, ibid.

Sponsalia contracta, siue iurata, siue non, sub exequutionis pœna veniunt per contractum matrimonij effectuanda, ibid. in fine. declara nisi ex aliqua rationabili causa arbitrio iudicis recedere liceat, num. 1.

Testes de auditu à principali habenti interesse in causa nihil probant, num. 4.

Metus non probatur per testes de auditu à metu passo, ibidem.

DECISIO DCLXVI.

Franciscus Bicart cùm sponsalia de futuro cum quadam Anna contraxisset, ipsam per matrimonij effectuatione coram Ordinario conuenit, à quo sententiam obtinuit, & causa in gradu appellationis in Rota coram me introducta, dubitaui an constaret de huiusmodi sponsalibus quæ essent effectuanda, & fuit affirmatiuè responsum. 1

Hæc enim benè probantur ex apocha ab ipsis sponsis subscripta, quæ importat illorum approbationem. Bart. *in l. quæ dotes, in fine. ff. solut. matrim.* Alex. *cons. 147. num. 3. & 4. lib. 2.* Decian. *cons. 29. nu. 30. & 31. lib. 2.* Surd. *decis. 137. nu. 3.* accedente præsertim annuli traditione, hinc inde post dictam subscriptionem subsecuta, quæ pariter eandem sponsalium approbationem arguit. Et licèt in responsione ad probationes hæc sponsa negauerit se annulum intuitu matrimonij tradidisse, quoniam tamen ipsa fatetur huiusmodi traditionem in continenti post Capitulorum subscriptionem fuisse subsequutam, satis ea facta censetur in sponsalium executionem, cùm actus in vim tituli procedentis factus præsumatur. *l. quædam mulier. ff. de rei vendic. l. 2. C. de acquir. possess.* Aym. *cons. 158. num. 13.* Cephal. *cons. 172. num. 114. lib. 2.* Gabr. *cons. 172. num. 17. lib. 2.* Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 67. part. 2.* & potius ex causa licita sponsalium, quàm amoris illicita, ex allegatis per Alciat. *de præsumpt. reg. 1. præsumpt. 29. in fine.* Contracta verò sponsalia siue iurata, siue non iurata, sub exequutionis pœna veniunt per matrimonij contractum effectuanda. *cap. sciuisse, & cap. ex litteris il 2. de sponsalibus.* Felyn. *in cap. 1. n. 12. de pact.* Seraph. *dec. 1112. n. 1.* 2

Et quamuis interdum ab hac regula ex aliqua rationabili causa iudicis arbitrio recedatur, vt per Seraphin. *decis. 1112. nu. 4. & decis. 1258.* Rota *decis. 497. part. 1. diuers.* Nulla tamen hîc adesse videtur causa quæ matrimonium possit excludere. Et primò non releuat sponsum non fuisse prouisum de quodam officio, iuxta promissionem per sponsæ patrem illi factam: vt enim in capitulis matrimonialibus legitur, necessarium non fuit ante matrimonium istam promissionem adimpleri, quæ debebat ante illud, vel paulo pòst executioni demandari. Vnde sub tali prætextu reuocanda non est matrimonij effectuatio, cùm adhuc promissoris mora non appareat, & hoc tanto magis dicendum videtur, quia talis promissio facta fuit per sponsæ patrem, qui simul cum filia colludere posset in matrimonij præiudicium. 3

Non obstat Annam dicta capitula per metum subscripsisse. Nam testes ad hoc inducti, solùm de auditu ab ipsa Anna deponunt, vnde nihil probant. Bald. *cons. 406. circa med. vers. Item quia lib. 4.* Alex. *cons. 112. num. 13. lib. 6.* Dec. *cons. 81. num. 3.* & eodem modo respondetur exceptioni de quadam Francisci consanguinea accusata de sortilegio, cùm illa pariter non probetur. Et denique non obstant verba per Franciscum prolata, videlicet ducturum esse Annam 4

Annam in vxorem, vel Diabolum eundem habiturum. Hæc enim odium non concludunt, itaut ex isto capite locus esse possit dissolutioni sponsalium, sed potiùs magnum indicant amorem, quo Franciscus dictam Annam prosequebatur, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Ciuitaten. decimarum. Veneris 18. *Iunij* 1618.

ARGVMENTVM.

Decimæ quando debeantur Rectoribus Ecclesiarum, & quando Episcopo, & quando etiam ipse Episcopus ad participationem decimarum possit laicos admittere.

SVMMARIVM.

Decimæ de iure communi debentur Rectoribus Ecclesiarum existentium intra limites parochiæ num. 2.

Decimæ solui debent etiam dimidiis portionariis qui in Ecclesia parochiali deseruiunt. num. 3.

Decimæ de iure communi spectant ad solum Episcopum quando in eius diœcesi non sunt distinctæ parochiæ, nu. 4. *&* 5. *vbi tamen quòd isto casu potest Episcopus alios admittere ad participationem decimarum.*

Negligentia exigendi decimas, negligenti non præiudicat quando agitur de modica quantitate, num. 7.

Decimarum obligatio Rectori, seu Episcopo debita non mutatur per mutationem seminis, num. 8.

Decimis Ecclesiæ debitis non præiudicatur per acquiescentiam Episcopi, seu Rectoris, num. 9.

DECISIO DCLXVII.

1 POst mandatum de manutenendo concessum Episcopo Ciuitaten. & Rectori oppidi Sancti Felicis, ac aliis consortibus in quasi possessione decimas exigendi de oleo, quod in terris subrogatis percipitur, vel in quibus frumentum & alij fructus decimatorij colligebantur, cùm successiuè à prætensis huiusmodi decimæ à die motæ litis peterentur, ipsis tantùm informantibus fuit resolutum eas deberi.

2 Nam aut in illa diœcesi sunt distinctæ parochiæ, & tùc residet cura penes Rectores oppidi Sancti Felicis, qui de iure communi fundatam habent intentionem respectu omnium decimarum, intra suæ parochiæ limites existentium, *cap. quoniam à nobis, cap. cùm contingat*, vbi gloss. *in verb. de iure communi*, *de decimis. cap. ad decimas, de restit. spoliat. in* 6. *cap. statuimus* 26. *qu.* 1. Rebuff. *eod. tract. qu.* 7. *num.* 4. & fuit dictum in Hispalen. iuris nominandi 4. Iulij 1612. & in Comen. decimarum 27. Nouembris 1606. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.

3 Et vlteriùs cum Rectore concurrunt etiam dimidij portionarij, qui titulum habent in eadem Ecclesia parochiali, eique deseruiunt. Card. Seraph. *decis.* 899. *nu.* 3. *& decis. seq.* Caputaq. *decis.* 306. *num.* 3. *&* 4. *part.* 3. Gonzal. *super reg.* 8. *gloss.* 6. *n.* 88. *vers. ad etiam.*

4 Si verò parochiæ non sunt distinctæ, tunc solus Episcopus dicitur totius diœcesis vniuersalis parochus, & ei propterea debentur decimæ *c. fin.* vbi gl. *de paroch. c.* 1. 16. *q.* 2. *c. quoniam. & c. cum contingat*, vbi Doct. *de decim.* Rebuff. *eod. tit. qu.* 7. *nu.* 9. Guido Pap. *decis.* 135. Rot. *decis.* 309. *num.* 5. *part.* 2. *diuers.* & fuit dictum in causa Cumaten. decimarum 4. Decembris 1592. coram Gipsio.

Ex dicto autem Episcopi, Rectoris & beneficiatorum iure debet pariter iuuari D. Albæ Dux. vbi enim sunt in causa qui de iure communi fundatam habent inuentionem, & alios ad participandum admittunt, sic admissis eadem iuris assistentiam suffragatur. Seraph. *decis.* 908. *nu.* 3. *&* 4. *& decis.* 899. *nu.* 4. 5

Quod tanto magis dicendum videtur in casu nostro, cùm D. Dux ab incolis decimas immediatè non exigat, sed ipsi tantùm soluant Episcopo, Rectori ac beneficiatis, à quibus postea Dux portionem recipit sibi tangentem: vnde satis est ab incolis Episcopum & Rectorem non excludi, qui si postea Ducem ad participationem admittant, non inde infertur exactionem & ius ipsarum decimarum ad eosdem Episcopum & Rectorem non spectare. Seraph. *d. decis.* 908. *num.* 4. & fuit dictum in Illerden. decimarum 13. Martij 1615. coram Reuerendissimo Domino meo Damasceno. 6

Non obstat ante motam litem incolas huiusmodi decimas soluere non consueuisse, quia tunc illæ tanquã in modica quantitate negligebãtur, quæ negligentia post magnum oliuarum incrementum non præiudicat. Turrecrem. *in cap. reuertimini num.* 11. *ad fin. vers. ad secundam* 16. *col.* 1. Rebuff. *de decim. qu.* 16. *num.* 51. & fuit dictum in Sabien. decimarum 9. & 27. Maij 1597. coram Gipsio, & in Conchen. decimarum 1. Iulij 1591. & 5. Maij 1600. coram Illustrissimo D. Cardin. Pamphilio. 7

Præterea cùm reale & vniuersale sit decimandi ius Rectori & Episcopo competens, immutatio seminis immutare non valet obligationem prædij decimalis in fructibus subrogatis. *cap. cùm in sua*, vbi Anchar. Anan. Abb. & cæteri Doctor. *de decim.* Abb. *cons.* 21. *vers.* 2. *principaliter & cæteri lib.* 2. Felin. *in cap. auditis, de præscript.* Couarr. *practic. quæst. cap.* 37. *nu.* 5. Rebuff. *de decim. qu.* 14. *num.* 18. Paris. *cons.* 73. *num.* 19. *lib.* 4. Silu. *de benefic. part.* 2. *qu.* 7. *num.* 18. Bologn. *cons.* 29. *num.* 13. *& seq.* Ruin. *cons.* 142. *num.* 8. *lib.* 3. Cephal. *cons.* 418. *num.* 13. Seraph. *decis.* 1203. 8

Non obstant testes deponentes ex certis solummodo fructibus decimas erogari. nam illi non deponunt ex aliis fructibus eas petitas & denegatas fuisse, cum Episcopi & Rectoris acquiescentia, vt requiritur ad effectum inferendi præiudicium Ecclesiæ, cui decima debetur. Alex. *cons.* 136. *num.* 19. *& seq. lib.* 2. Seraph. *decis.* 1102. *num.* 8. & fuit dictum in Valen. decimarum 15. Septembris 1604. coram R. Attrebaten. 9

R. P. D. VBALDO.

Firmana legitima. Lunæ 22. *Iunij* 1618.

ARGVMENTVM.

Creditum dotis filiarum per aditionem hæreditatis ab ipsis factam confunditur siue facto inuentario, siue non, saltem pro rata emolumenti hæreditatis.

SVMMARIVM.

Dotes detrahendæ sunt de tota hæreditate ante detractionem legitimæ, num. 1.

Creditum etiam dotis extinguitur per aditionem hæreditatis, in qua creditor hæres est institutus, quia per aditionem actiones videntur confusæ, nu. 2.

Inuentarium tutelare factum à tutore quando per iudicem

fuit decreta administratio, non potest deseruire pro inuentario hæreditario, nisi cum cautela adhibita vtriusque inuentarij, num.3.

Inuentarium est nullum, nisi sic confectum intra spatium à statuto requisitum post aditionem hæreditatis, nu.4.

Inuentarium etiam legitimè factum non impedit quominus actiones creditoris instituti hæredis confundantur pro rata emolumenti, & quatenus est in hæreditate, num.5.

Statutum ad fauorem masculorum factum non debet in eorum odium retorqueri, num.6.

DECISIO DCLXVIII.

1 Domini steterunt in decisis vltimo loco in hac causa 16. Februar. præteriti, ex rationibus tunc deductis: quæ autem in præsenti adducebantur contra prædictam decisionem, Dominis visa sunt extra punctum, & ideo non habenda in consideratione, & quoad decisionem, de qua agitur, licèt aliàs dicatur magis communis opinio, quòd dotes sint detrahendæ ante legitimam, ex allegatis in decisione.

2 Tamen dubitabant an in casu isto applicaretur, in quo filiæ sunt institutæ hæredes vniuersales, & filius masculus institutus est in rebus certis, & filiæ adierunt hæreditatem sine beneficio inuentarij. Ideo dato etiam quòd potuissent vti creditrices petere dotes tanquam æs alienum; tamen per aditionem actiones videntur confusæ, & extinctum prætensum creditum dotium, iuxta *l. debitori. C. de pact.* vbi Doctores, & firmatur in decisione.

3 Neque videtur obstare inuentarium nuper exhibitum, quia illud fuit inuentarium tutelare à matre puellarum tutrice post sibi decretam à iudice administrationem in continenti confectam, quod regulariter non potest deseruire pro inuentario hæreditario. Bart. *in l. in ratione. §. quod vulgo, num.8.* & ibi Alex. Herculan. & alij, *ff. ad l. Falcidiam*, & fuit consideratum in causa Bononien. de Bonsignoribus 14. Ianuarij 1613. coram R. P. D. meo Caualerio, nisi adhibita cautela solemnitatum vtriusque inuentarij, iuxta Cæpol *cautel.226. incipien.2. est inuentarium.* Guttier. *de tutel. part.2. cap.1. nu.49. vers. his tamen, & num.109.* quæ hîc deesse videbatur.

4 Quia quoad solemnitates inuentarij hæreditarij de iure communi, iuxta *l. fin. & ibi* Ias. & alij, *C. de iure deliberan.* absolutè illæ deficiunt, & quoad solemnitates statuti Firmani dicebatur etiam non concurrere, cùm non fuerit confectum intra quindecim dies à die aditæ hæreditatis, prout statutum requirit. Vltra quòd non datur vllum instrumentum aditionis cum relatione ad inuentarium confectum, nec constat de vlla consuetudine conficiendi vnum tantùm inuentarium, prout in his terminis considerat Bero. *cons.129. num.8. lib.2.* Nec est facta mentio quòd pro pupillis hæredibus inuentarium fiat, Phanuc. *de inuentar. 2. part. nu.36. vers. mihi videtur.*

5 Præterea dato etiam quòd inuentarium suffragaretur; tamen non impediretur actionum confusio pro rata emolumenti, & quatenus esset in hæreditate. Phanuc. *de inuentar. part.5. num.69.* cum aliis per Surd. *cons.7. num.33. & 34.* Hîc autem deducta legitima filij masculi remanet in hæreditate, quod potest sufficere pro dotibus filiarum, iuxta formam statuti Firmani.

Placuit etiam aliis Dominis aliud fundamentum decisionis comprobatum ex consil. Gabr. *20. nu.78. & seqq. lib.2.* præsertim attendendam rationem per eum deductam, quòd non debet statutum in masculorum fauorem factum in eorum odium & præiudicium retorqueri, vt latiùs in decisione, à qua Domini recedere noluerunt, &c. Et ita fuit conclusum, &c.

REVERENDISSIMO P. D. CAVALERIO.

Tullen. sponsalium. Lunæ 25. Iunij 1618.

ARGVMENTVM.

Matrimonij sponsalia sine patris consensu nunquid fieri possint, statuto hoc prohibente, &c.

SVMMARIVM.

Matrimonij sponsalia sine patris consensu nunquid fieri possint, statuto hoc prohibente, & nunquid tale statutum valeat, num.1. & per tot.

Sponsalia reuocari possunt à muliere propter cominatam sibi à patre exhæredationem, nu.2.

Sponsalia contracta sine iuramento mulier seruare non cogitur, num.3.

DECISIO DCLXIX.

Contra decisionem aliàs super hoc eodem articulo factam die 4. Decemb. præteriti opponebatur, puellam non habuisse iustam causam recedendi à sponsalibus ob comminationem sibi factam à parentibus de ipsam exhæredando, si contra ipsorum voluntatem nupsisset, ex statuto Lotharingiæ, quia tale statutum non habet locum, si filiifam. post 20. ann. completum requisiuerint consensum à parentibus, & illis fuerit denegatus, vt in alio statuto cauetur. Vltra quòd tale statutum erat inualidum tanquam impediens libertatem matrimonij contra dispositionem Conc. Trid. quod in ciuitate Tullen. in specie fuit acceptatum. 1

Sed informantes pro puella respondebant statutum hoc aliàs in decisione fuisse habitum pro inualido, sed non propterea cessare dicebant iustam causam recedendi à sponsalibus resultantem ex comminatione exhæredationis facta per parentes, vt in puncto aliàs Rota habuit hanc causam pro releuanti ad recusationem implementi sponsalium in alia Tullen. matrimonij apud Cardin. Seraph. *decis.1258. nu.2.* vbi allegat decisionem in alia Tullen. matrimonij 13. Maij 1596. coram bo. me. Pegna. Præterea neque in omnem euentum probatæ fuerant qualitates requisitæ in alio statuto super ætate Margaritæ, & requisiti consensus à parentibus. 2

Demum visa fuerunt subsistere alia fundamenta decisionis, nempè auersio animi Margaritæ ab hoc matrimonio, quæ prosequendo litem per plures instantias asserebat velle potius sustinere censuras, quàm contrahere. Et quia hæc sponsalia non erant iurata, quo casu mitiùs agitur, & Ecclesia abstinet à coactione. Abb. *in cap. requisiuit, in fin. de sponsal.* Gabr. *consil.186. num.10. & seq. lib.2.* Card. Seraph. *decis.1112.* & firmatum fuit in eadem decisione aliàs facta, à qua Domini voluerunt recedere. 3

REVERENDISSIMO P. D. REMBOLDO.

Bonon. iurispatronatus. Mercurij 4. Iulij 1618.

ARGVMENTVM.

De reuocatione attentatorum facta post præsentatam inhibitionem, siue iustam, siue iniustam, & etiam quòd fuerit capta vacua possessio; & quando dicatur mixtus exequutor per clausulas in litteris appositas, de quibus in hac decisione.

SVMMARIVM.

Attentata in inhibitione iam præsentata reuocanda sunt, siue iusta, siue iniusta sit inhibitio, num. 1. vbi præsertim in possessione post inhibitionem capta à gratiosè subrogato.

Possessio vacua post præsentatam inhibitionem capta reuocanda est tanquam attentata propter contemptum iudicis, num. 2.

Exequutor mixtus efficitur tenetúrque iudicis officium assumere, & partem citare, quando in litteris adest clausula, amato quolibet illicito detentore, *vel clausula*, dummodo alteri non sit ius quæsitum, *numer. 3.*

Subreptitia dicitur gratia quando tacitæ sunt qualitates, quæ Papam retraxissent à concessione gratiæ, vel saltim difficiliorem reddidissent, n. 4.

Attentata nunquid dicantur ea quæ post inhibitionem fiunt à tertio, num. 5.

DECISIO DCLXX.

1 Conclusum fuit pro informante possessionem, scilicet, per Zannottum captam, esse attentatam, quia capta fuit post inhibitionem Rotalem tam Vincentio exequutori, quàm etiam eidem Zannotto præsentatam, quæ siue iusta, siue iniusta, causat attentata. Verall. *decis. 93. part. 2.* Achil. *decis. 29. de appellat.* & in terminis possessionis captæ à gratiosè subrogato Lancell. *de attentatis lite pendente part. 2. cap. 4. num. 433. & de attentat. post inhibitionem, cap. 20. limit. 27. nu. 5.* & fuit dictum in Toletana parochialis 26. Iunij 1609. coram R. P. D. meo Pamphilio.

2 Nec obstat quatenus diceretur dictam possessionem potuisse absque vitio attentatorum capi, eo quòd erat vacua, quia dato etiam quòd per apprehensionem dictæ possessionis ius partis læsum non sit, fuit tamen contemptus iudex, qui propterea potest ex officio dicta attentata reuocare. Lancell. *dicto tract. de attentatis part. 2. cap. 4. nu. 387.* Rot. *decis. 10. numer. 4. vers. fuit igitur conclusum, vt lit. pend. in nouiss.*

3 Minus obstat quòd Vincentius non potuisset exequutionem litterarum Apostolicarum dicto Zannotto denegare absque incursu censurarum, cùm esset in eisdem litteris merus exequutor deputatus, quia vltra quòd in dictis litteris aderant clausulæ, videlicet *dummodo alteri non sit ius quæsitum, & amoto quolibet illicito detentore*, quæ, vt fuit millies dictum, faciebat eum exequutorum mixtum, ita quòd tenebatur iudicis officium assumere, & citare partem, & ab eius decreto dabatur appellatio. Mohed. *decis. 7. de restit. spoliator. num. 5.* Card. Seraph. *decis. 1056. nu. 2. & 1471. num. 2. & seq.*

4 Non cessat etiam dictus iudicis contemptus ex parte dicti Zannotti, qui & eo magis in dicta possessione abstinere se debuisset, quòd & subrogatio per eum in eius, & ad possessionem Pistorini obtenta subreptionis vitio non caret, quia scilicet ipse tacuit quòd dictus Pistorinus fuerit sub conditione prouisus, quod possessionem capere non possit, nisi sequuta Rotæ declaratione, quod de iurepatronatus non constaret, aliàs dicta prouisio pro non facta haberetur, & quòd eadem prouisio fuit per dictum Pistorinum cum dicta conditione, medio quoque eius iuramento, acceptata. Nam si hoc fuisset Papæ narratum, vel talem subrogationem non concessisset, vel saltem difficilius, quòd ad inducendum subreptionem sufficit. *cap. postulasti, de rescript.* Cardin. Seraphin. *decis. 19. num. 2.*

5 Et quia in omnem euentum dicta possessio non poterat per dictum Zannottum absque vitio attentatorum capi. Nam etsi ille esset tertius, quia tamen fuit prouisus per cessionem Pistorini collitigantis, non potuit possessionem citra vitium attentati capere, non minus atque illam Pistorinus citra idem vitium apprehendere non potuisset. Ægid. *decis. 102.* Rota *decis. 10. nu. 4. & seq. vt lit. penden. in nouis*, quia vbi tertius causam habet à collitigante capiendo possessionem attentat. Lancell. *de attentat. cap. 3. nu. 16.* & fuit in puncto resolutum in Bracaren. parochialis de Padronello 11. Maij 1601. coram R. D. meo Damasceno, &c.

REVERENDISSIMO P. D. BVRATTO.

Romana tutelæ. Mercurij 4. Iulij 1618.

ARGVMENTVM.

Tutor qui non administrauit non potest conueniri pro gestis per contutorem finita tutela, sed tantùm illa durante, tutoréſque plures, si fuerint in testamento relicti cum clausula *quòd simul, & coniunctim*, &c. vno mortuo, an quoad omnes tutela expirauerit.

SVMMARIVM.

Tutor vnus ex pluribus non potest alteri administrationem in solidum inhibere ipso nolente, vel non valente administrare, num. 1.

Tutela finitur per mortem tutoris, ibid.

Tutor qui non administrauit, non potest conueniri pro gestis pro contutorem finita tutela, sed tantùm illa durante, num. 2.

Suspicionis causa propter metum dilapidationis, vt iustificata dicatur quæ requirantur remissiuè, numero 3. & 4.

Tutores plures si fuerint in testamento relicti cum clausula quòd simul & coniunctim, *&c. vno mortuo, an quoad omnes tutela expirauerit, nu. 5. & 6. vbi etiam quid si fuerint tutores relicti cum clausula quod vnus non possit sine alio administrare.*

DECISIO DCLXXI.

1 Censuerunt Domini inhibitionem ad instantiam q. Benedicti, vnius ex tribus tutoribus testamentariis relictis per q. Ioan. Antonium eius filiis pupillis directam Bancheriis, & aliis de non soluendo aliquam pecuniarum quantitatem Ioan. Baptistæ fratri testatoris & contutori, esse reuocandam. Fuit enim temporalis, durante videlicet vita Benedicti, qui illam obtinuit, quod patet, tum ex verbis ipsius inhibitionis, ibi, *ne audeant sine eius consensu*; tum inspecta dispositione iuris, à quo etiam regulan. Quia vnus ex pluribus tutoribus non potest alteri administrationem insolidum inhibere ipso nolente, vel non volente administrare. *l.1.& ibi gloss. in verbo noluerit. C.si ex pluribus tutor.* Voluntas verò & potentia quæ erant fundamentum ac causa inhibitionis, defecerunt quoad Benedictum per eius mortem, per quam tutela finitur. *l.nihil finita.ff.de tut.& rat.distr.§.simili modo. Instit.quib.mod.tutel.finitur.* consequenter & ipsa inhibitio. Lancellott. *de attentat.in præfat. num.* 520. *&* 521.

2 Defecit præterea etiam interesse, tam eiusdem Benedicti, quàm ipsius hæredum, quos certum est de gestis, vel gerendis, & pecuniis exactis vel exigendis post mortem dicti Benedicti non teneri, iuxta *l. fin.C.de priuat.tutel.l.Diui.32.ff.de administ.tut.* Aldobrand.§.1.*nu.*35 *vers.limit.Instit.de sat.tut.* Grat.*discep. forens.*86.*num.*49. & propterea inhibitio venit reuocanda.*l.tutor.*49. vbi Abb.*num.*2 *ff.de minor.* Neui.*de fideicom. cap.*19. *num.*67. Rota in Marsicana iurisdictionis 6. Aprilis 1601. coram Corduba.

3 Et hîc quoque cessauit secunda causa inhibitionis ibi expressa, videlicet metus dilapidationis ac dissipationis, quæ post mortem dicti Benedicti illa amplius in periculum ac damnum ipsius hæredum cedere non poterat, ex prædictis. Vltra quòd nec aliqua fuit iustificata causa dilapidationis suspicionis, iuxta requisita per gloss.*in l.si fideiussor.§.fin.in verbo officium. ff.qui satisd. cogantur.* & Gayl. *lib.*1.*obseruat.*148.*nu.*7.

4 Immò nec vlla penitus super illa apparet adhibita cognitio, prout requirebatur. Bald. *in d.§.fin.* & latè per Rot. in ciuitatis Castelli, seu Romana sequestri 30. Martij, & 15. Iunij 1615. coram me, quæ tanto magis necessaria videbatur, cùm ipse Ioannes Baptista fuerit pro idoneo approbatus, nedum à testatore, qui illum solum expresè deputauit administrationi Fundaci Pannorum, sed etiam ab eodemmet Benedicto, qui ab illo tanquam idoneo promissore releuatione indemnitatis in forma Cameræ recepit absque vlla requisitione fideiussionis, vel alterius maioris securitatis, vt ex instrumento in summario de Ruberiis *num.*3.

Ex quibus fuit responsum inhibitionem esse moderandã; an autem pecuniæ sint consignandæ eidem Ioan. Baptistæ, pendet à resolutione articuli aliàs sub die 16. Decembris 1616. propositi, & non resoluti, an tutela per mortem Magdalenæ matris, & vnius ex tribus tutoribus pupillorum à testatore constitutis, cum clausula, *simul & coniunctim*, expirauerit quoad omnes, prout effectiuè concludendum videretur, si dicta clausula æquipolleret illi, quòd vnus non possit sine alio administrare, in qua sic tenuit *gloss. vltima in cap. final. de testib. in* 6. & Bald. dicens hanc esse veriorem, *cons.*308.*num.*1.*in fin. & cons.*32. *num.*2.*lib.*2.*& in l.cùm magnatum, nu.*2.*vers.Sed quid in pluribus.C.quando prouoc.non est necesse*, cum allegatis in alia positione. Et hoc casu esset quidem moderandum, nihilominus vti obtenta à dicto Benedicto post obitum dictæ Magdalanæ, & sic post finitam tutelam, etiam quoad ipsum; eadem tamen ratione non posset fieri consignatio dictarum pecuniarum Ioanni Baptistæ, non ampliùs tutori, absque noua illius deputatione. 5

Si verò vel ex eo, quia dictæ clausulæ non æquiparentur, vel ex alia ratione concludendum sit tutelam post mortem Magdalenæ non expirasse quoad omnes, tunc non solùm veniret reuocanda inhibitio iuxta præsentem resolutionem, sed etiam pecuniæ essent consignandæ dicto Ioan. Baptistæ vti vero & legitimo administratori. Quod tamen tanquam ab hodierna disputatione seiunctum, indecisum DD. reliquerunt, & tamen pro moderatione inhibitionis responderunt vt suprà, &c. 6

FINIS PARTIS SECVNDÆ.

INDEX



INDEX
RERVM, VERBORVM, ET SENTENTIARVM, QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE DECISIONVM ROTÆ ROMANÆ CONTINENTVR.

Prior numerus decisionem, posterior eiusdem decisionis sectionem margini adscriptam denotat: vbi autem vnus solus est numerus, intelligitur esse marginalis proximè prænotatæ decisionis.

Appel-

Index Rerum.

C.

Con-

D.

F.

G.

I.

Immemo-

Legiti-

N.

O.

egestas,

T.

FINIS INDICIS.